R. P.
IOANNIS DE LA HAYE
COMMENTARII LITERALES ET CONCEPTVALES IN GENESIM:

SIVE

ARBOR VITÆ CONCIONATORVM IN GENESIM.

TOMVS SECVNDVS.

COMMENTARII LITERALES ET CONCEPTVALES IN GENESIM:

SIVE

ARBOR VITÆ CONCIONATORVM, CVIVS RADIX,
Liber Geneseos: truncus, expositio eius literalis; rami cum folijs, omnimoda versionum varietas: flores earum, concordia: fructus, innumeri pœne animi conceptus, sexcentorum fere Patrum auctoritate confirmati & concatenati.

AVCTORE R. P. FR. IOANNE DE LA HAYE PARISINO,
strictioris Minorum obseruantiæ, vtriusque Majestatis Christianissimæ à concionibus Terræ Sanctæ Commissario Generali, nec non Prouinciæ Franciæ Parisiensis Visitatore Apostolico.

TOMVS SECVNDVS.



PARISIIS,
Apud viduam N. BVON, viâ Iacobæa, sub signo S. Claudij, in Officina,
Et in domo, viâ Mathurinensium, ante Ecclesiam.

M. DC. XXXIX.



ILLVSTRISSIMO
ET
REVERENDISS. DOMINO D.
LEONORIO
DESTAMPES
DE VALANCAY CARNVTENSIVM
Episcopo, nec non regi Christianissimo à
sanctioribus Consiliis &c.

MAIORVM nostrorũ gloria posteris lumẽ est, ANTISTES ILLVSTRISSIME, si tamen superiorum sæculorum infantiã liceat reuocare, de illorum fœlicitate nonnihil nostra dimouere tempora, testor illustriorum virorum manes, quibus coronatis, tot plauserunt ætates, qui si excitarentur, primam nascentis mun-

di sapientiam in hanc ætatem confluxisse, & omnium Antistitum virtutes in te vno collectas refloruisse haudquaquam diffiterentur: earum sane virtutum quibus te cœlum cumulata quadam mensura nobilitauit, me fulgor perstrinxit & qui fortiores etiam animos abripit in diuersa, me à meipso abalienasset, nisi quæ tibi innata est facilitas, te nostræ accomodasset humilitati. Quare si pateris, inter publicas acclamationes, inter publica te venerantium testimonia, mea vota ad vnam omnium vocem appellabo, & quia tuarum virtutum vniuersus orbis iustus arbiter ad Episcopalem infulam te plus decoris adduxisse deprædicat, quam tibi quælibet dignitas contulerit ornamenti, ego tuæ mentis maiestatem demiratus, te statim existimaui litterarum parentem, ornamentum Ecclesiæ, pietatis fulcimentum, religiosorum præsidium, æquitatis defensorem, pauperum benefactorem, miserorum protectorem, patronum studiosorum, in tot Antistitibus qui Gallias illustrarunt luminare, si ausim, maius dicam, & denique Antistitem cuius doctrina & exemplo, niti Gallicum imperium, firmari consiliis diuina voluit prouidentia.

Audeo igitur, PRÆSVL AMPLISSIME, tuo nomini meam industriam addicere, tuis altaribus appendere tabellam Moysis, cuius effigiem proximo fallis mendacio, & ad cuius vitam te tanquam ad alicuius pientissimi principis exemplar effinxisti, incorruptam tibi Arborem sacrare audeo, cuius nunquam intempestiuus fructus, & oculos recreabit, & mentem variis negotiorum ambagibus implicatam interdum reficiet, tibi tandem, cuius memoriæ sacrario Deus omnes scientiæ thesauros credidit, hoc in Genesim non parui laboris opus deuouere: quod quia ab insolita nec vulgari vsque ad hæc tempora scribendi ratione, in Scriptura per conceptus commendatur, ex debito & in singularis obseruantiæ monumentum tibi censui dedicandum, vt homini, cui similem ostentatrix antiquitas inter suos Heroas nec numerauit nec laudauit, cui æqualem nostra non patitur ætas, sed singularem obstupescit, & cui secundum grata non admittet posteritas, in

tas, in

tas, in te enim velut in altero ſacrarum legum interprete, Deus abunde videre voluit quid poſſit vitæ integritas cum populi adminiſtratione, & quam opportunè præfectura conſentiret cum ſacro principatu.

Moſem cleri populique communem ductorem habuerunt Hebręi, te amantiſſimum vtriuſque ordinis Carnutenſis æquiſſimum rectorem experitur ciuitas, illum genus ex Patriarchis duxiſſe, te ex Galliarũ nobiliſſima & illuſtriſſima familia quis in dubium reuocare poterit? & ne fucata aut afficta oratione ſolidam laudem, pręſtanteſque tui animi dotes videar obſcurare, illuſtrem à maioribus adeptam præclaris actionibus non afferam gloriam, non nobilem prędicabo familiam, non celebres recẽſebo viros, qui hæreditariam quaſi per traduces & hincilia corriuatã nobilitatem reddiderunt clariorẽ, non inſignia eorum facta, quibus ad lucem hominũ clariſſimam acceſſerunt, illa enim ab aliis potius quam à te petita, aliorũ non tua cenſerentur ornamenta, niſi placeat tui nominis amplitudinẽ non auis atauiſque, ſed propriis deberi virtutibus, quibus domeſticam gloriam reddis ampliorem & hominum ſempiternę conſignatam memoriæ.

Moyſes fideliſſimus Dei famulus omnium ſcriptorum ſanctiſſimus & vetuſtiſſimus, antequam vocaretur ad imperium vir erat tantæ doctrinæ, vt de illo ſcriptum inueniatur quod fuerit eruditus omni Ægyptiorum ſapientia, et vero eius ſcripta non modo habent cincinnulos interdum oratorios, ſed & poeticas redolent amœnitates, tanta orationis maieſtate, vt ſuaui quodam terrore legentium percellãt animos ſimul & delectẽt. At dum tui ſublimitatẽ ingenii cogito, (PRÆSVL AMPLISSIME) ſtatim virum non minus florentis eloquentiæ, quam eximiæ virtutis mihi videre videor, qui vel omnium teſtimonio ſciens appellari poteſt & ſapiens, mittens tanquam imbres eloquia ſapientiæ ſuæ: ea ſane eſt ſapientia quà tibi meritam principis gratiam, honorumque dignitatem peperit, ea eſt quæ te Moſis ad ſimilitudinem efformauit, quia non ilico & cæco fortunæ impetu, ſed de virtute deinceps in virtutem ad Pontificiam quaſi per gradus acceſſiſti dignitatem,

& quæ illi promerita, viam ad principatum aperuere, ad fere eandem gloriam, eadem ductrices gradus extitere. Tua igitur est sapientia, qua teipsum superasti, qui tam multis & vtilibus sanctionibus, tam præclaris institutis, tam salutaribus legibus commissum tibi Carnutēsem populum in offitio continuisti: tua est prudentia dum deprauatos tuarum ouium mores, qui bellorum calamitatibus irrepserant, nec sæculares solum inuaserant, sed Deo etiam consecratos oppresserant, maxima dexteritate aboleuisti: tua est constantia, quæ nullis licet grauibus difficultatibus succubuisti, tua est pietas quia nihil tibi fuit antiquius, quam vt sarta Christianæ religionis orthodoxa fides, tuorum pectoribus insideret, dogmata ab impiis proseminata, æterna delerentur obliuione; hæc tua est gregis indefessa vigilantia. Tuum adhuc laudant ingenium ad omnia accōmodatum Sorbonæ proceres, vt nihil proponeretur quod non solum declaratum, sed mentis quodam acumine quamuis implexum, difficultatibus inuolutum teipso facile assequereris, itaut nihil tam sublime, quo non tui vis ingenii penetraret, nihil tam abditum & tam intimum, quo non tuæ mentis acumen peruaderet. Ita ergo excelluisti, vt non tam singularem tui nominis memoriam, quā exemplar præclaræ imitationis & æmulationis reliqueris Sorbonæ candidatis, qui omnes probe norunt, te non solum loquendi facultate & facundia præditum esse, sed etiam disputandi subtilitate.

Nec vero demissum Mosis animum ex virtutis studio recenserem nisi in te maiorem fide mirarer humilitatem, hunc honores fugisse, te reiecisse dignitates, hunc inuitum volente Deo, te coactum præcipiente Rege, summo omnium bono acceptasse neminem fugit, honores non sequebaris sed de sola virtute sollicitum, vltro ipsi te sunt consequuti: nihil te dignitas Episcopalis immutauit, nisi quod tua virtus in singulas orbis partes diffusa ab omnibus commendaretur, eandem comitatem quam priuatus, eundem cultum, eandem vitæ ac disciplinæ seueritatem retinuisti, quin imo ad hanc autoritatem suauis accessit affabilitas, qua ita te vniuersis hominum ordinibus

humanum

humanum atque officiosum præbes, vt in auribus tuis omnes omnium suarum precum domicilium collocent, neque vllus est vel infimæ conditionis, qui non te, quem supremum dignitate suspicit, parem sibi facilitate deprędicet. Proh Deus! nec Mosem vitiarunt, nec te macularunt frequentes adulantium blanditiæ, ille sui compos non superbiebat, tu supra modum modestissimus non effereris, quid miraculi propius esse potest, quam homines inter delicias non effluere, inter opes non insolescere, inter principatus non insultare? hoc Moysem præstitisse, te id exercere satis notum est.

Mosem cum mansuetudine maiestatem conciliasse sacræ commendant paginæ, te tui non immemorem, Pontificiam dignitatem vt alienam interdum abiicere, tibique adnatam benignitatem in tuam cooptare naturam deprædicant omnes tuarum actionum testes oculati. Sed quid sacra moror? nemo nescit Mosem Deo in primis charum familiaremque fuisse, inuius erat aliis ad Deum aditus, Mosi semper peruius, cæteri solum montis radicibus, vbi Deus erat, assistebant, Moses in summum verticem solus Deo fruiturus peruolabat, hominibus dilectissimus in omnem partem flectebat populorum voluntates, & rebus quantumuis arduis tantam facilitatem verbo suæ virtutis accersebat, vt singuli imminentibus se crederent periculis nec horrerēt: Tu verò, ANTISTES ILLVSTRISSIME, qua in Deum religione non excelluisti? tuus animus totus in perpetua rerum altissimarum contemplatione nullum in terris haberet commercium, nisi aliquod aut diœcesis necessitas extorqueret, aut regina virtutum factorumque omnium charitas præciperet. In te hominum amorem taceo, qui tuam suauitatem mirantur, virtutem suspiciunt, pietatē venerātur, quę quanta in te viget testantur & sacrarum ædium ædificia reparata, monasteria virginum tuo regimini commissa, crebro visitata, reformata, & sanctis ordinationibus erecta & directa, tua singularis in religiosa instituta, sed præcipue in Franciscanū Ordinem nostrum qui quod nunc habiturus est splendoris & emolumenti, ex te accepisse conclamabit.

Non inuoluam silentio diuinam maiestatem Mosis adminiculis vti voluisse, vt suam gentem durissimæ seruitutis laboribus primum liberaret, deinde inter vastas solitudines errantem consolaretur, mox etiam sacrarum legum cultu perpoliret. Verum quid non commemorem? te, volente Deo, fauentibus superis, exultante nostra religione, bonis omnibus plaudentibus, ad Episcopalem admotum esse dignitatem, qui legum sanctissimas iuberes, custodiendas suaderes, qui infringentium temeritatẽ reprimeres, frangeres audaciam, arrogantiam quasi virgâ compesceres, ouesque erroneas in Christi reduceres ouile, quod præstitisti. vbi enim ex difficillimis Philosophiæ & Theologiæ salebris, primo adhuc flore pubescens, eloquentię præsidiis optimarum artium communitus & naturæ, te laudabili cupiditate glorię ad hanc laudem excitasti concionandi, & primis conatibus ita se tua virtus egregiè declarauit, vt non spem futuræ gloriæ, sed adeptæ inieceris admirationem, tuasque primitias eloquentiæ nobiliorũ Galliæ ciuitatum exædræ prælibarint: concionantem demiratę sunt, laudauerũt, commendarunt, applauserunt, cur encomiis non celebrarent? cum declamatorem omnium sui temporis celeberrimum, virum in diuinis scripturis eruditissimum, qui cæcutientes populos à cœlestis patriæ recto tramite declinantes, suis viribus eloquii in Dei timorem & amorem suauiter & efficaciter dirigeret, suspicerent.

Mosem ea in populum Israeliticum fuisse charitate ab amoris fluctu eius causa excitatum, sacræ testantur paginæ, vt sui oblitus rideret incommoda, periculis insultaret, mortem contemneret, & etiam de libro vitę deleri optaret, ni populus Israeliticus euaderet incolumis: tuũ tuum illud defendẽdæ diœcesis ab hæreticorũ erroribus, & conseruandę, quę tuę vitæ probitate & singulari eruditione in ea viget, pietatis, studium non communibus laudum celebratur encomiis, qui vitę proprię commodum tibi commissi & cleri & populi saluti deuouere non dubitas, qui nullo labori nec cum tuo discrimine in tuis in omni necessitatis genere subleuandis scis parcere.

Qui nunc

qui nunc incredibili otio tuis parto ſollicitudinibus fruuntur, ſi te fruantur, in quo ſimul illę virtutes floruerunt, quarum ſingulæ multos quondam Carnutenſes illuſtrarunt Antiſtites. Te igitur fœlicem qui virtutes amas & tot heroïcas dotes poſſides, illos fœliciores ſi te diutius poſſederint, me fœliciſſimum ſi hos Commentarios in primum librum Moyſis, tibi multis titulis debitos benigno vultu exceperis.

VESTRÆ ILLVSTRISSIMÆ
DOMINATIONIS,

obſequentiſsimus & addictiſsimus,

F. IOANNES DE LA HAYE.

LICENTIA REVERENDISSIMI MINISTRI GENERALIS totius Ordinis nostri Seraphici Minorum.

FRatres Ioannes Baptista à Campanea strictioris obseruantiæ totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister & seruus,

Præsentium vigore facultatem facimus Patri ac Fratri Ioanni de la Haye eiusdem Ordinis & instituti, Christianissimorum Regum ordinario Ecclesiastæ, ac locorum Terræ Sanctæ in Prouinciis nostris regni Galliarum Commissario generali, quatenus ad Apostolicorum decretorum præscriptum & salua instituti nostri puritate, secundum & tertium tomum super librum Genesis typis mandare posit & valeat. Datum Neapoli in Conuentu nostro S. Mariæ nouæ die 30. Augusti anno 1635.

Locus sigilli F. IOANNES BAPTISTA à CAMPANEA *Minister Generalis.*

LICENTIA REVERENDI ADMODVM PATRIS IOANNIS Laual in sacra facultate Parisiensi Doctoris, Prouinciæ D. Bonauenturæ Exprouincialis, Exdefinitoris Generalis, nunc amplissimi Minorum, Conuentus Moderatoris dignissimi.

NOS frater Ioannes Laual Doctor Theologus, nec non magni Conuentus Fratrum Minorum Parisiensium humilis Guardianus, visa Reuerendissimi ministri Generalis licentia, nec non præmissa doctorum tam sæcularium, quam religiosorum approbatione, consensum præbemus R. admodum P. Fr. Ioanni de la Haye Parisino, Concionatori Regio, quondam primario Theologiæ Professori, nunc in Galliarum regno Terræ sanctæ Commissario Generali, nec non prouinciæ Franciæ Parisiensis reformatorum Visitatori Apostolico, quatenus ad communem Ecclesiæ vtilitatem & Ordinis nostri decus & ornamentum, Secundum & tertium Tomum commentariorum tam literalium quam conceptualium in Genesim typis mandare possit, cum vterque, eximios animi conceptus contineat, selectissimis Patrum sententiis fœcundos ac varia eruditione refertos. Act. Parisiis in præfato Conuentu Minorum Anno Domini 1635. die 17. Mensis Octobris.

Locus sigilli. FR. IOANNES LAVAL, *qui supra.*

APPROBATIO DOCTORVM ALMAE FACVLTATIS PARISIENSIS.

NOS infrascripti in alma Facultate Parisiensi Doctores, secundum & tertium volumen Commentariorum in Genesim, siue Arboris vitæ Concionatorum à R. P. F. Ioanne de la Haye Parisino edita, summa attentione & animi voluptate legimus, censemusque nihil in eis aut Christianis moribus, aut fidei decretis repugnans contineri, imo esse opus admirabili Patrum eruditione, eximiisque refertum conceptibus, & ideo iudicamus magno Reipublicæ bono & diuini verbi Concionatorum commodo typis euulgandum. Datum Parisiis Anno Domini 1636. die verò octaua Aprilis.

P. DE LA CROIX. DE SAINCT SIMON.

NOS subsignati in sacra Facultate Parisiensi Doctores & Professores, Arboris Vitæ Concionatorum, cuius truncus liber Geneseos, &c. volumen secundum & tertium, neutrum à priori absimile, imo germanum, vtrumque profundis discussum conceptibus à R. P.F. Ioanne de la Haye Concionatore regio apprimè elaboratum, diligenti recognitione perpendimus, nihil sane in vtroque Catholicis dogmatibus dissonum, integritati ve morum alienum, imo occultioribus arcanis insignitum offendimus, quapropter mandandum prælo iure censuimus & subscripsimus. Datum in Conuentu magno Franciscan. Parisiens. die 20. Nouembris An. Domini 1635.

Fr. MATTHÆVS DOLES. Doctor & primarius Professor.

Fr. GVILL. BELLOT Doctor & Professor in Theologia.

CENSVRA ET IVDICIVM R. ADMODVM P. MARTINI HVGVENIOT *celeberrimi Sacræ Theologiæ Doctoris.*

SEcundum & Tertium volumen Commentariorum litteralium & Conceptualium in Genesim, Siue Arboris vitæ Concionatorum, summa cum voluptate vidimus elaborata a R. P. Fr. IOANNE DE LA HAYE Concionatore Regio, ea vero sunt huiusmodi, vt primæ eiusdem authoris commentationi in lucem summa omnium gratulatione & applausu editæ, consonent mentis acumine, solida doctrina, graui stylo, mira eruditione, in quibus quidquid vbique veteribus monumentis doctum, serio studio percurrit, nec vllum indiscussum transit, verba singula sacri contextus alta mente perpendit, conceptibus subtilissimis illustrat. Dignum igitur arbitramur opus quod in publicam totius Ecclesiæ vtilitatem excudatur. Datum Parisiis in Conuentu magno S. Francisci, die decima sexta mensis Aprilis. Anno à partu sacro, 1636.

Fr. MARTINVS HVGVENIOT S. Theologiæ Doctor.

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIANISSIMO FRANCIAE ET NAVARRÆ REGE.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis, auctoritate sancitum est ac patentibus litteris cautum, ne quis in regno suo aliisue locis ditioni suæ subiectis intra proximos decem annos à die primæ impressionis inchoandos ac numerandos excudat aut vendat, excudendum vendendúmque, quouis modo & ratione conetur, librum qui inscribitur, *Arbor Vitæ Concionatorum*, cuius radix liber Geneseos, &c. plantata in Paradiso Seraphicæ Religionis a P. Fr. IOANNE DE LA HAYE Parisino Regio Concionatore, præter illum vel illos quibus ipsemet concesserit licentiam, idque sub confiscatione Librorum aliisque pœnis, originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum in Regio D. Germani Palatio die 22. Decembris, anno 1632.

De mandato Regis,

Signatum, PERROCHEL.

Ego præfatus IOANNES DE LA HAYE virtute prædicti Priuilegij consensum meum præbeo vt hoc Secundum & Tertium volumen, Imprimat Petrus Billaine bibliopola Parisiensis Act. Parisiis die vigesima tertia mens. August. Ann. 1635.

Fr. IOANNES DE LA HAYE.

Finis secundo & tertio volumini commentariorum in Genesim, à Typographo impositus est die 2. Maij Ann. 1636.

Die 30. Septembris 1639. vidua, & hæredes supradicti Petri Billaine, ius suum præsentis Priuilegij concesserunt viduæ NICOLAI BVON, quæ eadem die mediam eiusdem priuilegij partem transtulit SIMEONI PIGET, vt pari secum beneficio fruatur.

LICENTIA REVERENDISSIMI MINISTRI *Generalis totius Ordinis nostri Seraphici Minorum.*

FRater Ioannes Baptista à Campanea strictioris obseruátię totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister & seruus,

Præsentium vigore facultatem facimus Patri ac Fratri Ioáni de la Haye eiusdem Ordinis & instituti, Christianissimorum Regú ordinario Ecclesiastæ, ac locorum Terræ Sáctę in Prouinciis nostris regni Galliarum Cómissario generali, quatenus ad Apostolicorum decretorum præscriptum & salua instituti nostri puritate, secúdum & tertium tomum super librum Genesis typis mandare possit & valeat. Datum Neapoli in Conuentu nostro S. Marię nouæ die 30. Augusti Anno 1635.

Locus sigilli. F. IOANNES BAPTISTA à CAMPANEA
Minister Generalis.

LICENTIA REVERENDI ADMODVM PATRIS *Ioannis Laual in sacra facultate Parisiensi Doctoris, Prouinciæ D. Bonauenturæ Exprouincialis, Exdefinitoris Generalis, nunc amplissimi Minorum, Conuentus Moderatoris dignissimi.*

NOs frater Ioannes Laual Doctor Theologus, nec non magni Conuentus Fratrum Minorum Parisiensium humilis Guardianus, visa Reuerendissimi ministri Generalis licentia, nec non præmissa doctorum tam sæcularium, quam religiosorum approbatione, consensum præbemus R. admodum P. Fr. Ioanni de la Haye Parisino, Concionatori Regio, quondam primario Theologiæ Professori, nunc in Galliarum regno Terræ sanctæ Commissario Generali, nec non prouinciæ Franciæ Parisiensis reformatorum Visitatori Apostolico, quatenus ad communem Ecclesiæ vtilitatem & Ordinis nostri decus & ornamentum, Secundum & tertium Tomum commentariorum tam literalium quam conceptualium in Genesim typis mandare possit, cum vterque, eximios animi conceptus contineat, selectissimis Patrum sententiis fœcundos ac varia eruditione refertos. Act. Parisiis in præfato Conuentu Minorum Anno Domini 1635. die 17. Mensis Octobris.

Locus sigilli. Fr. IOANNES LAVAL,
qui supra.

APPROBATIO DOCTORVM ALMAE *Facultatis Parisiensis.*

NOs infrascripti in alma Facultate Parisiēsi Doctores, secundum & tertium volumen Commētariorum in Genesim, siue Arboris vitæ Concionatorum à R. P. F. Ioanne de la Haye Parisino edita, summa attentione & animi voluptate legimus, censemusque nihil in eis aut Christianis moribus, aut fidei decretis repugnans contineri, imo esse opus admirabili Patrum eruditione, eximiisque refertum cōceptibus, & ideo iudicamus magno Reipublicę bono & diuini verbi Concionatorum commodo typis euulgandum. Datum Parisiis Anno Domini 1636. die verò octaua Aprilis.

P. DE LA CROIX. DE SAINCT SIMON.

NOs subsignati in sacra Facultate Parisiensi Doctores & Professores, Arboris Vitæ Cócionatorum, cuius truncus liber Geneseos &c. volumen secundum & tertium, neutrum à priori absimile, imo germanum, vtrumque profundis discussum conceptibus à R. P. F. Ioanne de la Haye Concionatore regio apprimè elaboratum, diligenti recognitione perpendimus, nihil sane in vtroque Catholicis dogmatibus dissonū, integritati vel morum alienum, imo occultioribus arcanis insignitum offendimus, quapropter mandandum prælo iure censuimus & subscripsimus. Datum in Cōuentu magno Francisan. Parisiens. die 20. Nouembris An. Domini 1635.

Fr. MATTHAEVS DOLES
Doctor & primarius Professor.

Fr. GVILL. BILLOT
Doctor & Professor
in Theologia.

CENSVRA ET IVDICIVM R. ADMODVM P. MARTINI HVGVENIOT *celeberrimi Sacræ Theologiæ Doctoris.*

SEcundum & Tertium volumen Commentariorum litteralium & Conceptualium in Genesim, Siue Arboris vitæ Concionatorum, summa cum voluptate vidimus elaborata à R. P. Fr. IOANNE DE LA HAYE Concionatore Regio, ea vero sunt huiusmodi, vt primæ eiusdem authoris commentationi in lucem summa omnium gratulatione & applausu editæ, consonent mentis acumine, solida doctrina, graui stylo, mira eruditione, in quibus quidquid vbique veteribus monumentis doctum, serio studio percurrit, nec vllum indiscussum transit, verba singula sacri contextus alta mente perpendit, conceptibus subtilissimis illustrat. Dignū igitur arbitramur opus quod in publicam totius Ecclesiæ vtilitatem excudatur. Datum Parisiis in Conuentu magno S. Francisci, die decima sexta mensis Aprilis. Anno à partu sacro, 1636.

Fr. MARTINVS HVGVENIOT
S. Theologiæ Doctor.

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIANISSIMO FRANCIÆ & Nauarræ Rege.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis, auctoritate sancitum est ac patentibus litteris cautum, ne quis in regno suo aliisue locis ditioni suæ subiectis intra proximos decem annos à die primæ impressionis inchoandos ac numerandos excudat aut vendat, excudendum vendendumque, quouis modo & ratione conetur, librum qui inscribitur, *Arbor Vitæ Concionatorum*, cuius radix liber Geneseos &c. plantata in Paradiso Seraphicæ Religionis à P. Fr. IOANNE DE LA HAYE Parisino Regio Concionatore, præter illum vel illos quibus ipsemet concesserit licentiam, idque sub confiscatione Librorum aliisque pœnis, originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum in Regio D. Germani Palatio die 22. Decembris, anno 1632.

De mandato Regis,

Signatum PERROCHEL.

Ego præfatus IOANNES DE LA HAYE virtute prædicti Priuilegij consensum meum præbeo vt hoc Secundum & Tertium volumen, Imprimat Petrus Billaine bibliopola Parisiensis Act. Parisiis die vigesima tertia mens. Augus. Ann. 1635.

Fr. IOANNES DE LA HAYE.

Finis secundo & tertio volumini commentariorum in Genesim, à Typographo impositus est die 2. Maii Ann. 1636.

INDEX COPIOSISSIMVS
CONCEPTVVM,
QVI IN SECVNDO ET TERTIO
Tomo continentur, adinſtar locorum communium.

Prior numerus folium, poſterior Conceptum indicat.

Index Conceptuum.

AMBITIO.

AMICITIA.

AMOR.

AMOR DEI IN NOS.

Index Conceptuum.

AMOR NOSTER IN Deum.

AMOR NOSTER ERGA proximum.

AMOR CARNALIS ET impudicus.

ANCILLAE.

ANGELVS.

ANIMALE.

ANIMA.

ANTICHRISTVS.

ANXIETAS.

BENIGNITAS.

Index Conceptuum.

Christi

CIRCVNSTANTIA.

CIVITAS.

COGITATIO.

COGNATIO.
Vide, *affinitas.*

COGNITIO DEI.

COGNITIO PROPRIA.

COMPASSIO.

maximo

CONSOLATIO.

CONSTANTIA.

CONSVETVDO.

CONTENTIO.

CONTRACTVS.

CONTVMELIA.

CONVERSATIO.

CONVERSIO.

DIABOLVS.

DULCR

DOLOR.

DOMINVS.

DOMESTICVS.

DONA.

DVPLICITAS.

DVRITIA.

***

E.

EBRIETAS.

ECCLESIAM.

EDVCATIO.

AETAS.

Vide, *Adolescens, senectus*.

ELEEMOSYNA.

Multum

FOEMINA.

FORNICATIO.

Vide, *Impudicitia.*

FORTITVDO.

FORTVNA.

FRATER.

FRAVS.

FVRARI.

FVTVRVM.

G.

GAVDIVM.

GENERATIO.

GLORIA.

GLORIA INANIS.

GRATIA.

GRATITVDO.

etiam

GVBERNATIO.

GVLA.

H.

HABITVS.

HÆRETICVS.

HOMICIDIVM.

****

Impijs

INCARNATIO.

INCESTVS.

INCLINATIO.

INCONSTANS.

hominum

IOANNES.

IRA.

Iratus

IVSTI.

L.

LABOR.

LACHRYMÆ.

LAVS.

LEX.

LIBERALITAS.

Mala

nihil

MEDICVS.

MEDIOCRITAS.

MEMORIA.

MENDACIVM.

MERETRIX.

MERITVM.

MVNVS.

MVSICAE.

MYSTERIVM.

N.

NATIVITAS.

NATVRA.

NAZARAEVS.

NECESSITAS.

Sancti

OBSEQVIVM.

OBSTINATIO.

OCCASIO.

OCVLVS.

ODIVM.

ODOR.

Index Conceptuum.

OFFENDERE.

OFFICIVM.

ONVS.

OPPROBRIVM.

OPINIO.

OPVS.

ORATIO.

ORDO.

PARCERE.

PASSIO.

PATER FAMILIAS.

PATIENTIA.

PATRIA.

PAVLVS.

Diuus

PENTECOSTES.

PEREGRINVS.

PERICVLVM.

PERSEVERANTIA.

PERSECVTIO.

PERSVADERE.

PETITIO.

PINGVS.

PIETAS.

pigritia

PRVDENTIA.

PVDOR.

PVDICITIA.

PVLCHRITVDO.

PVNITIO.

in

Q.

QVAERIMONIA.

R.

RAPTVS.

RATIO.

RECTVS.

post

RVINA.

S.

SACERDOS.

SACRAMENTVM.

SACRIFICIVM.

Scientiæ

SENSVALITAS.

SENSVS.

SEPVLTVRA.

SEQVI DEVM.

SERMO.

SERVI, SERVIRE.

Mali

SEVERITAS.

SILENTIVM.

SIMOMIA.

SIMPLICITAS.

SINCERITAS.

SOBRIETAS.

SOCIETAS.

SOCIVS.

SODOMIA.

SOMNIA.

Somnia

SORTES.

SPES.

SPECTACVLA.

SPIRITVS-SANCTVS.

STERILES.

STVPRVM.

SVBDITVS.

SVBVENIRE.

SVPERBIA.

TESTIS.

THEOLOGIA.

TIMOR.

Vana

****

Index Conceptuum.

[illegible] ij

VISITATIO.

VISIO DEI.

VITA.

VITA ACTIVA ET contemplatiua.

Aliquando

VOLVPTAS.

Vide, *Impudicitia.*

VOTVM.

VTILITAS.

VRBANITAS.

VXOR.

Vide, *Matrimonium.*

Vxor

Z.

ZELOTYPIA.

ARBOR VITÆ.

CONCIONATORVM, CVIVS RADIX.

LIBER GENESEOS.

SYNOPSIS CAPITIS DECIMI NONI.

SODOMORVM LIBIDO CVM eorum ſubuerſione deſcribitur, à communi clade liberatur Loth, cuius vxor mutatur in ſtatuam ſalis, deinde Loth nimio indulgens vino, crimen inceſtus cum filiabus committit.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS I.

VLG. Venerũt que duo Angeli Sodomam veſpere, ſedente Loth in foribus ciuitatis, qui cum vidiſſet eos ſurrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram.

Sep. Venerunt autem Angeli duo in Sodoma veſperi, Loth autem ſedebat ad portam Sodomorum: videns autem Loth, ſurrexit obuiam illis, & adorauit facie ſuper terram.

Ar. Et venerunt duo Angeli in Sodõ in veſpere, & Loth vidit & ſurrexit in occurſum eorũ, & incuruauit ſe in faciem ſuper terram.

CONCORDIA.

VBi legimus adorauit pronus in terram, in Hebræo, eſt וישתחו Vaiſtachu, incuruauit ſe, à verbo שחה Sachah, quod eſt curuauit depreſſit ſe, &c. adorare enim hîc non ſumitur ſtrictè, ſed ſolum pro reuerentia quæ exhiberi ſolita erat antiquitus hominibus veneratione dignis.

EXPOSITIO VERSVS PRIMI.

V*Eneruntque duo Angeli Sodomam veſpere*, Angelo qui conceptum Saræ nunciauit manẽte cum Abraham, alii duo ad Sodomam ſe conuerterunt: venerũt autem veſpere vt occaſionem in ciuitate pernoctandi haberent.

Sedente Loth in foribus ciuitatis, id eſt ante portam ciuitatis, quaſi expectans hoſpitum ſeu peregrinorum aduentum, didicerat enim ex Abrahã, hoſpites expectare & recipere aduenas.

Qui cum vidiſſet eos, ſcilicet Angelos in ſpecie virorum, *ſurrexit & iuit obuiam eis*, exiſtimans homines peregrinos eſſe, vt eos ad hoſpitium conduceret benignè recipiens.

Adorauitque pronus in terram, non adoratione strictè ſumpta, quæ latria vocatur, ſolique Deo debetur, ſed veneratione duliæ, nempe genuflexione vel proſtratione, quæ ſolet exhiberi alicui viro inſigni, qualiter apparuerunt illi duo Angeli ſub forma humana cogniti.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus ita iustorum cõsortio delectatur vt cum eis libenter maneat.

1. Venerunt duo Angeli Sodomam, scilicet ex illis tribus qui apparuerunt Abrahę: sed vbinã est tertius? cur aliorum societatem reliquit? cur Sodomam non pergit? obseruare debes Angelum manentem, Deum referre, teste D. Chrys. recte igitur cum Abraham remansit, quia ita iustorum consortio delectatur Deus, vt ab eis separari non possit: fauet cit. doctor, *Quoniam diuersati sunt apud Patriarcham, & inde surgentes abierũt, & clemens Dominus & curator, pro sua bonitate in humana figura visus apud Patriarcham loquens cum eo mansit.*

D. Chrysost.

Deus maximè longanimis.

2. *Venerunt duo Angeli Sodomam*, cur alius cum eis Sodomam non pergit, hanc ciuitatem impiam & variis criminibus oppressam perditurus? cùm dictum à nobis fuerit hunc alium, Deum figurare: non mirum est Sodomam non venisse, eam igne consumpturum, quia patientissimus est in sperandis peccatoribus: quod admiratus Chrysostomus exclamat dicens, *volens nos omnes docere suam excellentem longanimitatem, Sodomam non pergit eam vastaturus.*

S. Archiep. Constant.

Exemplum sanctorum nobis proponitur vt inde maximam vtilitatem accipiamus.

3. *Venerunt duo Angeli Sodomam, sedente in foribus Loth*, sine dubio vt peregrinos expectaret hospitio recipiendos. sed mysterione caret, Spiritum sanctum ante omnium oculos, sedentis Lothi in porta ciuitatis, pauperesque expectantis historiam referre? non equidem imo maximum innuit, scilicet vt ad illius normam simus virtutis sectatores, fauet Chryso. *quemadmodum floridum quoddam pratum, varios & omnigenos flores ostentat, ita & diuina scriptura iustorum virtutes nobis demonstrat, non vt sicut illorum florum fragrantia paruo tempore fruamur, sed vt perpetuam inde vtilitatem capiamus.*

Cit. doctor.

In pauperum obsequio perseuerare debemus.

4. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere*, quid refert scire vtrum meridie venerint vel manè? ad quid quæso obseruauit vespertino tempore Sodomam aduenisse? non sine ratione Spiritus sanctus tempus vespertinum aduertit, sed vt significaret perseuerentiam iusti Loth, qui per diem integrum pauperes peregrinos expectabat hospitio recipiẽdos: obseruatio est D. Chrysostomi, *quare tempus significauit? vt ostenderetur magna Loth hospitalitas: sicut enim Patriarcha sedens tempore meridies obseruabat praetereuntes, ac magno gaudio viatores excipiebat; ita & iustus ille quoniam sciebat peruersitatem eorum qui in Sodomis habitabant, neque vesperi discedebat, sed manebat vt nec sic thesaurus aliquis ipsi elaberetur.*

Chrysost.

Admiratione dignum inter impios iustum versari, & impietatem eorum non sectari.

5. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere*, diximus ideo Spiritum sanctum annotasse vespertinum tẽpus, vt denotaret perseuerantiam Loth expectantis pauperes peregrinos, vt eos hospitio adhiberet, dubium est, quomodo inter impios Sodomitas omnes virtutis aduersarios, omniumque cultores vitiorum (cùm corrumpant bonos mores colloquia praua) virtutis viam sectari valuerit? dignum sane quæsitu, imo & admiratione inter impios commorari, & vitæ genus vitiosum & peruersum non amplecti, nam certe miranda huius Loth virtus ostenditur, quod inter tam malos non solùm segnior ad bonum effectus, sed alacrior.

Vt Deo obsequamur mundus contemptui habendus.

6. *Venerunt Sodomam vespere, at ille surrexit & iuit obuiam eis*, si omnes alii qui portæ ciuitatis aderant, simul cum Loth impietati dediti, vitiique cultores, quomodo spectantibus illis ausus est peregrinis assurgere, imo cum omni veneratione suscipere? nonne ab aliis ludibrio haberi formidauit, vel etiam odio? minimè equidem, qui enim Deo cupit obsequi, mundum omnino contemnit, simul cum suis asseclis & sectatoribus: nos excusare volumus, quod in mundo versamur; oportet, dicimus, vt aliis me conformem, at non sic egit Loth, imo si sic egisset, cum aliis periisset, iustitiam coluit nihil curans hominum fauorem vel odium.

Pater iudicium dedit & Filio reliquit.

7. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere*, nonne tres in meridie Patriarchæ apparent? quomodo igitur duo soli Sodomam ingrediuntur? non desunt aliqui ipsos tres Angelos denotare tres Sãctissimæ Triadis personas, asserẽtes & eum qui cum Abraham remansit, Patrem significare: quo notato recte duo solùm Sodomam veniunt, vt aduersus eam iudicium ferant, quia pater non iudicat quenquam, sed iudicium relinquit Filio, cui adest Spiritus sanctus; obseruatio est Proc. *ad Abrahamum veniunt in ipsa meridie tres viri, at vesperi Sodomam ingrediuntur duo Angeli quidam, & hac vt typos enarrant quasi suo his repræsentetur Deus, tres quidẽ adeũt Abrahamum, duo veniunt Sodomam, nam Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, cui adest & iacet naturaliter Spiritus sanctus.*

Procopius Gazæus.

Peregrinis maximè succurrere debemus.

8. *Venerunt duo Angeli Sodomam, sedẽte Loth in foribus ciuitatis*, cur non dicitur quod sedebat in ianuis domus? hominum enim otiosorum est, transeuntes in foribus ciuitatis intueri: non hac curiositate ductus, sed maximè erga peregrinos charitate, nõ in foribus domus, sed ciuitatis sedet, quia frequentiores hic pauperes transeuntes inueniebantur quã alibi hospitio admittendi. Fauet Diuus Thomas

Thom. *ante portam ciuitatis sedet, quasi expectans hospitum seu peregrinorum aduentum.*

A

Gloriari non de iustorum cognatione & sanguine, sed de moribus debemus.

10 *Venerunt duo Angeli Sodomam sedente Loth in foribus ciuitatis.* Scilicet vt aduenientes peregrinos susciperet: sed mysterione caret quod ad imitationem Abrahæ id operatur? de eo enim superiori capite dicitur, apparuit ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi, scilicet vt pauperes exciperet hospitio: non ignoras Loth & Abrahamum sanguine coniunctos fuisse? vt ergo verè Abrahamo coniunctus diceretur, mores illius & virtutes imitari studebat: sensus est Procop. *vere sanguine iunctus fuit Abrahamo, eamque propinquitatem comprobauit hospitalitate, qua impulsus sedebat in porta.*

Procop. Gazæus.

B

Angeli etiam peccatorum condonationem maxime exoptant.

11 *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere*, cùm essent Angeli, cur in instanti temporis hanc ciuitatem non ingrediuntur? nam fere paulùlum post meridianum tempus potuerunt eam ingredi, Angelus enim breuissime magnum iter conficere potest. Reuoca in memoriam quod pro liberatione Sodomorum deprecabatur Deum Abraham: paulatim igitur Sodomam progrediuntur, ita vt solû vespertino tempore aduenirent, quasi expectantes eorum condonationem, & ne cogerentur eam igne consumere: ita Lyranus, *tantum tardauerunt vt viderent, si parceret terræ propter preces Abrahæ, quia erant Angeli boni expectantes*, expêde illa verba, *quia erant Angeli boni*; quasi diceret: propriû est Angeli boni, hominum etiam peccatorum condonationem maximè concupiscere, eorumque supplicium differre.

Noster Lyranus.

C

Benignitate debemus allicere peregrinos vt ad nos diuertant.

12 *Venerunt duo Angeli Sodomam sedente Loth &c. qui adorauit pronus in terram*, sufficiebat eis obuiam iisse, ne præterirent, aut alio diuerterêt, cur igitur eos pronus adorat, non adoratione Latriæ sed Duliæ? non dubitas quod humilitate & benignitate alios deuincimus & obligamus: non igitur sine ratione pronus adorat, quia omni benignitate qua possumus, debemus peregrinos allicere, vt ad nos diuertant: fauet Lyran, *adorauit adoratione duliæ, vt faciliùs inclinaret eos ad declinâdum in domum suam.*

Noster Lyranus.

D

Pauperes reges sunt.

13 *Venerunt duo Angeli Sodomam sedente Loth, qui adorauit pronus in terram.* Miror hominem diuitiis fulgentem, pauperes & aduenas incognitos adorare, nam côtrarium solet euenire: scilicet vt à pauperibus diuites adorentur: dignitatem pauperum apprimè Loth agnoscebat, & ideo tanquam reges eos adorat; vnde optimè D. Bern. Epis. 108. *suscipe pauperes siue sanctorum & domesticos Dei: parum dixi siue, reges sunt, ipsorum est regnum cælorum iure & merito paupertatis.*

S Bernard. Epist. 118.

E

Non locus virtute præditum, sed mores efficiunt.

14 *Venerunt duo Angeli Sodomam, sedente Loth in foribus ciuitatis*: eximia quidem virtus non solum peregrinis subuenire, sed eos in suis necessitatibus præuenire. Dubium quod mouetur nô exiguum, si ciuitas in qua commorabatur adeo impietati dedita, quomodo ita studiosus? Vt sane nullus excusationi locus virtutis sectandæ suppetat, cùm non locus virtute præditû sed mores efficiât, & nô contra. Sic D. Chrys. *Sicut negligenti ac supino nihil prodest solitudo, neque enim locus nos virtute facit præditos, sed mens & mores, ita prudens & vigil non offenditur etiam in media ciuitate viuens.*

S. Chrysost.

Angelos recipere hospitio, ex meritis datur.

15 *Venerunt duo Angeli Sodomam sedente Loth, qui adorauit pronus in terram*, scilicet vt humilitate sua hos peregrinos ad se alliceret, quod ita contigit. Sed cùm essent tot hospitia in ciuitate, quomodo ad aliquod non diuerterunt, sed solùm ad domum Loth? sine dubio quia Angelos suscipere non omnibus conceditur, sed solum meritorum dignitate conspicuis; testem adhibeo D. Chrys. *Loth tanta virtute emicuit vt & Angelos suscipere meruerit*; & Petrus Suberti Episcopus sancti Papuli, qui de efficacia hospitalitatis habens sermonê ait, *item Deû & Angelos meretur hic recipere hospitalitati deseruiês.*

Petrus Suberti Episcopus Sancti Papuli Prouinciæ Tholosanæ, quinta parte cap 4 de hospitalitate.

In sacro eloquio tempus conueniens futuræ actioni numeratur.

16 *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere.* Cur têpus vespertinum notatur? aduerte quod sacra eloquia in exordiis narrationum qualitates exprimunt, terminosque causarum: aliquando enim à positione loci, aliquando à positione corporis, aliquando à qualitate aëris, aliquando à qualitate temporis signant quid de ventura actione subiiciât. A positione quidem locorum diuina scriptura exprimit subsequentium merita finesque causarum, sicut de Israël dicit, quia verba Dei in môte audire non potuit, sed præcepta in campestribus accepit, subsequentem nimirum infirmitatem populi indicans, qui ascendere ad summa non valuit, sed semetipsum in infinitis neglectè viuendo laxauit. A positione corporis futura denũtiat, sicut in Actibus Apostolorum Stephanus Iesum qui à dextris virtutis Dei sedet stantem se vidisse manifestat; stare quippe adiuuantis est, & rectè stare cernitur, qui in bello certaminis opitulatur. A qualitate aëris res subsequens demôstratur, sicut Euâgelista cùm prædicante Domino nullos tunc ex Iudæis credituros diceret, præmisit dicens, hyems autem erat: scriptum namque est, quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum, idcirco ergo hyemis têpus, vt inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret: hinc est quòd de negaturo Petro præmittitur, quia frigus erat, & stans ad prunas calefaciebat se: iam namque intus à charitatis calore torpuerat & ad amorem præsentis vitæ, quasi ad persecutorum prunas infirmitate æstuante recalebat. A qualitate quoque temporis finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad veniam ad traditionis perfidiam nocte Iudas exiisse perhibetur, cùm egrediente illo ab Euange-

Deuter. 2.

Act. 7.

Ioann 10. Matth. 24.

Luc. 16.

F

Card Caiet. Rupert.

lista dicatur, erat autem nox, hinc enim & iniquo diuiti dicitur, hac nocte repetent animam tuam à te: anima quippe quæ ad tenebras deducitur, nō in die repeti, sed in nocte memoratur. Quo præmisso dico similiter Moysen tempus serotinum annotasse, quo duo Angeli Sodomam venerunt, vt occasus & interitus illorum significaretur: sensus est Caiet. *Venerunt autem Sodomam sero eiusdem diei quo pransi fuerant apud Abraham, vt etiam extrema diei pars congrueret occasui ciuitatis*: & Rupert. *ipsum tempus vel hora visitationis tristissimæ peccatorum causæ congruit.*

Angeli humanam naturam post incarnationem reuerentur.

Apocal. 22.

17 *Venerunt duo Angeli Sodomam sedente Loth, qui adorauit pronus in terram*, venerationem illam non recusauere, sed admisere; quod equidem miror, nam Apocal. 22. dicitur, quod Ioannes Angelum adorare volens, non permisit, ait enim, vide ne feceris, conseruus enim tuus sum; quomodo ergo illi duo Angeli etiam nō renuunt adorari? Ne mireris, nondum Verbum naturam humanam susceperat, sed à quo eam in vnitatem personæ assumpsit, eam venerantur: audi D. Greg. Hom. 6. in Euang. *Postquam cœli rex terram nostra carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa iam Angelica celsitudo non despicit, ad pacem nostram Angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt, & quos priùs infirmos abiectosque despexerant, iam socios venerantur: hinc est enim quòd Loth & Iosue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur. Ioannes verò in Apocalypsi sua adorare Angelum voluit, sed tamen idem Angelus ne se debeat adorare compescuit, dicens, vide ne feceris, cōseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Quid est quòd ante Redemptoris aduentum Angeli ab hominibus adorantur & tacent, & postmodum verò adorari refugiunt: nisi quòd naturam nostram quā priùs despexerāt postquàm hanc super se assumptam conspiciunt prostratam sibi videre pertimescunt nec iam sub se vel vt infirmam contemnere ausi sunt, quàm super se, videlicet in cœli rege venerantur, nec habere dedignantur hominem socium qui super se adorant hominem Deum.*

S Greg. mag. hom. 6 in Euang.

Honore nos inuicem præueniamus.

18. *Venerunt duo Angeli Sodomam sedente Loth, qui adorauit pronus in terram*, adoratione scilicet Duliæ, cur tanto homines peregrinos honore prosequitur? nescio, si iam consilium datum ab Apostolo vt inuicem nos honore præueniamus, didicerat, fauet Auctor catenæ aureæ siue Lipp. *honore inuicem hic inuicem præuenire docemur, benigni propensique in peregrinis suscipiendis.*

Lippom.

Non expectandum vt à nobis pauperes peregrini Eleemosynas petant. sed potiùs eos præuenire debemus.

19. *Venerunt duo Angeli Sodomam sedente Loth, qui surrexit & venit obuiam eis*, expecta paulisper Loth, quo vsque Eleemosynā à te postulent peregrini, ne expectes, quia pauperes in eorum subleuandis necessitatibus præuenire debemus, eisque obuiam ire; quod annuit Chrysost. *audiant hi qui aduenas orantes & supplicantes, & sedulo se coram eis humiliantes multa inhumanitate auersantur, & repellunt. vide enim quomodo iustus ille non expectauit, donec ad se venirent. sed sicut Patriarcha ignorans quo essent hospites, & suspicans viatores quosdam esse, quasi præ gaudio saltabat, quia assecutus erat quæsitam prædam.* idem habet Thomas Ang.

S. Chrysost.

De pauperibus inuentis quasi de maximo thesauro gratias agere debemus.

Venerunt duo Angeli Sodomam sedente Loth, qui adorauit pronus in terram, per hanc adorationem gratiarum actionem intelligit Chrysost. sed cur grates refert Deo? quodnam beneficium ab eo accepit? quibus beneficiis cumulatus? maximis equidem, scilicet pauperum inuentione tanquàm pretiosissimo thesauro; fauet Chrysost. *Gratias egit Deo quod dignatus eum esset prætereuntiū susceptione, magnum beneficium arbitrabatur, incidisse in illos viros.*

S. Chrysost.

Deus in bonorum annuntiatione adest, in suppliciorum erogatione abest.

21. *Venerunt duo Angeli Sodomam*, vbi nam tertius, qui cum his duobus ad domum Abrahæ diuertit? ne eum quæso desideres, quia cùm ille tertius Dei personam gereret libenter præsens adest Abrahæ, prospera nuntians, scilicet sobolem futuram: abest autem à Sodomis, non enim supplicium inferre nisi coactè potest: ratio est cat. Græ. *vbi bona nunciantur Dominus adest, in denuntiatione malorum accedere noluit, vt quemadmodum libenter elargitur hominibus bona, ita inuitus ostendat pœnas irrogare.*

Catena græca.

Lux bonorum prænuntia, malorum tenebræ.

22. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere*, nonne meridie apparuerunt Abrahæ? cur solùm igitur sero Sodomam ingrediuntur, & à Loth inueniuntur? nonne diximus bonorum nuntiatores Abrahæ occurrisse, Loth autem tanquam malorum? quo posito satisfacit cat. gr. *ad Abraham quidem tres viri meridie, Sodomam vero duo Angeli vesperi siquidem bonorum prænuntia lux, tenebræ malorum, iam enim iustitiæ sol occiderat Sodomitas, tenebræque impiorum supplicia aduentabant.*

Cit. cat. græca in Genes.

Non minùs quàm duobus testibus iudicium terminandum est.

23. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* Nonne vnus ad perdendam ciuitatem, sententiámque mortis ferendam aduersus impios sufficiebat? non ignoras aduenisse, vt extrema mortis sententia in eos ferretur: rectè igitur adueniunt duo, non autem vnus, quia non minus quàm duobus testibus iudicium terminari debet: Sic Rupert. lib. 6. c. 6. *bene duo Angeli venerunt, vt in testimonio duorum instum staret iudicium hoc enim ad illud respicit, quòd supra dixerat Dominus, descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me opere impleuerint, an non est ita vt sciam? sicut illa ad eirco dicta sunt vt de inexperta culpa temerariam nemo promat sententiam: sic duo venerunt Sodomam, vt minùs quàm duobus testibus nullam damnatio terminet accusati causam.*

Rupert. Abb. lib. 6. c. 6.

Trinitatis

Trinitatis mysterium cognitione impii indigni.

24. *Venerunt duo Angeli Sodomam*, & bene non tres, vti ad Abraham, inquit Rupert. sed duo tantùm Angeli venerunt: sed cur, ô Ruperte, bene non tres Sodomam ingrediuntur? *Etenim*, inquit, *non quidem cordibus impiorum reuelatur Trinitatis mysterium, verumtamen & Dei filius inter peccatores super terram visus est, & cum hominibus impiis conuersatus est, & Spiritus sanctus visibili specie apud eosdem apparuit, super ipsum quidem Dominũ in specie columbæ; super discipulos autem in specie ignis: bene ergo non tres, sed duo in ciuitatem impiorum venerunt Angeli, quia tempore visitationis sic duæ personæ Filii & Spiritus sancti hominibus innotuerunt, vt peccatores & impii inexcusabiles sint.*

Rup. l. 6 c. 6.

Afflictiones studiosiorem virtutis amatorem efficiunt.

25. *Venerunt duo Angeli Sodomam, sedente Loth in foribus ciuitatis*, vt peregrinos susciperet, & quonam tempore hanc virtutem coluit? in memoriam reuoca quomodo diuitiarum omnium simul & libertatis iacturam fecit captus à rege Chodorlahomor: non mirum igitur ita virtutis amantissimum, afflictiones enim ad amorem eius inducunt. fauet D. Ambr. cit. *Emendauerant Loth sanctum aduersa captiuitatis & solicitiorem reddiderant, & ita ad portam sedebat vt exciperet aduenientes.*

S. Ambr. l. 1. de Abr. c. 6.

Iustus ab aliorum sceleribus longè abest.

26. *Venerunt duo Angeli Sodomam sedente Loth in foribus ciuitatis*, cur non dicitur quod inter ciues suos sedebat? illa ciuiũ Sodomæ sessio in peccatis obstinatam mentem & sceleribus assuetam significat: rectè igitur non in ciuitate Sodomæ, sed in foribus illius sedet, quia iustus ab aliorum sceleribus longè abest. Sensus est Rupert. *Porro quod dictum est sedenti in foribus ciuitatis, illi congruit, qui animo non sedebat in sceleribus ciuitatis, vnde Petrus Apostolus, aspectu enim inquit & auditu iustus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.*

Rupert. hic

Concionator peccatorum destructionem annuntiare debet.

27. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* scilicet ad annuntiandam Sodomæ vastationem, propter innumera ciuium suorum scelera: sed quid designat solùm duos venisse & non plures? nota quod ait Lucas de concionatoribus, quod misit illos binos ante faciem suam: rectè igitur duo Angeli veniunt destructionis Sodomæ nuntii, quia inquit glossa mor. *Per hos designantur prædicatores simul combinati, sicut dicitur* Luc 10. *de prædicatoribus Euangelii, misit illos ante faciem suam, qui debent denuntiare Sodomæ, id est congregationi malorum destructionem.*

Glossa moralis.

Deus & Angeli tales se nobis ostendunt quales nos sumus.

28. *Venerunt Duo Angeli Sodomam.* scilicet tanquam diuini iudicii executores; sed quomodo cum omni benignitate apparuerunt Abrahæ nunc ita seueri videntur? quomodo tam varii? Non varii sed Deus & illi se pluries nobis manifestant quales inuenimur, quod confirmat Ferus, *intrant ciuitatem hospites minimè commod. Sodomitis, quod tamen non Angelis sed ipsis Sodomitis imputari debet, quales enim nos sumus, tales se ergà nos ostendunt, & Deus & Angeli domui Abrahæ, hi Angeli omnia bona attulerant, quia digna erat ea domus super quam requiesceret Domini benedictio, Sodomitis autem certum exitium adduxerunt, quia commeruerant.*

Noster Ferus.

Iudicium Dei inopinatum.

29. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* scilicet vt diximus tanquàm diuini iudicii executores, sed quomodo precibus & lachrymis iudicio non obstant? cùm Deus corde contrito moueatur, & quasi sententiam mutet adeo excæcauerat mentem eorum præsens felicitas & prosperitas vt diuinum iudicium improuisos obruerit: inde D. Hilarius in Psal. 118. Hortatur nos vtiliter vt nunquam in omni actione à memoria nostra recedat, ait enim, *in omni vitæ nostræ genere memoria nobis diuini iudicii inferenda & continenda est, vt cùm aliquid agimus residente in nobis diuini iudicii memoria vel nunquam potius abeunte, præceptis Dei opera nostra famulentur.*

S. Hilar. in Psal. 118.

Qui probati fuere calamitatibus aliorum miserias subleuant.

30. *Venerunt duo Angeli Sodomam, sedente Loth in foribus ciuitatis*, mirùm est quàm proni Abraham & Loth fuere seruiendæ hospitalitati, ita vt peregrinos expectent, non solùm in plateis, sed in foribus vel tabernaculi vel ciuitatis, nunc autem nos ita designes, quod vt & ipsos peregrinos male tractemus & à nobis abiiciamus: suppono Loth cum Abrahã calamitates perpessos in peregrinatione, mirum igitur non est pauperum miserias subleuare, quia vt experientia didicerant, quid sit peregrinum esse & inter alios conuersari, nostræ duritiæ nulla alia causa est, quam quod non experti sumus paupertatis & exilii incommoda, hinc Moises non semel Israëlitas monet, *memento*, inquit, *quod tu seruieris in Ægypto.*

Deut. 5.

Deus auctorem suppliciorum se dici indicat indignum.

31. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* Philo lib. de Abraham existimat eum qui non interfuit excidio Sodomorum fuisse ipsum Deum; duos autem adiunctos & collaterales fuisse Dei ministros: cur solum Dei ministri, ipsemet autem Deus supplicia Sodomitis non infert cùm non solùm sit misericors, sed etiam iustissimus? respondet cit. Philo lib. de congressu quærend. erud. græ. his verbis, *non est decorum vt ipse Deus puniat, cùm sit primarius legislator optimus, sed per*

Phil Alex. *alios animaduertit homines noxios non per semetipsum, conuenientius enim est, vt gratias, beneficia, munera porrigat ipse suapte natura bonus ac munificus, supplicia verò non sine eius iussu.*

A

Maximum reipublicæ supplicium & calamitas ab ea iustos eripi.

32. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* de quorum ministerio loquens Lyranus ait, venit vnus ad subuertendum patriam, alius ad liberandum Loth, & eius familiam, cúmque vterque ad domum Loth accessit dixit delebimus locum istum, dubium non exiguum, si vnus vt vrbem euerteret accessit, alter autem vt Loth tueretur, quomodo pluraliter dicunt delebimus? deberet enim vnus eorum dicere, delebo: non sine mysterio dixerunt delebimus, quia à ciuitate eripi simul cum familia sua non minus fuit excidium & supplicium Sodomæ inflictum quàm ipsiusmet ciuitatis incendium: maxima enim & intolerabilis calamitas à republica iustos eripi. Quod Oecumenius confirmare videtur, qui inquirens cur Act. 7. dicitur sepelierunt Stephanum viri timorati & fecerunt planctum magnum super eum: nam pro persecutoribus lachrymæ fundendæ erant, qui verè in anima mortui, non autem pro Stephano qui in cœlis gloriosus degebat vitam æternam possidens, respondet subtiliter, *planxerunt tanto præsidio, tanto patrocinio, tanta doctrina priuati,* quasi diceret, planxerunt non ipsum Stephanum quia cum Christo Domino regnabat, sed calamitatem Ecclesiæ sanctissimo viro destitutæ.

B

Oecumenius. Lucas act 7

C

Verus obediens non recusat quæ dignitati suæ videntur aduersari, adimplere.

33. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* nunc non discutio, vtrum vnus eorum venerit ad subuertendam ciuitatem vel vterque, sufficit enim bonum Angelum tali supplicio inferendo destinatum: quod facessit negotium est, quod sicut malis, ita & bonis Angelis puniendi impios ministeria demandantur, malis qui Ægyptum flagellarunt, iuxta illud, immissiones per Angelos malos Psalmo 77. bonis qui Sodomam euerterunt, nam licet aliqui malos asseruerint, constans tamen & verissima sententia est bonos fuisse, fuerunt enim qui Abrahæ in conualle Mambre apparuerunt, rursum vnus è malis Saulem exagitauit Reg. 16. n. 4. alter è bonis in Heliodorum acriter impegit 2. Mach. 3. n. 25. tandem è malis fuerunt qui duos illos hæreticos Hymæneum & Alexandrum excruciarunt. 1. Timoth. 1. è bonis qui duos illos senes coniugalis pudicitiæ insidiatores medios secuerunt Danielis 13. & ita ad torquendos impios boni pariter & mali Angeli emittuntur, quid ergo boni? cur non indignantur vel dedignantur humilibus ministeriis addici & malis Angelis pares reddi, & iis quos felicitate superant, humilitate obsequiorum adæquari? nequaquam, imo propriam dignitatem nihili pendunt, vt in diuinam voluntatem totos se impendant, tunc se honeratos ac decoratos esse rati, cùm diuina iussa siue humilia siue sublimia

Psal 77. 1. Reg. 16. 2. Math. 3. 1. Tim. 1. Daniel. 13.

D E F

exequuntur, imo quo vilioribus officiis ex diuino imperio incumbunt, eo se nobiliores & illustriores arbitrantur; quod D. Hieronym. suadet exemplo Isaiæ cui dominus vt habetur in cap. 20. suæ prophetiæ dixit, vade & solue saccum de lumbis tuis & calceamenta solue de pedibus tuis, & fecit sic vadens nudus & discalceatus, in quem locum citatus Hyer. ait, *mira obedientia Prophetæ, solo cilicio induebatur vir nobilissimus, cuius filiam, vt tradunt Hebræi, Manasses rex accepit vxorem, non tamen erubuit nudus incedere, nihil honestius iudicans quàm obedire præceptis diuinis.*

Hieron in c. 20 Isaye.

Maximæ energiæ est bona puerorum educatio ad vitia detestanda.

34. *Venerunt duo Angeli Sodomam sedente Loth, qui cùm vidisset eos surrexit & iuit obuiam eis.* à quo didicisti tantum honorem peregrinis exhibere, ita vt non solum transeuntes expectes, imo & venientibus occurras, cùm ciues hospitalitatem detestentur? adolescens sine dubio ab Abraham edoctus fuerat hospitalitatem diligere: non mirum igitur ita feruidum in hospitibus suscipiendis, maximæ enim energiæ est bona puerorum & adolescentium educatio ad vitia detestanda & vituperanda, virtutesque amplectendas. Fauet D. Hieronym. Epist. 7. ad Lætam, *difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt: lanarum conchilia quis in pristinum candorem reuocat? recens testa diu & saporem retinet & odorem quo imbuta est: si ergo quis imbutus virtutibus propter bonam educationem sine dubio tanquam validissimis armis vtitur aduersus vitia.*

S. Hieron. Ep. 7 ad Lætam.

Sacerdotibus & virginibus maximus honor ab Angelis defertur.

35. *Venerunt duo Angeli, &c. adorauitque pronus in terram.* scilicet Angelos, qui quidem venerationem hanc admisere, tamen Apocalypsi legimus quod Ioannes Angelo hunc honorem deferre volens, audiuit ab eo, vide ne feceris: quid considerat Angelus in Ioanne, quod illi duo in Loth homine iusto non inuenerunt, cùm se ab eo adorari veneratione Duliæ permiserunt, alius autem nullo modo? non ignoras Ioannem Sacerdotem & virginem, nequaquam autem Loth: quid mirum igitur si se à Ioanne adorari non consentit, à Loth autem illi duo permittunt, qui honorem, quem negant dignitate Sacerdotali & virginitate carentibus, Presbyteris & virginibus exhibent, prima pars est viegas in cap. 19. Apoc. sect. 4. *cùm Ioannes esset Sacerdos legis gratiæ potestatem habens duplicem, altissimam videlicet remittendi peccata & consecrandi corpus Christi, quam ob causam omnibus Angelis etiam supremis longè præstabat, merito iste Angelus eum sibi ad pedes accedentem ferre non potuit:* Secunda pars est D. Petri Damiani Serm. 1. de excellentia S. Ioannis Euangelist. *refugit*, inquit, *ab illo obsequium suscipere, quem nouerat apud communem iudicem locum gratiæ familiariter obtinere, voluit adoratorem quem decernebat æqualem, fratrem recognouit, socium iudicauit, subiectionis obedien-*

In Apocal. 19.

S. Petrus Damia.

tiam nō accepit, quamuis enim in omnibus sanctis semper sit Angelicæ munditiæ contubernalis & cognata virginitas, beatus tamen Ioannes tanto reliquos virgines superat quanto virginitati Mariæ per sedulitatis ac perpetuæ custodiæ meritum appropinquat, à qua sola videlicet præceditur.

A

Personæ diuinæ vnius & eiusdem naturæ.

37. *Venerunt autem duo Angeli Sodomam*, quibus Loth visis surrexit & occurrit eis, deinde pluraliter inuitabat: & fere in toto capite tanquam cum duobus loquitur, tandem eos alloquens ita dixit, rogo Domine quoniam inuenit puer tuus ante te misericordiam &c. cùm sint duo Angeli, quomodo non ait rogo, Domini mei &c. sine dubio tanquam duos inuitat & tāquam vnum alloquitur, vt duas illas personas diuinas vnius eiusdemque substātiæ significaret; sensus est D. Aug. lib. 2. de Tri. c. 12. *Quid est hoc quod dixit ad eos, rogo Domine, si sā ille discesserat qui Dominus erat & Angelos miserat? cur dicitur rogo Domine, quoniam inuenit puer tuus ante te misericordiā? an & hic intelligimus in plurali numero duas personas, cùm autem idem duo tanquam duo compellantur vnius substantiæ vnum Dominum Deum dicere.*

S. Aug lib. 2 de Trini. c. 12.

B

C

Pater non mittitur, sed solum Filius & Spiritus sanctus.

38. *Venerunt autem duo Angeli Sodomam*, cum ex mente Augustini fuerint duæ personæ diuinæ, tres autem illæ sint, quas illas intelligemus? nota quod hi Angeli missi ab alio qui cum Abraham remansit, fuere: quis ergo dubitat solum esse Filium & Spiritum sanctum nō autem patrem cùm pater nō mittatur sed solū mittat. ita cit. Aug. *sed quas duas personas intelligimus, an Patris & Filij an Patris & Spiritus sancti? hoc forte congruentius, quod vltimum dixi: missos enim se dixerunt quod de Filio & Spiritu sancto dicimus, non Patrem missum nunquam scriptum nobis occurrit.*

Cit. August.

D

Secundum merita aliquando Dei beneficia conferuntur.

39. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere*, cur Abrahæ tempore meridiano, & cùm eis aliter apparet, Loth autē solū duo, & vespere: nota Abrahamum longè maioris fuisse meriti quàm Loth: rectè ergo tres Angeli Abrahæ & meridie, solum autem duo & vespere Loth apparent, quia beneficia Dei secundum merita pluries conferuntur maiora quidem qui excellentioris fuere meriti: fauet D. Aug. ser. 70. de temp. *Attendite fratres & videte qualiter Deus apparuit Abrahæ, & qualiter apparuit Loth, ad Abraham tres veniunt & stant super eum, ad Loth duo veniunt & sedent in platea. videte fratres, si non dispensatione sancti Spiritus pro meritis res geruntur, etenim Loth longe inferior erat Abraham, nisi enim inferior fuisset à beato Abraham separatus non meruisset, nec ei Sodomorum habitatio placuisset: veniunt ergo ad Abraham tres viri in meridie, venerunt duo ad Loth & vespere veniunt, non enim sustinebat meridianæ lucis magnitudinem Loth; Abrahā vero poterat plenū fulgorē lucis excipere.*

E

S. Aug ser. de temp.

F

Deus est in peregrinis.

40. *Venerunt duo Angeli & adorauit pronus in terrā*, nonne adoratio soli Deo debetur? quomodo igitur vir iustus Loth honorem Latriæ soli Deo debitum, Angelis exhibet? ne mireris, Deus erat quem in his peregrinis conspexit, & ideo recte adorauit. fauet D. Aug. lib. 3. c. 25. contra Maximum Arri. *exhibuit hospitalitatem sanctis hominibus Deo in quibus Deum esse agnouit, cùm eos sicut etiam ipse Abraham Angelos esse nesciret. hi enim Patriarchæ sunt significati in epistola ad Hebræos vbi de hospitalitate loquens ait, per hanc quidem nescientes hospitio receperunt Angelos*, & Petrus Suberti Episcop. S. Pabuli 5. parte de hospital. *repræsentatiue semper Deum recipit cum aliquē pauperem in nomine ipsius recipit*, Matth. cap. 10. qui *recipit vos, me recipit. eiusdē* 18. *quicunque susceperit vnum talem in nomine meo me suscipit*, *eiusdem* 25. *hospes eram & collegistis me*, Greg. in homilia Euangelii quæ legitur secunda die Paschæ, *animaduertite fratres quanta sit hospitalitatis virtus, ad mensas vestras Christum suscipite, vt vos ab eo ad conuiuia æterna suscipi valeatis præbete Christo domino peregrino hospitium, vt vos in iudicio non quasi peregrinos nesciat, sed vt proprios filios ad regnum recipiat.*

S. Augustinus cit.

ad heb. 14.

Petrus Episco. S. Pabuli.

Matth. 10.

Matth. 18.

Matth 25.

S. Gregori. mag.

Nihil ita nociuum quàm egeno eleemosynam negare.

41. *Venerunt duo Angeli Sodomā vespere*, licet asserat Moyses Angelos venisse, Loth tamen eos spiritus beatificos non agnouit, sed putauit aduenas esse & peregrinos; in hoc enim habitu ipsi veniebant teste Cajet. Festinus inuitauit Loth inquit, peregrinos, nesciebat enim hos Angelos esse. Quo notato consideratione dignum iudico, quod euersuri vrbem Angeli veniant in peregrinorum egētium habitu, cur non magis armati apparent? cur vel nigrarum nubium instar non fulminant? vel maria effundunt sub quibus pereant miseri? cur sub adeo miti & egenti peregrinorum specie desolatorium vrbis consilium dissimulant? equidem ad perdendos homines, non sic armati exercitus, non sic fulmina, non sic diluuia valent, vt valent duo pauperes peregrini, despecti, & ieiuni, nec vllomodo refecti ab hominibus, sic in rem præsentem Ezech. cap. 16. *hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium illius, & filiarum eius & manum egeno & pauperi non porrigebant & abstuli eas sicut vidisti.*

Ezech. 16.

Iudex qui sontes plectere debet, liber sit ab affectu.

42. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere*, ecce dū it perditum Sodomitas sub noctem venit, cúm benefacturus Abrahæ veniat sub meridiem, apparuit enim ei sedenti in ostio tabernaculi sub ipso feruore diei: cur circa nocturnum tempus ingreditur Deus in Angelis Sodomam, nonne vt iudex ad puniendos sontes accesserat? bene ergo dicitur quod tempore vespertino venit, quia oportet qui punit, aspectum cohibere ne miseranda nocentum specie moueatur, vt affectus hominum qui puniendi sunt non videat, ne moueatur eorum miseria, & à supplicio inferendo desistat.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS 2.

VVLG. Dixit, obsecro domine declinate in domum pueri vestri, & manete ibi, lauate pedes vestros, & manè proficiscemini in viam vestram: qui dixerunt, minimè, sed in platea manebimus.

Sep. Et dixit, ecce domini declinate in domum pueri vestri, & diuertite & abluite pedes vestros, & mane surgentes abibitis viam vestram, & dixerunt, nequaquam, sed in platea diuertemus.

Cald. declinate nunc in domum serui vestri.

Arias Nunc ecce domini mei, declinate nunc in domum serui vestri, & pernoctate, & lauate pedes vestros, & mane surgetis & ibitis viam vestrã, & dixerunt, nequaquam, quia in platea pernoctabimus.

D.Chrys. ecce domini diuertite in domum pueri vestri, & quiescite & diluculo facto proficiscemini viam vestram.

CONCORDIA.

עבד acued seruus dicitur, interpres tamen noster & Septu. vertunt puerum, quo nomine sæpiùs in scriptura significatur seruus, verbum לינו linu à לון lun significat dormire, pernoctate, hospitio fruemini apud me, tamen interpres bene vertit voce generali manete, השכמתם Hiscamthem à radice שכם Sacham mane surgere, denotat quod interpres vertit, proficiscemini, cum enim peregrini mane surgerent? sane eo fine vt proficiscerentur.

EXPOSITIO VERSVS 2.

O*Bsecro domini mei*, dominos appellat & instanter orat vt hoc honore & precibus ad eum diuertant.

Declinate in domum pueri, se seruum nominat (idem enim est hic puer ac seruus.)

Manete ibi, scilicet in domo mea, *hac nocte*, cùm enim iam sol occideret, ad iter faciendum tempus dissuadebat.

Et lauate pedes vestros, ad refrigerationem itineris propter calorem & puluerem.

Qui dixerunt minimè, non ibimus ad domum tuam; certum est non mentitos fuisse licet in domum Loth declinare intenderent, non tamen primo rogati, sed quasi compulsi vt magis humanitas appareret, imo nec humano more assertiuè locuti sunt, sed ex vrbanitate hoc dixerunt, *sed in platea manebimus*, ex quo patet quod in forma pauperum peregrinabantur, nihil habentes vnde hospitium conducere possent.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Eximia iustorum humilitas.

41 *Obsecrò domini mei declinate in domum pueri vestri.* Hebraicè serui, quomodo te seruum nominas, eos autem dominos, cùm illi sint peregrini & pauperes, tu autem ditissimus? non mirum equidem, cum eximia sit iustorum humilitas profitentium se omnium seruos: vnde D. Chrys. *quid mirum, si quis obstupescat eximiam humilitatem, & illos dominos vocat, & seipsum seruum appellat.* (S. Chrysost.)

Indigni sumus peregrinorum receptione nisi charitate simus feruidi.

42 *Obsecro domini mei declinate in domum pueri vestri, dixerunt minimè,* nonne intenditis in domum eius diuertere? cur ergo renuitis? nonne sufficit omni qua potuit humilitate vos deprecari, vt dignemini domum illius admittere hospitium vestrum? satisfacit optime Thomas, *non erat dignus accipere & habere, nisi tanta esset ei charitas vt eos compelleret.* (Thomas Anglicus.)

Charitas per opera manifestetur.

43 *Qui dixerunt minimè*, scilicet in domum tuã diuertemus; quod ideo renuunt, vt dignũ se exhibeat media charitate, cum eos magis compulerit ad se declinare: sed hic amor in pauperes nonne in eius pectore latebat & à Deo cognitus? ita equidem, sed opera comprobari Deus satagit, sic citat. Thom. *hanc eius charitatem voluerunt per operis euidentiam comprobari.* (Cit. Thom.)

Satagit Deus nobis exemplum virtutis hospitalitatis præberi.

44. *Qui dixerũt minimè*, cur petitioni eius primæ nõ acquiescunt, cũ pauperes & egeni videantur: egenus autem liberalitatẽ diuitis non renuit, tum etiã quod tempus nocturnũ vrgebat, vt in hospitium aliquod diuerterẽt, cur ergo primo rogati non accedunt? optima est ratio Lyrani, *Vt per hoc magis declararetur pietas ipsius & daretur aliis exẽplũ hospitalitatis*, quasi diceret vt hospitales verè simus nõ sufficit quomodocúnque peregrinos suscipere, sed reiteratis precibus & quasi vi facta eos cõpellere debemus, ideo vt exẽplum hospitalitatis administrandæ haberemus, voluit Deus vt primæ illius petitioni non acquiescerent. (Nicol. Lyran.)

Sancti ciuitatẽ in qua hospitalitas nõ viget detestãtur.

45. *Qui dixerũt minimè, sed in platea manebimus*, certe mutabilitatis est indiciũ, quod illo compellente ad eũ diuertistis, cùm asseruistis minimè ad domũ eius vos declinaturos: ideo dixerũt in platea se mãsuros, non tanquam primã mutantes sententiã, sed vt significarent quãto odio ciuitatem in qua nulla erat hospitalitas, haberent: ita Rupert. *Quod dicunt minimè, sed in platea manebimus, detestatio est ciuitatis, in qua cælestibus vel sanctis nullatenus communicanda erant amici iura hospitii.* (Rupert. Abb. hîc)

Angeli maiores impendunt fauores dignioribus.

46. *Qui dixerunt minimè*, miror cũ primæ Abrahæ petitioni acquieuerint, preces tamẽ Loth recusasse, cũ vterque hospitalitatẽ coleret, mirari desine; namq; cùm Abrahã maioris meriti esset quàm Loth, ideo eum potius hac gratia & fauore prosequitur quàm Lothum: fauet Procopii testimoniũ dicẽtis, *alius quidam in hunc modum præsentẽ locũ explanat,* (Procopius.)

Scilicet

scilicet cùm Loth non foret talis, qualem esse cognouerant Abrahamum, cunctantiùs inuitati ad eum diuertunt.

Angeli maximè vrbani.

47. *Qui dixerunt minimè, sed in platea manebimus;* cur officium hospitalitatis & charitatis oblatū ab homine iusto, non admittitis? ideo renuunt non asseruatue, sed vrbanitatis causa, ne Loth molesti viderentur: obseruatio est Abulens. *ex vrbanitate hoc dicebant ne impedirent Loth circa officium hospitalitatis:* & est exemplum quòd quantumcunque homo potuerit, debet se excusare, ne eos occupet, vel eis laboris materiam præstet.

Abulens.

A periculis alios seruare debemus.

48. *Qui dixerunt minimè, sed Loth, manete hîc & manè proficiscemini in viam vestram.* Miror hominem ita hospitalem, pauperúmque amatorem peregrinos hortari, vt secum sero pernoctent: maior charitas illius declararetur, si rogaret vt apud eum manerent plurimorum dierum spatio; non defectu charitatis, sed timore periculi inter homines ita impios imminentis, solum rogat vt hac nocte domui suæ quiescant, & ab itinere recreentur: sic Lipp. *manè surgetis ad abitionem, non quod tæderet hospitum, sed quod nollet eos videri & periclitari propter conciues.*

Aloysius Lipp.

In consilio tenendo non inflexibiles esse debemus sed mutandum cùm conuenit.

49. *Qui dixerunt minimè, sed manebimus in platea.* Negant se domum Loth intraturos, sed noctem transituros in plateis: sed si sequentem versum inspiciamus, inueniemus eos tandem illius domum ingressos, hospitiúmque admisisse: nonne dicitur quod sapientis non est mutare sententiam? quomodo Angeli eximia præditi sapientia, consilium quod acceperant de non intranda domo Loth, diutiùs non tenent? ideò consilium mutant, vt illorum dicamus exemplo, illud deponere cum conueniens fuerit, nec illud pertinaciter retinere cum rationi consentaneum minime fuerit: sic Cassia. colla. 17. c. 25. *Si veraciter excusabunt, euidenter immutasse sententiam comprobatur, quæ vtique non ob aliam credimus causam Spiritum sanctum sacris voluminibus indidisse, nisi vt isto erudiamur exemplo in definitionibus nostris non pertinaciter permanere, sed eas arbitrio nostro debere subijcere, & ita iudicium nostrum ab omni legis vinculo liberum conseruare, vt promptum sit ad sequendum quodcunque salubre consilium, nec recuset, nec differat, ad id quod vtilius discretio salutaris inuenerit, absque vlla cunctatione transire.*

Cassian. coll. 17. c. 25.

Simus propensiores ad beneficium exhibendum quam admittendum.

50. *Qui dixerunt minimè.* Nescio cur beneficium vobis ita liberti animo non admittitis? ingratitudinis arguemini, si respuitis? non vt ingrati despiciunt, sed vt significent propensiores nos esse debere in beneficiorum exhibitione, quàm receptione, fauet Lipp. *respondent Angeli non se ingressuros vt hospitijs deuotio pateferet,* & quod magis propensiores sunt ad beneficium exhibendum quàm accipiendum.

Auctor cat. aureæ in Genes.

Tentamur vt probemur.

51. *Qui dixerunt minimè, sed in platea manebimus,* hanc Angelorum negationem vocat D. Amb. Loth tentationem, sed cur Angeli Loth tentauere? tentant non vt deprimant, sed comprobent, ita cit. Amb. *certè quò tardiùs acquiescebant, diutiùs tentando pleniùs comprobabant.*

D. Ambr. lib. de. Abrah.

Nostra bona opera Deus manifestat.

52. *Qui dixerunt minimè.* modestiæ causa negant se domum Loth ingressuros, consensuri tamen si amplius vrgerentur, sed cur compelli à Loth voluit Angelos suos? sine dubio vt hospitalitatem illius omnibus manifestam redderet Deus: quod eleganter comprobat D. Chrysostomus in c. 15. Matt. quærens cur Dominus roganti Chananeæ negauit primò se facturum quod petebat, ait, *nimirum prorogando & quasi renuendo mulieris fidem cunctis aperuit, sic etiam qui ad Loth missi erant, ingredi ad ipsum volebant, vt inaudita ipsius hospitalitas non lateret.*

S. Chrys. in c. 15. Matt.

Peregrinis omnia commoda præstanda.

53. *Qui dixerunt minimè, sed Loth, manete ibi, lauate pedes vestros, & manè proficiscemini in viam vestram.* Sufficiat tibi in hospitium suscipere peregrinos, ad quid consulis, quod si voluerint summo manè surgent, iter inceptum perfecturi? notum habet maximè commodum peregrinis matutino tempore se itineri accingere ad diei æstum fugiendum, tuncque requiescendum: optimè igitur non solùm rogat, vt gratum habeant hospitium, imò prudenter se manè profecturos promittit, quia peregrinis omnia commoda præstanda: quòd obseruat Caiet. *non solùm hospitium, sed commoditatem pernoctandi offert, singulas commoditates deinde offert, videlicet surgendi hora matutina, & eundi.*

Card. Caieta.

Non est iudicium, nec propter obsequia subuertendum.

54. *Qui dixerunt minimè, sed in platea manebimus,* petitioni Abrahæ acquieuistis, cur igitur obsequium Loth renuitis? aduerte tanquàm iudices hos Angelos Sodomam aduenisse, non autem cùm apparuerunt Abrahæ; nam illum tanquàm priuati homines conuenerant: optimè igitur Sodomæ omnia obsequia Loth in domum suam inuitantis renuerunt, quia iudices etiam obsequia iustorum cùm sententia ferenda est formidare debent.

Iustissimam esse suam punitionem probat Deus.

55. *Qui dixerunt minimè, sed in platea manebimus,* cur cùm ad domum deinde diuertere debeatis, in platea per aliquod tempus manere statuitis? cur conspiciendos populo scelerato & impio vos exhibetis? occasionem enim ex egregia pulchritudine vestra accipient nefandum scelus

perpetrandi: ſecedite igitur in domum Loth, nulla in ciuitatis platea facta manſione. Animaduerte dixiſſe Deum Abrahæ, quod ſi decem Sodomæ reperirentur iuſti propter eos, aliis ciuitatibus ſceleratis condonaret, ſin minus grauiter puniret: nullus autem Iuſtus inuentus eſt, nam viſis his iuuenibus, ait textus quod vallauerant domum à puero vſque ad ſenem, omnis populus ſimul, rectè igitur in platea manſerunt, vt deinde probarent nullum eſſe juſtum, ſicque agnoſceremus iuſtiſſimam Dei aduerſus Sodomitas punitionem fuiſſe fauet Caiet. *Ad manifeſtandum quod iſte aduentus Angelorum publicus ad domum Loth fuit inquiſitio facta Sodomis promiſſa Abrahæ, an Sodomis eſſent viri iuſti decem, concurſus enim iſte non hyperbolicè deſcribitur, ſed ad manifeſtandam inquiſitionem diuinam,* quaſi diceret, promiſerat Deus quod propter decem iuſtos ciuitati parceret, creditu autem erat difficile adeo exiguum numerum non inueniri; adeo neceſſarium fuit vt manerent in platea, ad hoc vt ſi aliquis eſſet, ſine dubio eos inhoſpitatos non relinqueret, ſed contrarium ceſſit, nam his viſis vniuerſa ciuitas nefandum ſcelus in eos meditatur, & ita comprobata fuit iuſtiſſima Dei punitio eis non parcens.

Cardin. Cajet.

Non omne quod fingitur, mendacium eſt.

56. *Qui dixerũt minimè, ſed in platea manebimus,* ſi apud Loth hoſpitio excipi debetis, cur fingitis vos in platea manſuros? ſine dubio mendacij arguemini: ſed audi D. Auguſtinum lib. 2. c. 51. de quæſt. Euang. qui explicans illud Luc 24. vbi dicitur quod Chriſtus Dominus finxit ſe longiùs ire, ait, *non ad mendacium pertinet, non enim omne quod fingimus mendacium eſt, ſed quando fingimus quod nihil ſignificat, tunc mendacium eſt; cùm autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis, alioquin omnia quæ à ſapientibus & ſanctis viris, vel etiam ab ipſo Domino figuratè dicta ſunt, mendacia deputabuntur, quia ſecundùm vſitatum intellectum non conſiſtit veritas in talibus dictis, ſicut autem dicta, ita etiam finguntur facta ſine mendacio ad aliquam rem ſignificandam.*

Luc. 24. S. Augu. li. 2. c. 51. de quæſt. euan.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS TERTII.

VVLG. Compulit illos oppido vt diuerterent ad eum, ingreſſique domum illius, fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt.

Sep. Et coegit illos & declinauerunt ad eum, & ingreſſi ſunt in domum eius, & fecit eis potum, & Azymos coxit eos, & manducaueru nt.

Arias. Et vim fecit in eos valdè, & declinauerunt ad eum, & venerunt ad domum eius, & fecit eis conuiuium, & infermentata coxit & comederunt.

CONCORDIA.

SEptuaginta addiderunt & fecit eis potum, quod ſub nomine conuiuii comprehendit noſter Interpres cum aliis; non enim ſine potu aliquo conuiuium perficitur.

EXPOSITIO.

IMpulit illos oppido, id eſt reiteratis precibus obnixè deprecans, ſuaſit ne in platea pernoctarent, ſed apud ſe diuerterent. *fecit conuiuium,* exiſtimabat enim homines peregrinos eſſe, quibus reficiendis cibus erat neceſſarius.

Et coxit azyma, non quod eſſet tempus paſchale in quo venerunt Angeli, vt nugantur Iudæi, nam paſcha ſiue tranſitus nondum contigerat, ergo nec ceremoniæ in illo obſeruandæ: coxit igitur azyma, quia facile ſuperuenientibus hoſpitibus præpararentur & vt panis eſſet recens, qui in hoſpitum gratiam dari conſueuit, non autem dedit panes fermẽtatos, quia cùm tunc nulli eſſent domi Loth, cito præparari non poterant, *& comederunt,* non quòd hos cibos in ſubſtantiam ſuã cõuerterẽt, cùm eſſent Angeli, ſed viſi ſũt comedere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ex virtute iuſtorum impietas malorum magis innoteſcit.

57. COmpulit illos oppido, ſuos hoſpites coegiſſe non legimus Abraham vt ad ſe diuerterent, cur igitur Loth ſuos compulit domum ſuam ingredi: dices, vt generoſitas animi Loth manifeſta redderetur, ſed an generoſior erat Abrahamo? non equidem, cur igitur quaſi coacti à Loth hoſpitium admittunt? certè vt ex eximia in peregrinos hoſpitalitate Loth, manifeſta fieret Sodomitarum impietas, qui non ſolùm eos non admiſerunt, ſed vim nefandam inferre voluerunt :- ſic Procop. *Id accidit vt oſtenderent Sodomitarum immanem crudelitatem & extremam malitiam, qui non ſolùm hoſpitalitatis obliti nullum hoſpitem excipiebant, ſed etiam quòd immanius eſt, contumelia & iniuria peregrè aduentantes afficerent.*

Procop. Gazæus.

In operi-

In operibus virtutis ne simus desides.

58. *Compulit illos*, desine illos compellere, ne sis importunus, nonne eos iam deprecatus es vt gratum haberent hospitium, & in domum tuam ab itineris labore quiescendi gratia diuerterent? recte eos denuo compulit, vt disceremus in operibus virtutis & præcipuè hospitalitatis exhibendæ desidiam fugere: hoc obseruat Chrysostomus, *post tantam exhortationem quam fecerat, non fuit negligens, neque ab instituto suo destitit, neque fecit, vt nos interdum facimus, qui si quando aliquem hortari d gnamur, & postea videmus parumper detrectantem & renuentem, statim desistimus, id quod contigit quia citra desiderium & feruorem hoc agimus.*

S. Chrys.

Laudabilis violentia cùm lucrum spirituale affulserit.

59. *Compulit illos, Arias & vim fecit eis*, quomodo peregrinis violentiam infers, cùm coactio libertati repugnet, sicque odiosa? nonne ex illa coactione lucrum spirituale sperabat Loth, scilicet aliquod à Deo præmium? ne dicas igitur odiosam illam coactionem, quia vb. huiusmodi lucrum apparet, violentia laudabilis, fauet Chrysostomus *non iam verbis contentus est ex hortans, sed & vi m facit; propterea & Christus dicebat violenti rapiunt regnum cælorum*, vbi enim spiritale affulserit lucrum tempestiua erit violentia & laudabilis coactio.

S. Chrys. ita etiam post Lyra & S Greg. homilia. 43. in Euangel. Matt 11.

Peccata aliorum tegenda.

60. *Compulit illos*, nonne cum dixerunt Angeli se velle in platea penoctare, potuit Loth impietatem ciuium Sodomæ eis manifestam facere: sic enim eorum consilium facile diuertisset, & nunc non cogeretur eos compellere, sed libentissime ad eum declinassent: in hoc iusti Loth virtus fit manifestissima, qui maluit repulsam pati quam peccata Sodomitarum detegere, vnde non accusat ciues suos, sed tacet, imo cauet ne viri illi experiantur eorum malitiam.

Pro peregrinis non fugiendum periculum.

61. *Compulit illos*, ratio propter quam non permittis in platea & sub dio pernoctare, ea est, quia cum cognitam habeas Sodomitarum malitiam, times ne quid sinistri eis contingat, & infandum in eos scelus aggrediantur? sed, o Loth, nonne tibi & eis idem periculum imminet? (vt deinde comperisti) ne igitur eos compellas vt ad te diuertant, sed consule vt vlterius progrediantur: auget hoc iustitiam ipsius Loth, quod non timet suscipere hospites, imo etiam ipsos defendere paratus est, libẽter pro peregrinis periculo se exponẽs.

Hospitalitatis officium non mediatum exhibendum.

62. *Compulit illos & fecit conuiuium*, nonne sufficiebat eos in domum suam recepisse, ne sub dio pernoctarent? cur igitur conuiuium etiam præbet? facilis est ratio, quia hospitalitatis officium non mediatum exhibendum, *nam*, vt inquit Abulens. *ad perfectam hospitalitatem non solum requiritur lectus ad manendum, sed etiam cibus ad naturam confortandam.*

Abulens.

Cito hospitio recipientes peregrinos, Deus cumulatius remunerat.

64. *Compulit illos oppido vt diuerterent ad eum*, nolebant enim ingredi, sed dixerunt in platea manebimus; at consulamus caput antecedens, vbi dicitur quod tres Angeli apparuerunt Abrahamo, in quibus filius Dei sub peregrini habitu astitit repræsentatiuè: & sine cunctatione ingrediuntur hospitium Abrahami, qui inuitans eos vt refrigerium aliquod acciperent, responsum accipit, fac vt loquutus es. Nunc ergo sese offert difficultas, cur potius tres hospitium Abrahæ lætantes, & sine mora, duo autem renitentes Loth domum ingrediuntur? quod expendere nobis suadet D. Aug. serm. 19. de Tempore, Attendite fratres qualiter Deus apparuit Abrahæ, & qualiter apparuit Loth, ad Abraham tres veniunt & stant super eum, ad Loth duo veniunt & sedent in platea; cur hoc? videte quid textus dicit de Abrahamo. *quos cũ vidisset cucurrit in occursum eorũ*, de Loth autem, surrexit & iuit obuiam eis: ideo tres Angeli, quorum vnus dicitur sub forma Dei apparuisse, sine cunctatione ingrediuntur hospitium Abrahami, quia festinanter & celeriter eos recepit: Loth autem solum duo & hi renitentes domum Loth introierunt, quia non ita cito nec velociter eos admisit: ita videtur significare D. Amb lib. 10. c. 6. *perfectior cucurrit obuiam, iste resurrexit, iuit & adorauit in faciem.*

August.

S. Amb. lib. de Abrah.

Charitatem nostram Deus tentat, vt abundantius remuneret.

65. *Compulit illos*, cur quasi coacti domum Loth ingrediuntur? nonne sufficiebat illius precibus vos non acquieuisse, vt probatam charitatem illius haberetis? ad quid igitur vlteriùs eam tentare nitimini? sine dubio vt eam Deus abundantiori præmio cumulet: Sic Albinus, *vt tentatione esset charitas Loth probata & remunerata, & vt ostenderetur quantum esset hospitalitatis bonum.*

Albinus.

Sola perseuerantia coronatur.

66. *Compulit illos, & ingressi domum illius fecit conuiuium*, quomodo ita eximium beneficium accepit Loth ab Angelis, vt ab eis honoraretur domus sua, cum antea omnino precibus eius renuissent? ne mireris tantam gratiam accepisse, perseuerauit enim in petitione sua, sola autem perseuerantia coronatur: sic Diuus Bernardus in tractatu de meditantibus octo puncta, quibus peruenitur ad perfectionem vitæ spiritual. ait enim, *homo remissus si incipiat aliquid in principio, aliquantulum strenuè agit, deinde diminuendo procedit, quia multorum est incipere, paucorum finire, sola tamen perseuerantia coronabitur, sola accipit brauium.*

S. Bernard.

Pauperi cito erogandum.

67. *Compulit illos, ingressisque domum illius fecit con-*

uiuium, *& coxit azyma*, sed quodnam conuiuium istud est? vbi altilia occisa, vituli sagina. A ti, vbi exquisitius ac lautius paratum epulum? frugalius quàm Abraham Loth instruxit conuiuium, azyma solum coxit, nunquid illi deerat vitulus tenerrimus? cur non parat? non deerat quidem saltem habendi opportunitas, sed azyma solum coxit, cito parabilem escam, ne diutius differretur refectio, sed confestim peregrini ex longo itinere collectam famem opportuno cibo depellerent: nam diu in pauperes & egenos gratia differenda non est, sed statim eroganda eleemosyna.

Pauperes inquirendi vt eis Eleemosynam tribuas.

68. *Compulit illos*, ipsi tanquam egeni potius eum cõpellere deberent, vt Eleemosynam sibi tribueret: quomodo ergo Loth non solum hortatur, sed cogit egenos, vt ab eo quod necessarium est, admittant: non mirum, inquirendi enim & quasi compellẽd. sunt, vt eis Eleemosynam tribuas, fauet D. Chrysost. ... explicans illud ad Rom. 12. hospitalitatem sectantes, ait *instruit nos vt non expectemus egenos donec ad nos veniãt, sed ad ipsos curramus & festinemus sicut Loth & Abraham.*

S. Chrys in c. 12 ad Rom.

Rom. 12.

Nosmetipsi pauperibus seruire debemus.

69. *Cõpulit illos & coxit azyma*, nonne domesticos plurimos habes, quos huic ministerio destinare potes? ne igitur infermentata ipsemet coquas? hoc munus aliis non præcipit, pauperibus enim nosmetipsi debemus obsequi inquit Chrysostomus, *ipse quidem ministerio occupatus erat, & cibos apposuit, & omnem honorem impendit hospitibus.*

S. Chrys.

Quæ maiori affectu offeruntur licet exigua sint, sunt gratiora.

70. *Compulit illos & coxit azyma*, certe indignum Angelis conuiuium, dispone cibos lautissimos, mẽsam exquisitis epulis præpara, ne autem solum panẽ infermentatũ offeras, non enim gratũ Deo nec ministris eius obsequiũ iucundissimũ & fortè longe gratius aliis, quæ ditioribus administrantur conuiuiis, quia quæ maiori affectu exhibentur, licet sint exigua, sunt acceptione digniora: fauet D. Maximus in mystagogia Ecclesiastica: *tametsi quis parua, eaque ex vili & nullius pretii materia, alius vero ditior aurea pretiosaque numismata proferat, vtraque tum æqualiter regio insignita sunt charactere, isque plus offert qui maiori affectu & ex toto corde oblationem offert.*

S. Maximus in Mystagogia Eccl.

Pauperes obmurmurare non debent, si quid exiguum accipiant.

71. *Compulit illos, ingressisque domum illius fecit conuiuium & coxit azyma*, cum egregium parauisset eisdem Angelis conuiuium Abraham, an quæso oblatum à Loth despiciunt, cum ita vile sit & tantis hospitibus indignum? minimè equidem, pauperes enim & egeni obmurmurare nec mussitare debent, si quid exiguum eis offeratur, quod obseruat Lippom. *illi comedebant quæ apud hospitem erant, & quæ apponebantur, non iactabant lautiores cibos Abrahæ, non plura petebant, non confundebant hospitem, alacritatem & sinceritatem hospitii grati amplectebantur.*

Lippom.

Vir minoris meriti difficilius aliquod beneficium obtinet quam alius maioris.

72. *Compulit illos*, non legimus Abrahamum hos B eosdem hospites compulisse, nec precibus iteratis institisse; cur igitur Loth ita laborat vt domum suã ingrediantur? quia qui minoris est meriti, sicut Loth respectu Abrahæ, aliquod beneficium difficilius obtinet quam qui præcellenti fulget virtute: fauet cat. Græc. *verum quia Loth non eadem virtute præstabat, multis precibus opus est ad exorandos hospites.*

Cat græca.

In resurrectione erimus sicut Angeli.

73. *Compulit illos, & coxit azyma, & comederunt*, si Angeli, quomodo comedunt? animalium enim solum est comestio vt deperditum restaurent, cùm autem in substantiis spiritualibus nihil deperdi possit, cum sint indiuisibiles, quomodo de eis asserit Moyses quod comederint? an aliquod C mysterium sub hac actione potest occultari? audi Tertul. lib. de resurrect carnis c. 62. *Angeli aliquando sicut homines fuerunt edendo & bibendo, & pedes lauacro porrigendo, humanam enim induerant superficiem, saluaintus substantia propria: igitur si Angeli facti tanquam homines in eadem substantia spiritus carnalem tractationem susceperunt, cur non & homines facti tanquam Angeli in eadem substantia carnis spiritalem subeunt dispositionem? non magis solemnibus carnis obnoxii sub angelico indumento quam Angeli tunc solemnibus spiritibus sub humano? nec ideo non permansuri in carne, quia non & in solemnibus spiritus: denique non dixit, erunt Angeli, ne homines negaret, sed tanquam Angeli, vt homines conseruaret, non abstulit substantiam cui similitudinem attribuit*, non intelligit Tertul. veram humanam carnem habuisse, vt apertè etiam lib. de carne Christi c. 6. n. 60. declarat, *constat Angelos* (inquit) *carnem propriam non gestasse, vt puta natura* D *substantiæ spiritalis, & si corporis alicuius, sui tamen generis, in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, vt videri & congredi cum hominibus possint.*

Tertul. lib. de Resurr. carnis c. 62.

Tertul.

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IV.

VVLG. Priùs autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul.

Sep. Priùs autem quàm cubitum irent, viri ciuitatis Sodomitæ circundederunt domum ab adolescente vsque ad seniorem, totus populus simul.

Pag. Antequam dormirent viri ciuitatis, viri Sodom gyrauerunt iuxta domum à puero vsque ad senem, omnis populus ab extremo.

Arias. Antequam cubassent.

Vatab. Circumiuti vallauerunt.

CONCORDIA.

REctè noster interpres omisit illam repetitionem, *viri ciuitatis, viri Sodom.* Quod consultò fecit cùm de illa ciuitate intelligerentur ciues: hebraica editio habet *ab extremo*, quo innuit etiam à remotis & ab extremis vrbis angulis conueniise.

EXPOSITIO VERSVS IV.

PRiusquam irent cubitum, cùm aliqua pars noctis transiisset, vt eos cœnantes, vel iam somno indulgentes comprehenderent.

Vallauerunt domum à puero vsque ad senem, non est hic sermo de pueris ratione adhuc non vtentibus, sed de aliis qui iam nefandæ libidini à pueritia intendebant, qui simul cum senibus in quibus licet iam calor naturalis defecisset, non tamen intemperantissimus habitus, *vallauerunt domum* Loth, timentes ne peregrini videntes impetum fieri per ostia domus, effugerent per aliam partem, domum vndique circundederunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peccator scelus suum non differt.

74. ANtequã irent cubitum, si peregrini à paruo tẽpore domũ Loth ex itinere fatigati, ingressi sunt, cur eos indulgere somno non permittitis? scelus vestrum saltem vsque ad auroram differte: sic sceleribus peccator intendit, vt pessimam mentem exequi diu non patiatur, sed statim adimplere satagit, ipsum peccandi tempus præueniens: fauet D. Basil. cont. ditesc. *hodie peccando diem crastinum anteuertit.*

S. Basil. Ma. contra ditesc.

Deus saluti omnium subuenit.

75. *Antequam irent cubitum vallauerunt domum à puero vsque ad senem*, quis non mirabitur iustum Loth simul cum fœdissimis peccatoribus commorantem? cur eorum ciuitatem non dereliquit, aliam habitaturus vbi cultus Dei vigeat? ideo Deus simul cum sceleratis & impudicissimis hominibus conuersari iustum Loth statuit, vt illius pietatis & continentiæ exemplo, à sua inordinata libidine reuocarentur, sicque omnium saluti sufficientissime subueniret: ita D. Chrys. *vniuersi Dominus prauidens miram illorum malitiam, dispensauit vt iustus eo loci domicilium haberet, vt sicut medicus morbos eorum emendaret.*

S. Chrysost.

Saluti aliorum semper insistendum.

76. *Vallauerunt domum à puero vsque ad senem*, diximus ideo Deum ordinasse Loth simul cum his fœdissimis peccatoribus commorari, vt sua continentia & virtute alii à suis libidinibus reuocarentur: sed cùm compertum habuerit à prauitate sua ne latum quidem vnguem velle discedere, cur ab eis non discessit? cur ciuitati tam impiæ non renuntiauit? aduerte medicum quamuis aliquem insanabili infirmitate oppressum viderit, semper aliquã adhibet medicamenta, vt aliquo modo subleuare valeat: rectè igitur Loth tanquàm potimus spiritualis medicus, simul cum impiis vsque ad illorum exterminium commoratus est, quia de nullius salute vnquam desperandum, sed semper insistendum: fauet Chrys. *videns se cura sua nihil proficere, & illos nullam velle medelam suscipere, non propterea à cura destitit, habet enim hunc morem medicus, quamuis videat morbos esse grauiores, quam vt arte curari possint, non omittit tamen officium suum, vt si forte possit agrum vel longo tempore reparare, præstantiam artis ostendat: quod si nihil amplius proficit, habeat excusationẽ maiorem, eo quod nihil prætermiserit, quod ad se pertineret: id sanè & hic factum est, iustus enim hic qui versabatur in medio talium, etiam sic mansit iustus, vitamque optimam egit; illi autem propterea omni venia sunt destituti, quod non solùm à malitia non cessarunt, sed & magis auxerunt peccata.*

Cit. Chrys.

Peccator verè tenebrarum filius.

77. *Vallauerunt domum antequam irent cubitum,* &c. nõne vobis cõuenientius fuisset matutinũ tẽpus expectare? sic enim inter vos nulla esset confusio, faciliúsque domum Loth confringeretis: minime desistent, tanquã filii tenebrarum nocturnũ tempus diligentes vt sceleribus suis indulgeant: nam quod nocturno tempore ita insaniant, indicium est quod vere noctis filii & tenebrarum erant, odiẽtes lucẽ, tenebras amantes, qui enim malè agit, odit lucẽ, &, *oculus adulteri obseruat caliginem* Iob. 24.

Impiorum maxima concordia in peccatis.

78. *Vallauerunt domum à puero ad senem, & omnis populus simul,* quis tãtam iustorum vnionem in boni operis executione conspexit? quomodo igitur impii qui licet sibi communione coniuncti sint, tamen contra se vicissim crescendo disiunguntur? nam alius alium despicit, & alter in alterũ inuidiæ facibus ignescit, nunc omnes vnanimiter impiũ scelus tentare contendunt; quid mirũ, quia licet impii aduersũ se diuisi sint, maxima tamẽ concordia cõiunguntur, vt bonorũ vitã vnanimiter affligant, & criminibus suis studeant, sic D. Odo. *Quid ergo prauos huius mundi diuites dixerim nisi aristas quasdam humani generis, qui dum contra se superbiunt, sed bonorum vitam vnanimiter affligunt.*

D. Odo in cap. 24. Iob.

Impudicus sceleris sui pudore non confunditur.

79. *Vallauerunt domum à puero ad senem*, si nefandæ libidini cupiunt indulgere, quomodo diuisi domum Loth non aggrediuntur, cùm etiam animalia ab aliis seiungantur, vt venere satientur? quia ita impudens est impudicus, vt sceleris sui nullo pudore confundatur: sic Chrys. *non erubescebant tam turpe, tam impudens flagitium, sed absque rubore, & nudo vt aiunt capite libidinis suæ verba dixerunt.*

S. Chrysost.

Deus punit criminis facta approbatione.

80. *Vallauerunt domum viri ciuitatis*, in hebræo est viri ciuitatis, viri Sodom. cur additum est viri Sodom cùm omnino superfluere videatur? nam si dictum ante fuerat quod venerunt Angeli Sodomam, & quod viri ciuitatis circundederunt domum Loth, ad quam declinarant, certo certius est, huiusmodi viros ciuitatis fuisse viros Sodomitas: sed animaduerte quæso dixisse Deum Abrahæ, quod si inuenirentur decem iusti Sodomæ, ciuitatem non deleturum: rectè igitur addidit Hebræus nō solùm viros ciuitatis, sed etiam viros Sodom vt apertum maneret, nullum Sodomitam iustū, cùm omnes Sodomitæ conuenissent simul ad explendam nefandam libidinem, sicque Deum non punire, nisi probato scelere, sic Caiet. *non sat fuit Mosi dicere viri ciuitatis, sed apposuit viri Sodom explicando ciuitatis nomen, vt cognosceretur diuina inquisitio executioni mandata in ciuitate, promissa Abrahæ.*

Card. Caieta.

Inter impios nec pueri liberi à peccatis.

81. *Vallauerunt domum à puero ad senem*, ad quid pueri domum Loth circundant? si enim respondeas vt nefandæ libidini se ingurgitent, probabile nō est: ætas enim ita tenera huiusmodi impudicitiæ idonea non est: dico tamen cùm inter impios commorentur, à peccatis non liberos esse, licet effectu non offenderint, tamen affectu prauæ voluntatis crimen nefandum cōmittere: audi Abulensem, *non erant incontinentes, quia non ex passione hoc faciebant, sed intemperantissimi, quia hoc ex electione faciebant, & pueros suos ad hoc edocebant, primo eos pati facientes in primæuo ætatis flore, deinde reciprocè & agebant & patiebantur.*

Abulensis.

Ita impius est peccator, vt cùm opere non valeat offendere, saltem lætatur alios id exequi.

82. *Vallauerunt domum à puero ad senem*, cùm iam calor naturalis in illis senibus defecisset, & calor venereꝰ fere totaliter extinctus, cur simul cum viris ciuitatis domum Loth circundant? cur non somno indulgent, cùm somnus illi ætati sit accommodatior quàm amor venereus? nihilominus ita impii sunt, vt cùm opere nō valeant nefandam libidinem adimplere; summo afficiuntur gaudio, si alios id perpetrare intuentur: fauet Abul. *Secundum habitum intemperantissimi erant, ideo quod natura negabat, isti infœlices facere intentabant, qui si non facerent, satis lætabantur saltem quod alij coram eis coitu venereo concumbebant.*

Alphons. Tostat. & S. Amb. lib. de Abrahā. c. 6.

Diuini iudicii in punitionibus maxima æquitas.

83. *Vallauerunt domum à puero ad senem*, nonne sufficiebat dixisse, quòd omnis populus domum circundederat? ad quid igitur speciatim hoc exprimit de pueris? non ignoras quòd vniuersa ciuitas igne delenda est: rectè igitur notauit etiam pueros huic peruersæ actioni intentos, vt omnibus diuini iudicii æquitas fieret manifesta: sic D. Amb. *præstruitur hoc in loco & diuini iudicij æquitas, ne forte quis diceret quid peccauerunt pueri, vt omnes excidio inuoluerentur? ita nullus illic iustus, nullus innocens: audi scripturam testificantem, quia circundederunt à puero, nulla erat ætas culpæ immunis, ideo nullus immanis exitii fuit.*

S. Ambros. hic.

Libido castitatem semper perturbare molitur.

84. *Vallauerunt domum antequam irent cubitum, &c.* quid significat Sodomitas, requiem capessituros Angelos vallasse & circundedisse? certum est Angelis denotari castitatem, puritas enim insignis Angelica dicitur: assero igitur vobis significari libidinem, per viros Sodomæ designatam, semper insidias parare castitati eamque perturbare: fauet glossa interl. *quo tranquillitatem castitatis semper inquietare molitur circumstrepens sartago libidinis, filii noctis operibus noctis obtenebrare volunt filios lucis.*

Glossa interl.

Societas impiorū vitanda nisi gratia cōuersionis.

85. *Vallauerunt domum*, scilicet Loth, si nihil periculosius est turpi hominum pessimorum consuetudine, cur ab ea procul non discedis? qui enim amat periculū peribit in illo: ideo ab eis non declinat, quia conuersionis eorum gratia in hac impiorum ciuitate commoratur. aud. D. P. Damian. de cont. sæculi c. 13. *sicut ab ipso reproborum capite, ita quoque à membris illius, nisi causa conuersionis exigerit, studendum est declinare.*

Petr. Damil. de contemp. sæculi.

Peccandi consuetudo etiam per affectum in morte perseuerat.

86. *Vallauerunt domum à puero vsque ad senem*, non miror pueros in hunc impuritatis affectum prolapsos, cū ab adolescentia hominis cogitatio in malum prona sit, sed solùm senes, qui perpetrandi sceleris impossibilitate detinebantur, quique in mortuorum potius numero, quàm viuorum erant conscribendi: sed ne mireris, quia peccata longo vitæ tractu exercita, etiam in ipsa senectute, nec etiam in ipsa morte ab animis ægrè depelluntur: obseruatio est D. Saluia. lib. 1. de Eccl. Cathol. *peccare non desinit, quem in extremis situm recedere à criminibus sola tantum fecit impossibilitas, non voluntas, qui enim à malis actibus tantum morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus, ac per hoc necessitate exclusus à vitiis, & iam puto peccat, quomodo cessauerit, quia quantum ad animum, nec dum desiit qui adhuc velit peccare si possit.*

Saluian lib. 1. de Eccle. Cathol.

Impudicitia insatiabilis.

87. *Vallauerunt domum*, scilicet vt abominandam præposteræ libidinis impuritatem adimplerent, sed nonne cum mulieribus egregiæ formæ rem habere poterant? cur ergo & iniuriosi naturæ esse desiderant? sine dubio quia impudicitia insatiabilis est, non limitatur concubitu fœmineo, sed etiam in masculos inardescit: quod D. Zeno serm. de pudic. declarat dicens, *libidinum commutatione varia gaudet impudicitia, ad satietatem nunquam peruenit.*

S. Zeno. serm. de pudicit.

Sicut iusti virtutis, ita impii, vitii exercitium solicitè inquirunt.

88. *Vallauerunt domum à puero ad senem*, scilicet vt peregrinos possent comprehendere, quibus abuterentur: sed quomodo agnouerunt omnes illius ciuitatis incolæ, hos aduenisse vt vim eis inferrent? quia impii sollicitè curant omnes impietatis suæ exercendæ occasiones *est consideratione dignum* (inquit Oleast.) *quomodo isti erant intenti, & speculabantur quibus abuterentur, quemadmodum enim iusti semper inquirunt virtutis exercitium, ita nefandi materiam vitiorum.*

Hieronym. ab Oleast.

VARIE-

VARIETAS LECTIONVM VERSVS V.

VVLG. Vocaueruntque Loth & dixerunt ei, vbi sunt viri qui introierunt ad te de nocte? educ illos vt cognoscamus eos.

Sep. Et euocauerunt Loth, & dixerunt ad eum, vbi sunt viri qui ingressi sunt ad te? educ illos ad nos, vt coëamus cum eis.

EXPOSITIO.

Vocaueruntque Loth, cùm fores essent clausæ, ingredi non potuerunt & ita de foris Loth vocauerunt.

Vbi sunt viri qui introierunt ad te de nocte, id est domum tuam vt hospitarentur tecum.

Vt cognoscamus eos, hebraismo scriptura concubitum impudicum honesta voce nominat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Impudicitia nemini parcit.

89. *Educ illos huc vt cognoscamus eos*, si hospites reuereri conuenit, quomodo hospitio non solùm recepistis, imo etiam abuti nitimini? parcite saltem aduenis & peregrinis: ita effrænata est impudicitia, vt nullum reuereatur, neminique parcat: sic D. Chrysost. *Neque iustū reuerebātur, neque iis quos hospites arbitrabantur, quique apud iustum diuerterant: hospitalitate insignem, parcebant.* S. Chryso.

Qui aliorū virtutes non imitantur, insanabiles sūt.

90. *Educ illos ad nos*, ad quid? vt in domibus vestris lautius conuiuium præbeatis quàm Loth, minime, *sed vt cognoscamus eos*: nonne potius virtutem iusti, qui in foribus sedebat eos expectans, vt hospitio reciperet, imitari deberetis? cur illius imitatores, vitium non abiicitis? oleum & operam perditis in his instruendis, qui enim aliorum cognitas virtutes non imitatur, insanabilis est: fauet Procopius in hunc modum: *patet eorum ingenia esse insanabilia, vt qui nec seipsos salutaribus instruerent præceptis, nec alios æmularentur virtute inclitos.* Procop. Gazæ.

Sacra scriptura honestissima est.

91. *Educ illos ad nos vt cognoscamus eos*, non est cur nocturno tempore domum Loth circundetis, vt peregrinos cognitos habeatis, nam crastina die lucescente faciliùs agnoscetis: non loquitur de cognitione intuitiua, sed de carnali, quam sacra scriptura honestissima, verbis contegit castis: ita Lipp. *honestissimè sacra scriptura loquitur, propterea lingua Sancta nuncupatur.* Lippom.

Nullus pudor in impudico.

92. *Educ illos ad nos vt agnoscamus eos*, nonne vos pudet ante hominem iustum & verecundum hæc verba proferre? sed verba mitto, nonne etiam animalia omni ratione destituta partes remotissimas quærunt, vt generationi studeant? quomodo igitur homines peregrinos extrahere violenter laboratis vt cum eis coëatis? (sic enim vertunt septuag. *Vt coeamus cum eis*) quia impudicus in suis libidinibus explendis nullo suffunditur pudore: sic D. Zeno serm. de pudic. *discurrit impudicitia vesana per populos hominumque lubricas mentes, libidinum flagrantibus stimulis.* S. Zeno. serm. de pudi.

Luxuriam generat superbia.

93. *Educ illos ad nos vt cognoscamus eos*, vndenam tam nefanda libido, vt in masculos etiam ardeatis? obserua hæc verba *educ illos ad nos*, maximam denotare arrogantiam, verba enim sunt imperii: non mirum igitur illos ita impudicitiæ sectatores, quia superbia luxuriam generat: ita Guarr. Abb. ser. de purif. *videndū & sollicitè considerandum, vt superbiam mens nostra cum tota prole sua excludat, nempe septem principalibus vitiis, quæ sunt hæc, inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria hæ sunt filiæ superbiæ quæ matrem suam sequuntur, quæ hospitium quodcunque intrauerint fœtidum reddunt.* Guarri. Abb serm. de purif.

Ex gula luxuria.

94. *Educ eos ad nos vt cognoscamus eos*, vnde tam sæua & effrænata libido, ita vt non solùm viri ad hoc vitium propensi sint, sed etiam senes ea aduersus masculos ferantur? lege quid dicat Ezech. 16. qui fontes enumerans illius nefandi criminis ait, hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, abundantia, & otium: non mirum igitur eos à detestabili luxuria vinci, cùm gula illius sit origo: quod optimè Nicetas in orationem 38. D. Greg. expendit. *comessatio cubile spectat, libidini indulget, vinoque obrutus ad flagitiosos congressus ac turpes voluptates fertur, & inflammatur, comessatio enim veluti mali magistra doctrinam malam in animum immittit, concubitum nempe ac libidinem.* Ezech. 16. Nicetas comm. in orationem 38 diui Greg.

Ex otio Luxuria.

95. *Educ eos ad nos vt cognoscamus eos*, quænam origo tam illiciti desiderii & affectus impii? respondebit Ezechiel, otium, nec mirum, omnium enim malorum fons & principium, vnde optimè D. Valerianus ho. 19. de Quadragesima ait, *omnibus periculis subiacet qui vitam suam quolibet tēpore negligentiæ tradiderit, nunquam denique equis otio deputatis bene fræna laxantur.* videmus etiam nauigia maris portu proximo quiescentibus ramis subita vi incurrisse naufragiis & D. Hier. in c. 16. Ezech. semper aliquid agendum est, ne ager pectoris nostri, cessante manu, malarum cogitationum sentibus occupetur. S. Valerian. hom. 19 de Quadrag.

Ita graue delictum est crimen sodomiticum, vt nulla pœna excogitari possit eo condigna.

96. *Educ eos ad nos & cognoscamus eos*, en quomodo peccatum contra naturam exoptant committere: sed quæso cùm lex ciuilis puniat Sodomitas, etiam pueros morte ignis, velut hostes infensissimos naturæ humanæ, & sacri canones debeant maiori supplicio flagitia coercere quàm leges ciuiles, quid est quod huiusmodi canones qui incestuo-

ſos & adulteros grauiſſimis mulctant pœnis, in Sodomitas aliquam ſupplicii grauiſſimi ſententiam non ferunt, imo nec illius mentionem faciunt? quia ita graue delictum eſt illud crimen Sodomiticum, vt nulla pœna excogitari poſſit eo condigna: hanc rationem adducit noſter doctor illuminatus Franciſcus de Maronis in explanatione decem præceptorum præcept. 6. *cauſa eſt quare ſacri canones de pœna tanti vitii nihil dicunt, eſt deteſtatio tanti flagitii, nam huius nominatio primò ipſum aërem quodammodo polluit, ſecundò mentes humanas inficit &c. ex comparatione tamen aliorum peccatorum quæ determinantur ſecundùm canones ex cogitari poteſt aliqualiter pœna huius flagitioſiſſimi peccati.* Preme illa verba, excogitari poteſt aliqualiter pœna non tamen tanto delicto condigna.

Noſter Franciſcus Maronius præcep. 6.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS 6

VVLG. Egreſſus ad eos Loth, poſt tergum occludens oſtium ait.

Sept. Exiit autem Loth ad eos ad veſtibulum, & occluſit oſtium poſt ſe, *ſic fere Chryſoſt.*

Cald. Et egreſſus eſt ad eos Loth ad portam, & oſtium clauſit poſt ſe.

Arias. Et egreſſus eſt ad eos Loth ad ianuam, & ianuam clauſit poſt ſe.

CONCORDIA.

פתחה anuam portam & veſtibulum illius ſignificat, quod noſter interpres omiſit cùm facile ſubintelligeretur.

EXPOSITIO.

P*Oſt tergum occludens oſtium exiit Loth*, vt populum alloqueretur, ne autem ingrederetur peregrinoſque raperet, clauſit poſt ſe oſtium, ne alicui pateret ingreſſus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Aliorum ſaluti iuſtus inuigilat.

97. E*Greſſus ad eos Loth poſt tergum occludens oſtium*, nonne cum populo ſermonem habere poteras oſtio reſerato? cur igitur claudis? ſaluti peregrinorum inuigilat, timet enim ne oſtio patefacto domum ſuam ingrediatur eiſque vim inferat: ſic D. Chryſ. *Vide quomodo timet iuſtus, tremit pro hoſpitum ſalute.*

S. Chryſoſt.

Maxima vis fidei.

98. *Egreſſus ad eos Loth*, ſi nemini parcunt Sodomitæ, vt libidini ſuæ ſatisfaciant, quomodo ſolus tot impios alloqui præſumis? cur imminens periculum vitæ tuæ non formidas? occluſus domi tuæ permane, foreſque occlude, ne ingrediantur: ſed nihil veretur, fide enim armatus contra aduerſarios ſtabat potentiſſimus, ita Lipp. *vnus contra tot viros impios ſicut Abraham contra tot reges, pro oſtio ſtans ſola fide armatus, corpus ſuum & vitam ſuam opponit periculo pro hoſpitibus, & victoriam reportat Domino fideles ſuos minime deſerente.*

Lipp.

Dona gratiarum abſcondere debemus.

99. *Egreſſus eſt ad eos Loth &c.* quamuis hoſpites tuos vidiſſet populus, quid refert? myſticè per illos Angelos apud Loth hoſpitantes intelligi poſſunt dona gratiæ apud nos permanentia: rectè igitur [illegible] hoſpites ſuos non permittit, quia dona gratiæ quibus fruimur, omnibus reuelare non debemus: ſic Hugo Card. *vir iuſtus dona gratiarũ apud ſe hoſpitantia, nulla ratione debet exponere nec in publicũ prodere*, niſi neceſſitate cõpulſ°.

Hugo Card.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS 7.

VVLG. Nolite quæſo fratres mei, nolite hoc malum facere.

Sep. Dixit autem ad eos nequaquam fratres, nolite male facere nunc.

Pag. Ne nunc fratres mei male faciatis.

Chryſ. Nequaquam fratres nolite inique agere.

CONCORDIA.

SOlus noſter interpres habet quæſo, cui æquiualet nunc, vel nequaquam, apud ſeptuag. vel hebræos.

EXPOSITIO.

N*Olite quæſo fratres*, fratres eos vocat ex cõmunione habitationis ciuilis, & propter naturæ conformitatem.

Nolite hoc malum facere, per antonomaſiam vocat malum, concubitum contra naturam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iuſtorum maxima humilitas.

Nolite quæſo fratres mei, fratres vocas deo rebelles, naturæque inimicos humanæ, dæmones, vel aliquid peius

peius nominarem, vel ſaltem animalia ratione carentia, hoc enim in ſacra pagina, viri vitiis dediti gaudent, nomine fratrum eos honorat, non dedignatus impiorum hominum affinitatem: quod admirans Chryſoſt. ait, *o iuſti longanimitatem, ô excellentem humilitatem*, quaſi diceret; aliorum dedignamur conſortium, ille autem iuſtus impios fratrum appellatione honorat.

S. Chryſo.

Benignitas corda hominum flectit.

101. *Nolite quaſo fratres mei*, cur impios, incontinentes, omni ſupplicio dignos & maledictione, non dicis, cùm ſcelus ita nefandum & inauditum attentare præſumant, non autem fratres? animaduerte cùm medicus curare volens ægrum inſanientemque caſtigare, minimè cum furore, ſed benignitate id efficit: recte igitur benignè & manſuetè eos alloquitur, quia nihil ita hominum corda flectit vt benignitas & manſuetudo: ſic Dionyſ. Carthuſ. *manſuetè & benignè eos alloquebatur vt citius flecterentur.*

Dionyſ. Char.

Reprehenſio non ſit aſpera.

102. *Nolite quaſo fratres mei*, cur cum tanta manſuetudine, omni perſequendos execratione alloqueris? ſeuerè reprehēde, & increpa, nefandum ſcelus ante oculos propone, vt eius turpitudine deterriti, ab eo abſtineant? aſperè tamen non reprehendit, quia plena pietate reprehenſio à prauis affectibus citius reuocat: ſic D. Laurēt. Iuſt. li. de ligno vitæ tract. 4. de charit. c. 16. *obiurget amicus amicum non iactantiæ ſtudio, ſed affectu charitatis, nec admonitio aſpera ſit, ſed dulcis, non contumelioſa ſit, ſed pietate plena.*

S. Laur. Iuſti lib de ligno vitæ.

Principium inimicitiæ, alios verbis malè afficere.

103. *Nolite quaſo fratres mei*, diximus ideo manſuetè & benignè eos allocutum, quia nihil ita perturbatam mentem reuocat, ac manſuetudo: ſed quamuis eos cōtumeliis affeciſſet & probris, nonne inſanientē populū continuiſſet? non ſolùm non coercuiſſet: quia vt optime cit. Laurent. *principium amicitiæ eſt bene loqui, & grande exordium inimicitiarum eſt maledicere & iniuriari contumelioſè.*

Cit. Laurent.

Peccatum nefandum per antonomaſiam malum.

104. *Nolite hoc malum facere*, quodnam malum ô Loth? nonne aliquo nomine exprimi poteſt? nonne alicuius ſpeciei determinatæ ordinem continet? appellatione igitur ſua nuncupa: ſapienter loquitur hoc crimen appellans, *malum*, quia per antonomaſiam peccatum nefandum, malum dicitur; ſic Abul. *Non ſolùm malum eſt, imo malorum nefandiſſimum, quia licet beſtialitas prius vitium indicetur; minorem tamen verecundiam hoc infert, quia alia animalia ipſum perpetrant.*

Epiſcop. Abul.

Pro donis gratiæ ſeruandis omni nos exponamus periculo.

105. *Nolite hoc malum facere*, nonne vitæ tuæ iacturam times, furori totius ciuitatis te opponens? populus effræna libidine agitatus tibi non parcet? clauſus igitur domi tuæ permane, horum ſalutem diuinæ commutēs prouidētiæ. Diximus verſu præcedenti, per hos hoſpites dona gratiæ apud nos manētia intelligi poſſe: recte igitur nullū quantumuis ferocem, & furiis luxuriæ agitatū formidat, quia pro donis gratiæ ſeruandis nullum ſubterfugiēdum periculū: ita Hugo Card. *Loth vt hoſpites ſaluet exponit ſe periculo, & nos vt ſaluemus dona gratiarum quæ apud nos hoſpitantur, debemus nos exponere omni periculo & labori etiam vſque ad mortem.*

Hugo Card.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS 8.

VVLG. Habeo duas filias quæ necdum cognouerūt viros, educam eos ad vos, & abutimini eis ſicut vobis placuerit, dummodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei.

Sep. Sunt autem mihi duæ filiæ quæ nondum nouerunt virum, producam eas ad vos, & vtemini illis quomodo placuerit vobis, tantummodo in viros iſtos ne faciatis iniquum, quam ob cauſam ingreſſi ſunt ſub tegmen trabium mearum.

Cald. Facite illis ſicut placuerit in oculis veſtris, tantummodo ne faciatis viris iſtis quicquam, quia propterea ingreſſi ſunt ſub vmbra tegminis mei.

Arias. Et facite eis ſicut bonum in oculis veſtris, tantum viris iſtis ne faciatis rem quia propterea venerunt in vmbra tigni mei.

Cryſ. Tantum in viros illos ne faciatis iniuſtitiam, propterea quod intrauerunt ſub tecta tignorum meorum.

CONCORDIA.

AButimini ſicut vobis placuerit, quod aliter exprimitur in hebræo, & facite illis ſicut bonum in oculis veſtris, ita etiam legit Caldæus tamen idem eſt ſenſus: Korathi tignum, culmen aut tegmen meum ſignificat; deſcendit enim à קרה Kara quod contignare ſeu tegere, id eſt contignationem domorum conſtruere ſignificat.

EXPOSITIO.

HAbeo duas filias &c. cum impudici carnis amatores virgineos coitus ſuper omne delectabile ſoleant cōcupiſcere, ideo vt Sodomitas maſculorū cōcubitus affectātes reuocaret, offert adhuc filias virgines.

Abutimini eis ſicut vobis placuerit, abuſum dixit, quia ex eorum nefanda libidine collegit non naturali modo, ſed quod in vaſe indebito eas cognoſcerent.

Dūmodo viris iſtis nihil faciatis, exiſtimat homines, & ideo credit Sodomitas aliquod dānū eis inferre poſſe.

Quia ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei, id eſt domus meæ, quibus verbis ſignificat ſibi à Domino eſſe cōmiſſos, ſeq; perfidiæ reum fore niſi protegere eos ſtudeat.

Difficultas nō exigua, vtrū licitè Loth ſuas filias Sodomitis tradere voluerit vt eis abuterentur, quod enim illicite fecerit, videtur ex auctoritate D. Pauli demōſtrari ad Ro. 3. ſcilicet quod fas nō eſt malū facere vt inde quātumuis bonū eueniat, ergo nec malū facere licet, quo maius aliud malū arceatur: ex alia parte commune eſt axioma ex duobus malis eligendū minus, deteſtabilior autē eſt Sodomia quam virginū defloratio.

Ab hac difficultate se eximit subtiliter Cardinalis Caietanus dicens Loth non obtulit filias animo repēsandi flagitiū flagitio, sed placādi, hyperbolica summissione furentem populum, arbitrabatur enim & rationaliter (vt rei probauit euentus) quod populus non acceptaret huiusmodi oblationem, sed quod placatus tanta summissione ipsius Loth ab incœpto desisteret, idque propterea verisimile erat, quod filiæ suæ primaris Sodomæ ciuibus iam desponsatæ fuerant. exemplū in confirmationem proponit, si quis placaturus alium à se magna læsum & offensum iniuria, nudum pugionem ei offerat, dicens, interfice me, nō eo sane animo, vt ille occidat ipsum, sed vt tanta summissione lenitus, omnem ei remittat iniuriam & offensam, vnde dicendum videtur Loth in filiarum suarum oblatione, à vera iustitia non defecisse.

Verùm si non fuerit hyperbolica summissio, sed solùm vt maius malum vitetur, an licitè id efficere potuerit, difficultas est: mihi negatiue respondendū videtur, quia ratio boni operis ortum habet à charitate, sed secundùm ordinem charitatis magis à primo debet aliquis seipsum deligere quàm alium, ideo nunquam aliquis debet Deum offendere ne alius offendat, seipsum enim minus secundùm Deum diligeret quàm alium, Deum autem offenderet qui stupro virginum consentiret, cùm impedire posset.

Si autem dicas cōmune axioma esse minus malū ex duobus malis seligendū, intelligendū venit de duobus malis pœnæ, non autē culpæ, nusquam enim seligendum est.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Magni æstimanda est hospitalitas.

EDucam eas ad vos, abutimini eis, nonne præferendus est honor & decus virginū, quas genuisti peregrinorum periculo qui tibi sunt incogniti? tanti æstimanda est hospitalitas vt existimet D. Amb. præferendam esse filiarum pudori, ait enim lib. 1. de Abrah. c. 6. *efferebat sanctus Loth filiarum pudorem, præferebat domui suæ, hospitalem gratiam etiam apud barbaras gentes inuiolabilem.* Idem habet D. Chrysost. *Quis iusti huius benignitate sat dignum attulerit, qui neque filiabus parcere voluit, vt seruaret hospitibus honorem, & liberaret eos à seruitute Sodomitarum? & ille quidem suas filias prostituit vt hospites viatores omnino ignotos eriperet ab impiorum contumelia.*

S. Amb. lib. 1. de Abrah. c. 6.

S. Chrysost.

Nefandus masculorum concubitus crimen atrocissimum.

107. *Educam eas ad vos, abutimini eis*, cùm virginum defloratio sit adeo graue peccatum, quomodo Loth iustus earum pater consensum præbere videtur pro euitando masculorum concubitu? non enim est flagitium alio compensandum crimine; ideo filias stuprādas impiis offert hominibus, vt intelligamus atrocissimum esse crimen, nefandum contra naturam concubitum, cum pro illo vitando, stupro virginum consentiat: sic Lipp. *atrocitas criminis indicatur cuius comparatione subito credidit virgines potius stuprandas, quod tamen magnum crimen esse nemo ignoraret.*

Lippoman.

Peccatum minuitur ex animi perturbatione.

108. *Educam eas ad vos & abutimini eis*, si secundùm plures grauissimos Patres graue crimen admisit in cōsensu stupri filiarum, quomodo iustus nuncupatur? iustitia enim & peccatū opponuntur: respōdere possum, ideo nomen iusti retinuisse, non quia stupro consensum præbuit, sed forte quia ex animi perturbatione commisit, ea delictum minuēte, hoc indicat noster Nicol. de Lyra dicens, *exoneratus fuit à tanto crimine, & si non à toto tum ratione perturbationis mentis in qua erat, tum quia vitio pessimo in suis conciuibus, & violentiam in suis hospitibus, occurrere intendebat.*

Nicol Lyranus.

Consensus alieni peccati proprium crimen est.

109. *Educam eas ad vos & abutimini eis*, si tuæ acquiescunt voluntati filiæ, non est dubium eas graue crimen admittere, non enim obediendum est Patri contra Dei præceptum: sed ô Loth an liberum à peccato te existimas? uno grauissimum perpetras, consensus enim alieni tuum reputabitur. Mens est D. Aug. lib. contra mend. c. 9 *aliena ille vir iustus timendo peccata, quæ nisi consentientes inquinare non possunt, perturbatus non attendit suum quo voluit subdere filias libidinibus impiorum, noli facere, magnum scelus tuum, dum magis horrescis alienum, quantumlibet enim distet inter tuum & alienum, hoc tamen erat tuum & istud alienum.*

S. August. lib. cont. mend. c. 9.

Bona temporalia pro salute proximi exponenda.

110. *Educam eas ad vos, abutimini eis*, vel vt est in hebræo, facite eis sicut bonū est in oculis vestris, quomodo ita parui æstimas charissima pignora, vt ea pro salute peregrinorum à te incognitorum tribuas? aduerte quod moraliter per has duas filias possunt vita corporalis & bona fortunæ intelligi: rectè igitur filias offert pro liberādis peregrinis, quia vt ait glossa moralis, *substãtia corporalis & corporalis vita, pro proximi salute sunt exponenda.*

Glossa. mor.

Pro virtutibus seruandis caro & anima flagellis exponantur.

111. *Educam eas ad vos*, serua, quid enim genitor charius filiabus possidet, pro quarum pudore seruando in mille discrimina se deberet iniicere? ne ergo hominibus luxuriosis tradas, qui eis abutētes simul cū honore vitam eripient: sed mysticè loquamur, nonne per has filias animam & corpus intelligere possumus? per Angelos virtutes rectè filias suas Sodomitis tradere nō recusat pro hospitum defensione, quia vt ait Hugo Card. *duæ filiæ Loth, quas exponit pro hospitibus suis, sunt caro & anima, quæ debemus flagellis exponere & contumeliis, pro virtutibus seruandis.*

Hugo. Card. n.

Ille vere vir dicendus qui castitatem tuetur.

112. *Educā eas ad vos* &c. sed nihilominº, inquit textus, *vim faciebant Loth vehementissime.* Sept. legunt & vim faciebant in virum ipsum Loth, cùm antea solùm Loth à Moyse dicebatur, cur hoc in loco non solùm Loth, sed & vir nuncupabatur? nota quod pro castitate hospitum suorum maxime laborabat: merito igitur hic vir appellatur, quia qui castitatem tuetur maximè vir dicendus est, quod contrario sensu confirmat Clem. Alex. lib. 3. pæda c. 4. qui loquens de ciuitate in qua regnat impudicitia, vocat eam solitudinem, addēs, *est vere solitudo, etiam si sit turba incontinentium, vbi non est homo pudicus*, quasi diceret belluæ solitudinis dicendi sunt ciues alicuius vrbis impudicæ, è contra igitur ille verè vir nuncupandus, qui castitati seruandæ obsequitur.

Clem. Alexan. lib 3. pædag. c. 4.

Qui donis à Deo acceptis abutitur, eis priuatur.

113. *Educā eas ad vos.* Nēpe ad illos viros ciuitatis, nōne vires corporis acceperunt quibus præditi ad domum Loth concurrunt ad domus illius ianuam confringendam

fringendam vt impium ac nefandum scelus committerent? quid non videretur tanta violentia & tam multorum effectura? sed Angeli clauserant ostium, & eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo ad maximum vsque: an solùm cæcitate percussi sunt? imo etiã viribus destituti? cur destituuntur viribus: quia qui abutitur donis à Deo acceptis iustissimè eis priuatur: ita D. Chrysostomus Hom. 54. *quia conspirauerant in malitia & à malo conatu neque senes neque iuuenes abstinebant, ideo omnes non solùm obcæcati sunt, sed etiam viribus corporis destituti; & qui priùs ianuam conterere minebantur & multum minabantur iusto, statim steterunt laxatis membris.*

VARIETAS LECTIONVM VERSVS NONI.

VVLG. At illi dixerunt, recede illuc, & rursus, ingressus est inquiunt vt aduena, nunquid vt iudices; te ergo ipsum magis quàm hos affligemus, vimque faciebant Loth vehementissimè, iamque prope erat vt effringerent fores.

Sep. Dixerunt autem ei, recede illuc, intrasti vt incola esses: nunquid etiam vt iudicium iudices? nunc igitur te affligemus magis quàm illos, & vim faciebant in virum ipsum Loth vehementer, & appropinquauerunt ad confringendum ostium.

Cald. Et dixerunt vnus venit ad peregrinandum, & ecce iudicat iudicium, nunc malefaciemus tibi magis, quàm eis, & compulerunt virum Loth valde, & accesserunt ad confringendam ianuam.

Arias. Et dixerunt, accede vltra, & dixerunt vnus venit ad peregrinandum, & iudicauit iudicando, nunc male faciemus tibi præ ipsis, & vim fecerant in virum, in ipsum Loth valde, & appropinquauerunt ad frangendam ianuam.

Caiet. Appropinqua, longè vnus venit ad habitandum & iudicauit iudicando.

Vatab. Secede illuc, solus venit vt habitaret, & vult plane nos iudicare.

CONCORDIA.

QVamuis in verbis istis ingressus es vt aduena, nunquid vt iudices? non conueniant cùm Hebræo & Caldæo, tamen idem est omnium sensus.

EXPOSITIO

AT *illi dixerunt, recede hac,* loco à se recedere instant, ne accedendi ad domum esset impedimento.

Ingressus es vt aduena nunquid vt iudices? quasi dicerent gratuito dono abuteris, scilicet quod in ciuem receptus cùm aduena esses, nihilominus iudicẽ actionum nostrarum te constituis.

Te ergo ipsum magis quàm hos affligemus, scilicet te abutendo, ita enim improbi ac inuerecundi vt verba indecora homini iam prouectæ ætatis dicere non erubescerent:

Vimque faciebant Loth vehementissime, hoc est violentissimè impellẽdo, trahendo, vel forte percutiendo torquebant, *iamque prope erat vt fores infringerent*, appropinquauerunt enim vt vi ianuam domus aperirent.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ita obstinatus est peccator vt nec benignitate mansuescat.

113. I*Lli dixerũt recede illuc.* nõne Loth pro salute hospitũ charissima pignora obtulit, quibus abuti in vestra situ erat potestate: nõne benigne affat^es, fratres nominans? quomodo igitur à scelere perpetrando non temperatis, imo fortè eum probris & contumeliis afficitis? quia ita peccator in suis delictis est obstinatus, vt nullo modo reuocetur ab eis: quod obseru. D. Chr. dicens, *consider. obsecro quomodo ille iustus magnam clementiam, ineffabilemque fortitudinem præ se tulerit, quamuis nec sic corrigere potuerit indomitam illorum insaniam, quippe post verba illa, & tam eximiam mansuetudinem cum verbis suis quasi in manibus prostituisset filias, quid dicunt ad illum? recede illuc.*

Impudicitia cæcitate percutit mentem.

114. *Recede illuc*, cur illum recedere iubetis, imo vt accederet præcipere deberetis, semper enim optimum est auscultandum consilium, nec elogandus qui illud cum omni sinceritate præbet, quid autem animabus vestris conuenientius proponere potuit & debuit, quàm peregrinis parcere, ab impio & nefando scelere temperare? ne igitur eum recedere iubeatis; ne mireris sanum repudiare consilium, & quod vtilius, eos abiicere, nimia enim eorum impudicitia mentem rationemque cæcitate percusserat: Fauet D. Chrysost. *in hunc modum se habet efferata & mala bestia concupiscentia, quando rationem vicerit, nihil quod oportet videre sinit, sed quasi in tenebris & pugna nocturna omnia facit.*

S Chrysost.

Ita impius impudicus vt reprehensorem suorum criminum durius ipse arguat.

115. *Recede illuc, ingressus es vt aduena, nunquid vt iudices:* quasi dicerent, maxima est temeritas ac præsumptio, quod postquam à nobis benignè in numerum ciuium admissus fuisti, nunc quasi omnibus superior & princeps existeres actiones nostras arguere præsumis: sed ô criminum nefandi perpetratores, an seueritate nimia scelera vestra obiurgauit? imo fortè nimia mansuetudine & benignitate, cur igitur eum ita durè arguitis, beneficiumque ita tenue exhibuisse vos pœnitet? quia ita impius est impudicus vt reprehensorem criminum suorum duriùs ipse arguat: quod obseruat

Dyonis. Charth.

Dionysius Carth, *tantum excæcauit eos prauissima consuetudo, vt magis reprehenderetur ab eis reprehensor flagitiositatis quàm factor.*

Impius beneficium exhibitum improperat.

116. *Recede illuc ingressus es vt aduena nunquid vt iudices?* beneficium adeo exiguum Loth contulistis, vt cum ergo ciuem vestrum admisistis, cur cùm vobis quod vtile & honestum consulat improperatis, quod ei contulistis? quia peccator cùm gratias referre nolit, si aliquod beneficium exhibuerit, statum obiicit: Sic Caiet. *improperant quod solus receptus est ad beneficium habitandi in ciuitate, & quod vsurpauit iudicis officium, inuertunt enim supplicationem Loth in reprehensionem.*

Card. Caiet.

Peccator in propriis delictis cæcutiens virtutes aliorum tanquam delicta existimat.

117. *Recede illuc ingressus es vt aduena, nunquid vt iudices?* quasi dicerent, intolerabilis es audaciæ, cùm nos arguere quasi criminis reos non formidas; Sed quæso cur non impudentis audaciæ vos agnoscitis, cum vi & tyrannide quadam domum illius ingredi nitimini, vt peregrinis vim inferatis? ne mireris Sodomitas arguere Loth audaciæ, cùm ipsi sine fronte crimẽ adeo nefandum aggrediuntur, quia peccator in propriis delictis cæcutiens in alienis (quæ sibi talia videntur quamuis sint solidæ virtutes) quasi linceos habet oculos: ad hoc respicit Abulens. cùm ait, *Sodomitæ increpabant Loth, quia ipse arguebat eos tanti sceleris, ideo dicebant quomodo tu in tantam prorumpis audaciam, venisti ad nos vt aduena; nũc autem vis iudicare nos? quasi dicerent: valde magna audacia.* Loth audaciæ arguunt, cum benignissimus fuerit, seipsos autem impudentissimos & nimium audaces non agnoscunt.

Alphons. Tost.

Voluptas nefanda, afflictio maxima.

118. *Recede illuc &c. Te ipsum magis quàm hos affligemus*, in quo cum, cùm sit patientissimus & diuinæ conformis voluntati, valetis affligere? & quid afflictionem nuncupatis? an domum illius combureretis, an filiabus eius mortem inferetis, vel vxori eius aliquod dedecus? non de hac afflictione loquuntur, sed de concubitu nefando, quo eum comprimere minantur; sic Abulens. *viros si non tradideris abutemur te, donec te occidamus, & sic magis te affligemus quam viros afflixeris:* vides quomodo voluptatem nefandam nomine afflictionis nuncupant.

Episcop. Abul.

Impudicus libidinem vitæ anteponit.

119. *Recede illuc teipsum magis quàm hos affligemus:* diximus ideo concubitum contra naturam afflictionem nuncupare, quia sciebant subire hanc impiam libidinem nihil molestius, sed si ita se res habet, quomodo alter in alterum hac ardebat venere & illicitis voluptatibus, ex quibus etiam ipsa mors sequebatur? quid respondeam nescio, nisi; quod impudicus libidinem vitæ etiam soleat præferre: sic annuit Abulens. *Sciebant isti infelices quod magna afflictio erat tantæ multitudinis improbam sustinere libidinem, quia ipsi in alterutrum continuè experiebantur, sed de hoc non curabant dum ipsi saltem nefandissimè delectarentur.*

Citat Abul.

Emendationem impius non sustinet.

120. *Recede illuc teipsum magis quàm hos affligemus*, nonne gratias agere Deo deberetis, pro admonitione vobis facta à Loth viro Dei? quomodo igitur ita ingrati, vt eam probris, contumeliis, & minis compensetis? quid dicemus? nisi impiam correctionem admittere nolle: quod obseruat Lippomanus dicens, *emendari non sustinet profectus à domino, impius enim cùm in profundum malorum venerit, contemnit.*

Lippoma.

Impius ex admonitione fit peior.

121. *Recede illuc te ipsum magis quàm hos affligemus*, quæso circunstantiam personæ inspiciamus, maius peccatum videtur velle abuti Loth viro iusto quã adolescentibus, vnde ergo tam peruersa voluntas & maior impietas? aliam conicere non possum rationem nisi ex admonitione sibi à Loth exhibita: impius enim ea fit occasionaliter peior, hoc enim est ingenium impiorum, quod semper peccata sua augent, & quod ex admonitione peiores fiunt, ac tum vel maximè ad malum currunt, quantumuis admoneantur & Deum & homines irrident & contemnunt.

Impius contumeliis iustos afficit.

122. *Recede illuc & rursus dixerunt, magis te quam hos affligemus*, cur addidit Moyses *& rursus*, cùm sufficeret scripsisse solùm, dixerunt? nota quod iam *& recede illuc*, dixerant; rectè ergo subiungit, *& rursus dixerunt magis te affligemus &c.* ad denotandum hominem impium non quibuslibet verbis, sed contumeliosis iustum prouocare: Fauet Caiet. *non sat fuit inquit reiicere preces, sed aggrediuntur ipsum contumelia præsumptionis.*

Card. Caiet.

Ex nobis supplicium, ad quod inferendum Deus tardissimus.

123. *Recede illuc, vimque faciebant Loth vehementissime*, nimirum turpes illi nebulones, æstu libidinis perciti, vim omnem expromunt, pars quidem nititur fores effringere, pars ipsum Lothum ad omne probrum abripere conatur: sed quorsum Deus omnipotens ita videtur dormiens, vt incendium portentosæ concupiscentiæ sinat tamdiu exardescere, quin potius vltricibus de cœlo flammis tam spurcam mortalium colluuiem tradat absumendam? scilicet tardo semper gradu ad vindictam procedit diuina iustitia tamquam ad opus sibi alienum, *enimvero Dei consilio, ita factum est* auctore D. Saluiano lib. 1. de Prouid. *cùm legeremus quã à Sodomis Angeli pertulissent, probaret vtique nobis Deus, quod ipse eos noluerit perdere, sed ipsi extorserint vt periret.*

Saluian.

Deus se iustè punire omnibus manifestum vult esse.

124. *Recede illuc, vimque faciebant Loth vehementissime*, cur permittit Deus vt impii & scelerati Sodomitæ, viro iusto vim inferant? vt hospitibus suis abutantur? non sine ratione, sed vt cognita eorum malitia & impietate, iustitia Dei omnibus appareret manifesta, sic Theod. q. 8. in Exodum *cùm Deus sit bonus expectat operum consummationem & ita omnibus ostendit quàm iuste puniat.*

Theodor. q. 8.

Maxima

Maximæ importuna libidinis tentatio.

125. *Recede illuc, vimque faciebant Loth vehementissime*, nonne eos arguerat & totis viribus obstiterat? ad quid igitur perseuerantes in praua voluntate, vim Loth inferre satagunt? ne mireris, quia tentatio libidinis sæpius repulsa & victa, nihilominus iterum atque multoties repullulat, obseruatio est glossæ interli. *quos tentatione libido superare non potest, grauioribus stimulis vrget.*

Glossa interl.

Vitium Sodomiticum etiam ipsis Dæmonibus exosum.

126. *Recede teipsum magis quàm hos affligemus*, scilicet vitio contra naturam: miror cum dæmones peccatoribus in suis exequendis impietatibus auxilium ferant, quomodo non legimus eos hisce scelestissimis Sodomitis auxilium dedisse, vt fores Loth infringerent perpetrandi turpissimi sceleris gratia? quia tanta abominatione dignum est huiusmodi crimen, vt etiam ipsi Dæmones videantur illud odio prosequi, & ab eo longius secedere, nobis fauet celeberrimus concionator nostri ordinis Robertus de Lytio Episcopus Aquinas sermone 9. de timore iudiciorum cap. 1. *abominabile vltra quàm dici potest est peccatum istud, adeo vt feratur à quibusdam ipsis Dæmonibus detestandum, nam inter Dæmones aliqui inueniri dicuntur qui dum vitium istud perpetratur, nullo pacto volunt esse præsentes.*

Noster Robertus de Litio Epis. Aquin. ser. 9. de timore iudiciorũ cap. 9.

Ita peccata grassantur apud malos, vt illorum reprehensores damnentur, non factores.

127. *Recede illuc ingressus es, vt aduena nunquid vt indices?* deinde, te ergo ipsum magis quàm hos affligemus: nonne potius gratias ei referre deberetis cùm vos à scelere reuocat, & vindictam exigere ab his qui tam nefandum crimen aggredi moliuntur? ita peccata hominum grassantur, vt illorum reprehensores damnentur non factores, *tanta* (inquit D. Aug. tract. 44. in Ioann.) *ibi nefandæ turpitudinis consuetudo erat, vt iam nequitia esset iustitia, & prohibitor potius reprehenderetur quam factor.*

S. Aug tract. 44. in Ioan.

V A R I E T A S   L E C T I O N V M   V E R S V S   X.

VVLG. Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Loth, & clauserunt ostium.

Sep. Extendentes autem viri ipsi manus, attraxerunt Loth ad seipsos in domum, & ostium domus clauserunt.

Chrys. Itaque viri manibus extensis attraxerunt ad se Loth, & ianuam domus clauserunt.

C O N C O R D I A.

IN nostro vulgato desunt duæ dictiones *in domum*, quas omisit, quia facile subintelligebantur, non enim potuerunt ad se Loth introducere, nisi in domum attraxissent.

E X P O S I T I O.

ET *ecce viri miserunt &c.* id est Angeli iam potestatem manifestantes, Loth in discrimine vitæ versantem aperto ostio domum introduxerunt, & iterum ianuam domus occludunt.

C O N C E P T V S   I N   H V N C   V E R S V M.

Cum adimplemus quod nostrum Deus maxime adiuuat.

128. ET *ecce miserunt viri &c.* cur Deus tunc potentiam Angelicam voluit declarari, cùm antea non esset cognita? reuoca in memoriam omni diligentia laborasse Loth, ne Sodomitæ domum suam ingrederentur hospitibusque suis vim inferrent: merito igitur tunc auxilium Loth tulerunt, quia cum adimplemus quod in nostra situm est potestate, tũc Deus maxime adiuuat, Sic D. Chrysost. *quia viderant iustum omne officium suum adimplesse, suam declarantes potentiam, suppetias ferebant iusto, cui vis fiebat ab illorum insania.*

S. Chrysost.

Cùm humanum auxilium deficit, adest diuinum.

129. *Et ecce miserunt viri manum*, nonne Loth ingredi domum suam poterat? cur igitur Angeli, vel Deus in illis, Loth attrahit, iterumque ostium claudit? ne simul introeant Sodomitæ: sine dubio iam non valebat vniuerso Sodomæ populo resistere, quin fores domus confringeret: rectè igitur tunc manum miserunt Angeli & introduxerunt ad se Loth, quia humano deficiente auxilio, diuinum adest. Sic Lipp. *tunc Dei auxilium incipit cùm desperatur de humano, cùm cernitur quàm nihil possit virtus humana, tunc inclarescit diuina.*

Episc. Lipp.

Virtutis præmium Deus differe nescit.

130. *Et ecce miserunt viri manum*, cur tam cito auxilium Loth dari voluit Deus? nonne adhuc differre potuit? vidistis Loth hospitalitatis virtutem declarasse suique illius etiam cùm vitæ periculo seruasse: quid mirum igitur cito Lothum compensasse; virtutis enim præmium minimè differri potest, fauet Chrys. *vides quomodo ille iustus statim hospitalitatis accepit mercedem.*

S. Chrysost.

Inuigilat Deus hospitio peregrinorum seruando.

131. *Et ecce viri miserunt manum, & clauserunt ostiũ,*

nonne dictum est præcedenti versu, quod Sodomitæ vim Loch inferentes, propè domus illius fores confregerunt? quomodo duo solùm viri obstitere multitudini totius ciuitatis, ita vt illæsum potuerint Lorh seruare, imo & domum illius claudere, ita vt nullo modo eam ingredi possent? nonne illa domus erat peregrinorum? non mirum igitur illius ianuam non fuisse contractam, inuigilat enim Deus hospitio peregrinorum seruando: annuit D. Ambr. lib. de Abr. c. 6. *munitur ita pietatis locus, vt inoffensa illic hospitalitas quoquo foret, vbi nec germanitas satis tuta fuit.*

D. Amb. lib. de Abrah.

Iustus tandem à periculis liberatur.

132. *Ecce viri miserunt manum & introduxerunt ad se Loth*, nonne erat ille Loth, qui multitudinem totius ciuitatis sibi aduersariam sentiebat, quique in periculo & discrimine vitæ versabatur? quomodo ergo illorum manus euasit violentiamque effugit duorum auxilio? quia iustus postquam pro virtute pugnauit, tandem ab imminentibus periculis liberatur. Sic D. Greg. ma. lib. 6. Mora c. 13. *quid est quod malis aduersantibus intra domum Loth reducitur & munitur? nisi quod iustus quisque dum prauorum insidias sustinet, imperterritus manet.*

S. Greg. l. 6. Mor. cap 13.

Quisquis cælestia & seipsum rectè considerat, detractorum dicteria facilè despicit.

133. *Ecce viri miserunt manum & introduxerunt ad se Loth*, iuxta anagogen exponit hanc historiam Greg. lib. 6. moral, c. 16. Sodomitæ qui ostium domus Loth quærunt, sunt detractores, qui vnde possint lædere proximum quærunt: cæterum cùm iam videtur esse in summo discrimine in domum adducitur, ex qua de causa? quia cùm vir iustus se videt iactare detractione, maledictisque proscindi, reducitur in domum, idest ingreditur secretum conscientiæ, & intima & diuina scrutatur; atque hac ratione liber & illæsus euadit; quia quisquis intima meditatur & cælestia rimatur ac Deum alloquitur intimis alloquiis, facilè despicit detractorum dicteria: ergo si vis contemnere quid alii dicant, teipsum intuere & cum Deo colloquere & rem transige; verba Gregorii infero. *Quid est quod malis aduersantibus intra domum Loth reducitur & munitur, nisi quod iustus quisquis dum prauorum iniurias sustinet, ad mentem reuertitur & imperterritus manet: Sodomitæ autem viri ostium in domo Loth inuenire nequeūt, quia corruptores mentium contra vitam iusti nullum accusationis aditum deprehendunt, percussique cæcitate, quasi domum circumeunt, quia inuidentes facta dictaque perscrutantur.*

D. Greg. Mag. lib. 6. Mor. cap. 16

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI.

VVLG. Et eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.

Sep. Viros autem qui erant ad ostium domus percusserunt in cæcitate à paruo vsque ad magnum, & defecerunt quærentes ostium.

Cald. Defatigatique sunt vt inuenirent portam.

Arias. Et viri qui ostia domus percusserunt in cæcitatibus à minimo vsque ad maximum, & laborauerunt ad inueniendum ostium.

Caiet. Et laxati sunt ad inueniendam portam.

Chrys. Et dissoluti sunt quærentes ianuam.

CONCORDIA.

VBi legimus in singulari percusserunt cæcitate, in Hebræo habetur in plurali, cæcitatibus, vt ostendat magna cæcitate fuisse perculsos, quod noster interpres non ita vertit, quia cæcitates non sunt in vsu apud Latinos.

EXPOSITIO.

ET *eos qui foris erant percusserunt cæcitate*, non priuātes eos potentia visiua, aut etiam visione quantum ad omnia, sed solùm quantum ad ianuam domus Loth, non enim illius magnitudinem, situm, figuram discernere poterant: hæc autem cæcitas partialis contingere potuit vel ex defectu productionis specierum visibilium ianuæ domus, quibus deficientibus, visio non producitur, vel ex defectu medii; potuit enim aër qui extrinsecus & proximè ianuam ambiebat, inde remoueri nullo alio corpore succedente, ita vt id spatium prorsus vacuum esset, vacuo dato visio contingere non potest, si quidem vacuum species accipere non potest, nec ad visum transmittere.

Ita vt ostium inuenire non possent, non ostium propriæ cuiusque domus, sed solum Loth quod antea confringere nitebantur, & intra quod Angeli manu prehensum Loth retraxerunt, in hoc igitur inueniendo maximè laborarūt, & quo nō reperto defatigati recesserūt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nihil prodest oculus corporis cùm oculus mentis excæcatus est.

133. EOs *qui foris erant percusserunt cæcitate*, cur potius cæcitate quàm alia pœna eos mulctauit? animaduerte ex peccato mentis oculum excæcatum fuisse: rectè igitur cæcitate percutiuntur, quia nihil prodest oculus corporis, cùm mentis oculus obtenebratus est: sic D. Chrys. *quoniam mentis eorum oculus excæcatus erat, propter hoc & visu priuati sunt, vt discant quod nihil sibi prosunt corporales oculi, si oculi mentis fuerint excæcati.*

Omnes culpæ participes, sunt etiam & pœnæ.

S. Chrysost.

134. *Percusserunt eos cæcitate à minimo vsque ad maximū*: cur hæc verba addidit Moyses, à minimo ad maximum? reuoca in memoriam dixisse, quod à puero ad senem vallauerunt viri ciuitatis domum Loth, vt vim

peregrinis

peregrinis inferrent: rectè igitur addidit non solùm percussisse eos, sed hanc cæcitatem contigisse à minimo vsque ad maximum, vt agnosceremus, omnes culpæ eiusdem participes, etiam & pœnæ fuisse, fauet cit. Chrysost. *quia conspirauerant in malitia & à malo conatu, neque senes neque iuuenes abstinebant, ideo omnes excæcati sunt.*

S. Chrysost.

In quo peccamus, plectimur.

135. *Percusserunt eos cæcitate*, cùm grauiores alias pœnas mererentur, cur sola cæcitate puniuntur? non enim condigna est eorum delictis, nota in visu maximè offendisse, cùm enim iuuenes formosæ speciei conspexerunt, illico eis abuti statuerunt: iustissimè igitur cæcitate feriuntur, vt pœna delicto respondeat, ita notat Procop. *qui præ foribus erant, cæcitate feriuntur, nam cùm antehac ad malum abusi fuissent visu nunc id facere inhibentur.*

Procop. Græcus.

Impius labor infœlici labore punitur.

136. *Percusserunt eos ita vt ostium inuenire non possent* sept. legunt & defecerunt quærentes ostium; vel vt habet Caldæus, & defatigati sunt, cur omnimoda cæcitate percussi non fuere, sed solùm partiali, scilicet quo ad ianuæ domus visionem: nonne delictum eorum potētia visiua priuari merebatur? nota quod si totaliter excæcati fuissent in inueniendo ostio, non defatigarentur: rectè igitur solùm ea cæcitate percussit, vt eorum labor impius in violentia Loth illata domum illius cùm effringere fores voluerunt, alio labore infœlici puniretur, mens est Abul. *valde ratione erat vt sic infœlices fatigarentur, quia si excæcati fuissent videntes se percussos, cessarent ab inquirendo viros: sed videbant omnia alia sicut ante viderant, solam autem portam non videbant, & sic continua solicitudine eam inueniendi fatigabantur, non dantes sibi requiem.*

Abulens.

Inuidus maximè cæcus.

137. *Percusserunt eos cæcitate vt ostium inuenire non possent*, miror ostium non inuenisse, non enim adeo cæci vt potentia visiua priuarentur, attrectare saltem domum poterant, sicque fores illius inuenire: aduerte per cæcos Sodomitas inuidos alienæ virtutis liuore obcæcatos intelligi posse, per domum Loth in qua hospitio recepti fuerant viri vel potius Angeli sanctissimi, virtutum receptaculum, scilicet homines iustos: rectè igitur cæcitate percutiuntur Sodomitæ, ita vt ostium nullo modo inuenire valeant, quia inuidus alienæ virtutis & laudis inuidentia tabescens obcæcatur, sèperque aditum quærit ad sanctorum hominum vitam & mores, dicta factaque eius criminanda, sed nihil facinorosum reperire potest, sic Sanctus Odo lib. 6. Mor. in Iob. c. 5. *Mens iniquorum hominum cum de aliena melioratione affligitur, de radio lucis obscuratur, qui quasi in nocte, sic in meridie palpant, quia dum bonum quod vident accusare nequeunt, cæcati malitia malum quod non vident accusare quærunt: bona etiam in proximis aperta vident, sed si quæ mala latent inuestigant, quod bene exprimitur cùm Loth protegentibus Angelis in domo eius Sodomitæ ostium non inuenerunt.*

S. Odo l. 6. Mor. in Iob cap. 5.

Magna Angelorum potestas.

139. *Percusserunt eos cæcitate*, quis ita viribus potens vt vniuersam ciuitatem obcæcare queat, nullo adhibito sensibili nocumento? nonne Angeli fuere percussores? magna igitur est eorum potentia & virtus, quam obseruans D. Ambr. lib. 1. de Abraham c. 6. ait, *Hic quidam mirabilis Angelorum declaratur potestas, vt offusa impuris cæcitate, non reperirentur domus ostia, quæ illi aperire cupiebant.*

D. Ambr. l. 1. de Abr. c. 6.

A

Libido maximè cæca.

140. *Percusserunt eos cæcitate, vt ostium inuenire non possent*, si antea huiusmodi ostium confringere conabantur, nec ab eo nunc longè distant, & potentia visiua gaudent, quomodo illud inuenire non possunt? sine dubio Sodomitæ vera sunt impudicorum figura: quid mirum igitur ostium præsens intueri non posse? quia ita obcæcata est impudicitia, vt etiam nihil omnino videat. Sic cit. Chrysost. *illud ostendit quia cæca est omnis libido & ante se non videt*, & Iacob. Mag. in suo Soph. c. 25. de Luxuria, ait: *Hoc habet luxuria, quod obcæcat, nec perpendit homo luxuriosus quod facit, amor cum periculo sæpe concordat, & dum ad illud solum vacat quod diligit, nunquam videt quod expedit, quia amor luxuriæ cæcus est.*

B

S. Chrysost. Iac Mag. in suo So. hologa 5 de Luxuria.

Libido mentem obdurat.

141. *Percusserunt eos cæcitate, ita vt ostium inuenire nō possent*, vel vt habēt 70. defecerunt quærētes ostiū, multo labore viam ingrediendi domū Loth quæsiere, sed infœlix eorum labor, si se cæcitate percussos agnoscunt, cur ad meliorem frugem non redeunt, ac ab opere peruerso non desistunt? non miror in impietate sua permanere, libido enim mentem semper obdurat: ita cit. Iacob. Mag. *ipsa (inquit) iuuentutis minuit decorem, infirmitates gignit, corpus sordidat, sensum obnubilat, mentem obdurat.*

C

Cit Iacob.

Sodomitico qui peccato fœdatur, ostium, quod est Christus, inuenire non potest.

142. *Percusserunt eos cæcitate, ita vt ostium inuenire non possent*, si Christus Dominus ostium se dicit Ioan. 1. & clamat, *venite ad me omnes*, qui nam ita infœlices qui huiusmodi ostium reperire non queant, cùm ad intrandum per illud inuitet? audi P. Damia opusc. 7. siue lib. Gomorrhiano. *Sodomitæ ad Angelos conantur violenter irrumpere, cùm immundi homines ad Deum tentant per sacri ordinis officia propinquare: sed hi profectò cæcitate percutiuntur, quia iusto Dei iudicio, in tenebras interiores cadunt, ita vt nec ostium inuenire præualeant, quia à Deo peccando diuisi, vnde ad eum reuertuntur, ignorant, qui enim non per humilitatis, sed per arrogantiæ & tumoris anfractus ad Deum accedere gestiunt, patet profectò quia vnde ingressionis aditus pateat, non agnoscunt, vel quia ostium Christus est, sicut ipse dicit, ego sum ostium, qui Christum peccatis exigentibus amittunt, quasi intrare cœlestium ciuium habitaculum non possint, ostium non inueniunt.*

D

Ioann. 1.

Per Damia opus. 7. c. 5.

E

Castitas bonorum adiutorio conseruatur.

143. *Percusserunt eos cæcitate &c.* scilicet Sodomitas, nonne erant iidem qui fores domus Loth totis viribus confringere conabantur? nonne textus de eis loquens ait, iam prope erat vt effringerent fores? quomodo nunc nec solùm ostium inuenire possunt? obiecta Lothū mentem castam designare, rectè igitur dicitur, quod Sodomitæ eam ingredi intentes, percussi sunt cæcitate, ita vt ostium inuenire non possent, quamuis antea ferè iam fores ab eis confringerentur, quia castitas cùm maximè periclitatur, à bonorum adiutorio conseruatur & defenditur. Sic glossa interl. *hoc in facto nobis insinuatur, quia cùm castitas penè vsque ad lapsum impetitur, sæpe bonorum adiutorio intra conscientiæ claustra inuiolata seruatur; quia aditus cordis con-*

F

Glossa int.

tra prauos motus rationis, ratione munitur.

Cùm pœnam exiguam sustinemus, ni emendemur, maximam tolerabimus.

144. *Percusserunt eos cæcitate.* si scelus dignum morte commiserant, cur eos mōrte violenta & infœlici in omnium exemplum & plurimorum emendationem non interficitis? cur longiorem vitam eos ducere toleratis? moriantur turpissimi Sodomitæ, & eorum memoria deleatur; hac leuissima cæcitatis pœna feriunt, vt ni emendentur, longè maiorem tolerent: annuit Lipp. *Angeli poterant homines occidere, sed reseruabantur alteri pœnæ.*

Lipp.

Maximum supplicium est videre quod nolumus, & non videre quod desideramus.

145. *Percusserunt eos cæcitate*, grauiori supplicio plecti deberent qui non solum ius hospitalitatis violant, sed etiam peregrinis abuti præsumunt, satis graui percussi sunt pœna, hac enim cæcitate conspiciebant quæ videre non curabant, non autem intuebantur quæ aspicere satagebant & præoptabant, quod grauissimum est. Fauet Aug. q. 43. in Genes. *Viros qui erant ad ostium domus percusserunt cæcitate, græci habēt ἀορασίᾳ*, quod magis significat si dici potest auidentia, quæ faciat non videri non omnia, sed quod non est opus.

Lipp.

S. Aug. q. 43. in Genes.

Cæcitas interior aliquando adducit exteriorem.

146. *Percusserunt eos cæcitate*, cur potiùs hac pœna plectuntur quàm alia? nonne alio potuerūt affici supplicio? nonne præ nimia libidine erant cæci in animа? non mirum igitur si percutiuntur cæcitate exteriore, cæcitas enim interior aliquando eam adducit, *qui libidine intus cæcierant*, inquit Oleaster, *non mirum si extra cæcitate oculorum percuterentur.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XII.

VVLG. Dixerunt autem ad Loth, habes hîc quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt, educ de vrbe hac.

Sep. Dixerunt autem viri ad Loth, sunt tibi hîc generi, aut filii, aut filiæ, aut si quis tibi alius est in ciuitate, educ de loco isto.

Cald. Quoscunque habes hîc generos tuos, & filias tuas, & omnia habes in ciuitate, educ de loco isto.

Arias. Dixerunt viri adhuc, quis tibi hic? generum & filios tuos & filias tuas & omnia quæ tibi in ciuitate educ de loco.

Vatab. vltra quis est tibi.

CONCORDIA.

IN Hebræo & apud Septuaginta habemus viri, quos noster Interpres omisit, quia facilè subintelliguntur.

EXPOSITIO.

DIxerunt autem ad Loth, reuelantes ei quod essent Angeli missi ad ciuitatem destruendam propter populi scelera.

Habes hic quempiam tuorum generum? non ex ignorantia hoc dixere, vt eum ad illos vocandos prouocarent, *aut filios aut filias*, Hebræorum est sententia filios habuisse; tamen constans sententia est Latinorum nullum tunc filium habuisse, sed filias, has autem virgines.

Omnes qui tui sunt educ de ciuitate hac, id est eos qui tibi coniuncti sunt, etiam affinitate, eos enim saluare intendimus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Hospitalitatem erga paucos remunerare Deus non differt multorum salute.

147. *Habes hic quempiam tuorum, educ.* nonne Loth sufficiebat solùm incolumē seruasse, cur etiam generos suos & filias suas? nota Loth aliquos hospites, & peregrinos excepisse, meritò igitur non vnum Loth, sed cum eo plures alios ab incendio liberare satagit Deus, quia hospitalitatem erga paucos maxima remuneratione compensare desiderat. Sic Chrys. *vide quomodo iusti hospitalitatem remunerent, & quomodo ei largiri velint suorum omnium salutem.*

Maximum hospitalitatis meritum.

148. *Habes hic quempiam tuorum &c.* certum hanc Angelorum interrogationem ex ignorantia non processisse; cur igitur dixerunt, habes hic tuorum quempiam, generum, aut filios, aut filias, cùm Loth non haberet nisi duas virgines? optima est responsio Dionys. Carth. *Hoc dixerunt* (inquit) *ad insinuandum tantam esse iustitiam Loth, quod propter merita illius Deus paratus fuit parcere omnibus ad ipsum Loth pertinentibus consanguinitate aut affinitate, ita quod cum Sodomitis non disperirent in plaga, quæ imminebat.*

S. Chrysost.

Dionys. Carth.

Deus vt virtutem remuneret, operibus vult comprobare.

149. *Habes hic tuorum quempiam &c.* quomodo Angeli domum Loth ingredientes, se Angelos esse non manifestant, nec aliquid ei timendum esse à Sodomitis, euasurúmque ciuitatis incendium pollicētur? quia Deus vt virtutem eius remuneraret, operibus, scilicet defensione hospitum, comprobatam voluit habere. Sic Procop. *nec prius Angeli allocuti sunt Lothum salutem promittentes, quàm summa eius in hospites obseruantia constituit ex sermone quem habuit cum impuris Sodomitis,*

Procop.

Ad

Ad sectandam hospitalitatem præmiis incitamur.

150. *Habes hic tuorum quempiam &c.* remunerat hic temporaliter Loth iusti hospitalitatem, sed qua de causa Moyses hoc præmium Loth collatum, salutem propriam suorumque posteritati scriptum tradidit? vt ad sectandam hospitalitatem saltem remuneratione futura alliceremur; ita noster Andreas, *omnia ideo facta & scripta sunt vt promiores efficiamur ad misericordiam, cum videamus eandem nedum in futuro sed etiam hic remunerari.*

Noster andreas N.cola Hungarus huc.

Qui à sceleribus recedunt, à pœnis liberantur.

151 *Habes hic tuorum quempiam, si quis alius est tibi in ciuitate educ de loco isto,* si dixerat Moyses omnes à puero vsque ad senem circundedisse domum Loth, vt peregrinis abuterentur, cur eorum aliquos saluos ab incendio pol... cum pœnas delictis debitas soluere debeant? audi glossam, *idcirco hæc effantur, vt ostenderent familiares Loth merito eius saluari posse, si voluissent cum eo à malis longe fieri,* hæc vltima verba considera, quasi eorum sensus esset, si à sceleribus recederent, à pœnis Loth merito liberarentur.

Glossa Ord.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIII.

VVLG. Delebimus enim locum istum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.

Sept. Quia nos perdimus locum hunc, quoniam exaltatus est clamor eorum coram Domino, & misit nos Dominus exterere illam.

Cald. Quoniam disperdemus nos locum istum, quia magnus est clamor eorum coram Domino

Arias, Quia disperdentes nos locum hunc, quia creuit clamor eorum coram Domino.

EXPOSITIO.

Delebimus *enim locum istum*, quasi dicerent, iam euersio Sodomæ differri non potest, *eo quod increuerit Clamor &c.* idest iam exigentibus tam impiorum hominum sceleribus, clamor enim hoc loco phrasi hebraica pro infamia & impudenti iniquitate capitur, perinde ac si diceretur, infamiam & rumorem Sodomitarum ad aures Dei peruenisse quod quidem dissimulari non potest.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peccator sibi ignem accendit quo flagrari debet.

152. *Delebimus locum istum,* scilicet igne ciuitatẽ deuastante, sed ô Angeli, quis hunc ignem accendet, quo omnia in cineres redigentur? responsio D.Salui. lib. 4. de ver. iudic. & prouid. Dei, maxime fauet, instituto ait enim, *diu flagitiosissimus ille populus ignem illum accenderat, quo peribat, & ideo completis iniquitatibus suis arsit flammis criminum suorum, tam male etiam de Deo meruit in gehẽnam quæ in futuro iudicio datur etiam in hoc sæculo sustineret,* sed prima exẽpde verba Saluia. nempe, *quod Sodomitæ ignem quo flagrari deberent accenderant suis scelribus.*

Saluian li. 4. de prou. Dei.

Ita Deus in punitionibus suis iustus, vt supplicij rationem præbeat.

153. *Delebimus locum istum,* qua de causa tot mortales igne consumentur? ait textus, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, id est propter peccata eorum, nonne hanc ciuitatem cum aliis, tua districtionis nulla assignata ratione, delere poteras, cùm nullus ignoret te iustissimum esse? dele igitur & incendij causam prætermitte: optime futuræ vastationis ratio subiungitur, vt agnoscamus in suis punitionibus iustissimum esse. Sic Chrysost. *causam afferunt iustam diligenter omnia docentes.*

S.Chrysost.

Tunc finaliter punit Deus, cum nullomodo à delictis reuocari nolumus.

154. *Delebimus locum istum,* parcite ciuitati, supplicium illius differentes, forte ad meliorem frugem reuocabuntur Sodomitæ: notate verba textus, eo quod increuerit clamor eorum, id est mensuram delictorum suorum impleuere: differri igitur supplicium non potest, quia tunc finaliter punit Deus, cum à delictis reuocari nolumus; *grandis* (inquit D. Chrysost.) *peruersitatis eorum magnitudo, & idcirco quia incurabilis morbus: & vulnus hoc nullam curam recipit misit nos Dominus vt exterreremus eos.*

S.Chrysost.

Deus tempus iudicij sui non reuelat, nisi propter electorum salutem.

155. *Delebimus locum istum,* delete nulla admonitione facta; cur enim futurum Dei iudicium quod celari deberet, esse aperitis? cum finale nullus cognitum habeat, quoad diem vel horam. Aliquando Deus tempus iudicij suis patefacit, sed propter electorum salutem, quod obseruat Thom. Angl. *nota* (inquit) *quod licet Deus communiter non reuelet horam secretorum iudiciorum suorum, quantum tamen expedit imminenti saluti electorum*, hic pro loco & tempore.

Thom. Angl.

Deus prouidentissimus etiam in puniendo.

156. *Delebimus locum istum &c. qui misit nos vt perdamus illos*, in Hebræo est & misit nos Iehoua ad perdendum eum, cur in destructione Sodomæque incendio, Deus sibi nomen Iehoua fontem essendi assumit? sine dubio vt significat se etiam vitam hominum sceleratorum adempturum, eosque puniturum, ita Caiet. *reperitur hic tetragrammaton, ad explicandum quod ille qui fons est essendi, curam habet singularium hominum, & actionum humanarum, & non solum dat esse, sed etiam tollit esse hominum quorundam, propter peccata eorum.*

Card. Caiet.

Magna est iustorum Deo cura.

157. *Delebimus locum istum*, cur monet se ciuitatem deleturos, vt scilicet fugeret Loth incendium: tanti æstimaturne Loth, vt propter eum Angelos mittat futurum excidium nuntiantes? tanti, maxime enim iustorum salutis sollicitus est Deus, sic Cat. Græ. *in flagitiorum excessu non parcit Deus propter bonos, sed iustum segregat ne pereat cum impio.*

Cat. Græc.

Obstinatis non quælibet perditio sed omnimoda contingit.

158. *Delebimus locum istum*, nonne sufficiebat dixisse puniemus, vel vastabimus, cur igitur hoc verbo & modo loquendi vtuntur, scilicet *delebimus*? obserua nihil illius quod deletur remanere: non sine ratione igitur cùm loquuntur de Sodomitarum excidio, hoc verbo *delebimus* vtuntur, vt significent, non quamlibet perditionem, sed omnimodam imminere: ita Ferus, *non simpliciter dicunt puniemus, sed delebimus, vt nulla spes reædificandi sit, id quod & factum est: nam eo loco nunc est mare mortuum, sic impiis obstinatis non simplex aliqua, sed omnimoda perditio reseruatur.*

Noster Ferus.

Angeli sunt maxime beneficiorum memores.

159. *Delebimus locum istum*, monent se Sodomam deleturos, vt Loth generos, & filias secum incolumes seruet; sed qua de causa tanto fauore Loth prosequuntur, vt non solùm eum, sed familiam suam ab incendio liberare satagant? obserua eos hospitio exceptos, etiam cum periculo vitæ Loth recte igitur eum & familiam suam liberare pollicentur, vt beneficium, tanquam illius memores, alio beneficio compensent, sic Ystella, *iam se amplius Angelos Dei manifestant, & de generis & filiis interrogant, vt grati animi beneficium in Loth magis ostendant dum eius causa, si non renuissent, saluarentur.*

Ludouicus Ystella.

Deus omnia tentat ne puniat.

160. *Delebimus locum istum*, cur Dei consilium manifestum facitis? insuper si misit vos Deus, vt Sodomitas perderetis, cur permisit, vt moneretis? nisi quia nolebat perditionem eorum, & ideo antequam sententiam executioni mandaret, voluit priùs modum tentare, si fortasse aliqua via posset inueniri vt vel saltem non omnes perirent: sic Orig. Hom. 1. in Hierem. *quod erat suum fecerunt Angeli, volentes eos saluari qui se indignos salute iudicauerunt, neque vero non ignorabant non eos esse secuturos Loth, sed ostenderunt suam pariter & eius qui eos miserat benignitatem in homines & amorem*; optime, cùm vere nulla in re sic Dei amor ostendatur, quantum in præuentione, qua hominem præuenit ante supplicium, ita vt eodem prorsus momento præuentionem statuat, & monitionem.

Orig. Hom. in Hierem.

Angeli maximè hominum miserentur.

161. *Delebimus locum istum*, cur antequam dixeritis hanc ciuitatem deleturos, inquisistis à Loth, an aliquem generum, aut filios haberet, vt ex vrbe educeret, cùm filios non habere sciretis? vt summam erga homines compassionem & miserationem declararent, cùm & eos qui non sunt, si præsentes adessent, vellent saluari: sic sanctus Victor, ser. 9. in Apoc. *ex his discimus quanta diuinorum Angelorum sit miseratio, quantaque eorundem erga homines humanitas, etenim ad Dei imitationem miseretur hominum qui durius propter peccata excipiuntur.*

S. Victor. serm 9 in Apocal.

Angeli cùm tenentur supplicium obstinatis inferre, illud si possunt subleuant.

162. *Delebimus locum istum*, si tanto amore hominum genus prosequimini, quomodo in illud ita seueri, vt tot ciuitates funditus delere velitis? sed ne eorum erga nos amorem accusetis, si enim supplicium Sodomitis inferre iubentur, illud, si in eorum situm est potestate subleuant & minuunt, Fauet cit. Victor ser. 2. in Apocal. *Angeli harum rerum scilicet suppliciorum administri, tanquam misericordes condolentesque medici, dum ad Christi exemplum cauteriaque & sectiones illis adhibent, qui grauiori morbo peccatorum tenentur, aut omnino curant morbumque profligant, aut ignauis certe ingratisque hominibus futurum supplicium nonnihil subleuare moderatiusque reddere satagunt.*

S. Victor serm. 2. in Apocal.

Angeli in irrogandis suppliciis peccatoribus Deo seruiunt.

163. *Delebimus locum istum*, si cuilibet populo custodiæ vnus constitutus est Angelus, teste D. Epiph. in panario relato ab Anastasio Niceno q. 61. cur hi Angeli duo hanc ciuitatem & alias dicunt se deleturos, eruntque aliorum aduersarij? non quod vt aliis offensi, sed vt Deo seruientes, supplicia peccatoribus irrogant, ita Victor ser. 21. *subseruiunt Angeli ad supplicia, qui disciplina & castigatione indigent irroganda, à Deo constituti.*

Anast Nic. q. 61.

Cit Victor. serm 21.

Angelus à nobis recedit propter peccata.

164. *Delebimus locum istum*, si cuilibet ciuium Sodomæ destinatus est Angelus ad custodiam, quomodo cùm solùm sitis duo Angeli, eos delere poteritis? quilibet enim eorum Angelorum quemlibet sibi commissum ciuem proteget: facile hi duo ciuitatem cum omni populo delebunt, quilibet enim Angelus eis destinatus, propter scelera ab eis recedet. Sic D. Basil in Psal. 33. *cuilibet credenti in Dominum assidet Angelus, nisi nos ipsum per mala opera effugauerimus: nam sicut apes fugat fumus, & columbas abigit malus odor, ita etiam vita nostra custodem Angelorum abducit, & amouet lachrymabile fœtidumque peccatum.*

D. Basil in Psal. 33.

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIV.

VVLG. egressus itaque Loth locutus est ad generos suos, qui assumpturi erant filias eius, & dixit, surgite egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc, & visus est eis quasi ludens loqui.

Sept. Locutus est ad generos suos qui acceperant filias eius, & dixit, surgite, & egredimini de loco hoc, quia disperdit Dominus ciuitatem; visus est autem ludere coram generis suis.

Cald. Et fuit quasi ridiculum in oculis generorum suorum.

Arias Locutus est ad generos accipientes filias suas, & dixit, surgite egredimini, quia disperdens Dominus ciuitatem, & fuit sicut ludens in oculis generorum suorum.

Chrysost. Locutus est generis, qui acceperant filias eius, & dixit, surgite & exite de hoc loco, quia exterit Dominus ciuitatem, visus est autem ridicula loqui cum generis suis.

Ambr. visus est autem derideri coram oculis suis.

Hiere. Locutus est ad sponsos qui accepturi erant filias eius.

CONCORDIA.

NEc præteritum nec futurum tempus describitur in Hebræo, sed nomen verbale, tanquam diceretur, acceptores filiarum eius; nihilominus non est discordia inter vulgatum interpretem dicentem, qui accepturi erant filias eius & septuaginta legentes qui acceperant filias eius, nam septuaginta solum significant eas accepisse compromisso & promissione.

EXPOSITIO.

QVi accepturi erant filias suas, de filiabus loquitur, quas antea virgines dixerat quæ istis desponsatæ nondum traditæ erant in vxores, *surgite* pars enim noctis transierat, iacebātque in lecto, *& visus est eis quasi ludens loqui*, hebraismus, id est existimauerunt serio non loqui, sed ioco, vnde verba eius parui penderunt, ludicra reputantes, quasi more solito minaretur inaniter.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustos affinitatem cum impiis habere non permittit Deus.

163. *Locutus est ad generos suos qui accepturi erant filias suas*, cur eas matrimonio non iunxerat cum illis? cur coniugium distulit perficere? obserua hos viros etiam impios fuisse, si quidem admoniti de salute sua, Loth subsannarunt: non sine ratione Deus noluit filias Loth matrimonium contrahere, cum huiusmodi hominibus, iustos enim cum impiis habere non sinit affinitatē, sic Chrysost, *Vide quomodo è malo fermento erant isti, & propterea volens Deus statim liberare iustum ab illorum affinitate, non permisit eis commisceri filiabus iusti.*

Chrysost.

Iustus ita eorum qui sibi aliquo modo coniuncti sunt salutis sollicitus est, vt omnia tentet ad eos liberãdos.

166. *Locutus est ad generos suos, surgite egredimini de loco isto*, si diximus hos etiam scelere contaminatos fuisse, cur eorum salutem ita satagit, vt medio tempore noctis, forte cum periculo vitæ (Si enim à Sodomitis inuentus fuisset, forsan ei non pepercissent) domos eorum petat? diximus eos illius fuisse generos; non mirum igitur ita laborare pro eorum libertate, quia iustus ita eorum, qui sibi aliquo modo coniuncti sunt, salutis sollicitus est, vt omnia tentet ad eos periculo liberandos, ita Chrys. *Iustus quod suum erat faciebas, & quia semel illis filias desponsarat voluit eripere.*

Cat. Chrys.

Consuetudo peccandi difficile vincitur.

167. *Locutus est ad generos suos & visus est eis quasi ludens loqui*, quomodo optimo iusti consilio non acquieuistis, imo eum subsannatorem existimantes, ab incendio ciuitatis futuro liberari noluistis? diximus peccatis deditos: ideo igitur veritatem verborum eius aspernati sunt, quia consuetudo peccandi mentem obtenebrat, ita Dion. Carthus. *vinxerat & vicerat illos pessima consuetudinis amor.*

Dionys. Carthus.

Iudicium Dei ab impiis deridetur.

168 *Locutus est ad generos suos & visus est quasi ludēs eis loqui*, vobis futurum ciuitatis excidium annuntiat, iam in foribus iudicium est Dei, quomodo vobis videtur quasi ludicra loqui? subsannare Loth existimant, quia iudicium Dei sibi annuntiatum ab impiis deridetur, *per istos* (inquit Lyran) *designantur peruersi & in peccatis obstinati, qui quando audiunt comminationes de districtione futuri iudicii, reputant quasi trupham.*

Lyranus.

Punitionem suam iustissimam esse vult Deus manifestare.

169. *Locutus est ad generos suos, surgite, egredimini*, si Deus præuiderat generos Loth eum irrisuros, nec ab vrbe discessuros, cur eis annuntiari imminens vrbis excidium voluit? nota quod Deum crudelitatis potuissent aliqui accusare, si nulla monitione, vtrum aliqui resipiscere vellent, necne, ciuitatē deleuisset; merito igitur voluit Deus Loth generos suos allocutum fuisse, deprecatúmque vt saluarentur, vt si postea cum aliis miserè perirent, iustissimam Dei punitionem manifestam & compertam haberemus: ita Caiet. *ne quispiam diceret quod multi viri probi erant in ciuitate, qui si moniti fuissent resipuissent, misit per Angelos suos Loth iustum ad monendum eos, quod verisimile erat (propter hoc quod Loth iustus elegerat eos in generos) esse viros probos, vt etiam hinc elucesceret inquisitionem omnis ex parte factam.*

Card. Caiet.

Deus excæcat impios propter sua scelera ne quod sibi conueniens est agnoscant.

170. *Locutus est ad generos suos et visus est eis quasi ludens loqui*, quomodo tam sanum viri iusti consilium non admisere, sed è contra eum insanum arbitrati sunt? quid dicam? nisi quod aliquando Deus impios excæcat, ne quod sibi conueniens est agnoscant, *licet Deus* (inquit Abulens.) *vt gratiam faceret Loth, permittebat eum vocare generos suos, tamen quia peccata sua ad summitatem deuenerant, exigentibus sceleribus excæcauit eos ne sanum consilium auscultarent, sed putauerunt quod Loth ebrius erat & ludebat.*

Obstinatus nec precibus commouetur.

171. *Locutus est ad generos suos & visus est eis quasi ludens loqui*, cur precibus non solum non obtemperatis à vobis salutem vestram exigentibus, imo vos deprecantem irridetis? maiori irrisione, imo potius commiseratione digni estis, qui ita excæcati, vt periculum vitæ imminens vitare nolitis; precibus saltem Loth concedite vestram ab incendio ereptionem. Sed ita obstinati sunt in peccatis vt nullis precibus commouebuntur: vnde admiratus D. Chryso. eorum ingentem proteruiam ait, *cùm audirent à Iusto terribiles minas quasi subsannabant, putabant deliramenta esse quæ dicebantur.*

D. Chrys.

Quos Deus nullis satiari peccatis conspicit, negligit.

172. *Locutus est ad generos suos, surgite, egredimini*, quomodo ô Loth, alios Sodomæ ciues negligis, vt eos salutis suæ non moneas, sed immonitos vitæ suæ periculo imminenti relinquis? quia quos Deus non satiari peccatis (quales erant Sodomitæ) conspicit, negligit: de quibus peccatoribus loquens Theodor. in Ierem 8. *equus impetu vtens & hinnitu exhausto, labore sudat, hi vero nullam malorum capiunt satietatem.*

Theod. in Iere. cap. 8.

Peruersa consuetudo immedicabilis est.

173. *Locutus est ad generos suos, surgite, egredimini*, sed illis, è contra inquit textus, visus est ludens loqui, hominis iusti preces vos commouere deberent, vt surgentes vitæ vestræ consuleretis, vel saltem sponsæ futuræ quarum iacturam facietis. Sed nihil horum à peccatis surgere permittit, peruersa enim eorum in peccato consuetudo, insanabilis est: quod obiectat D. Ambr in Psal 118. *an ignoramus quod tantam vim habeat inueterata consuetudo peccandi, vt excludat naturam, quæ cum sit medicabilis, ad salutem tamen corroborata, tempore passionibus immedicabilis inuenitur.*

D Amb in Psal. 118.

Peruersus & impudicus amor, sibi rectè consulentem insanum existimat.

174. *Locutus est ad generos suos, visus est eis quasi ludens loqui*, cur quasi ridens vobis quod vtilissimum est, consulens, videtur? an eum mente captum existimatis, vt media nocte futurum excidium annuntians surgeret? Surgite igitur & cum eo simul ciuitatem egredimini, ne illius ruina inuoluamini, sed tam pertinax voluptatū amor in illis inoleuerat, vt quisquis illos inde vellet euellere, hoc ipso illis ebrius & insanus videretur.

Mala consuetudo mentem obtenebrat.

175. *Locutus est ad generos suos, visus est eis quasi ludens loqui*, vnde nam colligitis eum non serio loquentem, sed irridentem? an expertum habetis virum esse non veritatis, sed irrisionis amatorem? minime quidem, quomodo ergo quod sanum consulit non admittitis, imo subsannando renuitis? quia mala in peccatis consuetudo mentem eorum obtenebrauerat, ne veritatis lucem conspicerent, vnde D. Chrys. ho. 42. in Gen. *malitia obtenebrat rationem, & eum qui semel à via est auersus, in præceps ferri potest.*

D Chrif. hom. 42. in genes.

Iustum accusari aliquo crimine non permittit Deus.

176. *Locutus est ad generos suos dicens, surgite*, cur monuerunt Angeli Loth, vt generos suos saluti suæ prouidere sollicitaret, cùm oleum & operam in eis admonendis non ignorabāt perditurum? cur etiam Deus ordinauit filias Loth tradi huiusmodi viris, qui incendio communi perire deberent? audi respondentem D. Ambr. lib. 1. de Abra. ca. 6. *munitur pietatis locus quod manifestata sibi per Angelos totius regionis euersione, & generos habere Loth sanctus inducitur & monere eos vt fugerent, simul ne differendo eos nec admonendo minus pius videretur eua filiarum maritos, vel erroris earum causa ipsi assignaretur, quæ destituta virili consortio, concubitum inebriati expetissent parentis, non ergo indefensum sinit scriptura virum sanctum relinqui, cum in ea tradidisse maritis filias & monuisse generos inducitur.*

D Amb. lib. 1. de Abrah. cap. 6.

Impudicitia, omne quod peius est, producit.

177. *Locutus est ad generos suos, visus est eis quasi ludens loqui*, nihil sane peius quàm bene admonentem irridere, signum enim reprobationis non solum monitiones contemnere, sed & subsannare: quomodo ergo, ô generi Loth, cùm vestræ salutis procurandæ admonitio datur, & ab vrbe scelerata & impia recessus persuadetur, talem hæc dicentem insanum nominatis? ne mirere; impudici enim (quales erant generi Loth) omne quod pessimum est producunt, *impudicitia* (inquit sanctus Zeno de pudi.) *per momenta parit omne quod malum est, & peperit omne quod peius est.*

S Zeno ferm. de pudic.

Ex impudicitia infidelitas.

178. *Locutus est ad generos suos, visus est quasi ludens loqui*, missus est Loth ab Angelis, vt egredientes ex vrbe ab incendio illius salui & incolumes euaderent quomodo vobis id non persuasit? quomodo dictis eius fidem non habetis? quia ex eorum impudicitia, infidelitas, *indurati* (inquit Lippo.) *& perfidi emendari nolebant, ideo ridebant Dei verbum, infidelitatem aliis criminibus addentes.*

Lippom.

Malum exemplum impiorum ad sanctos seducendos plurimum aliquando valet.

Locutus est ad generos surgite &c. conuenientes Angeli Sanctum Loth monuerunt de vrbis incendio, & ad fugam capessendam hortati sunt, credidit statim, & fugam meditatur, generi Loth exceperūt eum cum risu, visus est eis quasi ludens loqui. Caldeus paraphrastes transfert, & fuit quasi ridiculum in oculis generorum suorum, deinde ait: dissimulante illo apprehenderunt manum eius, eduxerunt eum; nonne sponte tua, imo celeriter egrediebaris? quomodo nunc fugam dissimulas, quasi ab vrbe volens recedere? nonne irriserunt excidium ciuitatis generi? en quomodo malum exemplum morum quasi eum induxit ad non credendum: ita Thom. Anglicus *forte ex irrisione generorum suorum obscurata fuit fides Loth.*

Thom. Angli.

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Cúmque esset mane, cogebant eum Angeli dicentes, surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.

Sep. Postquam autem diluculum factum est, vrgebant Angeli Loth dicentes, surgens accipe vxorem tuam & filias tuas quas habes, & egredere, ne tu etiam perdaris simul cum iniquitatibus ciuitatis.

Cald. Et cùm ascendisset aurora, & esset mane, coegerunt Angeli Loth, dicentes, surge & tolle vxorem tuam & duas filias tuas, quæ inuentæ sunt tecum, fideles, ne forte percutiaris in peccatis ciuitatis.

Arias. Vim faciebant Angeli in Loth, dicendo, surge cape vxorem tuam & duas filias tuas inuentas, ne forte consumaris in iniquitate ciuitatis.

Caiet. Cúmque esset aurora sollicitauerunt Angeli Loth.

Vatab. Cùm primum diluculauit cogere cœperunt ne forte puniaris in punitione ciuitatis.

Chrys. vbi autem mane factum, studiosè adhortati sunt Loth.

CONCORDIA.

משחר Muschar non solum auroram, diluculum, sed & mane significat, vtrumque autem Caldæus posuit, vbi autem legimus, *quas habes*, in hebræo legimus *inuentas* subintellige tecum, quod doctissimè exposuit versio Caldaica, quæ inuentæ sunt tecum fideles, ex vi vocis Hebraicæ hauon, id est scelus; hîc pro punitione sceleris intelligendum putauit Vatablus.

EXPOSITIO.

CVmque esset mane, id est aurora exoriente, *cogebant eum Angeli*, volentes diuinum mandatum exequi, *surge, tolle vxorem tuam* &c. cùm solum Loth vxor & duæ filiæ crediderunt Angelis, ipsi incolumes euaserunt, nam generi, famuli, & ancillæ Loth non credentes, sed in Sodoma manentes, cum aliis combusti sunt; *ne & tu pereas pariter in scelere ciuitatis*, id est ne simul inter sceleratos pereas, scelus enim pro scelerato sumitur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustus orationi vacat pro aliorum salute obtinenda.

179. *Cúmque esset mane*, cur obseruat matutinum tempus fuisse, cùm Angeli compulerunt vt simul cum familia egrederetur è ciuitate ne cum aliis incendio combureretur? sine dubio vt intelligeremus noctem insomnem duxisse in oratione pro salute populi Sodomitici deprecantem *tota nocte* (inquit Lyranus) *fuerat deprecatus in oratione pro populi liberatione.* (Noster Lyranus.)

Tanta sunt aliquando hominum scelera, vt oratio iustorum nihil efficiat pro remittenda pœna illis debita.

180 *Cùmque esset mane*, diximus solùm aurora elucescente Angelos compulisse Loth è ciuitate egredi, quia noctem in oratione, pro salute populi Sodomitici consumpserat: si igitur ita perseuerans illius oratio, quomodo cùm dixerit Deus, quidquid petieritis fiet vobis, illius pœnæ relaxationem non obtinuit? quia tanta sunt aliquando hominum scelera, vt oratio etiam iustorum nihil efficiat pro pœna remittenda illis debita: sic Abul. *non exaudiuit Dominus, quia peccata eorum completa erant, quæ diuinam indignationem merebantur.* (Abulens.)

Iustus ita salutis aliorum solicitus, vt ab ea procuranda difficile duellatur.

181. *Cúmque esset mane cogebant eum Angeli dicentes surge*, vel vt Hebræus habet, vim faciebant, ita vt propriæ vitæ immemor Loth, necesse fuerit ei vim inferri, vt à ciuitate iamjam delenda egrederetur: parce saltem vxori & filiabus, si vitæ propriæ consulere negligis: obserua (vt dictum est) tempore noctis orationi instantem fuisse, vt imminentem ruinam à populo repelleret, vis igitur inferenda & ab Angelis cogendus, quia ita salutis aliorum solicitus vt ab ea procuranda, difficile auellatur, etiam propriæ imminente periculo vitæ, sic obseruat Abul. *Loth exire dissimulabat vt magis Deum exoraret, si forte exaudiretur.* (Cit Epis. Abul.)

Angeli Deo obsequentissimi.

182. *Cúmque esset mane cogebant eum Angeli*, differre paulullum, nondum sol oritur, sed solùm elucescit aurora, requiescet à nocturno labore generos deprecabitur, vt suæ velint consulere saluti, si autem fidem ei non adhibentes, in incredulitate futuri excidii permanserint, tunc tandem egredietur, meritò eum compellunt vt Dei iubentis vrbem delere, monitis obtemperent: ratio est nostri Lyrani, *cogebant eum Angeli diuinum mandatum exequi volentes.*

Qui impiorum societate gaudet, eorum sceleris videtur esse particeps.

182. *Cumque esset mane cogebāt eum &c. Ne & tu pereas pariter in scelere ciuitatis*, quamuis ô Angeli, Loth ciuitatem non egrederetur, sed cum Sodomitis periret, quomodo in scelere ciuitatis interficeretur? numquam eorum delictis consensum præbuit, imo eos obiurgauit ne vlterius in peccatis perseuerarent : Audi quæso Thom. Angli. satisfacientem difficultati, *nota* (inquit) *quod si non vellet iuxta praeceptum Angelorum inde exire, non solùm dicitur periturus, sed periturus in scelere ciuitatis, quia sicut communicare excommunicatis cum suis participantibus, inducit crimen participationis, & pœnam excommunicationis: sic & in proposito, ita quod præter peccatum incredulitatis & contemptus tanti beneficij sibi à Deo oblati, videtur quodammodo fauere, & consentire illorum sceleri damnato.*

Thom. Anglic.

Iusto inobedientes miserè pereunt.

183. *Cumque esset mane cogebant eum, surge, tolle vxorem & duas filias quas habes* nōne generi etiam si in ciuitate permaneant, ab incendio possunt liberari? Scio te dicturum, quod propter plurima quæ admiserunt crimina, dignos fuisse morte: sed iterum addo, quamuis nullis criminibus fuissent obnoxii propter inobedientiam, qua Loth prouocanti vt ab vrbe exirent, fuere rebelles, etiam miserè perire cum Sodomitis merebantur. accipe testem D. Chrys. *te ipsum serua & vxorem & filias, illi enim qui noluerunt admonitioni tuæ parere, non longe post erunt participes communis interitus.*

S. Chrysost.

Maxime aliorum insistendum est saluti.

184. *Cumque esset mane cogebant eum n. Angeli*, quibusnam negotiis noctem transegisti itaut aurora elucescente nondum egressus ciuitatem fueris? quamuis dictum sit orationi vacasse vt populi condonationem acciperent; hanc iterum admitte responsionem, scilicet totum tempus nocturnum saluti generorum consumpsisse, persuadendo vt ciuitatis excidium fugerent, sic annuit D. Amb. lib. 10. de Abrah. c. 6. *visum est illis quod derideret eos, & tamen adhuc morabatur Loth vt persuaderet generis suis & pœne non profectus non euasisset nisi vrgentibus Angelis.*

S. Ambr. lib. de Abr. cap. 6.

Iudicium Dei differtur, sed tandem euenit.

185. *Cumque esset mane cogebant eum ô Angeli*, nonne paulisper expectare in vestra situm est potestate? ne ergo hominem maximè oppressum tristitia tum propter ciuitatis euersionem, tum propter generorum iacturam, properanter exire cōpellatis; expectare nullomodo possunt, quia iudicium Dei dilatum, tandem euenit irreuocabiliter, quod annuit Lipp. dicens, *tardauerat vindicta Dei, periodus expectanda iam aderat, quam præteriri impossibile erat.*

Lippom.

Diuinæ gratiæ opus à malis recedere.

186. *Cumque esset mane cogebant eum*, scilicet exire: cur notat sacer textus, quod mane eum à ciuitate secedere compellunt? per matutinum tempus potest intelligi inspiratio diuina vel illustratio, teste Hyeron. Laureto in Syiua alleg. totius sacr. script. rectè igitur compellunt mane à Sodoma abire, quia diuina gratia indigemus vt à peruersorum societate separemur. Fauet glossa inte. lin. *manè cogebant quia opus diuinæ lucis est à malis recedere.*

Hiero. Laur. in silua alleg.

Glossa interl.

Castitas ab igne liberat.

187. *Cumque esset mane cogebant eum Tolle duas filias quas habes*, cur addidit *quas habes*? ait D. Hieronymus in qq. Hebr. in Genes. aliqui asserunt alias habuisse matrimonio copulatas, vnde quidam verterunt quas præsentes habes domi, ad differentiam aliarum quæ cum sponsis in aliis domibus degebant: quo supposito, quomodo potius filiæ quæ cum Loth manebant ab incendio liberantur aliis pereuntibus? nescio an audeam dicere quod intuitu virginitatis hæ duæ solum liberantur, fauet aliquomodo Rab. Maurus lib. 2. in Gen. c. 25. *nonnulli arbitrantur illas quæ viros habuerint in Sodomis remansisse, & eas exisse cum patre quæ virgines fuerint.*

Rab. Maur. lib. 2. in Genes. cap. 25.

Veri fideles aliis pereuntibus in finali iudicio saluantur.

188. *Cumque esset mane cogebant eum, Tolle vxorem & filias, ne tu pariter pereas in scelere ciuitatis*, quid nobis mysticè designatur solum Loth, cum vxore & filiabus flammas ignis euadere, aliis omnibus consumptis & in cinerem redactis? sine dubio hoc iudicium particulare per ignem contra Sodomam & alias ciuitates vniuersale designat, Loth cum suis, veros fideles, vnde lectio Caldaica sic legit, & duas filias tuas quæ inuentæ sunt tecum fideles: cur non dicemus igitur solos veros fideles saluandos in finali iudicio omnibus aliis miserè pereuntibus, designari? sic Isid. Hispal. *Loth frater Abraham iustus & hospitalis in Sodomis, qui ex illo incendio quod erat similitudo futuri iudicii meruit saluus euadere, typum figurabat corporis Christi quod in omnibus sanctis & nunc inter iniquos & impios gemit, quorum factis non consentit, & à quorum permixtione sæculi in fine liberabitur, illis damnatis supplicio ignis æterni.*

Isid. Hisp. in Gen.

Deus omnibus modis procurat peccatorum conuersionem.

189. *Cumque esset mane cogebant eum*, cur omnibus inspicientibus, Loth educere cogitatis? si enim nocturno tempore nondum cognita vestra pulchritudine domum vestram circumdederunt, vt vobis abuterentur, an decoram faciem intuentes existimatis vobis violentiam non illaturos? ne ergo diluculo per ciuitatem cum Loth statuatis incedere? sic statuit Deus in luce Sodomam deserere Loth, vt à Sodomitis conspectus commoneret eos excidii futuri, vt contritione & pœnitentia Deum flecterent fauet Ferus dicens, *in luce enim educunt, hoc est apertè non occultè, vt vel sic Sodomitæ admoneantur non frustra iustum ab ipsis fugere.*

Noster Ferus.

Filiarum salus, quia patris oculos non declinant.

190. *Cumque esset mane cogebant eum tolle vxorem & filias tuas quas habes*, cur addidit filias quas habes? hoc enim omnino superfluum videtur, si enim filiæ alterius essent, non esset dicendum tolle filias tuas, difficultas augetur ex paraphrasi Caldaica, tolle filias quæ tecum fideles inuentæ sunt, cur ratio salutis vxoris illius non proponitur quod inuenta fuerit fidelis, sed solùm fidelitati filiarum tribuitur earum salus. forte saluatur vxor; vel solùm quod vxor Loth sit, verum filiæ vt salutem acquirant, non sufficit quod sint filiæ eius, sed vltra hoc insinuatur ratio specialis salutis, nimirum, quod inuentæ sunt fideles: vbi acutè Caiet. *tanquam & istæ filiæ rebellæ fuissent nisi inuentæ fuissent,*

Card. Caiet.

cum Loth, saluauit filias quod fideliter fuissent sub oculis & cura parentum.

Peccati & pœnæ nexus.

Cumque esset mane cogebant eum, surge tolle vxorem tuam & duas filias quas habes, ne & tu *pariter pereas in scelere ciuitatis*, hîc scelus sumitur ab interpretibus pro culpa, sed pluribus alijs videtur quod de peccati supplicio & pœna intelligitur, vt hanc sententiam verba hæc reddant, excute iam te & moras tolle, à Sodomis discede, ne in eius punitione pereas, cum iam iam igne conflagrandæ essent illæ ciuitates, Oleast. hic calculum adiicit, legit enim ne forte deficias in iniquitate ciuitatis, addit, melius in punitione ciuitatis quoniam vt sæpius dixi, hauon potius pœnam iniquitatis quàm iniquitatem ipsam significat, Sed vulgati versio optima est, nec huic sensui officit, cùm scelus, peccatum, iniquitas de pœna, de punitione peccati non semel dicatur: ex quo colligere possumus, adeo perpetuo nexu peccatum & peccati pœnam cohærere vt nec nomine abiungantur nempe scelus quodlibet pœnam continet & sceleris pœna peccatum est, teste Chrys. in Psal. 124. *ante supplicium* (inquit) *supplicium infligit peccatum, in se continet pœnam antequam puniatur.* Chrys. in Psal. 124.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVI.

VVLG. Dissimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris & duarum filiarum eius, eo quod Dominus parceret illi.

Sep. Et turbati sunt & tenuerunt Angeli manum eius, & manum vxoris eius, & manus duarum filiarum eius, in eo quod parceret Dominus ei.

Cald. Et cùm moram fecisset, apprehenderunt viri manus eius &c. eo quod misereretur Dominus illius & eduxerunt eum.

Arias. Et tardabat, & apprehenderunt viri in manum eius & in indulgentia domini super eum.

Caiet. & tardabat & in misereri Iehoua super eum.

Vatab. Cumque cunctaretur, apprehenderunt eum in misericordia Iehoua super eum: alij, cùmque negligeret.

CONCORDIA.

VErbum מהמה mahma tardare, moram facere, negligere, & turbari significat, ex quo diuersitas lectionum oritur: vbi legimus eo quod Dominus parceret ei, in Hebræo est in miseratione Domini super eum quod idem est חמל hamal enim misereri, parcere, & indulgere significat, vnde hemla miseratio, siue misericordia.

EXPOSITIO.

D*Issimulante illo*, dolens calamitatem populi futuram exire cunctabatur, expectans à Deo misericordiam, sed Angeli *apprehenderunt manum eius*, vt aliquomodo violenter eum educerent, *& manum vxoris & filiarum eius*, exire enim cùm sint timidæ mulieres, formidabant *eo quod parceret Dominus illi*, quia sciebant Angeli Dominum ei pepercisse, apprehensis eorum manibus extra ciuitatem deduxerunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Angeli à nobis formidinem expellunt.

194. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius*, nonne sine alicuius adiutorio ciuitatem egredi possunt? cur igitur eorum manum apprehenditis? lege versionem 70. & turbati sunt, vbi habemus dissimulante illo: apposite igitur dictum est apprehendisse manum eius, ad innuendum Angelos in remouenda ab eis formidine laborasse. Sic D. Chrys. *animabant eos manuum contactu, & roborauerunt eorum alacritatem, vt ve timor eorum dissolueret.* S. Chrysost.

Difficile est à consuetis recedere.

195. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius*, cur dissimulas, vel vt alij legunt illo negligente? nonne Angelis fidem adhibuisti dicentibus, se deleturos Sodomam? quomodo igitur vrbem egredi negligis? quia à consuetis maxima cum difficultate recedimus: Sic Thom. Angl. qui eandem difficultatem proponens ait, *quia actualis recessus à consuetis addit nouam & grandem difficultatem, & ideo incohoando huiusmodi recessum de facili homo tentatur & angustiatur.* Thomas Anglicus.

Ita periculosa est malorum societas, vt eorum sermo fidem nostram minuat.

196. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius*, nonne generis consuluistis vt surgentes, ciuitatem Sodomæ relinquerent, ne in illius ruina, simul cum aliis inuoluerentur? quomodo ita negligens, vt cogentibus Angelis egressum adhuc dissimules vel negligas? ne mireris quia ita malorum periculosa est societas, vt sermo quem habuit cum generis suis eius fidem aliquomodo minuerit, vt quasi cum difficultate credens ciuitatis euersionem ab ea secederet.

Iustus semper salutis proximorum instat.

197. *Dissimulante illo*, anne dissimulandum in imminenti vitæ periculo? nonne potius toto conatu fugiẽdum? quid enim charius vita potest inueniri? ne igitur dissimules Angelorum cõsilium de recessu à Sodomis ita sollicitus est salutis ciuium suorum vt eorum conseruationem propriæ vitæ anteponere videatur: sententia est Dion. Cart. *quia distulit quantum potuit si forte Deus mitigaret sententiam & preces suas pro populo ai-*

ceptaret & Lyran, *quia semper retardabat quærens misericordiam Dei super populum.*

Dionis. Carthus.

Deus nos reuocat non solùm verbis sed etiam opere à vitiis.

198. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius,* nonne sufficiebat Angelos verbis suasisse, vt ciuitatem egrederetur? ad quid igitur eum etiam opere compellere, scilicet manum illius apprehendentes? per Sodomam vitia intelligi quis dubitat? rectè igitur non contenti suasionibus, manum eius apprehenderunt, quia non solùm verbis, sed & opere à vitiis nos reuocat Deus: accipe cit. auct. *non igitur verbis solùm à vitiis nos dehortatur Deus, sed opere & reipsa opitulatur, sicut memoriæ proditum est, tenuisti manum meam dexteram & in consilio tuo deduxisti me.*

Citat Carthus.

Salus nostra misericordiæ Dei tribuenda.

199. *Dissimulante illo &c. eo quod parceret Dominus illi*, siue vt est in Hebræo, vt misereri Iehoua super eum, ideo apprehendentes manum eius incolumem & saluum extra ciuitatem seruauerunt: nonne iustus erat Loth? cur igitur non ait sacer textus, ideo liberum saluum effectum, quia iustus, non autem in indulgentia Domini super eum, vt vertit Arias? sine dubio vt salutem nostram summæ Dei misericordiæ tribueremus. Sic Caiet. *ratio violentæ salutis redditur, non iustitiæ mulierum, non iustitia Loth. sed misericordia summi Dei peculiaris erga Loth, ita quod ratione illius seruabat vxorem & filias.*

Card. Caiet.

Voluntas diuina frustrari non potest.

200. *Dissimulante illo*, vel vt alij legunt, illo negligente apprehenderunt manum eius, si generi Loth neglexerunt ciuitatem egredi, cur Angeli manus eorum non apprehendunt? nota Deum efficaciter decreuisse Loth liberaturum, non autem eius generos. non mirum igitur manus Loth, non autem generorum suorum apprehendisse, vt incolumis extra ciuitatem seruaretur, quia diuina voluntas frustrari non potest; expositio est Abul. *Si Deus non indicasset immobiliter quod Loth erui deberet de Sodomis, non tantum instarent Angeli vt educerent eum, sed post primam vocationem reliquissent vt periret in scelere ciuitatis: sic patet de duobus generis accepturis filias Loth, quia Deus non pepercerat eis, non curauerunt Angeli quod instaret Loth ducendo eos, quia ergo diuina voluntas frustrari non poterat, quæ Loth liberandum esse destinauerat, & Loth volebat exire, necessario infertur quod deberet ad exeundum pelli.*

Abulens.

Angeli ita solliciti hominum salutis vt eos compellant illam consequi.

201. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius*, si suam dissimulat salutem, cùm maximè illi intersit flāmas ignis euadere, dissimulate similiter: iam enim verbis & admonitione consuluistis, quid ab eo peragendum Dei est decretum ciuitatis delendæ dissimulare non possunt; imo ita hominum salutis sunt solliciti, vt eos quasi inuitos compellant eam adipisci & consequi: sic annuit Ambr. lib. 1. de Abrah. c. 6. *morabatur adhuc Loth, & pene non est profectus vt euaderet, nisi vrgentibus Angelis & tenentibus manus eius egredi coactus est, non ergo profectus, sed eductus est.*

S. Amb li. 1. de Abr. c. 6.

Tanta sunt aliquando hominum scelera vt Deus eis nullo modo condonet.

202. *Dissimulante illo*, Quid dissimulas Sodomam egredi cùm de tua salute agitur? quis ita à sana mente alienus qui imminente periculo cognito, illud si possit non effugiat? dices pro salute ciuium deprecantem, si adeo orationi inuigilat, ô Deus misericors, quomodo propter hominem iustum & illius ardentissimam orationem, scelera ciuitatis non dimittis? quia tanta sunt aliquando hominum scelera, vt Deus eis nullo modo condonet, sic glossa græc. *attende vbi malorum multitudo modum excesserit, vrbes minime propter iustos seruari, eisque à Deo ignosci, sed iustos à pœnis misericorditer separari.*

Auct. cat. Græc.

Crebræ admonitiones interponendæ vt à malorum societate quis retrahatur.

203. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius,* nonne Angeli Loth admonuerant, vt impiorum societatem relinqueret, ni cum eis vellet miserè perire? ad quid igitur si negligit quod sibi vtile, non solùm iterum admonent, imo quodammodo compellunt manum eius apprehendentes? audi gloss. interlin. *hic datur nobis exemplum quod qui aliquo affectu carnali malorum consortium exire dissimulant, crebra bonorum admonitione cogendi sunt, ne bonos mores corrumpant exempla malorum.*

Glossa interl.

Mortem imminentem non timemus, illecti diuitiarum amore.

204. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius,* quid Loth in proximo mortis periculo retardat, & veluti incredulum Dei monitioni reddit, & Deo attrahente hærentem retinet? cùm nihil æque ac mortem timeat & fugiat mortale genus hominum; optime satisfacit Ruper. lib. 6. in Gen. ca. 10. *amœnitate Sodomorum tenebatur & irriguis pene paradisiacis aruis, & iddirco quasi non satis intelligeret quod dicebatur cùm percelleretur nuntio instantis periculi, dormitantes oculos & amore diuitiarum pressos auertebat à lumine præsenti.* Deinde inuehit in homines huiusmodi amore illectos, suæque salutis immemores, dicens, sic persæpe is qui iam cœlestia nouit, cui per euangelium Christi reuelata est ira Dei, iamque de spiritualibus instrui meruit, adhuc tamen pernicioso irretitur amore mundi, & à concupiscentia sua illectus, dissimulat auditas, & bene sibi cognitas futuri iudicij minas, & æterni ignis pœnas sulphureas, eò intentus vt concupiscentiæ suæ effectu quoquo modo perfruatur.

Rupert. li. 6. ca. 10.

Lex Iudæorum ad salutem non semper fuit necessaria.

205. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius,* ita vt liberum & incolumem extra ciuitatem posuerint, hæc libertas & alia spiritus, an quæso, ô Iudæi, tribuenda est circuncisioni? non circuncisum Loth legimus & tamen saluum agnoscimus, non igitur lex vestra semper ad salutem obtinendam fuit necessaria; vnde Tertull. lib. aduers. Iudæ. ca. 2. *probatus Loth frater Abrahæ quod pro meritis iustitiæ, sine legis obseruatione de Sodomitarum incendio sit liberatus.*

Tertul. lib. adu. Iudæos ca. 2.

Angeli custodes in omnibus viis nostris.

206. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius,* ô Loth ne cum Angelis extra ciuitatem discedas, maximum enim tibi periculum imminet, nam Sodomitæ te egredientem conspicientes, manus violentas inferent, scientes auxilio tuo ab impudicitiis suis liberos euasisse peregrinos, quos hospitio receperas: sed nihil tibi formidandum, ô Loth, Angeli enim in omnibus

viis

vis ciuitatis, saluum protegent: vnde D. Bern. ser. 7. in Psal. Qui habit. ait, *non est omnino quod timeas, ne vel in via aliquod offendiculum patiatur, illi nempe viam parant Angeli sancti, quoniam Angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus vijs tuis, nè forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

D Bern. in Psal. Qui habitat.

Angeli adstant orantibus.

207. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius*, cur generorum illius simul manus non apprehendi-tis, vt ab vrbis incendio liberarentur? obserua ex aliquorum Patrum auctoritate nos dixisse Loth noctem transegisse in oratione deprecantem pro populi salute, non mirum igitur manus Loth apprehendisse; non autem generorum illius, vt incolumem seruarent, quia Angelus præcipue orantibus adstat vt eos protegat: sic D. Bern. hom. 3. super Missus est, *solent Angeli astare orantibus, & delectari in his quos vident leuare manus puras in oratione.*

Cit Bern. hom. 3 super Missam est.

Amicorum dura est separatio.

208. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius*, vel vt habet Vatablus, cúmque cunctaretur, quis te detinet vt salutem propriam negligas, qua nihil charius haberi potest. forte tam dura erat ei amicorum separatio, vt vix eos deserere posset: dissimulationis illius hanc præbet rationem Lippo. *moras vertebat Loth proprio arbitrio, & amicorum amore, non exisset, sed miserante Domino per Angelos ipse & sui educuntur.*

Misericordia Dei, est non solum peccata quæ commisimus condonare, sed impedire ne delinquamus.

209. *Dissimulante illo &c. eo quod Dominus parceret illi*, apprehenderunt manum eius Angeli, sed quid Deus Loth condonabat? dices remisisse pœnas quas incurrisset si in ciuitate diutiùs permansisset, imo & peccata quæ commisisset, misericordia enim Dei non solum se extendit ad peccata commissa, sed ne alia perpetremus. fauet cit Lipp. qui postquam dixit quod per Angelos ipse & sui educuntur à peccati: & pœnis, subiungit, *indulgentia non solum peccatorum est quæ fecimus, sed eorum quoque quæ per gratiam Dei præuenti omittimus, & quorum occasionem non incidimus.*

Lippom.

A Vanitatibus mundi detinemur, ne illum derelinquamus.

210 *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius*, mysticè loquamur, quid hominem ita salutis suæ immemorem efficere potest vt etiam illius viâ cognitâ & approbata eam negligat & dissimulet? quis dubitat esse vanitates mundi, quibus tanquam vinculis detinemur, ne eis vltimum vale dicamus? quod fatetur D. Aug. lib. 8. confess. *detinebant me magistræ nugarum, & vanitates antiquæ animæ meæ, & succingebant vestem meam carneam submurmurantes dimittis ne nos & vltra non erimus tecum, à modo & in æternum, & à modo & tibi non licebit hoc aut illud in æternum.*

D.Aug.l.8. Confes.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Eduxerunt eum & posuerunt extra ciuitatem, ibique locuti sunt ad eum dicentes, salua animam tuam, noli respicere post tergum nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac ne & tu simul pereas.

Sep. Et factum est & eduxerunt eos foras, & dixerunt, saluans salua animam tuam, ne respexeris retrorsum, ne steteris in omni circa regione, in montem saluum te fac, ne forte simul comprehendaris.

Cal. Ait miserere animæ tuæ, non respicias post tergum tuum, neque stes in omni planicie.

Arias. Et dixit erue te in anima tua, ne respicias post te, nec stes in omni planicie, ad montem te erue, ne forte pereas.

Caiet. Et dixit seruare super animam tuam non facies respicere post te, nec stes in omni planicie.

CONCORDIA.

CALDAICA versio simul cum Hebræo legit in singulari, & dixit, existimat enim quamuis duo Angeli eum eduxerunt, tamen cum eo vnum locutum fuisse.

EXPOSITIO.

ET *posuerunt extra ciuitatem*, vt in nullo discrimine versarentur, ibique eos reliquerunt ad ciuitatem puniendam ipsi reuersi sunt *salua animam tuam*, id est vitæ tuæ consule, *noli respicere post tergum*, hoc præcepit Deus quo magis vrgeret iter Loth, significans summa opus esse festinatione, quia propinquum & instans vrbis exitium.

Nec stes in omni circa regione, id est recede ab ista ciuitate longe, non enim solum Sodomam, sed & alias ciuitates quæ *erant in regione* id est planicie seu valle, delere volebant *sed in monte saluum te fac*, scilicet ciuitati proximum, nempe vltra vallem Sodomæ & aliarum ciuitatum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Obedientia perfectius liberamur à morte.

211. *Noli respicere post tergum*, cur tam seuerè & rigidè vetuit Loth respicere post tergum, cùm hoc præceptum de re indifferenti videatur esse? quid enim refert post tergum respicere vel ne? ad probandam & exercendam obedientiam Loth & vxoris & filiarum, quamuis enim textus non exprimat hoc, tamen intelligi debet, cùm paulo post scribatur, quod fuerit punita Loth vxor quia ciuitatem respexerat; sed ad quid tunc Deus eorum obedientiam probare voluit? satisfacit optime Thom. Angl. *vt sic per hoc plenius suam liberationem mererentur.*

Thom. Anglic.

Inobedientis punitio, mors.

212. *Noli respicere post tergum salua animam tuam*, vel vt habet Caldæus, miserere animæ tuæ, id est vitæ tuæ, interitum ne demerebatur, vt nisi ciuitatẽ egressus fuisset, vitæ iacturam fecisset? reuoca in memoriam præceptum egrediendi accepisse: recte igitur illi proponitur vt si velit animam saluare, exeat, quia inobedientis punitio, est interitus, obseruatio est Caiet. *Quod dicit salua animam tuam, periculum monstrat propriæ vitæ ni pareat.*

Card. Caiet.

In obediendo promptissimi.

213. *Noli respicere post tergum*, mira videtur superstitio, quid enim refert ad vrbis excidium, siue ad Loth salutem non respicere post tergum? ne asseras hoc ei dictum superstitiosè, sed ad insinuandam itineris celeritatem & in obediendo alacritatem annuit Caiet. *Celeritas præcipitur non superstitio.*

Iustorum meritu alios Deus liberat à morte.

214. *Noli respicere post tergum*, sed antea, Eduxerant eum & posuerant extra ciuitatem, non solùm eum, sed & vxorem & filias, sed cùm eas non legimus virtuti deditas, quomodo simul cum Loth ignis incendium euadunt incolumes? dico iusti Loth meritis tribuendam esse eorum salutem, ita Carth. *Pepercitque nõ solum ei pro sua persona, sed & pro vxore & filiabus, & meritis eius.*

Dionys. Carth.

Peccata aliquando ita execranda vt nec eorum recordari deberemus.

215 *Noli respicere post tergum*, quodnam periculum imminet Loth vt iam egressus à ciuitate illam respicere non audeat? quia peccata aliquorum ita sunt execranda, vt nec locum vbi commissa fuerint respicere debeamus, sic Thom. Angli. *hoc præcepit in detestationem sceleratæ gentis & terræ, & vt docerent talia flagitia in tantum esse detestanda & fugienda, quod etiam vsque ad primum conspectum visus vel memoriæ non venirent.*

Thom. Anglic.

Dei iudicia curiosè pertractanda non sunt.

216. *Noli respicere post tergum*, nescio cur ciuitatem quæ à Deo delẽda erat, aspicere prohibetur Loth, imo eam aspicere deberet, vt intueretur pœnam peccatoribus iustè inflictam, sicque iustitiam Dei maiori cum tremore reuereretur; merito tamẽ illi prohibetur vrbis excidij visio, ne Dei iudiciorum nimis curiosus videretur perscrutator, ita cit. Thom. *præcepit ei in reuerentiam diuini iudicij, vt sic docerent quod Dei iudicia non sunt curiosè perscrutanda, sed potiùs metuenda & fugienda.*

Cit. Thom.

Diuitiæ semel relictæ iterum non concupiscendæ.

217. *Noli respicere post tergum*, saltem compassiuo vultu ciuitatem in qua per tot annorũ spatia commoratus est respiciat, ne ergo contrarium præcipias, nota quod Loth aliquas diuitias in vrbe reliquerat: recte igitur ei prohibetur, ne post tergum respiciat, quia diuitiæ semel relictæ, iterum non concupiscendæ: sic Lyra *noli respicere per inordinatum affectum ad ea quæ remanent in ciuitate, quia hoc esset contra diuinam iustitiam quam tibi annuntiamus.*

Coniuges ita vniti, vt quod vni dictum alteri etiam iussum censeatur.

218. *Noli respicere post tergum* cur non dicunt, nolite respicere post tergum, cùm vxorem habeat, idéque ei periculũ immineat? nõ aiunt nolite, sed *noli*, quia coniuges ita amicitiæ vinculo vniri debẽt, vt quod vni iussũ, alteri præceptũ censeatur, sic Procop. *quemadmodũ in creationis principio, solus Adamus existimabatur accepisse legem siue præceptũ, quod tamen cõprehendebat & vxorem: sic cùm ad Lothum diceretur saluti tuæ consulito, ne respexeris, non solum Loth dictum est, sed & vxori.*

Procop.

Auxilium Dei speciale non expectandum vbi humanum sufficit.

219 *Noli respicere post tergum*, sed antea eduxerant eũ & posuerant extra ciuitatem: cur, ô Angeli, vsque ad montem non deducitis? ad quid enim solum eduxisse, & extra ciuitatem posuisse? quia extra ciuitatem eductus reliquum iter solus vsque ad montem perficere valebant sine Angelorum comitatu, *non comitati sunt eum amplius* (inquit Abul.) *quia extra periculum iã erat.*

Abul.

Iustos de peccatorum merito cruciatu & iusta pœna dolere non permittit Deus.

220. *Noli respicere post tergum*, scilicet ne videas ignẽ de cœlo descendentem, ciuitatemque consumentem, sed quamuis intueretur hanc pœnam debitam, quid Lotho contingeret? sane grauissimus dolor, iusti enim de aliorum cruciatibus maxime torquentur, quod tamen aliquandò prohibet Deus, sic Abul. *noli respicere, ne videas ignem vel sulphur, quæ erat pœna terribilis, quia sic condolerent eis, quod in ciuitate aliquando dilexerant quod Deus nolebat.*

Cit. Epis.

Iustus mons est, cuius precibus alii liberantur à periculis.

221 *Noli respicere post tergum, sed in monte saluum te fac*, nonne eum æque saluare potes in valle ac in monte? cur ergo vt eum serues incolumem in montem ascendere præcipis? non dubitas iustos appellari montes, propter vitæ sublimitatem: montem ergo cuius auxilio saluus factus est Loth possumus dicere Abrahamum; ita Hebræi teste Lyran. *dicunt in monte, id est prope Abraham, eo quod eius precibus Loth saluabatur.*

Noster Lyran.

Magna est nostri arbitrij mutabilitas.

222 *Noli respicere post tergum, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas*, nonne iam extra ciuitatem degebat expers periculi? si dicas etiam vallem deletam, ideo necessarium fuit ei persuadere, vt in monte salutem quæreret, concedo; sed cur subiunxere Angeli, ne & tu simul pereas? nonne visa miraculosa ereptio, sufficientissima erat commonendæ salutis suæ ratio, nullo addito timore perditionis? merito addiderunt ne simul pereas, quia tanta est nostræ voluntatis mutabilitas & inconstantia, vt nisi fulciretur aliqua ope diuina, quod peius est eligeret: quod obseruat Lipp. *Indicat vbique scriptura verbis suis liberi arbitrii mutabilitatem, curandum tamen nobis vt semper agamus & conemur quæ Dominus præcipit & actuum nostrorum summam Domino committamus.*

Lippom.

Male anteacta vita obliuiscenda est.

223. *Noli respicere post tergum*, ad quid pertinet, quod prohibiti sunt qui liberabantur ab Angelis, retro respicere? satisfacit D. Aug. lib. 16. de Dei ciuit. c. 32. *nisi quia non est animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerationis exuimur, si vltimum indicium euadere cogitamus.*

D. Aug. li. 16. de ciu. ca. 30.

Christus ante oculos habendus, vt saluemur.

224. *Noli respicere post tergum*, non solum hoc ei dictum sed & nobis omnibus: sed si nobis retro nõ est aspiciendũ, ergo ante intuendũ, sed vt saluemur quid potius nobis prodent ante respicere quã post tergũ? Audi beatum Amb. li. 1. de Ab. c. 6. *Si vis tu euadere, ne respicias retro, sed ante aspice vbi Christus est, qui dicat tibi vade retro, sicut Petro dixit vade retro me, vt Christum sequeretur, Christum videret retro Sodoma plena est flagity, retro Gomorrha vitiis scatens criminum regio.*

D. Ambr. lib. 1. de Abr. c. 6.

Angeli

Angeli virtutem amplectendam nobis suadent. A

225. *Noli respicere post tergum, in monte saluum te fac* ô Angeli quid suadetis Loth vt montem ascendat? nonne etiam ignis de cœlo descendere potest omnesque in monte ciuitatis proximo degentes consumere? nota per montem virtutem designari: optime igitur suadēt Angeli montem ascendere, quia proprium eorum vt virtutem amplectamur; consulere. Sic glossa ord. *mons altitudinem virtutum significat, ad quam Angelus hortatur secundùm illud, vade & vende omnia quæ habes.*

Glossa ordin.

Salus animæ præcipuè curanda. B

226. *Noli respicere post tergum, salua animam tuam,* cur non dixere diuitias quas possides, transferas & securè alicubi constituas? his enim quibus vitam conseruaret, vrbe deleta indigebat, optime consuluere, præcipuè vt animam saluam faceret, salus enim illius præ omnibus habenda, nam pretium illius omnibus anteponendum: quod optime D. Bern. in lib. de anima siue medit. c. 3. expendit. *cur animam tuam nō adornas bonis operibus quæ Deo & Angelis eius præsentanda est in cœlis? quare animam tuam vilipendis & ei carnem præponis? totus quidem iste mundus ad vnius animæ pretium æstimari non potest, non enim pro toto mundo Deus animam dare voluit quam pro anima humana dedit: sublimius ergo est animæ pretium quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit, quam ergo commutationem dabis pro anima tua?* C

D. Ber. lib. de anima siue medit. cap. 3.

Animæ maxima dignitas?

227. *Noli respicere post tergum, salua animam tuam,* tantæne dignitatis est anima, vt primo eam seruandā consularis? tantæ vt vix possit comprehēdi; *anima enim* (inquit cit. Bern) *Dei insignita imagine, decorata similitudine, desponsata fere dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, particeps rationis* & D. Bernardinus serm. 51. de dignit. animæ ait, *non quidem ad cognoscendam animæ dignitatem non sufficit creaturarum speculatio & ascensio, sed diuina illustratio necessaria est.* D

Noster Bernard. Ser 5 de animæ dignitate.

Non solum peccatum fugiendum, sed omnis illius occasio.

228. *Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione,* nonne sufficiebat ciuitatem deseruisse, nec post tergum respicere? cur igitur præcepta præceptis addentes, iubetis nec circa regionem Sodomæ manere? quia sine dubio non satis est peccatum fugere, sed etiā necesse est ab omni illius occasione ac veluti vicinia longiùs submoueri, quod noster Lyra exponens illud Deutero. 21. & 22. de fœmina alienigena, à viro Hebræo in vxorem recipienda, scilicet *radet cæsariem & circumcidet vngues, & deponet vestem, in qua capta est, sedensque in domo tua, flebit patrem & matrem suam vno mense,* in quæ verba ait inquam gloss. Moral. *per mulierem hanc significatur peccatrix anima, pulchra ratione imaginis, sed captiua ratione criminis, hāc amat Christus, & vult sponsam habere per fidem formatam charitate, sed oportet vt deponat vestes in quibus capta est, id est vitia & peccata præterita, & radat cæsariem, & circumcidat vngues, id est peccatorum circumstantias aggrauantes deponat, & peccati occasiones caueat, & fleat patrem suum & matrem, id est plangat quod habuit diabolum patrem & matrem congregationem malorum,* expende verba allata & *peccati occasiones caueas.* E F

Deut 21. & 22.

Glossa Moral.

Perseuerantia necessaria est.

230. *Noli respicere post tergum,* si celeritas in hoc ei præcipitur, nonne quāuis post tergum respiciat, celerrimè iter perficere potest? nota per eum qui retro aspicit, intelligi in aliquo opere non perseuerantē secundū illud Luc. 9. *nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro aptus est regno Dei:* rectè igitur præcipitur Loth vt post tergū non respiciat, quia in operibus bonis perseuerantia maxime necessaria est: vnde D. Chr. ho. 4. ad Eph. ait *non vt initia quadam honesta vitæ aspiciemur solùm, sed vt ambulemus, ad hoc virtute opus est, quæ ad mortem perseueret, neque enim si nos viam ingredi conueniat quæ recta in ciuitatem ducat, regiam, & iam confecta meliore itineris parte desistamus, sic si postea circa finē vitæ lentescentes, animoque præmolliti desederimus, nihil nos iuuerit eiusmodi spes vocationis.*

Luc 9.

D Chrys. hom 4. ad Eph.

Præcepta Dei non sunt discutienda.

231 *Noli respicere post tergum,* nōne potuit Loth rationē huius præcepti ab Angelis inquirere, ne cæca obedientia cor sui iussa adimpleret? minime quidē, præcepta enim Dei discutiēda nō sunt, vt optime aduertit Lipp. in c. 2. Genes. qui loquēs de præcepto imposito Abrahæ vt filiū immolaret eiusque obedientia ait, *non dubitat de verbo Dei non causam quærit diuini præcepti.*

Quomodo Dei supplicia infligantur non est nimis perscrutandum.

Lippom. In cap. 2. Genes.

232. *Noli respicere post tergum,* inspiciat quæso vt rationē reddere possit quomodo vrbs Sodomorū à Deo deleta fuit, quibusue suppliciis extincta? non enim dubium est quin aliquādo de infœlici tot ciuitatū euentu & ruina interrogetur, audi respōdentē Philonē Carp. cit. in cat. Græc. *non est ratio diuinarum rerum ad mores hominum reuocanda, satis est non esse Deum scelerum pœnas exigere, quæ vero illæ sint, aut quomodo infligantur inquirere temeritatis est.*

Philo. Carp cit in cat. Græc.

In minimis obedientia minimè contemnenda.

233 *Noli respicere post tergum,* cur rem adeo exiguam præcipis? indecens enim videtur regem aliquid minimum imperare; quid autem leuius quàm non respicere post tergum? ideo minima etiam iubentur, pro quorum transgressione seuera fit punitio vt ea non contēnatur, ita Thom. Ang *hoc iubet in exemplū & mysterium futurorum, vt primo scilicet aduertētes pœnam vxoris inobediētis timeremus etiam in præceptis minimis non obedire.*

Thom. Angli.

De diuina iustitia congaudendum.

234. *Noli respicere post tergum,* respiciat, vt miserè pereuntibus cōpatiatur, misericordiæ enim viscera ciuibus suis denegare non potest, sed audi glossam mor. *quia condemnatis non est cōpatiendum, sed magis de diuina iustitia congaudendum, ps. 55. lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.*

Gloss. mor. Psal. 55.

In peccatorum vindicta maxime timeant iusti.

235. *Noli respicere post tergum, in monte saluum te fac ne tu & simul pereas,* cur peribit, cū ciuitatis criminū non sit particeps? vt significetur quod in peccatorū vindicta etiā iusti maxime timere debeāt. obseruatio est Chr. *festina & longe stas vt effugere queas pœnam eis infligendā,* quasi eo ipso quod iuxta eos inueniatur, simul diuinæ

Chrysost.

iræ subiaceat quæ dum exardescere incipit quos simul inuenit, simul perdit.

In perfectione non omnes æquales.

236. *Noli respicere post tergum sed in monte saluum te fac*, cum fuerit ita hospitalis Loth, ita vt meruerit Angelos hospitio recipere, quomodo statim ciuitatem egrediens, montem non ascendit? sine dubio per eos qui montem ascendũt perfectiores intelliguntur: non mirum igitur statim non ascendisse, quia diuersi sunt gradus perfectionis, itavt alius alio perfectior sit, Loth minus perfectior quam Abraham, quod obseruat Orig. Hom. 5. in Gen. *erat quidem hospitalis Loth, sed non erat ita perfectus vt exiens statim de Sodomis montem posset ascendere, perfectorum namque est dicere, leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi, iste ergo neque talis erat qui inter Sodomitas perire deberet, neque tantus erat qui cum Abraham in excelsioribus posset habitare: si enim fuisset talis, nunquam diceret Abraham si tu ad dextram ego ad sinistram aut si tu ad sinistram ego ad dextram, nec habitacula ei Sodomitica placuissent, erat ergo medius quidam inter perfectos & perditos.*

Orig. hom. 5. in Gen.

Psal.

Coniugium, mons in quo saluantur, qui se continere non possunt.

237. *Noli respicere post tergum, sed in monte saluum te fac*, si mystice loquamur qui nam sunt illi qui à Sodoma egredientes, in monte saluantur? cùm salus in monte quàm in vrbe securior non videatur, imo in ciuitate maior securitas quàm in montibus, vbi tot ferarũ species inueniuntur, sine dubio per Sodomitas intelligendi veniunt impudicissimi, per montem cur matrimonium non significabitur? dico ergo coniugium montem esse, in quo qui se continere non possunt, salui fiũt sic D. Greg. mag. 3. parte past. curæ c. 1. admo. 28. *ardentem Sodomam fugere est illicita carnis incendia declinare, altitudo vero montium est munditia continentium.*

S. Greg. Mag. 3. p. past. curæ c. 1. admo.

Non statim continẽtia coniugalis perfectè seruatur ab his qui diutius luxuriis studuerunt.

238. *Noli respicere post tergum, sed in monte saluum te fac*, sine dubio ita facile in mõtem deduxissent, ac eum è ciuitate eduxerunt, cur ergo ad montana mox non peruenit? cum à nobis dictum fuerit per montem, matrimonium, in quo continentia coniugalis seruari potest, intelligi: rectè satisfacit D. Greg. cit. *exiit quidem Loth Sodoma, sed tamen mox ad mõtana non peruenit, quia iam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo coniugalis continentiæ subtiliter non tenetur.*

Summa vitæ humanæ incertitudo.

239. *Noli respicere post tergum, sed salua animam tuam.* otiosa mihi videtur tanta celeritatis commendatio, sed falleris, nam in vita tam præcipiti, in ictu oculi possumus finire, quod expendit Olymp. in ca. 7. Iob in cat. *sæpenumero accidit, vt dum in me forti quispiam figerit obtutum, abeam atque discedam, estque ita vitæ nostræ volucris exitus, vt qui nos hodie viderunt, cras non sint visuri omnino, si quid sub tuo voluntatis nutu vno oculorum conectu, cũ me non iam amplius morari volueris, statim e intersimes.*

Olymp. in ca. 7. Iob.

Hospitalem Deus liberat à morte.

240. *Noli respicere post tergum*, Missi Angeli ad subuersionem Sodomorum, cùm cuperent maturare negotium, curam prius gerunt hospitis Loth, eduxerunt eum & posuerunt extra ciuitatem: cur tanta cum diligentia eum ab incendio liberant? quæ illius bona opera in sacra scriptura legimus, vt mereatur ab Angelis liberari? nonne recepit eos in domum suam, benignè præbens eis conuiuium? non mirum, si ab Angelis eripiatur à flammis, quia hospitalitas meretur maxima præmia ita Orig. hom. 5. *eum de imminenti ignis excidio contemplationes hospitalitatis exemerunt audite hoc qui peregrinis clauditis domos, Loth in Sodomis habitabat, alia eius bene gesta non legimus, hospitalitatis in eo sola ex vsu veniens memoratur euadit ignes, euadit incendia, ob hoc solum quod domum suam patefecit hospitibus.*

Orig. ho. 5.

Exemplum alios inducit ad bene vel male operandũ.

241. *Noli respicere post tergũ.* Caiet. ex Hebræo legit, non facies respicere post te, Deus non præcipit vt nõ faciat respicere post se, sed solùm vt non respiciat, cur ergo transfert non facies respicere post te? optima versio, quia alios suo exemplo, superior inducit ad bene vel male operãdum, vnde fit quod non tergavertens alii nec etiamverterẽt si antẽ dicas quod mulier Loth tergũ vertit & respexit post se, ipso non respiciẽte, dico quod quandiu Loth vxorem suam anteiuit, non respiciens post tergum, non legitur ipsa vxor respexisse, postquam vero Loth ingressus est Segor & ex ipsius oculis euanuit, tunc ipsa relicta sine duce quem imitaretur, respexit.

Non lætandum est de aliorum suppliciis.

241. *Noli respicere post tergũ*, respiciat quæso, vt aliorum calamitatibus edoctus fiat prudentior caueatque in Sodomorum crimina aliquando delabi eorum conspectis suppliciis; si retro respexisset forte ex Sodomorum punitione quia impii fuerant, gaudium eorũ mente subiisset, quod humanitate indignũ iudicat Deus, sic habet Procop. *nouerat Angelus illos fortassis gauisuros, cernentes calamitatem Sodomitarum, lætari autem de calamitatibus & miseriis iniustorum, esto interdum, iudicetur iustum, non tamen humanum reor.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVIII.

VVLG. Dixitque ad eos Loth, quæso Domine mi, sic. 70.

Cald. Et dixit ad eos Loth nunc domini mei; sic Hæbr.

CONCORDIA.

IN vulg. legimus *domine mi* in Hebræo autem domini mei, tamen non est discordia, quia secundùm diuersas sententias quamuis duobus loqueretur, ad vnum sermonem dirigebat qui eum liberare venerat vel, ad maiorem reuerentiam in plurali loquitur Cal.

EXPOS.

EXPOSITIO.

Qvaeso Domine mi, duo erant Angeli, sed vnus Loth & vxorem eius manu ducebat, hunc deprecatur Loth, dicens; Domine, alter eum sequens inter filias suas medius pariter ducebat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vnitas substantiæ in pluribus personis.

Qvæso Domine mi, inciuilitas est, vnum solùm alloqui, cùm vterque ſte incolumē è ciuitate eripuerit: non desunt aliqui hos duos Angelos duas personas Trinitatis esse, nempe Filium & Spiritum sanctum: rectè igitur singulariter vnum affatur, vt declaret in pluribus personis vnitatem substantiæ & naturæ diuinæ: Sic D. Dami. lib. Gomorrhi. c. 5. *Qui sic duobus quasi vni singulariter loquitur, certum est quia in duabus personis vnam substantiam veneratur.*

D. Damian. lib. Gomorrhi c. 5.

Tam periculosa est impiorum societas, vt in medio eorum Deum non agnoscamus.

245. *Quæso Domine mi*, quomodo cùm eos hospitio accepisset, non dixit Domine, sed solum cùm mœnia ciuitatis sceleratissimæ egressus? tibi satisfaciet Cat. Græ. *egressus Loth ex vrbe Sodomorum audet alloqui Dominum, quamdiu quis malitiæ mœnibus includitur, neque Dominum agnoscit, neque congredi simul audet*, preme hæc vltima verba, quasi diceret, maxime periculosa est impiorum societas, cùm in medio eorum Dominum non agnoscamus.

Cat. gr.

In peccatis nec rectè deprecamur nec gratias agimus

246. *Quæso Domine mi*, te deprecantem in ciuitate Sodomæ non audio, quomodo igitur ab ea egressus enixè à Deo beneficium postulas? per Loth Sodomæ manentem, peccatorem intellige: meritò inter Sodomitas non deprecatur, quia in peccatis existens rectè non orat: obseruatio est And. Nicol. *è Sodomis eductus orat, agnoscit beneficium, quamdiu enim in peccatis sumus, nihil bonum facimus: non videmus enim aut miseriam nostram, aut beneficia Dei.*

And. Nicolaus Hung

Vt prælatis obediamus, Deum in ipsis operantem consideremus.

247. *Quæso Domine mi*, cur postquam præceptum ab Angelis suscepisti, vt in monte salutem quæreres, eis, tanquam vni, loqueris? nota Angelos vicem gessisse prælati respectu Loth: summam enim illius curam habuere, à ciuitate eripuere &c. rectè igitur eos tanquā vnum deprecatur, quia in eis Deum ante præcipientem agnoscit: Fauet D. Aug. q. 33. in Genes. *in Angelis Dominum sentiens, Domino potius quàm Angelis loqui elegit*, quasi diceret, non sistebat in Angelis à Deo missis, sed in Deum, cuius auctoritate mittebantur, animum & cogitationem transferebat, vt haberent posteri documentum, ne prælatos suos vt homines, sed vt Deum venerarentur.

D. August. q. 33 in Genes.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIX.

VVLG. Quia inuenit seruus tuus gratiā coram te, & magnificasti misericordiam tuā quam fecisti mecum, vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari, ne fortè apprehendat me malum & moriar.

Sep. Quia inuenit puer tuus misericordiam ante te, & magnificasti iustitiam tuam, quod facis in me vt viuat anima mea, ego autem non potero saluus fieri in monte, ne forte comprehendant me mala & moriar.

Cald. Ecce nunc inuenit seruus tuus misericordiam in oculis tuis, & multiplicasti bona tua quæ fecisti mecum sustentando animam meam &c.

Arias. Ad liberandum animam meam, & ego non potero liberare me ad montem, ne forte hæreat mihi malum & moriar.

EXPOSITIO.

Qvia inuenit seruus tuus gratiam coram te, Hebraismus est, id est quia tibi acceptus & gratus fui, *& magnificasti misericordiam tuam* &c. id est misericors maximè erga me fuisti conseruando animam meam.

Non possum in monte saluari, quasi diceret, præ maxima senectute, quasi viribus destitutus ascendere festinus montem non valeo.

Ne forte comprehendat me malum, & quamuis montē conscenderem, timeo ne omnibus hic ad vitam necessariis destituar, sicque miserè peream.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Beneficium acceptum ratio est alterius petendi.

248. *Qvia inuenit seruus tuus gratiam coram te &c.* Loth maximo à Deo accepto beneficio: scilicet Angelorū auxilio, à ciuitatis excidio liberari, aliud ab eo postulat dicens, quia inuenit seruus tuus coram te &c. quid ô Loth in medium profers, vt alteram obtineas gratiam? illam à Deo accepisse, hæc ratio insufficiens mihi videtur esse, si quis enim ab alio accipiēs centum aureos, tot peteret dicens quia iam centum accepi, eius postulatio non admitteretur: quomodo ergo vt denuo aliud beneficium possideas, non obsequium præstitum, sed gratiam acceptam exhibes? quia à Deo accepta gratia ratio est alterius postulandæ & habendæ: Sic D. Chrysost. *quia semel indicasti salutem mihi dandam, ascendere autem in montis verticem vires meas trascendit, ampliorem misericordiam mihi exhibete, & laborem meum leuate.*

D. Chrys.

Inconstantiæ arguimur in credendo.

249. *Nec possum in monte saluari*, nonne tibi Angeli dixerunt vt in montem ascenderes liberandæ animæ tuæ gratia? quomodo nunc renuis igitur dicens quod hîc comprehendent te mala,

& omnium maximum mors? cur fidem promissis eorũ non adhibes? quid respondeam nescio, nisi quod etiam iusti aliquando inconstantiæ in credendo reprehendũtur: Sic obseruat Thomas Ang. *ex hoc patet quod Loth omnino perfectus & constans non erat credendo & obtemperando verbis Dei, per Angelos sibi dictis.*

Tho. Ang.

Iustus ita humilis debet esse, vt in conspectu aliorum iniustus sibi videatur.

250. *Non possum in monte saluari*, quæ difficultas à te reperitur vt in eo non possis saluari? cùm enim hoc iusserint Angeli, eorum præceptum irrationale non est sed possibile: euoca in memoriam Abraham montem ab Hebræis intelligi propter virtutis altitudinem: timet igitur Loth propter humilitatem hunc montem conscendere, ne multas in conspectu Abraham appareat; ita Hebr. teste Lyr. *timebat Loth secundùm expositores Hebræorum ne si veniret iuxta Abraham qui erat sanctus, eius imperfectio magis appareret*, Lippomanus eiusdem sententiæ est ac Hebræi.

Noster Lyranus.

Timor mali imminentis fidem promissionum Dei aliquando superat.

251. *Non possum in monte saluari*, quid trepidas, quo timore angeris, quid verbo Dei certius & verius? promisit te incolumem in monte seruare, ne igitur præceptis eius inobediens, dicas nolle in eum ascendere, ne te mala comprehendant, ne mireris eius formidinem, quia timor mali imminentis fidem promissionum Dei aliquando superat. Fauet. Lipp. *Fidelis satis & in operibus pietatis exercitatus, prudentia tamen sua nisi contendit, & vult prospicere sibi trepidatque ad verbum Dei vincit enim timor mali fidem promissionum Dei.*

Lippom.

Humilitatem sectantes, dignitates sublimiores fugiamus.

252. *Non possum in monte saluari*, ita ne viribus destitutus, vt in montem ascendere nõ valeas? nota quod mysticè per montem Ecclesiasticæ dignitates intelligi possunt, rectè igitur iustus montem ascendere renuit, quia cum maxima animi humilitate sublimiora Ecclesiæ munera fugere debet. Sic D. Greg. Mag. l. 2. in 1. Reg. c. 3. *cùm exiret Loth de Sodomis ab ascensu montis abstinuit, & in Segor paruulam ciuitatem declinauit, ne dum paruulus ad altiora nititur, virilem ætatem impingẽs moriatur: Sodomam quippe eximus, cum ardentis concupiscentiæ incendia declinamus, qui statim ad sublimia non ascendimus, quia superioris ministerii summa non tangimus: dum infirmitatem propriam metiendo consideramus ne si infirmæ ætatis nostræ modum contemnimus qui paruuli viximus, in virili ætate moriamur.*

Greg. Mag. l. 2. in 1. Reg.

Multi sunt desides in salute sua comparanda.

253. *Non possum in monte saluari*, agitur de tua salute & familiæ, & tamen aliquantulum laborem in ascensu montis impendere recusas, ita se res habet; sunt enim aliqui ita salutis suæ immemores vt pro ea consequenda aliquo modo laborare negligant. Fauet Hug. Card. dicens, *Senex & laborem viæ & frigora montium perhorrescebat.*

Card. Hug.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XX.

VVLG. Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere parua, & saluabor in ea, nunquid non modica est? & viuet anima mea?

Sep. Ecce hæc ciuitas propè est ad fugiẽdum me illuc, quæ est parua, & illuc saluus euadam, nonne parua est & viuet anima mea propter te?

Cald. Ecce nunc ciuitas hæc iuxta est ad fugiendum ibi, &c.

Arias. Ecce nunc ciuitas ista propinqua ad fugiendum huc, & ipsa parua, eruam me nunc illuc, nunquid non parua ista & viuet anima mea?

EXPOSITIO.

Est *ciuitas hæc &c.* scilicet Segor nuncupata, Sodomæ vicina in montis ascensu, *& saluabor in ea*, quasi diceret, in monte nullæ sunt domus, vbi commorari possim, ad expellenda vitæ humanæ incommoda, sed in illa, quamuis exigua ciuitate, domus non deerunt in quibus incolumis reliquum meæ vitæ tempus transigere possim, *nunquid non modica est*: quasi diceret, non rem adeo eximiam postulo, vt renuatis, sed exiguam & paruam, scilicet tantum angulum domus, vbi latere possim vt salutem consequar.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Cùm aliquid exiguum petimus credimus obtinendum facilè.

254. Est *ciuitas hæc ad quam possum fugere, nunquid nõ modica est?* renuens montem conscendere Loth, petiit ab Angelis vt in ciuitate proxima salutem quærere posset, nonne aliam in medium proponere rationem potes qua obtineas facilius quod postulas? exiguam & modicam esse ciuitatem refert, quia sic facilius obtinere postulatam præsumit, Sic Thom. Ang. *nunquid non modica est? quasi diceret, non est magnum quod mihi eam concedas, quia modica est.*

Tho. Ang.

Iustus magnum ciuitatis præsidium.

255. *Est ciuitas hæc iuxta ad quam possum fugere parua, & saluabor in ea*: nota hanc vrbem quãuis vna fuerit ex quinque vrbibus infamibus, tamen cæteris euersis incolumem superfuisse in gratiam Loth ad illam confugientis & pro illa deprecantis: vnde ad illum Deus, ecce inquit etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua loquutus es, quamuis postea recedente Loth, etiã hæc subuersa fuerit, vt noster Lyranus obseru. *Post eius* inquit, *recessum subuersa est, sicut propter eum fuerat saluata ad tẽpus*, sed quid hoc denotat illo præsente stetisse ciuitatẽ, illo absente euersam? sine dubio virum iustũ maximum esse ciuitatis præsidium.

Noster Lyran.

Orationes viri iusti censentur etiam esse vxoris.

256. *Est ciuitas hæc ad quam possum fugere*, cùm tecum sit vxor pro ea cur etiã non deprecaris dicens, possumus ad eam confugere? videris enim illius immemor, pro tua solùm conseruatione fundens preces: sed fallimur quamuis enim singulariter exoret, orationes viri iusti etiam vxoris esse censentur, ita Dionys. Carth. *quod Loth*

Dionys. Carth.

Loth orauit pro se, orauit quoque pro se ac coniuge sua.

Vbi pauciora sunt peccata, facilior indulgentia.

257. *Est ciuitas haec,* si Sodomae tibi nulla supererat salus, existimas ne cùm Segor sit ciuitas variis foedata vitiis, & motibus terrae pluries agitata, quod in ea incolumis euades? existimat quod cùm sit ciuitas exigua, paucioribus peccatis deturpatam esse, sicque faciliorē ei indulgentiam fore: Sic Lyranus. *modicus est ibi populus, ac per consequens iniquitates eius non sunt tantae sicut aliarum quatuor, propter quod facilius potest parci illi ciuitati.*

Nostet Lyra.

Si quis virginitatem seruare non potest, nubat.

258. *Est ciuitas haec iuxta,* scilicet quae mihi refugiū erit cùm consuluerint tibi Angeli montem ascendere, ne ad locum infimum, qualis est Segor, descendas; nota quod per montem virginitatis status propter suam eminentiam designari potest; per Segor vrbem humilem, status coniugatorum: recte igitur ad vrbem Segor descendere cupit, non autem montem conscendere, quia qui virginitatis statum amplecti non potest, matrimonio copuletur. Sic Strabus *virginitas, alius mons est ad quem Angelus hortatur si quis videt se non posse conscendere maneat in Segor, id est in legitimo coniugio, quia melius est mediocri bono vti, quàm per abrupta libidinis praecipitari.*

Strabus.

Perfectionem vitae nos posse consequi confidendum est.

259. *Est ciuitas iuxta,* scilicet ad quam confugiens, incendium futurum euadam, permitte igitur ne in mōtem cōscendam, sed ô Loth, cum nihil praecipiatur aut consulatur impossibile, non subest tibi ratio montis ascensum fugere, per montem vitae perfectio intelligitur. Loth igitur, cuius plures sunt imitatores, perfectissimum vitae statum aggredi non audet, illum tamen assequi medio gratiae auxilio confidere debemus. ut i Rupert. l. 6. in Genes. c. 10. *Hoc planè illud est quod videmus plerosque nimium conscios infirmitatis suae, modica fide non audere altius propositum arripere, ne forte deficiant sub onere, non audientes scripturam dicentem, qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem: item, viriliter agite & confortetur cor vestrum, mons enim de quo rectè dicitur in montem saluum te fac, illa perfectio est, de qua Dominus noster dicit in Euangelio adolescenti diuiti, si vis perfectus esse, vende omnia quae habes & da pauperibus, & veni sequere me, haec perfectio vitae, mons iustitiae est.*

Ruper. l. 6. in Gen. c. 10.
Psal. 124.
Psal. 26.
Matt. 16.

Sapientia mundana conceptum Dei Spiritum extinguit.

260. *Ciuitas est iuxta &c.* cur humili contentus loco, montem conscendere non audes? Angeli consulunt, patet iter, mōs videtur, diximus per montē perfectionē vitae intelligi, sed vlteriùs aduerte quod duo necessaria sunt in ascēsu montis, id est in aggressu perfectionis, sapiētia siue discretio, & magnanimitas quae vix simul inueniuntur, sapientes enim raro ardua aggrediūtur dicentes, audacia non est tuta; mysticè igitur loquentes, plures perfectionem vitae non aggrediuntur sibi à Spiritu Dei inspiratam, quia sapientia humana sub specie prudentiae tegit initium: vnde D. Bernard. citatus ab Hug. Card. ait, *quantos ista mala sapientia supplantat & conceptū in eis Spiritum extinguit, quē Dominus voluerat vehementer accēdi? amicos consule, proba teipsum, Angelus consilii vocat te, tu alienum consilium praestolaris, abscondi ignem in sinu meo, & exusto latere nudatis visceribus iam sanie defluente, adhuc consulendum est, an adhuc excutiam illum, amicos consulat, qui non legit, inimici eius domestici eius.*

Hug Card.

Quo maior ciuitas, eo impudicitia frequentior?

261. *Ciuitas est iuxta,* quae scilicet mihi pro refugio erit, cur tibi refugium praestare potest? nunquid non modica est, inquit: haec ratio nullo modo sufficiēs mihi videtur, paruitas enim ciuitatis non est occasio maioris securitatis, imo maioris periculi; sed in moralibus optima est eius ratio, sensus enim illius est, Si propter nimiam luxuriam, alias ciuitates maiores delere statuisti, haec non ita impura, sicque flammis non comburetur, sicut aliae quae semper omnes sunt in libidine: quod verissime D. Saluian. lib. 8. de Prouid. obseruat. *Nobilissimae quaeque ciuitates ac sublimi adeo dignitate nunquid non lustris plenae sunt, ac lupanaribus foetent? quae etiam praerogatiua est honorum in magnis vrbibus, vt quantum praecellunt caeteris magnitudine, tantum praestent impuritate?*

Saluian l. 8. de Prou.

Quem diuinum imperium liberare satagit, proprium praecipitat consilium.

262. *Ciuitas est iuxta ad quam ire possum,* cùm ab Angelis Loth consilium accepisset, vt in monte saluus fieret, montem tutum esse arbitratus, postulauit vt ad vrbem paruam & vicinam potiùs mitteretur; sed, ô Loth, nonne illa vrbs quae Segor dicitur, ad quam ire praeeligis frequentibus terrae motibus agitatur? teste D. Hier. in tradit. Hebr. in Gen. ita vt cùm caeterae vrbes starent adhuc inquit ille, ipsa saepe subuersa est, quomodo igitur diuino praecepto missus, ad montem tutissimum, proprio ductus consilio vrbem manifesto periculo expositam praeoptat? quia ita caecus est homo vt Dei imperium liberare eum satagentis negligat, propriumque consilium ruinae occasionem sequatur, quod considerans D. Chrys. Hom. 2. in Ep. ad Rom. ait. *cùm ita se res habere cognoscamus, à Deo eorum quae aguntur rationem nunquam exigamus, verum quidquid ordinauerit id omne admittamus.*

S. Chrysost. Hom 2 in Ep. ad Rom

Damnum corporis negligendum, vt impiorum societatem fugias.

263 *Est ciuitas iuxta ad quam possum ire,* habitationem Segor petiit Loth &c. obtinuit, ingressus est Segor, sed nunquid postea securus illic? attendamus, ascendit Loth de Segor, & mansit in monte, timuerat enim in Segor, & mansit in spelunca, cur timuit in Segor cōmorari? nunquid non ipse habitationem illam expetiuit? nunquid ob ipsum Deus Segor non euertit? nunquid montem ascendere renuit dicens, non possum in monte saluari, ne forte apprehendat me malum & moriar? quomodo ergo montem postea conscendit in quo plurima formidat mala, imo & ipsum interitum? nota illius ciues vrbis Segor, quamuis exiguae, fuisse impios; optimè igitur montem elegit in quo dixit mala eum comprehensura, ciuitatemque Segor à Deo petitam & obtentam, fugit, quia damnum corporis negligendum, vt impiorum societati non communices, obseruatio est Lyran. in glossa moral. *ad montem exte timens caderes à iustitia ex malorum consortio.*

Lyranus.

Matrimonium confert saluti.

264. *Est ciuitas haec iuxta ad quàm possum fugere,*

parua est & saluabor in ea, quomodo in parua ciuitate iuxta Sodomam sita propè flammantes agros, posita, vbi omnia sulphureis ignibus consumuntur, speras inuenire salutem? per hanc vrbem Segor intelligit D. Greg. matrimonium, ait igitur in pastorali 3. part. c. 18 *iuxta dicitur, & tamen ad salutem tuta perhibetur, quia coniugalis vita nec modo longè diuisa est, nec tamen à gaudio salutis aliena*, fateor iuxta eructantes ignem & sulphur vrbes positum esse matrimonii azylum, sed tamen matrimonium azylum est quo cauentur pericula & salus inuenitur.

D. Greg. M. 3 p. past. c. 18.

In modicis securitas videtur.

Est ciuitas iuxta, discrimina Sodomiticæ vrbis euadēs vt salutem suam certius firmaret hæc ait Angelis, quomodo salutis spem formas tuam in paruitate beneficii postulati? quia qui modica & pusilla petit & appetit, non potest securiorem vitam non agere, vnde D. Chrys. Hom. 6. de humil. Christiana sic ait, *vnum ego minimum de Sodomiticis vrbibus oppidum ad salutis refugium donari sibi poscit à Domino, & qui altiora petere elegit, in magnis periclitans in exiguo obtinet.* Fœlix qui sic nouerit ad parua & minima respicere, is enim securior viuet nihilque à Deo non accipiet.

Chr. Hom. 6. de humil. Christ.

Cognito iudicio Dei, nihil est quod non timeamus.

266. *Est ciuitas iuxta, & saluabor in ea*, licuit Loth per Dominum ibi manere & tuto commorari, sed postea ait textus, ascendit Loth de Segor: & mansit in monte, timuerat enim manere in Segor, quid modo times Loth in Segor habitare, & fugis ad montem? nōne fortè in monte apprehendet te malum aliquod? nonne hæc ciuitas parua & modica, & viuet in ea anima tua? nota hoc dixisse post iudicium Dei factum de Sodoma & aliis ciuitatibus: non mirum igitur post experientiam illius, etiam paruam & modicam expauere ciuitatem, quia cognito Dei iudicio, nihil est quod nō formidemus.

Ad vitam actiuam confugiant qui ad contemplatiuam non ascendunt.

267. *Est ciuitas hæc ad quam possum fugere*, etiam in montem confugere potes, ait, tamen in monte saluari non possum, quid igitur significat ciuitatem quærere vt saluus euadat montem autem renuere? aduerte mōtem vitæ contemplatiuæ genus designare, Segor autem vitæ actiuæ: quo posito respondet D. Isidor Hispal. *altitudo montium speculatio est perfectorum, sed quia multi sunt iusti, qui mundi quidem illecebras fugiunt, sed tamen in actione positi contemplationis apicem subire nequeunt, vnde Loth ad Angelum dicit, est ciuitas iuxta &c. iuxta dicitur & tamen ad salutē tuta esse perhibetur, quia actualis vita nec à mundi curis ex toto discreta est, nec tamen à gaudio salutis aliena.*

Isid. Hisp.

Proprium est petentium asserere se solùm paruula quædam postulare.

268. *Est ciuitas parua ad quam possum fugere*, nonne eam suo nomine appellare potuisti, sine diminutione paruitatis, dicens ciuitas est parua? paruam nuncupauit, quia hoc commune est, vt scilicet qui postulat, parua faciat quæ requirit, vt ea facilè consequatur, quæ enim parui sunt momenti & exigui pretii, facilè petentibus conceduntur quis enim posset negare minima?

Qui beneficium aliquod contulit, maius etiam petenti conferre tenetur.

269. *Est ciuitas parua ad quam possum fugere*, si te Angelus à flammis eripuit, si incolumem extra Sodomorum ciuitatem cōstituit, quare locum tutum in quo vitam transigere possis, petis ne ab Angelo illum postules, importunus censeberis merito postquam primū accepit hoc secundum ab eo exigit, quia qui beneficiū aliquod contulit, maius etiam conferre tenetur: consule Oleastrum, *docemur hic eos qui gratiam fecerunt, debere maiora exhibere, vt perficere quæ cœperunt videantur: videtur enim hic Loth obligare Angelos postquam vitam concesserant, concedere ciuitatem qua saluetur.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXI.

VLG. Dixitque ad eum, ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es.

Sep. Ecce admiratus sum faciem tuam, etiam in verbo hoc vt non euertam ciuitatem de qua locutus es.

Cald. Ecce suscepi faciem tuam pro hac re, &c.

Arias. Ecce suscepi faciem tuam etiam in verbo hoc, non ad subuertere me ciuitatem quam locutus es.

Symm. acquiesco precibus tuis.

CONCORDIA.

QVamuis in Hebræo sit suscepi faciem tuam, & in vulgata, suscepi preces tuas, nullum est discrimen, suscipere enim faciem est Hebraismus, significans, acquiescere precibus נשא Nasa enim significat ferre, suscipere, leuare, attollere, quando autem Dominus exaudit orantem, illius faciem dicitur suscipere, attollere, nimirum antea in precibus demissam & humilem. Septuaginta autem longè aliter habent, scilicet, admiratus sum faciem tuam, quorum difficilis est sensus, nisi dicamus admiratus sum, id est mire reueritus sum, & honoraui faciem tuam, dum scilicet tui amore & reuerentia, iuxta vota tua parco vrbi ad ignem damnatæ.

EXPOSITIO.

ECce etiam in hoc suscepi preces tuas, &c. id est etiam acquieui precibus tuis non solùm pro aliis, sed etiam pro ciuitate: si enim non rogasset, illam etiam subuertissent, Angelus autem cui loquebatur Loth, non ex propria auctoritate, sed ex inspiratione Dei promittit se vrbi condonaturum.

CONCEPTVS

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Orationibus nostris non grauatur Deus quamuis repetitis.

Abulens.

270. *SVscepi preces*, nonne Deus dicere poterat fac quod iussi, montem conscende in quo salutem pollicitus sum te consecuturum, ciuitatem Segor dimitte, nihil horum loquitur Deus, sed precibus illius acquiescit, tanti enim eas estimat, vt eas non grauetur admittere, quamuis alias supplices procubuerimus *non solùm audiui te*, inquit Abulens. *quantum ad alia, sed etiam in hoc vt non subuertam vrbem, quasi diceret pluries tuas preces admisi, non tamen easterum suscipere grauabor.*

Deus pronior ad miserendum quàm ad puniendum.

Lipp.

271. *Suscepi preces, vt non subuertam vrbem*, nonne statuerat saltem conditionaliter eam deleturum? quid igitur preces suscipis illius conseruationis gratia? quia Deus, inquit Lipp. *pronior est ad indulgendum quàm ad subuertendum*, & cur pronior non esset cùm proprium illius sit misereri & parcere?

Pronior Deus ad exaudiendum, quàm nos ad petendum.

Cit. Lipp.

272. *Suscepi preces tuas*, nondum finem imposuit deprecationi tuæ, & ecce eam suscepisti: nonne, ô Deus quod cito conceditur cito contemnitur? dona enim vilescunt quæ nullo labore acquiruntur; paululum igitur illius preces differas, minimè quidem, quia (inquit Lipp. *propensior est Dominus ad exaudiendum, quàm nos simus ad orandum.*

Maxima est orationis efficacia.

D Bernard, Serm 5. de ieiun.

273. *Suscepi preces tuas*, vt non subuerterem ciuitatem, si ciuitatem, si ciuium peccata vrbis suæ excidium merentur, & propter ea illam delere statueras, cur preces vnius hominis suscipis ne punitionem debitam exequaris? quia tanta est orationis efficacia vt quod postulat, obtineat. Sic D. Bernardus Serm. 5. de ieiunnio; *nemo paruipendat orationem suam, dico enim vobis quia ipse ad quem oramus non paruipendit eam, priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi iubet in libro suo, & vnum indubitanter è duobus sperare possumus, quoniam, aut dabit quod petimus, aut quod nouerit esse vtilius.*

Oratio etiam impetrat impiorum vitam.

Lipp.

274. *Suscepi preces tuas*, vt non subuerterem ciuitatem, non miror hominis iusti deprecationem suscipere, sed cum orauerit pro ciuitate, cuius habitatores flammis consumi mererentur, cur non denegas petita eius? quia tantæ oratio est efficaciæ vt etiam pro impiis vitam indebitam consequatur, *gratificabor tibi* (inquit Deus, teste Lipp.) *& oppidum istud seruabo propter te, tantum valet iustorum oratio apud Deum.*

Pauca nescit largiri Deus.

Chrysost.

275. *Suscepi preces tuas*, vt non subuertam vrbem, quamuis ciuitatis condonationem petitioni Loth tribuas, cur etiam incolumes illius habitatores permittis? non enim illorum salutem deprecatus est, sed solùm vt in ciuitate securus possit manere, quod quidem cõsecutus fuisset, etiam si nullus ciuis illius vrbis permansisset, non solùm ciuitatem sed & ciues seruat, quia pauca nescit largiri Deus. Fauet D Chrys. *petitionem tuam tibi exhibeo, propter te, etiam ciuitati parcam, quasi diceret non solùm annuo precibus tuis, sed vltra nulla erit pœna habitatoribus insligenda.*

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXII.

VVLG. Festina & saluare ibi, quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc, idcirco vocatum est nomen illius Segor.

Sep. Festina igitur ad euadendum illuc, non enim potero facere rem donec tu venias illuc.

Pag. Festina erue te illuc &c. *addit Ar.* quia non potero ad faciendum rem vsque ad ingredi tuum illuc, idcirco vocauit nomen ciuitatis Sohar.

Lipp. non potero facere verbum.

Iustinus. Festina vt saluere istic, non enim potero peragere negocium donec ingrediaris.

CONCORDIA.

QVod Hebraïce dicitur facere verbum, optimè transtulit noster interpres facere quidquam, nec non 70. cùm legunt facere rem דבר Dabar enim non solùm verbum, rem, sed quidquam significat.

EXPOSITIO.

FEstina & saluare ibi, id est ne in eundo moreris, sed cito in Segor, vt ab vltione libereris salutem consequere, *quia non potero facere quidquam* &c. sciebat enim Angelus Deum velle Loth conseruari incolumem, nec se Dei voluntati resistere posse ac proinde dicebat se quidquam facere non valere in illorum vltionem, quovsque Loth in locum tutum se recepisset

Vocatum est nomen illius Segor, quia Loth eam appellauerat modicam & paruam, idcirco factum est vt eavrbs postea dicta sit Segor siue Zochar, nomine ipso significante paruitatem, priùs autem vocabatur Bala, quæ Latinè, inquit D. Hieronym. deuoratio interpretatur, tradunt Hebræi hanc etiam nuncupari Salislam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Maxima est Deo cura hominis iusti.

276. **F***Estina & saluare ibi*, nonne acquieuisti precibus eius, vt in Segor saluaretur? ad quid igitur non solùm mones, imo & compellis, vt festinet salutem suam consequi? nonne sua res agitur? prouideat suæ incolumitati, tanta est hominis iusti Deo cura, vt non solùm moneat, sed & compellat salutis suæ festinanter remedium quærere: fauet Chrys. *quia curam ago tuæ salutis expectabo donec illinc abeas.*

S.Chrysost.

Magna est Angelorum erga Deum obedientia.

277. *Festina & saluare ibi, non potero facere quidquam &c.* nonne Sodomam ingressus es, vt ciuitatem deleres? quomodo ergo ita viribus destitutus, vt nihil exequi posse fatearis? non ex defectu potentiæ, sed ex maxima in Deum obedientia volentem vt ciuitatem non destrueret, nisi iam saluo Loth & incolumi. Sic Dionys. Carth. *nullam vindictam valet exercere in vallis istius vrbibus; Deus n. ita ipsi præceperat Angelo, vt non subuerteret vrbes illas nisi ipso Loth existente in loco tuto.*

Dionys. Carth.

Miraculum non petendum sine necessitate.

278. *Festina & saluare ibi, non potero facere quidquam donec ingrediaris*, si Deus in Angelis loquitur, est ne limitata illius potentia, ita vt Loth saluare non valeat, nisi Segor ingrediatur? nonne etiam mediis in flammis eum incolumem seruare in illius situm est potestate? quid ergo impotentiam suam accusat? non ex defectu potentiæ, iubet enim ingredi Segor, sed quia miraculum non est faciendum sine necessitate. Fauet Thom. Ang. *quamuis ipsum non ingressum in Segor posset ab incendio saluare, vult tamen in hoc seruare communem cursum, & ideo non vult quod in hora incendii sit in locis subuertendis.*

Th.Ang.

Salutem nostram omnibus modis sollicitat Deus.

279. *Festina & saluare ibi*, cùm sit iam ætatis prouectæ, permitte vt lento gradu iter inceptum perficiat, nota quod si paulatim progrederetur, occasionem fortè accepisset infringendi præceptum respiciendi retro, ex cuius transgressione miserè periisset: optimè igitur iubet vt festinet, significans se salutem illius omnibus modis sollicitare. Fauet Abul. *ista festinatio multum erat vtilis, scilicet vt ne si tardè moueretur, & multum in ambulādo tardaret, cogitatio ei insurgeret de respiciendo retro.*

Oratio sanctorum quasi Dei sententiam mutat.

280. *Festina & saluare ibi, non potero facere quidquam*, tanta ne est virtus iusti Loth apud Deum vt illius meritis, se dicat ab infligenda malis vindicta præpediri? quod Ezechiel querebatur non posse fieri à falsis Prophetis Israël, non ascendistis ex aduerso neque opposuistis murum pro domo Israël Ezechiel. 13. ad quem locum D. Hieronym. Hieremiæ quoque dicitur, (inquit) ne occurrat Domino, neque stet contra iram eius orationis perseuerantia, Hieremiæ. 7. sicut enim murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso, contraque venienti, ita Dei sententia sanctorum precibus frangitur, sed quænam tanta vis sanctorum, vt Deum tanquam murus contineat? si ne dubio oratio sanctorum, audi eundem Hieron. *Moysi dicitur dimitte me, cur dicitur dimitte me? ostendit quod tenendi habeat facultatem, ipsi stare non possunt in prælio in die Domini vt pro populo precibus dimicent & resistant obsecrationibus sententiæ Dei.*

Ezech. 13. Hiero. in Ezech. 13. Hier. 7.

Merita sanctorum quasi potentiam Dei impediunt.

281. *Festina & saluare ibi, non potero facere quicquam*, cùm tua infinitæ sit virtutis potentia, quomodo te impotentem fateris? simul & te Deum esse non dicemus, Deus enim est omnipotens: nota quod dicitur Marci 6. non poterat facere ibi aliquas virtutes, quod intelligendum non ex defectu potentiæ illius, sed ex demeritis eorum: dic igitur à simili, non impotentiæ Dei tribuendum est non potuisse Sodomam delere vsquequo Loth Segor ingrederetur, sed meritis illius: sic Hugo à Sancto Caro. *non potero, id est merita tua exigunt vt non faciā, donec ingrediaris, poterat igitur per potentiam, sed non poterat per iustitiam.*

Hugo à S. Caro.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXII.

V*VLG.* Sol egressus est super terram, & Loth ingressus est Segor.

Vatab. Iam sol egrediebatur, & Loth ingressus est sohar.

EXPOSITIO.

S*Ol egressus est super terram*, id est super Sodomæ orizontem *ingressus est Loth Segor*: cùm enim è Sodoma summo manè abiisset, & proxima ei esset Segor, orto iam solè eam ingreditur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Recedens à peccatis humilitatem suam considerat.

282. **S***Ol egressus est super terram & ingressus est Segor*, quid significat orto sole post egressum à Sodoma, Segor ingressum fuisse? aduerte egressum ab vrbe Sodomæ significare à peccatis exitum, Segor autē propter paruitatem, humilitatem, rectè igitur Loth egrediens Sodomā, orto sole ingreditur Segor, quia vt inquit Hugo Card. *quilibet declinās à vitiis intra limites paruitatis colligitur, & humiliatur cōsiderās Dei beneficia.*

Hug Card.

Gratia Dei operante saluamur.

283. *Sol egressus est super terram, & ingressus est Segor*, cur annotat in solis egressu, salutem in vrbe Segor consecutū? nota per solē, Dei gratiā designari: rectè igitur orto sole Segor ingreditur, vt ab incendio liberetur, quia gratia Dei operāte saluamur: annuit. D. Dami. li. 4. epis.

D. Pet. Dami lib. 4 ep 5.

4. epiſt. 5. *cum mẽs per deſidiã primitus tabefacta & ĩã in ſe reuerſa, ad conditoris ſui deſiderium recaleſcit, cùm torporem negligentiæ deſerit, & frigus inſenſibilitatis priſtinæ flamma ſancti amoris accendit, tunc velut incaleſcente ſole victoria de hoſtibus ſumitur, & obſeſſa ciuitas de ſuperbi regis manibus liberatur*, adde & liberamur.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIII.

VVLG. Igitur pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham, ſulphur & ignem à Domino de cœlo.

Cald. Et Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à facie Domini de cœlo.

Pag. Et Dominus pluit ſuper Sedom & ſuper Hamorah ſulgur & ignem à Domino de cœlis.

Cajet. à Iehoua de cœlis.

Oleaſter pluit picem & ignem &c.

EXPOSITIO.

P*Luit Dominus*, id eſt pluere fecit miniſterio Angelorum aut aëris. *ſulphur & ignem*, id eſt aquam ſulphuream & igneam, vel cecidit tunc ad modum pluuiæ denſiſſimum ſulphur ignitum.

A Domino, cùm ante dixerat pluit Dominus, pluralitas perſonarum denotatur, vel pluit Dominus à Domino Hebraiſmus eſt, quod ingens pluuia ſignificatur, ſicut & montes Dei montes magni dicuntur.

De cœlo, id eſt de ſupremo aëre, vbi viſiones ignitæ generari ſolent, credibile etiam eſt magnis motibus quaſſata illa terra, erupiſſe magnam vim ignis & aquarum feruentium, quibus illæ ciuitates conſumptæ & deletæ ſunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Pœna reſpondet peccato.

285. *Pluit Dominus ſulphur & ignem*, cur igneo ſulphure puniuntur? nonne aliis ſupplicijs affici poſſent? nota quod ignis ſulphureus habet ardorem & fœtorem, ad ſignificandum vitium Sodomorum, cuiuſmodi eſt vitium contra naturam, quod fœtet vilitate & ardet concupiſcentiæ feruore: recte igitur eorum ſupplicium eſt in ſulphure & igne, vt peccato fœtidiſſimo correſpondeat pœna, ſic Albinus, *ſulphure & igne puniuntur vt putidiſſimus libidinis ardor putidiſſimo flammarum ardore puniretur*, addit Innocen. 3. lib. de contemptu ſæculi c. 25. *quatenus pœna ſimilis eſſet culpæ.*

Albinus.

Innoc. 3. lib. de contemp. ſæc. c. 25.

Pluralitas perſonarum in Trinitate.

286 *Pluit Dominus ſulphur & ignem à Domino*, neſcio cur ſuperfluè loquitur Moyſes, ſufficienter enim dictum fuerat pluit Dominus, vt intelligeremus maximam ignis & ſulphuris copiam cecidiſſe, ſine additione à Domino: non ſine myſterio dictum eſt pluit Dominus à Domino, ſed vt inde perſonarum pluralitas denoteturːſic Concil. Syrmienſe can. 16. *ſi quis illud quod ſcriptum eſt, pluit Dominus à Domino, non de Patre & Filio perceperit, ſed Deum Patrem à ſeipſo pluiſſe ſcripſerit, Anathema ſit, pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.* aduerte illud Concilium fuiſſe probatum non quantum ad omnia, ſed tantum quantum ad confeſſionem fidei de diuinitate & æternitate Chriſti cõtra Photinum, qui aſſerebat Chriſtum fuiſſe tantum hominem, nec ante matrem extitiſſe; non tamen loquendi modus nec argumentandi ratio perinde probata eſt, hoc dictum eſt ne propter eius Concilii auctoritatem, expoſitionem apud plures receptam, hæc verba per hebraiſmum exponentes, hæreticam eſſe exiſtimet.

Concil. Syrmi. can 16.

Aduerte quid de hoc concil. tenendum.

Ipſemet Deus pœnam inducit.

287. **P***Luit Dominus ſulphur & ignem*, ſi Deus præcipit vt pluuia in terram decidat, cur Moyſes aſſerit ipſummet Deum pluiſſe ſulphur & ignem, quibus extincti ſunt habitatores Sodomæ? ſine dubio vt ſignificet Deum etiam hominum ſcelera punire, ſic D. Chryſoſt. *vt dicat nempe Moyſes quod Dominus pœnam inducit.*

D. Chryſ.

Grauioribus peccatis grauiores reſpondent pœnæ.

288. *Pluit Dominus ſulphur & ignem*, ſi genus humanum temporibus Noë ſolùm aquis mergitur, cur nunc eadem pœna non caſtigãtur Sodomitæ, ſed igne & ſulphure? nota longè grauius fuiſſe Sodomitarum crimen, vt pote contra naturam, quàm aliorum qui tempore Noë conſumpti ſunt: rectè igitur igne & ſulphure ciuitates execrandæ puniuntur, alii autem ſolùm aquis, quia grauioribus delictis grauiores pœnæ reſpondent: ſic Albin. *diebus Noe peccatum aquis punitur, quia illud naturale libidinis cum fœminis peccatum quaſi leniori elemento damnatur, hoc vero contra naturam cum viris libidinis peccatum acrioris elementi vindicatur incendio, & illic terra aquis abluta reuireſcit, hic flammis cremata æterna ſterilitate areſcit*: *ſic etiam Strabo ſatisfacit.*

Albinus.

Strabus.

In quem peccamus, ab eo punimur.

289. *Pluit Dominus de cœlo ſulphur & ignem*, &c. cur de cœlo hoc ſupplicium contingere voluit, cùm maxima copia ignis & aquarum feruentium erumpere potuiſſet, ſolumè terra? nota clamorem peccatorum Sodomæ in cœlum aſcẽdiſſe: rectè igitur de cœlo deſcendit ignis, vt contra quod quis peccat ab eo ſupplicium accipiat: ita Rupert lib. 6. c. 11. *qui carnis fœtorem miſerant ad cœlum, rectè de cœlo fœtorem igneum vel ignem fœtidum receperant.*

Rup. lib. 6. cap 11.

Chriſtus Dominus iudicat peccatores.

290. *Pluit Dominus ſulphur & ignem à Domino*, non eſt dubium hoc iudicium & incendium, futuri iudicii per ignem figuram fuiſſe: ſed cur quæſo dicitur quod pluit Dominus à Domino, cum ſufficienter Dominus pluiſſet: certum eſt vt diximus hæc verba, *Dominus à Domino*, pluralitatem perſonarum inſinuare, has autem perſonas Patrem & Filium deſignare: optime igitur Moyſes aſſerit Dominum à Domino ſulphur & ignem pluiſſe, vt ſignificaret filium Dei ab

eo procedentem & Dominum à Domino iudicium de peccatoribus sumere, sic Rupert. cit. *bene dictum est pluit Dominus à Domino, quia videlicet iudicium illud facere accipit filius Dominus à patre Domino, sicut ipse ait, Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.*

Rup. Abb.

Figuratur futuri iudicii euentus.

291. *Pluit Dominus ignem & sulphur*, quo tempore quæso hoc miserandum Sodomæ excidium contigit? ait textus cùm sol egressus est super terram: sed quid quæso denotat in ortu solis Sodomitas puniri, Loth autem incolumem & saluum fieri? nisi sole Christo Domino ad iudicium veniente, impios condemnandos, iustos autem salutem consecuturos: fauet Rupert. cit. ca. 10. *sole orto, venit Sodomorum perditio, Loth ingressus est Segor, scilicet in similitudinem futuri, quando apparente ad iudicium sole iustitiæ Christo, consummabitur peccatorum perditio, illos autem quibus parcere dignum erit, fugientes ab ira suscipiet miseratio.*

Cit. Abb.

Persona diuina ab alia procedit.

292. *Pluit Dominus ignem & sulphur à Domino*, cur non dicis, pluit Dominus & Dominus, non autem Dominus à Domino, grammatices enim regulæ minime seruantur, sed rectè non Dominum simpliciter, nec Dominum & Dominum pluisse, sed Dominum à Domino dixit Moyses, vt denotet non solùm pluralitatem personarum, sed vnam ab alia procedere, sic Thomas Angl. *dicit Dominus pluit à Domino, vt distinctionem & originalem habitudinem personarum Dei subinnuat, quamuis enim essent plures, vna non esset ab alia, non proprie dici posset quod vna ab alia accepit potentiam & actū pluendi.*

Tho Angl.

Peccatum luxuriæ contra naturam fœtidissimum.

293. *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem*, nonne ignea pluuia sufficeret, vt ciues ardore nimiæ libidinis æstuantes misere perirent? cur igitur sulphur cùm eo decidit? animaduerte sulphur fœtidissimum esse: non sine mysterio igitur non solùm ignea pluuia, sed & sulphurea percutiuntur Sodomitæ, luxuriæ contra naturam dediti, vt huiusmodi peccatum omnium fœtidissimum esse denotetur: ita Abul. *sulphur fœtet, cùm ardet, quia tale vitiū fœtidum, imo omni fœtore fœtidius quod natura humana exhorrere deberet.*

Tostatus.

Pœnam vult Deus peccatores maxime sentire.

293. *Pluit Dominus ignem & sulphur super Sodomam*, diximus hoc supplicium diurno tempore contigisse, sed cur Deus hoc potiùs tempore quàm nocturno euenire statuit? conuenientius enim mihi videtur nocturnum, vt maior eis terror incuteretur; sed tamen diurnum tempus huic supplicio destinauit, vt ignem quo cremabantur, conspicientes, grauiori dolore premerentur; ita Tostatus, *fuit pœna ista facta in die vt infœlicissimi illi quo torquerentur, viderent, videbant enim de cœlo ignem sulphureum cadētem & timore concutiebantur, deinde inæstimabiliter dolebant.*

Abul.

Impii in hac vita pœnis inferni torqueri incipiunt.

244. *Pluit Dominus ignem & sulphur super Sodomam*, &c. mysterio ne caret, ignem & sulphur eorum fuisse supplicium, cùm tot alii puniri possent? nota damnatorum pœnam ignem esse: hic igitur Deus vrbes execrandas igne plectit, vt in hac vita suppliciis inferni incipiant torqueri, sic D. Bern. de conuer. ad cleri. c. 19. *Ecce quomodo gehennalis flamma moram non sustinens execrabilem illam præuenit tollere nationem.*

Bern. de conuers. ad cleri cap. 19.

Tam graue delictum est luxuria contra naturam, vt etiam tellus tam impium pondus sustinens puniatur.

295. *Pluit Dominus ignem & sulphur super Sodomam & Gomorrham*, concedo libenter te iustissimas ab habitatoribus Sodomæ pœnas exigere, sed quodnam crimen admiserunt ipsæ ciuitates, omnis rationis incapaces, vt igne & sulphure puniantur? vt agnoscamus tam graue delictum esse luxuriam contra naturam, vt etiam tellus tam impium pondus sustinens etiam puniatur: fauet cit. Bernard. *Ecce quomodo & ipsam vt pote consciam tantæ confusionis tellurem absumpsit ignis, sulphur, & spiritus procellarum, ecce quomodo in lacum horribilem solum omne redactum est.*

Cit Bern.

Tam periculosum est huiusmodi crimen vt per seipsum Deus punire velit, ne aliquis alius vltor quodammodo inficiatur.

296. *Pluit Dominus ignem & sulphur*, cur non dicitur Angelus vel homo auctor huius pœnæ, vt pluries contigit, sed Deus? scio Innocen. 3. lib. de contemptu sæculi c. 25. noluit Dominus cuiquam Angelorum vel hominum exequutionem huius pœnæ committere, sed sibi metipsi vindictam huius sceleris reseruauit, secundùm illud, *mea est vltio, & ego retribuam*, Deut 32. & ideo pluit Dominus à Domino videlicet à seipso: sed addo noluisse Deum, vt tam iniquum scelus ab aliquo etiam puniturо videretur, ne forte vel ipso aspectu Angelus vel homo, si vltores essent, quodammodo inficerentur.

Inno. 3 lib. de cont. sæc. c. 25.

Deut. 25.

Maximum est huiusmodi crimen.

297. *Pluit Dominus ignem & sulphur*, &c. cur non dicitur misisse pluuiam, eloquentior est enim hic modus loquendi. Phrasis pluit ignem & sulphur omnino inelegans, videtur, falleris. Accipe citatum Innocentium, *non misisse dicitur sed pluisse, quatenus ipso verbo magnitudinem & abundantiam pœnæ notaret*, magnitudo autem supplicii non respondet nisi maximo sceleri.

Cit Innoc.

Peccatum huiusmodi infandum.

298. *Pluit Dominus ignem & sulphur super Sodomam & Gomorrham*, &c. cur non dixit Moyses propter quod crimen ita eos seuerè castigat, ita vt igne & sulphure consumat? non exprimit, quia peccatum contra naturam ita graue, vt nec verbo pronuntiari debeat. sic Lactant Firmi lib. 6. diuin. instit. c. 23. *non potest hæc res magnitudine sceleris enarrari, nihil amplius istos appellare possum quàm impios & parricidas, quibus non sufficit sexus à Deo datus, nisi & suum profanè ac petulanter illudant*: deinde quasi tāto flagitio explicādo impar, ait, *quibus hoc verbis aut qua indignatione tantum nefas prosequar? vincit officium linguæ sceleris magnitudo.*

Lact Firmi. lib. 6. diuin. ca. 23.

Nefando crimini dediti non homines, sed monstra.

299. *Pluit Dominus ignem & sulphur super Sodomam & Gomorrham*, si habitatores illarum ciuitatum igne & sulphure extincti periere, quomodo non ait Moyses, pluit Dominus super viros Sodomæ & Gomorrhæ? iure merito viros non nuncupat, crimini enim nefando dediti non homines censendi sunt, sed monstra; sic enim eos vocat Tertull. lib. de pudi. c. 4. *reliquas*

Tert lib. de pud. c. 4.

quas libidinum furias & in corpora & in sexus vltra iura naturæ non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submouemus, quia non sunt delicta, sed monstra.

Quasi naturæ ordo inuertitur in puniendo delicto contra naturam.

300. *Pluit Dominus ignem & sulphur*, quis antea pluuiam ignis & sulphuris agnouit? nonne solùm sunt aquarum pluuiæ? quomodo ergo in puniẽdis Sodomitis, diluuio præter naturæ ordinem Deus vtitur? quia in puniendis delictis contra naturam tanquam nefandissimis etiam ipsemet inuertitur ordo naturæ, ita D. Chrys. ser. de Adam. *Sodomitis, Achab &c. erat iusta retributio his qui naturæ subuerterant leges, fœminas in masculis quærentes, vt inuertatur in eis ordo naturæ, & fiat eis naufragium ex igne quasi & aqua.*

Chrys. serm. de Adam.

Qui visis aliorum suppliciis cautiores non sunt, grauius offendunt.

301. *Pluit Dominus ignem & sulphur super Sodomam & Gomorrham*, maximum quidem supplicium, sed quomodo eo cognito, plures in eadem crimina labuntur, & tanto incendio obruta denuo suscitant? an existimant cum illis Deum misericordiùs acturum? imo longè seueriùs, quia qui visis aliorum suppliciis cautiores non sunt, longè grauiùs offendunt & sic acerbiores luent pœnas: audi Anast. Nic. q. 8. in Sacram scripturam, *si illi qui legem non didicerant, neque prophetas legerant, propter execrandam illam operationem consumpti sunt à sulphure, quanto nos maiori digni sumus supplicio qui legem, prophetas & apostolos assidue legimus, & deteriora facimus?*

Anast. Nic. q. 8 inscrip.

Quamuis seuera Dei punitio, tamen breuissima.

304. *Pluit Dominus sulphur & ignem*, sed hoc incendium, ò Moyses, an lento gradu, vel vt aiunt, testudineo consumpsit Sodomitas? nam secundùm eorum delicta quibus à plurimis annorum curriculis dediti fuerãt, huiusmodi excidium diutius perseuerare debuerat: perexiguo tempore inflicta hæc pœna, quia etiam Deus in seueris punitionibus maxime misericors, cùm eas velociter finire statuat: ita Mend. in expos. litteræ vers. 19. cap. 6. prim. lib. Reg. *diuina vltio breuissimè & velocissimè fieri consueuit, vt illa Sodomorum.*

Mend. in c. 6. 1 lib. Reg.

Iudicium in reos nonnisi maturè & magna cunctatione ferendum.

305. *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem*, certè dices has voces inter se non bene hærere, cùm nec pluuia & ignis inter se conspirent, ignis enim rapidus subitoque consumens descendit, imo præceps cadit, pluuia verò placidè & leniter defluit; sed cùm egregium hoc sit Dei iudicium, vt non rapidè nec citato cursu, sed lentè ac cunctanter pœnas irroget, mirificè subsistit locutio, atque ideo ignem pluere, non vero iaculari Dominus dicitur, quòd ignis vim atque impetum retardet atque cohibeat, ne supplicium rapidum & præceps vt ignis, sed vt pluuia descendat.

In puniendis impiis miraculum operatur Deus.

306. *Pluit Dominus ignem & sulphur*, in hebræo habetur pluit Iehoua, sed nonne sufficiebat dictum fuisse à Mose pluuiam igneam & sulphuream cecidisse nulla mentione facta Dei pluentis? iterum cur addit de cœlo? ignis enim non descendere, sed ascendere consueuit: sine dubio vt hoc incendium non naturaliter, sed supernaturaliter contigisse compertum esset & sic Deum in puniendis peccatoribus miraculum operari: sic Cajet. *non solùm significatur quòd ipse fons essendi est, etiam auctor tollendi esse viuentium, sed etiam quod præter naturalem rerum cursum miraculum operatus est in puniendo iniquos, ad differentiam enim naturalium causarum naturali ordine concurrentium, ad generandum ignem & sulphur apponitur à Iehoua.*

Card. Caiet.

Aduentus Christi Dimini inopinatus.

307. *Pluit Dominus ignem & sulphur*, an huiusmodi pluuiam igneam & sulphuream expectabant? audi D. Luc 17. factum est in diebus Loth edebant, & bibebant, emebant & vendebant &c. tunc ignis de cœlo descendit: quid quæso nobis denotatur quòd illis nihil cogitantibus, ignis superuenit omnes consumens? nisi quod inopinatus erit aduentus Christi Domini in consummatione sæculi omnes impios condemnantis: sic D. Cyrill. Alex. in c. 17. Luc. *quod ex inopinato & nemine conscio appariturus sit, cùm præsentis sæculi finis aderit eodem modo ait futurum in consummatione vniuersi, sicut factum est in diebus Noe & Loth, edebant, inquit ille, & bibebant &c. cùm illos quidem aquarum diluuium perdidit, hi vero diu materies & pabulum ignis facti sunt, quid igitur hic significatur? voluit vtique nos Deus semper vigilare & paratos esse vt coram diuino tribunali causam nostram dicamus.*

Luc 17.

Cyril. Alex in c. 17. Luc.

Locum punitionis in exemplum Deus relinquit, vt eo conspecto à peccatis arceamur.

308. *Pluit Dominus ignem & sulphur*, ita vt locus vrbium quæ igne combustæ fuerunt, manserit inhabitatus, cur Dei prouidentia vsque in hunc diem ita perseuerat? cur ab hominibus non tollitur? vt huiusmodi locus punitionis diuinæ in exemplum omnibus posteris maneat, vt à peccatis propter quæ Sodomitæ pœnas dedêre, arceantur, sic Richardus de Lytio Epis. Aquinas sermone 9. de timore iudiciorum cap. 30. *puto* (inquit) *quod sapientissimus Deus statuerit locum illum vt sic magis occasionem habeant homines cognoscendi potẽtiam Dei: cùm enim Sodomitas deleuit non passus est regionem illorum in lacum conuersam, vllo vnquam tempore habitabilem fieri.*

Rich de Lytio Epis. ser 9. de timore iudic.

Supplicia à Deo inflicta pro beneficiis habenda.

Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, conflagrationẽ eorum pluuiã vocauit, imber quidem in solum decidens, glebam fœcundat & tamẽ fructum hominum & animantium victui ministrat; vnde beneficia quæ Deus immittit hominibus in scriptura quandoque pluuia appellantur: quid ergo ignis, qui omnia vastat, commune habet cum imbre fœcundante? bene ignis à Deo missus pluuiæ nomen meretur, quia eorum bonum respiciebat, nam cum Sodomitis recte actum est etiam cùm incendio conflagrant, ne vlteriùs delinquant & sic grauius puniantur: sic D. Chrysostomus in psal. 110. *beneficio afficiens in Sodomam ignem illum iaculatus est, & quidquid dixeris eorum quæ fiunt vnumquodque facit ad beneficia*: in eandem sententia adducit illud Amos 4. *subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrham*, quod vltimum excidium Sodomæ videtur, & tamen quasi magnum contulisset beneficium subdit requirens tanti beneficii gratitudinem, his verbis, *& non redistis ad me, dicit Dominus, quapropter hæc faciam tibi Israel, postquam autem hæc fecero tibi præparare in occursum Dei tui Israel,*

D. Chrys. in Psal. 110.

Amos 4.

ergo queritur Deus quod Israel pro supplicio quod magni beneficii loco numerat grates debitas non persoluerit.

Qui indigne Eucharistiæ Sacramentum suscipit, pœnis plectetur grauissimis.

Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, vide quo verbo vtitur Moyses cùm de supplicio agit quod Deus impiis intulit, nempe pluo, si autem consideratur, eodem verbo vtitur cùm de māna Eucharistiæ Sacramenti symbolo loquitur, teste Dauid dicente Psal. 77. *pluit illis manna ad manducandum Panem cœli dedit eis*, cur eodem modo loquendi vtitur Deus dum de vltimo excidio tot hominum loquitur & cùm de maximo beneficio verba facit? vt noueris Deum quidem immittere manna, id est largiri eucharistiā, si vero minus gratus erga tantum beneficium extiteris vel indigne susceperis, ipsemet ignem pluet qui de fontibus seuerissimum sumet suppliciū. hoc dixerim ex Gaudent. Episc. Brixi. tract. 10. cuius verba proferā, *ipse pluit manna cibum suis cultoribus, qui ignem pluerat nefando sacrilegio criminosis, ipse pluit manna placidus, qui flammam pluerat indignatus.*

Psal. 77.

Gaudentius tract. 10.

Baptismi gratia singulariter opponitur ardoribus lasciuiæ.

302. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino*, si fulmina iaciuntur, cur dicitur Deus pluisse? cùm verbum pluo potius ad aquarum nimbos spectet quàm ad ignem & sulphur; nees cum fulminibus igneis iaculatis simul cecidisse copiosam pluuiam aquæ, vt lacus manantes in illarum ciuitatum locis testantur, sed cur cum libidinum vltoribus ignibus mittit Deus aquas? certe vt prænotaret libidinum remedia tandem in baptismi aquis esse paranda: accinit Claudius Marius lib. 3. in Genes.

Nec tamen hîc occulta vacant mysteria, nam quod
Vnde hic sunt vbi flamma fuit, quod flammea missis
Desuper extinxit limphis fortasse notabat,
Luxuriæ calidos ignes fomentaque prima,
Peccato contracta Patris cœlestibus vndis
Extinctum quandoque iri.

Claud. Mar. lib. 3. in Genes.

Iam ex tunc aquæ notabantur, quæ aduersus libidinum flammas militent, illasque penitus detriumphent.

Pœnæ quæ alios expectant in futuro sæculo, iam in præsenti lasciuos torquent.

303. *Igitur pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo*, sulphureus ignis omnibus peccatoribus in inferno imminet; eos enim expectat flamma sulphurea, vt optimè animaduertit noster Petrus Reginaldis qui florebat anno 1490. in suo speculo finalis retributionis, in pœna quinta, quæ est (inquit) odor fœtidus ex sulphureis ignibus, qui in inferno vbique miscebuntur: cur modo sulphureus ignis qui futurus destinatur peccatoribus in inferno, ad viuos Sodomitas præmittitur? cur non magis expectat eos descensuros ad abyssum? solent quidam pœnæ quæ alios expectant, luxuriosos præcurrere, qui sæpius supplicia aliis imminentia prælibant: sic fatetur Salui. lib. 4. de prouid. diuin. *Profecto flagitiosus ille populus Sodomæ, ignem illum accenderat quo peribat, & ideo completis iniquitatibus suis arsit flammis criminum suorum, tam male enim de Deo meruit, vt gehennam quæ in futuro iudicio datur, etiam in hoc sæculo sustineret*, præcurrit infernus, præcurrit mortuorum reproborum supplicium, vt vel anticipato tormento libidinosos torqueret.

Noster Petrus Reginaldis.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXV.

VVLG. Et subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem vniuersos habitatores vrbium & cuncta terræ virentia.

Sep. Euertit &c. omnes habitantes in ciuitatibus, & quæ exoriuntur è terra.

Cald. Et subuertit ciuitates has, & omnem planiciem & omnes habitatores vrbium, & germen terræ, sic in heb.

CONCORDIA.

INterpres habet cuncta terræ virentia, Caldæus autem cum hebræo germen terræ, sed omnium idem est sensus.

EXPOSITIO.

SVbuertit has &c non solùm Gomorrham & Sodomam quæ hic præcipue nominantur, quia aliis fuere maiores, sed Adama & Seboim.

Et omnem circa regionem, scilicet eam quam nunc operit mare mortuum, cuius longitudo habet duo & septuaginta millia passuum, super quingentos passus, latitudo autem prope decem & nouem millia passuum.

Vniuersos habitatores vrbium, id est non solùm viros nefando crimini deditos, sed mulieres, quæ licet hoc vitio etiam caruissent, aliis criminibus vt superbiæ, luxus, inhospitalitatis infectæ degebant, sed etiam infantes ratione carentes, solet enim Deus propter parentum crimina in eos animaduertere.

Et cuncta terræ virentia, illa enim regio, quæ antea erat omnis generis pulcherrimarum plantarum feracissima, post incendium admirandæ est sterilitatis, fructus enim ab ea producti nihil habent solidi, sed solum imaginem inanem præ se ferunt.

CONCE-

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peccatis respondent supplicia.

SVbuertit ciuitates has &c. cur ciuitates subuertuntur, cùm in nullo peccauere, & non solùm ciuitates, sed omnis regio ita vt omnino sterilis facta sit, imo mare quodcũ reddita? cur saltem terram solidam, vt aliquando aliæ possent ciuitates ædificari & construi, non dereliquisti? nota quod Sodomitæ steriles animas & ad virtutem inædificabiles (si ita loqui fas est) possidebant: optimè igitur omnino relinquitur eorum terra deserta & sine vlla soliditate, nec etiam ædificii aut agriculturæ idonea, vt eorũ delictis respondeant supplicia: sic D. Chrysost. ser. de Adam Sodomitis, *Achab*, &c. *futurum erat igne quasi succendente Sodomitas, cùm non solùm hi qui tunc erant perderentur, sed & locus in perpetuum corrumperetur; deuorat enim omne quod videtur, terræ vteros perdit, tantum sibi vsurpans profunditatis quantum quis fodiendo capiat, non solidat fundamentum ædificiis, ita vt vbicunque Sodomitarum terra non possit agricultura esse, vt pote in cinerosa terra, neque domus vt pote fundamentum ad ædificium non habente, quia enim incultas animas ad pietatem præbuere, quia ad virtutem visi sunt inædificabiles, ea ipsa passi sunt quæ fecerunt, & ob sua mala condemnati sunt, vnicuique enim Deus quam seminauit messem reddit.*

Chrysost. Ser. de Adam & Sodomitis.

Tam impium est vitium nefandum Sodomitarum, vt nullum eorum vestigium permanere velit Deus.

310. *Subuertit ciuitates has & vniuersos habitatores vrbium*, cur vniuersos? nam pueri rationis tunc expertes, peccatorum sicut & doli erant incapaces, sicque pœnam aliis inflictam non merebantur: cur igitur Deus ab eis non auertit iram indignationis suæ? quia tam detestabile & execrandum Sodomitarum scelus, vt nullum eorum semen permanere voluerit Deus: sic Alcuinus, *infantes cum parentibus in Sodomitis cremati sunt, ne posset aduerti impiissimum facinus Sodomitarum, si de origine eorum aliquod remaneret vestigium.*

Alcuinus.

Maximum beneficium est eos qui futuri sunt impii, à vita eripi.

311. *Subuertit vniuersos habitatores vrbium*, nimiæ seueritatis argueris, piissime Deus, quod innocentes etiam pueros igne consumis, aduerte eorum indolem maxime prauam fuisse, & sic parentum sceleris imitatores futuros: non seueritatis sed potius clementiæ Dei maximum argumẽtum pueros Sodomitarum igne cõsumi, ne superuiuentes parentumque imitantes scelera, deinde longè grauiùs punirentur: sic cit. Alcuin. *prouisum est illis, ne diu viuentes exempla sequerentur Patrum, & leuius crucientur in futuro.*

Alcuinus.

Agentes & consentientes eadem pœna plectuntur.

312. *Subuertit vniuersos habitatores*, si Deus incendio consumit viros Sodomæ & aliarum ciuitatum propter nefandum scelus, quomodo etiam mulieres tali incendio periere, cùm ipsæ tali peccato non fuerint fœdatæ? nota mulieres virorum delictis consensisse: quo supposito sic satisfacit Abul. *forte poterit dici, quod ipsæ talia non agerent, tamen consentiebant viris agentibus, & ideo tam in agentes quàm in consentientes eadem pœna dari debuit, vt patet ad Rom. cap. 1.*

Tostatus.

Rom. 1.

Parentes in filiorum interitu grauissime cruciantur.

313. *Subuertit vniuersos habitatores*, sed cùm inter habitatores comprehendantur etiam infantes, cur hi delentur? cùm vt rationis vsu, sic etiam iis criminibus alieni, quorum puniendorum causa clades illa inflicta erat, sine dubio, vt acerbiorem faceret parentum cruciatum interitus liberorum, non solùm propter naturalem flagrantiam amoris paterni erga filios, sed quod eorum morte omnem posteritatis suæ tuendæ ac propagandæ spem penitus extingui cernebant. fauet Abul. *quia patres mali cùm naturaliter diligant filios suos sicut boni, amarissimè cruciantur cùm filios suos mori vident.*

Cit. Episc.

Deus punit in præsenti, ne in futuro puniat.

314. *Subuertit vniuersos habitatores*, cùm tot crimina commisere; qui Sodomitica illa clade perierunt, an inferni suppliciis damnari cruciantur? an nõnulli temporario supplicio purgati & expiati in æternum inferni supplicium euaserunt? tanta est Dei misericordia, vt credibile sit aliquos doluisse de peccatis, sicque solùm temporales pœnas dedisse: videtur huius sententiæ D. Hieronymus qui explanans illa verba, 1. cap. Naum Prophetæ, *quid cogitas contra Dominum? consummationem ipse facit non consurget duplex tribulatio*; ait, *Loquitur iuxta tropologiam aduersus Marcionem & contra omnes veteres hæreticos, qui bonum nescio quem Deum confingentes arguunt Hebræorum Deum quasi crudelitatis, quod multos puniat, & pro peccatis irroget cruciatus, quid ergo ait contra Dominum cogitatis? quod si vobis crudelis, rigidus, & cruentus eo quod in diluuio genus deleuit humanum, & super Sodomam ignem pluit & sulphur, Ægyptiosque submersit fluctibus atque Israelitarum cadauera prostrauit in eremo: scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret: certe verum est id quod in loco per prophetam dixit, non consurget duplex tribulatio, siue vt verterunt 70. interpretes, non vindicabit bis in idipsum in tribulatione, ergo qui ad præsens puniti sunt postea non punientur: receperunt igitur & quum diluuio perierunt & Sodomitæ & Ægyptii & Israelitæ mala suam vita sua.* hoc intellige si contriti, supplicia patienter tolerauerunt.

Hieron. in illa verba cap. 1. Naum.

1. cap. Naum.

Ita graue est nefandum scelus vt perpetuò Deus ab eo pœnas exigat.

315. *Subuertit ciuitates has & omnem circa regionem*, non solùm ea regio vbi erant ciuitates illæ, quæ obruta est lacu & incendio consumpta, sed vicina regio circumquaque, per aliquot millaria, eodem malo affecta infectaque est, ita vt ne germen quidem producat in sui latitudine: sed cur tanta calamitas infelici illi regioni non solùm tunc cõtingit, sed etiam nunc perseuerat? sine dubio in execrationem peccati Sodomorum, vt Deus non solùm à tot sæculis illud vlciscatur, sed etiam ipsa regio pœnas luere perpetuo videatur.

Perpetuum vult Deus manere monumentum suorum suppliciorum, vt his cognitis simus cautiores.

316. *Subuertit ciuitates & cuncta terra virentia*, in

quo peccauerunt fructus, vt euertantur, imo vt illa regio quæ antea omnis generis pulcherrimarum plantarum erat feracissima, eadem post incendium & excidium regionis, aut nullas fert plantas aut sterilitatis admirandæ? partim enim fructum ferunt, nullum partim prodigiosum specie nimirum inani & falsa imagine, nihil intus habentem solidi, sine dubio etiam vt in plantis perpetuum manens illius supplicii monumentum stuporem spectantibus incutiat ac horrorem: sic Chrys. *quia homines qui tantum ciuitatem inhabitabant multos impietatis fructus protulerunt, idcirco inquit & inutiles fructus terræ facio, vt & illis abolitis perpetuum sit monumentum sequentibus generationibus, omnes doceat quanta fuerat inhabitantium malitia.*

S.Chryso.

In temporalibus pœnis aliquam æterni supplicii speciem aliquando immittit Deus, vt nos cautiores reddat.

317. *Subuertit Dominus ciuitates has, & vniuersos habitatores*, scilicet medio sulphure & igne: cur ad paucas vrbes perdendas maluit ignem mitti quàm alio eos supplicio affici? sane modo partem æterni sulphurei calicis propinabat vniuersis illarum vrbium habitatoribus, non vt inebriarentur ira diuina, sed vt gustarent aliquid de sulphuris inferni flammis, & ab eis fugere satagerent: id quod Saluian. lib. 1. de Guber. Dei fatetur, ait enim *dum cum iudicio malos perdidit Dominus, iam ad instar futuri iudicii iudicauit, cùm enim ad supplicium malorum gehennæ in futurum arsuram esse manifestum sit Sodomam & vicinas eius vrbes cœlestis flamma consumpsit, in præsenti, autem illud quod futurum est, Deus voluit declarare iudicium, quando super impium populum gehennam misit è cœlo.*

Salui lib. 1. de Guber. Dei.

Vnusquisque secundùm opera retributionem accipit.

318. *Subuertit ciuitates & vniuersos habitatores*, nonne Lot simul cum filiabus & vxore manebat Sodomis? quomodo igitur omnibus illius ciuitatis habitatoribus percussis Lot incolumis seruatur? quia vnusquisque secundum opera retributionem accipit, Sodomitæ supplicia propter impietatē, Loth propter virtutē & salutem: sic Chrys. *vidisti quanta res sit virtus, & quanta res malitia, & quomodo iustus saluatus sit, alii autem dignam sua malitia mercedem acceperint.*

S.Chryso.

Tam nefandum est peccatum Sodomiticum vt etiam ea quibus nutriebantur viuentia destruantur.

319. *Subuertit cuncta terræ virentia*, cùm à te creata sint, & nihil delicti commiserint, cur ea igne & sulphure consumis? non ignoras ea Sodomitarum alimento deseruisse, quid mirum igitur ea fuisse deleta? quia tam infame est peccatum Sodomiticum, vt etiam eorum alimentum destruat, sic Procop. *Dominus haud solos impios labefactat, etiam alimenta illorum sentiunt corruptelam, quia Sodomitas pascebant.*

Procop.

Peccatum nefandum maxime contagiosum.

320. *Subuertit ciuitates has*, non solum Sodomam & Gomorrham, sed & alias ciuitates destruxit: si textus solùm dicat quod clamor Sodomorum peruenit in cœlum, cur aliæ ciuitates igne consumuntur? quia contraxerunt ex vicinitate eundem morbum, nempe peccatum nefandum, sed cùm abinuicem essent separatæ, quomodo hunc morbum contrahere potuerunt? ait Lipp. *quia contagiosus est.*

Lipp.

Prælatus charitate fulgens, mundum supernatat, extinctus autem a mundo contemnitur.

321. *Subuertit ciuitates & omnem circa regionem*, ex qua maximus inde lacus principium habuit, in quem si quid viuum iniectum fuerit vel accensum, supernatat, si quid autem mortuum vel extinctum, mergitur: quid quæso nobis denotat, quod lampas accesa in huiusmodi mare mortuum proiecta, illi supernatans, at extincta illico submergatur? aduerte per hoc mare mortuum siue lacum, mundum denotari, per lucernam prælatum: quo posito respondet Hugo à Sancto Charo. *Prælatus lucerna si ardet superenatat mundum, & quæ mundi sunt contemnens & conculcans, lucerna extincta demergitur, quia Prælatus peccatorum & ignorantia tenebris inuolutus, à mundo conculcatur & vilipenditur.*

Hugo à Sancto Charo.

In finali iudicio non priùs impii condemnabuntur quàm iusti in cœlum recepti fuerint.

322. *Subuertit vniuersos habitatores vrbium*, consideremus quando nam hoc incendium contigit, quando scilicet iam Loth extra ciuitatē incolumis degebat; quid nobis denotatur quod Deus impios Sodomitas non prius punierit, quin Loth liber euaserit? audi Euseb. Cæsarian. c. 17. Luc. *quemadmodum hic exactè Saluator cauit, ne priùs ignis in impios Sodomitas cœlitus deplueret, quàm Loth egressus, & ab illis separatus: pari quoque ratione in sæculi consummatione, non prius erit finis quàm omnes iusti ac pii ab impiis separati atque in cœlestem arcam congregati fuerint, tunc enim nullo amplius inter homines iusto reperto, in peccatores omnes filios perditionis effectos & in vniuersum orbem à Dei cultu deficientem, cum omnibus impiis ira Dei descendet ac superueniet.*

Euseb. Cæsar. in c. 17. Luc.

Vitium nefandum ita enorme vt filius Dei tanquam iniuriam suæ personæ illatam grauiter puniat.

323. *Subuertit vniuersos habitatores*, quis subuertit? sine dubio ille de quo antea pluit Dominus à Domino: quis autē sit ille? Filius est à Patre, sed cùm opera Trinitatis sint ad extra indiuisa, quare punitio Sodomorum magis attribuitur Filio in diuinis quàm Patri? optimè satisfacit Palud. *hoc ideo, quia solus filius debuit naturam humanam, assumere in vnitate suppositi, quam quia scelerastissimi Sodomitæ turpissimè polluerant fiebat ei quasi iniuria personalis.*

Patriarcha Palud.

Aqua luxuriæ illaqueat, non abluit.

324. *Subuertit ciuitates has & omnem circa regionem &c.* miro Dei iudicio ibi factus est lacus, de quo mira narrantur de pœnit. Dist. prima cap. continuo, ait glossa quod illius aqua non est natabilis nec potabilis, quid nobis denotatur per aquam lacus Sodomitici quæ nec natabilis nec potabilis est? respondet Archid. ibi aqua luxuriæ Gomorrham non est natabilis quia illaqueat, non est potabilis quia non recreat, vnde Hiero. inquit noster Bernard. statim citand. *libido transacta semper relinquit pœnitudinem, nunquam satiatur, & extincta semper reaccenditur.*

Archid. Bernard.

Constans hoc vitium superat, leuis ab eo superatus.

325. *Subuertit ciuitates has & omnem circa regionem &c.* in quarum locum substituitur lacus de quo præter ea quæ à nobis dicta sunt recenset noster Bernardi.

ser.

ser. 6. post. 1. Dominic. in Quadr. cap. 4. de mystica punit. Gomorrh. quod ferrum ibi natat, & pluma mergitur, si ferrum tanti ponderis est, quomodo in hoc lacu non mergitur, sed superuehitur innatans? & quomodo pluma, qua nihil est leuius, submergitur? nonne per ferrum homo constantissimus, sicut per plumam homo leuissimus denotatur? bene igitur ferrum natat in aquis Sodomiticis & pluma eis submergitur, *constans* (inquit noster Bernardin. *& firmus hoc vitium luxuriæ superat & leuis & fragilis superatur.*

Noster Bernardio. ardinus ser. 60 post in Dñicau.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVI.

VVLG. Respiciensque vxor eius post se, versa est in statuam salis.

Sep. Et respexit vxor eius retrorsum, & facta est statua salis:

Alii habent versa est in cumulum salis.

EXPOSITIO.

Respiciens *vxor eius post se*, scilicet vt ciuitatem igne accensam intueretur, contra Dei præceptum, respexit autem non simpliciter, sed acerbo cum animi sensu, quo angebatur amissa omnia bona & cognatos pereuntes, ex quo putabat illam Dei vindictam præter modum, & supra delicti demeritum, crudelem & atrocem.

Versa est in statuam salis, aliqui impropriè & figuratè hanc statuam salis exponunt, scilicet pro monumento quodam eius rei incorruptibili, & in perpetuum mansuro, quia sicut sal à corruptione corpora præseruat, ita monumentum vt incorruptibile fore significetur appellatur statua salis, tamen hæc statua salis propriè sumenda est, non quidem liquabilis, sed ad duritiem petræ, conuersionis autem causa, mandati transgressio fuit.

Sed inquires, cur Deus puniens vxoris Loth inobedientiam, potissimum in statuam salis conuerterit? verior ratio est vt veluti sal sapientiæ factum hoc pœnitentes erudiret, ne ad pristina peccata reuertendo respiciant, Deus enim non solùm verbis, sed etiam factis salutis viam annuntiat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peccatum inobedientiæ grauissimè punitur.

326. Vxor *Loth versa est in statuam salis*, cur ab igne & sulphure liberata ita misere perit? ait textus respiciens post se, adeone graue delictum vrbem intueri, vt mortem subire debeat? certe nimia Dei seueritas arguenda, imo laudanda eius vindicta, peccatum enim inobedientiæ grauissimè puniendum; audi Chrysost. *quoniam audiuit Angelos præcipientes iusto, vt non se conuerterent retrorsum, sed cum magna festinatione secederent, neglexitque verba & præceptum non custodiuit, propterea sua negligentia dedit pœnam.*

Alii puniuntur vt eorum exemplo cautiores simus.

327. *Vxor eius versa est in statuam salis*, cur potius in huiusmodi statuam versa est à Deo quàm in aliam? nonne peccatum illius alio genere supplicii punire potuit? nota sal ciborum condimentum, rectè igitur mutata est in salis statuam, vt illius pœna nos condiret, vt Dei præcepta maiori cum sollicitudine custodiremus: sic Optatus Afer lib. 5. & D. Aug. lib. 16. de Dei ciuit. c. 30. *in salem conuersa hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum, quo sapiant aliquid, vnde illud caueatur exemplum*. idem habet Seraphinus à Porrecta, *ex hoc quod vertitur in statuam salis, datur intelligi quod pœnæ aliorum sunt ad nos de sapientia instruendos aptæ.*

Optatus Afer.

D. Aug. lib. 16. de Dei ciuit. c. 30. Seraph. à Porr.

Tale est peccatum inobedientiæ, vt pœna illius nullo modo differatur.

328. *Vxor eius versa est in statuam salis*, sed quandonam hæc pœna plectitur? ait textus, respiciens post se, quidam inquo vt retrorsum inspexit? statim equidem, nonne Deus clementissimus? quomodo igitur illius supplicium non differtur? quia tale est peccatum inobedientiæ, vt pœna illi debita minimè sit differenda, F. cit. Aug. cùm ait, *vxor Loth vbi respexit remansit;* quasi diceret nullomodo Deus supplicium illius distulit.

August.

Cùm mundus relinquitur, iterũ ad eum non redeũdũ.

329. *Vxor eius versa est in statuam salis*, quia retrorsũ respexit, quid refert retrorsum, vel ante respicere, vt ita grauiter quis nempe morte puniatur? pœna nonne delicto secundum iustitiam punitiuam debet respõdere? culpa autem quænam existimanda est, cùm quis ciuitatem miserè pereuntẽ respicit? aduerte per vxorẽ Loth à Sodoma liberam, deinde eam retrorsum aspicientem designari eos qui mundum relinquentes, deinde ad vomitum redeunt: iustissime igitur morte plectitur Lothi coniux propter huiusmodi intuitum, quia qui vale dixerunt mundo, deinde illum iterum amplectuntur, grauissimam pœnam merentur, fauet Sedulius.

Loth Sodoma fugiente chaos, dum respicit vxor
In statuam mutata salis stupefacta remansit:
Ad pœnam conuersa suam quia nemo retrorsum,
Noxia contempti vitans discrimina mundi
Respiciens saluandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens, vultum in sua terga referre.

Qui à Deo vocati suæ vocationi non cooperantur pereunt.

330. *Vxor eius versa est in statuam salis*, quid iuuat ô Deus hanc mulierem ab incendio Sodomæ liberam seruasse, si eius memoriam infamem efficis in statuam salis immutans? quia qui à Deo vocati, deinde suæ vocationi non cooperantur sed resistunt, morte plectendi videntur: ita D. Isid. lib. Alleg. *Loth habuit typum sanctorum, qui in fine sæculi ab incendio impiorum liberabuntur, vxor Loth eorum tenuit typum qui per gratiam Dei vocati, postmodum retro respiciunt.*

Isidor. Hisp. lib. Alleg.

In bono non perseuerans sibi inutilis, aliis autem vtilis efficitur.

331. *Vxor eius versa est in statuam salis*. cur

statua salis potius effecta sit quàm alia quæcunque materia? nota sal aliis quidem vtilissimum, sibi autem omnino inutile, insuper obserua hanc mulierem retro conspicientem, typum fuisse in bono non perseuerantium: recte igitur in salis statuam immutata, quia qui à bono desistit incœpto omnino sibi inutilis, aliis autem proficit: sic Rupert. lib. 6.cap. 13. *quoties stultus ad stultitiam, sicut canis ad vomitum suum reuertitur, in quocunque ordine vel proposito fuerit, exemplo vxoris Loth in statuam salis conuertitur, id est insensatus quidem & sibimet inutilis efficitur, sed aliis prodest, dum finem eius attendentes corriguntur, quemadmodum petram salis lingentibus animalibus palatum sapidum redditur, & edendi auiditas reparatur*

Rupert. lib. 6. cap. 13.

Qui diuitiis relictis inordinato affectu eas inspiciunt morte puniuntur.

332. *Vxor eius versa est in statuam salis*, cur mulieri vitam adimis, ita de leui causa? nulla enim illius culpa insinuatur nisi ciuitatem inspexisse, non solùm Sodomam respexit, sed inordinato affectu diuitias, quas in ea reliquerat, ideo morte punitur: sic Carthus. *hoc fecit Deus insto iudicio, quia mente & corpore retrospexit faciem suam versus Sodomam dirigendo, cum inordinato affectu ad ea quæ ibi reliquit.*

Dionys. Carth.

Pœna respondet peccato.

333. *Versa est in statuam salis*, quid habet commune sal cum muliere? mulier enim imprudentissima, sal autē symbolum prudentiæ, teste Hieronymo Laureto in sua silua alleg. vt percipiatur conceptus obseruate quæ dicuntur ab Hebræis, teste Lyrano, nempe quod vxor Loth in hospitum conuiuio, Loth petenti sal in condimentum ciborum dare noluerit, scilicet gentilitio hospitalitatis odio: quo notato, facilis est responsio, scilicet versam esse in statuam salis vt in quo offendit puniatur, ita cit. Hebræi, *vt pœna correspondere peccato.*

Noster Lyran.

Curiositas inordinata morte punitur.

334. *Versa est in statuam salis*, vitam scilicet cum morte commutans, quid dignum morte commisit? quid enim ad incolumitatem & salutem ciuium conducebat, non respicere siue ardentem eorum ciuitatem intueri? non igitur morte puniatur, imo plectatur, nimia enim curiositas tali digna est supplicio, hanc illius interitus rationem assignat Carthus. *circa ingressum in Segor antequam vrbem illam intranit ex inordinata curiositate retrospexit, vt videret quid accidisset Pentapoli* & D. Prosp. lib. 10. de prædict. & Promiss. ibid. *vxor Loth statuas alis effecta suo exemplo fatuos condiuit in proposito sancto, quo tendunt proficientes iuxta curiositate retro non debere respicere.*

Chartus.

D. Prosper. lib. 10. de Prædict.

Recta in perfectionem via progredi debemus.

335. *Versa est in statuam salis*, quasi vero inspectus retrorsum hanc metamorphosim effecerit, aduerte hanc mulierem gessisse vicem alicuius viam perfectionis perficientis, cur igitur non mutabitur in statuam quæ à directo tramite cessauit? hoc assignat Procop. *nemo (inquit) admouens manum aratro, & auersus retro idoneus est ad regnum cœlorum: oportet nos igitur recta procedere via, nec retrorsum vestigia flectere, vel transuersum rapi videntes mundi illecebras, quæ plurimum in ea perfectione nos impediunt.*

Procopius.

Non est aliorum cura habenda, Deo interdicente.

336. *Versa est in statuam salis*, si solùm respicit ciuitatem quasi eorum qui igne & sulphure consumebantur, sollicita, debet ne Deus ita in eam animaduertere vt ex creatura humana insensibilem statuam efficiat? hoc plectitur supplicio non quia suorum sollicita, sed quia Deo prohibente, curam eorum habebat, testis est Ioseph. lib. de Antiq. c. 19. *vxor Loth discedens cùm sæpius respiceret ciuitatem & eius curam haberet, interdicente Deo, ne hoc faceret, conuersa est in statuam salis.*

Ioseph. lib. de Antiq. c. 19.

Qui proprium sensum sequitur plurimarum est origo calamitatum.

338. *Versa est in statuam salis*, ô Loth vnde tibi hæc vxoris iactura? dices ex illius inobedientia, sed ô Loth proprium secutus es sensum; cùm enim Angelus iuberet vt in monte salutem quæreres, maluisti Segor ingredi quàm si non elegisses, mulier, vxoris tuæ interitus non contigisset, sic nobis testis Lipp. *videmus male cessisse Loth electionem suam, qui iussus montem conscendere, elegit ciuitatulam, ideo vxorem perdidit.*

Lipp.

Qui temporalibus incumbit, statua est hominis, non homo.

Versa est in statuam salis, nempe cùm retro respexit. Philo lib. de profugis ait quod respicere Sodomam est delitias & temporalium abundantiam impensius amare, aspicere verò quæ ante nos sunt, significat cœlestia diligere, qui vero ab anterioribus oculos auertit & retro conuertit, is est qui temporalia deperit, hic autem in statuam vertitur, cur quæso in statuam? quænā digna hoc crimine pœna? nonne statua omnia humani corporis membra refert, eorum autem vsum & vtilitatem non habet? dic ergo hunc retro aspicientem, id est temporalibus inuigilantem, merito in statuam conuerti, quia omnem fere vsum corporis & animi amittens, hominis imaginem potius quàm veritatem offert intuentibus: ita cit. Philo, *quisquis contempto præceptore per innata simul & consueta currem relinquit anteriora, per quæ posset audire, videre, aliisque animæ viis potentiis ad res naturales diiudicandas, & circumacta retrorsum ceruice cæca via negotia pluris facit, quam partes sui corporis, infamis statua fit, nihil à muto surdoque lapide differens.*

Philo lib. de profug.

Pœnitentiæ tempus non differendum.

Versa est in statuam salis, quandonam? respiciens post se, verbum hoc premamus, cur non ait de præterito respexit, & in pœnam suæ inobedientiæ versa est in salis statuam? dices quia respiciens versa est in lapidem, cur Deus non expectat quousque respexerit? dicitur respiciens & nō respexit, & nihilominus quod versa sit illico in statuam, vix respexit, vel respicere cœpit, cùm obriguit, & obduruit, vt inde discamus tempus pœnitētiæ non differendū, cum nulla interposita mora, cū vix commissum sit peccatum, supplicium durum à reo sumatur.

Humiliemur nullos habentes contemptui.

Versa est in statuam salis, quomodo tā duro plectitur supplicio? en tibi malorū summa? respiciens vxor Loth post se, en ita graue scelus post se respicere? spiritu superbiæ distenti homines significantur, qui alios tanquam retrorsum positos respiciunt; sed nonne sunt Sodomitæ insulsis criminibus insignes, quos retro respicere dignum est? licet sint pessimi peccatores, tamen

tamen à nobis non sunt despiciendi, imo nos omnium infimos hominum putare debemus, neque nos illos præcedere, sed omnes insequi, secus autem in statuā salis couertemur: sal instabilissimum, quod vel modico imbre dissoluitur, & sali similes sunt superbi, qui facile dissoluuntur & in nihilum rediguntur, subnecto verba Amb. in Psal. 43. *vxor Loth decepta est, quia habebat post se luxuriam Sodomitarum & regionis illius illecebras, vnde decepta est: quia post se respexit: & tu ergo ne ad inimicos tuos respicias, posuit te Deus nouissimum in sæculo, nam qui humilitate se vltimum facit, non conuertitur retro, sed ante respicit.*

D. Amb. in Psal. 43.

Caro semper peiora sequitur, animus virilis meliora.

339. *Versa est in statuam salis*, tantumne scelus in hoc admittitur, vt quia respicit retro mulier, interitum, quem diuino beneficio effugere videbatur, incurreret, quid enim tantum criminis habuit? si sollicita mulieris mens retrorsum vnde nimium flammarum crepitu terrebatur, aspexit? obserua omnia quæ scripta sunt ad nostram doctrinam & vtilitatem esse conscripta, & ideo dicere possumus hoc intelligi posse spiritaliter, scilicet vxorem Loth retrorsum aspicientem carnem nostram denotare, quæ semper ad peiora respicit, & ideo dignam interitu fauet Orig. *videamus ne forte Loth qui non respexit post se, rationabilis sit sensus & animus virilis, vxor autem eius carnis imaginem teneat, caro est enim quæ semper respicit ad vitia, quæ cùm animus tendit ad salutem, illa retrorsum respicit & voluptates respicit.*

Orig. Hom 8.

Qui aliorum culpam approbat, eadem pœna plectitur.

340. *Versa est in statuam salis*, cùm omnis illa regio sterilis & salsa reddita fuerit, ita vt vallis, locus salinarum dicta fuerit, quia lapides salis circa inueniuntur & lacus salsissimus sit aliquid ne mysterii continet, quod etiam hæc mulier sit similiter in statuam salis conuersa? aduerte vxorem Loth culpam hominum regionis illius quasi approbantem, cùm respiciens retrorsum existimauit vltra condignum, Deum Sodomitas punire: bene statua salis efficitur sicut & locus vrbium salsissimus, quia qui aliorum culpam approbat eodem plecti debet supplicio: sic Patriarcha Palud. *Retro respiciens & videns tantam vltionem, approbans in corde suo Sodomitarū malitiā, simul detestans diuinam iustitiam, ac si Deus iniustè ageret cum eis: iustum ergo fuit vt verteretur in materiam salis sicut omnis illa regio salsa & sterilis remansit, vt quorum approbauit culpam, similem in se reciperet pœnam.*

Patriarcha Palud.

Punitio, remedium salutis.

341. *Versa est in statuam salis*, si corpus eius ita punitur, vt similitudinem humanam deperdens, salis figuram acceperit, quid de anima illius factum censebimus cùm peccatorum mortem æternam nolit Deus, sed eorum salutem? cur non dicemus forte corporis sui afflictionem, remedium animæ fuisse? probabilis est sensus Pepini. *possibile est quod sit in via salutis, & quod talis exterminatio in statuam salis fuerit illi in remedium salutis, & in pœnam offensæ vna cum contritione.*

Doctor. Pepinus.

Pœna inobedientis infernus.

342. *Versa est in statuam salis*, quamuis in superiori conceptu à nobis dictum sit, forte hanc pœnam salutis animæ illius remedium fuisse, nonne etiam probabiliter assereremus pœnis inferni torqueri? ita ne graue delictum admisit, vt non solùm pœna temporali, sed & æterna infligatur? quidni, cum Deo non obtemperauerit, inobedientia autem vtramque mereatur? sic sub dubio loquitur Carthus. *violando præceptum peccauit mortaliter, & si ante mortem suam non pœnituit, inde damnata est.*

Dionys. Carthus.

Maximum damnum incurrit coniux cùm à viro paululum separatur.

343. *Versa est in statuam salis*, nonne hæc in Sodomis habitans Sodomitarum voluptatibus oculos depasta est, & tamen ab eorum supplicio libera fugit, nunc autem assueta videre Sodomæ delitias, dum ad illas oculos conuertit vitam amisit miserè, cur peccatrix hæc fœmina, siquidem aliquando castiganda erat, non incurrit Sodomitarum ignem? cur non absorpta flammis? cur tandiu dilata eius ruina? equidem hoc bonæ vxoris habebat, quod gaudebat contubernio viri, à quo separari nequibat, nec eius conspectum fugere, vnde ita Dei tandiu desæuire distabat in illam, quandiu maritum ob oculos habens, consortio gaudebat illius, vbi marito à tergo relicto, reuersa est ad Sodomam, supplicium mortis incurrit: id attigit D. Aug. lib. 2. de mirab. sanctæ scripturæ c. 11. dicens, *vt cuius visus non erat immunis ex culpa consortio mortem effugere non posset, quamuis propter iusti contubernium eruta sit de incendio, pepercit incendium illi, vbi coniugis gaudebat consortio, sed dedit pœnas criminum, quando oculos auertit à marito.*

Aug lib 2 de mirab. Sanctæ scripturæ cap. 11.

Qui Deum sequi præoptat, ab eo ne oculos quidem auertere debet.

344. *Versa est in statuam salis*, certe si dixisset Moyses, quod reduxisset Sodomam nullum culpæ subterfugium haberet, sed pro solo illius Sodomæ intuitu, cur immobilis statua redditur? merito non dixit Moyses cùm reduxisset, sed cùm respexisset, quia qui Deum imperantem sequi præoptat, ab eo ne oculos quidem auertere debet: sic Euthy. in Luc. 9. *oportet eum qui sequitur Christum confestim omnia despicere & sequi, ne oculos quidem ab eo diuertendo, ne forte habitu & specie eorum quæ à tergo sunt, retineatur.*

Euth. in c. 9. Luc.

Nitimur in vetitum.

345. *Versa est in statuam salis*, quia respexit à tergo Sodomam vxor eius post se, si à Deo præceptum accepisti Sodomam non aspiciendi, cùm nihil eo facilius, cur illud transgrederis? nullum enim solatium ex tuo visu Sodomitis contingere potest: ne mireris quæso contra Dei mandatum ciuitatem aspexisse, in vetitum enim semper nitimur: sic Seuer. Sulp. *Oculos retorsit humano more quo miseri agimus à vetitis abstinemus, auidiusque negata cupimus.*

Seuer. Sulp.

Periculosius quis relabitur in peccatum quàm antea fuerat lapsus.

346. *Versa est in statuam salis*, scilicet ad similitudinem durissimi lapidis, si alia commiserat antea peccata, quomodo statua non efficitur? nota quod per hanc statuam lapideam cor obstinatum denotatur: recte igitur in hoc vltimo

inobedientiæ peccato statua immobilis redditur, & non in aliis, vt agnoscamus longè periculosius esse relabi in peccatū quàm alia antea commisisse: sensus est D. Greg. Naziā.ora.15. *è Sodomis excedamus ne in vlla vicinæ regionis parte pedem figamus, nec circumspiciamus, ne alioqui in salis columnam cōuertamur vere immortalem animaque in vitium relabentis accusatricem*, relabens enim concrescit in statuam, nec deinceps emolliri frangique atque resipiscere consueuit.

D. Greg. Nazia. 15.

Pœnitens non recordetur voluptatum, aliàs peribit.

348. *Versa est in statuam salis*, si hoc exemplum ad pœnitentes deducimus, (vxor enim Loth à Sodomis exiens animæ contritæ typum gerit) quod documentum percipiemus? maximum equidem, scilicet pœnitentem, si ad prioris vitæ delitias oculos conuertat, mortem incurrere spiritualem misereque perire: sic D. Hildeb. ep. 41. *pœnitentiam professis periculosa est præteritarum recordatio voluptatum, eas enim tenerrimè caro suspirat, & immemor vxoris Loth, egressum de Sodomis spiritum frequentiùs respicere subhortatur, nec ei laboriosum est in tali triumphare negotio, cùm omnes trahamur illecebris, & efficacior sit conatus carnis ad crimen, quàm spiritus ad virtutem.*

S. Hildeb. Epist. 41.

Qui libidinosos diligit, statua fit lapidea.

349. *Versa est in statuam salis*, quia scilicet ciuitatem Sodomæ inspexerat, sed quomodo inspexit? eam scilicet diligendo, quid mirum si conciues amore prosequatur? forte non solùm vt ciues, sed vt luxuriæ deditos amabat, & ideo statua fit lapidea; annuit Clem. Alex. lib. ad gent. *vxorem Loth accipimus effectam esse lapidem, propterea quod amaret Sodomā; Sodomitæ autem erant impii & duro corde & stolidi*, quasi diceret, qui amat libidinosos in suis libidinibus obstinatos lapidea fiet statua.

Clem. Alex lib. ad Gen.

Inobediens indignus nominari.

350. *Versa est in statuam salis*, cur scriptura non exprimit nomen eius? dices quia historia principaliter per eā non erat texenda sicut per virum suum Loth, sed addo quod cùm Deo inobediens fuisset, indigna erat quod nomen suum memoriæ proderetur, sic enim ait, *Pepinus non exprimit nomen eius in pœnam suæ inobedientiæ*, Psal. *in generatione vna, scilicet filiarum suarum, deleatur nomen eius.*

Guill. Pepinus. Psal. 108.

Hypocrita statua salis.

351. *Versa est in statuam salis*, hæc statua similitudinem hominis gerebat, quamuis vita carentis, sed quæso quinam sunt qui licet homines, solùm speciem hominis habent, & veræ statuæ sunt? quinam? nisi hypocritæ, qui licet habitu sanctitatis fulgeant, spiritu tamen bonorum operum omnino carent: sic Hugo Card. *statua habet speciem hominis sed non habet spiritum viuificantem, quia talis habet habitum religiosi, sed non habet animum, ad quem redit diabolus cum septem nequioribus se.*

Hugo. Card.

Cum timore viuendum.

353. *Versa est in statuam salis*, nonne libera ab incendio Sodomæ euaserat? nihil mihi videtur amplius ei timendum, quomodo igitur ita miserè perit? quid respondeam nescio nisi illud ad Rom. 11. *ò altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* tantum quatuor euaserant, & tamen nec hi omnes saluantur, quid igitur præsumimus? quid tam securi sumus? quasi semel liberatis nihil amplius timendum sit, euaserat mulier illa, sed tamen quia inobediens est miserè perit: vnde optimè Orig. super cap. 33. Numer. ait, *mansio vigesima est in Thahat, & interpretatur pauor, qui est custos beatitudinis, vt qui tantum ascendit non superbiat, ascendisti ad montem. Sephor, id est pulcherrimum, vides ibi Maceloth, id est multos virtutis socios, noli autē sapere sed time, timor enim virtutum custos.*

Orig. super c. 33. Num.

Vult Deus perpetuam suorum suppliciorum memoriam haberi.

354. *Versa est in statuam salis*, de qua loquens Tertul. in sua Sodoma ait.

> *In fragilem mutata salem, stetit ipsa Sepulchrum*
> *Ipsaque imago sibi formam sine corpore formans,*
> *Durat adhuc, etenim nuda statione sub æthram*
> *Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam,*
> *Protinus ex sese suggestu vulnera complet,*
> *Dicitur, & viuens aliorum corpore, sexus*
> *Munificos solito dispungere sanguine menses.*

Tertul. in sua Sodoma.

Quomodo Deus voluit quod si aliquis ex viatoribus partem aliquam abscinderet, membrumue mutilaret, statim ablatam partem restitui, denuoque quasi repullulare & sanguinem menstruum ab ea statutis diebus effluere? sine dubio ne ab ea pœnæ inflictæ periret exemplar, sed in extrema tempora permaneret.

Cùm à bono incœpto desistimus, quod acquisieramus deperdimus.

355. *Versa est in statuam salis*, nonne vitam meritis Loth viri sui acquisierat, libera enim euasit ab incendio Sodomæ eius intuitu; quomodo nunc hæc vita sibi adimitur conuersione corporis sui facta in statuam salis? nonne, ait textus, respiciens post se? quid mirum igitur iacturam vitæ quæ sibi concessa fuerat, propter viri sui virtutem fecisse, quia cùm à bono incœpto desistimus, quod acquisieramus deperdimus, fauet D. Cypri. ep. 8. *vxor Loth quæ liberata contra præceptum retro respexit, quod euaserat perdidit.*

D. Cypri. Epist. 8.

Maxime religiosi memoriæ commendent statuam salis in quam conuersa est vxor Loth.

356. *Versa est in statuam salis*, Christus Dominus Luc. 17. ait, *mementote vxoris Loth*, sed, ò Christe Saluator, omnibusne loqueris? omnibus, inquit D. Aug. in Psal. 75. sed, ò Augustine, quomodo omnibus id esse dictum asseris? quomodo enim Religiosis id competere potest? cùm nulli iuncti sint connubio, nec præceptum à Deo acceperunt retro non aspiciendi: sed recte omnibus hoc dictum asserit Augustino & religiosis, si enim à voto discedunt respicientes bona, quibus valedixerunt ad similitudinem vxoris Loth, vere fatui sunt, miserè pereuntes, ita cit. Doctor. *Modo dicimus illud quibusdam fratribus, quos viderimus velut infirmari in proposito bono, & talis vis esse quales illi: obiicimus illis quosdam qui retro respexerunt, illi fatui sunt in se, sed alios condiunt, quando commemorantur vt illorum exemplum timentes illi retro ne respiciant: vouete & reddite Domino Deo nostro, quia illa vxor Loth ad omnes pertinet.*

Luc. 17.

D. Aug. in Psal. 75.

Aliquando Deus pœnitentiæ tempus non concedit in pœnam peccati.

357. *Versa est in statuam salis*, in illa conuersione inobedientiæ contritionemne elicuit? non legimus, imo plures condemnatam asserunt, sed cur Deus cùm dicat se mortem peccatoris nolle, quomodo vxori Loth tempus pœnitentiæ non concessit, vt mortem æternam vitare potuisset? quia in pœnam peccati aliquando Deus illud denegat: sic explicat Phil. lib. 2. Alleg. *multis animabus pœnitentiam expetentibus non concessit Deus, sed illæ tanquam æstu refluo abreptæ sunt retrorsum, quemadmodum & vxor Loth in saxum versa est, quia ad ingenium, & ad ea in quæ Deus animaduerterat, reuersa fuit.*

Phil. Alex. lib. 2. Alleg.

Iudicia Dei curiosius perscrutanda non sunt.

358. *Versa est in statuam salis*, si retrospexit vt iustam Sodomitis punitionem inflictam intueretur, tuamque forte iustitiam extolleret, cur ita seuerè punitur? reuoca in memoriam dictum fuisse quod ex curiositate respexit; merito igitur punitur, quia iudicia Dei curiosius perscrutans dignus est supplicio, sic Procop. *non vestrûm omnia scrupulosius rimari & exquirere, si Deus peccatores pœnis implicat, sufficit nosse Deum illos puniuisse, quos, pœnas ob scelerum enormitatem dare oportebat, velle perscrutari modum secundùm quem pœnas luerint, proteruiæ & audaciæ, nec pietatis est.*

Procopius.

Præteritorum criminum morosa recordatione pollui non debemus.

359. *Versa est in statuam salis*, quod equidem miror, nam ecce Abraham intuitus est, inquit textus, Sodomam & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius; pœna tamen non afficitur sine vllo discrimine conflagratam vrbem conspiciens, cur igitur Lothi coniux tam seuero plectitur supplicio? audiamus quid dicat Philo lib. 2. Alleg. *vxor Loth in saxum versa est propter adamata sodoma*; quid mirum igitur si ita punita fuerit? quia cùm pessimæ vrbis incola & delictorum ipsius particeps fuisset, ab iniquitate sua siue ab iis omnibus quæ illius memoriam refricare poterant, se se obseruare & custodire debuerat, ne præteritorû criminum recordatione & amore pollueretur.

Phil. lib. 2. Alleg.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVII.

VVLG. Abraham autem consurgens mane vbi steterat prius cum Domino.

Sept. Manè autem surgens Abraham diluculo iuit ad locum, in quo steterat cum Domino.

Cald. Et surrexit manè ad locum vbi steterat in oratione coram Domino.

Arias. Et manicauit Abraham in matutino ad locum quo steterat ibi cum Domino.

CONCORDIA.

CAldæus legit in oratione, quod nec in hebræo nec in græco habetur, sed non est immorandum in caldæo, cùm aliquando gerat personam commentatoris.

EXPOSITIO.

COnsurgens manè &c. tanquam sollicitus de liberatione & salute nepotis sui Loth, perrexit ad locum vbi priùs steterat die præcedenti coram Domino subuersionem istam reuelante. Dominum autem vocat licet fuerit Angelus, quia loquebatur & in persona Dei, & locus ad quem perrexit erat ille ad quem venerat loquens cum Angelis, docens eos viam Sodomam eundi.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iusti afflictis maxime compatiuntur.

360. MAnè consurgens iuit ad locum &c. cur diluculo solus, versus Sodomam execrādam iter prosequeris? si enim Deus iussit Loth nepoti tuo, vt nō solùm Sodomæ, sed nec in omni circa regione maneret, ne flammis inuolueretur, quomodo te liberum ab eis euadere existimas? siste gradum, domi te contine, sed vltra progredere Abraham, scio enim iustos in quorum numero conscriptus es, maxime afflictis & miseris compati: sic D. Chrys. *is sanctorum mos est, vt plurimum afflictis afficiantur & compatiantur, vnde patriarcha simul & illorum interitum miserans, quem propter suum peccatum sustinuerunt, & de iusto valde sollicitus, mane veniens spectabat.*

Chryso.

Iustus pro aliis deprecatur.

361. *Consurgens manè iuit ad locum, vbi prius steterat cū Domino*, Rupertus ait id est in eadem intētione cordis, quænā, ô Ruperte, fuit nūc cordis Abrahæ intētio? sine dubio cùm iustus esset, vt pro salute nepotis sui Deum deprecaretur audi eū. Abb. *ne tale quid obueniret ipsi Loth* (scilicet vt in statuam salis conuerteretur) *Abraham consurgens mane, quia qua hora videlicet cogebāt Loth Angeli vt egrederetur & dissimulante illo apprehenderunt manum eius, illa inquam hora consurgens Abraham stetit, vbi steterat prius cum Domino, id est in eadem intētione cordis dignum ac strenuum agens intercessoris officiū.*

Rup. Abba.

Ab oratione non cessandum.

362. *Consurgens manè iuit ad locum*, vbi inquit Caldæus steterat in oratione coram Domino: sed cur iterum ad eundem locum regreditur? vt vlteriùs oraret; nonne sufficiebat semel orasse? cur toties orationem ingeminat? quia ab oratione ad orationem iterum redeundum: vnde Beda explicans illud 30. Exod. *exuret thymiama coram Domino*, ait,

Venerabi. Beda in ca. 30. Exo.

thymiama orationis debet esse sempiternum, quia nimirum necesse est, vt animus post orationem & fletus ad otiosa verba siue facta non diuertat, sed in eodem vigore deuotionis, quem in oratione suscipit etiam finita oratione custodiat.

Oratio matutina.

363. *Consurgens manè* (Caldæus inquit) iuit ad locum vbi steterat in oratione, scilicet vt Deum iterum deprecaretur, cur annotat Moyses Abraham diluculo surrexisse? forte vt nobis significaret quod experrecti à somno preces fundere debemus: audi Cassianum collat 21. cap. 26. *quid de primitiis dicam*, inquit, *quas ab omnibus qui Christo fideliter famulantur, quotidie certum est exhiberi? nam cùm experrecti à somno & quasi rediuiua post soporem alacritate surgentes, priusquam motum sensus vlius corde concipiant vel memoriam, aut curam rei familiaris admittant, cogitationum suarum ortus atque principia diuinis consecrant holocaustis, quisque etiam à somno excitat, hostiam iubilationis suæ duo similiter efferentes, primo linguæ suæ motu ipsum inuocant, ipsius nomen laudesque concelebrant, atque ad canendos hymnos prima claustra labiorum reserantes, id est immolant Deo sui oris officia.*

Cassi collat. 21. c. 26.

Omnis locus congruit orationi.

364. *Consurgens manè iuit ad locum vbi steterat prius cum Domino*, scilicet vt eum deprecaretur, quisnam est locus ille, quem eligis ô Abraham ad orationes Deo fundendas? non enim precibus idoneus mihi videtur, est enim cāpestris & sine ornatu. aduerte Abraham perfectum fuisse; non mirum est igitur alium orationi locum non selegisse, quia perfecto oranti quilibet locus aptissimus est, ita D. Laur. Iust. de discip & perfect. Monast. *conuersionis veris oratoribus & diu in spiritu exercitatis omnis locus, & omne tempus congruit orationi, pusillis autem & lacte nutriendis, locus & tempus habile accommodandum est.*

S. Laur. Iust. de discip. & perf. Monast.

Præsentia Dei in oratione habendâ.

365. *Consurgens manè iuit ad locum*, inquiunt sept. vbi steterat prius cum Domino, cur annotat Moyses cum Domino ibi prius stetisse vt eum deprecaretur? forte vt ex recordatione colloquii habiti cum Deo Deum sibi præsentem proponeret: sicque maiori cum attentione & deuotione Deo preces exhiberet: ita cit. Laur. *præsentiam Domini ante mentis oculos, si valet, actualiter teneat Dei famulus, quoniam efficaciter mētem ad orationem hæc cogitatio ordinat & disponit.*

Salus aliorum summo mane procuranda.

366. *Consurgens manè* (vel vt habent sept. diluculo) *iuit ad locum*, &c. diximus ex Chrysost. quod ad hunc locum accessit de Loth salute maxime sollicitus, sed cur diluculo? nonne sufficiebat meridiano tempore vel vespertino, vtrum saluus esset inuestigare? rectè dictum est manè consurrexisse, quia salus aliorum summo mane procuranda, nec vllo modo differenda.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVIII.

VVLG. Intuitus est Sodomam, & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius, viditque ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum.

Sep. Et respexit in faciem Sodomorum, & Gomorrhæ, & in faciem circumiacentis regionis, & ecce ascendebat flamma de terra quasi vapor fornacis.

Cald. Et aspexit contra faciem Sodomæ, & terræ campestris, & ecce ascendit fumus de terra sicut fumus fornacis.

Arias. Et respexit super faciem Sedom & Hamorah, & super omnem faciem terræ planiciei, ita in Caldæo.

Caiet. Et super omnes facies terræ planiciei.

CONCORDIA.

קיטר Kizor non solùm fumum, sed vaporem, fauillam, & flammam significat, vnde oritur diuersitas lectionis.

EXPOSITIO.

INtuitus est Sodomam, &c. id est locum in quo fuerant huiusmodi ciuitates, iam enim pene deletæ erant, *& omnem terram regionis illius*, scilicet Seboim & Adamam, earumque territoria, *viditque ascendentem fauillam &c.* descensus enim ignis & sulphuris adeo copiosus extitit, vt breui spatio totam regionem nec non illius ciuitates consumpserit, vnde Abraham mane consurgens, non descendentem ignem sed iam fauillam ascendentem vidit ad modum fumi qui ascendere solet ex fornace in qua coquūtur ad calcē lapides.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ex intentione bonitas vel malitia operis nascitur.

367. INtuitus est Sodomam & Gomorrham, si vxor Lothi conuersa est in statuam salis, quia ciuitatem Sodomæ respexit, cur quæso Abraham eximitur à supplicio, si eadem actio in vtroque, nempe in vxore Loth, & Abraham reperitur? sine dubio, bonitas vel malitia huius visionis censenda est ex diuersa intentione vxoris Loth & Abrahami, Abraham enim respexit Sodomam vt iustitiam Dei extolleret, alia vero vt accusaret, accipe Palud. *aliter intuitus est perditionem Sodomæ Abraham, & aliter vxor Loth, nam Abraham intuitus est commendans & laudans in corde suo diuinam iustitiam se vlciscentem de obstinatis peccatoribus, vxor Loth vt ap-*

Petr. Palud.

ut approbans Sodomorum nequitiam, & condemnans in corde suo diuinam iustitiam.

Qui conscius non est eiusdem criminis propter quod alius punitur, pœnam qua plectitur, formidare non debet.

368. *Intuitus est Sodomam & Gomorrham*, si fauillam & fumum quasi de fornace accensa, conspicis ascendentem ex vniuersa regione circumadiacente, quomodo eodem igne consumi non times? quia qui conscius non est eiusdem criminis propter quod quis punitur, pœnam, qua plectitur, alienus ab omni timore debet.

Ita certæ sunt diuinæ promissiones, ut in imminentibus periculis securi degere debeamus.

369. *Intuitus est Sodomam, & Gomorrham*, si omnis circumadiacens regio in cinerem redacta est, cur imminens periculum non refugis? ignis enim cùm sit velocissimus, fortè locum ad quem peruenisti, depopulabitur, quid miraris securum degere? ita enim certa est promissio diuina de suscipienda prole ei facta, vt nec in imminenti periculo aliquid formidare debeat: Responsio est Pepini, *fuerat sibi reuelatum à Domino, quod Sara uxor sua deberet sibi parere filium, cùm ergo tempore dictæ subuersionis nondum natus esset, consequens est dicere quod Abraham non timuerit ad aspectum dictæ subuersionis, quasi aliquid inde passurus.*

Guil. Pep.

Iustus non secedat à loco in quo beneficium accepit à Deo, si velit illecebris & calamitatibus huiusce mundi non comprehendi.

370, *Intuitus est Sodomam & Gomorrham*, & quid amplius? ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum, cùm Abraham, amatorem iustitiæ significet, qui mundum per Sodomam designatum, intuens; nihil videt ab illo ascendere nisi fumum superbiæ, & fauillam inanis gloriæ, cur non recedit è loco, in quo cum Deo loquutus fuerat? quia qui mundi transitum, omnesque illius calamitates conspicere desiderat, ab eis illæsus, ad locum in quo cum Deo loquutus fuerat, redire tenetur, & ab eo non separari. Sic D. Greg. *ille solus transitum mundanorum considerat qui diuinæ gratiæ radiis illustratus, transeuntia, permanentium collatione diiudicat.*

D. Greg. cit ab Hug. Card.

Iudiciũ Dei iustus fidem adhibet.

371. *Intuitus est Sodomam è loco*, scilicet, *in quo cum Deo loquutus fuerat.* & eum deprecatus fuerat pro vrbibus, si in eis decem iusti reperirentur: sed ô Abraham, existimasne Deum vel mendacem vel iniustum, cũ tuis inspicere velis oculis vtrum ciuitates deleuerit? imo ex maxima in eum fide accessit iudicium Dei in impios conspecturus. Sic Lipp. *credebat Abraham verbis Domini, & videre eius iudicium voluit.*

Lipp.

Exercentur iusti.

372. *Intuitus est Sodomam*, sine dubio non potuit non maximo affici dolore, cùm tot ciuitates in cinerem redactas conspexit, quia in illis decem iusti inuenti non fuere: sed si grauiter affligi debuit, cur Deus permisit illuc pergere, quò incendium ciuitatum conspicere posset? vt iustus exerceretur & probaretur, quia teste Seuer. sic dicente, *diuini moris est eos quos beneficio aliquo affecerit, laboribus, adde & doloribus, tentando probare.*

Seuerus Sulpitius.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIX.

VVLG. Cùm enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ liberauit Loth de subuersione vrbium, in quibus habitauerat.

Sep. Et factum est cùm disperderet Deus omnes ciuitates vicinas, recordatus est Deus Abrahæ, & emisit Loth de medio euersionis cũ euerteret Dominus ciuitates, in quibus habitabat in eis Loth.

Cald. cùm subuerteret Dominus ciuitates cãpestres. &c.

Ar. Et fuit in disperdendo Deus ciuitates planitiei. &c.

CONCORDIA.

Eruditè & succinctè hunc versum noster interpres transtulit, euitata Hebraici idiomatis repetitione, nec non Septuaginta versione, seruata tamen sententiæ integritate.

EXPOSITIO.

Cum subuerteret cùm, hic non signat quando, sed antequam, liberatio enim non contigit, quando ciuitates destruebantur, sed ante earum excidium, vt patet ex verbis Angeli dicẽtis, non potero facere quicquam donec ingrediaris illu

Recordatus Abrahæ, humano more loquitur, Deus enim cùm nihil obliuiscatur non est necesse aliquid recordari, tamen recordatio illi tribuitur, inquantum tùnc aliquid intuitu Abrahæ compleuit *Liberauit Loth* scilicet meritis & precibus Abrahæ, *de subuersione vrbium in quibus habitauerat*, id est in quarum vna vel in quibus successiue moratus est.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus petitiones iustorum inutiles esse non sinit.

373. Recordatus est Dominus Abrahæ, si semper Patriarcha maximè Deo præsens fuit, propter vitæ sanctitatem, quomodo testatur Moyses illius fuisse recordatum? aduerte pro intelligentia cõceptus Abrahamum petiisse à Deo vt iustum cum impio non perderet: optimè igitur dixit Moyses Deum recordatum

Abrahæ, id est petitionis illius, vt denotaret orationes sanctorum nunquam inutiles esse: sic Chrysost. *recordatus est Abraha, hoc est petitionis quam fecit, dicens, ne simul perdas impium cum iusto.*

Chrysost.

Meritis sanctorum cooperandum vt saluemur.

374. *Recordatus est Abrahæ liberauit Loth*, nonne iustitiæ cultor Loth sicut Abraham, quamuis non in eodem gradu? cur igitur non ait Deum liberasse Loth intuitu iustitiæ suæ, & non alienæ? certè intuitu vtriusque, meritis enim sui auunculi Abrahæ Loth studiosus cooperatur, vt incolumis seruaretur: testis est cit. Chrys. *cur dixerit aliquis, propter orationem Patriarchæ, iustus seruatus est, & non propter suam iustitiam? ita certè etiam propter orationem Patriarchæ, quando enim quod ex nobis est efficimus & accedit intercessio sanctorum plurimum nobis confert.*

Chrysost.

Solis meritis sanctorum, non est spes salutis nostræ collocanda.

375. *Recordatus Dominus Abrahæ liberauit Loth*, cur vxorem illius incolumem non seruauit? certum est enim Abraham non solum pro nepotis sui salute deprecatum, sed etiam & vxoris illius, nota vxorem Loth suæ saluti non cooperatam, imo sua inobedientia eam impedisse; rectè igitur vxori Loth vita non fuit seruata precibus nec meritis Abrahæ, quia in solis sanctorum meritis spes salutis nostræ minimè collocanda est: audi D. Chrys. *si ipsi negligentes fuerimus, & spem in illis solis collocamus nostræ salutis, nihil amplius nobis prodest, non quod infirmi sunt iusti, sed quia propter nostram desidiam nos ipsos perdimus.*

Cit Episc. Constant.

In nobis est meritum licet non ex nobis.

376. *Recordatus est Dominus Abrahæ*, vt liberaret Loth, in hebræo habetur recordatus est Elohim, cur hoc nomen iustitiam dicens positum est à Moyse? quis enim actus iustitiæ reperiri potest in hac recordatione? non actus quidem punitiuæ, sed compensatiuæ, debebatur enim meritis Abraham Loth salus, Fauet. Caiet. *ad commendandum meritum Abrahæ nominatur Deus Elohim, insinuando quod Abraham merebatur vt Deus propter ipsum misereretur Loth, efficere enim aliquid ob alterius meritum species iustitiæ est.*

Card Caiet.

Meritis sanctorum non solum præsentes, sed & futuri salui fiunt.

377. *Recordatus Abrahæ liberauit Loth*, ita ne exigua fuere merita iusti Patriarchæ, vt intuitu eorum solus Loth salutem consequutus fuerit? imo eximia, meritis enim eius non solum Deus concessit salutem Loth qui præsens aderat, imo & aliorum, qui nondum vita trahebantur: sit tibi testis Abulens. *magna erant merita Abrahæ, nam non solum tunc Loth meritis eius liberatus est, sed etiam Abimelech Rex Palæstinorum, & non solum isti qui tempore Abrahæ viuebant meritis eius saluati sunt, sed etiam illi qui post eum fuerunt, nam cum Deus infra c. 26. promitteret se daturum Isaac, & semini eius terram Chanaam, merito Abrahæ proposuit dicens, tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi patri tuo.*

Card. Caiet.

Magna sanctorum orationis vis & efficacia.

378. *Recordatus Dominus Abrahæ, liberauit Loth*, legimus similiter & propter Loth Segor Deum pepercisse, quomodo ita facile Segor ciuitatis impiæ supplicium distulisti? in hoc maximam vim & efficaciam orationis sanctorum agnosce, quod annuit Lippom. *dicens ob gratiam Abrahæ Loth liberatus a Segor propter Loth vt videamus quàm pretiosi sint in conspectu veri Dei fideles & quid possint Domino propitio.*

Lippom.

Deus fons essendi & iudex.

379. *Recordatus Dominus cùm subuerteret ciuitates*, in Hebræo habetur, & fuit in destruendo, Iehoua, Elohim, cur hoc duplex nomen posuit, cùm solum Elohim sufficientissimum fuisset? nam iudice fungebatur in illarum ciuitatum destructione: sed merito vtrumque nomen construxit, vt teneamus Deum qui est fons essendi etiam iudicem esse, sic Caiet, *vt vnus atque idem manifestetur fons essendi & iudex etiam horum singularium quæ à nobis fiunt, nominat Elohim & Iehoua, explicando quod auctor essendi iustitiam exercens, destruxit has ciuitates.*

Card. Caiet.

Deus longè maioris misericordiæ est erga consanguineos iustorum, quam ipsi in eos.

380. *Recordatus Dominus Abrahæ liberauit Loth*, de subuersione vrbiũ, cur ò Deus illius recordaris, cuius immemor fuit Patriarcha? nam nõ legimus pro eo deprecatum fuisse, cur igitur eum eripis de [illegible] vrbium? vera est responsio Hier. ab Oleast. *misericordior est Deus in consanguineos iustorum, quam ipsi sunt in eos: non legimus Abraham pro nepote orasse, & legimus Deũ eius gratia eum ab incendio liberasse.*

Hieron. ab Oleast.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXX.

VVLG. Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo, timuerat enim manere in Segor, & mansit in spelunca, ipse & duæ filiæ eius cum eo.

Arias. Et ascendit Loth de Sohar, & habitauit in monte, & duæ filiæ cum eo, quia timuit sedere in Sohar, & sedit in spelunca.

EXPOSITIO.

ASCENDIT Loth de Segor, cùm pluries subuersa fuisset Segor terræ motibus agitata, timuit Loth ne iterum subuerteretur, vel cum in Segor similia vitia ac in aliis ciuitatibus fuisset expertus, timuit ne eodem supplicio afficeretur, & ideo salutis quærendæ gratia montem conscendit.

Et mansit in spelunca, id est in quodam antro illius montis vt incommoda aëris repelleret & à feris securior degeret.

CONCEPTVS.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Supplicium aliis illatum, timorem incutit, etiam innocentibus.

A*Scendit de Segor & mansit in monte*, nonne enixè petiisti vt salutem assequi posses in Segor? cur cũ hoc tibi concessum fuerit, in ea commorari renuis? aduerte Segor non longè distitisse ab aliis ciuitatibus igne consumptis, non mirum igitur si Segor reiicit, & montem ascendat, quia supplicium aliis illatum, timorem incutit etiam innoxiis: annuit Chrys. dicens, *iustus inualescente adhuc timore quem conceperat à plaga Sodomis introducta procul abit.*

Chrysost.

Ita periculosi sunt iustis impii, vt eorum vicinitas sit illis maximè nociua.

381. *Ascendit de Segor*, nonne securitas tibi promittebatur in illa ciuitate: cur igitur ab ea discedis? non dubitas illam ab aliis vrbibus non longè distantem? optimè igitur eam derelinquit, quia ita periculosi sunt iustis impii, vt eorum vicinitas sit illis maximè nociua, sic Gloss. ord. *ascendit Loth quia periculum etiam viro iusto est manere prope locum peccatorum, ne patiatur in anima vel corpore.*

Gloss. ord.

Deo inobediens semper timidus.

383. *Ascendit de Segor*, cur in hac ciuitate commorari times cùm tibi ab Angelo dictum fuerit, festina & saluare ibi? aduerte Deo fuisse inobedientem Loth, dixerat enim ei, & in monte saluum te fac, ille autem, est ciuitas iuxta, ad quam possum fugere: quid mirum igitur subuersis Sodoma & Gomorrha noluisse manere in Segor: quia inobediens semper timore percellitur: testis est Thom. Angl. *potest dici quod pro tanto plus timebat manendo in Segor quàm in monte, quia sua imperfecta voluntate extorserat prius à Deo licentiam manendi in illa, quod cùm plenius credidit; intrauit in montem in quo Deus priùs voluerat quod maneret.*

Tho. Angl.

Nimius terror iudicium mentis subuertit.

384. *Ascendit de Segor*, scio ideo te ex hac ciuitate in montem ascendisse, quia cùm illa frequenti terræ motu subuersa fuerit timuisti, aliis ciuitatibus subuersis, illam stare non posset sed, ô Loth, nonne tibi à Deo promissio facta fuerat, hanc vrbem Segor, propter te non deleturum, quomodo ergo infidelis fidem Deo vel Angelis eius non adhibes? aduerte nimio timore fuisse perculsum, tum ex ciuitatum incendio, tum ex conuersione vxoris in statuam salis; non mirum igitur pollicitationi Angelicæ non attendisse, quia nimius terror iudicium mentis impedit. Fauet. Abulens. dicẽs, *non recordatur Loth promissionis Angelicæ quia perturbatus erat.*

Abulens.

Humanam rationem fides superare debet.

385. *Ascendit de Segor*, timens ne subuerteretur sicut aliæ ciuitates, & ne flamma accensæ planitiei in eam extenderetur, nonne hic timor rationi conformis erat? cur igitur infidelitatis à Patribus arguitur? meritò reprehenditur, quia humana ratio fidei cedere debet. Fauet Caiet. *humana ratione rationabilis fuit timor propter propinquitatem ad terram ardentem, manifesta tamen diffidentia de verbis Loth apparet, promiserant enim seruare ciuitatem illam.*

Card. Caiet.

Peccata nostra aliquando ita grauia, vt eis condonari vix iustus persuadere sibi possit.

386. *Ascendit de Segor*, timens scilicet illius ruinam, securus dege, protectorem habes Deum & fidei iussorem, timorẽ depellas, imo formidine percellitur, quia peccata Segor ita grauia vt eis condonare vix Loth sibi potuerit persuadere, sic existimat Lipp. *an fortè pro ea timuit, quia & illius ciuitatis vitia non disparia à Sodomorum vitiis inuenit, ac pro certo & ipsam subuertendam à Domino credidit?*

Auctor ea.

Manus diuina semel extensa nescit contrahi, donec in tuto nos collocet.

386. *Ascendit de Segor, & mansit in monte*, cur in obtento oppido non mansit? cur ascendit in montem, vnde sciuit quod exiens inde posset montem securè cõscendere? nouerat manum diuinam, qua muneratus, à Sodomis exierat, & Segor acceperat, nec putat posse fieri vt ibi cesset, quæ sic cœperat munera effundere manus diuina, donec ipsum in summo montis azylo constituat, & meritò prudentissimus vir ex primo Dei munere audet sibi promittere & secundum: eleganter D. chrysost. Hom. 6. de humil. Christi inquit, *ex hoc munere Dei quo paruæ ciuitatis habitaculum meruerat à Domino, assumens audaciam ascendit in montem*, non dubitat de Dei largitate vt ascendat in montis azylum, qui expertus fuerat Dei munera, vt Sodomis egrederetur, & in Segor habitaculum figeret, nunquam enim qui vel pusillum à Deo accipit, cessat accipere vsque dum salutis culmen accipiat.

S. Chrys. hom. 6. de humilitate Christi.

Cæca obedientiâ tutior est oculatâ prudentia.

388. *Ascendit in Segor*, ac si ab eo loco in quo ex diuina obedientia fuerat collocatus, vellet ex propria prudentia in tutiorem euolare, sed inspiciamus quid contigit nisi ebrietas & incestus? quomodo vir iustus in scelera lapsus est adeo grauia? quid mirum diuino imperio non paruit, cui si obtemperasset vtrumque euitasset, ac tandem intelligeret tutiorem se futurum si cæcâ obedientiâ quàm si oculatâ prudentiâ duceretur.

Vana gloria & superbia nobis quasi interiores.

390. *Ascendit in Segor &c. Et mansit in spelunca ipse & duæ filiæ eius cum eo*, si mysticè loquamur, quænam sunt hæ duæ filiæ, quæ iustum circumueniunt? ait Origenes, quæ à te non discedunt, sed sequuntur te, etiam cum ascendis in montem, sunt vana gloria & maior soror eius superbia, sed cur hæc duo vitia, filiæ propriæ dicuntur? nonne accommodatiùs loqueretur, si non filias sed extraneas & aduenas nuncuparet? vitia enim non sunt nobis congenita: audi satisfacientem eundem doctorem, *idcirco filiæ dicuntur, quia non nobis extrinsecus superueniunt; sed de nobis & de actuum nostrorum velut quadam integritate procedunt, vigila ergo quantum potes & obserua, ne de his generes filios quia qui de his nati sunt, non introibunt in Ecclesiam Domini.*

Origenes, Hom 5.

Diffidentia de Deo maximorum origo malorum.

391. *Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte,* cur non potius mansit in vrbe sibi à Deo concessa, nẽpe in Segor? respondemus, inquit Hier. in q.q. Heb. veram esse illam Hebræorum coniecturam de Segor, quod frequenter terræ motu subruta, primum postea falsa dicta sit, timueritque Loth dicens, si cùm cæteræ adhuc vrbes starent, ipsa sæpe subuersa est, quanto magis nunc in communi ruina non poterit liberari, sed hæc de Deo diffidentia, an nociua ei fuit, quis dubitat? cum citatus Hieron. asserat illi fuisse occasionem infidelitatis & illius incestus, quem cum filiabus commisit, *qui enim* (inquit) *cæteras viderat subrui ciuitates, & hanc stare, seque Dei auxilio erectum, vtique de eo quod sibi concessum audierat ambigere non debuit.*

D. Hieron. in q. Heb. in Genes.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXI.

VLG. Dixitque maior ad minorem, pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxta morem vniuersæ terræ.

Sep. Dixit autem senior ad iuniorem, pater noster senior est, & nemo est qui intret ad nos sicut conuenit omni terræ.

Arias. Dixit primogenita ad minorem, pater noster senex, & vir non est in terra ad veniendum super nos, secundùm viam omnis terræ.

EXPOSITIO.

Pater noster senex est, quasi diceret filia eius primogenitæ minori concubitum paternum differre nõ debemus, cùm enim pater sit ætatis maximè prouectæ, cito moritur vel in eo deficiet virtus generatiua.

Et nullus virorum remansit in terra &c. acceperant enim à patre mundum vt olim diluuio perierat, ita secundo periturum incendio, vnde nimius terror & horror huius incendii Sodomitici impulit eas, vt totum orbem conflagrasse putarent, nullúmque hominem superstitem, ideo subiungit maior *qui possit ingredi ad nos*, id est cognoscere nos carnaliter.

Iuxta morem vniuersæ terræ, honestis verbis naturalis modus concipiendi per accessum advirum describitur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Generis propagatio ab antiquis maximè desiderata.

392. *Nullus virorum remansit in terra qui possit ingredi ad nos,* quod consilium apprehenditis? patri commisceri, quid scelestius, filias cùm patre rem habere? deficiet inquiunt, genus nostrum, deficiat, ita sollicita erat antiquitas generis sui multiplicationis, vt omnibus eam anteponeret, ita D. Chrysost. *hæc erat priscorum maxima cura quomodo genus suum liberorum successione dilatarent, proinde dicit ne nostri generis tota fiat abolitio præsertim iam patre senio confecto, veni, potemus patrem nostrum vino, &c.*

S. Chrysost.

Licet sit pia intentio in actione, si fiat modo illicito, vituperabilis est.

393. *Nullus remansit qui possit ingredi ad nos,* sine dubio earũ intentio fuit generis humani conseruatio, existimabãt enim quod sicut in diluuio omnes perierant excepto Noé, & qui cum eo erant in arca, ita in hoc incendio omnes consumptos fuisse: si igitur hæc intentio pia fuit, quomodo earum actio, nempe coitus cum patre vituperabilis? quia si actio illicito modo fiat, etiã si à recta intentione dirigatur, non est approbanda. Sic Lyran. *habuerunt piam intentionem, scilicet conseruationem generis humani, licet malo modo ad hoc vellent venire, scilicet per incestum cum patre, quod fuit semper illicitum & detestabile.*

Noster Lyran.

Circumstantiæ, quod peruersum est, aliquo modo excusant.

394. *Nullus remansit qui possit ingredi ad nos*, quasi dicerent, nullus superstes remansit, præter patrem ex quo concipere possumus, thorum illius ascendamus, sed ita ne mentis obcæcatæ, quod impium concupiscitis? quid à crimine liberas constituet? audi D. Irenæ. lib. 4. aduers. hæres. c. 51. *illæ filiæ secundum simplicitatem & innocentiam putantes vniuersos homines perisse, quemadmodum & Sodomitas & in vniuersam terram iracundiam Dei superuenisse, dicebant hæc, quæ propter & ipsæ excusabiles sunt, arbitrantes se solas relictas cum patre suo ad conseruationem generis humani, & propter hoc circumueniebant patrem.*

D. Iren. lib. 4. aduers. hæres. c. 51.

Nullus locus securus.

395. *Nullus remãsit qui possit ingredi ad nos, Dixit maior ad minorẽ,* sed vbinã hoc colloquiũ? in spelũca mõtis cuiusdã: sed cũ sit locus ab impiis segregatus, quomodo ita consiliũ impiũ inierunt, quale est patri cõmisceri? forte vt agnoscamus locum non præstare securum, nisi veram animi virtutem: sic D. Greg. Hom. 9. sup. Ezech. *Sæpe mutare locum conamur & secretum vitæ remotioris eligere, ignorantes, quia si desit spiritus, non adiuuat locus, Loth enim in Sodomis sanctus erat, in monte & in spelunca peccauit.*

D. Greg. Hom. 9. sup. Ezech.

Maxima est iustorum castitas.

379. *Nullus remansit in terra*, & ideo generationi cum proprio patre vacare concupiscitis, sed vt executioni mandetur intentio vestra, quid agere intimini? patrem nimio vini potu obruemus: cur patri id non persuadetis dicentes, iam omnes periisse mortales, ideo ne humanum genus pereat vobis misceatur, non id attentauere, quia ita castus, vt hunc concubitum etiam morte grauiorem existimasset, quod obseruat D. August. lib. 22. contra Faustum c. 43. *ab illo opere ita patrem abhorrere sentiebant, vt illud se impleturas esse non crederent, nisi eius ignorantiam procurarent.*

D. August. lib. 22. cont. Faust. c. 43.

Peccator rationes quærit, quibus sua persuadeat peccata.

397. *Nullus remansit in terra, Dixit maior ad minorem, pater noster senex est,* &c. si tanto desiderio flagras filios suscipiendi, cur præmittis patrem tuum prouectæ ætatis esse? quia peccator rationes excogitat quibus sua persuadeat crimina: *quærunt semper*, inquit Oleast. *fœminæ rationes quibus vitia sua tegere possent.* Oleast.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXII.

VVLG. Veni inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen.

Sep. Veni & potemus patrem nostrum vino, & dormiamus cum eo, & suscitemus de patre nostro semen.

Cald. Veni potemus patrem nostrum vino, & cubemus cum eo, & reseruabimus de patre nostro filios.

Arias. Propinemus patri nostro vinum, & cubemus cum eo, & viuificemus de patre nostro semen.

Caiet. Faciamus bibere.

CONCORDIA.

QVamuis in Hebræo non legatur inebriemus, sed propinemus vinum, quia tamen intentio earum ad inebriandum patrem tendebat, ideo noster vulgatus finem actionis explicat.

EXPOSITIO.

VEni inebriemus eum vino, scilicet non ex miraculo à Deo producto, vt volunt Hebræi, nec adducto ex Sodoma, vnde festinanter exire compulsæ sunt, sed ex vrbe Segor, vnde cùm deliberatum esset patri earum emigrare in montem, acceperunt inde quidquid ad cibum potumque pertinet & quod auferre potuerunt.

Dormiamusque cum eo, successiuè vt seruare possimus ex patre nostro semen, hoc est vt prolem acquiramus ex eo, per quam genus humanum conseruetur.

Sed inquires, vtrum sint excusabiles filiæ Loth, aliquomodo, absolutè autem minimè, nam scienter & dedita opera patrem inebriarunt, & rationis vsu priuarunt, excusabiles autem aliquo modo propter rectitudinem intentionis earum, scilicet non ex libidine, sed ex desiderio prolis habendæ.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Res inhonestas ne auribus quidem percipere debemus.

398. VEni inebriemus eum vino, cur ita graue crimen, quale est patrem vsu rationis priuare ex nimia vini copia, committere aggredimini & ex intentione concubitus paterni? nonne conuenientius fuisset illi rem aperire? si autem renuat, saltem à gula patris liberæ efficiemini, timent, rem patri aperire, quia cùm esset inhonesta, ne auribus quidem ab eo foret percipienda, sic D. Chrysostomus, *nunquam ferret hoc ne auribus quidem vino decipiamus eum.* Chrysost.

Deus non perpetrat miraculum sub intentione mali.

399. Veni inebriemus eum vino, quo vino? dicunt Hebræi miraculosè producto in spelunca, vt per hoc fieret procreatio duorum populorum, scilicet Moabitarum & Ammonitarum, sed falsum, at cur falsitatis arguuntur Hebræi? nonne enim Deus vinum in spelunca producere potuisset? potuit quidem, sed non eo fine, quia vt optimè Lyran. *Deus faceret miraculum ad procreandum incestum.* Lyran.

Vinum intemperatè bibens belluarum socius.

389. Veni inebriemus eum vino, vbinam vinum bibit intemperatè? in spelunca quæ non est conuiuantium hominum triclinium, sed rapientium atque deuorantium ferarum domicilium: quia vini sine modo potator belluinam intemperiem imitari videtur, & sic non mirum, locum belluarum incolere, quod D. Ambros. lib. de Elia cap. 5. rectè expendit, *conuenit inquit, ebrietati solitudinis locus, ferarum magis latibulis quàm humanis aptior domicilijs, & optimè quis enim belluis similior quàm nimius vini potator carens ratione.* D. Ambr. l. de Elia c. 5.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXX.

VVLG. Dederunt itaque patri suo bibere vinum no [illegible]e illa, & ingressa est maior, dormiuitque cũ patre, at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.

Sep. Potauerunt autem patrem suum vino in nocte illa, & ingressa senior dormiuit cum patre suo in illa, & nesciuit cum ille dormiuit, & cum surrexit.

Cald. Et concubuit cum patre suo, & nesciuit, quando cubuit, nec quando surrexit.

Pag. Veni potum demus patri nostro vinum.

Arias. Propinauerunt patri suo vinum in nocte ipsa, & venit primogenita, & cubuit cum patre suo, & non cognouit in accumbere eius & in surgere eius.

EXPOSITIO.

Dederunt patri suo bibere vinum, inquiritur, cum eo ebrius mansisset, vtrum à culpa possit excusari, sine dubio nõ omnino accusandus mihi videtur, cogitationibus enim variis distractus & afflictionibus attritus, ex subita vxoris & bonorum amissione non aduertit immoderatũ vsum vini, maximè cum à filiabus oblatum crederet, vt mœstitiam & dolorem patris temperarent cordis alacritate, quæ à vino causari solet.

Et ingressa est maior dormiuitque cum patre, cùm cognouisset temulentum esse patrem habendæ prolis gratia, maior ingressa cubile patris cum eo dormiuit, cuius pater ex mẽtis perturbatione putans se accedere ad vxorem, non enim mortis illius recordabatur, filiam virginem carnaliter agnouit.

At ille non sensit nec quando accubuit filia, &c. quasi diceret manè facto eius quod somnolentus fecerat non meminit (quod quandoque citra ebrietatem ex magno sopore experimur, ita vt nec etiam concubuisse cum aliqua recordatus fuerit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ne peccatis inquinemur, efficit Deus.

400. Dederunt patri suo bibere vinum, eo scilicet fine, vt cum patre dormirent, sed cùm Deus suorum singularem habeat prouidentiam, quomodo permisit Loth inebriari vino quo nihil est indecentius? responsionem Chrys. accipe *opinor ex diuina dispensatione id esse factum, ita fuisse aggrauatum vino, vt omnino ignoraret, ne scilicet fieret criminum reus*, quasi diceret, non ex defectu prouidentiæ Dei erga iustum hoc contigit, imo ex maximo amoris affectu erga illum, ne scilicet aliquo modo consentiens fœdissimè coinquinaretur.

Ebrietas mater luxuriæ.

401. *Ingressa est maior dormiuitque cum patre*, vnde nã originẽ habet hic incestus? inspice quid dicat text⁹, dederunt patri suo bibere vinum, sed cur Deus quamuis vino consopitus esset, permisit vt in hoc fœdissimum opus laberetur? vt fortè intelligeremus luxuriam ab ebrietate procreari: ita. Thom. Angl. *nota quod Deus hunc incestum permisit induci etiam in sanctum Loth, in signum quod gula & ebrietas sint matres luxuriæ.*

Tho. Ang.

Ebrietas maximè cauenda.

402. *Ingressa est maior dormiuitque cum patre*, prorsus abominabilis concubitus & rationi repugnans, quamuis Loth iusto inopinatus contigerit, sed cur ita graue scelus cùm potuisset Deus auertere ab huiusmodi filia perpetrari permisit? vt ebrietatem tot causam malorum omnino fugeremus: sic. Thomas, *vt ostenderetur quanti periculi est ebrietas, quæ etiam inopinata mala inducit, & sic per consequens fortius timeretur & cautius vitaretur.*

Tho. Ang.

Ebrietas vitiorum mater.

405. *Ingressa est maior dormiuitque cum patre*, ô scelus inauditum, filiam patris amplexibus frui, quid tanto crimini præbuit aditum? non patris impudici [illegible]; virtutes enim eius satis cognitas habes, quid ergo nisi ebrietas? quæ omnium criminum est origo, sit tibi testis D. August. tract. 17. de Sobriet. & cast. *ebrietas flagitiorum omnium mater est, culparum materia, radix criminum, origo vitiorum, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis.*

D. Aug. tr. 17. de Sobr. & cast. vel qui eius [illegible] est auctor

Ebrietas dedecus vitæ.

408. *Ingressa est maior dormiuitque cum patre*, cui dederat vinum, quo consopitus factus est rationis expers, nonne ille est Loth, qui merito virtutis suæ liber ab incendio Sodomæ euasit, & ideo ab omnibus celebratur, quomodo igitur nũc vituperatur? quia ebrietas infamia vitæ censenda est, ita cit. Auct. *ebrietas insania voluntaria, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela.*

Cit. Auctor

Errores aliorum nos instruunt, quid fugiendum.

407. *Ingressa est maior dormiuitque cum patre*, cui dederant bibere vinum, quid inde sequitur, nisi filiarum defloratio & incestus? miror quomodo Spiritus sanctus flagitium ita indecorum hominis iusti ante oculos omnium proposuit: nonne conuenientius fuisset obliuioni tradidisse, ne ab omnibus tantæ turpitudinis accusaretur? ideo tanta intemperantia cum incestu vobis reuelatur, vt errores iustorum nostræ inseruiant vtilitati & instructioni. Sic D. Amb. l. 1. de Abr. c. 6. *nõ vtique vitia Patriarcharum scriptura exposuit, quos victos vino legimus, sed vt tu disceres, quid caueres, ille nudus iacuit, iste filiarum errori patuit, & Noe iustus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur, sed in illo instructus est, ne tu ignorares: Loth filiabus se credidit, & per senectutem madidã vino salutis, cõmisit incestũ ignarus, tu sic bibe ne capiaris; instruant nos Patriarchæ non solum docentes, sed etiam errantes, ideo iteratum est exemplum ebrietatis vt cõformaretur magisterium cautionis.*

D. Amb. lib. 1. de Abr. c. 6.

Pericu-

Periculosa est hominum cum mulieribus, extra matrimonium cohabitatio.

408 *Et ingressa est maior dormiuitque cum patre*, cùm dictum à nobis hunc incestum Loth cum filiabus nostræ vtilitati deseruire, quodnam quæso commodum nobis contingere potest? vt agnoscamus periculosissimā esse hominum cum mulieribus extra matrimoniū cohabitationem, quod obseruat Lipp. *Docet hic Spiritus sanctus periculosam habitationem viri cum mulieribus extra matrimonium, si enim non licuit tutum habitare patrem cum filiabus, & patrem tam sanctum & iustum, quid fiet de miseris peccatoribus & mulieribus quibuscunque?*

Lipp.

Scriptura honestissima.

409 *Ingressa est maior dormiuitque cum patre*, nescio cur incestus accusetur hæc filia, cùm dicat sacer textus solum cum patre dormisse, quilibet autem dormire cum alio potest, nullo interueniente peccato: sed optimè satisfacit Caiet. dicens, *honestis verbis totum factum Moyses describit ab extremis actionibus, videlicet iacere, surgere de paterno lecto, est enim sensus, quod Loth nesciuit penitus vniuersam rem gestam à primo actu videlicet quod filia iacuerit secum vsque ad vltimum actum, videlicet quod filia recesserit à suo lecto.*

Veritas scripturæ omnibus anteferenda.

410 *Ingressa est maior dormiuitque cum patre*, Hebræi appungunt desuper, quasi incredibile quenquā inter dormiendum generationi posse vacare, sed decipiuntur, quamuis enim hoc incredibile eis videretur veritas scripturæ omnibus anteferenda: sic Lippom. *Magis scripturæ sanctæ standum, quæ longe incredibiliora facta recenset isto, quam eorum adinuentionibus.* Qui sensibus propriis potius quàm veritati fidem adhibent.

Lipp.

Iustus timeat ne cadat.

411 *Ingressa est maior dormiuitque cum patre*, nonne Loth à iuuentute pietati adhæserat, & inter Sodomitas castitatem illæsam seruauerat, & si vniuersus orbis ei promissus fuisset, vt alienam mulierem agnosceret, nullo modo ab eo admissus fuisset, quomodo igitur proprias filias vino ebrius incestu constuprat? optima responsio Feri, *videmus iudicia Dei inscrutabilia, quod sanctum hunc virum tam grauiter permittit cadere, verè timendum iudicium, quo sibi non timeas, qui vides sic sanctum cadere? admonemur igitur ne nimium securi simus, sed semper timeamus, vigilemus, qui stat videat ne cadat.*

Noster Ferus.

A nobis superbiendi occasionem adimit Deus.

412. *Ingressa est maior dormiuitque cum patre*, Patre quidem iusto virtutumque amantissimo, quomodo virum sibi gratum permittit Deus non solum inebriari, imo & in incestum prolabi? vt eo casu ab eo de virtutibus superbiendi occasionē adimeret: ita Andr. Nic. *Permisit Deus ipsum cadere vt non in superbiam eleuaretur, propter acceptam gratiam.*

And. Nic.

Aliquando qui in sæculo virtutibus studet, & in religione vitia sequitur præceps.

413 *Ingressa est maior dormiuitque cum patre*, nonne in Sodomis legitur fuisse Deum timens, nec ibi aliquando luxuriæ aut ebrietati vacasse? quomodo igitur in monte, vbi salutem se consequi sperauerat, legimus ebrium, cum propriis filiabus incestum perpetrasse? nota per Sodomam omnibus vitiis scatentē intelligi sæculum variis criminibus refertum, per montem, religionem agnoscimus; igitur hominem iustum in vrbe execrabili Deum virtutesque coluisse, & in monte vitiis se mancipasse, vt sciremus plures qui aliquando in sæculo virtutibus studuerunt in religione vitia prorsus detestabilia præcipites amplecti, sicque vbi se salutem consequi sperabant, periculum damnationis incurrunt vnde D. Aug. ad Vincent. Dona. ep. 37. ait *sicut difficile sum expertus meliores quam qui in monasterio profecerunt, ita non sum expertus deteriores quàm qui in monasterio defecerant.*

D. Aug. ad Vinc. Don. epi. 37.

Aliqua vitia sunt spiritualia quæ vix percipi possunt.

414. *Ingressa est maior, at ille non sensit nec quādo accubuit filia, nec quādo surrexit*, quid denotatur quod Loth filiā carnaliter agnoscēs nec quando cum eo accubuit, nec etiam quando surrexit agnouit? nisi peccata spiritualia quæ vix percipi possunt, quando humanam mentem inuadunt, aut ab ea recedunt, eo quod latenter & occultè se ingerunt, etiam quandoque sub specie virtutis vide Aug. ad Hier. ep. 29. *sunt quædā vitia virtutibus aperta discretione contraria vt imprudentia; sunt autem quædam quæ tamen vitia sunt, ideo contraria tamen fallaci specie similia virtutibus, vt eidem prudentiæ non imprudentia sed astutia, item in partibus temperantiæ apertissime contraria est effusio seu prodigalitas parsimoniæ tenacitas vero vitium est tamen parcimoniæ simile non natura sed falacissima specie.*

D. Aug. ad Hie. ep. 29.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXIV.

VLG. Altera quoque die dixit maior ad minorem, ecce dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt saluemus semen de patre nostro.

Sept. Factum est enim in crastino & dixit senior ad iuniorem, ecce dormiui heri cum patre nostro, potemus eum vino, & ingressa dormi cum eo, & suscitemus de patre nostro semen.

Cald. Et factum est in die sequenti, & dixit maior minori, ecce concubui heri cum patre meo, potemus eum vino etiam hac nocte, & ingredere cuba cum eo, vt reseruemus de patre nostro filios. *Irinæus* potionemus eum vino.

Arias. Et fuit à crastino, & dixit primogenita ad minorem, ecce cubaui nocte præterita cum patre meo, propinemus ei vinum etiam nocte, & ingredere, cuba cum eo, & viuificemus de patre nostro semen.

EXPOSITIO.

Ecce *dormiui cum patre meo*, id eſt ab eo fui carnaliter cognita, *dormies cum eo hac nocte vt ſaluemus*, &c. ex quo patet quod non libidinis cauſa, ſed conſeruationis generis humani ad patrem acceſſerunt: ſi enim delectationis gratia acceſſiſſent, maior minorem non ſolicitaſſet, vt ea frueretur, voluptatis enim venereæ particeps non admittitur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

In peccatis ſemper ſubterfugium quærimus.

416. *Dormies cum eo vt ſaluemus ſemen de patre noſtro*, nonne poterat ſeruari ſemen ex patre veſtro, ex tuo partu? ad quid igitur neceſſe fuit vtramque à patre cognoſci? genus enim humanum ex vno viro eiuſque coniuge traxit originem, neſcio quid reſpondeam, niſi quod in peccatis committendis, ſemper aliquod inquirimus ſubterfugium.

Soli infamiam incurrere nolumus.

417. *Dormies cum eo*, cur ad inceſtum prouocare vis ſororem? nonne tibi ſufficit tam graue delictum commiſiſſe? cur ergo ſcelens ſociam requiris? optime ſatisfacit Lipp. *minor à maiore inducitur, ne ſola infamiam ſuſtinere cogatur.*

Lippo.

Peccatum ad aliud nos inducit.

418. *Demus ei bibere vinum & dormies cum eo*, dixit minori maior, nonne peccatum inceſtus cum patre commiſiſti? cur ad ſimile ſororem innocentem prouocas? quid mirum? tale enim conditionis eſt peccatum, vt ad aliud admittendum nos inducat, vnde D. Grego. *Peccatum* (inquit) *quod cito per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit.*

D. Greg.

Peccatum aliorum proponitur vt illud fugiamus.

419. *Demus ei bibere vinum*, quo ebrius iacuit & ſopitus Loth, ſed qua de cauſa hoc ſecundum ebrietatis exemplum nobis proponitur, cùm in dedecus illius ſufficeret primum nobis eſſe relatum? optimè D. Ambr. *Ideo iteratum eſt exemplum ebrietatis, vt confirmetur magiſterium cautionis.*

D. Ambr.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXV.

VVLG. Dederunt etiam & illa nocte patri ſuo bibere vinum, ingreſſaque minor filia dormiuit cum eo, & ne tunc quidem ſenſit, quando concubuerit vel quando illa ſurrexit.

Sept. Potauerunt autem & in nocte illa patrem ſuum vino, & ingreſſa iunior dormiuit cum patre ſuo, & neſciuit cum dormiuit ipſe & ſurrexit.

Cald. Et ſurrexit minor, & concubuit cum eo & neſciuit quando ſurrexit.

Arias. Surrexit minor, & cubauit cum eo, & non cognouit in accumbere eius & in ſurgere eius.

EXPOSITIO.

Dederunt *patri bibere vinum* &c. in hac ſecunda inebriatione patris & inceſtu non ita excuſari poſſunt filiæ Loth, non enim ob ſeminis & generis humani conſeruationem, neceſſarium erat vtramque carnaliter cognoſci, cùm ab vnico viro & vna muliere genus humanum traxerit originem.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Infidelitas grauiſſimorum occaſio peccatorum.

420 Dormiuit *cum eo*, inceſtum non ſolum cum filia prouectiore, ſed & cum minore committit, cuius originem dices in ebrietatem refundendam, ſed aſſero etiam & in infidelitatem, pro cuius veritate animaduerte quod cùm Deus permiſiſſet in Segor habitare, credidit in aliarum incendio ciuitatum ſe in ea ſalutem conſequi non poſſe, ſicque ea derelicta in montem abit, quo poſito *reſpondebimus* inquit D. Hier. in qq. Hebr. *hanc occaſionem infidelitatis etiam in filias coitus dediſſe principium.*

D. Hier. in qq. Hebr.

Perſeuerantia in bono non eſt infallibilis cum ſtudio virtutis.

421 *Dormiuit cum eo*, nonne ille eſt Loth Deo obediēs, qui nec contra illius præceptum auſus eſt ciuitatē intueri? quem voluptates Sodomorum ſuperare non potuerunt? quomodo igitur ebrietas ita deuincit, vt duplicem committat inceſtum? forte vt illius exemplo inſtruamur boni operis initium cum illius perſeuerantia non eſſe infallibile: vnde optime D. Hiero. ep. ad Furiam, *non quæruntur in Chriſtianis initia ſed finis. Paulus male cœpit, ſed bene finiuit, Iudæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur.*

D. Hier. ep. ad Furiam.

Ebrietati coniuncta eſt libido.

422 *Dormiuit cum eo*, Loth audi propriam filiā eſſe quæ tecum inceſtuoſè dormire laborat, intactā relinque, ne tanti ſceleris accuſeris perpetrator, voluptati renuntiare neſcit, ſed qua de cauſa potius rationi non obtemperat? inſpice quid dicat textus *dederunt patri bibere vinum*, non mirum igitur tale crimen inceſtuoſum commiſiſſe, quia coniuncta eſt ebrietati libido, Fauet Tertull. lib. adue. 1. phil. c. 17. *appendices gulæ laſciuia atque luxuria eſt*, & addit *quam ſocietatem & Apoſtolus ſciens cum præmiſiſſet, non in ebrietatibus nec in comeſſationibus adiunxit, nec in cubilibus nec in libidinibus.*

Tertul. li. aduer. phil. cap. 17.

Ebrietas

Ebrietas ita mentem alienat, vt malum quod committitur, non percipiatur.

423. *Dormiuit cum eo, nec sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit,* non miror Hebræos quasi impossibile hominem concumbentem cum muliere, & nihil sentire, nolle credere; quomodo enim fieri potest, quod mulier & præcipue virgo carnaliter cognoscatur ab aliquo & ab eo non sentiatur? Sed Hebræos tanquam incredulos reiice, quia talis est ebrius, vt scelus à se commissum non percipiat: Sit tibi testis D. Isid. Hisp. lib. 2. Sent. c. 43. *ebrietas ita mentem alienat vt vbi sit nesciat, vnde etiam & malum non sentitur, quod per ebrietatem committitur: verum est quod iuxta Prophetam dicitur, fornicatio & ebrietas auferunt cor, fornicatio enim sicut in Salomone infatuat sapientes, ebrietas sicut in Loth sensum rationis captiuat.*

Isid. hisp. li. 2. sent. cap. 43.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXVI.

VVLG. Conceperunt ergo duæ filiæ Loth de patre suo:

Omnes aliæ versiones eodem modo legunt.

EXPOSITIO.

Conceperunt duæ filiæ, Scio scholasticam historiam asserere non fieri conceptum in defloratione virginum, & licet hoc verum esset, nihil contra id quod spiritus Sanctus affirmat concepisse duas filias quæ erant virgines ex patre suo, non enim ait textus expressè quod semel vtraque tantum sit cognita: si autem sancti Patres affirment eas non iterasse concubitum, sic intelligi possunt post conceptum non repetiisse.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus crimina nostra in maiorem punitionem manifestat.

424. Conceperunt duæ filiæ, nonne satis erat eas à patre carnaliter cognitas fuisse? quomodo igitur permisit ab eo etiam concipere? deberet enim huiusmodi scelus non solum silentio præteriri, sed nullomodo cognosci: verû non sine ratione id contigit, sed forte vt incestus earum in abscondito perpetratus, in maiorem sui pœnam omnibus manifestaretur: annuit Thom. Angl. dicens *diuina prouidentia hoc contingit ad reuelandum earum incestum, & in exemplum occulte fornicantium quæ in sui reuelationem & pœnam sæpe iusto Dei iudicio impregnantur.*

Thom. Angl.

Piam intentionem, licet actioni non piæ coniunctam remunerat Deus.

425. *Conceperunt duæ filiæ*, hunc conceptum non solum tribuit earum punitioni, sed etiam remunerationi Thomas, sed ô eximie doctor, remuneraturne à Deo scelus? reuoca in memoriam earum intentionem fuisse rectam in hoc concubitu, vt scilicet genus humanum conseruarent: Respondeo ergo ideo eas in hoc conceptu remunerasse Deum, quia ita liberalis vt nihil rectum etiam illicito modo perpetratum sine præmio relinquere: audi videatur Th. *diuina prouidentia id contigit forte adimplendam piam intentionem illarum, vult enim Deus sæpe ostendere se etiam in terra velle remunerare opera bona, ecquid etiam bona multis impuritatibus annexa quantum decet remunerat?*

Anglicus.

Plura permittit Deus in futurum mysterium?

426. *Conceperunt duæ filiæ Loth de patre suo,* an sine dispensatione diuina & sine futuri mysterii annuntiatione contigit duas filias ex eodem patre concepisse? sine respondeat D. Irenæ lib. 4. aduers. hæres. cap. 51. *nesciente homine neque libidini seruiente dispensatio perficiebatur, per quam duæ filiæ, id est duæ Synagogæ ab vno & eodem patre sobolem adoptatæ significabantur sine carnis libidine.*

D. Iren. li. 4. adu. hæt. ca. 51.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXVII.

VVLG. Peperitque maior filium & vocauit nomen eius Moab, ipse est pater Moabitarum, vsque in præsentem diem.

Sep. Et genuit senior filium, & vocauit nomen eius Moab: dicens de patre meo ipse est pater Moabitarum vsque in hodiernum diem.

Arias, Et genuit primogenita filium.

CONCORDIA.

IN Hebræo non habemus de patre meo, quod addiderunt septuaginta, vt ethymologiam nominis Moab exprimerent.

EXPOSITIO.

V*Ocauit nomen eius Moab* qui ex Hieronymo interpretatur ex patre, *ipse est pater Moabitarum vsque ad præsentem diem*, modus dicendi scripturæ satis familiaris, qui sic intelligendus est, ipse est pater eorum qui vsque ad præsentem diem superuixerunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peccatum inuerecundos nos efficit.

427 *Vocauit nomen eius Moab*, qui vt diximus ex patre interpretationem sortitur, cur aperit in nomine filij sui quod commiserat? quia peccatum pluries inuerecundos ita nos efficit vt etiam alijs manifestari crimina nostra velimus, sic enim Lyran. *patet quod ipsa inuerecunda fuit, quia turpitudinem quam operata fuerat cum patre exposuit, & reuelauit in nomine filii, ostendens quod ex patre suo conceperat.*

Noster Lyran.

Insitum est posteritati memoriam sui relinquere.

428 *Vocauit nomen eius Moab*, id est ex patre, cur ex proprio patre concipere voluisti? vt seruemus inquit semen nostrum, sed quid refert si omnino extinguatur? nonne satius fuisset omnino deleri, quam incestum commisisse? satius quidem; sed ita insitum est omnibus memoriam sui relinquere, vt eam omnibus anteferamus: fauet D. Chrysost. dicens, *tunc quidem quoniam origo & initia erant & per generis successionem memoriam sui volebant conseruare, tantum eius rei studium fuit iust. filiabus.*

S. Chrysost.

Peccata sanctorum proponuntur non vt cadamus, sed si ceciderimus, vt resurgamus.

429. *Vocauit nomen eius Moab*, id est ex patre; cur Deus permisit tale nomen imponi filio Loth, cum semper infamiam incestus ab eo commissi posteritati adaperiret? nonne conuenientius esset vt alio nomine vocaretur, ne propalaretur eius incestus, si nō culpabilis saltem eius ebrietas à pluribus patribus nō excusatur: dico peccatum Loth iusti sicut & aliorū sanctorū in medium proponi, non vt eorum sequentes vestigia labamur, sed vt resurgamus sicut illi, si ceciderimus, audi D. Aug. in Psal. 50. qui loquens de casu Dauid ait, *non cadendi exemplum propositum est, sed si cecideris, resurgendi, attende ne cadas, ad hoc propositum est, ad hoc scriptum est, ad hoc in Ecclesia sæpe lectum atque cantatum, audiant qui non ceciderunt ne cadant audiant qui ceciderunt, vt resurgant, tanti viri peccatum non tacetur, predicatur in ecclesia.*

D. Aug. in Psal. 50.

Peccat grauius qui ad exemplum iusti qui cecidit, offendit, quam sine exemplo peccaret.

430. *Vocauit nomen eius Moab*, diximus ideo ei impositum fuisse, vt casum illius scientes vitaremus, sed nonne dicere possumus si iustus Loth, qui tantis à Deo beneficiis cumulatus fuerat, ita grauiter offendit, vt ebrius incestum, & non cum quibuscumque A sanguine coniunctis, sed cum propriis filiabus committeret, cur accusabimur infirmi & peccatores, si in idem labamur delictum? quia qui ad exēplum iusti qui cecidit, offendit, grauius peccat quàm, sine exēplo peccaret. Sic Aug. cit. *Inde anima iniquior quæcum propterea fecerit, quia Dauid fecit, vel Loth, ideo peius quàm Dauid fecit; dicam hoc ipsum, si potero planius; Dauid nullum sibi ita ad exemplum proposuerat, vt tu, ceciderat lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis, tu tibi tanquam sanctum proponis vt pecces, non imitaris eius sanctitatem, sed imitaris ruinam in aliquod crimen cecidisse; vel nulla igitur excusatio aut subterfugium esse poterit licet iniquus videaris vel ignoueris.*

Cit. Aug.

Deus ex malo maximum bonum elicit.

431 *Vocauitque nomen eius Moab*, quem filium (ex B incestu nempe cum patre) susceperat, qui fuit Moabitarum genitor, miror Deum impudicitiæ maximè osorem, cùm enim sit purissimus, imo ipsamet puritas, nihil nisi purum & mundum amore prosequitur, nihil è contra ita auersatur quàm impudicitiam redolens, impuritatem sapiens; miror inquam Deum, permisisse patrem propriā agnouisse filiam carnaliter: nota quod licet turpissima fuerit origo gentis Moabiticæ ex fœdissimo nēpe concubitu, tamen ex ea gente fuit Ruth, quæ ad populum Dei aggregata nupsit Booz, vnde genus & progenies fuit Dauidis omniumque regum Iuda, & quod super omnia est, Saluatoris & Domini nostri Iesu Christi; ne accuses igitur Deū tam nefandum permittentem concubitum, sed potius admirare super C eminentem Dei bonitatē, qui maxima peccata & mala sæpe in causas ingentium bonorum conuertit; vnde D. Aug. semper in nos Dei misericordiam exaltans sic loquitur cap. 95. sui enchiridii ad Laur. *non fit aliquid nisi omnia, potens fieri velut vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo, nec dubitādum est etiam Deum facere bene etiam sinendo fieri quæcumque fiunt etiam male, non enim hoc nisi iusto iudicio finit, quamuis ergo ea quæ mala sunt inquantum mala sunt non sunt bona, tamen vt non solum bona sed etiam sint & mala bonum est, nam nisi hoc esset bonum vt essent mala, nullo modo sinerentur ab omnipotente bono*, quasi diceret, si Deus malum aliquod permittit, ex eo non nisi bonum elicit, non enim ita infirmæ potentiæ & sterilis cognitionis, vt cùm aliquod malum culpæ, D prouidentia sua non effectiua permiserit, nesciat aliquod bonum elicere, vel in vtilitatem malū operantis, vel aliorum, vel totius vniuersi: permisit Regē Dauid in adulteriū cum vxore Vriæ, nempe Bersabee, nec nō in grauissimum homicidiū miserè & fœdè prolabi; sed quanta Dei misericordia elicuit ex his bona, maximā & quasi inimitabilem eius pœnitentiam, profundissimam humilitatem &c.

D. Aug. c. 95. enchir.

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXVIII.

VVLG. Minor quoque peperit filium; & vocauit nomen eius Ammon, id est filius populi mei, ipse est pater Ammonitarum vsque hodie.

Sep. Peperit autem & minor filium, & vocauit nomen eius Ammon, dicens filius generis mei, hic est pater Ammonitarum vsque in hodiernum diem.

Cald. Et vocauit nomen eius filium populi mei, ipse est pater filiorum Ammon vsque in diem hanc.

Ar. Et vocauit nomen eius Benhammi, ipse pater filiorum Hamon.

Procop. Filius gentis meæ.

CONCORDIA.

AMMON corruptum est nomen, legendum enim est Benhammi, quod autem subditur filius populi mei, siue vt habent 70. filius generis mei, adiectitium est, sed ideo appositum vt ethymologia nominis exprimeretur.

EXPOSITIO.

VOcauit nomen eius Ammon, quod interpretatur filius populi mei, quasi dicat; iste est filius quem concepi ex quodam de populo meo. *Ipse est pater Ammonitarum*, populi sunt qui in valle Syriæ habitant *vsque hodie*, idest saltem vsque ad tempora mea, licet non statim deleti fuere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Inter peccatores alii sunt verecundiores.

432. *Vocauit nomen eius Ammon*, qui interpretatur filius populi eius, cur eum Moab id est ex patre meo non nominauit? nota inuerecundiæ signum fuisse in filia primogenita vocasse filium suum Moab, id est ex patre meo, quia incestum quem cum eo commiserat hoc nomine exprimebat: non igitur Moab sed Benhammi, id est filium populi mei minor vocauit filium suum, vt inter peccatores alios alios verecundiores agnoscamus: fauet Caiet. *in hoc apparet verecundia ac sensus huius puellæ clarius ad sororem, nam in nomine filij non publicauit incestum, & manifestauit se non genuisse ex populo damnato à Deo, sed ex viro proprij populi:* vel vt ait Lyr. *fuit honestior, quia de populo suo potuit mulier concipere licitè sicut patet de Sara quæ concepit de Abraham eius auunculo.*

Card. Caj.

Lyran.

Insitum est nobis posteritati nostræ memoriam relinquere.

433. *Vocauit nomen eius Ammon*, id est filius generis mei vel populi, cur nomen indidit exprimens se concepisse ex aliquo populi sui? vt memoriam facti sui posteritati relinqueret, nec obliuione deleretur, quod obseruat D. Chrysost. *nomina statim natis indiderunt, quibus factum significabant, & in filiorum nominibus quasi in columna quadam memoriam facti inscribebant.*

Malum consilium male cedit illius auctori.

434. *Vocauit nomen eius Ammon*, qui fuit pater Ammonitarum, hi populi, sicut & Moabitæ peruersi fuere, sed, ô filiæ Loth, nonne incestum commisistis, vt genus humanum à vobis resti tueretur? quomodo ergo peccatores & pessimos peperistis? dicam equidem hoc ita contigisse, vt notum haberemus peruersum consilium etiam auctori suo malè cedere, quod D. Athan. Nicen. probat ex illo Psal. in operibus, seu vt ipse legit, in factis manuum suarum comprehensus est peccator, & confirmat ex Achitophel; qui aduersus Dauid consilium capiens vt interficeretur, ipsemet laqueo vitam finiuit.

Ath Nicen. q. 74.

Qui sibi consulere nescit, aliis consilium præbere non potest.

435. *Vocauit nomen eius Ammon*, ex consilio sororis tuæ maioris incestum commisisti, cuius fructus filius impius, sed te, ô primogenita Loth, alloquor, cur sorori tuæ consuluisti, vt patrem carnaliter agnosceret? aduerte priorem apud se hoc statuisse vinum patri propinare vt facilius illicitis illius amplexibus potiretur; quid mirum igitur sorori consilium peruersum præbuisse, qui enim sibi consulere nescit, aliis rectum consilium præbere nesciet, quod rectè D. Laur. Iust. lib. de casto connubio Verbi & animæ capite 2. ostendit dicens: *qui sibi ipsi consulere ignorat, quomodo alteri vtilis erit? quis enim prudenter eum causa alienæ iudicabit, quem inutilem cernit vitæ suæ? quis enim in cæno fontem requiret? quis de turbida aqua potum petet? itaque vbi intemperantia, vbi dominandi libido, vbi morum inordinatio, vbi confusio vitiorum, quis sibi inde aliquid salubre hauriendum existimabit? nam qui sibi nequam est, cui bonus erit?* deinde concludit, *impudica vita famam commaculat & vitiorum deformitas consulentis auctoritatem intermittit.*

D. Laur. Iust. lib. de casto connub. Verbi & animæ.

Ebrietatis mala soboles.

436. *Vocauit nomen eius Ammon* quisnam ille Ammon? idololatra, vitiis deditus, & nequitiæ seruiens, quomodo potest fieri, quod ab vnius Dei cultore virtutum sectatore nempe Loth, tam impia proles prodeat? sed illum vt ebrium genitorem considera, tunc non miraberis peruersum filium, quia ex ebrietate partus peruersus oritur: fauet Andreas *ex stultitia, ignorantia & ebrietate non nascuntur boni.*

Andreas.

Vnius vel paucorum lasciuia numerosissimos populos inficit.

Vocauit nomen eius Ammon, Hic fuit pater Ammonitarum, sicut populosa natio Ammonitana, ab eo originem duxit, sic etiam populus Moabitarum à Moab, paterque autem à nefario concubitu ortum habuit: Sed quinam populi eis sceleratiores, quinam Deo execrabiliores? cùm soleat Deus parentum peccatum vsque ad quartam generationem tantum meminisse: peccata Moabitarum & Ammonitarum nec non supplicia vsque in decimam generationem inueniuntur; vndenam hoc? nisi quod lasciuia etiam duarum puellarum contenta non esset, nisi populosissimas nationes per plura sæcula inficeret, sic enim Theod. apud Lipp. *quia tamen non rectè, ac secundùm legem patrem suum cognouerunt, inde genus impietatis maximè infamis propagatum est, Moabitæ enim Idolo Chamos seruierunt, Ammonitæ vero Idolo Melchora, quos etiam diuina lex vsque ad decimam generationem Ecclesiam Dei ingredi vetuit.*

Theodor.

Finis Capitis deciminoni.

SYNOPSIS CAPITIS VIGESIMI.

LIBRI GENESEOS.

VXOR ABRAHÆ A REGE GERARÆ Abimelech tollitur, quæ tamen ex Dei iussu sponso restituitur intacta & cum maximis donis, & Abraham orante salus domui regis restituitur.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS I.

VVLG. Profectus inde Abraham in terram Australem, habitauit inter Cades & Sur, & peregrinatus est in Geraris.

Sept. Et mouit illinc Abraham in terram ad Africum, & habitauit inter Cades, & Sur & incola fuit in Geraris.

Cald. Et habitauit inter Recam & Agara, & peregrinatus est in Gerar.

Ar. Profectus est ad terram meridianam.

Chryso. Et mouit Abraham in terram versus Africum.

CONCORDIA.

HEBRÆVS Codex, nostra editio, & Septuaginta legunt, habitauit inter Cades & Sur, Caldæus tamen vertit inter Recam & Agara, forte quia eadem loca diuersis nuncupantur nominibus, vt passim videre est in pluribus sacræ scripturæ locis.

EXPOSITIO.

PRofectus inde, Scilicet non multo post incendium Sodomorum discessit ex conualle Mambre, forte vt longiùs abesset à mari mortuo, quod suo graueolenti fumo, locis vicinis sterilitatem & pestem afflabat, profectus est inquam *in terram australem*, conuallis enim Mambre in qua degebat minus Australis erat quàm Gerara, ad quam proficiscebatur, est enim in extrema parte australi, Palæstinæ & Ægypto propinqua.

Et habitauit inter Cades & Sur, quorum nomina duas solitudines significant, quarum secunda iungitur Ægypto, ad quam populus Hebræus mari rubro transacto primò peruenit, prima verò quæ est Cades, vsque ad Saracenorum extremum extenditur.

Peregrinatus es in Geraris, Gerara eratvrbs Palæstinæ, à qua regio Gereratica nuncupata, & in qua Abraham per aliquod tempus tanquam aduena mansit & peregrinus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustorum virtutes nobis proponuntur vt eas imitemur.

1. PRofectus inde in terram Australem, quid nobis refert notum habere quod Abraham toties de loco in locum proficiscatur? quod à conualle Mambre discedens terram Australem petat? nota quod in his omnibus conformitas voluntatis suæ cum diuina nobis declaratur, eiusque obedientia manifestatur: non superflue igitur iter quo in terram Australem pro-

fectus est nobis proponitur à sacra pagina, sed vt eius virtutem agnoscentes, imitemur, ita D. Chrysost. *Propterea iustorum omnium virtutes Spiritus sancti gratia & dispensatione scripturis sunt traditæ, vt nos continuam habentes doctrinam, æmulationem, & imitationem iustorum, vitam nostram instituamus.*

S. Chrys.

Nihil nos à credendis diuinis promißionibus remouere debet.

2. *Profectus est inde in terram Australem*, quomodo in Bethel figis tabernacula? deinde apud quercum Mambre descendis in Ægyptum ab ea regrederis, nũc autem Gerara proficisceris: si Deus tibi terram Chanaam daturum promisit, cur toties moues tabernacula? imo cur Dei promissionibus fidem adhibes cùm peregrinus & aduena in tot terræ partibus vagaris maxima ferens incommoda? quia nihil quantumuis durum & arduum à diuinis promissionibus credendis & sperandis remouere debet; ita D. Chrysost. hom. 44. *Post tantas promissiones quæ ei à Deo factæ erant videns se in tantis versari difficultatibus, & in diuersas ac multiugas tentationes incidere, quasi adamas immotus persistit, promptamque suam mentem ostendens nullis obstaculis fiebat negligentior.*

Maximum hospitalitatis debet esse desiderium.

3. *Profectus est inde in terram Australem*, si tibi non præcipit Deus mouere tabernaculum, cur versus Gerara proficisceris? nota quod subuersis Pentapolitanis iam non erant peregrini, qui ad illos transirent; sicque Abram eos excipere non poterat hospitio: recte igitur in terram Australem proficiscitur ad regionem habitatam exercendæ erga pauperes hospitalitatis gratia, hoc asserunt Hebræi teste Lyrano dicente, *quia diligebat multum hospitalitatem, subuersis autem quinque ciuitatibus & omni populo mortuo, nullus de illis ciuitatibus remanserat, qui ei ausire vltra ad domum Abrahæ nec ex aliis locis veniebant prædictas ciuitates per domum Abrahæ transeuntes, & ideo quia non poterat exercere hospitalitatem, ideo transtulit se ad alium locum, vbi essent viæ frequentatæ, & sic posset hospites recipere.*

Noster Lyran.

Salutis occasio omnibus danda.

4. *Profectus est inde in terram Australem*, inconstantiæ accusaberis, qui toties de loco in locum progrederis, imo maximæ charitatis eius studium celebrabitur, qui non vni populo, sed pluribus vitæ exemplo proficere satagit, vt omnibus salutis suæ occasionem præbeat, ita Lipp. *vno loco fidelis consistere non debuit, sed fidei & morum exemplo passim circumferri, Dei gloriam verbis & factis prædicare.*

Lippo.

Optimus prælatus semper nouum charitatis gradum acquirere debet.

5. *Profectus est inde ad terram Australem*, quid per Austrum designatur nisi charitas? eo quod inde prouenit feruor caloris, iuxta illud Iob 37. nonne vestimenta tua calida cùm perflata fuerit terra Austro, quis dubitat Abrahamo prælatum designari? recte igitur Abram dicitur ad terram Australem profectus, quia vt optime glossa ordin. *bonus prælatus qui per Abram significatur, tendere debet ad perfectionem charitatis.*

Glossa Ordin.

Malorum conuersatio & vicinitas fugienda.

6. *Profectus inde Abram in terram Australem &c.* postquam vrbes infames conflagrarunt, Abrahamus, qui non procul aberat, alio commigrauit, quæ fuit ratio huius recessus? nonne propè locum in quo fuerant Sodoma & Gomorrha, potuit commorari? dicas ne vicinus esset illius loci in quo tam nefanda scelera aliquando grassarentur, ostendens si nefandorum hominum viuentium domicilia fugienda sunt, etiam mortuorum sepulchra vitanda.

Patria est vbicunque Deus nobiscum est.

7. *Habitauit inter Cades & Sur*, diximus fuisse duarum solitudinum nomina, cur conuallem Mambre derelinquit fertilem vt deserta petat loca? nonne in solitudine deficiunt commoda quæ in loco fertili reperiuntur? ne igitur ei solitudinem præferas vt incommoda toleres, sed fallimur, viro enim iusto regio fœcundissima est etiamsi solitaria & deserta si Deum adiutorem habeat; sic cit. Lipp. *terra Austri desertum est, quod vir totus à Deo pendens & fidelis, nec æstimat nec sentit, cui Deus sufficientia est, omne solum fertile patria est.*

Lippom.

Iustus inter angustias mundi & futurum iudicium habitat.

8. *Habitauit inter Cades & Sur*, ethymologiam horum nominum inquiramus, Cades interpretatur fons iudicii, Sur angustia, nonne commodior est Abrahæ habitatio, quàm inter fontem iudicii & angustiam? optima est responsio Hugo. Card. *Iustus bene habitat inter Cades & Sur, considerans hinc angustias præsentes, inde futurum iudicium, quasi duas molas inter quas molitur vt fiat panis, & possit comedi à Christo.*

Hugo Cardinal.

Fortuna aduersa sicut prospera æque ferenda.

9. *Habitauit inter Cades & Sur & peregrinatus est in Geraris* Baculo in manu forte assumpto ipse & vxor eius, necessitate compellente cogitur ad Gerar descẽdere, ibique forte mendicare, nonne cùm ante opulentissimus fuerit, nunc aduerso animo tolerat mendicitatem? nonne impatienter se premi necessitatibus patitur? nonne cum maximo animi dolore à culmine diuitiarum cecidisse suffert? nihil tale Moyses memorat, quia aduersam sicut prosperam fortunam æquo ferebat animo, testis tibi sit Oleaster. *Mirabilis valde fuit æquitas & patientia viri sancti Abrahæ, qui ex summis diuitiis ad summam paupertatem deiectus, nihil fuit propterea mutatus; nuper armauerat 300. vernaculos domus suæ quibus reges Syriæ debellarat, & nunc baculo in manu assumpto, ipse & vxor eius cogitur ad Geras descendere, ibique mendicare: vbi sunt illi qui ablatis sibi à Deo diuitiis quas ab eo multo acceperant, murmurant, conqueruntur, blasphemant, ac desperant? discant à sene, qualiter vtramque fortunam tolerare debeant.*

Oleaster.

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERSVS II.

VVLG. Dixitque de Sara vxore sua, soror mea est, misit ergo Rex Abimelech Rex Gerarae & tulit eam.

Sep. Dixit autem Abraham de Sara vxore sua, quia soror mea est, timuit enim dicere, quia vxor mea est, ne forte occiderent eum viri ciuitatis propter eam, misit autem Abimelech Rex Geraram & tulit Saram.

CONCORDIA.

ABVNDANT hoc in loco apud Septuaginta, à verbo *timuit* vsque ad verbum *misit*, quae nec in Hebraeo nec in Caldaica versione habentur, quae septuaginta addiderunt, vt rationem praeberent, cur Abraham vxorem suam Saram esse non aperuit.

EXPOSITIO.

DIxit de Sara vxore sua, soror mea est, cum apud Aegyptios dissimulatio coniugii inter se & Saram prospere successisset, idcirco apud Palaestinos in simili periculo eadem voluit vti dissimulatione, non autem in discrimen pudicitiam coniugis coniecit, quia virtutem illius maxime cognitam & spectatam habebat, *misit ergo Rex Abimelech &c.* Id est praecepit, vt in domum regiam adduceretur, eam sibi matrimonio iuncturus: sed cùm iam esset nonagenaria, quomodo eam tanquam coniugem habere voluit? dices quod eximiae erat pulchritudinis, sed vnde tanta formositas, quae etiam ipsos Reges ad illius amorem inflammaret in aetate iam inueterata potuit contingere? ex optimo illius temperamento, quod nec ex partu, nec ex filiorum lactatione diminuta, quae duo venustatem mulieris maxime deflorāt, tum quia nonagenaria tunc temporis, nostris quadragenariis, qua aetate plures seruāt adhuc pulchritudinem, similis erat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Tentantur vt virtus nostra omnibus nota sit.

10. DIxit de Sara vxore sua soror mea est, cur Abrahamum tibi fidelissimum, ita grauissime tentari permittis, vt in discrimen vitae timeat adduci propter vxorem, & ita teneatur suam sororem fateri? nonne etiam soror à Rege abducetur futura sibi coniux? dico Deum tentare Abrahamum, non vt misere cadat, sed vt virtus illius omnibus conspicua reddatur, sic D. Chrysost. *animaduerte, quomodo per illas ipsas quae sequuntur, tentationes iusti virtus magis emicuit. Deo semper illum clarum ostendente, nam sicut quando in Aegyptum descendit vt ignotus & peregrinus, & nulli agnitus, subito magno cum honore rediit, ita & nunc cùm peregrinus esset in Geraris in ipsis quidem initiis, quod suum erat fecit, postea vero tanto Dei subsidio munitus est, vt & Rex & omnes qui in ea regione habitabant, omni subsidio ministrarent.*

Nullus timor morti similis.

11. *Dixit de Sara vxore sua soror mea est*, addunt septuaginta quod timuit dicere, quia vxor mea est, ne forte occiderent eum viri ciuitatis: ô Abraham, nonne intolerabile est intueri coniugem suam alterius amplexibus frui? vnde Sapiens Prouerb. 6. dicebat plenus zelo, furor viri eius non parcet in die iudicii, nullo pacto mutabit inimicitias; quomodo igitur non timet Abraham vxorem suam alterius viri fieri coniugem? formidat equidem, sed timor mortis quocunque alio timore validior, quod expendit Chrys. *quamuis timor ne mulierem amittat, grauis fuerit; timor tamen mortis illum expulit: deinde addit, iustus videns nunc vrgere dolorem mortis, omnia acerba toleranda censebat.*

Prouerb. 6.

Chrysost.

Mortem terribilem aduentus Christi Domini, delectabilem effecit.

12. *Dixit de Sara vxore sua soror mea est*, quia timuit ne propter eam interficeretur: si mors, ô Abraham somnus leuissimus est, & transmigratio à deterioribus ad meliora, immortalitatemque nobis largitur, cum etiam si virtutis clarus cùm plures adolescentulae eam non formidarint, cum carnificibus libenter se iugulandas praebuerint, miror quomodo vir aetate pronectus illius timore percelleris? nescio quid respondeam, nisi plures virgines aetatis tenerrimae interitum non formidasse, Abrahamum autem suum expauisse, quia mortem antiquis patribus formidabilem, aduentus Christi Domini facilem & delectabilem reddidit: audi Chrys. hoc asserentem *ne condemnes iustum ob pusillanimitatem quod mortem timuerit, sed potius admirare conditorem vniuersi, qui tanta erga nos benignitatis vt mortem iustis illis & sanctis tunc terribilem eandem nunc contemptibilem effecit Christus, vt quam formidabilem, illi virtute clari & tanta erga Deum fiducia freti nunc derideant, & iuuenes & tenerae virgines, mors enim Domini immortalitatem nobis donauit, & vt descendit in infernum dissoluit eius neruos & robur destruxit.*

Chrysost.

Adulterium grauius existimatur ab aliquibus quàm homicidium.

13. *Dixit de Sara vxore sua, soror mea est*, hoc asseruit ne interficeretur à Geraraeis, sed ô Abram, nonne tibi vitam liberam relinquentes, vim inferre potuerunt Sarae? minime, quia adeo graue adulterium sibi persuadebant, vt virum facile interimerent, ne alicui mulieri vim inferentes, adulteri censerentur: sic Dionys. Carth. *ne Palaestini auferrent sibi violenter & inter*

Dionys. Carth.

ficerent cùm dixit soror mea est, ne viderentur adulterium exercere cum ea.

Sanctitas aliquando corporis pulchritudinem conseruat.

Misit ergo Abimelech & tulit eam, Si nonagenaria erat Sara, mulieri autem huius ætatis pulchritudo nulla inest, quomodo illius amore captus Abimelech eam sibi tulit in vxorem? reuoca in memoriam nos dixisse adhuc in illa ætate fuisse pulcherrimã, sed quomodo formositatẽ in ætate prouecta conseruare potuit? aduerte Saram virtutibus claram fuisse: cur igitur non asseremus, sanctitate sua sibi decorem à Deo conseruatum? ita Lyran. *potest dici de pulchritudine Saræ & teneritudine carnis, quod conseruata sunt à Deo propter eius sanctitatem.*

Noster Lyran.

Maxima fœlicitas Vxorem ducere virtutibus claram.

14 *Misit Abimelech & tulit eam*, scilicet Saram futuram sibi sponsam, cùm potuerit rex multas & forma liberali præditas adipisci fœminas, cur potius elegit Saram anum effœtam quæ nonagesimum annum attigerat? aduerte Abimelech iudicasse illam virtutibus claram, se beatum igitur fore existimauit, si hanc sororem Abrahæ vxorem sibi haberet præ omnibus aliis mulieribus: ita Procop. *iustus erat & sciebat Abrahamum quoque iusti & æqui esse cultorem, cuius haud dissimilem credebat Saram, magno igitur studio dignum censuit liberos seu semen ex tali quærere muliere.*

Procop.

Maxima est Iustorum spes in Deo.

15. *Misit Rex Abimelech & tulit eam*, quia dixerat Abram sororem suam esse, certum est Regem hoc audito tibi erepturum Saram, cedetque tibi in maximum dedecus, si in thorum illius deducatur: sed tanta est Abrahami spes in Deo, vt certissime teneat illæsam & incontaminatam fore coniugem suam: ita Isid. Hisp. *Abraham tacuit Saram vxorem suam, & dixit sororem, ne se occiso ab alienigenis captiua possideretur, certus de Deo, quod eam violari non permitteret:* idem habet Albin. *certus erat de Dei defensione quod violare non debuit.*

Isidor. Hisp.

Albin.

Qui proprio consilio aliquid aggreditur, non est immunis à periculo.

16. *Misit Rex Abimelech & tulit eam*, inspiciamus quid contigerit Rebeccæ in eadem regione, peregrinatur, neque tamen à viro suo aufertur, nec regi offertur, cur Sarã peregrinãtem Geraris incolæ illius regni auferunt Abrahæ, & ad Regẽ adducunt, non autẽ Rebecam? Nota Abrahã cum sponsa spõte Geraris peregrinari, Isaac autem & Rebecam Deo imperante, illic versari: quid mirum igitur illud periculum incurrisse Abraham, non autem Isaac? quia qui suo ductus arbitrio aliquid aggreditur, non est immunis à periculo, qui vero diuino actus instinctu vel imperio aliquid exequitur, nulli potest errori aut periculo subiacere, Deo semper sua iussa auspicante, & in melius promouente.

Mulieris pulchritudo aliquando eam infamem reddit.

17. *Misit Rex Abimelech & tulit eam* quid vetat si quispiam te in domum regiam introductam conspiciat, non illæsam iudicare, sed à Rege contaminatam & violatam (loquor seclusa contrarium reuelante diuina reuelatione) vnde tibi hoc dedecus & infamia, quamuis solum apparens? sine dubio ex suo decore & pulchritudine, vnde optimè. D. Hildeb. Episto. 36. ait *Vxor si formosa est, difficile caret infamia.*

D. Hildeb. Epist. 36.

Maxima debet inter virum & mulierem esse concordia.

18. *Misit Abimelech & tulit eam*, quia dixerat Abram sororem suam esse, ô Sara, cur adhæres viri consilio? nonne dicens te solum illius sororem in periculũ pudicitiæ perdendæ te conicit? Rex enim Geraræ in regiã domũ te adducet, nihilominus omnibus quæ disponuntur à viro obedit, vt concordia singularis inter eos custodiatur, obseruatio est D. Chrys. *Admirabilis Saræ charitas est quæ periculo mortis iustum eripere voluit, & omnino pertulit fortiter, vt viro salutem pararet, impletum quidem videmus illud, erunt duo in carne vna, ita mutuæ salutis curam vicissim agebant, quasi vnum corpus & vna anima, audiant hæc viri, audiant & mulieres, vt istæ quidem eandem erga suos charitatem declarent, illi autem erga suas vxores habeant beneuolentiam, & omnia faciant quasi vnum corpus & vnam animam possiderent: hoc enim est verum coniugium quando tanta est inter eos concordia & charitas.*

S. Chrys.

Gratia Dei etiam corporis pulchritudinem renouat.

19. *Misit Abimelech & tulit eam*, miror, tuam cæcitatem, ô Rex, cur mulieris deformis amore irretiris? non enim speciosæ formæ potuit esse cum nonagesimum annum attigisset: sed falleris, erat enim elegantissimi vultus. Sed vnde hic decor? cur non dicemus gratiam Dei illius originem? Fauet catena Græca. *tanta talisque erat Saræ pulchritudo, quia gratia diuina quæ illi supra naturæ ordinem fœcunditatem præbuit, pulchritudinem illius velut Aquilæ iuuentutem renouauit.*

Cat. Græc.

Deus suorum fidem probat.

20. *Misit Abimelech & tulit eam*, nescio quomodo Abram de Deo non conqueritur, dicens, siccine promisisti me ex Sara filium suscepturum, cùm mihi ablata sit Sara? dubita de Dei promissis, eum nimiæ in eis obscuritatis argue? ita Dei voluntati conformis vt quicquid aduersum ei contigerit, existimet id euenire non quasi promissionum suarum Deus fuerit oblitus, sed vt suam variis fidem probet modis.

Vindicta de offensis aliorum à Deo non exigenda.

21 *Misit Abimelech & tulit eam*, si nulla offensa grauior committi potest in virum, quàm coniugis ablatio sanctissimæ, quomodo Abram Deum non deprecatur, vt ignem de cœlo mittens regem interficiat, vel alio genere mortis interimat? imo Dei consilium admirans, tacet, nec ab eo pœnas in raptorem exoptat, vt vindictam, cùm offensi fuerimus, non exigere discamus: Fauet D. Chrys. *admirare fortitudinem, & virtutem iusti, quomodo quod omnibus intolerabile & quod neque auribus suscipere quis vellet hoc ipse sustinuit, non ægre ferens neque exigens à Domino, vt vlcisceretur ea quæ fiebant, sicut plerique homines faciunt, hique innumeris peccatorum sarcinis pressi &c.*

S. Chrysost.

Deus

Deus aliquando contrarios effectus ex causis elicit.

22. *Misit Abimelech & tulit eam*, nonne promisisti Abrahæ, quod ex Sara coniuge sua filios suscipiet? si vt coniux aliena abducitur & ipsiusmet regis vxor, quomodo? quod pollicitus es adimplebis? optima est responsio Feri, *verè mirabile Dei consilium hic cernitur, quod vnum quidem promittit, sed interim facit, quasi contrarium ostendere velit.*

Noster Ferus.

Pericula fugienda ne tentetur Deus.

23 *Misit Abimelech, & tulit eam*, Faustus Manichæus ait vxorem prostituendam tradidit, vt vitam seruaret, respondet Aug. lib. 22. contra eundem hæret. c. 36. vitæ suæ consuluit, ne se occiso ab alienis & impiis illa captiua possideretur, certus de Deo suo, quod nihil eam turpe aut flagitiosum fieri sineret: sed obstat hæreticus, cur nō etiam de Deo suo ita præsumpsit Abraham vt non fateri timeret vxorem, nunquid non poterat ab illo Deus mortem repellere quam timebat? eumque cum coniuge sita ab omni pernicie in illa peregrinatione tueri vt nec vxor eius quamuis esset pulcherrima, appeteretur ab aliquo, nec propter illam necaretur? respondet D. Aug. *poterat sane hoc efficere Deus, quis ita demens, vt hoc negares? sed si interrogatus Abraham illam fœminam suam indicaret & vxorem suam, duas res tuendas committeret Deo, & suam vitam & coniugis pudicitiam, pertinet autem ad sanam doctrinam, quando habet quod faciat homo, non tentare dominum Deum suum.*

D. Aug. lib. 22. contra Faustum Manich. cap. 36.

Prisci mortales carnis voluptates non ita curabant.

24. *Misit Abimelech Rex, & tulit eam*, quia dixerat sororem suam esse. Cur occasionem præbes Abimelech, vt tuam coniugem ducat in vxorem, sicque periculum mortis incurrat? quis ita propriam quasi contemnat vxorem, vt alterius amplexibus frui libenter consentiat? fatere, tibi matrimonio esse coniunctam, sororem dicit, *quia parum carnales*, inquit Oleaster, *fuerunt sancti patres qui tam facile permittebant sibi vxores capi.*

Oleast.

Facile impingit lubricus.

25 *Misit Abimelech Rex & tulit eam*, cum principes, nisi cum consilii maturitate operari debeant, quomodo sine vlla discussione veritatis, homini dicenti vxorem propriam, sororem esse, fidem adhibet Rex Abimelech, & facile à viro coniugem abducit? quod etiam homine particulari & priuatæ authoritatis indignum omnino censebitur, hoc regem commisisse ne mireris, quia vt optime citatus Lusitanus, *facile impingit homo, cupidus & lubricus.*

Oleas.

Etsi dormiant iusti, Deus in adiutorium & protectionem eorum laborat.

26 *Misit Abimelech & tulit eam*, Quid? an impunitum manebit viro tulisse coniugem? non equidem, nā venit Deus ad Abimelech per somnium & ait illi, en morieris propter mulierem: dormiebat similiter Abraham qui dum in sinu viri alterius coniux requiescere potest, & tu somno indulges? paulo ante pro captiuato nepote Loth, aduersus quinque Reges, ascitis trecentis seruis, in prælium descendisti? & nunc pro erepta tibi charissima coniuge nullum moues lapidem? bellum non infers? copias non colligis? non equidem, sed dormit, & eo dormiente (omnibus tamen quæ in sua potestate erant peractis) Deus in adiutorium eius vigilat, vt suos superet aduersarios: hæc aiebat Egesip. lib. 5. de excid. Hierof. cap. 16. *non in multitudine populi, sed in timore Dei pater Abraham penetrauit Ægyptum, & cum abductā coniugis captiuam videret pudicitiā, bello abstinuit, assumpsit pia orationis arma, defensorem adhibuit quo dormiente & vinceret, & expugnaret hostes illæsam sibi coniugem repræsentaret, redit Sara sine armis, referens viro triumphalem victoriam, dormiebat Abraham, torquebatur Pharao.*

Egesip. li 5. de excid. Hierol. c. 16

Calamitas & afflictio hominem voluptatum contemptorem efficit.

Misit Abimelech & tulit eam, Ecce vix formosa Sara apparuit in Geraris, & statim appetitur à Rege, rapiturque ex viri consortio: Rebecca autem cùm in eadem terra esset, & videretur à Rege eiusdem nominis, tamen nec rapitur, nec appetitur, nec vllum passa est pudoris discrimen: vnde iste Abimelech temperatior & abit Isaac ad Regem Palæstinorum tempore famis &c. quid mirum igitur si ita temperatus? Hoc efficiebant egestas & miseria, qua regnū & ipse Rex afficiebatur vbi enim corporalis afflictio, ibi cupiditas contemnitur. Ita Cyrill. Alexand. lib. 1. de adorat. *Est voluptas intractabile malum, & si sudor deprimat, ac labores impositi sunt, tunc vero is qui se liberaturum ab iis incommodis pollicetur, facile persuaserit ipsas quoque voluptates contemnere.*

Cyrill. Alex lib. 1. de ador.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS III.

VVLG. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte & ait illi, en morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum.

Sep. Et ingressus est Deus Abimelech in somno nocte, & dixit, ecce tu morieris propter vxorem quam accepisti, ista vero cohabitans est viro.

Cald. Et venit verbum à facie Dei ad Abimelech in visione noctis & ait illi &c.

Arias. Et venit Deus ad Abimelech in somnio noctis, & dixit ei, ecce tu mortuus propter vxorem, quam accepisti, & ipsa maritata viro.

Chrys. Ista autem cohabitata fuit viro.

CONCORDIA.

CALDÆVS per verbum forte intelligit Angelum, quod si ita est à nobis non dissentit, quia cum nos legimus cum Hebræo venit Deus, per Deum Angelum plures accipiunt vicem Dei gerentem.

EXPOSITIO.

VEnit Deus ad Abimelech per somnium, cùm dormiret Abimelech apparuit illi Angelus cum eo colloquens, non per imaginarias quasdam similitudines, obscurè aliquid repræsentantes, sed clarè & distinctè verba Dei referens, *en morieris* scilicet iam sciens virum habere, & illico restituas, eam enim in regiam suam adduci præceperat, ignorans vxorem esse Abrahæ, si enim id sciuisset cùm esset Dei veri cultor, iustitiæ amor, ab hac iniuria inferenda cum reuocasset.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui patienter iniuriam tolerat, Deus eum exaudit.

28 *Venit Deus ad Abimelech*, scilicet vt libertatem restituere Saræ regi persuaderet, sed cur non permittis in potestate Abimelech eam diutiùs permanere, vt virtus Patriarchæ magis exerceretur? aduerte patienter Abrahamum tulisse iniuriam sibi à rege factam, quamuis ignoranter: quid mirum igitur si Deus persuadet Abimelech Saræ restitutionem? quia qui iniuriarum patientissimus est, cito ab ipsis liberatur, & compensatione facta, sic Chrysostomus *Vide Dei clementiam, quo modo quia vidit, iustum Saræ ablationem fortiter ferre, suā postea declarat prouidentiam, iustum illustriorem reddit, & Saram ab iniuria liberat.*

D. Chrys.

Deus præseruat nos à peccatis.

29. *Venit Deus ad Abimelech dicens morieris propter mulierem*, si nondum Sarram cognouit, cur ei minaris mortem? pœna enim infligi non debet nisi ratione culpæ, quia Deus ita hominum amantissimus, vt eos à peccatorum commissione præseruet fauet Chrysost. *eripere eum volens ab iniquitate dedit menti eius scientiam & occulta manifestauit, multūque metū auxit mortē interminādo*

Chrys.

Infirmitates aliquando proueniunt ex iniuriis alteri illatis.

30 *Venit Deus ad Abimelech per somnium nocte*, an ad eum venit infirmum? infirmum equidē, teste Iosepho. sed vnde hæc regi contigit infirmitas? forte ex iniuria Abrahæ illata cum ei vxorem abstulit: sic Lyran *ponitur pœna diuinæ correptioni super Abimelech, quia post sublationem Saræ statim infirmatus est.*

Ioseph. li. 1. antiq c. 10.

Pœna Deus coercet, vt illæsa castitas alicuius seruetur.

31 *Venit Deus ad Abimelech*, qui maxima oppressus ægritudine in lecto iacebat, quamuis secundum Lyram. dictum sit ideo hac punitum infirmitate propter iniuriam Abrahæ illatam, cur iterum non inquiremus, quia de causa hominem innocentem adeo graui pœna castigat? vt Saræ castitas incontaminata seruetur. Ita Ioseph lib. 1. de antiq. c. 20. *aliquantulum leuigatus Abimelech ex infirmitate amicis exposuit, quod Deus ægritudinem hanc intulerat pro vltione peregrini, vt eius vxorem sine iniuria conseruaret*, expende illa vltima verba, quibus significat Abimelech hoc supplicio punitum, vt sic pudicitia Saræ illæsa seruaretur.

Ioseph. cit.

Concupiscentia mulieris seuerè punitur.

32. *Venit Deus ad Abimelech*, qui morbo punitus ab ipso fuerat, cur regem Abrahæ dicenti sororem suam esse Saram credentem, & ideo innocentem, eam vxorem ducere volentem, pene ad extremum vitæ deducis? secundùm Iosephum illius concupiscentia exarsit: iustissimè igitur punitur, quia concupiscentia mulieris alienæ impunita relinquenda non est. Sic etiam cit. Ioseph. *qui cùm adamasset Saram credens eam se posse corrumpere, propter concupiscentiam in ægritudinem incidit Dei voluntate.*

Ioseph.

Aliquando in vno crimine innocens propter aliud peccatum iam commissum punitur.

33 *Dixit Deus ad Abimelech, en morieris propter mulierem?* si in Saræ ablatione secundum plures nullum commiserat peccatum, ait enim ipse Abimelech, in simplicitate cordis mei & in puritate manuum mearum feci hoc, quod Deus confirmauit subiungens, ego scio quod simplici corde feceris, & ideo custodiui te, ne peccares in me: cur igitur mortem ei minatur, & graui eum infirmitate corripit? nota alia commisisse peccata, iustissimè igitur etiam innoxius in Saræ ablatione punitur, quia aliquando in vno crimine innocens propter aliud peccatum iam commissum seuerè plectitur: Sic Abulens. *Deus dat pœnas vt ei placet, & aliquando punit homines in vno facto innocentes, propter peccatum quod commiserunt olim tunc puniuntur cùm tunc peccatum non egerint, & homines putant eos in illo actu deliquisse, & sic multi delinquentes existimantur qui non fuerunt, magna tamen est Dei iustitia, quia licet ipsi tunc quando deliquerunt meruerunt puniri, & non puniuit, tamen alias quando crederemur non deliquisse, tunc puniuit.*

Abulens.

Non solum remissio peccatorum, sed ab eis præseruatio, diuinæ gratiæ beneficium.

34 *Dixit Deus ad Abimelech en morieris propter mulierem?* minatur mortem vt illius apprehensione perterrefactus à peccato committendo abstineret, licet remissio peccatorum sit singulare diuinæ gratiæ beneficium? à delicti commissione impediri; Dei ne effectus gratiosus censeri potest? sane equidem, vnde Lipp. *Deo debemus, etiam peccata à quibus nos impedit, non solum ea quæ remittit.*

Lipp.

Deus neminem quantumuis infidelem suo destituit auxilio.

35 *Dixit Deus ad Abimelech en morieris?* perterrefacit Regem vt à peccatis abstineat, cum plures teneant eum infidelem fuisse, cur illius ita sollicitus, vt eum à peccato committendo auertere conetur? quia Deus neminem quantumuis infidelem suo destituit auxilio in his quæ ad animæ conducunt salutem. ita Lipp. *Bonitate sua Deus non destituit etiam infidelem Regem, cuius peccata tolerat, erudit verbo & facto, à quibus se patitur agnosci quantumlibet gentiles dicantur.*

Cit. Lipp.

Adulterium

Adulterium morte dignum.

36. *En morieris propter mulierem, quam tulisti?* itane graue delictum est fœminam in coniugem à rege assumi, vt morte debeat affici? inspice quid dicat textus, habet virum, vel vt habet Pag. ipsa maritam est marito, adulterium committit: iustissimè igitur mortis pœnam comminatur, adulterium enim ea dignissimum, consentit D. Ambros. l. de Abr. c. 7. *aduertimus adulterium diuino iudicio morte puniri, ideo addidit, hac enim commoratur cum viro.*

D. Ambr. l. de Abr. c. 7

Qui peregrino iniuriam infert, supplicio graui dignus.

37. *En morieris propter mulierem, quam tulisti?* parce innoxio, non enim vxorem esse Abrahæ agnouit, nota peregrino & aduenæ fortè inuitam saltem abstulisse sororem eius: maxima cum iustitia igitur punitur, quia qui peregrino quantamlibet infert iniuriam, graui supplicio plectendus: mens est Procop. *licet regem fugeret quod esset vxor Abrahami, tamen delictum euitare non potuit, eo quod non abstinuit manum à sorore peregrini & hospitis, in hoc non potuit culpam effugere.*

Procop.

Peius est in peccatum incidere quàm mori.

38. *En morieris propter mulierem quam tulisti?* cur eũ pœna mortis percellis? nonne satius est quod peccatum committat quàm moriatur? minimè, longè enim est intolerabilius in peccatum incidere, quàm mori; imo appetibilius in infernum detrudi, quàm peccare, quod D. Anselmus vt refert Edmetus Anglus l. 2. de eius vita, dicere solebat, *quod si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret & necessario vni eorum immergi deberet, prius infernum quàm peccatum appeteret.*

D. Anselm. vt refert Edmetus in eius vita l. 2.

Vbi mansuetudo non proficit seueritas adhibenda.

39. *En morieris propter mulierem?* cur eum perterres mortis pœna? nonne benignè eum monere potuisti, vt coniugem alienam dimitteret? aduerte potentes & reges in plurimum nihil mansuetos sermones facere: iustissimè igitur seuerè cum alloquitur, quia vbi mansuetudo non proficit, seueritas adhibenda est.

Nihil morte principibus formidolosius.

40. *En morieris propter mulierẽ?* cùm tot sint aliæ pœnæ grauissimæ, vt bonorum amissio, regni iactura, quibus eum perterrere potes, quomodo solùm minatur interitum? quia principibus nihil est morte formidabilius, de eis enim verissimè verificari potest illud, ô mors quam amara est memoria homini pacem habenti.

Eccl. 41.

Deus non omnes eodem fauore prosequitur.

41. *En morieris propter mulierem?* dixit Deus ad Abimelech per somnium, si Deus vigilanti Abrahæ apparet, cur Abimelech dormienti? nota diuinam reuelationem quæ homini fit in vigilia, præstantiorem esse (si tamen cætera sint paria) quàm ea, quæ fit in somno: rectè igitur solùm tempore noctis Deus Abimelech illustrat, quia non omnes eodem fauore prosequitur, Fauet Pepinus, *non apparuit illi vigilando sicut prius apparuerat Abrahæ, eo quod non esset dignus tanta gratia sicut Abraham.*

Guil. Pepin.

Deus grauius vindicat iniuriam seruis suis illatam, quam sibi suam.

42. *En morieris propter mulierem?* sine dubio quamuis in Abrahæ potestate situm fuisset mortem Abimelech inferre propter coniugem sibi ablatam, vltimo supplicio eum non affecisset; quomodo igitur Deus à rege non offensus, extremum ei minatur interitum? sine dubio Deus ita suorum curam gerit, vt grauius iniuriã eis illatam vindicet, quàm sibi suam: quod D. Saluian. lib. 2. de vero iudicio confirmat in morte Absalonis, ait enim, *cùm Dauidem fugasset è regno filius persecutor, iudex in breui Dominus vindicauit, nec vindicauit tantum sed cumulatius vindicauit, quàm ipse voluit qui vindicabatur, subiungit, vt ostenderet Deus grauiorem sibi esse iniuriam iniusta tolerantium, quàm tolerantibus suam.*

Saluian. l. de vero iudi.

Dei præcepta custodiamus, & ipse nostro consulet honori.

43. *En morieris propter mulierem?* &c. an precibus enixè postulasti ô Abraham à Deo, vt illæsa maneret coniux, tibique restitueretur integra? non legimus, cur tuo non consulis honori? cur iacturam amantissimæ coniugis tuæ perpeti non times? Deum habes auxiliatorem vt tibi nunc succurrat deprecare, votis annuet; obserua Patriarcham Dei mandatorum obseruantissimum extitisse cultorem, quid mirum igitur precibus enixè non petiisse, vt suo consuleretur honori, quia qui Dei mandatis obedit, Deum suæ sentit famæ conseruatorem, *in hoc docemur*, inquit Oleast. *solùm curare legem Dei, quoniam ipse curat honorem nostrum & omnem aliam nostram vtilitatem.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IV.

VVLG. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait, domine num gentem ignorantem & iustam interficies?

Cald. Abimelech non accessit ad eam & ait, Domine nunquid gentem etiam iustam interficies?

Arab. Et Abimelech non appropinquauerat ad eam.

CONCORDIA.

VErè verbum Hebraïce קרב Karab non tangere, sed accedere, appropinquare, & appropiare significat, sed interpres honesto modo non fuisse cognitam Sarã ab Abimelech indicare volens, verbo tangendi vsus est, ex Septuaginta deprompsit Vulgatus ignorantem, deficit enim in Hebræo, habet enim solum gentem iustã, quod licet ita sit, optimè tamen versum est, eo quod nihil aliud innuat iste locus.

EXPOSITIO.

Abimelech vero non tetigerat eam, id est non cognouerat illam carnali congressu, statim enim vt ad regiam domum Sara deducta est, infirmitate graui corripitur.

Num gentem ignorantem & iustam interficies, id est me & meos qui ignoranter hoc fecimus, non enim existimauimus eam esse vxorem Abrahæ, aduerte quod iustus hic dicit rectitudinem voluntatis in committendo, vnde cùm Abimelech & serui eius rectæ fuerint intentionis in accipienda Sara, sed solùm vt matrimonio copularetur tanquam non cõiugata, ideo iusti nominantur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus satagit vt sua promissa adimpleantur.

44. *Abimelech non attigerat eam*, cur Deus eam à rege attingi non permisit, cùm id ignoranter & excusabiliter commisisset? reuoca in memoriam Deum promisisse Abrahæ cito ex Sara filium habiturum, cui promissioni obstitisset cognitio Saræ carnalis: rectè igitur à Deo minimè permissum est Saram à rege non attingi, quia Deus semper satagit vt sua adimpleantur promissa: sic D. Chrysost. *hæc omnia facta sunt, vt Dei promissio facta Patriarchæ, impleretur, enim vero quia paulo antea quasi promiserat Isaac esse nasciturum, & propè aderat tempus vt ne efficeret promissionis Dei, tantum timorem in Abimelech immisit, vt perculsus animo Saram attingere non auderet.* D. Chrys.

Deum dedecet innoxios punire.

45. *Abimelech non attigerat eam, & ait, Domine num gentem iustam & sanctam interficies?* nõne ò Abimelech Deus omnium creaturarum est Dominus, potest ergo sicut ei libuerit, de eis supplicium sumere, nec non pœnas exigere? cur ergo Deum interrogas, vtrum gentẽ ignorantem interficiet? merito interrogas, quia dedecet clementiam diuinam punire innoxios. Sic Dionys. Carth. *Num gentem iustam interficies, quasi dicat non decet te.* Dionys. Carth.

Deus maximè suorum famam curat.

46. *Abimelech non attigerat eam*, cum à rege Pharaone ablata fuit, eadem Sara futura sibi in vxorem, non expressit Moyses quod ab eo tacta non fuerat, cur hic obseruat quod Abimelech eam non attigit? obserua quod nondum elapso nouem mensium tempore ab egressu domus Abimelech peperit Sara filiũ suum Isaac, quod non contigit in egressu domus Pharaonis: aptissimè igitur expressit hic Moyses Abimelech Saram non attigisse, vt quantum suorum famæ curam gereret ostenderet, alias enim Isaac potuisset filius non Abrahæ sed Abimelech vel alterius existimari: obseruatio est Abulens. *quando alia vice capta fuit vt esset vxor Pharaonis non fuit tacta, sed non curat, ibi textus dicere vtrum tacta fuerit tactu vel non, hic autem multum insistit in hoc, & ratio est, quia postquam exiuit Sara de domo Abimelech, quasi per octo vel septem menses peperit Isaac, & ideo si scriptura hoc non expressisset poterat dici quod Isaac non erat filius Abrahæ, sed Abimelech, vel alicuius de seruis suis, quando autem exiuit de domo Pharaonis non referebat dicere hoc, quia non peperit nec concepit.* Abulens.

Castum se conseruare oblata occasione peccandi diuinæ virtutis est non humanæ.

47 *Abimelech non attigerat eam*, Procopius ait cum quadam emphasi, hoc dicitur, quasi diceret tenuit Deus Regem, ne contingeret mulierem, sed cur Dei auxilium adfuit vt ad eam non accederes? quia non labi in carnis intemperantiam sed castum se custodire, maxime oblata occasione peccandi, diuinæ non humanæ virtuti est miraculum, sic Procop. *Deus non permisit Abimelech, vt Saram contingeret, quæ fortassis iam sublimiora mente agitabat: posse enim abstinere à tactu muliebri, & vt nihil eius animus ea re commoueatur vere diuinum munus est.* Procop.

Qui aliis iniuriam inferunt, plus sibi nocent quàm eis.

48. *Abimelech num gentem iustam & ignorantem interficies?* qua de causa tam tibi quàm seruis mortem imminere arbitraris? sine dubio propter iniuriã Abrahæ illatam, sed intolerabilius ne est, vltimum supplicium, quam viro iniuria illata in vxoris raptu consensu? mors equidem grauior; cur igitur longè grauiori supplicio plectendus esset Abimelech quàm fuerit iniuria Abrahamo illata quia, qui alios offendunt plus sibi nocent quam eis.

Iustus in principio sui accusator.

49. *Num gentem iustam & ignorantem interficies?* Lippomanus inuehit in regem hæc verba proferentem, ait enim non humiliter alloquitur, sed quasi seipsum excusando iustificans Dei iudicium reprehendere conabatur hypocritarum more, sed cur hypocrita ab hoc auctore vocatur Abimelech, cùm verum fateatur se ignorãter vxorem Patriarchæ tulisse? quia inquit, *iustus in principio sui est accusator.* Lipp.

Peruersa voluntas Dei monitionibus indignos nos efficit sicut pia dignos.

50. *Num gentem iustam & ignorantem interficies?* dixit Abimelech Deo qui eum in somnis admonuerat, vt vxorem Abrahæ restitueret, dubium est cur Deus potius præmonuit regem Abimelech vt restitueret Saram viro suo, quàm Pharaonem: nam vt dictum est cap. 12. primum sublata est in domum Pharaonis regis Ægypti, mox flagellauit Dominus ipsum Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter eum, videtur igitur Deus personarum acceptor: aduerte sola libidine compulsum Pharaonem vxorem Abrahæ rapuisse. Abimelech autem ex desiderio legitimi coniugij: quid mirum igitur Abimelech monitum à Deo non autem Pharaonem, quia peruersa voluntas Dei monitionibus nos indignos efficit, sicut pia dignos, Fauet Pepinus dicens *Abimelech inquisiuit vtrum esset vxor Abrahæ, & audito quod esset soror illius voluit eam habere non in concubinam, sed in vxorem, Pharao autem* Guil. Pep.

tem sola libidine ductus, tulit eam de consortio Abrahae intendens eam habere in concubinam & ideo Dominus vnum praemonuit & non alium.

Nulla est excusatio diuitibus, quod non possint piè viuere.

51. *Num gentem iustam & ignorantem interficies?* plures tenent Abimelech virum iustum & pium simpliciter fuisse coram Deo, tametsi gentilis fuerit, quod eliciunt ex eo quod Deus confirmat, quod iusto corde & simplici mente hoc commiserit, ex eo quod statim Deo obedierit: sed nonne plures sunt fulgentes corona regia, qui idcirco iustitiam se colere non posse asserunt, quia diuersis occasionibus peccati irretiuntur? quomodo igitur Abimelech gentilis, iustus à Deo agnoscitur? sine dubio vt potentibus nulla sit excusatio, quin puro corde Deo praestent gratum obsequium, quod obseruat D. August. in Psal. 51. cùm ait, *non dixit scriptura, ecce homo qui fuit diues, sed ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum, non quia habuit diuitias sed quia in ipsis sperauit, ideo damnatur, ideo punitur*, quasi diceret, non est cur accusemus diuitias & fastigium honorum, quin operibus pietatis studeamus; non enim propter ea punimus, sed propter negligentiam in Dei obsequio.

D. Aug. in Psal. 51.

Ex bona conscientia sua cuique securitas.

52. *Num gentem ignorantem & iustam interficies?* vnde quaeso oriebatur tanta fiducia? ad summam illam accusationem & comminationem retorquendā? cùm & dictum fuerit moriens propter mulierem, quomodo animum non despondit? imo accusationem cōstantissimè repulit ex testimonio bonae conscientiae quo innitebatur, ex qua sua cuique securitas contingit, vnde optimè 1. Ioan. 3. *carissimi si cor nostrum non reprehenderet nos fiduciam habemus ad Deum, &c.* & D. Paul. 2. Corinth. 1. *Gloria nostra est, testimonium conscientiae nostrae.*

1. Ioan. 3.

2. Corint. 1.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS V.

VVLG. Nonne dixit mihi, soror mea est, & ipsa ait, frater meus est? in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc.

Sep. In corde puro & in iustitia manuum feci hoc.

Cald. In rectitudine cordis mei, & in munditia manuum mearum feci hoc.

Arias. In perfectione cordis feci hoc.

CONCORDIA.

A Verbo תמם tamam est תם simplicitatem, rectitudinem seu perfectionem significans; hinc fit quod vbi legimus simplicitatem, alii dixere perfectionem, rectitudinem &c.

1. EXPOSITIO.

Nonne ipse dixit Soror &c. quasi diceret ex confessione vtriusque ab hoc crimine excusor, nam se esse germanos dixerunt, *in simplicitate cordis mei, &c.* Hebraismus est significans quod maritali affectu tantum accedere statuerat, non autem indebito & libidinoso, *& in munditia manuum mearum feci hoc*, alter Hebraismus, vterque autem denotat quod nec opere nec corde in hoc deliquerat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Coniuges in omnibus vnanimes sint.

53. Dixit mihi soror mea est & ipse frater meus est, nōne sufficiebat dixisse Abraham Sarā sororem suā esse? quid igitur & ipsa Sara asseruit Abraham fratrem suum esse? sine dubio vt mutuam inter se concordiam seruare viderentur: quod annuit D. Chryso. dicens, *vide quomodo habuerint concordiam & conspirationem, nam ipse hoc mihi dixit & ipsa adstipulata est dictis eius.*

Chrysost.

Vera iustitia non solùm in exteriori actione consistit, sed etiam in interiori mentis actu.

54. *In simplicitate cordis mei & munditia manuum mearum feci hoc*, cur vt iustitiam suam declaret, non solùm simplex & correctum habuisse, sed & munditiam manuum profitetur? cùm videatur ad exprimendam suam innocentiam sufficienter dictum, se in cordis rectitudine hoc perpetrasse? rectè vtrumque coniunxit, vt suam faceret manifestam iustitiam, quia ea non solum in exteriori actione consistit, sed etiam in actu mentis interiori: sic obseruat Abulens. *Iustus totaliter erat Abimelech, quia iustitia actus aut bonitas eius cōsistit simpliciter in duobus, scilicet in actu interiori affectionis, vt si rectū iudiciū sequentes rectè eligimus, & in exteriori executione, si secundū iudicatū sequitur executio; vtrumque autem habuit Abimelech, primo cùm dixit in simplitate cordis mei id est quia ad bonū finem accipere elegi, secundū quia ita executus es nō accedens vsque huc ad eam carnaliter, quia nondum eam in vxorem acceperam, sed expectans vsque in posterum.*

Abulens.

VARIETAS LECTIONVM VERS. VI.

Vulg. Dixitque ad eum Deus, & ego scio, quod simplici corde feceris, & ideo custodiui te ne peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam.

Sep. Dixit autem ei Deus per somnum, & ecce ego cognoui, quoniam in puro corde fecisti hoc;& peperci tibi vt non peccares in me propter hoc, non permisi tibi vt tangeres eam.

Cald. Manifestum est etiam coram me, quod in rectitudine cordis tui fecisti hoc, & prohibui quoque ego te, ne peccares coram me, propterea nō dimisi te, vt accederes ad eam.

Arias. Ego noui quia in perfectione cordis tui fecisti hoc, & prohibui, ego etiam te à peccando mihi idcirco non dedi te ad tangendam eam.

EXPOSITIO.

Ego scio quod simplici corde feceris, quasi diceret, est mihi cognita cordis tui pura intentio, *& ideo custodiui te ne peccares in me*, scilicet ne vel inscius mœchareris essesque saltem materialiter adulter, *& non dimisi te vt tangeres eam*, morbo enim graui impediui, ne eam carnaliter cognosceres.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Tantæ est Deo curæ iustus, vt offensam in eum commissam existimet suam.

55. *Custodiui te ne peccares in me*, si Abimelech cum Sara tanquam coniuge dormiisset, potius in Abrahamum illius legitimum virum, quam in te peccasset, cùm enim aliena vxore abutimur virum illius defraudamus, quomodo igitur asseris te custodisse Abimelech ne delictum in te commisisset? quia tantæ est curæ Deo iustus, vt offensam in eum commissam suam existimet: Sic Chrysost. *magna verbi est attemperatio, in me rediturum est peccatum, nam quando in hominibus quis aliquem in multo honore apud Dominum suum iniuria quadam afficit, sibi iniuriam factam putat Dominus, & dicit mihi iniuriam fecisti per ea quibus à te seruus iniuria est affectus, ea enim quæ in illum committuntur in me tra[n]s[eu]nt, eodem modo & bonus Dominus, peperci tibi inquit vt ne peccares in me, mei inquit famuli sunt, & adeo mihi commendati vt mihi fieri existi[mem], quæcunque illis sunt siue bona, siue sint mala.*

Chrysost.

Infirmitate detinemur ne in peccatum labamur.

56. *Custodiui te ne peccares in me*, an libertas voluntatis illius ablata est, ita vt peccare nō posset? minimè; nulla enim vis à Deo voluntati nostræ infertur, quomodo igitur ait se non dimisisse Abimelech vt Saram tangeret? dico infirmitate eum detinuisse, ea enim ne in peccatum labamur, reuocamur, fauet Lyran. *non dimisi scilicet affligendo te infirmitate; sic vt non posset eam tangere.*

Lyran.

Deus cordium scrutator.

57. *Custodiui te scio quod simplici corde feceris*, vndenam mentem illius cognitam habes? dices Abimelech hoc asseruisse cùm ait, in simplicitate cordis & munditia manuum mearum feci hoc, sed vt pœnam fugeret, nonne hoc subterfugium quærrere potuit? non ergo Deus ex verbis illius hoc didicit? fateor equidem, cordium enim scrutator est, sic Lipp. *cor nostrum & intimum cogitationum nostrarum Deus intuetur, & indicat, & quo animo omnia fiant.*

Lipp.

Aliquando misericordiam Dei consequimur ex ignorantia facti.

58. *Custodiui ne peccares*, maxima Dei erga hominem peccatorem misericordia, cur potius eum seuerè nō punis, cùm coniugem alienam tulerit? inspice quid dixerit Abimelech, num gentem ignorantem interficis? quasi diceret, ignorans feci, quid mirum igitur si Deus custodierit eum, ne peccaret, quia propter ignorantiam Dei misericordiam consequimur, teste D. Paulo ad Timoth. 1. *misericordiam Dei consecutus sum quia ignorans feci in incredulitate*, quæ verba exponens D. Theod. ait, *misericordiam Dei consecutus sum: quæ fuit autem causa misericordiæ, quia ignorans feci, in incredulitate cæcutiebam enim; non videbam lumen, neque enim inuidia ductus bellum gerebam, sed pro lege decertans.*

D. Theod. in Epist. ad Tim. 1.

Deus indignis etiam præstat misericordiam.

59. *Custodiui te ne peccares in me*, scio quantum ad ablationem Saræ, cùm existimaret sororem Abrahæ non peccasse, sed forte in hoc quod diligentia non satis peracta vtrum vxor illius esset, & tamen eam coniugem habere voluerit, deliquit, quo posito cur Deus ait illi custodiui te ne peccares in me? quasi diceret, misericordiam tibi præstiti ne adulterium committeres, cùm ea indignus videatur: cur hoc beneficium ei præstitisti? quia Deus etiam indignis clementiæ suæ viscera exhibet; quod expressit Philo exponens illa verba Psal. 110. *misericordiam & iustitiam cantabo tibi, nam si Deus*, inquit, *mortalem iudicaret absque misericordia atrum ferret calculum, id est damnaret hominem, cùm nemo à natiuitate ad obitum vsque sine lapsu percurrat vitæ suæ spacium, sed aliquando sponte cadat, aliquando fallente vestigio, vt ergo genus maneat incolume admiscet misericordiam quam interdum indignis exhibet.*

Phil. Hebr. lib quod Deus sit immutabil. Psal. 110.

60. *Maximus*

Maximus Dei amor erga iustos.

60. *Custodiui te ne peccares in me*, scit Abimelech fuisse à Deo custoditum propter rectam suam intentionẽ; sed hæc Dei custodia soline Abimelech innocentiæ & simplicitati tribuenda? minimè quidem, sed etiam maximè erga Abraham & Saram Dei amori: testis est Thom. Ang. *si custoditus à Deo, hoc fuit propter charitatem Dei ad Abraham & Saram.* (Tho Angl)

Abstinere ab aliquo peccato præseruat à lapsu alterius.

61. *Custodiui te ne peccares in me*, cùm hæc propositio sit causalis, cuinam antecedenti tribuenda est illa à peccato præseruatio? cur non dicemus quod sicut peccati commissio est causa alterius, sic etiam ab aliquo recessus, alicuius est præseruatio: sic Dionys. Carth. *quemadmodum homo per vnum peccatum meretur relinqui à Deo, ita vt in aliud cadat, sicque peccatum illud est causa peccati, sic homo per opera bona meretur præseruari à Deo ne peccet, sicque fuit in isto Abimelech.* (Dionys. Carth.)

In Deum peccat qui grauia iudicat leuia.

Custodiui te ne peccares in me, in Abraham peccaret, ô Deus, non in te, nam in te peccata dicuntur esse commissa, quæ tribus primæ tabulæ præceptis opponuntur, in proximum autem quæ aliis Decalogi mandatis sunt contraria, si autem Abimelech Saram cognouisset, prohibitionem qua iubemur non adulterari, transgrederetur, ne dicas igitur Abimelech custodisse, ne in te peccaret. Respondet Maurus, *notandum quod in Deum peccatur, cum talia committuntur, quæ putant homines vel non esse peccata, vel leuia haberi, tanquam in carne commissa.* (Rab Maur)

Gratiæ tribuendum est, à peccatis præseruari.

63. *Custodiui te ne peccares in me*, nonne viribus suis abstinere potuit ab huiusmodi delicto? quomodo igitur asseris eum custodisse ne in te peccaret? quia non nostrarum virium est, sed Dei donum est, si non labimur in peccata; vnde optimè D. Mach. Hom. 46. *Quemadmodum per se nemo potest traiicere nec transire mare, nisi leuem & tenuem nauiculam è ligno constructam habeat, quæ sola potest super aquas incedere, quia demergitur & interit qui si ambulet in mare; item nequit anima per se ipsam transgredi, superare aut transmittere acerbum mare peccati, nisi susceperit subtilem, cœlestem & volatilem Christi Spiritum ambulantem & incedentem super omnem nequitiam*: per hunc autem spiritum gratiam intelligit. (D. Mach Hom. 46.)

Amici suorum clamores non expectent vt eis subueniant.

64. *Custodiui te ne peccares*, an deprecatus est Abram Deum vt illæsam seruaret coniugem? non legimus; quomodo ergo Deus illius pudicitiæ subuenit? non rogatus fortè, vt instruamur quod qui amicos norunt esse in periculo, aut quouis modo affligi, quamprimum vt illis ad exemplum Domini opem ferant opportunam, nec miserorum clamores ac supplicantium eiulatus expectent, quæ quidem veræ sanctæque amicitiæ debita demonstratio luculenter describitur à S. Hildeb. Epist. 53. ad hunc modum; *nullum vendit amicus obsequium, libenter & gratis subuenit, nescit preces expectare, sed velut egentis vaticinatur voluntatem, præuenit rogaturum, dubitat enim vtrum sit obsequium quod vis precum elicit, quod non accipit improuidus, sed importunus extorquet.* (S. Hildeb. Epist. 53.)

Deus coniugii protector.

65 *Custodiui te ne peccares*, si tot alia delicta permittis, cur Abimelech non consentis cum Sara dormire? non dubitas eam Abrahæ matrimonio iunctam, quid mirum igitur eorum violari coniugium non permittere? quia illius est defensor, & protector; sic Amb. l. de Abr. c. 7. *cognoscimus etiam velut præsulem, custodemque coniugii esse Deum, qui non patitur alienum thorum pollui, & si quid fecerit peccare eum in Deum cuius legem violet, gratia soluat.* (D Amb lib de Abr c 7.)

Ita Deus iustorum est custos, vt nec quod apparenter malum est in eos velit committi.

66. *Scio quod in simplicitate cordis feceris*, si hæc Domine nosti, & regem innocentem esse non te latet, cur eum quasi peccatorem arguis? conscios obiurga, reos corripe, innoxios tuere: ne Deum arguentem iniustè iustum sentiamus; tantæ est enim illius curæ, vt nec quod apparenter malum est in eum velit committi sine reprehensione, *Arguit Dominus* inquit Oleast. *opera non peccamina contra iustos facta, vt nemo contra eos audeat re vera peccare, qui enim ita arguit quæ peccata non sunt, qualiter arguet & puniet quæ sunt re ipsa peccata?* (Oleaster.)

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII.

VVLG. Nunc ergo redde viro suo vxorem quia Propheta est, & orabit pro te, si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris, tu & omnia quæ tua sunt.

Sept. Nunc autem redde vxorem homini; si autem non reddes, scito quia morte morieris tu & omnia tua.

Pag. Moriendo morieris & omne quod est tibi.

EXPOSITIO.

Nunc redde viro suo vxorem, quasi diceret, inscius & ignorans apud te Saram tenuisti, nunc autem sciens coniugem esse Abraham, & restitue, *quia Propheta est*, illa particula quia causalis est, cuius sensus est, redde vxorem isti viro quia Propheta est, id est vir eximiè sanctus & mihi charus, & quodlibet à me impetrare poterit, quo circa orabit pro te & continuo liberabere iis calamitatibus, quibus afficeris, propter vxorem ei ablatam.

quasi diceret, iam grauissima infirmitate detineris, à qua liberaberis restituta vxore Abrahæ, qui pro te meam clementiam deprecabitur, si autem restituere neglexeris, ægritudinis tuæ terminus nullus erit nisi interitus, & omnia quæ tua sunt scilicet male peribunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus suorum virtutem detegit.

67. Redde viro suo vxorem, quia Propheta est, ad quid vt coniugem ablatam Abrahæ rex restitueret, addit Deus, quia Propheta? quamuis enim hoc dono Prophetiæ minimè præditus esset, rex vxorem reddere teneretur, nō enim alienam posset retinere: non sine mysterio subiunxit, quia Propheta est, sed vt Abrahæ virtutem & merita declararet, ita Chrys. *vide quomodo virtutem iusti detegit, Prophetam ipsum vocat.* Chrysost.

Propheta etiam ad se spectantia præuidet.

68. *Redde viro suo vxorem,* ô Deus, quomodo Patriarcha eam admittet, cùm apud regem eius pulchritudine captum commorata fuerit? nonne dicet ab eo fuisse cognitam, sicque se eam nolle recipere? inspice quod ipsemet Deus addit, quia Propheta est, *quasi diceret* inquit Lyranus, *non formides eam reddere timens quod ipse non recipiat eam, vel quod eam odio habeat, eo quod fuerit in domo tua, quia per spiritum Prophetiæ sciet eam esse mundam, & quod eam non tetigisti.* Nic. Lyrao.

Iustis iniuriam inferre grauius est quàm aliis.

69. *Redde viro suo vxorem,* cur restituet si suam dixit esse sororem? ait Deus quia Propheta, quid refert verum sit dono Prophetiæ clarus, vel eo non præditus vt fiat ei coniugis restitutio, cur igitur ait Deus quia Propheta est? sine dubio hoc addidit, vt innueret iniuriam Abrahæ illatam grauiorem esse, quia iustus erat, quàm si in alterum commissa fuisset: fauet Dion. Cart. dicens, *cùm Propheta sit & vir sanctus, grauius crimē esset ei suam auferre vxorem,* & Thom. *quia Propheta est ideo minus lædendus & vexandus.* Dionys. Carth. Tho. Angl.

Tanta maior est iniuria quanto maiori illata.

70. *Redde viro vxorem quia Propheta est,* si diceres redde homini sororem, nullum se se mihi dubium offerret, cur Prophetam nominaret, cùm autem dixerit redde viro id est marito coniugem, superfluum videtur ad illius restitutionem addidisse, quia Propheta est, nam ipsimet infideles grauius adulterium ipso homicidio arbitrabantur: nota nomen Prophetæ etiam designare hominem veneratione & honore dignum: quid mirum igitur addidisse quia Propheta est, vt exprimeret iniuriam Abrahæ illatam? cùm illa maior sit si viro veneratione digno inferatur, sic Hug. Card. *hoc dixit quia Propheta est, quia quanto maior est cui infertur iniuria tanto maius est peccatum.* Hug Card.

Non soluitur commissum nisi restituatur ablatum.

71. *Redde viro vxorem,* si non restituat, morte morietur, nonne misericordiæ tuæ non est numerus? cur igitur ita graues exigis pœnas, vt pro muliere ablata regi vitam adimas? dimitte igitur ne nimiæ seueritatis arguaris, imo tanquam iustus celebraberis, quia solui non debet commissum, nisi restituatur ablatum, vnde Gloss. interl. ait, *quia igitur soluitur commissum cum restituitur amissum, redde vxorem viro suo, & orabit pro te vt dimittatur tibi iniuria illicita.* Gloss. interl.

Oratio iusti à morte liberat.

72. *Orabit pro te & viues,* si vitam degebat, cur eum victurum promittit? cum etiam, nonne sufficiebat quod Abimelech vxorem Abrahæ restitueret, vt sibi conseruaretur vita? cur igitur ait Deus, necesse est vt Abrahæ precibus mihi commenderis? vt notum haberemus orationem iustorum à morte liberare vitamque seruare, sic Procop. *obseruandum preces Prophetarum efficaces esse, & conferre plurimum ad vitam, si pro aliquo preces ad Dominum fuderint.* Procopius.

Deus per sanctos suos vult orari.

Orabit pro te & viues, cur nōn dixit Deus, tu eum deprecare, vt pro te dignetur orare, sed volo vt pro tua salute & incolumitate preces fundat, optima est responsio Ioan. Gersonii, *quia Deus vult per sanctos suos orari.* Ioan. Gers.

Oratio salutis æternæ remedium.

Orabit pro te & viues, quæ vita, inquit Procopius, promittitur Abimelech? nimirum cœlestis, morti contraria morique nesciа: sed nonne ô Deus vitam cœlestem potes regi polliceri, non interueniente Abrahæ oratione? cur igitur eum orare necesse est? quia oratio salutis remedium æternæ. Sic D. Chrys. Hom. 2. in 2. Epist. ad Corinth. c. 1. vbi loquens de oratione facta pro ipso Paulo, ait: *cùm ipse qui tot precibus salutem se consecutum esse, ac propter eorum orationes beneficium accepisse dicat, velim tecum reputes, quo eos animo quamque modestos esse oportebat,* expende illa verba eorum precibus salutem se consecutum dicat. D. Chrys. Hom. 2. in 2. Ep. ad Cor. c. 1.

Iustus magis sollicitus est aliorum salutis quàm suæ memor iniuriæ.

Orabit pro te & viues, si grauem adeo iniuriam accepit Abraham à rege Abimelech, scilicet vxoris ablationem, quomodo Deum deprecabitur pro illius salute? quia videlicet iustus maiorem salutis aliorum curam habet quàm iniuriæ acceptæ: vnde Oleaster *hac de causa orationes Christi fuerunt efficacissimæ, quoniam à nobis iniuriam passus pro nobis orauit.* Oleaster.

Subditi pro peccato principis puniuntur.

76. *Orauit pro te, si autem nolueris, scito quod morte morieris, tu & omnia quæ tua sunt,* cur omnes alii domestici morti cōdemnātur? si enim nolit vxorem viro suo Rex reddere, in quo delinquunt eius subditi? solus ergo Abimelech puniatur, imo & alii domestici eius à mortis pœna non eximentur, subditi enim pro peccato principis plectuntur, sic Abul. *non solùm punitur princeps pro peccato suo, sed etiam populus & maximè familiares sui.* Abulens.

Peccatum etiam Regum non manet inultum.

77. *Orabit pro te, si autem nolueris, scito quod morte morieris*, ita ne paruipendenda est vita regis, vt nisi mulierem ablatam restituat, ea priuetur? quid mulier, si cum viro comparetur? si autem cum rege conferatur nihil æstimabitur: Abimelech igitur non restituenti: condona iustissime & mortem minatur, quia peccatum etiam regum non remanet impunitum: sic Chrysost. *Peccatum incorrectum apud me non remanet inultum.*

Chrysost.

Peccatum mors animæ.

78. *Scito quod morte morieris*, si moritur, certum est hoc media morte continget, non enim vita erit causa interitus, cur igitur addit vtrumque copulatiue morte morietur? ad denotandum quod non solùm corporis dissolutionem, sed & animæ mortem quæ est peccatum incurret, vtrumque agnoscit Andr. Episcopus cap. 2. in Apocal. exponens illa verba *qui vicerit non lædetur à morte secunda*, ait enim, *qui spirituali spiritu auditus prauas diaboli suggestiones deiecerit, & si primam mortem quæ tantum in carnem cadit subierit, attamen à secunda, quæ in gehennam mittit, non offendetur.*

Andr. Epis. cap. 2 in Apocal.

Tempus opportunum quærit Deus, vt sua iussa adimpleamus.

79. *Scito quod morte morieris*, quonam tempore mortem Abimelech comminatus est Deus, nisi Saram Abrahæ restitueret? certe nocturno tempore hoc cōtigit, sed cur nam potiùs hoc tempus quàm diurnum comminationi suæ elegit? non est dubium maiore nos percelli terrore in tenebris quàm in luce: dicamus igitur ideo tempus nocturnum elegisse, vt in eo Abimelech comminatione perterritus, citius Dei præceptum exequeretur: sic Chrysost. *Ob hoc per tempus noctis hæc omnia Deus ei loquitur, vt inquiete accepta admonitione magno timore imperata faciat.*

Chrisost.

A numero Prophetarum eiiciendus non est qui cum aliis idem exordium non habet.

80. *Scito quod morte morieris*, nisi reddideris viro suo vxorem, quia Propheta est, si solent Prophetæ hæc verba habere, *hæc dicit Dominus*, quæ ab Abraham tunc dicta non inueniuntur, quomodo Propheta censendus est? audi respondentem D. Theod. præfat. in Danielem inuehentem in eos qui prædictum Prophetam à choro Prophetarum excludebant, quod ab illis solemnibus verbis non auspicaretur, audi igitur sic dicentem, *dicant quid tale dixerit Abraham Patriarcha, qui ab omnium rerum auctore Deo Propheta nuncupatus est, ibi redde vxorem viro tuo quia Propheta est, quid tale maximus Propheta Samuel qui prænoscendi, intelligendi & prædicendi munere donatus est? cum illis igitur palam contendite, eosque à Prophetarum cœtu aperte eiicite, quod si in illos debacchari veremini, in hunc quoque cauete ne calumniam conferatis.*

Theodor. præf. in Daniel.

Ad donum Prophetiæ habituale sanctitas vitæ requiritur.

81. *Scito quod morte morieris, nisi reddideris vxorem viro suo, quia Propheta est*, & orabit pro te si plures fuere Prophetæ impii, sicut Cayphas, Balaam, &c. quomodo ex hoc quod Propheta sit, debeat orare cùm ad perfectam orationem sanctitas requiratur, recte subiunxit quod oret postquam dixit Prophetam, quia in dono Prophetiæ habituali fulgentibus, vitæ sanctitas requiritur: sic Orig. lib. 3. *sanæ* (inquit) *& immaculatæ animæ, si cum omni affectu omnique puritate se vouerint Deo, & per multam abstinentiam se purificauerint, & piis sacræ religionis imbutæ fuerint disciplinis, participium per hoc diuinitatis assument ac Prophetiæ ac cæterorum diuinorum donorum gratiam merentur.*

Orig. lib 3. periarch.

Oratio pro aliis exhibita efficacissima est.

82. *Scito quod morte morieris*, non orante pro te Abrahamo, vnde Deus ad illum, redde vxorem viro & orabit pro te, cur non & imperas vt pro se oret dicens, orabis pro te? maluit dicere, orabit pro te, vt orationem efficaciorem ostenderet, quæ est, dum quis pro aliis suas fundit preces, *vt enim*, ait Lippom. in cap. 18. Genes. *delectat Dominum & fidelem decet oratio pro salute proximorum interposita.*

Lipp.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VIII.

VVLG. Statimque de nocte consurgens Abimelech vocauit omnes seruos suos, & locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde.

Sep. Et manè surrexit Abimelech diluculo, & vocauit omnes seruos suos & locutus est omnia verba hæc in auribus eorum, timuerunt autem omnes homines valde.

Cald. Surrexit Abimelech mane, & locutus est vniuersa verba hæc coram eis.

Arias. Et manicauit Abimelech in matutino.

CONCORDIA.

שכם Sacham manicare siue mane surgere significat, Vulg. tamen transtulit de nocte consurgens, sed per noctem summum mane intelligit, quod clariùs dixere Septuaginta diluculo.

EXPOSITIO.

Statim de nocte consurgens, immediate, vt è somno excitatus quæ Deus ei præceperat exequi statuit, *vocauit seruos suos &c.* scilicet vt eis manifestaret, quomodo non solùm sibi, sed etiam vniuersæ familiæ

mortem Deus comminabatur, nisi Sara Abrahæ restitueretur, *quo audito timuerunt omnes viri valde*, agnouerunt enim infirmitatem regis ortum habuisse ex Saræ detentione, timueruntque easdem dare pœnas.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Dei mandata exequi non differamus.

83. *STatim de nocte consurgens*, cur secundùm regum morem à lecto surgere non diluculo, sed iam sole lucescente non differs? præsertim cum ægritudine quæ quietem requirit, detinearis? ideo summo manè consurgit, vt nos instruat sine mora Dei mandata exequi; fauet Abul. *in hoc notatur magna obedientia Abimelech, quia non distulit exequi quod fuerat à Deo imperatum, sed immediate vt euigilauit à somno, hoc tradidit executioni.* (Abul.)

Deus præstat vires vt exequamur quæ præcepit.

84. *Statim de nocte consurgens*, si tam graui detinebatur infirmitate, vt medici desperatam salutem illius crederēt, quomodo è lecto surgere potuit? dices quod suorum ope adiutus: sed subiicio Deum ei præstitisse vires, & ab ægritudine sua subleuasse, vt quæ præceperat, posset exequi: sic Dionys. Carth. *dici potest quod statim cùm obtemperare proposuit reuelationi diuinæ, cœperit melius sentire.* (Dionys. Carth.)

Obedientia nescit moras.

85. *Statim de nocte consurgens*, cur statim? nonne vsque ad ortum solis differre potuit, ne familiares sui commouerentur somnoque indulgerent? tum etiam Deus non præceperat vt statim vxorem Saræ restitueret, sed tempore opportuno, non ergo statim cōsurgat; rectè statim, quia verus obediēs moras nescit: vnde optime Rupert. lib. 6. in Gen. c. 29. *mox audito iubētis imperio vicino obedientiæ pede moram pati nesciens in faciendo de nocte consurgens.* (Rupert. lib 6. in Gen. c. 29.)

Verus obediens subterfugium non quærit.

86. *Statim de nocte consurgens*, cùm Deus tibi præcepit vxorem Abrahæ restituere, graui infirmitate oppressus detinebaris in lecto, cur non est deprecatus vt te excusatum haberet vsquequo sanitatem recuperares: sic enim facilius quod iusserat, perficeres: nihil tale cogitat aut loquitur, sed statim audito Dei præcepto de nocte consurgit, quia verus obediens subterfugium quærere nescit: sic D. Ber. lib. de præcep. c. 9. *obedientia ad omne quod iniungitur, modum non considerans, extēditur*: expende illa verba, *modum non considerans*, ac si diceret non respicit verus obediēs an aliqua insit executioni difficultas, nam ob temperare non subterfugit. (D. Bern. lib. de Præcep. c. 9.)

Fides à periculo liberat.

87. *Statim de nocte consurgens, vocauit seruos suos*, scilicet, vt quod sibi dormienti contigerat, eis nunciaret, sed ô rex nonne à domesticis irridere potes, cùm fidem somniis adhibueris, quibus regulariter potius fallitas quàm veritas reperitur? imo ob fidem, qua firmiter iis quæ à Deo dicebantur, adhæsit ab infirmitate quasi solutus à lecto surgere potuit: consentit Lipp. *succurrebat regi fidēs vehementer periclitanti qua & seruatus est.* (Lippom.)

Nihil sine consilio peragendum.

88. *Statim de nocte consurgens vocauit seruos suos*, ad quid eos vocari præcipis? nonne Deus mortem comminatus est ni coniugem Abrahæ restitueres? igitur eam viro redde, non vocatis domesticis: prudenter eos conuocat, ne in negotio tanti ponderis sine consilio aliquid facere videretur, ita sentit Hugo Card. *vocauit eos vt ab eis acciperet consilium, nihil enim sine consilio faciendum* Eccl. 32. *fili mi nihil sine consilio facias, & post factum non pœnitebis.* (Dionys. Carth. Eccl. 32.)

Inconstantiæ vitium fugiant principes.

89. *Statim de nocte consurgens vocauit seruos suos*, nonne omnium Dominus es? Dominus autem familiaribus suis non indiget, vt quod in sua situm est potestate, restituat, iure merito conuocat seruos vt omnia quæ sibi in somnis sibi contigerant, aperiret, vt si Saram viro suo redderet, ne tanquam inconstans & leuis accusaretur, ita glossa intel. *vocauit ne temerè videretur repudiare coniugium.* (Glossa Interl.)

Famæ aliorum consulere debemus.

90. *Statim de nocte consurgens vocauit seruos suos*, his insciis redde Abrahæ vxorem: aduerte eos conuocasse vt in somnis offensam aperiret, sicque tolleretur infamia quam Sara incurisset, si sine causæ declaratione quam ad contrahendum secum tulerat, repulisset: merito igitur eos conuocat, quia famæ aliorum consulere debemus, cùm nihil charius ab omnibus æstimari debet, vnde & D. Amb. lib. 2. in Luc. c. 1. *oportet enim & sanctos & ab his bonum testimonium habere qui foris sunt.* (D. Amb. lib. 2. in Luc. cap. 1.)

Quibus aliqua culpa constat, constet & pœnitentia.

91. *Statim de nocte consurgens vocauit seruos suos*, cur eis præsentibus vxorem restituere statuit? non enim Deus præceperat vt notam domesticis suis hanc restitutionem faceret? merito eos conuocat vt reddat Abrahæ coniugem, vt quibus sua culpa constabat, constaret & pœnitentia.

Iustorum cognitam vult haberi Deus virtutem.

92. *Statim de nocte consurgens locutus est vniuersa verba hæc*, scilicet Deum sibi dixisse Saram coniugem esse Abrahæ, quia Prophetiæ dono fulgebat: quomòdo notam habuerunt Gerantæ virtutem Patriarchæ? sane Deo disponente, vt pluries peregrinaretur, sicque à pluribus perfectiones suæ cognoscerētur: fauet Chrys. *vidisti quomodo non frustra & absque causa toties transmigrabat iustus, nam si in tabernaculo suo primo mansisset, vnde potuissent Geraritæ scire quantam iustus haberet fiduciam apud Deum?*

Supplicia aliis inflicta vel infligenda, timorem incutiunt etiam generosissimis.

93. *Statim de nocte consurgens* retulit seruis quæ à Deo de Abrahā acceperat, timuerūt omnes viri valde, nonne qui regibus in curiis obsequium præstant, generosissimi sunt animi, vt pote armis exercitati, nobilitatis genere clari? quomodo igitur ad vnius vocem hominis contremiscunt? non ex illius voce sed ex suppliciis tam regi infligendis quàm aliis iam illatis? sic Procop. *fama oppidorum cælesti igne deuastatorum adhuc omnium hærebat auribus, humanasque mentes ea recordatio terrebat nonnihil.* (Procop.)

VARIE-

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Vocauitque etiam Abimelech Abraham, & dixit ei, quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grāde? quia non debuisti facere fecisti nobis.

Sep. Quid hoc fecisti nobis, nunquid peccauimus in te? quia induxisti super nos peccatum magnum, opus quod nemo faciet fecisti nobis.

Cald. Opera quæ non erant digna fieri fecisti mecum.

Arias. Et quid peccaui tibi? opera quæ non fient fecisti mecum.

CONCORDIA.

PArui refert quod in Hebræo habetur in numero singulari quia peccaui & fecisti mecum, vbi habemus in numero plurali, quid peccauimus? de se enim principaliter loquebatur, idem etiam est sensus aliarum versionum, circa illa verba, quæ non debuisti facere fecisti nobis.

EXPOSITIO.

VOcauit Abimelech Abraham, vt non solùm quæ in textu continentur exiiceret, sed & mulierem intactam, eamque non optasse nisi in vxorem.

Et dixit ei quid fecisti nobis? non quærit quasi dubitet, sed vt quod responsum ab eo detur, agnoscat: *quid peccauimus in te?* quasi dicat in quo te hactenus nos offendimus, *non enim hoc facere debuisti*, nisi in vindictam alicuius offensæ quam à nobis non accepisti.

Quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grande, dixit super se & super regnum suum, qui libet enim eam sibi potuit in coniugem accipere, sciens solùm esse sororem Abrahæ: *peccatum grande*, id est occasionem maximi peccati, scilicet adulterii, quod grande appellat tum propter magnitudinem culpæ & fœditatem maculæ, quia ex eo turpificatur animus, tum propter magnitudinem pœnæ, quæ sæpe numero etiam in hac vita punitur, *quæ non debuisti facere fecisti nobis*, nullus enim alteri occasionem peccandi præbere debet, quam tamen dedisse Abraham videtur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iusti, cognita eorum virtute, maximo in honore habentur.

94. VOcauit Abimelech Abraham, nonne peregrinus & aduena omnibus ignotus est Patriarcha? quomodo igitur ab ipsomet rege vocatur, quod maximi signum honoris est? nam aulici se felices celebrant, cùm ante ipsorum regum conspectum venire vocati merentur: reuoca in memoriam virtutem iusti iam à Deo cognitam habuisse: quid mirum igitur ab ipsomet rege honorari, iusti enim cognita eorum virtute, maximo in honore habentur: fauet Chrysost. *Considera in quanta gloria iustus postea apud regem agit, qui paulo antea ab omnibus habebatur contemptibilis, quasi erro & peregrinus.* [Chrysost.]

Ignorantia facti non excusat nisi debitâ adhibita diligentia.

95. *Quid peccauimus quia induxisti super nos peccatum grande*: quomodo potuit super te peccatum inducere? nam ignorans coniugem illius esse & solùm sororem existimans, eam in domum tuam iussisti non vt concubinam duci, sed vt vxorem futuram: aduerte quod licet vxorem illius non crederet, sed non omnem adhibuit diligentiam vt hoc compertum haberet: recte igitur dixit si sororem Abraham vxorem accepisset, peccatum se commissurum, quia ignorantia facti non excusat, non adhibita diligentia debita.

Peccatum ad aliud nos inducit.

69. *Quid peccauimus quia induxisti super nos peccatum?* cur hoc modo loquendi vtitur, scilicet quid peccauimus, vt induceres super nos peccatum? nonne satis erat dicere, quid fecimus? propriissime loquutus est dicens, quid peccauimus, vt induceres super nos peccatum? quia commissum ad aliud committendum nos inducit: consentit D. Greg. M. lib. 35. in 34. cap. Iob. *Peccatum quod pœnitentia non diluitur ipso suo pondere mox ad aliud trahit.* [D. Greg. M. l. 35 in c. 34. Iob.]

Peccatum principum in populum redundat.

97. *Quid peccauimus quia induxisti super me & super regnum meum peccatum*, nonne solus peccasses, si Saram tibi connubio iunxisses? quomodo igitur asseris non solùm super te, sed super regnum peccatum inductum? quia principum delicta in populum redundant: vnde Thom. Angli. ait, *dicendum quod regnum sæpe temporaliter punitur pro peccato regis, tum quia frequenter participant in peccatis regis.* [Tho. Angl.]

Agens & consentiens pœna plectuntur.

98. *Quid peccauimus quia induxisti super me & super regnum meum peccatum*, aliqui interpretantur pœnam debitam illi peccato, nescio qua de causa regnum tuum grauiter plectendum asseris? si diceres te seueras daturum pœnas, crederem equidem cùm in accipienda aliena coniuge deliqueris: aduerte regis delicto plures consensisse cùm nuntiauerunt ei pulchritudinem Saræ, cúmque eam in domum regiam duxerunt: optime igitur ei rex loquitur dicens, non solum se pœnas daturum sed & alios; quia agens & consentiens eodem delicto æqualiter feriuntur.

Adulterium grauißimum crimen.

99. *Quid peccauimus quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grande*? quod nam est illud peccatum de quo hic est sermo? sine dubio crimen adulterii: sed cùm reges etiam grauissima peccata leuissima censeant, quomodo adulterium peccatum grande nominat? vt crimen maximum esse sentiamus, & grauissimum: vnde D. Amb. lib. 5. in hex. c. 7. ait, *graue est adulterium naturæ iniuria, duos primum Deus fecit virum & vxorem & vxorem de viro, & iussit ambos esse in vno corpore & in vno spiritu, quid vnum separas corpus: vnum diuidis spiritum, naturæ adulterium est*, & D. Chromatius, *graue peccatum est adulterium.*

S. Chroma. Aquileiensis Epis. in c. 5. Matt.

Adulterij peccatum ex personæ dignitate non excusatur.

100. *Quid peccauimus quia induxisti super nos peccatum grande*? cur peccatum grande nominas? si vxorem alicuius regis violasses, crimen maximum arbitrarer, sed coniugem viri incogniti tibi matrimonium coniungere leuissimum existimo: sed nec leue credas, peccati enim magnitudo non semper sumit suam speciem ex alterius personæ qualitate: sic Chrys. hom. 3. ad Tim. *sicut quisque siue regis violauerit vxorem, siue pauperis, siue serui, pari ratione adulter est, cùm peccatum non personarum differentia, verùm ex voluntate improba admittentis id scelus iudicetur*: subiungit, *imo illum magis adulterum dixerim, qui quamlibet ex vulgo quam qui ipsam reginam violauerit; illic enim plurima irritamenta sunt, puta opes, elegantia, forma, & eiusmodi, quorum hic nihil inuenitur.*

D. Chrys. hom. 3. ad Timoth.

Ira vsum loquelæ impedit.

101. *Quid peccauimus quid fecisti nobis*? cur quid tibi ab eo factum non memoras? ait Abul. non quærit quasi dubitet, sed quærit per modum irati, non mirum igitur est dimidiatam orationem solùm protulisse, ira enim vsum loquelæ adimit, sic Interl. *defectiua locutio irato & perturbato congruit.*

Glossa interl.

Aliqui etiam principes veritatis sunt amatores.

102. *Quid peccauimus quid fecisti nobis*? quasi diceret, cur non aperuisti veritatem, dicens tuam esse coniugem? sed o rex an ignoras veritatem à magnis difficulter audiri, ita vt aliqui reges mutato habitu veritatem discere cupientes, consuluerint à quibus eam accipere possent, hoc autem personati egerunt scientes quod aliter non aperiretur eis veritas, cùm molestissimè eam sustineant, vnde optime Steph. in cap. 5. Iudith *qui fastu mundi superbiunt præconia veritatis audire non possunt*: ne igitur conqueraris tibi apertam non fuisse ab Abraham: sed iuste eum redarguit, aliqui enim principes veritatis etiam sunt amatores, indigneque ferunt si quis eam reticuerit.

Steph. in c. 5. Iudith.

Impius est qui aliquem offendit ab eo non læsus.

103. *Quid peccauimus in te quia induxisti super me peccatum grande*? aduerte sensum verborum, quid peccauimus in te, esse, in quo te offendimus? sed ô Abimelech, quoties ab aliis afficimur opprobriis & offendimur, etiam si à nobis læsi non fuerint; cur igitur præsupponis quod Abrahamum læseris, quia Dei punitionem super te induxit? optime loquitur Abimelech, quid peccauimus in te quia induxisti super me peccatum grande? impius enim omnino censetur, qui aliquem læserit, nulla ab eo accepta iniuria: sensus est Abul. ait enim, *quid peccauimus in te, quasi dicat, hoc quod nobis fecisti non debuisses facere nobis, nisi in vindictam alicuius mali magni, sed nihil tibi tale fecimus.*

Abulens.

Verus princeps censetur qui non suam solùm, sed suorum punitionem dolet.

104. *Quid peccauimus quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grande*? id est maximam punitionem, sed, o rex, si populus nihil conqueritur de supplicio sibi illato, cur illius doles pœnam? quia verus princeps non solùm suæ, sed suorum calamitati debet cōpati: sensus est Chrysost. cum sic loquentem inducentis: *non satis erat si ego punirer, omne regnum meum simul perdendum erat ex deceptione quam fecisti, quasi diceret, tacerem equidem si solus pœna afficerer, sed ferre non possum quod & regnum meum feriatur.*

Chrysost.

Parum distat vtrum crimen commiseris, vel præbueris occasionem illud committendi.

105. *Quid peccauimus quia induxisti super me peccatum grande*? videris o rex, tuum reiicere in Abraham delictum, cur potius in te hanc non refundis culpam? nota Abimelech existimasse, quod Patriarcha delinquendi occasionem illi præbuerit, quo supposito recte satisfacit glossa interlin. *quidquid hoc facto commisit rex in eum reflectit, qui veritatem suppressit, parum enim distat vtrum facinus committas an admittas.*

Anselm. Laudun.

A nobilioribus personis peccatum commissum maius esse videtur.

106. *Quid peccauimus quia induxisti super me peccatum grande*? diximus vocasse grande, quia adulterium: sed cur non dicemus ita nominasse, quia ab ipsomet rege commissum? nam tanto maius esse delictum censetur, cùm à nobilioribus perpetratur: sic D. Chrysost. in Psa. 6. *quo maior auctoritas, eo maius est eorum qui peccant supplicium*, quasi diceret, ideo grauiori plectuntur supplicio nobili dignitate clari, quia eorum delictum maius esse censetur.

S. Chrysost. in Psal. 6.

Qui nescit obluctari peccato principis cùm potest & debet, cùm eo perire meretur.

107. *Quid peccauimus, quia induxisti super nos peccatum grande*? nempe magnam punitionem, ecce enim præter grauissimam infirmitatem qua laboro, clausit Dominus vuluam vxorum mearum, ita vt nullo modo parere valeant, imo domesticos meos grauis morbus inuasit, quod iniustum esse videtur, nam si vxorem tuam rapui, meritas dem pœnas, cur meæ punientur coniuges? cur vniuersi qui regiam habitant mulctantur? nullus fuit in tota regia qui raptui Saræ à rege imperato voluit obluctari; ideo meritò vniuersi pœnas dedere: rem sic ponderat Philo heb. lib. de Abrah. *tunc Deus propitius miseratus hospites, & protector factus iniuriam patientium graues pœnas, & cruciatus magnos regi inflixit, ita cū animo corporeque laboraret morbo non simplici ei amorum voluptatumque oblitus longe diuersas curas agitaret, quonammodo euadere posset è tormentis præsentibus, quibus continuis interdiu noctuque molestabatur, quam etiam pœnam sensit, & tota regia, eo quod nemo se tantæ opposuerat iniquitati.*

Phil. Heb. lib. de Abrah.

VARIE.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS X.

VVLG. Rursumque expostulans ait, quid vidisti vt hoc faceres?

Sep. Dixit autem Abimelech ad Abraham, quia vidisti, fecisti hoc.

Cal. Quid vidisti quod fecisti rem hanc.

CONCORDIA.

IN hebræo est, dixit Abimelech ad Abraham, legit autem noster interpres rursum expostulans ait, sed exiguum est discrimen, nisi in verbis, idem enim est sensus.

EXPOSITIO.

R*Vrsum expostulans ait*, cùm enim nihil respondentem conspiceret Abrahamum, iterum interrogat, *quid vidisti, vt hoc faceres?* quasi diceret nihil quod in suspicionem impietatis nostræ tè inducere posset, in regno meo conspexisti, nec vxores à viris suis auferri, quid ergo te mouit vt super nos hanc induceres punitionem?

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iratus pluries idem repetit.

108. Q*Vid vidisti vt hoc faceres?* inquit rex Abrahæ, nonne iam eum interrogaueras, cur hoc egiiet? ad quid igitur iterum ab eo inquiris, cur hoc operatus fuerit? præsupponit Abulensis Abimelech ira commotum Abraham iterrogasse, quo posito, optime satisfacit dicens, *modus turbatorum est eadem sæpe repetere impellente animi passione, ideo replicuit dicens quid vidisti vt hoc faceres?*

Abulens.

Cùm quis iustus existimatur difficile de eo creditur aliquo modo posse decipere.

109. *Quid vidisti vt hoc faceres?* cur toties sciscitaris ab Abraham, cur tibi occasionem præbuerit & quasi induxerit vt sororem suam coniugem acciperes? nonne semel dixisse sufficiebat? animaduerte quod iustum Abraham credidit Abimelech ex quo à Deo accepit ipsum esse Prophetam: pluries igitur ab eo requirit, cur in tantum discrimen eum cùm regno coniecisset, quia cum quis iustus existimatur, difficile de eo creditur aliquomodo posse decipere, mens videtur esse Dio. Carth. dicentis, *Abimelech vehementissime mirabatur, quod cùm Abraham esset vir sanctus, ac sapiens, & Propheta, dixit verba huiusmodi ex quibus sequutum fuit tale malum & maius sequi potuerat.*

Dio. Cart.

De aliis non est temere iudicandum.

110. *Quid vidisti vt hoc faceres?* quasi diceret, quænam signa libidinis atque iniustitiæ in me atque in meo regno deprehendisti, quibus commotus iure potuisti metuere; si Saram vxorem tuam esse palam confessus fuisses, & iudicasti subditos meos fore homicidas, si coniugem tuam agnouissent; in hoc equidem temere iudicasti: sed inquiro etiam si cognouisset aliquos libidini deditos, potuisset ne iudicare eos esse desperatæ salutis? minime quidem, quia complures erepti à faucibus orci ad summum cœli fastigium ascenderunt, sicut etiam permulti è cœno sublati, astrorum fulgorem ac puritatem superarunt: quod egregie Anast. Sinai. ser. de sancta commu. expendit dicens, *tu fratrem forte peccantem vides, nescis autem quis sit eius vitæ futurus exitus; latro ille sicarius & homicida, Iudas autem Apostolus Christi, in exiguo autem tempore rerum commutatio facta est, & latro quidem in regnum, Apostolus vero in perniciem factus est: sed age sit frater peccator, reliquas eius rationes vndenam scis? multi enim qui palam peccauerunt clanculum postea magnam pœnitentiam egerunt, & nos quidem eos peccantes vidimus; eorum autem pœnitentiam & conuersionem non nouimus, apud nos quidem iudicantur peccatores, sunt autem apud Deum iustificati.*

Anast. Sinai. ser. de sancta Commu.

Cùm reprehendimur aliquando tacendum.

111. *Quid vidisti vt hoc faceres?* cur interrogationi regis non satisfaciens iterum à te idem sciscitari impellis? nonne inurbanitatis argumentum non leue est interroganti regi non respondere? aduerte Abimelech prioribus verbis quasi obiurgasse & reprehendisse Abrahamum, quod ei fidem adhibens grauissimam incurrit punitionem, ne mireris igitur tacuisse, quia cùm reprehendimur aliquando silendum, fauet Caiet. dicens, *coniectari possumus quod Abraham reprehensus istis querulis rationibus tacebat.*

Card. Caiet.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI.

VVLG. Respondit Abraham; cogitaui mecū dicens, forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter vxorē meam.

Sep. Dixit autem Abraham, dixi enim forsitan non est cultus Dei in loco hoc.

Cald. Dixitque Abraham, quia dixi; sic Pag. addens vere non est timor Dei in loco hoc.

Arias. Quia dixi tantum non est timor Dei in loco isto & occident me super verbum vxoris meæ.

Vatab. Super re vxoris meæ.

CONCORDIA.

Dictionem illam פן ra K aliqui verè, alii quippe vel verè interpretantur, vt videre est in variis lectionibus, sed profectò melius videtur verti forsitan, quàm vere; in hoc dixerit Patriarcha potius dubitando quàm affirmando, si autem Septuaginta verterunt cultum vbi legimus timorem, ex hebræo non transtulerunt, sed quid esset timor declararunt, timere enim Deum, colere est.

EXPOSITIO.

Cogitaui mecum dicens, scilicet antequam ingrederer ciuitatem, *forsitan non est timor Dei in loco isto*, id est in hominibus huius vrbis vel prouinciæ, *& interficient me*, propter vxorem meam, adeo graue adulterium arbitrabātur vt pro minori duceret virum occidere vt sic vidua potirentur, quàm viuente viro ad illam accedere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustus in agnitionem Dei alios inducat.

112 Cogitaui dicens forte non est timor Dei in loco isto, ô Abraham interrogaris à rege, cur coniugem tuam sororem esse dixeris, non autem vtrum credideris timorem Dei in regno suo inueniri? regi igitur interroganti satisfacias, aliàs te subterfugium quærere arbitrabitur? ideo respondet sibi persuasisse forte timorem Dei non esse in regno suo, vt si qui verum Deum non colerent, ad illius cognitionem adduceret: ita D.Chrys. *considera iusti prudentiam, quemodo satisfactionis loco in agnitionem Dei illos introducit.* S.Chrysost.

Qui timet ne aliquod peccatum committatur, maximum beneficium confert, si quocunque modo licito impediat.

113. *Cogitani dicens forte non est timor Dei in loco isto*, anxius fluctuabat Abraham de timore Dei apud Geraritas, quo secluso inquit interficient me propter vxorem meam: sed quamuis existimasses apud eos Dei timorem nullum esse, cur dissimulasti matrimonium cum Sara? nam ex hac dissimulatione, grauissima infirmitate rex afficitur cùm suis & in vitæ discrimen adducitur: aduerte Abrahamum existimasse sibi mortem illaturos vt pulcherrima Sara potirentur, quod grauissimum crimen censebat: dico igitur non solùm eos non offendisse, imo maximum beneficium contulisse, quia qui timet ne aliquod peccatum à nobis cōmittatur, maximo fauore nos obstringit si quocunque modo licito illud impediat: fauet Cryf. inducens Patriarcham loquentem, *valde mecum anxius fui, ne forte eo quod ad huc erroribus tenemini, nulla vobis iustitiæ cura sit, propter hoc simulaui vobis parcens, vt ne si intelligeretis meam vxorem fuisse, capti eius amore occidere me tentaretis*: expende illa verba, *simulaui vobis parcens*, quasi diceret gratias immortales mihi referre debetis, cùm ne crimen homicidii commissum à vobis fuisset laboraui. Chrysost.

Angelus castitatis custos.

114. *Cogitani dicens forte non est timor Dei in loco isto?* volo quod tibi vita non adimatur, saltem coniugem in periculum castitatis amittendæ conicis, & te in omnium infamiam si tua percipiatur dissimulatio, prudenter celauit Saram suam esse coniugem, nec tamen periculo amittendæ castitatis exposuit, sed quomodo non exposuit, cùm iam in regiam domum tanquam futura regis sponsa sublata fuerat? (quia inquit Lyr.) *iam expertus fuerat in Ægypto quod ipsa habebat castitatis suæ Angelum custodem.* Lyranus.

Beneficium à Deo acceptum est ratio aliud recipiendi.

115. *Cogitani dicens forte non est timor Dei in loco isto*, diximus in præcedenti conceptu, ideo in discrimen amittendæ castitatis non coniecisse coniugem, quia expertus fuerat Angelum custodem illius in Ægypto fuisse: sed vnde nam iterum securus custodiæ Angelicæ? vbi nam est promissio sibi facta? merito sperat se iterum nullum coniugem damnum accepturam, quia beneficium à Deo semel acceptum, est ratio aliud recipiendi: sic noster Lyran. explicans illud Iosue 11. vbi dicitur, quod postquam Deus misisset lapides de cœlo in illius defensionem contra Amorrhæos non iam deprecaturus Deum, ipsum solem & lunam suo imperio frænaturus aggreditur dicens, *Sol contra Gabaonem ne mouearis luna contra vallem Asalon*, &c. vbi Lyr. *videns primum signum datum de cœlo aereo, ex hoc confidens petiuit secundum de cœlo sydereo.* quasi beneficium à Deo acceptum induceret animum ducis ad aliud postulandum & impetrandum. Iosue 11. Lyranus.

Timore potius quàm amore à peccato remoueamur.

116. *Cogitani dicens forte non est timor Dei in loco isto*, & ideo interficient me, cur non ait, non est amor Dei? quia potius timore quàm amore à peccato remouemur: sic Abul. *timorem Dei dixit, quia magis homo recedit à malo per timorem quàm per amorem, licet perfectius sit recedere per amorem.*

Donum Prophetiæ non subditur Prophetis.

117. *Cogitani dicens forte non est timor Dei in loco isto*, hoc dubitatiuè nōn assertiuè videtur dixisse, sed nonne erat Propheta? sciebat igitur, an Geraritæ timore Dei ducebantur vel ne: male igitur se excusat dicens se nescisse vtrum in illo populo timor Dei reperiretur? constat tamen quamuis Propheta, cum dubio loquutum, nam ei donum Prophetiæ non subiicitur, ita vt semper futura & absentia prædicet, ita Lipp. *spiritus Prophetarum non semper subditus est Prophetis, iuxta illud* Lipp.

Prophe-

Prophetæ alterius dimitte illam, anima ejus in amaritudine est, & nunc Dominus celauit à me.

Timor Dei est eius cultus & veneratio.

118. *Cogitaui dicens forte timor Dei non est in loco isto,* Septu. legunt, forsitan non est Dei cultus in loco isto, nōne impius timet Deum, imo dæmones credunt eum & contremiscunt, & tamen Deum non venerantur? quomodo ergo Septuaginta pro timore Dei cultum posuere? rectè satisfacit Lipp. dicens, *mirificè commendādi hic Septuaginta, qui timorem Dei verterunt pietatem Deique venerationem & cultum, declarantes nihil aliud esse Deum in sacris literis timeri, quàm apud gentes eum venerari pieque colere.*

Lipp.

Timor Dei vinculum legum diuinarum.

119. *Cogitaui dicens forte timor Dei non est in loco isto, & ideo interficient me,* sed si in eis vigeret timor Dei, nonne pulchritudine Saræ commoti, tibi violentas manus inferrent, vt ea facilius fruerentur? ad quid enim peruersa & libidinosa cupiditas non impellit? dic tamen quod vbi timor est, illic mandatorum obseruatio, legum enim diuinarum vinculum est, ita Sedulius in Ep. ad Rom. c. 3. exponens illud, *viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum,* ait, *in timore Dei omnia conclusit, qui si timorem Domini semper ante oculos habuissent, non vtique deliquissent, neque enim audet peccare seruus præsente Domino.*

Sedulius Rom. 3.

Timore Dei sublato nullum ius reperitur.

120. *Interficient me,* si nulla eos iniuria affecisti, nullumque damnum eis intulisti, cur occident? forsitan inquit non est timor Dei in loco isto, quamuis nullus timor Dei apud eos, ita ne impii, vt omne ius habentes contemptui, hominem peregrinum & aduenam interficerēt? maxime quidem, sublato enim timore Dei, nullum ius sed omnis iniustitia dominatur, sicut è contra posito illo timore, nulla non virtus regnat: quod optime D. Chry. hom. 15. ad Popul. Antioch. exprimit dicens, *sicut in domo, stante milite semper armato, non fur aut latro, non alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit, sic & metu animas nostras detinente illiberalium nulla perturbationum facile nobis subrepit, sed omnes fugiunt & pelluntur timoris imperio vndique exacta, nec hoc solum est quod ex timore lucramur, verùm & aliud multo maius: non enim improbas tantum expellit passiones, cæterum & omnem cum multa facilitate inducit virtutem, nihil enim tātum peccata quidem consumit, virtutem vero crescere facit & germinare quantum continui timoris natura.*

D. Chryso. Hom. 15. ad Popul. Antioch.

Mors ante mortem Christi Domini etiam sanctissimis viris formidabilis.

121. *Interficient me propter vxorem,* si pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum, terminus peregrinationis miseræ est altera vita, quid formidas vitam cùm morte mutare? Angusti animi & infirmi est propter illam aliquo timore percelli, metum pelle, castitatem vxoris vitæ conseruandæ antepone: merito mortis metu angitur, quia ante mortem Christi Domini etiam sanctissimis viris illa erat formidabilis: sic Lippomanus *timere mortem solebant tam Prophetæ quàm Patriarchæ, sancti, sed tunc cùm nondum in ligno mortua mors fuerat.*

Lipp.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XII.

VVLG. Aliàs autem & verè soror mea est, & filia patris mei & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.

Sep. Et enim verè soror mea est de patre, sed non ex matre, facta est autem mihi in vxorem.

Cald. Sed & in veritate soror mea &c.

Chrysost. Ne putetis me etiam esse mentitum, etenim soror mea ex patre.

EXPOSITIO.

VEre soror mea est, quia more gētis meæ quæ neptes sorores, nepotes fratres vocat, vocaui Saram sororem meā quia neptis est, vt pote filia fratris mei Arā.

Filia patris mei, dicitur filia patris sui non proximi, nam quem habuit proximum Abraham, mediatum seu remotum habuit Sara, vulgariter autem aui & proaui patres censentur.

Et non filia matris meæ, non enim per eandem matrē remotam descēdit Sara, sicut per patrem, Thare enim duas vxores habuit, ex quorum vna natus est Abraham, ex altera Aran, qui genuit Saram & Loth.

Et duxi eam in vxorem, ex quo patet quod coniugium in secundo gradu collateralium, nempe inter patruum & neptem non fuisse lege naturæ veteri prohibitum, imo licitum nunc autem lege positiua vetitum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Omnem conatum adhibeamus ne simus mendaces.

122. *Verè soror mea est,* Chryso. legit ne putetis me etiam esse mentitum, nonne fatetur se mortem timuisse propter vxoris pulchritudinem subiit coniugium, ac proinde occasionem obtulit, vti vxor sua raperetur, magnumque pudoris discrimen subiret, ex his autem non leuis infamiæ labes homini tam meticuloso, ac sui honoris contemptori inureretur, fert quidem omnia libenter, cur igitur mendacium sic detestatur vt omnem conatum adhibeat ne mentitus fuisse putetur? quia nihil homini ignominiosius, quàm vt mendax habeatur: fauet Chryso. *ne igitur,* inquit, *condemnetis me, nam & si metus mortis in hanc me necessitatem coegit, attamen neque sic est mendacium quod à me dictum est, vide quàm diligenter agit iustus, vt monstret quod neque in hoc sit mentitus.*

D. Chryso.

Mendacium nec propter vitam tuendam dicēdum.

123. *Vere soror mea est*, sed quamuis non ita se res haberet, si periculum vitæ tuæ imminens apparebat, propter Saræ coniugis tuæ decorem, nonne potuisses dicere soror mea est, vt à morte immunis degeres? minime quidem, mendacium enim dici non debet etiam si maxime prosit, sic D. Aug. in Enchi. c. 22. *non ideo vllum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo, possumus etiā & furando alicui prodesse, si pauper cui palam datur, sentit commodum, & diues cui clam tollitur non sentit incommodum, nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum*: deinde subiungit, *plurimum quippe ad bonum profecisse homines, qui non nisi pro salute hominis mentiuntur non est negandum, sed in eorum tali profectu merito laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur beneuolentia non fallacia*: sed expressè D. Odo lib. 18. Moral. cap. 27. *quia scriptum est, os quod mentitur occidit animam, & perdes eos qui loquuntur mendacium, hoc mendacii genus* (scilicet culpæ leuioris) *perfecti viri summopere fugiūt, vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur, nec suæ animæ noceant, dum præstare carni nituntur alienæ.*

D. Aug. in Enchi. c. 22.

Odo lib. 18. Moral. c. 27.

Dissimulatio licita est.

124. *Vere soror mea est*, sed etiam tua coniux, cur igitur rem ita se habere dissimulasti, cùm dissimulatio veritatis licita esse non videatur, tanquam speciem mendacii continens, & viro religiosissimo indigna? nota dissimulationem posse separari à mendacio; mendacium enim est falsa vocis significatio, cum animo fallendi, id est cum animo proferendi falsum, & malitia mendacii intrinseca quæ consistit in deordinatione vocum cum æstimatione & conceptu dicit oppositionem ad conceptum proferentis & non ad conceptum interrogantis, adeo vt inordinatio & falsitas vocis opponere se debeat æstimationi meæ, ita vt voce proferam aliter quàm intus sentio, & non consistit in deordinatione cum conceptu alterius, nisi aliunde teneat rite & recte respōdere; dissimulatio autem dicit solùm deordinationem à conceptu alterius: recte igitur propter periculum vitæ dixit solùm sororem & non coniugem, quia dissimulatio aliquando licita: sic D. Hier. ad Gal. c. 2. qui postquam plura dissimulationis exempla proposuit ait, *nec mirum, quamuis iustos homines, tamen aliqua simulare pro tempore, ob suam & aliorum salutem, cùm & ipse Dominus noster, non habens peccatum nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumpserit, condemnans in carne peccatum, vt nos in se faceret iustitiam Dei.*

D. Hiera. 2. ad Gal.

Matrimonium olim inter consanguineos licitum.

125. *Vere soror mea est*, duxi eam in vxorem, nonne fateris tuam esse sororem, sororem autem tibi matrimonio iungere illicitum, quomodo igitur eam in coniugem duxisti? iam diximus cùm eam appellat sororem, non vterinam, sed consanguineam intelligit, merito igitur dicit se Saram in vxorem duxisse; quia coniugium olim inter consanguineos erat licitum: sic Aug. 22. cont. Faust. Manich. *cùm Abraham eo tempore viueret in rebus humanis, quo quidem iam fratres ex vtroque aut ex altero, vel altera parente natos necti coniugio nō licebat, filios autem fratrum aliosque longinquiore gradu generis consanguineos, nulla lege nulla prohibitum consuetudine, quid mirum si sororem suam id est ex patris sui sanguine procreatam habebat vxorem?*

D. Aug lib. 22. contra Faust. Mani.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIII.

VVLG. Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam, hanc misericordiam facies mecum, in omni loco ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim.

Sep. Facta est autem quando eduxit me Deus è domo Patris mei, & dixi ei, hanc iustitiam facies in me, ad omnem locum quocunque ingressi fuerimus illuc, dic de me quia frater meus est.

Cald. Et factum est cùm aberrassent populi post opera manuum suarum, me applicauit Dominus ad timorem suum ex domo Patris mei, & dixit ei, hæc est misericordia tua quam facies mecum in omni loco quem ingrediemur, dic de me, frater meus est.

Arias. Et fuit quando errare me fecerunt Deus de domo patris mei, & dixi ei, hæc misericordia tua, quam facies mecum ad omnem locum quo ingrediemur illuc.

Alii, teste Vatab. Quando circumduxerunt me Angeli &c,

Chrysost. Quando euocauit me Dominus de domo patris mei,

Lipp. Et fuit cùm declinare me fecerunt Dii de domo patris &c.

CONCORDIA.

VErbum תעה Thaa errare, aberrare, seu declinare, sicut & educere, nec non euocare significat, in hebræo est Elohim quod significat Deos, nec non Angelos, in hebræo est dictio חסד Chased sed quæ proprie misericordiam significat, tamen Septuaginta legunt iustitiam, forte quia cùm illius sint duæ partes, quarum vna cōtinet ne noceamus, altera vt benefici liberalesque simus; cùm verterunt iustitiam, intelligunt hanc illius secundam partem, Caldæus quoad verba diuersum profert à nobis, non tamen quoad sensum.

EXPOSITIO.

POstquam eduxit me Deus &c. Id est ex quo iussit Deus domum paternam nec non patriam relinquere; dixi Saræ coniugi, *hanc misericordiam facies mecum*. Hebraismus, hoc mihi beneficium præstabis. *in omni loco ad quē ingrediemur*. Dūmodo habitatores illius sint suspecti de impudicitia, *diceste esse sororem meam.*

Conceptus

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Trinitas personarum denotatur.

126. **P**Ostquam eduxit me Deus, in Hebræo est Elohim, id est dii, cùm vnicus & singularissimus sit Deus, quomodo eos Deos vocat? ita vt sit sensus eduxit me? cur non dicemus nomine deorum pluralitatem personarum; verbo autem singulari *eduxit*, vnitatem essentiæ denotari? sic Lip. *locus hic est ex quibus apte possit intelligi nomine Elohim sanctissimam Trinitatem significari, dicant quidquid … praui Hebrai.*

Lipp.

Quod Deus hunc eligat alio derelicto, non est censendus acceptor personarum.

127. *Postquam eduxit me Dominus de domo patris mei*, Cald. legit & factum est cùm aberrassent populi post opera manuum suarum, me applicauit Dominus timorem suum: sed ô Abraham, cum etiam idololatriæ studeres, cur potius præ aliis ad veri Dei cultum eligeris, aliis in suo derelictis errore? personarum acceptionis accusabitur Deus, omnes enim tecū idololatras efficaci vocatione ad sui cognitionem excitare deberet: sed quæso elegantem accipe responsionem D. Primas. in cap. 9. Ep. ad Rom. exponentis illa verba, *miserebor cui misereor*, &c. ait. *acceptio personarum ibi recte dicitur, vbi ille qui iudicat relinquens causæ meritum de qua iudicat, alteri contra alterum suffragetur, qui inuenit aliquid in persona quod honore vel misericordia sit dignum, si autem quispiam duos habeat debitores, & alteri velit debitum dimittere & alterum exigere, cui vult donat, sed neminem fraudet nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est, alioquin eis qui parum intelligunt, potest acceptio personarum videri, vbi vineæ Dominus operariis, qui vna hora illius opus fecerunt tantum dedit, quantum illis qui pertulerunt pondus diei & æstus æquales faciens in mercede, quorum tam magna distantia fuerat in labore: sed quid respondit de hac velut acceptione personarum murmurantibus? amice non facio tibi iniuriam, nempe hic tota iustitia est, hoc volo tibi reddi, hunc donaui, neque tibi aliquid abstuli, aut quod debebam vel minui, vel negaui; an non licet mihi quod volo facere? sicut ergo hic nulla est acceptio personarum, quia sic alius gratis honoratur vt alius debito non fraudetur, sic cùm secundum propositum Dei vocatur, alius non vocatur, vocato datur gratuitum bonum, cuius boni est vocatio ipsa principium, non vocato non redditur debitum malum, quia omnes rei sunt per vnū per quem peccatum intrauit in mundum.*

D. Primas. in c. 9 Ep. ad Rom. 9.

Seueritas mansuetudine mitiganda.

128. *Hanc misericordiam mihi facies*, scilicet vt te meā sororem nomines; nonne regi interroganti cur Saram sororem tuam dixeris, cùm esses coniux, dixisti te existimasse quod forte timor Dei non esset inter Geraritas, & ideo timuisse ne propter pulchritudinem illius vita tibi eriperetur: cur igitur aliam excusationem præbes dicens, pro beneficio singulari petiisse à Sara vt te fratrem suum nominaret? aduerte nimis seueram locutionem esse, cùm dicimus timorem Dei aliquem non habere: optime igitur nunc cum rege mitiùs & benigniùs loquitur, quia seueritas mansuetudine mitiganda est: annuit D. Chryso. *quia superius dixerat, dixi fortassis non est timor Dei in loco isto, & videbatur eos nimium carpere, volens mitigare asperitatem verbis, hic dicit ne putetis me hoc solum vestri gratia fecisse, statim enim quando eduxit me Dominus, dicebam ad eam hanc iustitiam mihi facies &c. dic frater meus est.*

D. Chryso

Nimia coniugis pulchritudo suspectos omnes reddit apud virum.

129. *Hanc misericordiam facies mecum in omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim*, cur in omni loco, id est in omni populo: & qua de causa? nimiæ tuæ pulchritudinis gratia: sed ô Abraham cur ab omnibus times? nonne plures reperiuntur, qui nec egregiæ tuæ coniugis forma afficiantur, vel si afficiantur, passionem suam sciant cohibere? cur igitur in omni loco te suum fratrem nominabit? quia nimius vxoris decor suspectos omnes apud virum efficit: fauet Lyran. *in omni loco ad quem ingrediemur qui mihi suspectus erit, propter tuam pulchritudinem.*

Lyranus.

Vir non imperet coniugi, sed roget.

130 *Hanc misericordiam facies mecum*, cùm in tua potestate sit vxor, tibique subdita, cur ei non imperas, dicens, tibi præcipio vt me fratrem nomines, non autem hanc misericordiam facies mecum? merito deprecatorie locutus est, quia vir coniugi non imperare, sed tanquam sociam rogare debet.

Veritas aliquando celari potest.

131. *Hanc misericordiam facies mecum, dices quod frater tuus sim*, si etiam illius vir es, cur hanc veritatem quærenti non aperies? veritas enim præcipue ab ingenuis & viris præclaris magni æstimanda, si tamen subest causa legitima, veritatem celari posse in confesso est: sic Chart. *interdum licet veritatem prudenter abscondere ne malum contingat, quamuis mentiri non liceat.*

Dionys. Carth.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIV.

VVLG. Tulit igitur Abimelech oues, boues, & seruos, & ancillas & dedit Abraham, reddiditque illi Saram vxorem suam.

Sep. sumpsit autem Abimelech mille didrachmas, & oues & vitulos, & pueros, & ancillas, & dedit Abrahæ &c.

Arias. Et cœpit Abimelech pecudem, & bouem, & seruos, & ancillas.

CONCORDIA.

APud Septuaginta qui mille didrachmas posuerunt, abundant hæc verba, non enim in Hebræo nec Caldæo repetiuntur.

EXPOSITIO.

Tulit Abimelech, id est munera Abrahæ obtulit quibus eum propitium haberet, *oues & boues*, quibus omnia intelliguntur animalia, quæ humanæ vitæ sunt necessaria, *seruos & ancillas*, quibus intellige alias etiam domesticas possessiones aurum & argētum &c. reddiditque ei vxorem intactam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Cùm pœnè desperata salus videtur, tunc Deus maxime succurrit.

132. *Tulit Abimelech oues & boues, & dedit Abraham*: nonne ille est Abraham, qui mortis periculum propter Saræ pulchritudinem pœnè incurrit? quique pœna mortis dignus censebatur, quia grauissimas super regem, & eius domesticos induxerat calamitates? quomodo ergo non solùm à rege munera obtulit, sed etiam maximo habetur in honore? quia cum pœnè desperata salus videtur, tunc Deus maxime subuenit: ita Chrysost. *vidisti omnipotentem & variam Dei sapientiam qui in mortis periculo constitutus erat, & omnia faciebat, vt mortem posset effugere, non solùm mortem non effugit, sed repente gloriosus factus est.*

D. Chryso.

Satisfaciendùm pro delictis.

133. *Tulit Abimelech oues & boues, & dedit Abraham*, si potius supplicio dignus videtur, ex eo quod vt fateris, induxerit super te & super regnum tuum peccatum grande, cur eum muneribus regiis honoras? reuoca in memoriam Patriarcham à rege iniuria affectum, ex eo quod eo inuito sororem in regiam adduci iusserit, vt futuram sponsam haberet: merito igitur offert ei munera, vt delictum commissum aliquibus donis satisfaciens compensaret: ita Palud. *dedit oues & vt plane satisfaceret comminanti sibi mortem, item vt satisfaceret eidem Abrahæ, de iniuria sibi facta in ablatione vxoris suæ?*

Patriarc. Palud.

Orationibus sanctorum indigemus.

134. *Tulit Abimelech oues & boues & dedit Abrahæ*; imo regnum tuum citius relinquere cōpelle, cum tot illius calamitatum occasio fuerit: aduerte maxima tunc detentum Abimelech infirmitate: quid mirum igitur Abrahamum muneribus decorasse, vt prouocaret eum ad fundendam apud Deum orationem pro sanitate recuperanda? fauet Lyr. *dedit Abrahā munera vt honoraret eum & prouocaret ad orandum pro se.*

Lyranus.

Dona licita sunt vt amicitia inter æquales seruetur.

135. *Tulit Abimelech oues & boues &c. & dedit Abrahæ*, qui ea libenter admisit, quod miror equidem, nam alia tibi obtulit munera rex Sodomorum, quæ tibi iure belli debebantur, & tamen ea respuisti, quomodo igitur alia tibi indebita & similiter à rege oblata, libēter excipis? aduerte regē Abimelech vnius Dei cultorem eumque timentem, secus autem regem Sodomorum; licitè igitur quæ sibi ab Abimelech offerebātu, quia amicitiæ conseruandæ gratia, inter æquales donorum acceptio licita censetur.

Non solum veræ iniuriæ, sed tales reputatæ, debent resarciri.

136. *Tulit Abimelech oues & boues &c. & dedit Abrahæ*, si nihil criminis in Patriarcham admisisti, existimās Saram solum illius sororem esse, non autem coniugē, cur eam in regiam domum ducēdam iussisti, vt vxor tibi esset futura, cur quasi pro resarcienda & illata iniuria, tot ei exhibes munera? vbi enim nulla iniuria, nulla est satisfactio, non immerito tamen plura Abimelech Patriarchæ dona obtulit pro sublata sibi coniugē, *quia* (vt inquit Oleaster) *non solùm veras iniurias, sed tales reputatas tenemur resarcire, & iuxta possibilitatem recompensare, vbi simul aduerte posse illatam iniuriam aliis rebus resarciri.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Et ait terra coram vobis est, vbicunque tibi placuerit habita.

Sep. Et dixit Abimelech ad Abraham, ecce terra mea coram te, vbicunque tibi placuerit habita.

Cald. Vbicunque placuerit oculis tuis.

Ar. Ecce terra tua corā te est in bono, in oculis, sede.

EXPOSITIO.

Terra coram vobis est, id est totam regionem quæ in conspectu vestro est ad vsum & ad libitum concedo, *vbicunque placuerit habita*, cum omnibus domesticis tuis.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Maxima erga benefactores vtamur gratitudine.

137. *Vbicunque placuerit habita*, nonne satis eximia obtulisti ei munera, tot armenta boum, tot ouium greges, tot auri & argenti possessiones, cū tot seruis & ancillis? cur igitur non contentus, alia rursus adiicis? nempe vt in quocunque loco regni tui commorari voluerit, ei peramplam concedis libertatem: nota quod Deo reuelante, agnouit Abimelech Abraham suam precibus salutem sibi restituturum: quid mirum igitur tanta liberalitate tot ei munera concessisse? quia maxima gratitudine benefactores prosequi debemus: quod obseruat Chrys. in Abimelech, *quia didicit quod propter illum & illius preces vita sibi data sit, ideo ita in vagum errorem, & antea nulli cognitum, quasi in benefactorem aliquem officiosus fuit.*

D. Chryso.

Qui

Patrifamilias conformari debet familia.

138. *Vbicunque placuerit habita*, cùm vxorem habeat, nec non plures domesticos, cur pluraliter non loqueris dicens, vbicunque placuerit sedem eligite? merito ad Abraham solùm sermonem dirigit tāquam ad patrem familias, quia ei vniuersa conformari debet familia: sic Carth. *hoc singulariter dixit ad Abraham tanquam ad patrem familias, quem cæteros sequi oportet ad habitandum vbi ipse elegerit.*

Dionys. Carth.

Periculum fugiendum.

139. *Vbicunque placuerit habita*, Iosephus refert Abrahamū sibi respondisse id sibi gratū esse, mansit enim in Bersabee; dubium mouetur cū Pharao restituit vxorem Abrahæ, eximia quædam dona largitus est ei, non autem in regno suo remanere permisit, nec si concessisset, hoc gratum habuisset Abraham, cur hanc gratiam, si sibi oblata fuisset à Pharaone, non admisisset, & datam ab Abimelech non renuit? aduerte in Ægypto speciosas non reperiri, secus autem apud Geraritas, cùm autem eximiæ formæ esset Sara, maximum castitatis suæ periculum inter Ægyptios, non autem in regno Abimelech incurrisset: prudenter igitur facultatem manendi, si concessa fuisset à Pharaone non admisisset Abraham, quam tamen non renuit oblatam ab Abimelech, quia periculum fugiendum est, si liceat; mens est Abul. *Pharao vidit quod Ægyptij erant luxuriosi & non habebant pulchras fœminas quia nigræ sunt cùm sint in terra calida, Sara autem nimium pulchra erat, ideo Ægyptii concupiscerent eam, & non viueret quietè Abrahā inter illos, in terra autem Geraræ non erat eadem ratio, quia magis Aquilonaris est & frigida, ideo sunt magis ibi pulchræ quàm in Ægypto, & non haberent tantam occasionem concupiscendi Saram, quod videns Abraham mansit in illa terra in Bersabee aliqualiter separatus à communicatione Philistinorum.*

Abulens.

Proprium principum ab iniuriis oppressos liberare.

140. *Vbicunque placuerit habita*, cur in hominem qui in vitæ discrimē coniecit, non solum non animaduertis, imo pluribus donis cohonestas? cur eum saltem captiuum non detines? imo maxima libertate vt in quocunque ditionis tuæ loco commoretur vtendum permittis? reuoca in memoriam Abrahamum iniuria affectum fuisse in detentione coniugis suæ: merito igitur non solum ei restituit, sed liberam manendi optionem concedit, quia principum est, ab iniuriis oppressos liberare: sic Lipp. *ita reges maxime cauere debent ab iniuria, ad quod eliguntur à Deo & præficiuntur populo, non vt dominentur & opprimant, sed vt ab huiusmodi liberent & vindicent oppressos.*

Lipp.

Qui prius Ecclesiam conabantur euertere, eam amplissimis possessionibus ditauerunt.

141. *Vbicunque placuerit habita, terra coram vobis est*, non solùm Abimelech, oues & boues, imo portionem regni sui concedit Abrahamo, nec non suæ coniugi, nonne ille rex maxima affecerat Patriarcham iniuria, nec non vxorem illius cùm eam viro suo abstulit? quomodo igitur tot opibus cumulat? per Saram quid vetat Ecclesiam intelligi? rectè igitur Abimelech, qui quasi Saram persecutus fuerat, plurima largitur bona, vt significaretur, inquit Hugo Card. *quod principes gentium qui prius Ecclesiam tollere conabantur, amplissime ditauerunt, & libertatem concesserunt plures Ecclesias construendi.*

Hugo. Card.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Saræ autem dixit, ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum sunt & quocunque perrexeris, memento te deprehensam.

Sep. Saræ autem dixit, ecce dedi mille didrachmas fratri tuo, hæ tibi erunt in pretium faciei tuæ, & omnibus quæ tecum sunt, & omnia vere dicito.

Cald. Ecce dedi mille siclos argenti fratri tuo, ecce illud est tibi velamen honoris, pro eo quod miserim tollere te, & viderim te, & omnia quæ tecum sunt, & super omnia quæ dixisti, estoque reprehensa.

Arias. Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, ecce tibi ipsum operimentum oculorum omnibus qui tecum, & cum omnibus & se corripuit.

Pagni. Et in omnibus erudiuit se.

Oleaster. Ecce ipse tibi velamen oculorum omnibus qui tecum & omnibus & fuit castigata.

Aly. Et documento tibi erit.

CONCORDIA.

Difficultas est maxima in his, vltimis, verbis memento te deprehensam, nam alii legunt reprehensam, ונוכחת Nocachis enim volunt aliqui participium esse passiuum fœmininum à radice Iachach, quod corripere, arguere, & reprehendere significat, alii participium præsens actiuum, alii futurum passiuum: sic itaque vertunt nonnulli & corripiaris, siue esto increpata vel reprehensa: sic autem alii, admonebens suo documento tibi erit, est idem sensus, solum superest exprimere quomodo legit vulgatus deprehensam cùm alii habeant reprehensam: facile concordat Lipp. dicens quod in additione nostra deberemus legere reprehensam, sed in omnibus vulgatis habemus deprehensam, quod tamen non est alienum ab hæbreo, nam reprehensa fuit Sara, eo ipso quo deprehensa.

Aduerte similiter pronomen (hoc) hebraicè esse הוא Hu quod est masculini, & neutrius generis, vnde fit quod noster interpres in neutro genere legent, Arias autem & plures alii, in masculino tamen diuersa refert secundum diuersum genus, nam secundum masculinum refert Abraham, & est sensus; quod ipse Abraham, quem fratrem appellabat, futurum esse ipsi velamen oculorum, secundum autem neutrum refert munus mille argenteorum, qui à rege sibi dati fuerant, ita vt sit sensus, dedi fratri tuo mille argenteos vt hoc sit tibi in velamen oculorum.

EXPOSITIO.

Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, dubium est quod nam genus pecuniæ fuerit argenteus, cùm in Sacra Scriptura ponitur argenteus vel aureus, intelligatur ficlus, vnde Caldæus vertit ſiclos, ſiclus autem viginti aſſibus (quod communi nomine francum nominamus) æquiualet: hinc eſt quod mille argentei ſunt mille franci gallici, quos Abimelech Abraham dedit.

Hoc erit tibi in velamen oculorum, hebraiſmus eſt, ſane difficilis, cuius ſenſus hic poteſt eſſe, dedi fratri tuo mille argenteos, vt tibi tuiſque ancillis emat velamen vultus, ad operiendam pulchritudinem, ne alijs ſicut mihi illecebra & libidinis irritamentum, ita vt quaſi innupta aperto capite vti antea non amplius incedas, ſed quaſi nupta velato & operto & ſecundum hunc ſenſum hæ particulæ ſubſequẽtes ſcilicet *ad omnes qui tecum ſunt*, denotant ancillas ſuas, quaſi diceret emet velamina tibi tuiſque ancillis, licet enim in noſtro vulgato non ſit coniunctiua, tamen apud Septuaginta reperitur, *& quocunque perrexeris memento te deprehenſam*, quaſi diceret, deinceps ne huiuſmodi verbis alios decipias fratrem tuum Abraham nominans, bis enim iam fuiſti deprehenſa, id eſt detecta fuit diſſimulatio tua, & omnibus cognita.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Fidem dictis iuſtorum adhibere debemus.

142. *Mille argenteos dedi fratri tuo*, cum accepiſti ô Abimelech ab ore ipſius Abraham, Saram coniugem eſſe ſuam, quomodo eum fratrem illius nominas? reuoca in memoriam Patriarcham regi dixiſſe ſe fratrem eſſe; recte igitur eo nomine appellat, quia fidem iuſto adhibere debemus: fauet Chryſoſt. *vide quomodo accepta à iuſto doctrina, vt credit eius dictis etiam ipſe fratrem huius illum vocat.*

Chryſoſt.

Pecunia non à mulieribus, ſed ab eorum viris ſeruanda.

143. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo*, cur ô rex hanc pecuniam ipſimet Saræ non dediſti? illa enim in domum tuam adducta fuit, bene non Saræ ſed Abraham tribuit, quia pecunia non à mulieribus, ſed ab earum viris ſeruanda: fauet Procop. dicens, *illud memorabile, quod illa ſumma non Sara, ſed marito eius dependitur*, quaſi diceret non ſeruandos hos aureos dedit Saræ quia mulieres modum non tenent in erogandis pecunijs.

Procop.

Principis errores maxime indagantur.

144. *Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, hoc erit in velamen oculorum tuorum*, quaſi diceret ſecundum hebræos, quod donaui Abrahæ id erit tibi in velamentum oculorum omnibus qui tecum ſunt, vt non poſſint dicere quod fœdaui te: ſed ô rex nonne apud te cognita eſt innocentia tua? quare ergo hac ſollicitudine angeris, vt apud omnes cognitam velis haberi? merito hac viſus eſt diligentia, verebatur enim oculos qui turmatim naſcuntur, vt principum facta explorent, vnde optime Caſſian. lib. 11. Var. 7. homini Patritio hanc veritatem aperiens ait, *latere non poteſt quod inter cancellos egeris, tenes quippe lucidas fores, clauſtra patentia, feneſtratas ianuas, & quamuis ſtudioſe claudas neceſſe eſt vt te cunctis aperias, vide quo te antiquitas voluerit collocare, vndique conſpiceris qui in illa claritate verſaris.*

Caſſian. lib 11. Var. 7.

Pro delictis ſatisfaciendum & abundanter.

145. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo*, cur ita ingentem pecuniæ copiam homini, qui te in diſcrimen vitæ coniecit, præter oues & boues ei conceſſas &c. tanta cum liberalitate largiris? aduerte Abrahamum affectum iniuria fuiſſe ab Abimelech ob Saram ſibi ablatam: cur igitur hos nummos non tribueret, præter alia cum pro delictis ſatisfaciendum non quomodocumque ſed abundanter ſit ad iniuriam reſarciendam? mens eſt D. Chryſ. *pro hoc ſolum quia contumeliæ tibi auctor fui, mille dedi didrachmas reſarſurus ea quæ à me in te ſunt admiſſa.*

Chryſo.

Fœmina ludibrio habetur, cùm ætatis prouectæ dignoſcitur, & ſimulat ſe eſſe iuuenilis ætatis.

146. *Hoc erit in velamen oculorum tuorum*, Hugo Card. ait, elegans irriſio eſt, in exhibitione funeris tui, pecunia quam dedi fratri tuo aſſeruetur, quãdo lumen oculorum tuorum erit contegendum: ſed cur elegans irriſio? quia cùm fingeret ſe iuuenilis ætatis eſſe, deprehenſa eſt ætatem prouectam attigiſſe: ſic citatus Hugo *annos es & vicina funeri, & tamen mentita es; habe igitur hæc ad expenſas funeris tui.*

Hugo. Card.

Fœmina cooperiat ſe ne pulchritudo ſua adoleſcentium perditio ſit.

147. *Hoc erit in velamen oculorum tuorum*, cur pecuniã vt Sara vultum ſuum cooperiat aliquo empto velamine Abrahæ tribuis? nonne conuenientius fuiſſet vt ſibi veſtes emeret, cùm earum mulieres ſint curioſiſſimæ, non autem operimentum quo vultus illius tegatur, cũ ſummopere ab omnibus cõſpici deſiderẽt; recte mille argẽteos Abimelech dedit Abrahæ, vt Saræ velamen oculorũ emeret, quia facies mulieris operienda eſt ne pulchritudine ſua tanquã illecebris, adoleſcentiũ animos irretiat illorumque ſit omnimoda pernicies. ita Dionyſ. Cart. *donum iſtud pecuniarum ſit tibi ad pepla emenda quibus faciẽ tuã tegas vſque ad oculos inter omnes apud quos fueris, ne inſpectione pulchritudinis tuæ te amẽt & viro tuo te ſubtrahant*, ſic etiam habet Guillelmus Hamerus.

Dionyſ. Cart.

Boni nominis ſimus ſolliciti.

148. *Hoc erit in velamen oculorum tuorum ad omnes qui tecum ſunt*, Procopius legit in honorem vultus tui erunt, quaſi diceret, pecunia quam dedi fratri tuo, non fuit merces concubitus, quo potitus non ſum, ſed in teſtimonium tuæ pudicitiæ & meæ ignorantiæ circa coniugium tuum: ſed cur addit Abimelech & ad omnes qui tecum ſunt? vt omnes, qui erant cum Sara, teſtimonium ſuæ innocentiæ præberent: ita Procop. *quare adiunctum eſt his qui tecum ſunt: illas cohortatur vt ſuæ innocentiæ ſint teſtes*, inſpice quomodo boni nominis curam gerit?

Procop.

Ita

Ita honorantur mulieres à viris, vt pro conspecto earum vultu, ab eis muneribus afficiantur.

149. *Hoc erit tibi in velamen oculorum*, Procopius legit in honorem vultus tui, cur Saram eo munere dignatur? imo quia eum quasi fefellerat, è domo sua regia cum ignominia & dedecore deberet eam abigere, hanc tamen summam pecuniæ ei largitur, quia mulieres ita honorantur à viris, vt pro cõspecto earum vultu muneribus afficiantur, Fauet Procop. *quia vidi solum faciem tuam, isto munere te honorandam censui.*

Procopius. Gazæus.

Mendacii vt nos illud pudeat, recordari debemus.

150. *Hoc erit tibi in velamen oculorum tuorum*, cùm hoc pronomen ad diuersa possit referri, vel ad argenteos Saræ datos, vel vt ait Thom. Angl. in verecundiã & memoriam verecundiæ, ad omnes id est coram omnibus qui tecum sunt: sed cur Abimelech vult Sarã ita verecundari semper coram omnibus? præsuppono regem existimasse sibi mentitam fuisse Saram: rectè igitur in futurum & continuum pudorem, hãc pecuniæ copiam largitur Saræ, quia mendacii vt nos illud pudeat semper memores esse debemus, sic explicat Thom. *recordare & recordando confundere, te tale mendacium dixisse.*

Tho. Ang.

Vir est coniugis velamen ne ab aliis desideretur.

151. *Hoc erit tibi in velamen oculorum*, alii vertunt velamen oculorum omnibus qui tecum sunt, quid Sara in hoc edocetur? hæc verba enim sunt commonitoria & eruditione plena: optimè satisfacit Vatab. in suis scholiis d cens, *docetur*, inquit, *Sara maritum cui iuncta est, instar veli esse quo se tegere debeat, ne exposita sit alienis.*

Vatab. in suis schol.

Fælicior ætas præterita quàm nostra, in castitatis coniugalis obseruantia.

152. *Hoc erit tibi in velamen oculorum tuorum*. Caiet. sic exponit, monitoria sunt verba, vt in posterum dicat Abraham maritum suum, quia hoc titulo velabit oculos omnium, ne concupiscant eam, quasi diceret nemo siue eorum qui tecum sunt, siue aliorum qui nouerint illum esse tuum maritum, etiam si te videat esse pulcherrimam mulierem, audebit concupiscere, quid nõne quotidie experiamur mulierem formæ elegantis etiam si sit viro legitimè coniuncta, à pluribus appeti & aliquando rapi violenter: quid dicam nescio. nisi fæliciorem vt pote castiorem & iustiorem illam quã nostram ætatem, in qua vxorem alienam nemo audebat attingere, imo nec aspicere quidem etsi pulchram hoc ipso tantum quod haberet maritum, quo illa velata alienis incedebat oculis.

Caiet.

Vt iustus pro nobis Deum deprecetur, insistamus.

153. *Memento te esse deprehensam*, Sept. legunt & Chrysost. omnia verè dicito cur ita Abimelech Sarã compellit, vt nihil celet ex his quæ sibi in domo regia contigerant & Abrahæ marito suo veritatem aperiat? vt eam agnoscens Patriarcha facilius inclinetur ad preces ad Deum pro eo fundendas, sic D. Chrysost. *quare hæc dixit omnia vere dic: vt cum iustus abea didicerit, multisque rationibus fuerit edoctus, pro eo preces Domino offerat.*

Chrys.

Aliquando patitur Deus nos à prophanis corrigi vt maiori pudore afficiamur.

154. *Memento te esse deprehensam*, dixit Saræ Abimelech, alii legunt eris redarguta ab omnibus, nonne potuit Angelus Saram arguere, propter simulationem qua Abraham virum suum finxit non esse? cur ergo passus est Deus à rege prophano eam reprehendi? vt cùm correpti fuerimus ab huiusmodi viris maiori pudore afficiamur, ita Vatab. *passus fuit Dominus vt Sara à prophano rege coargueretur, quo maiore verecundia eam afficeret.*

Vatab.

Periculi quod euasimus, recordemur, ne in illud iterum labamur.

155. *Memento te esse deprehensam*, quasi diceret, quia simulasti Abrahamo iunctam esse matrimonii vinculo, ideo castitatis periculi subiisti: sed cur ô rex illã sẽper præsens illud periculum admones habere, cum illius anima simili recordatione vehementissimè angeretur? merito vt reminiscatur, se in discrimein suæ continentiæ venisse, quia in memoria habendum est periculum quod euasimus, ne in illud iterum labamur. Fauet Raban. *hortatur vt in posterum hoc meminerit, ne deinceps simile improperium incurrat.*

Raban. Maurus.

Magna muneris & velaminis coniunctio.

156. *Memento te esse deprehensam*, cùm velamen oculorum habueris, dedi enim ei mille argenteos ad illud habendum, sed immoremur in dictione כסות Chesuth, quam reddidit vulgatus operimentum seu velamen: nonne eadem dictio etiam munus significat? ita equidem, & merito, nam munere & largitione obteguntur quodammodo oculi & operiuntur, ne quid æquum est intueantur: vnde verba Abimelech dedi fratri tuo mille argenteos in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, hunc sensum possunt habere, dedi fratri tuo mille argenteos in munus vel pro munere.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VLG. Orante autem Abraham sanauit Deus Abimelech, & vxorem & ancillas eius & pepererunt.

Sept. Orauit autem Abraham ad Deum &c.

Cald. Et orauit Abraham coram Deo & sanauit Deus Abimelech & vxorem eius, ancillasque eius & refrigerati sunt,

Caiet. Orauit autem Abraham Elohim, & sanauit Elohim Abimelech, & vxorem eius, & ancillas & genuerunt.

CONCORDIA.

PRo verbo ילד ialad, quod parere, seu gignere significat in Hebræus Caldæus habet, & refrigerati sunt, forte quia præ nimio calore parere non poterant, & ideo Deus refrigerium eis contulit.

EXPOSITIO.

ORante autem Abraham, cognita Dei voluntate & innocentia regis Abimelech, coram Deo preces fudit Patriarcha vt ei incolumitas, vniuersæque familiæ restitueretur, quas Deus gratissimas habuit, ait enim textus, *Sanauit Abimelech &c.* graui enim infirmitate detinebatur: *& vxorem & ancillas & pepererunt.* Fœtus enim quem conceperant, iam maturus partui exire non poterat, ex quo necesse erat mulieres grauissimis doloribus cruciari, quod impedimentum abstulit Deus, vt parere possent.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustorum virtutem illustriorem semper reddit Deus.

157. ORante Abraham sanauit Deus Abimelech, cùm Rex fuerit innoxius ab adulterio, imo à praua volũtate, existimabat enim Sarã sororẽ ei⁹ cur graui eũ percussit infirmitate? vt precibus Patriarc hæ annuens, eum clariorem & illustriorem efficeret: Sic D. Chrys. *Deus ita omnia facit & tractat & singula dispensat, vt qui sibi seruiunt quasi luminaria quædam reluceant, & eorum virtutem vbique manifestam faciat.* (S. Chrysost.)

Ita efficax est oratio iusti apud Deum, vt ea nondum absoluta, à Deo iam est accepta.

158. *Orante autem Abraham sanauit Deus Abimelech,* cur non ait Moyses, postquam cessauit Abraham ab oratione, tunc à Deo sanitas restituta est Abimelech? ait quod eo orante rex incolumitatem recuperauit, vt significet quod ita efficax est iusti oratio apud Deum, vt ea nondum absoluta, iam à Deo sit accepta: Fauet D. Haymo explicans illud Psal. 4. *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus,* ait enim, *nota simul esse vocationem & exauditionem,* quasi diceret nondum nostris precibus Deum vocauimus, & iam ab ea exauditi sumus. (D. Haymo in Psal. 4.)

Orans ab iniuriarum recordatione debet esse liber.

159. *Orante Abraham sanauit Deus Abimelech,* si ita graui à rege iniuria affectus sit Abraham, quomodo inter orandum illius non est recordatus? quia orans ab iniuriarum recordatione debet esse liber, si velit acceptas esse suas preces: vnde optimè D. Nilus c. 18. de orat. *memoria iniuriæ obscurat rationem orantis, & eius orationis tenebras offundit,* & cap. subsequenti ait, *qui dolores ex iniuriarum recordatione sibi coaceruant & sibi interim orare videntur, similes sunt iis qui aquam hauriunt & in dolium pertusum infundunt.* (D. Nilus c. 18 de orat.)

Oratio etiam pro temporali beneficio licita.

160. *Orante autem Abraham sanauit Deus Abimelech,* quamuis dictum non sit quid in oratione Patriarcha à Deo postularet, certũ est pro regis valetudine deprecatum fuisse: sed cum in oratione solum bona spiritualia petere deberemus, cum sint nobis absolutè necessaria, quomodo beneficium temporale à Deo in oratione requirit? quia dummodo præcipuè temporalia non postulemus neglectis spiritualibus, licitè pro temporali beneficio preces fundere possumus, vnde Christus Dominus nos orare docens, ait, *Sic orate, panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* quod licet hunc panem aliquid spirituale intelligat Sedulius lib. 2. carminũ dicens. (Sedulius.)

Annonam fidei speramus pane diurno,
Ne mens nostra famem doctrinæ sentiat vnquam
A Christo, ieiuna suo qui corpore & ore,
Nos saturat, simul ipse manens, verbumque cibusque.

Et cũ eo consentiat D. German. Patriarch. Constant. in expositione orationis Dominicæ dicens panis supersubstantialis vel quotidianus est Christus, tamen D. Petrus Laodicensis Episcopus in eadem expositione etiam beneficium temporale in illa petitione intelligit, ait enim *panem vero intelligit vel eum intelligit quo corpus nostrũ sustentatur, id est quotidianũ &c.* noster Bonna in cap. 11. Luc. idem habet, *quia vterque panis tam spiritualis quàm corporalis quotidie necessarius & quotidie à Domino percipiendus, & ideo quoque postulandus,* & Polyd. in comment super precem Dominicam dicens *cibi genus triplex est & vnumquodque à Deo petendum, cibus animæ est verbum Dei alter cibus est Eucharist. tertius vero cibus carnis est,* de quo intelligit Apostol. ad Timoth. scribens, *habentes alimenta & quibus tegamur his contenti simus.* (D. Gregor Patriarch. Constant. in exposit. orationis. D. Petrus Laodicens. Noster Bonna in c. 11. Luc. Polyd. 1 ad Tim. 6.)

Deus tanquam iudex à pœnis absoluit.

161. *Orauit Abraham Elohim & sanauit Elohim Abimelech,* cur non dicit Moyses sanauit Iehoua, regem Abimelech? cùm illud nomen principium essendi denotet & quasi esse restituendum erat regi, non autem Elohim cùm hoc nomine denotetur iustitia eius quæ in sanitate Abimelech non requirebatur, sed potius misericordia? nota sicut est iudicis pœna plectere, sic illius est ab ea eximere: rectè igitur dictum est sub nomine Elohim Sanasse Abimelech, quia Deus tanquam iudex absoluit, hoc notat. Caiet. dicens, *orauit Abraham Deum sub nomine iudicis iusti vt innocentes absolueret à vinculis ægritudinis & iustus iudex exaudiuit eum.* (Card. Caiet.)

Deus eorum quæ promittit aliquando præbet argumenta, vt maiori fide ei adhæreamus

162. *Sanauit Abimelech & vxorem & ancillas eius, & pepererunt,* existimat D. Ambr. eas sanasse Deum

ex

ex sterilitate quam contraxerant ex iniuria Saræ illata, sed cur Deus steriles, fœcundas reddit coram Abraham eiusque coniuge voluit? aduerte Deum Patriarchæ promisisse se ex Sara sterili sobolem habiturum: non sine mysterio igitur steriles, redduntur fœcundæ in conspectu tam Patriarchæ quàm coniugis eius, vt erga Deum præbentem argumenta eorum quæ promittit, maiori fide firmentur: Fauet D. Ambr. c. 7. lib. 1. de Abr. *vt partus Saræ Dei donatus promissione etiam hoc fulciretur testimonio, peperit vxor Abimelech & ancillæ eius, quas ante concluserat Deus; cum aduertas Dei offensione & fœcundas sterilescere & rursum Domini voluntate steriles fœcundari.*

Amb. l. 1. de Abrah. c. 7.

Plura aliquando in oratione conceduntur à Deo quàm ab eo postulentur.

163. *Sanauit Abimelech vxorem eius ancillasque eius* scilicet Deus, oratione Patriarchæ cõpulsus, sed quid Abraham à Deo in hac deprecatione postulabat? incolumitatem scilicet regis; dixerat enim Deus Abimelech, redde viro vxorem, quia Propheta est & orabit pro te, quomodo ergo non solum restituta est sanitas regi, sed etiam reginæ, imo & ancillis eius, cùm pro solo Abimelech ad Deum preces fuderit: quia plura aliquando in oratione à Deo conceduntur quàm ab eo postulentur: vnde optimè Pepin. *illius oratio non fuit vana apud Dominum, sed attulit duplicem fructum, primus fuit particularis respectu Abimelech, quem sanauit Dominus à graui ægritudine in quam lapsus fuerat, secundus fuit generalis respectu vxoris suæ & ancillarum domus suæ à quibus relaxata est pœna.*

Guil. Pepin.

Plures vxores olim à Deo permittebantur in diuini cultus augmentum.

164. *Sanauit Deus Abimelech & vxorem eius*, si rex coniugem possidebat, quomodo contrahere etiam cũ Sara intendebat? existimabat enim virum non habere, & ideo sibi licitè coniugio copulari cum ea credebat, nonne plures vxores sunt prohibitæ? nota prædictum regem fuisse fidelem: plures enim apud gentiles vnius Dei cultores fuere, ex quorum numero Abimelech censetur, plures ergo non est mirum vxores potuisse tunc habere, quia diuina dispensatione permittebantur, in diuini cultus augmentum.

Subditi propter principem aliquando puniuntur.

165. *Sanauit Deus Abimelech & vxorem eius, ancillasque*, quid deliquerant vxor regis, nec non ancillæ eius, vt à Deo corriperentur infirmitate? non enim raptui Saræ videntur consensisse, cùm mulieres aliã admittere nullo modo velint in cubilis sui partem: fortè pœna non leui vxorem eius & famulas corripuit, quia subditi propter principem aliquando puniuntur, & in eius punitione comprehenduntur: Sic D. Bernard. Ep. 127. *si quis de populo deuiat solus perit, verùm principis error multos inuoluit, & tantis obest quantis præest ipse.*

D. Bernard. Epist. 127.

Illustrissimus quis redditur beneficia accepta remunerans.

166. *Sanauit Deus Abimelech & vxorem eius*, orante pro eis scilicet Abrahamo, nonne inscius Abimelech fœminã rapuerat, quam vt sciuit vxorem esse viro reddidit? cur ergo in tanta facti emendatione, non statim sanitatem recuperauit, sed necesse fuit præterea vt pro eo vir iustus deprecaretur? peccatori satisfacienti solet Deus statim offerre medelam, cur modo expectauit Abrahami preces vt regi mederetur, nonne plura accepit à Rege beneficia? dedit enim ei Abimelech oues, boues, seruos & ancillas, dedit mille argenteos &c. quid mirum igitur si noluerit Deus sine Abrahami precibus regem sanare vt inde clarior & illustrior Abrahamus redderetur? qui accipiens beneficium à rege, illud remuneraret sanitate obtenta, ait enim Egesipp. l. 5. de excidio Hieroso. c. 6. hanc historiam memorans, *remeat sanior saluo pudore, reuertit Abraham sanctior qui coniugalis pudicitiæ remunerationem sanitatis studio compensauisset*: expende vnde sanctiorem, & illustriorem Abrahamum ostendit, nimirum vt qui beneficium acceptum sanitatis remedio obtento compensauisset.

Egesipp. l. 5. de excidio Hier. c. 6.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVIII.

VVLG. Concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.

Sept. Quia concludens concluserat Dominus de foris omnem vuluam in domo Abimelech propter Sarã vxorem Abrahæ.

Cald. Quoniam concludens concluserat Dominus omnem aperturam vuluæ, domus Abimelech.

Arias. Quia claudendo concluserat Dominus super omnem vuluam domus Abimelech, super verbum Sarah vxoris Abrahæ.

Caiet. Quia stringendo strinxit Iehoua per omnem vuluam domus Abimelech propter rem Saræ.

CONCORDIA.

Verbum עצר Asar stringere & claudere significat, si autem in Hebræo est concludens *concluserat*, Hebraïsmus est qui apud nos non est in vsu.

EXPOSITIO.

Concluserat enim Dominus &c. sterilitate enim ad tempus vxorem regis Abimelech & ancillas eius percusserat, vel videtur, vt iam diximus, quod Deus clausit os vuluæ earum inquantum fœtus iam partui proximus exire non posset, cùm enim in exitu necesse sit maiorem in modum os vuluæ dilatari, Deus naturalem facultatem ita dilatandi impeditam tenebat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Fœminis matrimonio iunctis damni pœna est non concipere.

168. *Concluserat Dominus omnem vuluam domus Abimelech*, ait Abulensis, quod hoc non debet intelligi de conceptu, sed de partu, ita quod impeditæ tenebantur, ne parerent, non autem ne conciperent, sed cur hoc non debet intelligi de conceptu? nonne maximo dolore angitur mulier non concipiés, cùm nihil iucundius sit in coniugio quàm prolem suscipere: satisfacit cit. Abul. *non concipere non erat aliquid sensibiliter, licet esset pœna damni, scilicet carentia prolis.*

Abul.

Mutua charitate nos vult exerceri Deus.

169. *Concluserat Dominus omnem vuluam domus Abimelech*, si non solùm vxor regis, sed etiam ancillæ innoxiæ erant à raptu Saræ, cur ita graui dolore affliciuntur, vt fœtum emittere non possint? respondet textus propter Saram, sed nonne addere etiam possumus, vt pro eis orans Abraham & exauditus illustrior redderetur? verū nonne Deus sine precibus has mulieres innocentes liberasset? videtur affirmatiuè respondere Lippom. cur igitur voluit Deus pro earum salute Patriarcham deprecari? satisfacit cit. auctor dicens *vult nos Deus exerceri affectibus mutuæ charitatis.*

Lippom.

Qui Deo non vnitur propter amorem, sed ex causa temporali, ancilla propriè nuncupatur.

170. *Concluserat Dominus omnem vuluam*, scilicet tam reginæ quàm ancillarum, mysticè loquor, domus Abimelech id est gentium Ecclesia est, sed quænam anima honorem vxoris obtinet; quæ autem sorùm nomen ancillæ? cum apud Deum non sit distinctio nec Græci, nec Iudæi, ad rem respondet Ruper. l. 6. in Genes. c. 16. *in Ecclesia alia est vxor, scilicet quæcunque anima vnitur Deo*, nempe per amorem, *alia ancilla quæ pro timore vel pro causa temporali inseruit fidei vel doctrinæ verbo.*

Ruper. l. 6. in Gen c. 16

Sancti, sibi deuotis famulis à Deo plura impetrant.

171. *Concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech*, quam tamen Deus precibus Abrahæ ab hac calamitate liberauit, si igitur adiuuamur in nostris necessitatibus à sanctis in terra adhuc nobiscum degentibus, quis negare poterit eorum suffragiis cùm in cœlis facie ad faciem Deum intuentur, nos miseros adiuuari? negat tamen Caluin. in Harm. Euangel. ad c. 15 Math. dicens, anam esse rationem mortuorum ac viuorum, sed prorsus est impia Caluini responsio, impium enim & ethnicum est sanctos in cœlo cum Christo regnantes mortuos vocare & phrasis propria infidelium, sic Iulian. Apostat. martyres Christi homines mortuos vocauit: & tota gentilitas Christianos, qui martyres defunctos colerent, hoc nomine subsannauit, quod mortuos colerent, sed totam hanc Caluinianā impietatem præueniens vno verbo refutauit D. Cyrili. *Deus qui Abraham, Isaac & Iacob vocatur, non est Deus mortuorum, sed viuentium; sic Deus sanctorum in cœlo regnantium non est Deus mortuorū sed viuentium, vnde non sunt mortui vocandi sed viuentes, ideoque ad patrocinia non minus idonei quàm cùm in terris viuerent, imo magis idonei.*

D. Cyrill. Alex. l. 6. cont. Iulian

Math. 22.

Voluntas praua etiā sine effectu pudoris pœnas luit.

172. *Concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech*, qua de causa tanta in domum Abimelech punitio, vt & ea in suas vxores & ancillas extenderetur? tum cur reddita vxore Abrahæ, maxima armentorum & pecuniarum dona ei contulit? si offendisset rex maritum, non mirarer quod ita cum vxoribus & domesticis puniretur, nec quod donis offensam resarcire vellet, sed quando nulla fuit offensa, cùm intacta ab eo fuerit Sara, cur tanta pœna? cur tot dona? licet in re non fuerit mariti offensa, dicentis sororem suam esse, tamen fuit in rege voluntas, quæ data sufficiē pecunia debuit subesse castigationi: ita sentit Egesip. l. 5. de excid. Hierosl. c. 16. *cupiebat Abimelech alienam, & damnato in crimine honorabat castimoniam, quam spoliare desiderauerat; additur argentum & aurum ad Saræ pudorem, vt condemnaret voluntatem facinoris expertem.* Sola inueniebatur voluntas sine effectu in rege, quæ tamen non debuit manere à pœna libera.

Egesip. l. 5. c. 16.

SYNOPSIS CAPITIS VIGESIMI PRIMI.

ABRAHAMO IAM CENTENARIO EX Sara nonagenaria promissus filius nascitur, in eius ablactatione maximum celebratur conuiuium, Agar simul cum Ismaële filio ejicitur, inter Abimelech regem Palestinæ & Abraham ictum fœdus iureiurando confirmatur.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS I.

VVLG. Visitauit autem Dominus Saram, sicut promiserat & impleuit quæ locutus est.

Sep. Et visitauit Dominus Saram sicut dixerat, & fecit Dominus Saræ sicut locutus est.

Cald. Recordatusque est Dominus Saræ.

CONCORDIA.

CVm aliquod beneficium alicui promisimus & tempore opportuno ei largimur, dicimur illius recordari, ideo Paraphrastes Cald. vbi legimus, visitauit Dominus Saram sicut ei promiserat, habet, recordatus est Dominus Saræ, sicut ei promiserat.

EXPOSITIO.

VIsitauit Dominus Saram, forte Angelus qui promiserat dicens, reuertar ad te vita comite, hoc eodem tempore, & habebit Sara filium, ad eam causa visitationis venit, sed quia in Hebræo non est nomen Elohim commune etiam Angelis, sed Iehoua; soli Deo proprium, hinc est quod non de Angelo ita propriè, sed de Deo hæc visitatio intelligenda est: visitauit autem dando ei conceptum & prolem promissam per Angelum, *& impleuit quæ loquutus est ei*, expositio est præcedentium verborum; scilicet visitauit sicut promiserat verbo, siquidem per Angelum pollicitus fuerat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

A Deo etiam temporalia beneficia proficiscuntur curamque inferiorum habet.

VIsitauit Dominus Saram, scilicet dando ei prolem, sed cùm in Hebræo habeamus visitauit Iehoua, non Elohim, inquirere possumus, cur potius Elohim non scripserit Moyses quàm Iehoua? cùm pars iustitiæ sit stare promissis, nomen autem Elohim iudices significet: aduerte plures Deum existimasse non curare inferiora: rectè igitur scriptum est quod visitauit Iehoua Saram, vt intelligeremus beneficia temporalia, etiam ab ipso Deo proficisci, curamque inferiorum habere: Sic Caiet. *vtrumque opus visitationis internæ donando ei vim generatiuam, & facti externi, donando ei filium, attribuitur fonti essendi, vt à supremo principio manifestetur proficisci etiam hæc infima beneficia specialissima, non qualitercunque, sed tanquam à proficiscente curamque habente horum singularium.*

Card. Caiet.

Deus in promissis suis fidelissimus.

2. *Visitauit Dominus Saram sicut promiserat ei & impleuit quæ loquutus est,* hoc secundū cū sit solum expositio prioris cui apponitur? sufficienter enim dictū erat, vt sciremus Deum stare promissis suis, quod visitatione sua dignatus est Saram, sicut promiserat, rectè vtrumque scripsit Moyses, & secundum ad maiorem prioris confirmationem, vt sciremus Deum non solū fidelem in promissis, sed fidelissimum; hinc Hugo. Card. ait *tempore completo soluit Deus promissum, fidelis est enim Deus in omnibus verbis suis, verax in promissis.*

Hug. Card.

Dei visitatio gratiæ benedictio est.

3. *Visitauit Dominus Saram,* in quo visitauit? Deus enim cum sit vbique, quomodo aliquem de nouo sua visitatione dignari potest nouum aliquem gratiæ effectum producendo, nam vt optimè Rupert. lib. 6. in Genes. *visitatio Dei larga gratiæ benedictio est*, aduerte cùm loquimur de visitatione, sermo est de ea in bonam partem, nam aliquando etiam in malam sumitur vt cū Deus ait, ego in die vltionis visitabo hoc peccatum eorum.

Rupert. l. 6. in Genes.

Angelus vt nos adiuuet accedit.

4. *Visitauit Dominus Saram,* quis ille Dominus? ait Abulens. id est Angelus ille (vocatur autem hic Dominus, Angelus Dei, qui venerat ad nuntiandum conceptum Saræ, & cùm tres venissent, ille tanquam principalis vocabatur inter eos Dominus:) sed ad quid potuit tunc Angelus Saram visitare? non superflue ad eam accessit, sed vt in partu eam consolaretur & adiuuaret; ita cit. auctor. *patet quod quando Angelus venit ad visitandum eam scilicet quod stetit ibi cum ea, forte vt fortius in partu confortaretur.*

Abulens. Episcopus.

Perseuerantes in sanctitate vitæ à Deo visitantur.

5. *Visitauit Dominus Saram*, cur ante hanc ætatem scilicet annorum nonaginta, non dignatus eam visitare, ita vt beneficio singulari conciperet & pareret, aduerte Saram quamuis sterilitatem suam agnouit, à vitæ suæ instituto non cessasse, sed in virtute permansisse, quid mirum igitur à Deo visitari, quia perseuerantes in vitæ sanctitate beneficio suæ visitationis Deus honorat.

Veritas est Dei propria & naturalis.

6. *Visitauit Dominus Saram & impleuit quæ loquutus est,* & dirigitur hæc repetitio vt demonstretur veracitas Dei, de quo loquens D. Paulus ad Rom. 3. ait, *est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*, cur solum Deum veracem nominat? nonne plures in verbis suis veracissimi fuere, & in promissis suis fideles? cur ergo omnem hominem mendacem nominat? rectè solus Deus verax dicitur, omnis autem homo mēdax; quia veritas solius Dei propria est & naturalis, hominis autem ex Dei gratia, si enim aliquem veracem videris, non naturæ, sed gratiæ donum existima: vnde optimè D. Hieronym. in Psal. 115. ait, *quandiu homines sumus mentimur, quando autem fuerimus dii desinimus mentiri* & D. Anselmus in Ep. citata Pauli, *omnis homo mendax id est humana natura sic ex primitiuo casu est corrupta veneno serpentis infecta vt sine mendacio peccatorum non existat: in hoc sæculo, non enim solū modo verbis, sed & factis mendax est omnis homo, inquantum homo mendax est, sed nonnulli qui per gratiam Dei supra homines fiunt etiam veraces, per eandem gratiam efficiuntur.*

D. Paul. Rom. 3. ad

D. Hier. in Psal. 115.

D. Anselm.

Visitatio Saræ figura visitationis deiparæ sanctæ Mariæ.

7. *Visitauit Dominus Saram sicut promiserat & impleuit quæ locutus est,* cùm hæc visitatio figura sit alterius, cuinam mulieri diuinam visitationem tribuemus? videamus quid dicat Zacharias Luc. 1. *Benedictus Dominus, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ, sicut locutus est per os sanctorum qui à sæculo sunt Prophetarum eius*: sed, ô Zacharia, quamnam visitauit Dominus? Mariam sanctissimam sanè, cur ergo non dicemus visitationem Saræ, figuram visitationis diuinæ, factæ Angelorum hominumque reginæ: sic Ruper. lib. 6. in Genes. cap 17. *Visitauit Deus Sarā generosam illam principem quæ desursum est, quæ verè libera & omnium nostrum mater est, quando verus Isaac verum gaudium nostrum, scilicet Christus filius Dei de illa secundum carnem natus est, tunc siquam visitauit illam sicut promiserat Deus & impleuit quæ loquutus est.*

Luc. 1.

Ruper. l. 6. in Genes. c. 17.

Bona coniux sic virum diligere debet vt ei cedat omnia.

8. *Visitauit Dominus Saram,* supra omnes leges naturæ concedens ei filium, quod vix credens in hæc verba prorupit, quis auditurus crederet Abrahā, quod Sara lactaret filium quem peperit ei iam seni? quid ais Sara? quomodo si fateris te cum peperisse, non ais quē sibi peperit, non autem ei? vel saltem deberes dicere, quem sibi & ei peperit, vtriusque est enim filius, nō solius Abrahæ: sed nonne optima coniux Sara? quid mirum igitur si dixerit, *quem ei iam seni peperit*, non sibi? quasi ipsa nihil haberet in filio, ecce totum cedit Abrahamo filium, & à fortiori omnia alia cedet.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS II.

VLG. Concepit peperitque filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus.

Sept. Et cùm concepisset, peperit ipsi Abraham filium in senectutibus suis.

Caiet. Et concepit & peperit Sara Abrahæ filium in senectutibus suis.

Arias. Ad tempus præfixum quod locutus fuerat ei Deus.

Lippom. Concepit & peperit filium senectutis eius.

CONCORDIA.

CONCORDIA.

QVAMVIS Septuaginta ambiguum relinquant, ad quem senectutem istam referant, tamen noster vulgatus significat hoc intelligendum de senectute Saræ, Lipp. de senectute Abrahæ, sed litem dirimit Caiet. legens in senectutibus suis, nam vterque senilis ætatis erat, cùm prolem suscepit Sara ex Abraham.

EXPOSITIO.

Concepit peperitque filium, licet concipere & parere ponantur simul, diuersis tamen temporibus facta fuerunt, spatium enim nouem mensium intercessit inter conceptum & partum illius, *in senectute sua*, scilicet cùm esset nonaginta annorum tempore quo prædixerat ei Deus, anno scilicet reuoluto.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Adimplere promissum ad iustitiam pertinet.

9. *Concepit peperitque filium*, tempore quo prædixerat ei Deus, vel vt habet Arias, ad tempus præfixum, quod locutus fuerat ei Deus, id est quod promiserat ei, dubium cur in Hebræo non est Iehoua sed Elohim? quia cum huiusmodi nomen iudices, significet, hinc est quod dicitur promissis suis stetisse Deum, *nam* (inquit Caietanus) *adimplere promissum tempore promisso species est iustitiæ.*

Card. Caie.

Quæ natura denegat, concedit gratia.

10 *Concepit peperitque filium in senectute sua*, cur additum est in senectute sua? nõne sufficiebat ad vtriusque lætitiam exprimendam dixisse Saram peperisse filium Abrahæ. rectè addidit Moyses in senectute sua peperisse, vt indicaret sobolem quam natura denegauit, gratiam concessisse: sic Chrys. *quæ natura denegabat, à videbant euenisse non iuxta humanũ morem & solitum, sed per diuinam gratiam.*

Fides sobolem obtinet.

11. *Concepit peperitque filium*, in Hebræo est concepit & peperit Sara filium Abrahæ, nonne Abraham centenarius, Sara nonagenaria? nonne ætas in sene Abraham, sterilitas & ætas in vetula Sara, vtrumque retinere debuit, vt omninò à prole suscipienda desperarent? quomodo ergo in senectute vel vt legit. Caietanus in senectutibus suis, prolem rediuiuo quasi succedente flore iuuentutis susceperunt? quia tanta fuit vtriusque fides operibus bonis coniuncta, vt sobolem mereretur accipere. Sic D. Zeno ser. de Abrah. *quia in vtroque ætas ademerat spem sobolis pignus succidaneum meruerunt, sic meruit fides quod ademerat tempus, extorsit, crudelitas, quod natura denegauerat.*

D. Zeno serm. de Abrah.

Nihil bono parenti dulcius quàm spectata virtus in filio.

12 *Concepit & peperit Sara filium Abrahæ*, de quo filio loquens Philo Iud. ait, nascitur illi sapienti ex vxore filius legitimus, dilectus, vnicus, elegantissimo corpore, animo optimo iam enim maturioris ætatis dabat specimen, vt à parente diligeretur: sed cùm dixerit Philo hunc filium elegantissimi fuisse corporis, nec non animi optimi, & à patre vehementissime diligi, an quærio propter corporis elegantiam vel animi bonitatem, cum amore prosequebatur? quis dubitat cùm esset parens optimus propter bonitatem & virtutem filium amauisse? sic auctor cit. *à parente non tam ob naturalem affectum, quàm ob probatos mores vehementer diligebatur*, Nihil enim bono parenti & dulcius in filio videri solet, quàm illius spectata virtus.

Philo Heb. de Abr.

Diuina promissio validior est quàm natura.

13 *Concepit & peperit filium tempore quo prædixerat ei Deus*, nonne à multis annis iuncta matrimonio fuerat Abrahæ Sara, quomodo ergo filium ab eo non suscepit nisi in senectute: nota Deum per Angelum suum solum in illa ætate talem prolem pollicitũ fuisse: quid mirum igitur non ante senectutem sed in illa Saram filium dedisse Abrahæ, quia diuina promissio efficacior & fortior quàm ipsa met natura fauet D. Aug. serm. 68. de temp, *defecerant Saræ venire muliebria, quia iam ipsa defecerant membra, totum corpus sulcatur in rugas fit peracta frons & exhausto senectute sanguine in venis tristis senectus delassatur sed diuino indicto ætatis feruor accenditur, meliorem facit diuina promissio matrem quam non fecerat generare.*

D. Aug. ser. 68 de tem.

Fides nostra à Deo firmatur.

14. *Concepit & peperit tempore quo prædixerat ei Deus*, sed cur toties promissionum Dei impletio refertur à Moyse? præcedẽti enim versu hoc bis repetierat dicẽs visitauit dominus Saram sicut promiserat, & impleuit quæ loquutus est, ad quid igitur tertio id repetit? aduerte difficile creditu esse mulierem nonagenariã parere posse: pluries igitur repetit adimpletionẽ promissorum Dei circa partum Saræ, ne fides nostra vacillaret sed stabiliretur, sic Lipp. *exaggerationes asseuerationũ sunt, quibus incredibilis rei gestæ fides firmatur, ne quis addubitet centenario, de nonagenaria filium gigni figmentum esse.*

Lippom.

Nobilius adimplet sua promissa Deus quã speramus.

15. *Concepit & peperit filiũ in senectute*, vbi nam concepit? in terra Abimelech: nonne in illa irreuerenter & inciuiliter susceptus fuit Abrahã, cùm ab eo sublata sit Sara? quomodo igitur in eodẽ regno voluit Deus vt prolẽ desideratã susciperet? aduerte Deũ dixisse Abrahæ, Abrahã Sara vxor tua pariet tibi filiũ, non autem pollicitus est quo in loco: quid mirũ igitur si inter extraneos, inter quos iniuria affectus fuerat, eũ tanto beneficio dignatur, vt patrẽ eũ prolis extinctæ cõstituat, quia Deus nobilius adimplet sua promissa quã speram⁹: nõ enim Abrahã se inter extraneos in tantũ honorandũ cogitare potuit, maxime inter eos qui in exilio tam inciuiliter eum susceperant, vt vxorem ei auferrent.

Nunquam propior est Deus iustis quàm cùm absens esse videtur.

16 *Concepit & peperit filiũ*, Caiet peperit Sara Abrahæ filium, fidei pretiũ, domus splẽdorẽ, generis decus,

ſpē poſteritatis in quo maxime magnificatus eſt Abraham, in ipſa enim cõſtitutus eſt pater multarũ gẽtium & Chriſti Domini ſecũdum naturam humanam progenitor, ſic Deus ei promiſerat dicens, magnificabo te; tamen nec quo tempore hoc adimplendum foret prædixit, imò dehinc plures paſſus eſt calamitates, ita vt etiam quod intolerabilius eſt, ei vxor raperetur à rege potentiſſimo, quis non aſſereret Deum reliquiſſe Abraham, ſed falleretur? Deus enim nunquam eſt propior nobis, quàm cùm abſens eſſe videtur, Abraham peregrinatur, nunc hoc nunc illud patitur, vt credi poſſet Deum cum ipſo nihil habere commune & tamen Deus verè ipſi aderat, vbique enim ipſum eripit, conſolatur, magnificat, vnde optime D. Chryſ. *vide obſecro poſtquam iuſtum liberauit à moleſtiis, quomodo iterum ſumma bonorum iuſto traditur?*

D. Chryſ.

Virgo ſanctiſſima quamuis iuuenilis ætatis, tamen ex ſapientia inter mulieres prouectæ ætatis ſapientiſſima cenſeri poteſt.

17 *Concepit & peperit filium in ſenectute*, per hanc Saram quæ peperit & concepit poſtquam viſitauit eam Dominus, Virgo ſanctiſſima intelligi poteſt, quæ concepit & peperit verum Iſaac, nempe Chriſtum Dominum; ſed cùm Sara pepererit in ſenectute, quomodo hoc Virgini ſanctiſſimæ tribui poterit, quæ cùm eſſet quatuordecim annorum Chriſtum Dominum cõceperit? optime ſatisfacit Hugo Card. *bene illa in ſenectute peperit, de qua dicitur Sap. 4. Senectus venerabilis eſt vita immaculata*, quaſi diceret ætas ſenectutis non ſunt anni longæui, ſed vita immaculata & ita iuuenis immaculatus & purus honeſtè & purè viuens ſenectutis honore dignus eſt, vnde optime D. Anton. Abb. Meliſſæ ſer. 17. *non ætatum differentiam nouit vniuerſitatis Deus, ſed pietatem ſolam & rerum diuinarum ſtudium à nobis requirit*, quod ſi hæc in iuuene repererit, multis hunc anteponit ſenibus: conformiter ad hæc aſſerere valemus dici poſſe Virginem in ſenectute Chriſtum Dominum concepiſſe, quis enim Deipara ſanctius & immaculatius vitam tranſegit?

Hugo Card. Sap. 4.

D. Ant. Abb. Meliſſæ ſer. 17.

Oratio quæ fit pro aliis, etiam ſibi prodeſt.

18 *Concepit & peperit*, cur poſtquam in fine præcedentis capitis dixit Moyſes, quod vxor Abimelech & ancillæ eius pepererunt, addit in principio iſtius concepit & peperit Sara? reuoca in memoriam Abraham deprecatum fuiſſe non ſolùm pro Abimelech ſed etiam pro vxore illius & ancillis, vt impedimentum partus illarum remoueretur: non mirum igitur ex oratione ſua conſequutum fuiſſe vt Sara conciperet & pareret, oratio enim quæ pro aliis fit, etiam maximè nobis prodeſt.

In Chriſti Domini aduenientis myſterio leges naturæ minime ſpectandæ.

19 *Concepit & peperit filium in ſenectute ſua*, & quidem Agar in iuuenili flore ex Abrahamo conceperat filium, cur Sara relinquitur ſeneſcere & omnino ſteriliſcere, & tunc illi datur vt concipiat filium? in conceptione & natiuitate Iſaaci adumbrabatur myſterium venturi Chriſti, & ideo debuit ad illam conceptionem quidquid natura erat, finiri, ait enim hîc D. Eucherius, *ſignificatum eſt magnum ſacramentum in duobus filiis Abrahæ, quod vnus de ancilla ſecundùm carnem natus eſt. Iſmael, alter eſt autem de Sara libera, ſecundum promiſſionem natus, & vterque quidem de ſemine Abrahæ, ſed illum genuit demonſtrans conſuetudo naturæ, illum vero dedit promiſſio ſignificans gratiam, ibi humanus vſus oſtenditur, hic diuinum beneficium commendatur, ſed vbi ſignificandum fuerat Dei donum quod ingratis hominibus gratis gratia largiretur, ſic oportuit filium dari quemadmodum naturæ non debebatur.*

D. Euch. Lugdun.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS III.

VVLG. Vocauitque Abraham nomen filij ſui quem genuit ei Sara, Iſaac.

Sept. Et vocauit Abraham nomen filij ſui qui factus erat ei, quem pepererat ei Sara, Iſaac.

Cald. Qui natus eſt ei.

Pag. & Arias Qui natus eſt ſibi.

CONCORDIA.

VITAVIT hîc more ſolito repetitiones Hebraicas interpres breuitati conſulens, deſunt enim duæ dictiones quæ ſunt in Hebræo, nempe qui natus eſt ſibi, vel ei.

EXPOSITIO.

VOCAVIT *Abraham nomen* &c. quod quidem ab Angelo priùs fuerat annuntiatum, *quem genuit ei Sara* ad differentiam Iſmaelis, qui licet fuerit filius Abrahæ, tamen ex Agar ancilla minus principali coniuge natus ſibi fuerat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vis miraculorum Dei ſemper eluceſcit.

29 *Vocauit nomen filii quem genuit ei Sara*, ſi de ea dictum fuerat concepiſſe & peperiſſe ei filium, cur ſuperfluè repetitur, quod illa eadem Sara genuerat? non ſuperfluè ſed emphaticè hoc dicitur, vt vim tãti miraculi, nempe quod Sara nonagenaria pepererat filium, agnoſceremus: quod annotat Chryſoſt. *non abſque cauſa aſſignauit quem peperit ipſi Sara, non dixit ſimpliciter vocauit nomen filii ſui, ſed adiecit quem peperit ipſa Sara, infœcunda illa & vetula.*

S. Chryſoſt.

Nomen

Nomen rei conuenit.

21 *Vocauitque nomen filij sui Isaac*, quid designat hoc nomen? risum, sed cùm omnes qui primo in lucem eduntur pueri, lachrymas emittunt, tanquam testimonium ferentes sui doloris, nempe quod vitam miserrimam calamitatibusque refertam transigere debeant, quomodo nomen risum denotans imponit filio non autem fletum significans? nota tunc patrem tunc matrem illius risisse, cùm futurus eis annunciatur: merito igitur hoc nomen imponitur tanquam rei conueniens, *riserat* (inquit August. de Dei ciuit. cap. 31.) *pater, quando ei promissus est, admirans in gaudio, risérat & mater, quando per illos tres viros iterum promissus est, ex hoc ergo puer nomen accepit.*

Aug. de Dei ciuit. c. 31.

Dona etsi sera, gratanter & cum gaudio excipienda.

22. *Vocauit nomen filij sui Isaac*, Id est gaudium vel risum, nescio cùm post tot promissiones, quæ de die in diem differebantur, de dono tam eximio, nempe de filij natiuitate gaudere potuistis, sicut enim qui cito dat bis dat, si è contra qui donum differt promissum nihil largiri videtur, nihilominus summo cum gaudio filium excipiunt, ita vt nomen ei risus imponant, quia dona Dei, etsi sera, maxima cum animi lætitia & gratitudine excipienda sunt: ecce inquit in hanc sententiam S. Zeno ser. 1. de Abrah. *ecce prima deuotio, libenter excipere quod sero datur & in tristissima senectute susceptæ solicitudinis mole gaudere: nam & risit Sara munus inuentutis subiens in senecta.*

Zeno ser. 1. de Abrah.

Donum Dei gaudio plenum.

23 *Vocauit nomen filij sui Isaac*, quem à risu, gaudio & lætitia ita nuncupauit, certe si præuideres Dei præceptú de illius immolatione à teipso exequenda, forte nomen lachrymas denotans imponeres, quid enim magis dignum fletu patri contingere potest, quàm vt filij sui interfector eligatur? alio igitur appella nomine, imo non alio; donum enim Dei (quale fuit natiuitas Isaac) lætitia plenum est: ita visum est Philo. lib. 2. leg. alleg. sic enim ait, *nullum est bonum non coniunctum cum lætitia, merito Isaac priusquam nasceretur nomine donoque magno nominatus est, per hunc enim significatur animæ risus, & gaudium & lætitia.*

Philo li. 2. alleg.

Filius futurus pius, gaudium parentibus annunciat.

24 *Vocauit nomen filij sui Isaac*, gaudes Abraham tuarum opum ac tuæ familiæ hæredem habere, sed cùm verum sit quod ait D. Hildeb. epist. 61. his verbis, ô insani parentes, qui filius officiosi sibi officiunt, afficiuntur inedia, torpent algoribus, & quod hæres scortator aut ventricola dilapidet, spontaneo cruciatu acquirunt, plenus quidem orbis est huiusmodi parentibus, qui cum filios suscipiunt, potius flere quàm ridere deberent, cur igitur lætaris? cur nimio exultas gaudio in tui Isaac natiuitate? non quia solum tuarum possessionum hæredem relicturus es, sed quia eum futurum pium & iustum agnouit.

D. Hildeb. epist. 61.

Labores pro Deo suscepti in lætitiam desinunt.

25 *Vocauit nomen filij sui Isaac*, seni Abrahamo post innumeras afflictiones, quibus tot per annos vir exul & peregrinus à Deo fuit exercitatus, natus est filius, quem Isaac, nempe gaudium, & lætitiam nuncupabat, impulsu diuino: cur hoc potius quàm alio nomine vocas? vt discamus labores pro Deo susceptos in hunc exitum scilicet gaudij & lætitiæ desinere, quod obsignat Christus Dominus cùm loquens discipulis suis ait Ioan. 16. *tristitia vestra vertetur in gaudium*, in quæ verba ait Beda in homilia in Dominic. *Sed cunctis fidelibus conuenit hic sermo Domini, qui per lachrymas, pressurasque præsentes ad gaudia æterna contendunt.*

Ioan. 16. Venet. Bed.

Tristitia huius vitæ gaudiis aliquando permixta.

26 *Vocauit nomen filij sui Isaac*, id est gaudium, sed ô Abraham cùm hominum vita innumeris calamitatibus sit obnoxia, ita vt vallis miseriæ nuncupetur, quomodo in hanc descendens filius, risum lætitiam parere potest? quis enim medius in calamitatibus gaudere debeat: ideo lætatur ac ridet, quia tristitia vitæ præsentis aliquando gaudiis permixta est. Sic Philo. lib. de Abrah. *non permisit Deus humanum genus exagitari tristitiis, doloribus, & molestiis insanabilibus, sed admiscuit etiam de meliori natura nonnihil, æquum censens serenam interdum ac tranquillam esse animam.*

Phil lib. de Abrah.

Fœlicius seni nascitur filius quàm adolescenti.

28 *Vocauit nomen filij sui Isaac quem genuit ei*, nēpe iam centenario Sara, si Deus hanc ei gratiam cōferre statuerat, vt pater Isaac diceretur, cur cū iā decrepitæ ætatis, non autē cùm esset iuuenis concessit? quia fœlicius est seni quod nascatur ei filius quàm adolescenti, *nihil enim* (inquit Zeno vero serm. 1. de Abr.) *solicitum patri cuius ætas in annis vergentibus in occasus sui terminum versabatur, & educationis tempus angustum & senectuti exitus iam vicinus*; præcidit quippe senectus morti proxima longum & molestum paternæ institutionis & educationis tempus.

Zeno ser. 1. de Abrah.

Iusti siue in prosperis siue aduersis lætantur.

28 *Vocauit Abraham nomen filii sui quem genuit ei Sara Isaac* & infra, dixitque Sara, risum mihi fecit Deus: en tibi interpretationē nominis Isaac, idest risus. Philo. lib. de plantatione Noe pulchre notauit Isaacum non vocatum risibilem, sed risum, id est non potentem ridere, sed ridentem, omnes risibiles sunt homines, sed non omnes rident: sed si ad mores hoc transferamus, quid significat? nisi impios quidem esse risibiles, sed non ridentes, pios verò viros semper ridere. Scilicet impij semper sunt risibiles, non tamen semper rident, quandoque rident, quando prospera eis accidunt: quandoque vero flent, quando aduersa patiuntur: at verò pij viri semper rident, quia siue in prosperis siue in aduersis lætitia perfunduntur, audi Philonem, *Non ridet quod ille à nomine alio quam à seipso præceptore sententiam in qua edoctus se exercet, non risibilem sed ipsum risum esse didicit.*

Philo.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IIII.

VVLG. Et circumcidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus.

Cald. Et circumcidit Abraham filium suum filium octo dierum, sicut præcepit ei Deus, sic & in Hebræo legitur.

EXPOSITIO.

C*Ircumcidit eum octauo die*; præceperat enim Deus vt dictum est superiùs quod hoc die infans circumcideretur tam vernaculus, quàm emptitius & liber.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ab omni libidinis superfluitate liberi esse debemus.

29 *Circumcidit eum*, cur Deus populum suum circuncisionem admittere voluit? dices vt ab aliis nationibus hoc signo distingueretur, sed cum alio potuit signo differe quid nobis denotabitur, hoc potius præcepisse? mystice Lippom. *Voluit Deus filios gratiæ vacare omni immunditia superflua libidinis*, quod quidem annuitur ex præcisione præputij.

Lippom.

Peccator indignus nomine.

30 *Circumcidit eum octauo die*, quamuis versu antecedenti dictum sit, quod vocauerit filium suum Isaac, tamen hoc intelligendum mihi videtur facta circumcisione, nam sicut apud nos nisi post baptismum, ita nec apud Iudæos, nisi in circumcisione nomen imponebatur: difficultas est, cur eodem die, quo pueri nascuntur nomen non aliquod sortiuntur, sed solùm in Sacramento? nota ante Sacramentum acceptum verè peccatores dici propter maculam originalem contractam: merito igitur tunc nullo insigniũtur nomine, eo enim sunt indigni peccato inquinati, vnde optime Glossa exponens illud Psal. 9. *nomen eorum delesti* (ait) *impiorum, quasi diceret, impii enim & peccatores illud non merentur.*

Glossa. Psal. 9.

Pater maxime curare debet vt filij à peccatis purgentur.

31. *Circumcidit eum octauo die*, cur vsque ad aliam ætatem robustiorem non distulit Abraham hanc circumcisionem filij, vt quo pluribus valeret viribus, eo maiori animo dolorem illius toleraret? dices, quia cum esset obedientissimus Deo, ita iubenti paruit; sed vt cõceptum exprimamus, reuoca in memoriam quod dictum est cap. 17. nempe deleri peccatum originale per circuncisionem: merito igitur non illud distulit Sacramentum Abraham, quin præfinito tempore filius illud susciperet, quia pater maxime curare debet vt filij à peccatis purgẽtur, *Deus enim* (inquit Exbertus Abb. ser. 7. aduersus Catharos, *propter conseruationem animarum eorum iussit ipsos circumcidi.*

Exbert. Abb. ser. 7. aduersus Catharos.

Deus nostram maxime curat animæ salutem.

32 *Circumcidit eum octauo die*, nonne conuenientius fuisset vt expectato discretionis tempore, illud ipsemet filius Abrahæ circumcisionis Sacramentum postularet, sic enim maiori cum deuotione & rei sacræ cognitione, illud admitteret: aduerte horã mortis incertam: merito igitur Deus præcepit vt huiusmodi remedium non differretur in ætatem iam adultam, vt quantum salutis animarum prouidus ac sollicitus esset, animaduerteremus: quod cit. Abb. eodem ser. confirmat, *animaduerte quod non dixit expectandum esse vsque dum peruenisset homo ad annos discretionis, & tunc esse circumcidendum, cùm per seipsum postulare posset circumcisionem, sed die octauo iussit circumcidi infantem, quia sciebat fragilitatem corporis humani & quod leui infortunio contingere potest vt extinguatur homo antequam ad annos maturitatis perueniat, quia ergo ita festinari voluit circumcisionem ideo fecit vt saluæ fierent animæ, & non inciderent in damnationem æternam per maculam originalis peccati.*

Cit. Abb.

Pueruli instituantur non tam iuxta humana, quàm diuina præcepta.

33 *Circumcidit eum octauo die sicut præceperat ei Deus*, cùm Abrahã semper fuerit Deo obedientissimus, ita vt nullus de eius obedientia erga Deum dubitare possit, cur addidit Moyses sicut præceperat ei Deus filiũ circumcidisse? in nobis notum est diuinam hanc fuisse legem: sed cur diuina lex pueriles artus sic præoccupare festinat? cur octiduanũ puerũ diuini præcepti exercitatio suscipit? vt doceantur cœlestium promissionũ hæredes, nõ prius debere aliis quàm diuinis institutionibus imbui. quæstio fuit celebris apud D. Basil. an qui tyrocinium in virtutũ schola agebant, deberent sacrã scripturam legere & ediscere, cui respondet in regulis breuioribus reg. 95. *quæ ad vsum pertinentia sunt ea vnusquisque ex diuinis litteris ediscat, & rectum & necessarium est, cùm ad maiorem animi expletionem, tum etiã vt ne humanis constitutionibus assuefiat*, sapientissimè cauet ne tyrones constitutionibus humanis assuescant, sed diuinis instituantur præscriptis.

S. Basil. in regul. breuior.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS V.

VVLG. Cùm centum esset annorum, hac quippe ætate patris natus est Isaac.

Sep. Et Abraham centum erat annorum, cùm factus est ei Isaac filius eius.

Cald. Abraham filius erat centum annorum, &c. sic & in Hebræo legitur.

CONCORDIA.

Satis confusa lectio nostra in his verbis, *hac quippe ætate*, sed hanc obscuritatem dissipat paraphrasis Caldaica, & lectio Hebraica.

EXPOSITIO.

Cum centum esset annorum, hæc verba non sunt referenda ad immediate præcedentia, id est quando circumcisionem Deus indixit, sed ad natiuitatem Isaac, centenarius enim erat, non cùm accepit præceptum circumcisionis sed cùm natus est ei Isaac.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Dei promissa si tibi difficilia videantur, non tamen impoßibilia.

34 *Cùm centum esset annorum natus est Isaac*, nonne tempus quo natus est Abrahæ filius, compertum habuimus, ex promissione Angeli ei facta, cùm ait *reuertens veniam ad te tempore isto vita comite & habebit Sara vxor tua filium*? centesimum enim ætatis annum attigerat, superflua igitur repetitio illorum centum annorum: imo mysterio non carens, sed vt Dei promissa quæ nobis impossibilia videntur, possibilia censeantur, cùm homo centenarius, qui secundùm ordinariam naturæ legem generationi vacare nullo modo posset, ex muliere tamen natura & ætate sterili filium suscipit. Sic Chrysost. *vt discamus ineffabilem potētiam Dei, quod quæ apud homines impoßibilia sunt, apud eum sint poßibilia; idcirco nobis tempus assignant iterum diuinæ scripturæ.*

S. Chrysost.

Quantumcunque Deus differat beneficium, tandem illud largitur.

35 *Cùm centum esset annorum natus est ei Isaac*, Nescio qua de causa toties idem nobis in sacro textu inculcatur? nonne tempus illius nobis compertum erat? cur igitur adhuc illud in medium adducit? aduerte Deum multis ab annis filium promisisse: merito igitur tam diurna ætas assignatur, qua beneficium illud à Deo accipit, vt non ignores quod quantumcunque Deus illud differat, tandem largietur & tribuet: *generat*, inquit Lipp. *centum annorum senex, ne difficile quidem etiam in aliis Dei promissionibus credamus, cui nihil impoßibile, qui nostra omnia paterne curat, quantumlibet diu differat beneficium.*

Lipp.

Hominum inobedientia maxime Deo exosa.

36 *Cùm centum esset annorum*, scilicet sibi natum filium circumcidit octaua die suæ natiuitatis, sed cur circumcisionem propter dolorem, quem filius tenellus & delicatus tolerare deberet, non omisit vsque ad aliquod tempus vt Dei præcepto satisfaceret, pueroque consuleret? quia diuina vlciscente iustitia perimeretur, iuxta illud capitis 17. *masculus cuius præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*: sed in quo puer offendisset, si Deo pater obediens non circumcidisset? non peccasset quidem, sed ita est Deo inobedientia exosa, & nobis exitialis, vt cum patre propter eam simul puniretur. huic responsioni subscribit doctissimè & planè aureis verbis Hildeb. ep. 74. *Nulla virtus est* (inquit) *quæ contempta à Domino districtius puniatur quàm obedientia: non enim ad innocentes vsque pertingit reis quorum pœna delictorum Ezech. 18. dicitur anima quæ peccauerit ipsa morietur, filius non portabit patris iniquitatem, inobedientia verò plerumque reis innoxios miscuit, facti sunt in pœna similes, dissimiles in culpa*; & quia subsequentia sacræ scripturæ testimonia quæ ad hanc veritatem cōfirmandam adducit aliorum confirmatiua conceptuum erunt, omittere nolui; subiungit igitur, *præcepit lex vt à viginti annis & supra, numerarentur qui poterant ad bella procedere, vel aliquo fungi ministerio, quia vero Dauid infra viginti annos & supra, generaliter iussit omnes numerari, indignatus est Dominus, & missa in populo triduaria pestilentia septuaginta millia virorum Angelo percutiente occideret: Achan filium Charmi de anathemate Ierico præsumpsisse sacra tradit historia, inde factum legitur vt Israel corā filiis vrbis hoc gladio caderet, vt excessum personalem ruina populi sequeretur, denique protoplastī culpam totus vsque luit mundus & vnius inobedientia proscripsit vniuersos.*

Hildeb. epist. 74.

Gaudia etiā licitè pro Deo dimittēda & diminuēda.

37 *Cùm centum esset annorum*, puerum circumcidit, nonne huiusmodi puer nuncupatur Isaac, qui risus seu gaudium interpretatur? quomodo igitur eum circumcidit? sibi enim lætitiam amputare videbitur? ita sane, iustus enim pro Deo etiā licita, & honesta gaudia vel omnino dimittere, vel saltē diminuere ac parcè debet degustare in hoc sæculo, cùm præsēs lachrymis sit destinatum, non gaudiis. Iuxta illud Christi Domini, *Beati qui lugent, quia ipsi consolabuntur. Sicut enim* (inquit Petrus Abb. Cell. li. de panib. ca. 12.) *esurientem panis sic lachryma reficit animam dolentem; deficit esuriēs sine pane, lacerata languet anima sine lachrymarum effusione*, en quā vtilis est fletus in hoc sæculo & gaudiis anteponēdus!

Matth. 4.

Petr. Abb. Cell. lib. de panib. cap. 12.

Soli Deo gaudium conuenit non hominibus propriū.

38 *Natus est ei Isaac*, quē lego Deū sibi præcepisse offerri, & immolari, nōne Isaac gaudiū dici, imo & lætitiā patris & matris esse cognoscis? cur igitur illius immolatione eo destitutos esse desideras? quia soli Deo gaudiū propriè cōuenit, nō autē hominibus: quamaptè id nobis expressit Philo. Heb. li. de Abr. *Caldaice Isaac late risus vocatur, hanc lætitiā vir sapiens merito sacrificare Deo dicitur, per istam figurā docēs quod gaudium soli Deo sit propriū: nā humanū genus mœrori timorique est obnoxiū.*

Philo lib. de Abrah.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VI.

VVLG. Dixitque Sara, risum fecit mihi Deus, quicunque audierit corridebit mihi.
Sep. congaudebit mihi.

Cald. gaudium mihi fecit Deus, omnis qui audierit congratulatur mihi.
Vatab. Lætitiam inuexit mihi, vel immisit.

CONCORDIA.

VBi habet vulgatas risum, Caldaica legit cum Vatab gaudium vel lætitiam, quia voluit significare quid hic risus denotabat.

EXPOSITIO.

RIsum mihi fecit Deus, Hebraismus est risus pro gaudio, id est fecit me ridere, ansamque præbuit vt maxima afficeret lætitia, *quicunque audierit*, non solum corporali, sed & interiori auditu, *corridebit mihi* id est congratulabitur de tam insigni à Deo accepto beneficio.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deo tam prospera quàm aduersa tribuenda.

39 *Risum mihi fecit Deus*, cur aliis verbis hoc gaudium non expressisti dicens, risus mihi factus est, sine additione Dei? merito Deum addidit, cùm de suo risu & gaudio loquitur, vt innueret omnia Deo tribuenda, scilicet risum & planctum, læta & iucunda, prospera & aduersa, ab illius enim manu accipitur quidquid in vtramque partem euenit, *sine enim viuimus*, ait Paul ad Rom. 8. *sine morimur, Domini sumus.* (ad Rom. 8.)

Prius aduersa quàm iucunda dantur à Deo.

40 *Risum mihi fecit Deus*, Si quis attentè consideret, quot calamitates in peregrinatione tam diurna cum viro suo tolerauit, quodque periculum castitatis perdendæ non semel sed iterum incurrit, quidque perpessa sit Sara cùm sterilis contemptui habita est ab ancilla fœcunda, nonne sciscitabitur, cur nunc gaudio plena & exultans, risum sibi Deum fecisse proclamat? & quomodo iucunda nunc accipit, quæ quasi assiduis antea amaritudinibus referta fuerit? quia prius tristia quàm delectabilia à Deo donantur: *obseruamus*, inquit Orig. Hom. 1. in Ierem. *semper in scripturis sanctis primum ea quæ vocantur tristia nominari, deinde quæ hilariora sunt.* (Orig hom. 1. in Ierem.)

Beneficia à Deo aliis collata, non inuidiam sed voluptatem excitare debent.

41 *Quicunque audierit corridebit mihi*, scilicet ex eo quod in hac ætate mater effecta sim, nescio si præ nimio animi gaudio hoc profers & annuntias: nam sæpissimè, quo quis pluribus cumulatur donis, vel diuitiarum, dignitatum, & multitudinis filiorum, potius aliorũ inuidiæ quã congratulationi obnoxius est: quomodo igitur asseris quod omnes qui te nonagenariam peperisse audierint, lætitia recreandos? vt instrueret quod beneficia à Deo aliis collata non Zelum inuidiæ mouere, sed voluptatem debent excitare, Fauet Chrysost. *Hic verbis tam admirabilis rarusque partus omnes in admirationem adducet, & maiorem omnibus voluptatem afferet, cùm scuerint quod ego quæ nihil à mortuis differebam quãtum ad generationem, subito mater effecta sim, & è vulua exsiccata puellum peperi.* (D. Chrys.)

Cùm ad Deum à peccatis conuertimur, magna debet inesse omnibus lætitia.

42 *Quicunque audierit corridebit mihi*, qua de causa? quia mater filij effecta sum, sed cùm tot doloribus & calamitatibus aliquando matres obnoxiæ sint, vel propter filiorum infœlicitatem, vel propter eorum scelera, cur quicunque acceperit te peperisse, congratulabitur arridens? audi deprecor Ambr. lib. 1. de Abr. cap. 7. hunc difficultatis nodum soluentem, *non hoc de generatione hac intelligitur quæ casibus plerisque obnoxia est, vt interdum non generasse melius fuerit, sed de generatione qua vnusquisque peccator agens pœnitentiam cùm redimitur à more, Angelis solet exhibere lætitiam.*

Natiuitas iusti omnibus lætitiam parere debet.

43 *Quicunque audierit corridebit mihi*, si potius digna lachrymis natiuitas hominum quàm gaudio, quomodo ex eo quod Isaac pepereris, omnes tibi congratulabuntur? quia natiuitas iusti, qualis futurus erat Isaac, omnibus lætitiam parere debet: quod D. Amb. lib. 1. in Luc. exponens illud Euang. *in natiuitate eius multi gaudebant* ait, *admonemur hoc loco sanctorum generatione lætari*: & Orig. *quando iustus oritur in mundo, ministri natiuitatis eius lætantur.* (D. Amb lib. 1. in Luc. Orig.)

Fides tantum habet quantum credit.

44 *Quicunque audierit corridebit mihi*, non quia peperi, pluramæ enim matres sunt, quibus non congratulamur, sed quia sic peperi, quia marcidæ mammæ lactis vbertatem ostendunt, en miraculum in vetula pariente & lactante maximum? sed cui virtuti tribuendum? nonne Angelo dicenti Abraham quod susciperet ex Sara filium, credidit; quid mirum igitur ita contigisse? *fidei enim* (inquit D. Zeno serm. 3. de Abraham) *nihil difficile est, quæ tantum habet quantum credit.* (D. Zeno serm. 3. de Abr.)

VARIE-

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII.

VVLG. Rursumque ait, quis auditurum crederet Abraham quod Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?

Sep. quis annunciabit Abrahæ, quia lactat puerum Sara quia peperi filium in senectute mea.

Cald. & dixit, fidelis est, qui dixit Abrahæ, & impleuit quod lactaret filios Sara, quia peperit filium in senectute sua.

Arias quis loquutus fuisset ad Abraham lactare fecit filios Sara?

Caiet. quod genui filium in senectutibus eius.

CONCORDIA.

Septuaginta legunt, quis annuntiabit Abrahæ, quæ verba videntur in alium sensum accipere, quam vertit interpres, de eo enim intelligit Sara, qui nuntium Abrahæ allaturus esset nimirum de re prodigiosa: lectio Heb. & Cald. habet filios, sed numerũ pluralem posuit pro singulari, significans lac Saræ ita exuberans fuisse, vt plurimos infantes lactare posset. Septuaginta senium non ad Abraham, sicut veritas habet Hebraica, sed ad Saram referunt.

EXPOSITIO.

Q*Vis auditurum crederet Abraham*? quasi diceret, nullus conceptus, enim vires naturæ excessit, vnde e. Hebræorum testimonio mulieres existimarunt Isaac non naturalem filium Saræ, sed suppositum, quousque lactantem conspexerint, *quod Sara lactaret filium*, id est filium suum aleret lacte *quem peperit ei iam seni*, id est quem peperit Abraham iam senio confecto: ne mireris præposterum ordinē inter partum & abundantiam lactis, familiaris siquidem Hebræis videtur huiusmodi transpositio.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus longè plura concedit quàm pollicetur.

45. Q*Vis crederet quod Sara lactaret filium quem peperit ei seni?* in Hebræo, filios, quid Deus pollicitus fuerat Abrahæ habebit Sara vxor tua filium, an promisit ipsum lacte alituram, & tanti lactis copia, quod ad plures lactãdos infantes sufficiēs esset? minimè, quomodo igitur nō solũ peperit Isaac, sed & cum aluit plures alios lactatura? quia Deus ita liberalis, vt longè plura concedat quàm largiatur, vnde Caiet. *verba Saræ sunt agnoscentis beneficia Dei*, non ait beneficium, quamuis vnicum fuisset promissum, *primum est promissionis diuinæ facta Abrahæ de Isaac: secundum est quod idem qui allocutus est Abraham effecit, vt ipsa Sara abundaret tantum lacte, vt lactaret non solùm filium sed filios, hoc est multos infantes, exuberans siquidem lac Sara exigebat, vt etiam alteri infanti lac præberet.*

Solus iustus instar plurium est.

46. *Quis crederet quod lactaret Sara filium?* Cald.& Hebr. habent filios, non legimus Saram nisi solum Isaac filium lactare, cùm solum cum vnicum ex Abraham susceperit, quomodo igitur Hebraica lectio plures filios aluisse asserit? cur non dicemus cum Isaac iustus fuerit, non inconuenienter pronuntiasse plures lactasse filios, cum vnicus iustus plurium sit instar? non dissentit D.Chrys. hom. 23 epist. ad Hebræos, *dominus orbis terræ non consunditur vocari eorum Deus, & merito, non enim orbis terræ sed innumerabilium, eiusmodi sunt sancti, melior est enim vnus faciens misericordiam Dei quàm decies mille iniqui.*

D. Chryso. hom. 23 in in epist. ad Hebr.

Exemplum virtutis ad eam sectãdam alios inducit.

47. *Quis crederet quod lactaret Sara filium?* Arias legit, lactare alios fecit Sara, si lactandum dedit filium, quomodo ipsamet lacte suo aluit? sed ni fallor emphasim habent hæc verba, lactare fecit filios, si conferantur cum his, lactauit Sara filium: sensus enim eorum esse potest, nonagenaria mulier suo nutriens lacte filium, induxit alias mulieres vt non nutricibus alendos traderent filios, sed ipsæmet enutrirent & alerent.

Deus ita efficit miracula vt negari non valeant.

48. *Quis crederet quod lactaret Sara filium?* cur non dixit quis crederet quod peperit Sara filium, cum id ei solùm à Deo fuit promissum? optimè non solum peperisse, sed potius lactasse filium asserit, si enim proprio lacte non aluisset, suspicari possemus Isaac fuisse suppositum, cogimur autem tanto miraculo fidem adhibere cum ipsamet lactet puerulum: nam (inquit Chrysost. *propter hoc fontes lactis concessi sunt vt partum magis credibilem faciant, & ne quis suppositum putet esse filium, fontes enim lactis omnibus prædicabant propter humanam lactationem hoc euenisse*: & D. Isid. Pelus. lib. 3. epis. 180. *Lactis fontes partum confirmant, veri enim partus augmentum certissimum est lactis profluuium.*

Isid Pelus. li. 3. ep. 180.

Matres filios suos propriis vberibus lactent.

49. *Quis crederet quod lactaret Sara filium?* nonne famulas reperire potuit, quibus alendum traderet filium, ne hac tot mulieribus intolerabili molestiâ afficeretur, qualis est proprium filium alere lacte: non laus exigua Saræ iam nonagenariæ, quod vbera puero Isaac præbuerit, nec alteri nutriendum tradiderit, quia vt vere D. Amb. lib. de Abr. cap. 7. *Hæc enim matrum gratia, hic honos quo se propriis commendent viris, denique eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactaue-*

D. Amb. lib. de Abr. cap. 7.

runt vberibus suis vnde amorem parentum ac filiorum maiorem videmus in communi plebe quàm in familiis nobilium, quoniam fere nobiles fœminæ infantes suos per nutrices lactare curant.

Matres aliquando in filiorum educatione feris peiores.

50 *Quis crederet quod lactaret Sara filium?* nonne iam praua consuetudo inualuit, vt mulieres, filios quos gignunt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus tradant, quomodo igitur Sara suum alit proprio lacte? quia hæc virtutem sectatur, & humanitatem amplectitur, aliæ autem ipsas feras inhumanitate superant, nullius enim belluæ genus est quod alteri prolem alendam committat, tametsi sæuissimum & crudelissimum: vnde D. Basil. ho. 9. in hex. sic ait; *fit vt in obuium quidem tam copioso numerosoque grege è stabulis exiliens agnus, matris suæ continuo percipiat vocem, ad eamque properet atque lactis fontes proprios rectà petat papillisque mat[ris] contentus sit, & mater inter innumeros agnos internoscit proprium, nonne lupæ, tigrides ac cæteræ feræ immanes ita suos fouent fœtus, vt semper vel in sinu vel ad mammillas habeant, soli homines à matribus deseruntur & aliis traduntur?* sed clarius hoc expressit Amb. lib. 5. hex. cap. 18. *cornices volantes filios comitatu sedulo prosequuntur, & solicitæ, ne teneritudine deficiant, cibum suggerunt ac plurimo tempore nutriendi officia non derelinquunt: at vero fœminæ nostri generis cito ablactant illos etiam quos diligunt, aut si ditiores sunt lactare fastidiunt.*

D Basil. ho. 9. in hex.

D. Amb lib. 5. hex. c. 18.

Mater filium lactans sibi similiorem reddit.

51. *Quis crederet quod lactaret Sara filium?* quem? Isaac Dei amantissimum, virtutum cultorem, &c. quomodo ita iustus? nonne mater illius virtutibus ornata? cur non dicemus igitur, quasi cum lacte quod bonum matri inerat, suxisse? non alienus est ab hac responsione Guill. Abb. lib. 1. de vita Bern. cap. 1. loquutus de illius matre, *aliena* (inquit) *vberibus filios committere illustres fœmina refugiebat, quasi cum lacte materno quodammodo boni infundens in naturam.*

Guill Abb. li. 1 de vita Bern. ca. 1.

Dei miracula digna sunt admiratione.

52. *Quis crederet quod lactaret Sara filium?* nonne dixeras superiùs, quicunque audierit, corridebit mihi, si ergo qui audierint tibi congratulabuntur, certe id euenisse credent, aliàs minime corriderent, quomodo ergo asserens quis crederet Saram lactare filium? quia aliqua Dei miracula ita fidem nostram excedunt vt solū digna videantur admiratione. Vnde Hugo Cardin. ait, *hæc verba sunt admirantis & exultantis.*

Hug Card

Mater filium lactans, Christum Dominum imitatur.

53 *Quis crederet quod lactaret Sara filium suum?* diximus mulieres nutricibus alendos filios tradentes, inhumanitate feras ipsas superare, quæ quidem proles suas proprio lacte nutriant, sed quem mater filium suis vberibus fouens imitatur? nota Christum propria carne nos enutrire, dic igitur Saram & alias matres lacte suo filios lactantes, Saluatorem nostrum imitari: cui veritati subscribit D. Chrysost. hom. 1. in Psal. 50. loquens de muliere nobili, *cum generauerit*, inquit, *filium, statim eum tradit foris, & pietatis insignia abscondit, superba erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater, Christus autem non ita sed nutritor & mater est, & ideo propriis nos carne pascit, & propotu suum sanguinem nobis propinauit.*

D Chrys. hom. 1 in Psalm 50.

Quæ à Deo bona promanant ad plures superefluunt.

54 *Quis crederet quod lactaret Sara filium suum?* cur miratur Sara, quod quæ peperit filium illum lactet? mirabile quidem fuerat quod senex conciperet, & filium pareret, ac post conceptum & partum, quid mirum quod lactet filium? mirè cautam ostendit lectio Caldaica *quod lactaret filios Sara*, tanta namque lactis abundantia anus mater exundauit, vt teste Cajet. non solùm proprio filio, sed & lac præbere poterat multis vicinorum filiis, quid mirabilius ergo? quid diuinius? sane huiusmodi sunt dona Dei quæ nequeūt stagnari in vno, sed ad multos alios prosiliunt: quod confirmat D. Basil. Seleu. orat. 33. explicans illa Ioann. 6. *sequebatur eum multitudo magna, Sequebatur* (inquit) *turba inuita, pastorem oues, ægri morborum depulsorem, serui animarum liberatorem, vnicam videbant viam errore vacantem, & ad eam omnes affluebant, patuerunt fontes diuinæ benignitatis & omnes fruebantur.*

D. Basil. Seleu. Orat. 33. Ioann. 6.

VARIETAS LECTIONVM VERS. VIII.

VVLG. Creuit igitur puer & ablactatus est, fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.

Vatab. Cùm autem creuisset puer.

EXPOSITIO.

Creuit igitur Isaac & ablactatus est, Cessauit eam proprio lacte nutrire Sara, quoto autem ætatis suæ anno sit ablactatus, non indicat Sacra scriptura, tempus quod assignant Hebræorum aliqui vel quinquenniū vel duodenum, nimium est, mihi videtur ad triennium reducendum, quod confirmari potest auctoritate matris Machabæorum martyrum, quæ vni filiorum suorum dixit se portasse eum in vtero nouem mensibus & triennio lactasse. *fecitque Abraham conuiuium magnum* nempe domesticis, vicinis, & amicis, *in die ablactationis eius* id est quo tempore ab vberibus matris suæ Saræ amotus est Isaac: ex hoc collige antiquos Patres festiuissimum ac celeberrimum diem egisse, quo filios ablactabant, & conuiuia splendida, lauta & opipara celebrasse, ex quo autem tempore hæc inoleuit consuetudo incertum est, non enim solùm apud Iudæos, sed etiam alios antiquiores populos, hoc erat visitatum; nam cùm Abrahamus huiusmodi conuiuium

uiuium celebrarit, aperte constat altius seu antiquius principium habuisse, ex quo ad Abrahamum, & ex hoc ad Iudæos emanauit.

Sed inquires, cur potius ablactationis quàm natiuitatis dies instructo conuiuio celebrabatur? quia in die ablactationis iam partus vitalis duraturus videbatur, qui in die natiuitatis nullam de sua duratione spem satis firmam promittebat, tum quia sicut infans in die natiuitatis accedebat ad mammam matris, ita in die ablactationis ad mensam patris, quæ proinde æquum erat, vt nouo aliquo conuiuio pro nouo hospite excipiendo ornaretur: tum præterea quia in die natiuitatis adhuc puer videbatur vitam agere bestiinam, sugendo tantum quod hominibus cum bestiis commune erat, in die vero ablactationis iam humanam, in hominum morem loquens, ambulans, & alimentum sumens.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Gaudendum est, cùm propriis bonis operibus innitimur non alienis.

55 *Fecit conuiniũ grande in die ablactationis eius*, cùm celeberrimus sit dies natiuitatis, & summopere expectatus filij sui Isaac ortus, quomodo tunc non legimus conuiuium disposuisse, sed solùm in die quo ablactatus est ab vberibus matris suæ? attende quid dicat Caiet. cur ita factum est, *erat enim inquit rationi valde consentaneum, quia tunc primum homo clarè fari, tunc suis ipse pedibus firmiter ingredi, tunc solido vesci cibo, eumque suis manibus sumere incipit.* Sed à die natiuitatis vsque ad ablactationem alienis manibus & pedibus nempe maternis vtitur: mysticè igitur fit satis, si dixerimus non nobis gaudendum esse, nec alios nobis cõgratulari debere, cùm alienis manibus id est operibus confidimus, sed cùm propriis innitimur; vnde fit quod Christus Luc 15. ait, *gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*, non ait super vno peccatore, alterius lachrymis, contritione, & bonis operibus confidente.

Card. Cai.

Luc. 15.

Præsentis vitæ incommoda pueri nascentis lachrymæ testantur.

56 *Fecit conuiuium grande in die ablactationis eius*, audio Saram concepisse filium in senectute sua, hæredem familiæ suæ, minime autem in signum lætitiæ & gaudii lego conuiuium celebratum: prudenter equidem obmissum est, dies enim natiuitatis totus flebilis & lachrymabilis agitur, à puero in lucem edito, dolente præsentes miserias quibus eo die exponitur, & præsagiente futuras quibus se in posterum exponendum auguratur, quod Tertull. lib. de anima cap. 19. rectè expendens, *Mentitur*, inquit, *si non statim infans vt vitam vagitu salutauit, hoc ipsum se testatur sensisse atque intellexisse quod natus est*: & paulo post obseruans, quò huiusmodi lachrymæ spectarent, *de prospectu ait lachrymabilis vitæ quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur*: & D. Aug. lib. 21. ciuit. ca. 14. vbi loquutus de prima infantia, *quæ quidem* inquit, *non à risu sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit nesciens, prophetat quodammodo.*

Tertull. li. de ani. c 19.

D. Aug. li. 21 ciu. ca. 14.

De virtute in virtutem tendamus.

57 *Fecit conuiuium, creuit puer & ablactatus est*, si ablactatur, certum est creuisse, non enim eodem die quo nascitur, ab vberibus matris separatur, ad quid igitur dictum est creuisse? sic superfluè videtur appositum: mysticè loquamur, Isaac bonum opus designat, merito igitur de eo dicitur, quod creuerit, quia vt optimè Patr. Palud. *opus bonum secundum profectum ætatis debet crescere, ita vt de die in diem homo proficiat.* Etenim qui in virtutibus non crescit, in iisdem decrescit.

Patri. Palud

Peccator licet annis consenescat, moribus tamen puer, secus autem iustus.

58 *Fecit conuiuium magnum in die ablactationis eius*, nonne Ismael filius erat Abraham? nullibi tamen eius ablactationem inspicio, quomodo? nonne ab vberibus matris suæ fuit amotus? aduerte de solis iustis in scriptura dici, quod fuerint ablactati, soli hi igitur pueri esse desinunt, qui à lacte corporearum voluptatum abducuntur, qui verò ab his non resiliunt, licet annis consenescant, moribus tamen repuerascunt, *notandum est*, inquit Procop. *nullibi de impiis dici ablactati sunt, iustus erat Samuel de quo idem prædicatur*, & paulo post, *Ismaelis ablactatio nullibi in scriptura comprehenditur, quapropter natus annos viginti adhuc puer nominatur*: hoc ipsum expendit D. Ambr. serm. 19. in Psalm. 118. *plures inquit filios Abraham habuit, nullum ablactauit alium quàm Isaac.*

D. Ambr. serm 19 in Psal. 118.

Ecclesia lætatur, cùm sumus capaces rerum Spiritualium.

59 *Fecit conuiuium magnum in die ablactationis eius*, huius pueri diem natalem non celebrat Abraham, sed celebrat diem depositionis à lacte, sed quæso solum ne Spiritus sanctus vult nos instruere, quod à lacte depulsus sit puer? quod conuiuium factum sit? ad quid enim prodest hoc cognitum habere? sine dubio aliquid aliud diuinum sub his verbis nobis innuitur, sed quidnam est illud? respondit Orig. hom. 7. in Genes. *Isaac risus vel gaudium interpretatur, quis ergo est qui talem filium generet? ille nimirum qui dicebat de his quos per euangelium genuerat, vos enim estis gaudium meum & corona gloriæ Dei; de huiusmodi filiis cùm fuerint à lacte depulsi, fit conuiuium & lætitia magna, de his qui non iam lacte indigent, sed cibo forti, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habent sensus ad discretionem boni vel mali, super his cùm depelluntur à lacte fit conuiuium magnum, super his autem non potest exhiberi lætitia, de quibus dicit Apostolus, lac vobis dedi potum non escam, nundum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis, & ego non potui loqui vobis tanquam spiritualibus, sed quasi carnalibus quasi paruulis in Christo. &c.*

Orig. hom. 7. in Gene.

1. Cor. 3.

Conuiuia ex se non sunt mala.

60 *Fecit conuiuium magnum in die ablactationis eius*, si huiusmodi conuiuia à pluribus vituperantur, tanquam corpori & animæ nociua, si quidem D. Chrys. hom. 29. ad Hebr. de eis sermonem habens inquit, quod facit fames, hoc etiam facit plenitudo ciborum, magis autem multo peiora, fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat ex hac vita pœnali, excessus vero ciborum consumit & putrefacit corpus humanum, & macerat ægritudine diurna, & tunc cum morte crudeli consumit: quod autem sint animæ

nociua, fatetur D. Nil. in lib. ascetico, ciborum varietas euertit ac diruit virtutum propugnaculum, suauitas enim condimentorum tanquam machina bellica prosternit munimenta, iam à virtute constructa in conuiuiis autem est ciborum plenitudo & varietas, quomodo igitur Abraham conuiuium præparat non qualecunque sed opiparum & splendidum? quia non omnia illicita sed si debitis fiant circumstantiis, non vituperanda sed potius laude digna celebrantur à D. Greg. Mag. lib. 2. indict. epi. 37. *conuiuia* (inquit) *communia quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt, recte sanctitas vestra in suis epistolis laudat, sed tamen sciendum quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cum in eis, nulla absentium vita mordetur nullus ex irrisione reprehenditur, & nec inanes in eis secularium negotiorum fabulæ, sed verba Sacræ lectionis audiuntur, cùm non plus quàm necesse est seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur vt ad vsum exercendæ virtutis habeatur*, quis dubitat autem conuiuium ab Abraham factum, non ea intentione vt corpus ciborum multitudine obrueretur, sed vt gratiarum actiones Deo pro tam eximio beneficio non solum filii natiuitatis, sed & eius ablactationis redderentur?

D. Nilus in lib. ascet.

D. Greg. Ma. lib. 2 indict. ep. 37.

Infamia à nobis repellenda.

61. *Fecit conuiuium magnum in die ablactationis eius*, licet dictum à nobis fuerit in gratiarum actionem pro tam eximio à Deo accepto beneficio, illud conuiuium celebrare, cur etiam in ablactatione filii sui Ismaëlis ad agendas Deo gratias conuiuium non exhibuit? adiuerte infamiam substulisse Saram apud alias mulieres dicentes Isaac nō filium naturalem eius sed suppositum: vt igitur huiusmodi infamiæ ab vxore sua repelleretur, conuiuium disponit ad quod & vocatæ mulieres puerulos habentes, quos ad notificationem sui partus proprio lacte Sara, nutrit: sic testatur noster Lyr. *dicunt Hebræi, quod vicinæ mulieres dicebant Isaac non esse filium Saræ eo quod diu vixisset cum marito absque prole, sed acceperat cum Sara occulte sub alia muliere pro pretio, & finxerat se eum genuisse, & ad hanc opinionem tollendam, Abraham fecit conuiuium grande in die ablactationis pueri, & vocatæ mulieres ad conuiuium apportauerunt pueros suos adhuc lactantes, & Sara lactauit eos ad probandum quod habuerat filium.*

Nic. Liran.

Gaudendum est cùm sumus capaces alimenti solidi virtutis.

62 *Fecit conuiuium magnum*, postquam ablactatus est Isaac, cur adeo lætitia exultet, vt conuiuium amicis suis præparet propter ablactationem pueri sui? respondet D. Amb. *non quia à nutricis lacte subductus est puer, magnum conuiuium exhibuit Abraham, sed quia idoneus habitus est Isaac fortioris gratiæ cibo, & virtutis alimento, non vt Corinthii, lacte potandus, sed epulis solidioribus mandatorum Dei mentis suæ lacertos firmans.*

D. Ambr.

Gaudendum est cùm à rebus terrenis separamur.

63 *Fecit conuiuium grande in die ablactationis eius*, inquires cur Abraham conuiuium grande in die ablactationis filii sui præparet? Scio Caiet. respondere quia moris tūc erat vt initium comedēdi primogeniti quasi iā per se viuere incipientis vitalis facturi celebraretur communi conuiuii lætitia, sed mystice quid significat fieri tam? ingens conuiuium in die ablactationis Isaac, iam scimus conuiuiū repræsentare gaudiū vbera dulcedinem, delitias, ablactare ergo significabit alienare à delitiis, respondeo igitur, ideo conuiuium splēdidum parare in ablactatione filii, quia gaudendū est cùm quis à delitiis huius mundi eas contemnendo separatur, nam nisi à mundanis ablacteris, Deo viuere minime valebis: ita Isaac presb. de contemptu mundi, *anticipa solum omnem colligationem extrinsecam à te ipso, & tunc Deo corde colligaris, præcidit enim colligari Deo solutio à mundanis, esus panis post ablactationem datur infanti, & homo qui vult delectari in diuinis prius debet à sæculo, velut infans ab vberibus maternis alienari.*

Isaac presb. de cont. mundi.

Corporis Christi Domini Sacramentum verum conuiuium.

64 *Fecit conuiuiū grande in die ablactationis eius*, gaudeant vtique sed nullo celebrato conuiuio, cur ergo ita solēne præparat? & vt ad mysticum sensū deueniamus, per lac proprium infantibus, potest intelligi infantilis ritus sacrificiorū quibus in lege scripta vtebantur adhuc infantes Iudæi, constat igitur iure merito Abraham fecisse conuiuium in ablactatione pueri sui, quia vt ait Rupert. *illic profecto grande conuiuium est, cùm destituti lacteis, id est infantibus ritibus, v. g. brutorum animalium sacrificiis, ad verum & vnicum sacrificium corporis & sanguinis sui suos transducit. Nam hoc est grande conuiuium de quo dicit Propheta, & faciet Dominus omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium.*

Rupert. li. 6 Gen. ca. 19.

Isa. 25.

Gaudia non prorsus effuse sumenda.

65 *Fecit conuiuium grande in die ablactationis eius*, nescio cur conuiuium in ablactatione paratur, nōne vbi ablactantur pueri, felle & absinthio plena offeruntur vbera materna? cur ergo vsque ad ablactationem fel & amaritudines, Abrahamus lætissima conuiuia reseruat? merito sane conuiuiorum gaudia inter ablactationis amaritudines celebrantur, vt videamus quam intra carceres mundi gaudia celebrari debeant, ne nimis effusa Deum offendant.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Cùmque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ, ludentem cum Isaac filio suo dixit ad Abraham.

Sept. Cùm vidisset Sara filium Ægyptiæ qui factus est ipsi Abrahā, ludētē cū Isaac filio suo &c.

Pag. Et vidit Sara filium Agar Ægyptiæ quem peperit Abrahæ, ludentem, sic & Cald.

Caiet. Ismael facientem irridere.

Ar. Filium Agar subsannantem.

CONCORDIA.

DEsunt in nostra vulgata tres dictiones, nempe *quem peperit Abraham*, quæ sunt apud Hebraicam litteram, & rursus abundant aliquæ in latina, nempe *cum Isaac filio suo*, quas forte addit, vt cū quo luderet Ismael exprimeret, si aliqui legunt irridentem, subsannantem, vbi habemus ludentem, ideo fit, quia dictio mezahek מצחק venit à צחק Iahak quod ridere, iocari, illudere siue irridere significat.

EXPOSI-

EXPOSITIO.

CVm *vidisset filium Agar ludentem*, Hic lusus sine dubio non est puerilis, cùm enim pueris sit naturalis, non fas esset credere fœminam modestissimam & sanctissimam temerario quodam animi impetu, cæcaque perturbatione reprehendisse in Ismael, inquiramus igitur, quid ille ludus denotet? existimo illud participium, *ludentem* recte interpretari posse illudentem, grande conuiuium patris in ablactatione paruuli Isaac: significando forte sibi tanquam primogenito tam iure natiuitatis quàm ex circumcisionis prærogatiua hæreditatem deberi, quod Sara molestissimè ferebat, vel ludere significat subsannare, ita vt proteruus adolescens Ismael fratrem adhuc infantem tanquam minimum contempserit: omitto alias significationes verbi ludo, quas in conceptibus aperiemus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filius mores maternos imitatur.

66 CVm *vidisset filium Agar ludentem cum Isaac*, id molestissimè tulit Sara, quid in Ismaele tibi displicuit? diximus quod ludere significat subsannare, subsannatio autem contemptum & arrogantiam dicit: sed vndenam hanc animi elationem hausit Ismael in familia modestissima, cuius princeps nempe Abraham humillimus erat? nota Agar Ismaelis matrem, arrogantem animum habuisse, in tantum vt dominam contempserit: non inquiramus igitur, vndenam mores superbos hauserit, cùm matrem habuerit elatam, filius enim mores maternos imitatur, vtriusque tam matris quam filij vitam refert Chrysost. dicens, *sicut prius superbum spiritum Agar humiliare volens, vehementi indignatione fugam inire fecit eam, & nunc ab initio volens reprimere Ismaelis temeritatem, dixit Abrahæ, eiice ancillam &c.* expende quomodo superbum animum Agar dicat, & Ismaelis temeritatem, quasi diceret si temerarius & arrogās filius, quia mater est elata & superba, sed clarius D. Bruno, *cùm vidisset Sara Agar & filium eius superbientes contra se, ait eiice ancillam, &c.*

S. Chrysost.

D. Bruno in c. 4. ad Gal.

Procliuiores sumus ad malum quàm ad bonum.

67 *Cum vidisset filium Agar ludentem*, id est illudentem, subsannantem, vel vt alij obscenè iocantem, an patrem, alios irridentem, conspexit? minime, imo etiam hominibus peregrinis obsequentissimum, an aliquid turpiter operantem? minime cùm castitatem summopere coleret, cur igitur potius eius in omnes obsequium, & castos mores non imitatus es, quàm obscœnitatem & subsannationem aliorum sequutus? sine dubio quia semper procliuiores sumus ad malum, quàm ad bonum amplectendum, hoc docet D. Greg. Nazi. oratione 20. de laudib. Basilij, *non cum sodalium nostrorum petulātissimis & impudicissimis, sed cum castissimis consuetudinem habebamus, nec cum pugnacissimis, sed cum pacatissimis, vsque quorum consuetudo maximos fructus afferebat, illud nimirum exploratum habentes, facilius esse vitium contrahere quàm virtutem impertire, quemadmodum etiam facilius esse morbo alieno infici, quàm sanitatem largiri.*

D. Greg. Naz. orat. 20. de laud. Basilij.

Fœlicitatem sequitur inuidia.

68. *Cum vidisset filium Agar ludentem*, id est illudentem, cur infanti ab vberibus matris amoto, subsannas, vel potius inuides? nam Zelo motus inuidiæ fratris tui ferre non potuisti primogenituram, imo nec conuiuium quod pater tuus in illius ablactatione celebrari voluit, quid mirum Ismaelem fratri suo quasi aliqua prosperitate gaudenti inuidere? quia vt optime D. Amb. lib. 1. de Abrah. c. 7. *prosperitatem cito sequitur inuidia, pepererat Sara, ablactauerat filium.*

D. Amb. lib. 1. de Abr. ca. 7.

Impudicus indignus nomine.

69. *Cùm vidisset filium Agar Ægyptiæ ludentem*, nonne Ismael filius Agar nominatur? cur igitur ait Moyses, cum vidisset Ismaelem ludentem? vt formetur conceptus, aduerte ex nostro Lyrano verbum ludere, hic significare posse lasciuire, quod probat ex illo Genes. 26. vidit Abimelech Isaac iocantem cum Rebecca sua, Hebræus dixit coeuntem, ludus ergo pro lascinia sumi potest, seu pro aliqua obscœna operatione: quid mirum igitur si nomen illius prætermittitur, impudicus enim omnino nomine censetur indignus; quod firmari potest ex illo Luc. 7. qui loquens de impudica muliere Magdal. ait, *erat mulier in ciuitate peccatrix*, nomen quamuis omnibus notissimum, tacuit.

Luc 7.

Tanto amore ducuntur matres erga filios, vt omnibus velint eos præferri.

70. *Cùm vidisset Sara filium Agar ludentem*, non est ô Sara quod impedias, id quod commune pueris est, nempe ludum, cur ergo fers ita molesto animo ludentem Ismaelem, vt eum è domo paterna eiici solicita satagas? diximus hunc risum potius fuisse irrisionem, ita vt Ismael videns conuiuium quod in Isaac ablactatione celebrabatur, subsannauerit dicens, mihi præponitur Isaac, sed rideo, nam meum est ius primogenituræ, debeturque tanquam maiori, quod quidem indigne tulit Sara: non mirum igitur solicitam, eius exilium procurasse, tanto enim amore feruntur matres erga filios, vt nullum eis superiorem sed omnibus præferri desiderent ac satagant: sic obseruat D. Hiero. super c. 4. ad Gal. *quia Ismael quasi maior natu, & iam grandis sibi primogenita vendicabat, vnde Sara hoc non sustinens, & consuetudinem Ismaelis iam à parua ætate sibi primogenita vindicantis non patiens erupit in illam vocem, eiice ancillam & filium eius.*

D. Hier. super ca. 4. ad Galat.

Cùm ad lasciuiam inducimur, tunc maxime persecutionem patimur.

71. *Cum vidisset Sara filium Agar ludentem cum Ismael*, inspiciamus verba D. Pauli ad Galat. 4. qui sermonem instituens de Ismaele ait, *qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum*, non puto inuenire posse vbi Ismael persequutus fuerit Isaacum, sed tantum illud legimus, cum vidisset Sara filium ancillæ ludentem cum Isaac; dicamus ergo ludum huiusmodi vocasse Paulum persecutionem, sed quid commune habet ludus cum persecutione? ludus cum plenus voluptate, animum

que recreet, persecutio autem sanguine & immanitate referta vitã adimit. Sed audiamus Lipp. turpe aliquid per ludũm Ismael designauerat coram Israel, & glossam interl. lubricum & lasciuum esse docebat, sicut erat ipse: merito igitur ludus impudicus persecutio potest appellari, cùm enim ad lasciuiam inducimur, tunc maxime persecutionẽ patimur. Sic Hugo Card. qui postquam verba glossæ interl. adduxerat, nempe quod docebat Isaac esse lasciuum, subiungit, *& hunc ludum vocat Apostolus persecutionem.*

Glossa interl.

Idololatra vel ad cultum deorum inducens indignus nomine.

72 *Cum vidisset Sara filium Agar ludentem cum Isaac,* Si Isaac nominatur, cur nomen Ismaelis omittitur, sed solum filius Agar Ægyptiæ dicitur? audiamus quid de hoc ludo Ismaelis testetur Thom. Angl. *Si enim aliqui dicunt quod idola ludo fecit, iuxta illud Exodi 32. sedit populus manducare & bibere, id est idola venerari ludendo: scilicet coram eis, & hi dicunt quod ludendo Isaac idola colere docebat:* merito igitur nomen illius silentio tegitur, quia idololatra vel ad deorum cultum inducens, indignus nomine censendus est.

Tho. Angl.

Discordiam diligens, non est ferendus.

73 *Cum vidisset Sara filium Agar ludentem cum Isaac,* dixit Abraham, eiice matrem & filium eius, ita ne temerario animi impetu, cæcaque perturbatione commoueris, ergo puerum ludentem cum filio tuo Isaac? si ita naturalis est pueris ludus vt à ludo puer græce dicatur παῖς, inde παιδιά ludus à verbo παίζω quod est ludo, quasi puer dictus sit græcè à ludendo, ne feras igitur molestè lusum pueri, cuiuscunque enim ætatis proprium vnicuique tribuendum. Sed si dicamus hunc ludum pugnam esse quam turbulentus Ismael aduersus Isaac excitauit: dicemus recte Saram filii Agar, Ægyptiæ exilium petisse, discordiarum enim amator, nullo modo est ferendus, quod annuit Acacius dicẽs, *vidit ludentem, hoc est pugnantẽ, vt in libris regũ surgãt pueri & ludant, hoc est manus inter se conferant.*

Acacius.

Tantæ sunt vilitatis bona huius mundi, vt pro eis pueri contendant.

74 *Cum vidisset Sara filium Agar ludentem cum filio,* Claudius Altisiod. Episcopus ait, quia forsitan Ismael quasi maior natu, & eo tempore circumcisus, quo iam poterat intelligere & sentire quod passus est, primogenita sibi vendicabat, ideo scriptura iurgium paruulorum lusum vocauit: sed nonne alio nomine quã ludi contentionem puerorum, pro patris hæreditate & bonis illius terrenis appellare potuit? apte quidem ita vocatur. Vt agnoscamus quàm puerilia, ludicra, & nihil sint bona huius mundi, vt puerorum iocus, & iurgium habeatur de illis contendere.

Altisiod. sup. c. 4. ad Galat.

Matres indignè ferunt filios suos ab aliis percuti.

75. *Cum vidisset Sara filium Agar ludentem cum Isaac* ita molestè tulit, vt eiectionem à domo paterna tam matris quàm filii anxiè sollicitaret, si vterque tam Ismael quam Isaac ludebant, cur solum eiiciendus est, Ismael? audiamus quid dicat Procopius de hoc lusu, *non lusit solum, sed forte quoque percussit Isaacum:* concedo Isaac percussum fuisse ab Ismaele: motiuumne sufficiens est huiusmodi percussio puerilis, vt in exilium mittatur Ismael filius ipsemet Abrahæ? Saræ sufficientissimum videtur, quia matres ita impatienter indignantur, si pueros suos videant ab aliis percuti, & ad planctum cõmoueri, vt nullomodo percussores possint tolerare.

Procopius.

Bonorum terræ amatores verè sunt carnales.

76. *Cum vidisset Sara filium Agar ludentem cum Isaac* de quo ludo loquens Apostolus ad Gal. 4. qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum: nonne vterque filius Abrahæ tam Isaac quam Ismael? cur igitur vnus à Paulo secũdùm carnem dicitur, alius autem secundũ spiritum? non tibi molestum erit si prius litteralem sensum aperiamus quàm mysticum, dicitur igitur Ismael secundùm carnem natus, quia secundùm carnalem consuetudinem genuit eum Abraham, Isaac autem secundùm spiritũ, quia præter naturam senilem & menstruorum Saræ defectum per repromissionẽ credẽdo accepit, præcipue concurrente diuinæ gratiæ operatione: sed mysticè, cur Ismael secundùm carnem natus dicatur? nonne diximus pugnasse pro hæreditate bonorum habenda, tanquam illius cupidissimũ? merito igitur secundùm carnem natus est, quia bonorum terræ amatores verè sunt carnales, huic sensui consentit cit. Episcopus Altis. *quæ sunt secundùm carnem nati, nisi mundi dilectores?*

Cit. Episc. Altis.

Indignè patimur nobis alios præferri.

77. *Cùm vidisset Sara Agar filium ludentem cum Isaac,* non solum pueriliter ludebat, imo eum percutiebat, cùm rationis sis cõpos, cur tenellum & delicatum fratrem percutis? in quo tibi sentis molestum? adhuc simplex & innocentissimus est: cum percutit impatiẽter o-nino ferens & præuidens sibi aliquando præferendum: cui veritati subscribit. D. Bruno super c. 4. ad Gal. *Ismael natu maior verberabat Isaac adhuc tenerum, quem videbat dominum sibi & hæredem futurum.*

D. Brun. sup. ca. 4. ad Gal.

Dolus & fraus persecutio potest appellari.

78. *Cum vidisset Sara filium Agar ludẽtem,* nulla persecutio, cuius mentionem faciat Apostol. ad Gal. 4. Ismael aduersus Isaac mota refertur, nisi quidam ludus infantiæ; ludebat enim Ismael cum puero Isaac, & ludum illum vocat Apostolus persecutionem, sed miror quomodo sapientissimus Doctor gentium, ludum puerilem, persecutionem vocet; sed cessabit admiratio, si hunc ludum fraudulẽtum & dolosum fuisse dicamus sic testatur D. Ansel. *Saræ displicuit ludus ille, quia intellexit seductionis ibi aliquid inesse, nam lusio illa illusio erat si illusio seductio & deceptio & quãdo maior ludit cum minori, ad hoc ludit vt quodãmodo seducat eum.*

D. Ansel. in cit. 4. Epist.

Inducens ad leuitatem & scurrilitatem persecutor est.

79. *Cùm vidisset Sara filium Agar ludentem,* secundùm Paulum id est persequentem, nulla enim persecutio in scriptura legitur nisi ludus ille, ludens igitur Ismael cum Isaac eum persequi potest dici: sed quomodo & in quo persecutor dicendus est Isaac Ismael? non mihi displicet responsio sedulii Hiberni in epist. cit. Apostoli, *quia scurrilẽ eum iniuit & leuẽ sicut ipse erat facere cupiebat,* en quomodo ad leuitatem & scurrilitatẽ inducens, persecutor est.

Sedulius Hibernus.

Peruersa viuẽdi ratio maxima Ecclesiæ persecutio.

80. *Cùm vidisset Sara filiũ Agar ludẽtẽ,* ad quod alludẽs Paul⁹ ait. qui secũdũ carnẽ nat⁹ fuerat, persequebatur eum qui secũdũ spiritũ, non est dubiũ per carnalẽ Ismaelẽ, Iudæos adhuc carnales intelligi qui totis virib⁹ verũ Isaacũ, nẽpe populũ Christianũ persequũtur, sed solum

D. Primas. iohine Iudæi Ecclesiam lacessant persecutione? imo & Christiani, inquit D. Primasius, sed ô Primasi, si pro partibus Ecclesiæ stant Christiani, quomodo eos persecutores nominas? non enim persecutor alicuius incendius, qui illius defensor & protector est: nihilominus manet in sua Primasius sententia dicens, *carnales quoque Christiani hodie veram persequuntur Ecclesiam, aut detrahendo, aut immittendo calumnias aut male viuendo, quæ longè maior est persecutio*, en quomodo nostra peruersa viuendi ratio, maxima Ecclesiæ appellatur persecutio?

Cupidus bonorum terræ etiam proprio fratri iniuriosus.

81. *Cum vidisset Sara filium Agar ludentem*, vel vt cum aliquibus legimus, pugnantem, imo & percutientem Isaac, cur tibi fraterno sanguine coniunctum, non solum irrisione & subsannatione, imo etiam pugnis & quasi verberibus offendis? quid criminis in te commisit innocens? nihil equidem, sed timore hereditatis perdendæ commotus vinculum fraternitatis strictissimum violat fœdatque sanctissimam germanorũ vnionem, cupiditate bonorum terræ illaqueatus.

Qui alios contemnit eos persequitur.

82. *Cum vidisset Sara filium Agar ludentem*, lusum hunc persecutionem appellauit Paulus, sed proprium tyrannorum est persequi, vel impiorum, Ismael autē nec tunc tyrannus, nec impius censebatur, quomodo igitur fratris persecutorem dicit Doctor gentium? diximus quod ludere hîc illudere alteri præ contemptu denotat: non immerito igitur hic ludus nominatur persecutio, alios enim contemnens eorum persecutor est, Fauet Vatab. in Schol. dicens, *fuit maligna subsannatio, quia proteruus adolescens fratrem adhuc infantem præ se contempsit.*

Vatab. in Scholus.

Prouocans ad alicuius irrisionem suppliciò dignus.

83. *Cum vidisset Sara filium Agar ludentem cum Isaac*, exilio iudicauit dignum, simul & matrem, non est adeo graue crimen ludus cum alio, vt ludens eiectione domus paternæ puniatur, sed cōsulamus lectionem Hebraicam vbi enim habemus ludentem legit facientem irridere, quod exponens Caiet. ait, *faciens irridere, hoc est efficiens vt pueri coætanei Isaac, ludentes cum eo irrisionem aliquam facerent ipsi Isaac, & hoc congruit Ismaelis ætati, qui ad minus erat decem & octo annorum*: non mirum igitur Saram eiectionem Ismaelis à domo patris satagere, prouocans enim ad alicuius irrisionem, & ludibria, supplicio dignus est.

Card. Caiet.

Iusti etiam humanis aliquando ducuntur affectibus.

84. *Cum vidisset Sara filium Agar ludentem cum Isaac*, ita moleste tulit, vt persuaserit Abrahamo Ismaëlis exilium, quid Ismaëlem formidas? nonne filius est ancillæ, sicque hæres domus paternæ futurus non est? non à veritate discedit responsio Lippom. *materno affectu tam odiebat ancillæ filium quam suum, sic eo sensu amabat impatienter*, &c. en vides quomodo etiam sancti non carent affectibus? vt hinc cognitam habeamus nostræ infirmitatem.

Lippom.

Nobilitatis splendor potius ab educatione & institutione quam ab origine naturæ.

85. *Cum vidisset Sara filium Agar ludentem cum filio*, vterque ludit, & sic si pueriles ludos, si pueriles affectus inspectes in nullo discernebatur filius liberæ à filio ancillæ: vnde ergo habuit Isaac quod splendidior & nobilior esset suo fratre Ismaele: an ex originis natura? in nunc, quando ortus à Sara nihilominus eidem vacat ludis, cum filio ancillæ in affectu non dissimilis, vnde ergo habuit nobilitatis splendorem, qua distingueretur à seruo & agresti homine? sane ex matris institutione & cura, quæ filium non est passa misceri seruilibus ludis, vt qui educari debeat politioribus disciplinis: hinc colliges, nobilitatis splendorem emanare potius ex bona institutione & educatione, quàm ab origine naturæ: pulchre ad hæc aiebat D. Ennodius oratione 5. *nullo teste nobilitatis vtitur, cuius sāguinem non prodit instructio, quia bonorum semper meritorum labes est, & habere lucem sanguinis, & noctē rusticitatis includi, prodi stemmatum vocibus, & imperitia fiscante delitescere, aurum nihil est, nisi manu componatur artificis, & fului pretium metallo lima fabricante iungatur, cessante industria, exigua est claritas quæ venerit à natura.*

Ennodius oratione 5.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS X.

VVLG. Eiice ancillam hanc, & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac.

Pag. Quia non hereditabit filium ancillæ huius, cum filio meo Isaac.

EXPOSITIO.

Eiice ancillam hanc & filium eius, optima est ratio, cur aduersus Ismaëlem commota & indignata fuerit Sara, scilicet quoniam & se in extrema esse cōspiciebat ætate, virumque suum prope decrepitum esse, verita est ne fortè cito atque etiam repente ambo è vita discederent, sicque Ismael quod patrem etiam haberet Abraham, tentaret se in hereditatem intrudere, & ab ea Isaac depelleret: vel saltem ex æquo eam cum ipso diuidere, idcirco suadet viro suo vt matrem & filium mittat in exteram & longinquam regionem, vel asseramus hæc Saram à Deo motam dixisse, etenim voluntatem & sententiam illius Deus confirmauit, cuius rei hanc ipsemet reddidit causam, quia in Isaac vocabitur semen tibi, id est solos descendentes ex te per Isaac appellari volo semen tuum: at si domui tuæ simul Ismael sint & Isaac, cū ille sit semē tuū, atque etiā primogenitus tuus, sine dubio posteri eius appellarent semen tuū, consensum igitur præbe cōiu-

gi, eiectio enim Ismaëlis efficiet, vt solus Isaac successor erit in domo tua, ac proinde per ipsum solum nomen seminis tui propagetur.

Non erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac, per hereditatem non intellige bona quæ dicuntur stabilia, non enim ea possidebat, sed multiplicem ac pretiosam suppellectilem, gregum armentorumque copiosam multitudinem, plures seruos & ancillas, & quorum vtique nolebat Sara participem esse Ismaëlem.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Coniux omnibus præferenda.

86. Eiice ancillam & filium eius, dixit Abrahæ Sara, quis dubitat quod id molestè feret Patriarcha, cùm legitimus sit eius filius, quamuis ex coniuge minus principali susceptus: quis enim ita inhumanus pater vt prolem sibi dilectam à domo expellat? est ab hereditate nihilominus, Ismaël expellendus, coniux enim omnibus præferenda, *noli te miscere ancillæ*, inquit D. Ambr. l. 1. de Abrah. c. 7 *ne suscipias ex illa filium & vxor tua non patiatur cohæredem illum filio tuo fieri, vides enim hinc gratiam matrimonii solui, certe si incidisti, & habes filium, eiice ancillam & filium eius, melius est enim vt ancilla quàm vxor recedat, & filius ancillæ quàm legitimus eiciatur.*

Ambr. lib. 1. de Abr. c. 7.

Superbus nullo modo ferendus.

87. *Eiice ancillam & filium eius*, eiiciatur Ismaël, cum eum videris irridentem & subsannantem Isaac, sed domi relinquatur mater eius, quid enim commisit, vt simul expellatur, cum eo? certè verisimile est Agar immemorem suæ conditionis, vana spe intumuisse filio promisisse tāquā primogenito domū Abrahæ vniuersamque illius suppellectilem, atque adeo promissiones diuinas de glorioso semine Abrahæ euenturo, & hac superbia elata irrisisse simul cum filio puerum Isaac; intumescit igitur Agar, eiiciatur simul cum Ismaële, superbia enim nullo modo ferenda nobis consulit August. in quæst. super Genes. *mota est Sara*, inquit, *muliebri affectu propter ancillæ superbiam.*

D. Aug. in q. in Gen.

Mater sit sollicita, ne filius ex prauo consortio moribus peruersis inficiatur.

88. *Eiice ancillam & filium eius*, quod tibi fieri non vis alteri ne feceris, Sara impatienter ferres, si fores alicuius ancilla è domo herili cum opprobrio eiici, cur igitur expulsionem Agar ancillæ tuæ satagis? audiamus quid dicat Procopius, non solùm ob eam causam, vt ipse cum vxore pacatam agere possit vitā relegata est ancilla, sed deportata est, quod eam malitia infectam cognouerat, itemque Ismaël diuino iudicio pulsus est, quia admodum malitia deprauatus erat: meritò igitur postulat Sara tanquam mater prudentissima eiectionem tum Ismaëlis quam genitricis suæ, quia mater sollicita esse debet ne filius ex prauo consortio, moribus aliorum peruersis imbuatur, & inficiatur, sumuntur enim à conuersantibus mores, & vt ait D. Synesius Epist. 57. *Hæc Dei laus ac prædicatio est, inter deteriora versari vt in naturæ statu consistas, nec vllo modo inficiatur.*

Synesius Epist. 57.

Præcipuè à nobis remouendi sunt lasciui.

89. *Eiice ancillam & filium eius*, concedo ne prauis moribus eorum inficiatur Isaac eiiciendos esse, sed considera paterno affectu Ismaëlem diligi ab Abraham, molestèque laturum filii exilium, patienter itaque eorum mores tolera, ne grani dolore mentem Patriarchæ afficias; sed perseuerat in sententia mulier sapientissima, nam præcipue à nobis remouendi sunt lasciui, de quorum numero Ismaël erat, quod confirmat Lyranus, *percepit quod esset pronus ad luxuriam, & timens ne ad similia induceret filium suum Isaac, nuntiauit ista Abrahæ petens vt Ismaelem eiiceret.*

Lyranus.

Irrisor quamuis filius iusti, illius tamen non est dicendus.

90. *Eiice ancillam & filium eius*, si Abrahami proles est Ismaël, sicut & Agar, cur non ait Sara, eiice & ancillam & filium tuum: diximus in conceptibus versus præcedentis Ismaëlem irrisisse & subsannasse Isaac, cur igitur appellaret filium Abrahæ, quamuis proles eius sit? quia irrisor quamuis filius iusti sit, illius tamen non est censendus, quod annuit Lippom. dicens, *eiice eam superbam & præsumptuosam cum filio irrisore non tuo, sed illius.*

Lippoman.

Mater filium non reprehendens ipsa simul cum eo punitur.

91. *Eiice ancillam & filium eius*, filius expellatur, mater remaneat, cum ipsa Isaac non irriserit, non legimus quidem subsannasse, vel irrisisse, meritò tamē in eū excanduit Sara, eo quod ipsa filii sannas & petulantiam non compesceret, nec reprehenderet, mater autem vel pater filios peccantes non obiurgans simul cum eis puniuntur, quod docet Orig. l. 1. in Iob. *omnia* inquit, *quæ filii deliquerunt, de parentibus requiruntur, qui non audierunt nec eos corripuerunt.*

Orig. Hom. in Iob.

Nulla inter iustos & iniustos debet esse conuentio.

92. *Eiice ancillam & filium*, non enim erit hæres filius ancillæ cum libera, sed ô Sara, nonne hereditatis eiusdem possunt esse participes duo germani? per has duas matres intelligit D. Bernard. seruitutem diuinam, & humanam, & per Ismaelem & Isaac, iustos & iniustos: optimè igitur ait Sara, filium ancillæ non futurum heredem cum libera, quia nulla inter iustos & iniustos potest esse conuentio: vnde ait. Bernard. Serm. 6. de Ascensione, *nulla conuentio vanitati & veritati, luci & tenebris, spiritui & carni, igni & tepiditati.*

D. Bernard. Serm. de Ascens.

Iniquus siue superbus semper seruus.

93. *Eiice ancillam & filium eius*, cur non dixit eiice matrem & filium eius vel vxorem tuam minus præcipuā expelle, non autem ancillā? aduerte Agar typū esse superbiæ, si quidem dominam, a qua nō exiguum acceperat beneficium cōtempsit, quid igitur mirū, si & seruata nomine ancillæ, matrē non nominat? quia superbus semper quātūcūq; liber, seruus est, fauet D. Prim. ad Gal. 4. dicens *quātūmus iniquitas extollat, ancilla est.*

Prim. in c. 4 ad Galat.

Persecutio aliquando vitanda.

94. *Eiice ancillam & filium eius*, vidisti Ismaelem, vt iam diximus persequentem Isaac, imo præuidit mortuo Abrahā à persecutione filii tui nō cessaturū, & hac de causa ei⁹ eiectionē sollicitat anxia, sed cū certissima sit veritas, quod beati sūt qui persecutionē patiuntur

propter

propter iustitiam, cur à beatitudine quæ in persequutionibus reperitur filium remoues? persequentem expellis? quia persecutio non semper requirenda, imo aliquando vitanda, quod licet Petrus Comestor hoc innuat, cum ait, instabat Sara apud virum pro eiectione Ismaëlis, quia illa intellexit in ludo futuram persequutionem, scilicet quod patre mortuo, maior vellet dominari minori, tamen Christus Dominus longè clarioribus verbis exprimit Matt. 10. loquens enim discipulis suis ait, cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam, cuius rationem assignans Remigius. *Sic is conuenit infirmis in fide licentia fugiendi, qui bus condescendit pius magister, ne si vltro ad martyrium obtulissent fortasse positi in tormentis negarent.*

Petrus Comestor.

Matt. 10.

Deus non est tentandus.

95. *Eiice ancillam & filium eius*, ideo hoc suades Patriarchæ timore perculsa, ne manus violentas inferês Ismaël, Isaaco, eum interimat, sed nulla subest, (vt mihi videtur) timoris occasio, promisit enim Deus Abrahæ viro tuo, quod qui egrederetur de vtero eius, ipsum haberet hæredem, loquebatur autem de Isaac in quo etiam pollicetur omnes nationes benedictionem accepturas, maneat igitur Ismaël cum Isaac, ne aliquid formidet, cùm Deus maneat in verbo suo infallibilis: sed prudenter Ismaëlem Sara satagit expellendum, ne violenter opprimat Isaac: periculum enim fugiendum cum possumus, ne Deum tentare videamur, cui veritati subscribit D. Aug. l. 22. contra Faust. c. 36. dicens, *neque saluator quia non poterat tueri discipulos ideo fugere præcipit, sed instruebat hominis infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quid faciat vt quod cauere oportet, euadat.*

D. Aug. l. 22. contra Faust. c. 36.

Peccator Christianus, licet Christi videatur esse, illius tamen non est.

96. *Eiice ancillam & filium eius*, nonne ex tuo consensu suscepit Abraham ex Agar hunc Ismaëlem? voca igitur Sara filium Abrahæ, non autem solùm ancillæ prolem: nota Ismaëlē typum esse peccatoris Christiani: merito igitur licet Ismaël, sit filius Abrahæ, illius tamen proles non censetur, quia virtutem illius non colebat, sic & peccator licet sit filius Christi in baptismate, sed quia fœdis operibus animam deturpauit, illius non agnoscitur, quod optimè vidit D. Haymo in c. 4. Epist. ad Gal. *Ismael non fuit dignus ad hereditatem paternam admitti similiter in sancta Ecclesia sūt multi, qui renasc untur in vna sunt nati & qui filii videntur esse Abrahæ, sed qui opera non habent Abrahæ sequendo varios errores, diuersisque schismatibus, & variis criminibus se implicant, non merebuntur cum filiis hereditate celestis patriæ frui, de istis talibus dicit Ioann. Euang. de nobis exierunt sed non erant ex nobis.*

Haymo in c. 4. Epist. ad Gal.

Qui aliis bona eripere desiderat suis ipse spolietur.

97. *Eiice ancillam & filium eius*, parce ô Sara iuuenili Ismaëlis ætati & imprudentiæ, forte enim cùm ad maturiorem peruenerit, à sua resipiscet imprudentia, & quem nunc irrisit & subsannauit, honore maximo prosequetur, nihilominus excludum sollicitat: Sara, qui enim fratri Isaac bona eripere concupiuit dignus est vt eis ipse net spolietur: volebat, inquit Haymo, *eum dignitate*, adde & hereditate, *priuare ideo dicit Sara eiice ancillam & filium eius.*

Cit. Haymo.

Hereditate æterna priuatur carnalis.

98. *Eiice ancillam & filium eius*, non enim erit hæres filius ancillæ cum libera, si ab eodem genito patre, cur hereditatem æternam vterque non possidebit? licet enim vnus filius sit Agar, quæ fuit ancilla, tamen coniugis legitimæ nomen obtinuit, filius autem legitimæ vxoris ab hereditate patris non expellitur: ad iterre Ismaëlem carnalium fuisse typum, si quidem secundū carnem natus est: prudenter igitur loquitur Sara dicens filium ancillæ non futurum hæredem cum libera, carnalis enim hereditatem æternam cum electis non possidebit: Fauet Sedulius in cap. 4. ad Gal. *aliquo modo*, cum ait, *filii circumcisionis increduli atque heretici*, adde & carnales, *cum filiis gratiæ noui testamenti hæredes non erunt.*

Sedulius Hibernus.

Peccata aliorum non aperienda.

99. *Eiice ancillam & filium eius*, crimina eorum aperi, quibus notum sit omnibus, quam merito exiliū subire debeant, crudelitatis enim arguens, nisi eiectionis eorum occasio nobis fuerit aperta, nihilominus causam exilii eorum non aperit, licet fuerit ob eorum peccata, vt instrueremur peccata aliorum celanda.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI.

VVLG. Durè hoc accepit Abraham pro filio suo. *Sep.* Durum visum est verbum valde coram Abraham de filio suo.

Cald. Et displicuit nimis verbum in oculis Abrahæ *Arias.* Et malum fuit verbum valde in oculis Abraham super causas filii sui.

CONCORDIA.

Licet aliqua in his lectionibus videatur esse discordia, earum tamē idem est sensus, scilicet omnino displicuisse Saræ petitionem Abrahæ, quod autem nobis displicet, durè accipimus, & malum arbitramur.

EXPOSITIO.

Durè hoc accepit Abraham, Hebraïsmus est significans id quod sibi dictum fuerat à Sara molestè omnino tulisse, inhumanum enim nimis ei videbatur, vxorem & filium eius eiicere, erat enim contrarium charitati paternæ, legitimum filium quē alere & educare debebat eiicere domo, nec non coniugali fidei & amori repugnabat, vxorem contubernio priuare, nec non destitutam alimentis sibi debitis relinquere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Amor filiorum maior esse videtur quàm coniugis.

99. Dure accepit Abraham pro filio suo, nonne ô Patriarcha petitio coniugis Saræ fuit, vt non solum Ismaëlem è domo tua expelleres, sed & Agar remoueres, cur igitur solùm id durè accepisti pro filio tuo, non autem pro matre illius, quæ coniux tibi legitima est forte licet displicuerit Agar expulsio, tamen molestius exilium tulit Ismaëlis, quia maior erga filios patris amor quàm erga coniugem esse videtur: subscribit huic rationi Chrysost. *Patriarcha bene affectus erga Ismaelem, molestè accipiebat quæ à Sara dicebantur, neque enim de Agar multum solicitus erat.*

Chrysost.

Potius miseratione ducimur erga adolescentes quàm alios maturioris ætatis.

100. *Dure accepit Abraham pro filio suo*, nonne Agar tibi legima est coniux, erga quam coniugalem affectū imo & fidem obseruare teneris, quamque in manifestum perdendæ pudicitiæ ac vitæ discrimen conijcere videris, eam expellens à tuo contubernio? cur igitur non solùm illius exilium, sicut & Ismaëlis moleste fers? quia miseratione & compassione potius ducimur erga adolescentes, & infirmioris ætatis, quā alios iam maturioris *non de Agar* (inquit Chrysost. *multum solicitus erat, sed erga puerum ita afficiebatur vt pote adolescentem.*

Cit. Chrys.

Coniux aliquando ita onerosa & molesta, vt non curet eam vir extra domum eijci.

101. *Dure accepit Abraham pro filio suo*, ita ne tibi molesta est coniux tua, vt dictum non sit de te, dure petitionem Saræ accepisse pro illius exilio, sed solum pro filii expulsione? nisi pietas Abrahæ me commoueret, dicerem equidem eiectionem Agar vxoris suæ non molestè tulisse, quia coniuges ita viris aliquādo molesta & onerosæ, vt gaudeāt summopere si à tanto onere subleuentur earum absentia, vel exilio.

Aliquando viri clementiores mulieribus.

102. *Dure accepit hoc Abraham*, tanquam inhumanum existimans, imo & iniquum, vxorem propriam & filium legitimum eijcere, nec non in vitæ discrimē cōijcere: sed ô Patriarcha arbitraris ne Saram aliquid inhumanitatem sapiens consulere, cum sit pia virtutūque amantissima? quidni? aliquādo enim mulieres viris ipsis sunt inclementiores: vnde Lipp. ait, *vt Abraham natura clemens probare non poterat sententiam duram Saræ contra Ismaelem & Agar, expende sententiam duram Saræ & clementiam Abrahæ.*

Lippom.

Propheta non omnia noscit.

103. *Dure accepit hoc Abraham*, tanquam indignum suo amore erga Ismaelem & Agar, sed, si ô Abraham indignum foret vel inhumanum, & vt habet Arias, malū fuisset verbum valde, quomodo Deus tibi præciperet vxori obtemperare? nonne cum dono Prophetiæ præditus esses id scire debueras, tuamque diuinæ conformare voluntatem? Propheta quidem erat, id tamen cognitum non habuit, *quia* (vt inquit glossa) *Propheta non omnia noscunt nisi ex voluntate reuelantis.*

Gloss. ord.

Aliquando quis nesciens Prophetat.

104. *Dure accepit hoc Abraham*, quare contristaris Abraham? cum fuerit Prophetia quod tibi à Sara dictum fuerat, secundum testimonium D. Pauli ad Galat, 4. dices reuelatum ei non fuisse, sed quomodo Sara id Prophetice annuntiauit? nam prædixit non futurum hæredem filium ancillæ, cum libera: liquidum est per Saram nescientem hoc propheticè dictū, & nō mirum, quia vt optimè Origen tom. 3. in Ioann. *non quicunque Prophetisat Propheta est, sicut non quicunque iustè prosequitur, iustus est, sicut qui facit aliquod opus propter humanam gloriam, Caiphas prophetauit nec tamen erat propheta, sicut nec Baalam*, & Hugo Card. de ipsamet Sara loquens ait, *hoc dixit muliebri leuitate, vel in spiritu, & tamen non intellexit quid diceret sicut Cayphas.*

Gala. 4.

Orig. tom. 3. in Ioann.

Hug. Card.

Gratia gratis data non semper dignioribus prius, sed cui vult Deus, tribuitur.

105. *Dure accepit Abraham*, diximus ideo contristatum Patriarcham quia paterno affectu Ismaëlem prosequebatur, non enim ei adhuc à Deo reuelatum fuerat ita conuenire *sed solum Saræ*, inquit D. August. in quæstion. super Genes. *Hoc enim ex reuelatione dixit*, quia prius illi fuerat reuelatum, sed cùm longè dignior erat Abraham quàm Sara, cur Deus id ei prius aperuit quàm viro? vt intelligamus gratias gratis datas, non semper dignioribus prius tribui à Deo sed quibus videtur conuenire.

D. Aug.

Viri coniugum imperio non pareant.

106. *Dure hoc accepit Abraham*, cur imperium vxoris tibi molestum videtur? nonne tibi dixit [illegible] exequere igitur quod tibi præcipit, scilicet vt eiicias Ismaëlem eiusque matrem? merito mulieri non assentitur, quandiu hoc ei diuina reuelatione non est confirmatum; dedecet enim virum mulieris imperio regi, quippe cum huius rector, doctor & caput illius sit constitutus, nec viro perniciosius quidquam acciderit quàm mulieris parere cōsilio: in quam sententiam pulcherrime D. Hilbert. Epist. 16. *in statu innocentiæ totum hominem obedientia vendicabat, omnia enim ei subiecta, quamdiu mulieri subiectus non fuit, cui postquam male morigeratus est cœpit esse non suus, & tot dominis seruire quot vitiis.*

Hildebert. Epist. 16.

Matres ab occasione peccatorum filios auertentes à Deo commendantur.

107. *Dure hoc accepit Abraham*, & merito, quis enim pater ita inhumanus, vt filium à se omnino vellet remouere? & Sara imprudens & inconsiderata mihi videtur, quid enim in Ismaële vidisti, vt solicita eius exilium satagas? ludentem dices, itane te cōmouere debet ludus puerorum, vt in Ismaëlem exardescas? D. Chrys. partes Saræ tuetur dicens, *non immerito Sara rem hanc egit, sed oppido decenter vt Deus collaudaris eius dicta*, & merito quidem, ludus enim ille vt diximus, prouocabat Isaac ad Dei offensam, matres autem sic diligētes in extirpandis filiorū vitiis se exhibere debent, vt vix pullulantia euellere, solicita debent intentione curare, quia vt inquit Hier. Ep. ad Lætam, *cito flores depereunt, cito violas & crocum pestilens aura corrumpit*, parentum equidem flores sunt filii, vt vult Clem. Alex. l. 2. pædag. c. 8. *matrimonii*, inquit, *flores liberi, quos quidem carnalium pratorum diuinus colliget agricola*, hinc si matres præsto non sint attentamque non adhibeant custodiam, cito marcescent.

Clemens Alexand.

VARIETAS.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XII.

VVLG. Cui dixit Deus, non tibi videatur asperum super puero & ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen.

Sept. Ne sit durum coram te de puero & de ancilla tua.

Cald. Ne displiceat tibi in oculis tuis super puero &c.

Super ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, acquiesce illi, quoniam in Isaac vocabuntur tibi filii.

Ar. Ne sit malum in oculis tuis super puerum.

CONCORDIA.

QVod non ita clarè aperuit Vulg. cùm ait, in Isaac vocabitur tibi semen, id manifestiùs enuntiauit Caldæus, dicens, in Isaac vocabuntur tibi filii.

EXPOSITIO.

CVi dixit Deus, forte in visione nocturna per Angelum, *non tibi videatur asperum*, scilicet quod tibi Sara dixit super puero, nempe Ismaële, & super ancilla scilicet Agar, *omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*, intellige quo ad hanc expulsionem ancillæ cum filio, non enim ad omnia tribuitur dominium vxori super virum, æquum autem iudicauit Deus Ismaëlem expelli à domo paterna, vel quia insidiaturus erat Isaac vitæ, vel quia ad aliquod scelus eum prouocaturus erat: *in Isaac vocabitur semen tuum*, Hebraismus est significans solos descendentes ex eo non per Ismaëlem, sed per Isaac vocandos filios suos, siue de familia sua, non autem per Ismaëlem.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Castitas dominium in alios præbet.

108. O*Mnia quæcunque dixerit tibi Sara, audi vocem eius*, vnde vir subditur vxori? sane audierat Sara Angelos marito suo filium promittentes, & memor castissimi sui propositi, quo ab vxorio conuictu recesserat, ait, postquam consenui, & Dominus meus vetulus, voluptati operam dabo? quasi vellet, nec etiam promissione facta à castissimo proposito recedere, quo meruit vt mulier viro dominaretur, sic proxima verba recensens fatur Damian. Epist. 137. *quibus vtique verbis perspicuum est Saram castitatis iam tunc tenuisse propositum, & post hac dixit Deus ad Abraham, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius; ecce cui prius Abraham imperauerat, & Dominus dicebatur, iam illi per castitatis meritum obedire præcipitur vt eius verbis iam in cunctis obediat.* Sic castitatis propositum euexerat Saram in sublime, vt illam ipsius Abrahami Dominam constitueret.

D. Petrus Damian. Epist. 137.

Sub peccato seruitus, sub virtute libertas.

109. *Omnia quæ dixerit tibi Sara audi vocem eius*, vnde quæso Sara tantam potestatem habuit in virum, cùm potius iuxta præceptum Apostoli mulieres viris suis subditæ esse debeant sicut Domino Eph. 5. vers. 22. respondet egregiè D. Ambr. lib. 2. de Abrahæ c. 5. quæ seruitio delictorum se exuit, principatum habuit non seruitium: rectè quidem, nam qui non peccat, non potest seruire, cùm Abraham aliam vxorem habuerit, nempe Agar, quomodo nunquam imperans sed semper obediens, imo semper ancilla vocatur, cũ hoc nomen sortiri non deberet vxor illius existens? nota peccatoris typum gerere Agar, merito igitur nomen ancillæ non amittit: quamuis libera sit cum accepta sit in vxorem ab Abraham, quia peccator quamuis liber videatur, semper seruus est, quod D. Hieronym. in cap. 2. Ierem. n. 14. nunquid seruus est Israël aut vernaculus, rectè expendit explicans verba Ioann. 8. n. 33. semen Abrahæ sumus & nemini seruiuimus vnquam quomodo tu dicis liberi eritis? ait, *sed nesciebant, quod omnis qui facit peccatum seruus est peccati, & seruiat vnusquisque ei à quo vincitur, nati ergo de amico Dei Abraham facti sunt quasi filii Cham, cui dictum est, maledictus Chanaam erit seruus fratribus suis.*

Ephes. 5. Amb. l. 2. de Abrah. c. 5.

D. Hieron. in cap. 2. Ieremiæ 14.

Ieremiæ 2. Ioann. 8.

Obedienti magna posteritas promittitur.

110. *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*, deinde subiungit Deus, in Isaac vocabitur tibi semen, vel vt habe. Cald. in Isaac vocabuntur tibi filii: cur Deus imposito præcepto Abraham obedientiæ, posteritatem maximam pollicetur? quia obedientis præmium, maxima soboles esse potest, *quia Abraham*, inquit Phil. Abb. de obed. cleri. c. 10. *obediuit, tantam apud Deum meruit gratiam inuenire, vt multarum gentium pater efficeretur, & non tam carne quàm spiritu copiosa eius posteritas haberetur.*

Philip. Abb. de obed. cler. c. 10.

Deus nullius est acceptor, sed vnicuique quod suum est, tribuit.

111. *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*, scilicet quoad eiectionem Ismaëlis & Agar, sed ô Deus optime, nonne ex consensu tuo accepit Abrahã Agar in vxorem, & ex ea suscepit Ismaëlem? cur igitur vtrũque ita despicis, vt etiam eiicias? nota Agar typum esse malæ voluntatis, filium autem peccati, merito igitur Ismaël & Agar Deo volente eiiciuntur, nec futurus est Ismaël hæres paternæ hereditatis, quia cùm æquissimus & iustissimus sit: nullius est acceptor, vnicuique quod suũ est tribuẽs: fauet etc. Phil. c. 28. de obed. cler. *ancilla*, inquit, *figuratè est voluntas peccati, filius vero eius, affectus consentiens voluntati, quos nimirum iustitia, nempe diuina, quæ à peccati est libera seruitute, habere non sustinet suos heredistarium cum virtute.*

Cit. Abb. c. 28 de obed. cleric.

Amor Dei & preceptum illius omnia superant.

112. *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius,* & ne tibi videatur asperum eiicere matrem & filium eius: Dei modum loquendi expendo, non enim illi simpliciter iussit, sed ait, non tibi videatur asperum, vnde videtur non tantum voluntatis eius exegisse obedientiam, quantum intellectus submissionem, ne dicam obcæcationem, Agar enim erat Abrahami vxor legitima, Ismaël filius legitimus, contra ergo coniugalem fidem, contra naturale debitum, puerum matremque eiicere videbatur, vnde merito Abraham durè illud accepit, vbi re vera durissimum, quod tamen cùm ita videbatur, & ratio dictabat humana, non solùm ei Deus præcepit, vt obediat vxori, sed ne asperum ei videatur, quod asperrimum cělebatur, vti dictum, ita factum, sic post Dei locutionem, leue mandatum apparuit Abrahamo, vt libenter omnia quæ iusserit illi Deus executus fuerit: sed quod tibi asperrimum, dictū ab vxore videbatur, quomodo à Deo persuasum tibi leuissimum censetur? quia cùm Deum amore maximo prosequeretur, illius dilectio omnia superabat, fere ad hoc respiciens loquitur D. Greg. Mag. lib. 18. Moral. c. 17. *ardore diuini amoris cor durum emollitur ad amorem, & roboratur ad operationem, & sicut priùs durum fuerat in amore sæculi & quod antea audire renuebat, iam & credere & operari incipiat,* nil melius est, postrema adnotanda verba scilicet id quod prius exosum habebat, & sibi durum apparebat, amore accedente libenter admittit & non renuit.

D. Greg. Mag. l. 18. Mora. c. 17.

Gratitudo animi à Deo nobis suadetur.

113. *Omnia quæ dixerit tibi, audi vocem eius,* cur vir sanctissimus mandata vxoris admittit? nota quæso Saram non solum semel, sed & iterum se in discrimen coniecisse, vt vitam viri sui Abraham incolumem seruaret, cùm sororem se illius dixit, non autem vxorem; cur non igitur obediret Abrahæ coniugi, vt pro illo ab ea accepto beneficio, quasi gratiarum actiones reddēs ei obsequeretur? mens est Chrysost. *audi vocem eius, ne velis contristare eam quæ tanto tempore tantum amorem erga te declarauit, quæ non solùm semel, sed & secundo, vt te à morte eriperet, seipsam pro tua salute exposuit, & autor tuæ istius gloriæ fuit, primum quidem te fecit cum tantis diuitiis ab Ægypto redire, postea vero iterum in causa fuit vt ita te veneraretur ac obseruaret Abimelech,* en quomodo Deus suadet Patriarchæ vocem vxoris audire, ne tantis ab ea acceptis beneficiis ingratus videretur?

S. Chrysost.

Amor carnalis iudicium & rationem impedit.

11. *Omnia quæ dixerit, audi vocem eius,* durè enim acceperat eiectionem Ismaëlis, sed cùm Saræ id conuenire cognouerit, quomodo Abraham qui longè ea prudentior, ignorabat? aduerte quod carnali affectu Ismaëlem diligebat Abraham, quid mirum igitur non agnouisse quod vtile & necessarium erat? huiusmodi enim rationem & iudicium præoccupat. *nota,* inquit Thom Angl. *quod in hoc docemur, quomodo carnalis affectus impedit rectum iudicium spiritalem intellectum, quia enim Ismaël secundum carnem plus attingebat Abrahæ quàm Sara, & quia Abraham plus afficiebatur secundum carnem ad eum quàm Sara, ideirco Sara fuit magis disposita ad spiritualiter & subtiliter intelligendum malum Ismaëli quàm Abraham foret.*

Tho. Angl.

Deus secundum effectus suos variè denominatur.

115. *Omnia quæcunque tibi dixerit, audi vocem eius,* quis sic loquitur? in Hebræo Elohim, non Iehoua, cur potius Moyses inducens Deum loquentem Abraham non nominat Iehoua, cùm sit longè maioris dignitatis & maiestatis quàm aliud nomen? nota Deum in hoc quod præcipit Abrahæ, actum iustitiæ dicere, nēpe eiicere filium legitimum: merito igitur inducitur loquens tanquam Elohim, id est iudex, non autem tāquam Iehoua, quia Deus secundum varios effectus nomen sortitur, quod subtilis notauit. Caiet. *nomen est Elohim, & apte cùm de actu iustitiæ esset quæstio, Deus quatenus iudex alloquens Abraham apparet.*

Card. Caiet.

Virtus ne caro blandiatur spiritui, impedit.

116. *Omnia quæcunque dixerit tibi audi vocem eius,* scilicet deeiciēdo Ismaële, sed ò Sara, primum sollicita de illius exilio, virum tuum aggressa es: si tuo consēsu illum susceperat ex Agar, cur iam infantem repellere conaris: aduerte Saram virtutis typum gerere, Ismaëlem autem, carnem lasciuientem, Isaac autem spiritum denotare: prudenter igitur Sara Ismaëlem à communicatione Isaac separare satagit, virtus enim ne caro nostra spiritui blandiatur, studere debet, quod Beda indicat dicens, *quod indignata est Sara cùm vidisset Ismael ludentem cum Isaac significat, quasi caro, cuius personam gerit Ismael spiritui blandiatur qui est Isaac; hoc autem Saram quæ est virtus, maximè offendit.*

Vener. Beda

Viri humanitas mitiget iracundiam & dolorem vxoris.

117. *Omnia quæ dixerit tibi Sara audi vocem eius,* cur Deus solùm hic iubet Abraham vxori obtemperare? nota animi dolore pressam petiisse à viro vt occasionem mœstitiæ suæ nempe Ismaëlem expelleret, quod tamen renuit Abraham, inhumanum iudicans filii sui exilium, & ideo nunc obedientiam erga vxorem ab eo exigit Deus, vt hac humanitate & condescensione, Saræ leniret dolorem, mitigaret iracundiam, quod subtiliter obseruauit Ambr. lib. 1. de Abrah. c. 7. *nusquam alibi dixit audi vocem vxoris tuæ, nisi hîc, id est fecisti iniuriam vxori tuæ, & non mitigasti affectum eius, quasi diceret nunc igitur illi obediens & quid postulat concedens præbe illius dolori remedium.*

D. Ambr. l. 1. de Abr. c. 7.

Obedire inferiori & minoris meriti, non dedignemur.

118. *Omnia quæcunque dixerit tibi Sara audi vocem eius,* si tantæ dignitatis Abraham, tantique meriti, virtutumque ornamentis ita exornatus, Sara autem & inferior, minorisque dignitatis, atque meriti, quomodo præcipit Deus eximium Patriarcham mulieri, natura sua imbecilli, obtemperare? fortè vt hoc exemplo etiam superiores discant inferioribus & minoris meriti obtemperare, quod obseruat Euseb. Emiss. explicās illa verba Luc. 2. erat subditus illis nempe Christus Dominus virgini Mariæ & Ioseph, ait enim, *audiant hoc subditi, & subditi esse non dedignentur, si quidem omnibus prælatus, subditus fieri non est dedignatus, Prælati quoque non superbiant, & in Ioseph Prelato & in Christo subdito intelligant, quia sæpe fit vt maioris meriti sint subditi quàm Prelati.*

Præcepta quæ difficilia videntur, Deus aliquo beneficio mitigat.

119. *Omnia quæcunque dixerit tibi Sara audi vocem eius,* si du-

si durum & molestam videbatur Abrahæ, quod postulabat Sara, nempe vt Agar & Ismael eiicerentur, nonne durius ei videbitur, non solùm hoc exequi, sed etiam inferiori mulieri parere: inspice quid addident Deus, in Isaac vocabitur semen tuum: cur hoc ei imposito tam graui præcepto, pollicens? quia Deus ita in præceptis suis prudens, vt si aliquid arduum & difficile iubeat, aliquo singulari & eximio beneficio temperet & leniat.

Victima à Deo munda & incontaminata requiritur.

120. *Omnia quæcunque dixerit tibi Sara, audi vocem eius*, durus equidem sermo. sed cur ô Deus consulenti mulieri Ismaelis exilium, parere præcipis? nota Saram cognitam habuisse consortium filii Agar nociuum futurum Isaac, corrumpunt enim bonos mores praua consortia, Deus etiam statuerat Isaac sibi victimam offerendum: æquissimè igitur iubet Abraham, vt contuienti vxori eiectionem Ismaelis pareat, ne eius communicatione Isaac prauis moribus inficeretur, sicque victima immunda & contaminata aliquando offerretur: quem considerans D. Zeno ser. 2. de Abr. ait, *in primis infantiæ rudimentis offertur immaculata hostia.*

D. Zeno. serm. 2. de Abrah.

Quod inobedientia abstulerat, virtus restituit.

Omnia quæcunque tibi dixerit Sara, audi vocem eius, nonne sententiam ferens Deus in primam omnium matrem, dixit, *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, vel vt habent Septuag. ad virum conuersio tua? quomodo nunc mulierem dominantem, virum illius vocem audientem, imo ad eum se conuertentem efficis? quam præclare satisfacit Procop. *ordo propter virtutem conuersus est, sed de Eua aliter loquitur Deus dicens, ad virum tuum conuersio tua*, en quomodo quod inobedientia Euæ mulieribus communicauerat, nempe viris subiici, virtus Saræ abstulit, sit enim viri Domina?

Obediat concionator scripturis, non è contra.

122. *Quæcunque tibi dixerit audi vocem eius*, verum posset tibi ô Deus Abraham dicere, nonne imposita est pœna mulieribus, vt viris suis præstent obedientiam? minoris ne sum auctoritatis erga Saram, vt tenear sua exequi præcepta? nunquid potius legitimum est, vt vxor viri sui obediat voci, quàm vir coniugis suæ? aduerte per Abraham qui familiam suam bonis instruit præceptis, & verbo & opere eam colere docuit, diuini verbi præconem posse intelligi, per Saram autem Sacram scripturam denotari, Rupertus indicat: quo posito sic ipsemet respondet lib. 6. in Genes. c. 21. *iuxta mysticum sensum Abraham omnia quæcunque dixerit Sara, vocem eius audiat, id est prædicatorum chorus, omnia quæcunque dixit sancta & Prophetica scriptura de Iudæis & gentibus vocem eius audiat.*

Rupert. lib. 6. in Genes. c. 21.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIII.

VVLG. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.

Cald. Filium quoque ancillę ponam in gentem eum, quia filius tuus est.

CONCORDIA.

Semen pro filio sumitur, quod aperuit Caldæus, vbi enim habemus semen, legit filium; pronomen eum abundat, licet in Hebræo tamen reperiatur, nisi velis dicere ad maiorem expressionem positum esse.

EXPOSITIO.

Et filium ancillæ faciam in gentem magnam, quod equidem adimpletum, plures enim etiam duces ab eo originem duxere, cum tot Saracenis, *quia semẽ tuum est*, quasi diceret, hoc ei non tribuendum sed virtuti tuæ, quia etiam hoc consequitur, vt semen tuum non extinguatur sed multiplicetur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus si donum aliquod aufert, alio maiori compensat.

123. *Filium ancillæ faciam in gentem magnam*, si eum hæreditate paterna indignum iudicasti, & à domo patris expelli præcepisti, cur pollicens longe maius beneficium, nempe futurum esse patrem plurimarum gentium? quia Deus adeo bonus, vt si donum aliquod auferat ab indigno, quia conuenit, longe alio maiori compensat: non longe abest ab hac mente Lip. dicens, *licet nolim Ismaelem primogenitorum honore frui, quia tamen filius tuus est, licet fide fragilior, quia bonus, ego tamen benedicam ei, & multiplicabo in immensum, dona accipiet prodibunt ex illo gentes, & regna.*

Lipp.

Meritis sanctorum plura tribuuntur.

124. *Filium ancillæ faciam in gentem magnam*, si quia ludentem vel subsannantem Isaac Sara reperit, dignum arbitratur è domo paterna eiici, ne prauis suis moribus innocentem Isaac imbueret, cur eum tanto afficis beneficio, vt multarum gentium futurum dicas progenitorem? an arbor mala fructus bonos affertet? inspice quid dicat Deus, quia semen tuum, quod exponens Abul. ait, *id est meritis tuis hoc faciam*, & optime, meritis enim sanctorum plura Deus dignatur tribuere.

Abulens.

Communicatio impiorum fugienda, quia nociua.

125. *Filium ancillæ faciam in gentem magnam*, si eum vita dignum iudicasti, si eum posteritatis maximæ progenitorem polliceris, & Abraham amore paterno prosequatur, cur simul eum cùm Isaac degere prolemque illius simul commorari non sustines? dignum est enim fratres ab inuicem non separari: iustissime tamen ab inuicem eos separat, ne communicatio Ismaëlis & filiorum eius, Isaac & posteritati eius noceret, quod optime animaduertit Thom. Angl. dicens, *populus* inquit, *illo tempore erat cultor Dei principaliter seruandus & propagandus erat de solo Isaac nasciturus, illi autem populo erat valde nociua & periculosa commixtio caeterorum, si starent cum eis vt concines & cohæredes, quia tunc de facili scinderent & corrumperent veritatem diuini cultus.*

Thom. Angl.

Deus in afflictione consolator.

126. *Filium ancillæ faciam in gentem magnam*, nonne iam Abrahæ pollicitus fueras futuram Ismaëlis magnam posteritatem? ad quid igitur nunc iterum idem repetis? aduerte nimio dolore percitum Patriarcham, cùm prolem sibi dilectam matremque eius legitimam vxorem suam expellere teneretur: non sine mysterio igitur, posteros Ismaëlis copiosos fore nunc iterum prædicit, vt hac promissione futuræ filii magnitudinis eius leniat dolorem, afflictionem subleuet.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIV.

VVLG. Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum & dimisit eam, quæ cùm abiisset, errabat in solitudine Bersabee.

Sept. Sumpsit panes & vtrem aquæ, & dedit Agar & imposuit super humerum eius, & dimisit eam, abiens autem errabat per desertum ad puteum iuramenti.

Cald. Tulit panem & lagenam aquæ &c.

Arias. Et manicauit Abraham in diluculo, & tulit panem & vtrem aquæ, vel vt habet Caiet. vtrem aquarum.

CONCORDIA.

Aliqua nostræ vulgatæ cum Septuaginta videtur esse controuersia, hi enim habent, imposuit super humerum eius, & puerum, cùm in Hebræo hoc tantum legatur de lagena humero eius imposita: sed si recte mens Septuaginta expendatur, concordes aliis lectionibus reperiemus, cùm enim asserunt posuisse puerum super humerum eius, phrasi pluribus vsitata loquuntur, quà significant puerum in totum commisisse curæ Agar, dicimus enim communiter, committo hoc super humeros tuos, id est fidei & tutelæ tuæ trado, circa id quod controuersia videtur de deserto Bersabee, & de puteo iuramenti, vide expositionem.

EXPOSITIO.

Surrexit Abraham mane, ex quo patet quod præcedens visio Dei nocturna fuerit, cum ea percepta, vt id quod iussum fuerat adimpleret, *manè surrexit*, id est summo diluculo, *& tollens panem & vtrem aquæ*, phrasis est Hebraica, qua quidquid ad cibum, victum, potumque pertinet, appellatione panis & vini significatur, credibile enim mihi videtur quod cùm ditissimus esset Abraham, & Agar tanquam vxorem legitimam diligeret, nec non Ismaelem, abundantissimè eis prouidisse quæcunque forent necessaria itineri se accingentibus, nec eis seruos & iumenta defuisse ad conducendam tum abundantiam ciborum, nec non pecuniam, si enim aliis filiis quos ex Cethura suscepit, abundantissima largitus est munera, cur Ismaeli & Agar ea denegaret?

Imposuitque scapulæ eius, metaphoricus sermo quo significatur non cuipiam famulo, sed ipsi Agar onus curæ rerum imposuisse, *tradiditque puerum*, vt tanquam mater illi prouideret: puerum autem Ismaëlem vocat, licet ad minus decem & octo annorum esset, quia hoc nomine pueri omnes filios respectu parentum scriptura insignire consueuit.

Et dimisit eam, id est quò scilicet itineris necessitas compelleret, facit hic Abraham diuortium cum Agar iussu Dei, vnde Abraham & Agar inuicem deinceps debitum coniugale reddere nō tenebantur, sicut nunc cùm inter coniuges fit diuortium, vel ob rixas aliasue causas coniux alteri debitum soluere non tenetur.

Quæ cùm abiisset errabat, itineris inscia, *in solitudine Bersabee*, id est in deserto quod est apud Bersabee locum; hocque ponitur per anticipationem, quia eo tēpore quo dimissa fuit Agar, non erat aliquis locus qui vocaretur Bersabee, sed postea ita dictus ex iuramento Abrahæ & Abimelech.

Sed quia sententia maxime probabilis quæ per panē & aquam non quemlibet cibum vel potum intelligit, sed præcisè quod aquæ & panis nomine denotatur, hinc est quod varios animi conceptus de hoc exiguo alimento exprimemus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Obedientia erga Deum omnia vincit & superat.

127. *Svrrexit Abraham mane, tradiditque puerum*, scilicet Agar, *& dimisit eam*, nonne tibi durum videbatur Ismaelem & matrem eius dimittere, propter amorem in eos? quomodo igitur omni dilectionis consideratione posita, vtrumque eiicis? in memoriam reuoca id sibi à Deo iussum fuisse, quid mirum igitur nulla habita nec filii sui nec vxoris ratione, vtrumque dimisisse? obedientia enim erga Deum omnia vincit & superat: *vide*, inquit Chrys. *iusti probitatem eximiam, & qua ratione in omnibus religiosam suam mentem*

Chrys.

mentem declaret, nam quando audiuit Saram dicentem eyce ancillam &c. durum ei videbatur, eo quod bene afficiebatur erga Ismaelem, verùm vbi Dominus præcepit, statim facit quod imperatum est etiam naturalis amoris oblitus, quasi diceret vbi quid præcipit Dominus, facessant omnes affectiones.

Obedientia non differenda.

128. *Surrexit Abraham manè*, biblia antiqua legit summo manè, si Deus solùm tibi præceperat voci vxoris tuæ obedire, quoad eiectionem Agar & Ismaëlis, nec tempus designauerat, quo eiciendi forent, cur diluculo à lecto consurgens vtrumque dimittis? nonne in hoc grauissimo negotio separationis filii & vxoris quid agendum esset tecum diu consulere debuisti, & tempus aliud opportunum eorum exilio expectare? nec expectat, nec diu secum consulit, sed vt iussum à Deo accepit, summo manè exequitur: obedientia enim vera moras nescit & dilationem ignorat: sic D. Bona. in Alphab. Religios. Collatione 5. *vt obedientia Deo sit acceptabilis, debet esse prompta sine dilatione.*

D. Bona. in Alphabeto Religios. Coll. 5.

Obedientia sit sine discussione & sine contradictione.

129. *Surrexit Abraham manè & dimisit eam*, quia Deus præceperat, sed nonne discutere potuisti vtrum conueniens esset mulierem cum puero per viam solitudinis incognitam, cum vitæ discrimine dimittere? nonne mente voluere potuisti occasionem scandali præbere plurimis, qui inhumanitatis te arguent, cum nulla habita ratione, nec propriæ coniugis, nec filii, eorum tamen exilii feras imo & exequaris sententiam? hoc non obstante paret Dei præcepto, verus enim obediens eius præcepta non discutit, *homo*, inquit D. August. in Psal. 70. *positus sub præcepto audiuit à Domino Deo noli tangere, quid? hanc arborem, quid est enim illa Arbor? si bona est, quare non tango, si mala est quid facit in paradiso? nolo tangas, quare non tango? quia obedientem te volo non contradicentem seruum*, en vides quomodo obedientia, vt sit Deo accepta, simplex sit sine discussione, nec non voluntaria sine contradictione.

D. Aug in Psal. 70.

Obedientia sit sine tristitia.

130. *Tradidit puerum*, scilicet Agar matri suæ, & dimisit eam, ita ne inhumanus erga coniugem, & erga filium crudelis, vt nec vllum mœstitiæ signum præ te feras, nullo dolore tactus eos amoueas, & expellas? quis ita ferreus, qui in absentia eorum quos amore prosequitur, lachrymas non effundat? nonne in eorũ expulsione iussa Dei obedientissimus exequitur? quid mirum igitur nullum mœstitiæ signum præbuisse? obedientia enim alacritate condienda est: quod cit. Bona. confirmat. dicens, *vt obedientia Deo sit acceptabilis, ordinata sit sine deuiatione, iucunda sine turbatione.*

Doctor Seraphi.

Obedientia vniuersalis sit sine exceptione.

131. *Tradidit puerum*, nempe Agar & dimisit eam, si solùm ludentem viderat Ismaëlem, cum Isaac, illiusque prauos mores, ne eis inficeretur timuerat, solum filium Agar expelle, matrem autem legitimam vxorem tuam retine: reuoca in memoriam quid præcepit Deus Abrahæ, quæcunque dixerit tibi Sara, audi vocem eius, Sara autem dixerat Patriarchæ eiice ancillam & filium eius: merito igitur vtrumque amouet, nullo eorum retento, *obedientia enim*, inquit citatus doctor Seraph. *vniuersalis debet esse sine exceptione*, hoc est nihil eorum quæ tibi præcipiuntur omittendum est.

Bona.

Obediendum Deo quia semper vtile præcipit.

132. *Tradidit puerum*, nempe Agar, *& dimisit eam*, Deus equidem præcepit, vt vtrumque dimitteret, sed cùm itineris sint inscii, salus & eorum vita periclitabitur, & hoc adeo certum est, vt aqua deficiente in solitudine, pœne è viuis excessit Ismael: obedire igitur detrecta, imo potius ô Abraham obtempera, quidquid enim Deus præcipit, omnibus vtile est, teste D. Prosp. lib. sent. *magna*, inquit, *vtilitas homini iubenti Deo, etiam incognita iussionis ratione seruire, iubendo enim Deus vtile facit, quidquid iubere voluerit, de quo metuendum non est, ne non profutura præcipiat.*

D. Prosp. lib. sent.

Filii, quidquid iuste præceperint, parentes libenter exequantur.

133. *Tradidit filium, & dimisit eam*, quæ coniux tantæ pietatis erga Deum, tantæ erga virum submissionis, sine contradictione potest expulsionem à domo mariti tolerare: quomodo igitur Agar nec viro contradicere legimus? quis filius ita sui oblitus, qui non ferat molestissimè à patre proprio in exilium mitti? quomodo ergo nec Ismael iam plusquam octodecim annos natus, non renuit patris sententiam? nimirũ non est dubium Abraham aperuisse Agar & Ismaeli Dei voluntatem præcipientis, vt eiiceretur Ismael; igitur genitoris præcepto non renuit, filii enim parentibus, quidquid iuste præceperint libenter debent exequi.

Filii obedientiam parentibus & honorem exhibentes maius emolumentum accipiunt quam ipsimet parentes.

134. *Tradidit filium & dimisit eam*, diximus ideo non contradixisse Ismaëlem patri suo Abraham, quia filii obedientiam parentibus exhibere tenentur, sed si huiusmodi obedientia inutilis est imo nociua Ismaeli, si quidem ab hæreditate patris repellitur, cur nunc honorem patri exhibet, vt eius voluntatem non renuens, sequatur & amplectatur? merito ei obtemperat, honor enim & obedientia præstita parentibus, licet eis vtilis solum esse videatur, filius tamen eorum magis proficit: quod innuit Deuter. 5. Deus, dicens, *honora patrem tuum, & matrem vt bene tibi sit in terra*, expende cum Philo. lib. quod deter. potiori insidiatur, verba illa *vt bene sit tibi*, nam dicendum videbatur vt bene sit illis parentibus, quos honoras & quibus obtemperas, at vero Deus contrariam omnino rationem innuit, scilicet vt bene sit tibi, maius enim emolumentum percipit filius dum obtemperat honoremque debitum parentibus præstat, quàm ipsi parentes aliquid præcipientes, & à filiis aliquid requirentes. *sicut enim, ait Philo, qui virum bonum lædit, declaratus est seipsum mulctare, ita qui cedit præstantiori, quamuis dicatur illi præstare beneficium, reuera de seipso bene meretur, testis est his meis dictis ipsa natura & leges huic consentanea, diserte enim præcipiunt sic honora patrem tuum & matrem tuam vt bene sit tibi, non his qui honorantur, sed tibi.*

Deuter. 5.

Philo. lib. quod deterior potiori insidiatur.

Filius parentibus grauissimum onus.

135. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius, tradidit que puerum*, Septuaginta legunt, sumpsit panem, & dedit Agar ponens super humerum eius, &

paruulum, incredibile mihi videtur adolescentem fere, me annorum, (vt aliqui existimant) viginti, mulieris humero & ceruici impositum fuisse, cur igitur Septuaginta legunt super humerum Agar positum Ismaëlem fuisse? scio Phrasim esse, qua significatur illius curæ commissum, sed qua de causa hoc loquendi modo vtuntur, filios humeris parentum impositos? vt curā illorum denotent, quia vt plurimum filii parentibus onera sunt grauia, ita vt eos in humeris portare dicantur.

Magis diuinæ quàm nostræ curæ confidere debemus.

136. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, &c. nonne ditissimus es Abraham? nonne Agar coniux tua est? nonne Ismaël filius legitimus? cur ergo eis tam exiguum & leue viaticum largiris, quasi incognitis, non autem abundantissimum? ne suæ potius quàm Dei curæ videretur confidere? quod D. Theod. ita expendit, *verumtamen valde diligens puerum, fecit quod Dominus præcepit, & sic promissionibus diuinis credidit, quia non dat illis seruis, ancillis, auro, & argento, è domo iussit abire puerum cum matre sola, cum paucis panibus & vtre aquæ*, sed clarius Procop. *modicum viaticum illis est elargitus, Deo eorum curam demandauit.*

D. Theod.

Procop.

Non ita Dei curæ nostra dimittenda, vt eorum nullam habeamus.

137. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, &c. cum Dei prouidentia sit immensa, cur ò Abraham vacuam non dimittis Agar cum filio suo, maxima cum fide eorum vitam & salutem committens diuinæ solitudini? quia non ita Dei curæ nostra commendanda sunt, vt eorum nullam habeamus, vnde Abraham prudenter concessit illis qualecunque viaticum, ne aliquali sua industria deesset, à nobis enim exigitur vt nostram solicitudinem impendamus, at diuinæ misericordiæ plus credamus, vnde errant absurdissime qui rerum suarum aut nullam curam gerunt, aut non Deo, sed sibi tantum confidunt.

Fides maxima Dei promissis adhibenda.

138. *Tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius, & dimisit*, crudele factum, Ismael puer adhuc expellitur domo paterna vix cum aquæ lagena, inhumanitas non exigua, Agar à thoro maritali, imo & consortio separatur, & cùm paucis panibus eiicitur, sed aduerte Deum promisisse Patriarchæ, filiū ancillæ facturum in gentem magnam quia semen suum erat: non igitur inhumanitas illius accusanda, sed potius fides eius eximia extollenda, qui tantam Dei promissis adhibuit, vt de vita Ismaelis quamuis expulsi à propria domo, non dubitarit, *in ea re* (inquit catena Græca) *virtus Abrahæ micat; promissis enim Dei credidit, ita vt sine pueris sine ancilla emiserit, nouerat enim qui iusserat hoc, cumulate præstare commissa.*

Catena Græca.

Obediens nihil omittit eorum quæ sibi præcipiuntur.

139. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, &c. cur solum vtrem & panem pignori dilecto recedenti, pro viatico tribuis? nonne dixerat Deus Abraham omnia quæcunque tibi dicet Sara audi vocem eius? Sara autem teste Abulensi, noluit vt aliquid aliud Agar recedenti daretur, vt igitur tanquam obedientissimus præstaret, id quod sibi à Deo iussum fuerat, nihil omisit eorum quæ sibi præcipiebantur, *nihil aliud dedit* (inquit Abul.) *vt compleret voluntatem Saræ.*

Abulens.

Peregrini in accipiendo charitatis officio filiis anteponuntur.

140. *Tollens panem & tulit puerum & dimisit*, nonne idem est ille Abraham, qui peregrinis & ignotis vitulum tenerrimum & optimum comedendum apposuit, butyrum & lac obtulit post alia charitatis exhibita plurima officia? quomodo igitur qui est in aduenas liberalis, amandans è domo filium & vxorem tam exiguo viatico eos instruxit, vt solum panem & aquam idque in paucos dies dederit? ita ne qui in hospites & alienos tam benignus & largus erat, eum in vxorem & filium fuisse parcum & restrictum existimare conuenit? conuenit equidem, dummodo illius parcitati non tribuamus, sed maxime erga peregrinos charitati, quos etiam proprio filio in exhibendo eis omni obsequio pietatis anteponit.

Superbi omnino negligendi & quasi nudi relinquendi.

141. *Tollens panem & vtrem aquæ, & dimisit eam*, quid? quasi nudam & omnibus bonis spoliatam Agar cum solo filio, cui solus panis futurus est alimentum, emittis? aduerte Agar & Ismaelem spiritu superbiæ ductos, tam Saram quàm filium eius contempsisse: forte igitur non sine Dei singulari prouidentia, ita pauperes & quasi nudi eiiciuntur, superbi enim omnino negligendi & quasi bonis omnibus indigni relinquendi: fauet Tho. Angl. *forte hoc etiam voluit in pœnam & correctionem superbiæ Agar & filii eius, in signum quomodo superbi & ambitiosi abiiciendi sunt.*

Thom. Anglicus.

Deus manifestam vult esse omnibus suam prouidentiam & beneficia.

142. *Tollens panem & vtrem aquæ dimisit eam*, si tuæ liberalitatis & munificentiæ imitatores ô Deus nos esse desideras, quomodo Abraham fidelissimum & obsequentissimum ministrum tuæ voluntatis, ita parcum & auarum, quodammodo esse permittis erga propriam coniugem & filium, cùm pane & aqua ad incognitam regionem emittens? non tribuere parcitati & auaritiæ Patriarchæ, ita vile dedisse pignoribus suis alimentum, sed Dei prouidentiæ, qui quantam Ismaelis & Agar curam haberet, voluit exprimere, *Deus* inquit citatus doctor, *propter mysteria voluit ita fieri, vt ex hoc plenius pateret suum beneficium, suum regimen circa filium ancillæ.*

Cit. Doct.

Parcant parentes nimiæ suorum solicitudini.

143. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, si tibi deessent iumenta ô Abraham, quibus eorum viaticum potuisset deferri tuæ charitati vel humanitati parcerem, sed cum sacer fateatur textus cap. 12. dicens, Abraham fuerunt oues, boues, & asini, serui, & famulæ, asinæ, & cameli, cur nec vnum quidem dedisti ad eorum subleuandum laborem? longe enim conuenientius fuisset dorso iumenti quam humeris coniugis panes & aquam deportari: sed audi subtilem Procopii responsionem, *fortasse non dando iumentum ipsis pepercit, ne ad itineris molestiam, etiam cura iumenti curandi accederet*, en quomodo patres nimiæ suorum solicitudini parcere debent?

Procopius

Nimia

Parentes malint filios pauperes & bonos, quàm diuites & malos.

144. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, ergone homo ita diues, quem tantis cumulauerat bonis Abimelech, imo pietatis cultor eximius, filium amandans, nil aliud largitur, nisi quod pauperrimus posset tribuere, nempe panem & aquam? sed prudenter pauca distribuit qui senserat ipsos proteruos, ne abundantia peiores fierent, & Dei obliuiscerentur, maluit eos esse pauperes & bonos quàm diuites & malos, vtinam & patres hoc imitarentur exemplum, ne filiis plus æquo indulgerent, copiamque omnium rerum ministrarent, his enim efficiuntur aliquando deteriores, quos sic alloquitur Saluia lib. 1. ad Cath. Eccl. *quid astuas paterna pietas? quid ad conquirenda terrena & peritura distenderis? nihil maius præstare filiis potes, quàm si hoc bonum per te habeant, quod nunquam pœnitus amittant, non necesse est ergo vt filio tuo terrenos thesauros recondas, nulla re eum ditiorem facies, quàm si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris.*

Saluian. lib. 1 ad Cath. Eccl.

Occasio superbis alios deprimendi demenda.

145. *Tollens panem & vtrem aquæ*, dictum à nobis fuit ideo tam exiguum alimentum dedisse Abraham coniugi & filio, quia Sara ita disposuerat cui ex præcepto Dei tenebatur obtemperare Patriarcha, sed ô Sara, nonne sufficiebat eos pœna exilii mulctasse, & ab hæreditate futura patris Ismaëlem amouisse? cur igitur iussisti, vt pauperrimo alimento conducerentur, cùm afflictis non sit adaugenda tribulatio? satisfacit Paludanus, *Sara noluit quod Abraham daret abundantem prouisionem Agar & filio suo, ne inde haberet facultatem insurgendi contra Isaac*, en quomodo superbis alios opprimendi adimenda est occasio.

Patriar. Palud.

Synagoga solum litteram attendens onus habet quod ferre non potest.

146. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, ergone sic auarus fuit diues ille regum victor, & trecentorum decem & octo vernaculorum Dominus, vt præter panem & vtrem aquæ nihil filio donaret quem tristis eiiciebat, nec saltem vnum illi asellum commodaret; sed ea scapulæ matris imponeret? nota quod quamuis hoc tibi ridiculum videatur, littera tamen seruiet spiritui, & quod iam totus inspicit orbis aperiet, audi igitur Rupert. lib. 6. cap 22. *eiecta ancilla panem nō qualemcunque, sed hordaceum & vtrem non vini sed aquæ in scapula portat, sub onere curuatur. mirum Synagoga vera Abrahæ patris hæreditate priuata, solum litteralem sensum baiulans, sub onere importabili anhelat, nam importabile esse onus occidentis litteræ Petrus quoque testatur, dicens, quid tentatis ceruicibus discipulorum imponere iugum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus?*

Rupertus lib. 6, ca. 22.

Actu. 15.

Concupiscentia carnis abstinentia domanda.

147. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, vinumne deerat, cibusque defecerantne in domo Abrahæ? diximus per Ismaëlem ludentem cum Isaac, siue vt ait Apostolus, eum persequentem, carnem aduersus spiritum rebellem intelligi: merito igitur eiiciens filium suum Ismaëlem, solum ei tribuit panem & aquam, quia concupiscentia carnis non cibis delicatis, nec vini dulcedine tractanda, sed pane & aqua domanda, Bertorius c. 16. in Gen. testis est huius veritatis dicens, *Abraham, id est homo, quando videt duos filios, scilicet Ismael & Isaac, id est malos affectus cogitatus & opera confligere contra bonos, & in domo cordis sui videt ipsa opera carnis opera spiritus molestare, statim oportet ancillam & filium eius, id est carnem & opera carnalia eiicere & deprimere, & ad desertum pœnitentiæ mittere, & panem & aquam per abstinentiam sibi imponere.*

Petr. Bert. c. 16 in Genes.

Bonorum temporalium receptio sæpe hominem desperatum iam & deploratum designat.

148. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, non quidem vacuam omnino dimisit Agar, sed nota donorum genus, nimirum vtrem aquæ, ex quo deploratam eius salutem sic colligit Amb. in c. 1. Isaac dicens, *non cum vino vitæ de tabernaculis fugatur, aqua sola ager protrahitur, languidus sedentatur, conueniens enim erat vt quæ viuentis non merebatur alimoniam, vel solatium morientis acciperet*, dantur moribundis & deploratis aquæ, quæ valentibus & victuris minimè conceduntur, sic Synagoga per Agar denotatur, sic homini terrena incautè & indiscretè quærenti sæpissime ab indignante Deo dantur vt deploratæ salutis solatia.

D. Amb. in cap. 1. Isaac.

Peccator indignus nomine.

149. *Tollens panem tradidit puerum*, quo nomine vocatur, cur illud non aperit Moyses: & quod mihi difficilius fecisse negotium, est, quod in toto hoc capite, in quo de eius ludo cum Isaac, deque à domo Patris eiectione, de discrimine vitæ suæ, de vxore quam accepit, semper tamen eius nomen obuoluitur silentio, cur aliquando non exprimitur? si diximus peccatoris typum gerere hunc ancillæ filium, quid mirum in omnibus quæ gessit semper nomen eius præteriri, peccator enim manens, quidquid egerit, indignus aliquo nomine censetur.

Deus omnino matrimonium soluere potest.

150. *Tollens panem & vtrem aquæ dimisit eam*, cùm fuerit illius vxor legitima, cur eam à se repellit, cùm scriptum sit Matt. 19. *quos Deus coniunxit homo non separet?* videtur igitur illi non licuisse eam à se remouere: dices nondum illud præceptum à Christo Domino fuisse prolatum, secundo asseres solum diuortium cum ea fecisse, quoad thorum non autem quoad vinculum matrimonii, sed cùm Deus sit supra vinculum coniugii nonne dissoluere potest? quis dubitat? hoc enim testatur D. Hier. in verba Matt. cit. *Deus coniunxit vnam faciendo carnem viri & fœminæ, hanc ergo homo non potest separare, sed solus Deus.*

Math. 19.

D. Hier. in capite 19.

Qui à Dei præsentia separatur, errat sine cognitione.

151. *Tollens panem & imposuit scapulæ eius, quæ cùm abiisset errabat*, ita ne imprudens Agar, vt antequam domum Abrahæ relinquat, viam diligenter non inquirat? non est dubium ita solicitam inquisiisse, quomodo igitur illud aberrat? nota per Agar Abrahæ domum deserentem, animam à Dei præsentia se remouentem denotari, quid mirum igitur viarum inscium errasse? qui enim à Dei præsentia separantur sine vera cognitione in solitudine huius sæculi vagantur errantes.

Coniux secundum conditionem honeste tractanda.

252. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, diximus in expositione litteræ, nomine panis & aquæ intelligenda venire abundantiam ciborum, pecuniam, seruos, iumenta & alia quæ ad iter illud commodè faciendum conducebant, quæ abundantissime largitus est Abraham Ismaeli & vxori suæ, sed nonne conuenientius esset diuinæ commissam curæ coniugem cum exiguo viatico dimittere? Caietanus satisfacit, *nefas est credere quod emiserit pedites vxores & filium tenellum, & absque prouisione tum ex decentia Abrahę, tum ex ætate filii proprii tum ex sexu ac conditione*, Agar erat, *enim vxor*, expende illa vltima verba, quæ denotant coniugem honestè & secundùm conditionem tractandam.

Caiet.

Diuino procepto obediens omnibus abundat bonis.

153. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, nõne ille est idem Abrahã qui seruum Eliezer misit in Mesopotamiam cũ decem camelis diuite onustis suppellectili? quomodo nũc nõ seruum, sed filiũ cum solo pane & aquæ vtre dimittit? Deus equidem. qui eiectionẽ mãdauit nullũ verbum fecit de eiiciendo Ismaele adeo nudè: cur ergo adeo auarus est in filium? cur à te dimissum auro, argento & alia suppellectili nõ oneras? non erant hæc necessaria puero qui dimittebatur sub obseruantia præcepti diuini: quando quis sub tali obseruantia degit necessum est quod omnibus abũdet, & quod illi bona cuncta affluant: sic auctor cat. græc. *sine pueris, sine ancillis, sine auro & argento Ismaelem emisit: nouerat enim qui iusserat hoc eum ulate præstare promissa, id quod factum est, vix enim puer sitis confectus lugere cœpit, cum Angelus puteum indicauit potabilis aquæ &c.*

Auctor catena græc.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Cumque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborem, quæ ibi erat.

Sep. Defecit autem aqua de vtre, & proiecit puerum sub vnam arborem.

Cald. Et consumptæ sunt aquæ de lagena.

Arias. Et defecerunt aquæ de vtre.

Philo. Proiecit puerulum sub vna abiete.

CONCORDIA.

QVod nos cum aliis legimus arborem sine nomine: septuaginta abietem dixerunt, sed forte non ad rem שיח Sach enim virgultum aut arbunculam significat, non autem aliquam in particulari, sed forte existimarunt in deserto Bersabee multitudinem abietum fuisse, sub quarum vna puer derelictus est,

EXPOSITIO.

CVmque consumpta esset aqua in vtre, id est quamuis aquarum copia ferebatur à iumentis, tamen cum ex ea plurimi biberent, tandem defecit, quia ex itineris motu & nimio solis ardore sitis omnium adaugebatur.

Abiecit puerum, non tanquam humeris suis fuisset impositus, sed quia à matre derelictus, tanquam animam iam exhalaturus, præ nimia sitis angustia: nec tibi hæc expositio à veritate videatur aliena, nam Psalm. 30. legimus proiectus sum à facie oculorum tuorum, qui autem proiectus minime portabatur, vnde fit quod quamuis dictum sit Agar proiecisse filium suum, non colligendum est eum humeris suis detulisse: si autem inquiris cur sitis Agar non memoratur, cùm idem iter consumpsisset, ac filius, quia mulieres longe viris humidiores, & ideo minus indigent potu, uno ab eo per aliquot dies abstinent.

Psal. 30.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vbi pauper, ibi cito Deus subuenit.

154. CVmque consumpta esset aqua in vtre, cur cum aqua vinum non est largitus Abraham? vbi paternus amor? vbi tanti viri in extraneos liberalitas? peregrinos mensa diuite & plena excipit, coniugem autem aquæ lagena, vt habet Cald. dimittit, de dimittendo filio præceptum acceperat, non legitur autem aliquod accepisse de viatico, cur ergo ita pauperem, cum aqua sola, quæ cito consumpta est, dimittit? non crudelitas patris hoc faciebat, sed amor, sed fides, vbi enim promissionem accepit, quod Deus eiectum filium suscepturus erat, statim credidit eo citius Ismaeli subuenturum Deum, quo is pauperiori & viliori inuentus fuerit viatico: do Lipp. testem, *quanto Abraham (inquit) ancillæ in exilium destinandæ pauciora dedit, tanto fides ardorem maiorem expressit, nec tentauit Dominum, sed fidem maximam in eo habuit, quod euentum esset moderaturus.* Non credit Abraham posse fieri, quod Deus tardet ad egentem auolare, imo quot indigentiæ indicia, tot credit esse ilices, quibus Deus ad succurrendum inducatur.

Lipp.

Præstantissima Iudæis ablata fortunæ bona.

155. *Cumque consumpta esset aqua in vtre*, an aquæ ne vilissimæ apud Agar typum synagogæ abundant? imo deficiunt: sed cur panis non dicitur defecisse, sed aqua quæ facilius inuenitur? vt summa eius exprimeretur inopia & vt cum rebus communissimis carere diceretur, clarius intelligeretur, pretiosissimis quibuscunque caritura; vnde Cyrill. Alex. in cap. 29. Isai. cangustabo Ariel & erit fortitudo illius ac diuitiæ mihi, ait, *terrenæ eorum nempe Iudæorum emunctæ & exinanitæ sunt.*

Cyril. Alex. in c. 29. Isai.

Cùm humanum deest auxilium, diuinum adest.

156. *Cumque consumpta esset aqua in vtre*, cur Abraham

tiam magnæ aquarum copiam non tradidit, vt diutius posset ... non absque Dei speciali voluntate id factum est, sed cur Dei voluntas in hac aquarum penuria intercessit? ait Lippo. *vt locus esset desperationi in qua diuinum imploraretur auxilium, tunc maxime propinquum cùm deest humanum.*

Auctor. Cat.

Occasionem resipiscendi præbet Deus.

157. *Cumque consumpta esset aqua in vtre*, nescio cur afflictis afflictio datur; ecce tamen à tentoriis Abrahami Agar & Ismael eiiciuntur cùm maxima eorum angustia, & nunc in itinere ita siti opprimitur Ismael, vt iam sit morti proximus, quomodo igitur disposuit Deus aquam in vtre deficere? forte in hanc necessitatem incidere permisit, vt vterque proiectus puniretur. sicque admonerentur peccati sui, agnoscenteque, veniam ab eo postularent.

Aliqui ex Iudæis ad Christum Dominum conuertuntur.

158. *Cumque consumpta esset aqua abiecit puerum subter arborem*, quid nobis denotatur in hoc quod itineris initia, Agar deficiente aqua, subter arborem natum proiecerit? quid enim refert cognitum habere, vtrum hæc contigerint vel nesciuimus per Ismaëlem populum Iudæum carnalem intelligi: lege nunc Bedam dicentem, quod filius siti deperiens significat populum nullam habere spiritualem purificationem, quod vero filium sub arbore proiecit, & sic demonstrante Angelo fontem aspicit, *significat quosdam ex illo populo ad vmbram ligni crucis refugium petituros, visurosque fontem aquæ viuæ, reseratis oculis, id est Christum.*

Venes. Beda.

Diuitem omnes sequuntur, factum autem egenum derelinquunt.

159. *Cumque consumpta esset aqua in vtre abiecit eam & abiit*, cur Agar solum Ismaëlem comitatur, cum superest aqua, in vtre deficiente autem ab eo recedit? cùm potius eum pene morientem præsentia sua consolari deberet, sed precor aduerte per aquas huius sæculi, diuitias denotari; sicut enim aquæ fluunt, sic opes instabiles transeunt motu perpetuo: non mirum igitur si aqua in vtre remanente Ismaelem Agar sequitur, deficiente autem abiicit & abiit, quia cum quis huius sæculi diuitiis potens est, innumeros possidet amicos, qui blandientes eum comitantur, si autem in paupertatem inciderit, deficiente que pecuniarum aqua ab eisdem contemnitur, & derelinquitur, quod regius Vates testatur dicens, qui iuxta me erant, scilicet tempore prosperitatis, de longe steterunt, scilicet occurrente aduersitate, nã in necessitate & paupertate rarissimos inuenies amicos, vnde Steph. Tornacensis. Abb. sanctæ Geno. Ep. 210. ait, *inuenisse me gaudeo quæ ... multi, inueniunt pauci, amicum dico necessitate fidelem, opere efficacem.*

Stephan. Torn Epist. 210.

Improbitate puer vocatur quis, quamuis alio senior.

160. *Abiecit puerum subter vnam arborem*, Phil. in lib. de his verbis resipuit Noe, legit puerulum, si longe ætate inferior erat Isaac Ismaele, cum Ismael fereme viginti annos natus, quando subter arborem proiectus est, cur solum Ismael puerulus non autem Isaac hoc nomine vocatur? quia hoc solum merebatur non propter ætatem, sed propter leuitatem morum & improbitatem, *Ismaelem*, inquit est. Philo. *pene vigesimum annum agentem cum Isaac virtutibus perfecto collatum nominat puerulũ scriptura, proiecit puerulum sub vna abiete, at qui ante natum Isaac annum tertium decimum egressus Ismael circumcisus est, & tamen quamuis iuuenis puerulus vocatur*, en vides Ismaelem ætate seniorem quam Isaac, tamen improbitate vocari iuuenem?

Philo in l. de his verbis resipuit Noe.

Mater maximo affectu erga filios ducitur.

161. *Abiecit puerum subter vnam arborem*, pater à domo sua repulit, & mater in solitudine à se proiecit, non miror e Agar Abrahamum in exilium eum misisse, præceptum enim à Deo acceperat, cui nefas est summum non obtemperare, sed cum tua cura & sollicitudini commissus fuerit Ismael, quomodo omnibus destitutum: auxiliis dereliquisti: non ex crudelitate proiecit, sed ab eo recessit derelicto, ne mortem eius propriis oculis inspectaret *differebatur*, inquit D. Chry. *eius visceribus & dolebat, multum ... mater eo immodica erga puerum ...*, enim materna viscera amorem erga filios simulare.

D. Chrys.

Mater solatium filiorum omnino satagit.

162. *Abiecit puerum subter vnam arborem*, cur subter arborem, non autem dereliquit in media via, vt si quis forte per eam transiret ab eo sublevaretur? prudenter subter arborem proiecit vt solatio illius satageret, *vt puer*, inquit Carthus, *siti deficiens ad arborem reclinaretur, & eius vmbra à solis protegeretur ardore.*

Dion. Cart.

Durissima hominis afflictio quod bonis vacuus & habeat filios.

163. *Abiecit puerum subter vnam arborem*, scilicet aqua in vtre consumpta, dum aqua durauit, non est passa filium à se disiungi, at vbi defecit statim filium abiecit, & ipsa longe ab illo sedet ut non magis illum tibi adiungis, vt saltem solatium haberet in matre, qui non habebat vnde sitim extingueret: sane dirumpebatur doloribus, videns vtrem aqua vacuum, videns se in hoc pauperem, & tamen filium habere quem ex penuria sublevare non posset? sic enim ait Chrysost. vt vidimus penultimo conceptu, item quo magis filium diligeret, eo vehementius doleret, item vehementi dolore cruciaretur habens secum filium cum omnimoda alimenti penuria.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVI.

VVLG. Et abiit, seditque è regione procul quantum potest arcus iacere, dixit enim nõ videbo morientem puerum & sedens contra leuauit vocem suam & fleuit.

Sep. Et abiens sedit contra eum longe, quasi arcus iactum, dixit enim non videbo mortem pueri mei, & sedit contra eum exclamans autem puer plorauit.

Pag. Et abiit & sedit sibi è regione elongando se quantum est iactus arcus, quia dixit, non videbo quando morietur puer.

Caiet. Seditque è regione quantum sagittatoris arcus.

Vatab. Quantus est vnus iactuum arcus.

CONCORDIA.

VVlg. indicat matrem fleuisse, Septuaginta autem puerum Ismaelem; sed existimo nullam esse controuersiam, vterque enim fleuit, Agar propter futuram filii mortem creditam, puer propter imminentem interitum.

EXPOSITIO.

ET *abiit seditque è regione procul*, id est à puero recedens, sedit ex aduerso illius, ne morientem posset intueri, *leuauit vocem suam & fleuit*, existimans se ab omnibus derelictam, mortemque filio iam imminere, erumpit in clamorem, nec non copiam lachrymarum maximam effudit, cùm enim nullo modo posset ei subuenire, ab eo recessit, ne cruciatibus morientis magis affligeretur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Eo modo quo possumus aliorum saluti prouideamus, eorum necessitatibus subuenientes.

194. A*Biit & recessit quantum arcus iacere potest*, si desperata eius salus, propter aquarum penuriam, cur longius ab eo non recedis, ne maiori afficiaris dolore, saltem audiens puerum mortis cruciatibus torqueri? nota potuisse feras Ismaelem in deserto aggredi, eumque dilaniare: prudenter igitur ab eo cum seruis & domesticis, quos in comitatu habuisse diximus non lõge remansit, vt eo modo quo posset, si feræ superuenirent, eas simul cum seruis abigeret, sicque saluti prouideret, & vitæ superstiti consuleret: mens est Abul. cum ait, *non totaliter recessit vt videret ne quid de puero malum fieret, ne venirent aliquæ bestiæ ad vescendum eo.*

Abulens.

Maternus amor in imperfectis diuinum superat.

165. *Abiit & recessit sedens contra, leuauit vocem suam & fleuit*, quomodo doloris impatiens non pergit, sed sedit, non cantat sed plorat, diuinam voluntatem tanquam suæ normam abiiciens, non conicit oculos, sed auertit? mirum hoc non est, quia cùm esset imperfecta, non tam altè eius animo insederat diuinus amor, vt maternum dissimularet, quàm dissi[illegible] illa pia mater Melithonis, quæ vt aduertit filium ex 40. martyrum choro spirare adhuc, & tormẽtis quæ iam plurima tulerat superiorem exstitisse, quem propterea carnifex à cæteris martyribus segregabat, neque aliorum aceruo comburendum adiungebat, spe plenus, fore vt iuuenis superstes fidem abiuraret, & impiis tyrãnorum decretis obtẽperaret, quid ergo pia mater in qua Dei amor longe maternum superabat, plus doluit de filio superstite, quàm alia quæuis mater de extincto doluisset, neque enim sustinuit datum fuisse filium in necem, sed à nece reuocatum, nam *vt audit* inquit Greg. Nisse. *humanitatem carnis erga virum fortem contumeliam non tulit, sed illum quidem increpabat quod à commilitonibus & collegis Athletam segregasset*, & paulo post, admiratus generosam matrem quæ in conspectu filii multis cruciatibus fatiscentis & iam pœne animam exhalantis, minimè deficiebat, sed potius vt plura tormenta adhiberentur postulabat, nunquid (*inquit*) tale aliquid, quale matribus accidere solet admisit? nunquid viscera eius commota sunt, aut tunicam circumscidit? &c. remotie isthæc, etenim dicere aliquid eiusmodi absurdum, en [illegible] pia matre diuinus amor maternum longè superat.

D Greg. Nisse.

Absentia matris lõge est grauior filio quã ipsa mors.

166. *Abiit & recessit sedens contra, leuauit vocem suã & fleuit*, Sept. & D. Chrys. sic legunt, clamãs puer plorauit, sic etiam habet D. Amb. sed ô Ismael, ad quid tantã lachrymarũ copiã effundis? an imminẽtẽ tibi mortem deploras? sed existimo non tam eum fleuisse sensũ doloris ex siti ac morte iam vicina, quã ob charissimæ matris absentiam, quæ multo sibi acerbior quã mors videbatur: sic enim D. Aug. effatur, *quid mirum, si etiam illa ætate matre diutius non visa, & tanquam perdita, eo loco vbi solus remanserat, puer fleuerit*, scilicet comi & humano filio grauior est matris, quam vitæ iactura, morietur libens Ismael, si videns matrem obibit.

D Aug in Genes.

Nihil funestius matri contingere potest, quàm morientem filium intueri.

167. *Non videbo morientem filium*, si in tantô vitæ Ismaelis discrimine solum deseris, omni destitutum auxilio, nonne crudelitatis & inhumanitatis ab omnibus argueris? si enim à domo patris expulsũ semper es comitata, afflictionis suæ particeps effecta, cur nõ remanes doloris extremi socia? qui libet dolor filii matrem maxime pũgit, sed nihil funestius ei cõtingere potest, quàm prolem intueri morientẽ, ideo tanquã si animus defecisset, nec spectaculum huiusmodi ferre posset, ab eo discedit.

Spiritus vindictæ obcæcat oculos.

168. *Non videbo morientem puerum*, præ nimia scilicet siti, sed nonne Angeli auxilio puteum non longe distantem reperit, à quo aquam hauriens, filio propinãdam ministrauit: cur igitur antea diligenter eum non inquisiuit, vt filio subueniret? nota Agar spiritu vindictæ in Saram commotam, ab Abrahami domo discessisse: quid mirum igitur puteum non longè distantem non vidisse? passio enim vindictæ mentis oculos obcæcat, nec nõ corporis obtenebrat, ne quod nobis vtile est consideremus, & intueamur: fauet D. Chrysho. 3. de Saul & Dauid, *quemadmodum quandiu nox adest sæpe, ne præsentem quidem agnoscimus amicum, ita & in iracũdia, adde & in vindicta solet euenire, donec inter nos maleuolũ gerimus animũ & vox audita nobis aliter sonat, & ipsam faciẽ corrupta mẽte aspicimus, adẽ accidit in tempestate, nõ patitur nubiũ cõcursus nobis perspicuã esse cœli pulchritudinẽ, sed quãuis millies habeamus oculos perspicaces & acres, ne quaquã pertingere possumus ad illã superiorẽ iucunditatem, idem accidit in nobis ira*, adde & vindicta, *feruentibus, dum simultas veluti densa nubes ante oculos & an-*

D. Chrys. homil. de Saul. & Dauid.

& extremitas, facit vt voces aspectusque videãtur aliter quàm sunt, addéque efficit vt nec quod aspectui patet agnoscatur.

Affligimurne à nobis Dei memoria recedat.

169. *Non videbo morientem filium*, quænam maior calamitas aut pueri iam pœne exhalantis animam, aut matris feminuum subter arborem proiicientis? maxima equidem vtriusque, sed cur Deus vtrumque in tot miseriarum abyssum permisit incidere? vt memoria Dei ab ipsis non recederet, forte enim si nihil aduersi contigisset, statim Dei obliuio eos comprehendisset, quemadmodum in nobis experimur, cum omnia nobis prospere succedunt.

Tanta est aliquorum superbia, vt malint eorũ quæ sibi sũt charissima iacturã facere, quã humiliari.

170. *Non videbo morientem puerum*, dictum est tibi sine dubio à famulis potum deficere, cur igitur antequã consumeretur, aliquem eorum ad domum Patriarchæ nõ misisti, vt inde maiorẽ quàm antea aquarũ copiam afferret? sicque sitim tibi iam pœne animam exhalãtis sedasses, pignusque charissimum à morte imminenti liberasses: aduerte genus quoddam humilitatis ab alio aliquid postulare, quo indigemus: forte igitur cùm esset superba & arrogans, ad domum Abraham nullum ex seruis legauit, malens filii sui iacturam facere quàm sub manibus alterius humiliari, & quodammodo egentem se subiicere.

Nimia conturbatio nec attendit Dei promissa.

171. *Non videbo morientem populum*, cur desperatam habes filii salutem? nonne dictum tibi fuerat à Deo cap. 16. cùm fugeres à facie Sarai dominæ, multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine? hæc autem promissio litteraliter intelligitur de Ismaele, cum nullum alium præter eum susceperis filium: attende quomodo in maxima necessitate constitutum vidit filium? quid mirum igitur Dei promissis non attendisse, conturbatio enim animi impedit ne quod salutiferum & infallibile est consideremus.

Tum proximos amas cùm seueritatem in eos decretam exerces.

172. *Non videbo morientem populum*, ecce in Sara expulsionem Ismaelis mandabat Abraham, ille filii sui amator, rem durissimam detestabatur, ait enim textus, durè hoc accepit Abraham pro filio suo: vt autem hæc eadem expulsio mandata fuit à Deo dicenti non tibi videatur asperum super puero & ancilla tua, omnia quæcunque tibi dixerit Sara audi vocem eius: statim Abraham filium cum matre dimisit, ex quo præ nimia siti pœne secutus est interitus eius: cur ergo filium tantam seueritatem exerces, vt illum cogas exulare à domo paterna: an amorem beneuolentiamque qua illum prosequebaris, oblitus es? absit, imo tunc se pueri amatorem ostendit, cùm in illum exercet seueritatem à Deo statutam, ait Theodor. *cùm Sara dixisset eiice ancillam & filium eius, morem illi non gessit, vbi verò iussit Deus, statim opus verbis suppeditauit ex hoc beneuolentia quadam ductus erga Ismaelem*, quod Abraham abiiciat filium non fuit res odii, sed res amoris & beneuolentiæ, quando id Deus iusserat, & nunquam non amoris est illas seueritates in amatos exercere quas imperat Deus.

Theodor. q. 71 in Gen.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Exaudiuit autem Deus vocem pueri, vocauitque Agar Angelus de cœlo dicẽs, quid agis Agar? noli timere, exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est.

Cald. Et audita est coram Deo vox pueri.

EXPOSITIO.

EXaudiuit autem Deus vocem pueri, hinc habetur quod non solùm mater voce querula fleuit, sed etiam puer sub arbore iacens, cùm pueri vocem exaudisse testetur Moyses, *vocauitque Agar Angelus de cælo*, id est ab eo dimissus vt eam consolaretur, *quid agis Agar?* non tanquam ignorans inquirit, sed vt occasionem loquendi accipiat, *noli timere*, scilicet mortem pueri; quasi diceret ne timeas ex aliqua causa futurum aliter quàm prædixit, *exaudiuit enim Deus vocẽ pueri*, nẽpe Ismaelis, vel vt alii volunt, ipsius Agar, pro eo flentis, *de loco in quo est*, id est ex eo loco in quo iacet, sub arbore in quo eum deseruisti.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Lachrymæ nostræ ad Deũ dirigãtur vt exaudiãtur.

173. EXaudiuit Dominus vocem pueri, si mater illius nempe Agar fleuerit, vocéque suã leuauerit, cur non ait Angelus Agar, exaudiuit dominus vocem tuam? aduerte quod ait Caiet. *puer direxit vocem suam ad Deum, mater autem ad mortem si ti imminentẽ, nõ enim dicitur quod exaudiuit vocem matris, sed vocẽ pueri*: merito igitur non dixit Angelus exaudiuit vocẽ tuam, sed pueri, quia profectò sæpe inter afflictiones & dolores, ploramus & clamamus, nec tamẽ exaudimur, quia non ad Deum nostros fletus dirigimus, sed temerè ac frustra lamentamur nostræ autem lacrymæ cũ sint pretiosissimæ ad Deum solum deberent dirigi.

Card. Caiet.

Pœnitentiam nostram, non autem delicta præterita, attendit Deus.

174. *Exaudiuit autem Dominus vocem pueri*, nonne ille est Ismael, qui iustum & innocentem persequebatur? quique eum vel ad idololatriam, vel ad lasciuiã prouocabat? quomodo igitur improbi vocẽ Ismaelis exaudit, cùm Deus peccatores nõ audiat: inspiciamus quid testatur Lyranus de Ismaele dicens, *iam erat viginti annorum, & ideo videns se in periculo mortis de malis suis præteritis doluit*, quid mirũ igitur, si vocẽ illius & preces exaudierit? pœnitentiã enim præsentem, non autẽ delicta attendit Deus præterita: quod prosequitur idẽmet Lyr. *exaudiuit enim, ac si diceat attendit Deus pœnitentiam, quam nunc habet in loco in quo iacet, non autem malitiam quam ante exercuit in aliis locis.*

Lyranus.

L ij

Afflictio maximè nobis prodest.

175. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, Deum deprecatus est igitur, quis dubitat? sed cum apud patrem manens, omnibus bonis abundans, ad Deum preces fudisse non dicatur, quomodo nunc in solitudine, in siti, in æstu, in vitæ discrimine, ab omnibus derelictus, Deum deprecatur, imo de peccatis dolet? quia tanta virtus est afflictionis, vt nobis quamcunque spiritalem vtilitatem afferat, & contritionem delictorum excitet, Deumque adiutorem præbeat: quod noster Bonauen. in pauperum bibl. c. 111. confirmat dicens, *afflicti filii Israel à serpentibus ignitis, dixerunt ad Moysem, peccauimus quoniam locuti sumus contra Deum & contra te.* Num. 21. *antequam vero Dominus illos serpentes immitteret, nec peccatum suum cognoscebant, nec diuinum auxilium postulabant*, accommoda hæc Ismaeli verba.

Noster Seraph. Bona. in paup. Bibl. c. 111.

Num. 21.

Dei amor in nos, quemlibet alium longe superat.

176. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, nonne mater eum abiecerat, omnibus destitutum auxiliis? nonne pater à domo eiecerat? si autem nullus amor cum patris & matris dilectione erga filios cōferri potest, quomodo filium, quem pater expellit, quem mater proiicit, hūc Dominus respicit eique subuenit? quia Dei amor erga nos, quemlibet alium etiam maternum aut paternum superat, *misericors* (inquit D. Chrys.) *& benignus Deus patris & matris erga nos curam sua transcendens pietate, exaudiuit vocem pueri*, quod regius vates Psal. 9. confirmat dicens, pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.

S Chrysost

Psal 9.

Plurima pro miseris Deum deprecantur.

177. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, tenent aliqui puerum non clamasse, (forte iam moribundus, ne aperire quidem os valebat), quis ergo Dominum deprecatus est pro puero Ismaele? dices matrem, sed nonne Deum alia interpellarunt? audi Lipp. *clamabat fides innocens Abrahæ, promissio Dei, lachrymæ matris, oculi Domini vbique intuentur necessitates fidelium.*

Lipp.

Mater non suam sed potius filii mortem formidat.

178. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, id est secundū aliquos vocē matris pro vitæ filii incolumitate deprecantis: sed ô Agar, nonne idem vitæ periculum incurristi? si quidē cùm aqua tibi defecerit, vndenam hauriēda sit aqua, ignotum habeas, præ nimia etiam siti in hac vasta solitudine deficies: Deum igitur pro vitæ tuæ conseruatione exora, tantus est amor matris erga filiū, vt vitam illius suæ præferat, sicque potius Deum pro subleuanda filii necessitate, quā sua deprecatur: sensum hunc habet D. Hier. *flente matre & mortem filii miserabiliter præstolante, Deus exaudiuit puerum, de quo pollicitus fuerat dicens, sed & filium ancillæ tuæ in gentem magnam faciam, alioquin & ipsa mater non suam mortem, sed filii deplorabat*, preme vltima Hier. verba.

D. Hier in qq. Hebr.

Nihil æstimes à parentibus & omnibus creaturis deseri vbi Deo curæ es.

179. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, nonne eadem siti premebatur in brachiis matris, nec dubito, quin tunc puer ea oppressus, largas funderet lachrymas, exauditurne tunc à Deo? minime, cur igitur ait textus, auditum fuisse, Deumque illius curam specialem suscepisse? reuoca in memoriam iam eum matrem abiecisse, quasi suæ non amplius solicitudini commissus fuisset: ecce igitur vbi primum mater abscessit relicto puero, Deus adest, qui derelictum à parentibus suscipit, & in magnas spes alit.

Qui etiam sunt in virtute imperfecti, à Deo exaudiuntur.

180. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, cur non dixit Ismaelis, cùm iam excederet pueritiam? aduerte nomine pueri intelligi eos posse, qui in virtute sunt adhuc imperfecti, & quasi adhuc pueri, secundùm illud Pauli 1. ad Corinth. 3. tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; merito igitur ait Angelus, exaudiuit Dominus vocem pueri, quia qui etiam adhuc in virtute non profecerunt, à Deo exaudiuntur: fauet Procop. *amanter præsens locus excipiendus & tractandus est, cùm videamus pueros orantes exaudiri, & sane neutiquam despiciendi sunt spirituales liberi, & si nondum perfectionem fuerint consequuti, si quidē & hominum vocem exaudit Deus*, preme vltima verba.

1. Corinth.

Procopius

Iustorum meritis tribuenda est aliquando nostrarum exauditio deprecationum.

181 *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, cur non Agar quæ vocem suam leuauerat ac fleuerat? tum cur non ait Moyses, exaudiuit Iehoua, sed solum Elohim? non Agar vocem exaudisse, sed solum pueri testatur Moyses, quia erat semen Abrahæ, de quo promiserat, quod illud in gentem magnam multiplicaret; Elohim autem dixit non Iehoua, *ad insinuandum* (inquit Caiet) *meritum Abrahæ propter quem exaudiuit Deus puerum.*

Card. Caiet.

Deus afflictionem præsentem respicit vt nobis succurrat.

182. *Exaudiuit Dominus vocem pueri de loco in quo est*, cur hæc vltima addidit verba? quid enim locus conferre potest, qui præcipue non est sacer vt preces nostræ admittantur? nihil equidem: obserua sensum horum verborum *de loco in quo est*, esse de afflictione in qua sub arbore pœne iacet exanimis: merito igitur postquam ait, exaudiuit Dominus vocem pueri, subiungit *de loco in quo est*, ad innuendum maximè præsenti afflictione nostra commoueri, vt nos exaudiat, necessitatibusque nostris subueniat: *de loco in quo est*, (inquit Abul.) *id est non respexit Deus peccata sua priora, sed afflictionem suam præsentem, quia in loco deserti iacebat iam moribundus non habens auxiliatorem.*

Abulensis.

Simplicitas maximè Deo grata.

183. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, cur cùm alloquatur Angelus Agarem, non ait, exaudiuit Dominus vocem tuam? ipsa enim, ait textus, leuauerat & fleuerat: certum est puerum, si sumatur in bonam partem, simplicitatem animi denotare, iuxta illud Christi Domini dicentis, nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. quo supposito ait optime Cat. Græca, *non sunt puerorum preces contemnendæ, tametsi à perfecta ratione non videantur, amat Deus simplicitatem spiritus, facileque eiusmodi vocibus commouetur.*

Auctor Cat. Græc.

Tunc Deus potissimum ad opem nobis ferendam adest, cùm omnia humana nobis deficiunt auxilia.

184. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, quandonā? audiamus

diamus Agar loquentem, nō videbo morientem puerum, quasi diceret cùm pene sit exanimus, eique nullo modo subuenire valeam, subter arborem omni destitutum humano auxilio relinquo, exaudiuit igitur cùm omni destitueretur spe alicuius humani obsequii, & merito, Deus enim tunc potissimum nobis adest, cùm omnia alia deficiunt auxilia quod Chrysol. obseruat qui inquirens de tempore quo Dei Verbum suscipere carnem voluit ait, *quid est quod tempore regis nefandi Deus descendit ad terras, miscetur diuinitas carni: fit terreno corpori celeste commercium: quid est?* respondet vero, *Herodes, aliena gentis Iudæorum regnum inuasit*, libertatem sustulit, prophanauit sancta, quidquid erat cultus, quidquid ordinis aboleuit: merito ergo genti sanctæ, quia humana defecerant, diuina succurrunt, & eo tempore adest Deus ipse cui homo deerat, Chrysologo applaudit Chrys. hom. 16. in acta, ad eundem modum pendens Moysem qui Israëliticum populum è barbari regis tyrannide vindicaturus erat, tunc opportuno natum fuisse, cum seuerior in populum ingrueret persecutio, vt Deus opem ferre conspiceretur, *hoc mirabile* (inquit) *quod futurus præfectus non ante hoc, nec post hoc tempus nascitur, sed in ipso medio persecutionis furore, & nascitur & educatur, nam cum humana spem omnem negant, tunc diuina dispensatio clare fulget.*

Petr Chrys.

D Chrys. hom. 16 in act. Apost.

Angelorum alii boni, alii peruersi.

185. *Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo*, cur Angelum Dei dixit, cùm nullus sit, qui illius non censeatur? omnes enim ab ipso creati, nunc ab eodem conseruantur: non superfluè Dei Angelum dixit, ad differentiam eorum qui licet à Deo fuerint creati spiritus, tamen per superbiam à Deo recesserunt & Angeli Sathanæ non autem Dei nominantur, qui autem in fide & charitate sui creatoris permanserunt, Dei Angeli verè dicuntur.

Angelis bonis ad bona, malis autem ad vindictam Deus vtitur.

186. *Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo*, cur fidem adhibuisti, sed cùm Angelus Sathanæ mittetur in lucis Angelum, quomodo cito ei credidisti? videamus qua de causa de cœlo à Deo missus descēdit, vt eā solaretur adiuuaretque in puteo adinueniēdo, cuius aquis pœne filius extinctus, ad vitam reuocaretur: merito igitur malum non iudicauit, quia Deus bonis ad bona, malis autem ad vindictam vtitur: testem habemus D. Greg. lib. 2. Moral. c. 16. qui exponens illa verba 2. Reg. *vidi Dominum sedentem super solium suum & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris, & à sinistris*, ait, *dextera Dei Angelorum pars electa, sinistra autem Dei Angelorum pars reproba designatur, nec enim ministrant Deo solum boni qui adiuuant, sed etiam mali qui reprobant, non solum qui à culpa redeuntes subleuent, sed etiam qui redire nolentes grauent, à dextera ergo Dei & à sinistra Angelorum stat exercitus, quia voluntas electorum spirituum diuinæ pietati concordat, & reproborum sensus, sua malitiæ seruiens, iudicio districtionis eius obtemperat.*

D. Greg. lib. 2 Moral. c. 16.

Angeli orationes nostras offerunt Deo.

187. *Vocauit Angelus Dei, Agar de cœlo*, cui dixit exaudiuit Dominus vocem pueri, cur preces Ismaëlis à Deo exauditas fuisse annuntiat? quia sicut eas Deo offeruntur, sic Angeli exauditas nobis indicāt: vnde D. Aug. Epist. 120. *annuntiant Angeli non solum nobis beneficia Dei, verùm etiam illi preces nostras, non vt tunc Deus nouerit quid velimus, vel quo indigeamus, sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo temporales causas ad æternam veritatem referre, siue petendo quid erga se fiat, siue consulendo quid faciat.*

D. Aug. Episto 120.

Angelus nobis præbet securitatem.

188. *Angelus vocauit de cœlo dicens noli timere*, optimū equidē consiliū, sed quomodo formidare nō debeat cum interitum chari pignoris conspiciat, & sibi etiam mortem imminere persuadeat? siti enim agitata peribit, nihilominus quamuis nihil nisi formidabile conspiciat, præcipit Angelus ne timeat, securitatem enim præbent spiritus Angelici, *effectus enim custodiæ eorum est* (inquit D. Bona lib. 2. de Operib. conditoris c. 18.) *impedimenta boni & occasiones mali remouere*, à quo autem cuiuscumque mali siue naturæ siue moris remouetur, quid formidare potest?

Seraph. Doctor lib. 2 de oper. condit c 18.

Sacerdotes sunt Angeli.

189. *Vocauit Angelus Dei de cœlo*, est ne terrestris aliquis, vt ad illius differentiam alius de cœlo dicatur? permitte quæso vt consulam Paulum ad Gal. 1. dicentem, *licet Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam id quod Euangelizatum est vobis, anathema sit*: cur de cœlo addidisti Paule? nonne sufficiebat dixisse licet Angelus euangelizet vobis?&c. merito Angelum de cœlo dixit, ad differentiam sacerdotum qui sunt in terra Angeli: sic Theoph. *adiecit autem de cœlo, quandoquidem & sacerdotes Angeli vocabantur, ne igitur hæc de sacerdotibus dici putes, cœli appositione supernas virtutes adeoque potentias indicauit.*

Ad Galat.

Theophil. in c 1 ad Galat.

Propter Iustos alii etiam indigni Angelorum visione honorantur.

190. *Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo*, nonne ancilla est? quomodo igitur eam colloquio dignatur Angelus? vel quomodo Deus nuntium suum ad vilem fœminam Ægyptiam mittere non renuit? nonne Agar vxor fuerat Abrahæ qui iustissimus erat? dicam equidem tanti apud Deum hunc iustum fuisse, quod propter eum, etiam indignam ancillam visione Angelorum cohonestarit: sic Chrys. *quia Patriarchæ promiserat & illius hoc semen erat, tantam quoque curam erga eam declarare dignatur*, non seruam Agar iustissimi Abrahæ respice, non miraberis propter iusti prolem, Angelorum colloquium promereri.

Magna dignitas est animæ nostræ.

191. *Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo*, quomodo pulcherrimum aulæ syderæ procerem, triadis honorarium genium illum magnificum & ornatu gratiarum nobilem, diuinis honoribus perfruentem, & beatum, ad ancillam vilem, miserrimam mittit Deus è cœlo? vt singularem & eximiam quandam dignitatem animæ nostræ intelligamus, quod æterno beneficio Deus illius curam, institutionem, prouidentiam beatis spiritibus commendet: *magna*, inquit D. Hier. in cap. 18. Matt. *dignitas animarum, vt vnaquaque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum deputatum*, in hoc vel numinis sancti beneuolentia insusitata, vel inexplicabili Angelorum humanitate, quia miserorum hominum humilitatem, sordesque non defugiunt, admiratione obstupefactus hærebat.

Hyeron.

Vult Deus à nobis nostram necessitatem exprimi, vt inde beneficia sua agnoscamus.

192. *Vocauit Angelus, quid agis Agar?* an ignoras illam præ animi angustia sedere mœstam, & pæne exanimem filium deflere? cur igitur tanquam inscius cogitationum suarum, ab ea quid agat sciscitatis? non tanquam ignorans quærit, sed vult ab ea suam necessitatem exprimi, vt subinde recreata, magnitudinem diuini beneficii euidentius agnoscat, venereturque.

Quo indigniores sumus, eo diuina Dei beneficentia apparet illustrior.

193. *Vocauit Angelus, quid agis Agar?* posset dicere, expecto donec filius animam exhalet, sed cur, ô Deus, ab ea vis exigere cognitionem suæ diffidentiæ, in promissionibus, de quibus diffidere non deberet? accepit enim ab ore tuo filium suum fore multiplicandum, copiosæque multitudinis principem futurum: vult Deus palam manifestari, nullam pene mulieris fidẽ, vt pote suis toties repetitis verbis neutiquam credentem, vt quo illa magis indigna videtur, illustrior erga illam diuina videatur beneficentia, *pulchrum est enim*, inquit D. Hildeb. Ep. 16. *benefacere vel indignis.*

D. Hildeb. Epi. 16.

Verbo & opere consolationem à Deo accipimus.

194. *Vocauit Angelus & ait, noli timere*, & ilico subiungit, *exaudiuit Dominus vocem pueri*, nonne satis erat vt animum Agar mœstissimum solaretur, dicens noli timere? cur igitur addidit, exaudiuit vocem pueri Dominus? vt eam non solùm verbo sed & opere consolaretur, ab ea enim timorem excutiens vitamque filio conseruari promittens, non verbo tenus consolationem accipit.

Nihil formidandum cùm nobiscum adest Angelus.

195. *Vocauit Angelus & ait, noli timere*, quid? nonne posset inquirere, quid formidare non debeam? cùm nõ exprimas in speciali quid sit mihi non timẽdũ, merito non hoc aut illud declarat formidandum, quia cùm nobiscum est Angelus, non solum ab vno vel altero rei nociuæ timore sumus liberi, sed à nobis omnium formido repellenda est.

Deus nullum quantumuis vilem despicit.

196. *Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo*, si vilissima est Agar, si quidem solum ancilla nominatur, quamque Abraham ex Dei præcepto eiecit è domo, quomodo Angeli sui ministerio eam aggreditur? quia Deus nullum quantumuis vilem contemnit, & auxilio sufficienti destituit ô *misericordiam Domini*, inquit Chrys. *non quia ancilla erat, despexit eam.*

Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVIII.

VVLG. Surge, tolle puerum, & tene manum illius, quia faciam in gentem magnam.
Sep, tene illum manu tua.
Cald. Apprehende manu tua eum, quoniam in populum magnum faciam eum.
Caiet. Fac inualescere manum tuam in eo.
Arias. Fortifica manum tuam in eo.

EXPOSITIO.

Svrge, sedebat enim mœstissima de vitæ filii proximo periculo, *& tolle puerum*, scilicet sub arbore iacentem, pene exanimem, *& tene manum illius*, hoc est præ sitis ardore vehementer lãguidum & exhaustum, attolle, subleua, ductita, & materna solicitudine refrigerii promissi locum quære, *quia faciam in gentem magnam*, id est, futurus est enim maximæ posteritatis progenitor.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Angelus vt erigamur consulit.

197. Svrge, dixit Angelus Agar, cùm ei præceperis vt puerum subleuaret, refugiumque quæreret, id non poterat exequi nisi surgeret à loco in quo sedebat, ad quid igitur præcipis vt surgat? per Agar sedentem & quasi iacentem possumus intelligere animam peccatricem, delictorum suorum onere depressam: nõ superflue igitur dixit Angelus Agar vt surgeret, quia vt à peccatis nostris erigamur, consulit: vnde optime D. Bona lib. 2. de operib condit c. 18. ait, *Angeli nobis ad custodiam deputati, tenent nos stãtes ne cadamus, & cadetes nos adiuuant vt surgamus, nec vnquã nos deserunt etiã peccãtes, quin semper sint parati auxiliari si velimus.*

S. Bona. lib. 2. de Operib. condit. c. 18.

Peccatum casus est.

198. *Surge*, cur iubet Angelus Agar vt surgat? nota Agar peccatricis animæ typum gerere, merito igitur dixit vt surgeret, quia qui in peccatis est cecidisse dicendus, à quibus Dei auxilio surgimus: vnde Hugo Card. ait, *surge à peccato scilicet iuxta illud Eph. 5. surge qui dormis.*

Hugo. Car. Eph. 5.

Mater filiorum suorum sit solicita.

199. *Tene manum eius*, D. Hier. per hæc verba, non intelligit quod eleuasset ab humo iacentem, & eum propria manu tenuerit, cùm esset iam adolescens fere viginti natus annos, quid igitur significat manum filii sui tenuisse? respondet, *quod manu parentis tenetur solicitus monstratur affectus*, & merito, satagere enim debet mater omni qua potest cura, vt filius animi robore alios præcellat.

D. Hiero. in qq. Heb.

Quod minus à nobis aufertur, maiori compensat Deus beneficio.

200. *Tene manũ eius, quia faciã in gentẽ magnã*, sed perpendamus, cur antequã promitteret facturũ eũ in gentem magnã, dixerit ne timeas Agar: dices cùm vidisset se à domo Abrahã expulsam, timuit ne aliquid deterius sibi contingeret: sed existimo per hæc verba *ne timeas*, & per subsequentia *faciam eum in gentem magnam*, voluisse innuere nihil ei formidandum esse, quia

Deus

Deus talis est naturæ, vt si quid adimat, maiori beneficio cumulare soleat. Fauet D. Chrysostom. *ne mæreas*, inquit Angelus, *eo quod è domo eiecta sis, tantum enim age curam pueri, vt & in gentem magnam fiat.*

S. Chrysost.

Præsentibus beneficiis Deus futura conseruat.

201. *Tene manum eius*, deinde subiungit, faciam eũ in gentem magnam, nonne sufficiebat liberasse puerum ab eminenti vitæ periculo, nulla promissione facta? cur igitur iterum quæ iam pollicitus fuerat, promisit? merito quod difficile censebatur, nempe quod puer penè exanimis in magnam gentem fieret, iam collato maximo beneficio nempe vitæ restitutæ, pollicetur, *vt dudum*, inquit Lippom. *promissa Dei rursum audiens, credat de futuris beneficiis, præsentia cernens.* Deus enim nouis solet nos allicere & erigere beneficiis.

Lipp.

Deus pauca nescit largiri.

202. *Tene manum eius, quia faciam in gentem magnam*, inspiciamus quid fletu suo petierit à Deo Agar, sine dubio solam filii incolumitatem, quomodo igitur Deus non solum annuit eius petitioni, imo filium suum futurum in gentem magnam pollicetur? quia plura quàm ab eo postulamus, cùm nesciat pauca largiri, tribuit.

Qui aliorum princeps est, validus sit, vt alios tueatur.

203. *Tene manum eius, quia faciam in gentem magnam eum*, quænã est hæc causa? nis quæso? nulla equidem, quæ enim connexio inter tenere manum alicuius, & ideo eum in gentem magnam multiplicare? nulla equidem, sed lectionem Hebraicam quæ sic habet, inspiciamus, fac inualescere manum tuam in eo, id est eum corrobora, viresque adauge, quo sensu cognito, verissima erit causalis, nam qui aliorũ princeps est, validus sit & robore præditus, vt suos tueatur. Fauet Caiet. *non solum mandat Angelus vt tollat puerum, sed vt operam det ad hoc vt puer validus sit, quia princeps magnæ gentis futurus est.*

Card. Caiet.

Qui à Deo separatur, tantum temporalia consequi potest.

204. *Tene manum eius quia faciam eum in gentem magnam*, cur ei restituis incolumitatem, vt solum progenitorem gentis maximæ constituas? hoc enim solum temporale & caducum est, nota Ismaëlem matremque eius à domo Patriarchæ depulsos, typum esse eorum qui per peccata à Deo separantur: merito igitur solùm temporalia pollicetur eis, quia qui à Deo separantur, solùm ea consequuntur, obseruatio est Lipp. *per ministerium Angeli cum plura promisisset sed temporalia tantum, quia Agar iam abligata erat à familia Abrahæ cum filio secundùm carnem.*

Auctor catenæ.

Qui ad arborem crucis confugiunt ab omni periculo liberantur.

205. *Tene manum eius*, cuius? Ismaëlis, nonne ille est qui præ nimia siti penè iacebat exanimis sub arbore? quomodo non solùm à morte liberatur, imo iam validus, vt simul cũ matre iter facere possit, vsque ad puteum? aduerte arborem sub qua iacebat, figuram fuisse arboris sanctissimæ crucis, non sine mysterio sub illa ab imminenti morte liberatur, quia qui ad arborem sanctæ crucis confugiunt, ab omnibus liberi periculis euadunt: sic Hug. Cardin. *sub arbore crucis clamantes exaudit Dominus, id est affectum audit.*

Hug. Card.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Aperuitque oculos eius Deus, quæ videns puteum aquæ abiit, & impleuit vtrem; deditque puero bibere.

Sep. Vidit puteum aquæ viuæ, & iuit & impleuit.

Vatab. Vidit fontem.

CONCORDIA.

IN Hebræo non habemus quod septuaginta addiderunt, nempe viuæ, sed fortè subintelligere debemus, quia puteus aquis viuis scatebat.

EXPOSITIO.

APeruit oculos eius; Hebraïsmus est significans ostendere, ostendit si quidem fontem, quem præ dictam iam vel aliquo impedimento externo nec nouerat nec aduerterat, non quod in oculis aliquod fuisset impedimẽtũ aut velamen, *quæ videns puteum*, cuius nomine, fontem intellige, *abiit & impleuit vtrem*, quem ab Abraham acceperat, *deditque puero bibere*, vt sitim eius extingueret.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Odium in aliquem, oculos, ne quod nobis est vtile conspiciamus, claudit.

206. APeruit oculos eius, non legimus clausos habuisse, quomodo igitur asserit Moyses Deũ illi aperuisse? nonne odio in Saram suæ eiectionis occasionem ferebatur? merito igitur præsupponit Moyses oculos saltem mentis clausos habuisse, imo & corporis tenebrosos, oculi enim nimia odii passione caligant, nam qui hac conturbantur, etiam in rebus omnino necessariis manifestis & luce ipsa clarioribus, nec mentem consiliumque ad intelligentiam, nec

paruulum, incredibile mihi videtur adolescentem ferè meannorum, (vt aliqui existimant) viginti, mulieris humero & ceruici impositum fuisse, cur igitur Septuaginta legunt super humerum Agar positum Ismaelem fuisse? scio Phrasim esse, qua significatur illius curæ commissum, sed qua de causa hoc loquendi modo vtuntur, filios humeris parentum impositos? vt curã illorum denotent, quia vt plurimum filii parentibus onera sunt grauia, ita vt eos in humeris portare dicantur.

Magis diuinæ quàm nostræ curæ confidere debemus.

136. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, &c. nonne ditissimus es Abraham? nonne Agar coniux tua est? nonne Ismaël filius legitimus? cur ergo eis tam exiguum & leue viaticum largiris, quasi incognitis, non autem abundantissimum? ne suæ potius quàm Dei curæ videretur confidere? quod D. Theod. ita expendit, *verumtamen valde diligens puerum fecit quod Dominus præcepit, & sic promissionibus diuinis credidit, quia non datis illis seruis, ancillis, auro & argento, è domo iussit abire puerum cum matre sola, cum paucis panibus & vtre aquæ*, sed clarius Procop. *modicum viaticum illis est elargitus, Deo eorum curam demandauit.*

D.Theod.

Procop.

Non ita Dei curæ nostra dimittenda, vt eorum nullam habeamus.

137. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, &c. cum Dei prouidentia sit immensa, cur ô Abraham vacuam non dimittis Agar cum filio suo, maxima cum fide eorum vitam & salutem committens diuinæ solitudini? quia non ita Dei curæ nostra commendanda sunt, vt eorum nullam habeamus, vnde Abraham prudenter concessit illis qualecunque viaticum, ne aliquali sua industria deesset, à nobis enim exigitur vt nostram solicitudinem impendamus, at diuinæ misericordiæ plus credamus, vnde errant absurdissime qui rerum suarum aut nullam curam gerunt, aut non Deo, sed sibi tantum confidunt.

Fides maxima Dei promissis adhibenda.

138. *Tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius, & dimisit*, crudele factum, Ismael puer adhuc expellitur domo paterna vix cum aquæ lagena, inhumanitas non exigua, Agar à thoro maritali, imo & consortio separatur, & cùm paucis panibus eiicitur, sed aduerte Deum promisisse Patriarchæ, filiũ ancillæ facturum in gentem magnam quia semen suum erat: non igitur inhumanitas illius accusanda, sed potius fides eius eximia extollenda, qui tantam Dei promissis adhibuit, vt de vita Ismaelis quamuis expulsi à propria domo, non dubitarit, *in ea re* (inquit catena Græca) *virtus Abrahæ micat; promissis enim Dei credidit, ita vt sine pueris sine ancilla emiserit, nouerat enim qui iusserat hoc, cumulate præstare commissa.*

Catena Græca.

Obediens nihil omittit eorum quæ sibi præcipiuntur.

139. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, &c. cur solum vtrem & panem pignori dilecto recedenti, pro viatico tribuis? nonne dixerat Deus Abraham omnia quæcunque tibi dicet Sara audi vocem eius? Sara autem teste Abulensi, noluit vt aliquid aliud Agar recedenti daretur, vt igitur tanquam obedientissimus præstaret, id quod sibi à Deo iussum fuerat, nihil omisit eorum quæ sibi præcipiebantur, *nihil aliud dedit* (inquit Abul.) *vt compleret voluntatem Saræ.*

Abulens.

Peregrini in accipiendo charitatis officio filiis anteponuntur.

140. *Tollens panem & tulit puerum & dimisit*, nonne idem est hic Abraham, qui peregrinis & ignotis vitulum tenerrimum & optimum comedendum apposuit, butyrum & lac obtulit post alia charitatis exhibita plurima officia? quomodo igitur qui est in aduenas liberalis, amandans è domo filium & vxorem tam exiguo viatico eos instruxit, vt solum panem & aquam idque in paucos dies dederit? ita ne qui in hospites & alienos tam benignus & largus erat, cum in vxorem & filium fuisse parcum & restrictum existimare conueniat? conuenit equidem, dummodo illius parcitati non tribuamus, sed maximè erga peregrinos charitati, quos etiam proprio filio in exhibendo eis omni obsequio pietatis anteponit.

Superbi omnino negligendi & quasi nudi relinquendi.

141. *Tollens panem & vtrem aquæ, & dimisit eam*, quid? quasi nudam & omnibus bonis spoliatam Agar cum solo filio, cui solus panis futurus est alimentum, emittis? aduerte Agar & Ismaelem spiritu superbiæ ductos, tam Saram quàm filium eius contempsisse: forte igitur non sine Dei singulari prouidentia, ita pauperes & quasi nudi eiiciuntur, superbi enim omnino negligendi & quasi bonis omnibus indigni relinquendi: fauet Tho. Angl. *forte hoc etiam voluit in pœnam & correctionem superbiæ Agar & filii eius, in signum quomodo superbi & ambitiosi abiiciendi sunt.*

Thom. Anglicus.

Deus manifestam vult esse omnibus suam prouidentiam & beneficia.

142. *Tollens panem & vtrem aquæ dimisit eam*, si tuæ liberalitatis & munificentiæ imitatores ô Deus nos esse desideras, quomodo Abraham fidelissimum & obsequentissimum ministrum tuæ voluntatis, ita parcum & auarum, quodammodo esse permittis erga propriam consugem & filium; cum pane & aqua ad incognitam regionem emittens? non tribuere parcitati & auaritiæ Patriarchæ, ita vile dedisse pignoribus suis alimentum, sed Dei prouidentiæ, qui quantam Ismaelis & Agar curam haberet, voluit exprimere, *Deus* inquit citatus doctor, *propter mysteria voluit ita fieri, vt ex hoc plenius pateret suum beneficium, suum regimen circa filium ancillæ.*

Cit.Doct.

Parcant parentes nimiæ suorum solicitudini.

143. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, si tibi deessent iumenta ô Abraham, quibus eorum viaticum potuisset deferri, tuæ charitati vel humanitati parcerem, sed cum facer fateatur textus cap. 12. dicens, Abraham fuerunt oues, boues, & asini, serui, & famulæ, asinæ, & cameli, cur nec vnum quidem dedisti ad eorum subleuandum laborem? longe enim conuenientius fuisset dorso iumenti quam humeris coniugis panes & aquam deportari: sed audi subtilem Procopii responsionem, *fortasse non dando iumentum ipsis pepercit, ne ad itineris molestiam, etiam cura iumenti curandi accederet*, en quomodo patres nimiæ suorum solicitudini parcere debent?

Procopius.

Parentes malint filios pauperes & bonos, quàm diuites & malos.

144. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, ergone homo ita diues, quem tantis cumulauerat bonis Abimelech, imo pietatis cultor eximius, filium amandans, nil aliud largitur, nisi quod pauperrimus posset tribuere, nempe panem & aquam? sed prudenter pauca distribuit qui senserat ipsos proteruos, ne abundantia peiores fierent, & Dei obliuiscerentur, maluit eos esse pauperes & bonos quàm diuites & malos, vtinam & patres hoc imitarentur exemplum, ne filiis plus æquo indulgerent, copiamque omnium rerum ministrarent, his enim efficiuntur aliquando deteriores, quos sic alloquitur Saluia lib. 1. ad Cath. Eccl. *quid ista est paterna pietas? quid ad conquirenda terrena & peritura distenderis? nihil maius præstare filiis potes, quàm si hoc bonum per te habeant, quod nunquam pœnitus amittant, non necesse est ergo vt filio tuo terrenos thesauros recondas, nulla re eum ditiorem facies, quàm si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris.*

Saluian. lib. 1 ad Cath. Eccl.

Occasio superbis alios deprimendi demenda.

145. *Tollens panem & vtrem aquæ*, dictum à nobis fuit ideo tam exiguum alimentum dedisse Abraham coniugi & filio, quia Sara ita disposuerat cui ex præcepto Dei tenebatur obtemperare Patriarcha, sed ô Sara, nonne sufficiebat eos pœna exilii mulctasse, & ab hæreditate futura patris Ismaëlem amouisse? cur igitur statuisti, vt pauperrimo alimento conducerentur, cùm afflictis non sit adaugenda tribulatio? satisfacit Paludanus, *Sara noluit quod Abraham daret abundantem prouisionem Agar & filio suo, ne inde haberet facultatem insurgendi contra Isaac*, en quomodo superbis alios opprimendi adimenda est occasio.

Patriar. Palud.

Synagoga solum litteram attendens onus habet quod ferre non potest.

146. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, ergone sic auarus fuit diues ille regum victor, & trecentorum decem & octo vernaculorum Dominus, vt præter panem & vtrem aquæ nihil filio donaret quem tristis eiecebat, nec saltem vnum illi asellum commodaret, sed ea scapulæ matris imponeret? nota quod quamuis hoc tibi ridiculum videatur, littera tamen seruiet spiritui, & quod iam totus inspicit orbis aperiet, audi igitur Rupert. lib. 6. cap 22. *electa ancilla panem nõ qualemcunque, sed hordaceum & vtrem non vini sed aquæ in scapulis portat, sub onere curuata mirum Synagoga vera Abrahæ patris hæreditate priuata, solum litteralem sensum baiulans, sub onere importabili anhelat, nam importabile esse onus occidentis litteræ Petrus quoque testatur, dicens, quid tentatis ceruicibus discipulorum imponere iugum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus?*

Rupertus lib. 6. ca. 22.

Actu. 15.

Concupiscentia carnis abstinentia domanda.

147. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, vinumne deerat, cibusque defecerat ne in domo Abrahæ? diximus per Ismaëlem ludentem cum Isaac, siue vt ait Apostolus, eum persequentem, carnem aduersus spiritum rebellem intelligi: merito igitur eiiciens filium suum Ismaëlem, solum ei tribuit panem & aquam, quia concupiscentia carnis non cibis delicatis, nec vini dulcedine tractanda, sed pane & aqua domanda, Bertorius c. 16. in Gen. testis est huius veritatis clamat, *Abraham, id est homo, quando videt duos filios, scilicet Ismael & Isaac, id est malos affectus, cogitatus & opera confligere contra bonos, & in domo cordis sui videt ipsa opera carnis opera spiritus molestare, statim oportet ancillam & filium eius, id est carnem & opera carnalia eiicere & depriuare, & ad desertum pænitentiæ mittere, & panem & aquam per abstinentiam sibi imponere.*

Petr. Bert. c. 16 in Genes.

Bonorum temporalium receptio sæpe hominem desperatum iam & deploratum designat.

148. *Tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius*, non quidem vacuam omnino dimisit Agar, sed nota donorum genus, nimirum vtrem aquæ, ex quo deploratam eius salutem sic colligit Amb. in c. 1. Isaac dicens, *non cum vini vtre de tabernaculis fugatur, aqua sola ager protrahitur, languidus sustentatur, conueniens enim erat vt quæ viuentis non merebatur alimoniam, vel solatium morientis acciperet*, dantur moribundis & deploratis aquæ, quæ valentibus & victuris minimè conceduntur, sic Synagoga per Agar denotatur, sic homini terrena incautè & indiscretè quærenti sæpissime ab indignante Deo dantur vt deploratæ salutis solatia.

D. Amb. in cap. 1. Isaac.

Peccator indignus nomine.

149. *Tollens panem tradidit puerum*, quo nomine vocatur, cur illud non aperit Moyses? & quod mihi difficilius fecessit negotium, est, quod in toto hoc capite, in quo de eius ludo cum Isaac, deque à domo Patris eiectione, de discrimine vitæ suæ, de vxore quam accepit, semper tamen eius nomen obuoluitur silentio, cùr aliquando non exprimitur? si diximus peccatoris typum gerere hunc ancillæ filium, quid mirum in omnibus quæ gessit semper nomen eius præteriri, peccator enim manens, quidquid egerit, indignus aliquo nomine censetur.

Deus omnino matrimonium soluere potest.

150. *Tollens panem & vtrem aquæ dimisit eam*, cùm fuerit illius vxor legitima, cur eam à se repellit, cùm scriptum sit Matt. 19. *quos Deus coniunxit homo non separet?* videtur igitur illi non licuisse eam à se remouere: dices nondum illud præceptum à Christo Domino fuisse prolatum, secundo asseres solum diuortium cum ea fecisse, quoad thorum non autem quoad vinculum matrimonii, sed cùm Deus sit supra vinculum coniugii nonne dissoluere potest? quis dubitat? hoc enim testatur D. Hier. in verba Matt. cit. *Deus coniunxit vnam faciendo carnem viri & fœminæ, hanc ergo homo non potest separare, sed solus Deus.*

Math. 19.

D. Hier. in capite 19.

Qui à Dei præsentia separatur, errat sine cognitione.

151. *Tollens panem & imposuit scapulæ eius, quæ cum abiisset errabat*, ita ne imprudens Agar, vt antequam domum Abrahæ relinquat, viam diligenter non inquirat? non est dubium, rei solicitam inquisiisse, quomodo igitur illud aberrat? nota per Agar Abrahæ domum deserentem, animam à Dei præsentia se remouentem denotari, quid mirum igitur viarum inscitiam errasse? qui enim à Dei præsentia separantur sine vera cognitione in solitudine huius sæculi vagantur errantes.

ham mariæ aquarum copiam non tradidit, vt ditius potuisset reprimere? non absque Dei speciali voluntate id factum est, sed cur Dei voluntas in hac aquarum penuria intercessit? ait Lippo. *vt locus esset desperationi in qua diuinum imploraretur auxilium, tunc maxime propinquum cùm deest humanum.*

Aug. Cat.

Occasionem resipiscendi præbet Deus.

157. *Cumque consumpta esset aqua in vtre*, nescio cur afflictis afflictio datur; ecce tamen à tentoriis Abrahami Agar & Ismael eiciuntur cum maxima eorum angustia, & nam in itinere ita siti opprimitur Ismael, vt iam sit morti proximus, quomodo igitur disposuit Deus aquam in vtre deficere? forte in hanc necessitatem incidere permisit, vt vterque pro culpa puniretur, sicque admonerentur peccati sui, agnoscenteque, veniam ab eo postularent.

Aliqui ex Iudæis ad Christum Dominum conuertuntur.

158. *Cumque consumpta esset aqua abiecit puerum subter arborem*, quid nobis denotatur in hoc quod itineris inscia, Agar deficiente aqua, subter arborem filium proiecerit? quid enim refert cognitum habere, vt iam hæc contigerint vel nesciuimus per Ismaelem populum Iudæum carnalem intelligi? lege nunc Bedam dicentem, quod filius siti deperiens significat populum nullam habere spiritualem purificationem, quod vero filium sub arbore proiecit, & sic demonstrante Angelo fontem aspicit, *significat quosdam ex illo populo ad vmbram ligni crucis refugium petituros, visurosque fontem aquæ viuæ, reseratis oculis, id est Christum.*

Vener. Beda.

Diuitem omnes sequuntur, factum autem egenum derelinquunt.

159. *Cumque consumpta esset aqua in vtre abiecit eam & abiit*, cur Agar solum Ismaelem comitatur, cum superest aqua, in vtre deficiente autem ab eo recedit? cùm potius eum pæne morientem præsentia sua consolari deberet, sed precor aduerte per aquas huius sæculi, diuitias denotari; sicut enim aquæ fluunt, sic opes instabiles transeunt motu perpetuo: non mirum igitur si aqua in vtre remanente Ismaelem Agar sequitur, deficiente autem abiicit & abiit, quia cum quis huius sæculi diuitiis potens est, innumeros possidet amicos, qui blandientes eum comitantur, si autem in paupertatem inciderit, defecerintque pecuniarum aqua ab eisdem contemnitur, & derelinquitur, quod regius Vates testatur dicens, qui iuxta me erant, scilicet tempore prosperitatis, de longe steterunt, scilicet occurrente aduersitate, nã in necessitate & paupertate rarissimos inuenies amicos, vnde Steph. Tornacensis. Abb. sanctæ Geno. Ep. 210. ait, *inuenisse me gaudeo quæ quærunt multi, inueniunt pauci, amicum dico necessitate fidelem, opere efficacem.*

Stephan. Torn. Epist. 210.

Improbitate puer vocatur quis, quamuis alio senior.

160. *Abiecit puerum subter vnam arborem*, Phil. in lib. de his verbis resipuit Noe, legit puerulum, si longe ætate inferior erat Isaac Ismaele, cum Ismael ferme viginti annos natus, quando subter arborem proiectus est, cur solum Ismael puerulus non autem Isaac hoc nomine vocatur? quia hoc solum merebatur non propter ætatem, sed propter leuitatem morum & improbitatem, *Ismaelem*, inquit est. Philo. *pæne vigesimum annum agentem cum Isaac virtutibus perfecto collatum nominat puerulũ scriptura, proiecit puerulum sub vna abiete, at qui ante natum Isaac annum tertium decimum egressus Ismael circumcisus est, & tamen nunc iuuenis puerulus vocatur*, en vides Ismaelem ætate seniorem quam Isaac, tamen improbitate vocari iuuenem?

Philo in l. de his verbis resipuit Noe.

Mater maximo affectu erga filios ducitur.

161. *Abiecit puerum subter vnam arborem*, pater à domo sua repulit, & mater in solitudine à se proiecit, non miror ô Agar Abrahamum in exilium eum misisse, præceptum enim à Deo acceperat, cui nefas est summum non obtemperare, sed cùm tuæ curæ & sollicitudini commissus fuerit Ismael, quomodo omnibus destitutum, auxilio deserendum quis? non ex crudelitate proiecit, sed ab eo recessit defectio, ne mortem eius propriis oculis inspectaret *nisi maternæ turbabantur*, inquit D. Chrys. *cum viscera & dolebat, maximum mater cõmmodum erga puerum affectionem*, nequeunt enim materna viscera amorem erga filios simulare.

D. Chrys.

Mater solatium filiorum omnino satagit.

162. *Abiecit puerum subter vnam arborem*, cur subter arborem, non autem dereliquit in media via, vt si quis forte per eam transiret ab eo sublevaretur? prudenter subter arborem proiecit vt solatio illius satageret, *vt puer*, inquit Carthus, *sic à fletus ad arborem reclinaretur, & eius vmbra à solis protegeretur ardore.*

Dion. Cart.

Durissima hominis afflictio quod bonis vacuus & habeat filios.

163. *Abiecit puerum subter vnam arborem*, scilicet aqua in vtre consumpta, dum aqua durauit, non est passa filium à se disiungi, at vbi defecit statim filium abiecit, & ipsa longe ab illo sedit ut non magis illum sibi adiungens, vt saltem solatium haberet in matre, qui non habebat vnde sitim extingueret: sane disrumpebatur doloribus, videns vtrem aqua vacuum, videns se in hoc pauperem, & tamen filium habere quem ex penuria sublevare non posset? sic enim ait Chrysost. vt vidimus penultimo conceptu, item quo magis filium diligeret, eo vehementius doleret, item vehementi dolore cruciaretur habens secum filium cum omnimoda alimenti penuria.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVI.

VVLG. Et abiit, seditque è regione procul quantum potest arcus iacere, dixit enim nõ videbo morientem puerum & sedens contra leuauit vocem suam & fleuit.

Sep. Et abiens sedit contra eum longe, quasi arcus iactum, dixit enim non videbo mortem pueri mei, & sedit contra eum exclamans autem puer plorauit.

Pag. Et abiit & sedit sibi è regione elongando se quantum est iactus arcus, quia dixit, non videbo quando morietur puer.

Caiet. Seditque è regione quantum sagittatoris arcus.

Vatab. Quantus est vnus iactuum arcus.

CONCORDIA.

VVlg. indicat matrem fleuisse, Septuaginta autem puerum Ismaelem; sed existimo nullam esse controuersiam, vterque enim fleuit, Agar propter futuram filii mortem creditam, puer propter eminentem interitum.

EXPOSITIO.

ET *abiit seditque è regione procul*, id est à puero recedens, sedit ex aduerso illius, ne morientem posset intueri, *leuauit vocem suam & fleuit*, existimans se ab omnibus derelictam, mortemque filio iam imminere, erumpit in clamorem, nec non copiam lachrymarum maximam effudit, cùm enim nullo modo posset ei subuenire, ab eo recessit, ne cruciatibus morientis magis affligeretur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Eo modo quo possumus aliorum saluti prouideamus, eorum necessitatibus subuenientes.

164. A*Biit & recessit quantum arcus iacere potest*, si desperata eius salus, propter aquarum penuriam, cur longius ab eo non recedis, ne maiori afficiaris dolore, saltem audiens puerum mortis cruciatibus torqueri? nota potuisse feras Ismaelem in deserto aggredi, eumque dilaniare: prudenter igitur ab eo cum seruis & domesticis, quos in comitatu habuisse diximus non lōge remansit, vt eo modo quo posset, si feræ superuenirent, eas simul cum seruis abigeret, sicque saluti prouideret, & vitæ superstiti consuleret: mens est Abul. cum ait, *non totaliter recessit vt videret ne quid de puero malum fieret, ne venirent aliquæ bestiæ ad vescendum eo.*

Abul. hic.

Maternus amor in imperfectis diuinum superat.

165. *Abiit & recessit sedens contra, leuauit vocem suam & fleuit*, quomodo doloris impatiens non pergit, sed sedit, non cantat sed plorat, diuinam voluntatem tanquam suæ normam adiiciens, non conicit oculos, sed auertit? mirum hoc non est, quia cùm esset imperfecta, non tam altè eius animo insederat diuinus amor, vt maternum dissimularet, quàm dissimulauit illa pia mater Melithonis, quæ vt aduertit filium ex 40. martyrum choro spirare adhuc, & tormētis quæ iam plurima tulerat superiorem exstitisse, quem propterea carnifex à cæteris martyribus segregabat, neque aliorum aceruo comburendum adiungebat, spe plenus, fore vt iuuenis superstes fidem abiuraret, & impiis tyrānorum decretis obtēperaret, quid ergo pia mater in qua Dei amor longe maternum superabat, plus doluit de filio superstite, quàm alia quæuis mater de extincto doluisset, neque enim sustinuit datum fuisse filium in necem, sed à nece reuocatum, nam *vt audit* inquit Greg. Nisse. *humanitatem carnis erga virum fortem contumeliam non tulit, sed illum quidem increpabat quod à commilitonibus & collegis Athletam segregasset*, & paulo post, admiratus generosam matrem quæ in conspectu filii multis cruciatibus fatiscentis & iam pœne animam exhalantis, minimè deficiebat, sed potius vt plura tormenta adhiberentur postulabat, nunquid (*inquit*) tale aliquid, quale matribus accidere solet admisit? nunquid viscera eius commota sunt, aut tunicam circumscidit? &c. remoue isthæc, etenim dicere aliquid eiusmodi absurdum, en quomodo in pia matre diuinus amor maternum longè superat.

D. Greg. Nisse.

Absentia matris lōge est grauior filio quā ipsa mors.

166. *Abiit & recessit sedens contra, leuauit vocem suā & fleuit*, Sept. & D. Chrys. sic legunt, clamās puer plorauit, sic etiam habet D. Amb. sed ô Ismael, ad quid tantā lachrymarū copiā effundis? an imminētē tibi mortem deploras? sed existimo non tam eum fleuisse sensū doloris ex siti ac morte iam vicina, quā ob charissimæ matris absentiam, quæ multo sibi acerbior quā mors videbatur: sic enim D. Aug. effatur, *quid mirum, si etiam illa ætate matre diutius non visa, & tanquam perdita, eo loco vbi solus remanserat, puer fleuerit*, scilicet comi & humano filio grauior est matris, quam vitæ iactura, morietur libens Ismael, si videns matrem obibit.

D. Aug. in Genes.

Nihil funestius matri contingere potest, quàm morientem filium intueri.

167. *Non videbo morientem filium*, si in tanto vitæ Ismaelis discrimine solum deseris, omni destitutum auxilio, nonne crudelitatis & inhumanitatis ab omnibus argueris? si enim à domo patris expulsū semper es comitata, afflictionis suæ particeps effecta, cur nō remanes doloris extremi socia? quilibet dolor filii matrem maxime pūgit, sed nihil funestius ei cōtingere potest, quàm prolem intueri morientē, ideo tanquā si animus deficeret, nec spectaculum huiusmodi ferre posset, ab eo discedit.

Spiritus vindictæ obcæcat oculos.

168. *Non videbo morientem puerum*, præ nimia scilicet siti, sed nonne Angeli auxilio puteum non longe distantem reperit, à quo aquam hauriens, filio propinādam ministrauit: cur igitur antea diligenter eum non inquisiuit, vt filio subueniret? nota Agar spiritu vindictæ in Saram commotam, ab Abrahami domo discessisse: quid mirum igitur puteum non longè distantem non vidisse? passio enim vindictæ mentis oculos obcæcat, nec nō corporis obtenebrat, ne quod nobis vtile est consideremus, & intueamur: fauet D. Chrys. ho. 3. de Saul & Dauid, *quemadmodum quandiu nox adest sæpe, ne præsentem quidem agnoscimus amicum, itidē & in iracūdia, adde & in vindicta solet euenire, donec inter nos maleuolū gerimus animū & vox audita nobis aliter sonat, & ipsam faciē corrupta mēte aspicimus, idē accidit in tempestate, nō patitur nubiū cōcursus nobis perspicuā esse cœli pulchritudinē, sed quāuis millies habeamus oculos perspicaces & acres, ne quaquā pertingere possumus ad illā supernā iucunditate: idem accidit in nobis ira*, adde & vindicta, *ferruentibus, dum simultas veluti densa nubes ante oculos & au-*

D. Chrys. homil. de Saul & Dauid.

& tunc fiat, facit vt voces aspectusque videantur aliter quam sunt, addendum vt nec quod aspectui patet agnoscatur.

Affligimur ne à nobis Dei memoria recedat.

169. *Non videbo morientem filium*, quænam maior calamitas aut pueri iam pœne exhalantis animam, aut matris semiuiuum subter arborem proiicientis? maxima equidem vtriusque, sed cur Deus vtrumque in tot miseriarum abyssum permisit incidere? vt memoria Dei ab ipsis non recederet, forte enim si nihil aduersi contigisset, statim Dei obliuio eos comprehendisset, quemadmodum in nobis experimur, cùm omnia nobis prospere succedunt.

Tanta est aliquorum superbia, vt malint corũ quæ sibi sũt charissima iacturã facere, quã humiliari.

170. *Non videbo morientem puerum*, dictum est tibi sine dubio à famulis potum deficere, cur igitur antequã consumeretur, aliquem eorum ad domum Patriarchæ nõ misisti, vt inde maiorẽ quàm antea aquarũ copiam afferret? sicque sitim filii iam pœne animam exhalãtis sedasses, pignusque charissimum à morte imminenti liberasses: aduerte genus quoddam humilitatis ab alio aliquid postulare, quo indigemus: forte igitur cùm esset superba & arrogans, ad domum Abraham nullum ex seruis legauit, malens filii sui iacturam facere quàm sub manibus alterius humiliari, & quodammodo egentem se subiicere.

Nimia conturbatio nec attendit Dei promissa.

171. *Non videbo morientem populum*, cur desperatam habes filii salutem? nonne dictum tibi fuerat à Deo cap. 16. cùm fugeres à facie Saræ dominæ, multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine? hæc autem promissio litteraliter intelligitur de Ismaele, cum nullum alium præter eum susceperis filium: attende quomodo in maxima necessitate constitutum vidit filium? quid mirum igitur Dei promissis non attendisse, conturbatio enim animi impedit ne quod salutiferum & infallibile est consideremus.

Tum proximos amas cùm seueritatem in eos decretam exerces.

172. *Non videbo morientem populum*, ecce in Sara expulsionem Ismaelis mandabat Abraham, ille filii sui amator, rem durissimam detestabatur, ait enim textus, durè hoc accepit Abraham pro filio suo: vt autem hæc eadem expulsio mandata fuit à Deo dicenti non tibi videatur asperum super puero & ancilla tua, omnia quæcunque tibi dixerit Sara audi vocem eius: statim Abraham filium cum matre dimisit, ex quo præ nimia siti pœne secutus est interitus eius: cur erga filium tantam seueritatem exerces, vt illum cogas exulare à domo paterna: an amorem beneuolentiamque qua illum prosequebaris, obliuis exabiit, imo tunc se pueri amatorem ostendit, cùm in illum exercet seueritatem à Deo statutam, ait Theodor. *cùm Sara dixisset eiice ancillam & filium eius, morem illi non gessit, vbi verò iussit Deus, statim opus verbi suppeditauit ex hic beneuolentia quadam ductus erga Ismaelem*, quod Abraham abiiciat filium non fuit res odii, sed res amoris & beneuolentiæ, quando id Deus iusserat, & nunquam non amoris est illas seueritates in amatos exercere quas imperat Deus.

Theodor. q. 71 in Gen.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Exaudiuit autem Deus vocem pueri, vocauitque Agar Angelus de cœlo dicẽs, quid agis Agar? noli timere, exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est.

Cald. Et audita est coram Deo vox pueri.

EXPOSITIO.

Exaudiuit autem Deus vocem pueri, hinc habetur quod non solùm mater voce querula fleuit, sed etiam puer sub arbore iacens, cùm pueri vocem exaudisse testetur Moyses, *vocauitque Agar Angelus de cælo*, id est ab eo dimissus vt eam consolaretur, *quid agis Agar?* non tanquam ignorans inquirit, sed vt occasionem loquendi accipiat, *noli timere*, scilicet mortem pueri; quasi diceret ne timeas ex aliqua causa futurum aliter quàm prædixit, *exaudiuit enim Deus vocẽ pueri*, nẽpe Ismaelis, vel vt alii volunt, plius Agar, pro eo flentis, *de loco in quo est*, id est ex eo loco in quo iacet, sub arbore in quo eum deseruisti.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Lachrymæ nostræ ad Deũ dirigãtur vt exaudiãtur.

173. Exaudiuit Dominus vocem pueri, si mater illius nempe Agar fleuerit, vocẽque suã leuauerit, cur non ait Angelus Agar, exaudiuit dominus vocem tuam? aduerte quod ait Caiet. *puer direxit vocem suam ad Deum, mater autem ad mortem filii imminentẽ, nõ enim dicitur quod exaudiuit vocem matris, sed vocẽ pueri:* merito igitur non dixit Angelus exaudiuit vocẽ tuam, sed pueri, quia profectò sæpe inter afflictiones & dolores, plorantes & clamantes, nec tamẽ exaudimur, quia non ad Deum nostros fletus dirigimus, sed temerè ac frustra lamentamur nostræ autem lacrymæ cũ sint pretiosissimæ ad Deum solum deberent dirigi.

Card. Caiet.

Pœnitentiam nostram, non autem delicta præterita, attendit Deus.

174. *Exaudiuit autem Dominus vocem pueri*, nonne ille est Ismael, qui iustum & innocentem persequebatur? quique eum vel ad idololatriam, vel ad lasciuiã prouocabat? quomodo igitur improbi vocẽ Ismaelis exaudit, cùm Deus peccatores nõ audiat: in primis quid testatur Lyranus de Ismaele dicens, *iam erat viginti annorum, & ideo videns se in periculo mortis de malis suis præteritis doluit*, quid mirũ igitur, si vocẽ illius & preces exaudierit? pœnitentiã enim præsentem, non autẽ delicta attendit Deus præterita: quod prosequitur idẽmet Lyr. *exaudiuit enim, ac si diceret attendit Deus pœnitentiam, quam nunc habet in loco in quo iacet, non autem malitiam quam ante exercuit in aliis locis.*

Lyranus.

Afflictio maximè nobis prodest.

175. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, Deum deprecatus est igitur, quis dubitat? sed cum apud patrem manens, omnibus bonis abundans, ad Deum preces fudisse non dicatur, quomodo nunc in solitudine, in siti, in æstu, in vitæ discrimine, ab omnibus derelictus, Deum deprecatur, imo de peccatis dolet? quia tanta virtus est afflictionis, vt nobis quamcunque spiritalem vtilitatem afferat, & contritionem delictorum excitet, Deumque adiutorem præbeat: quod noster Bonauen. in pauperum bibl. c. 111. confirmat dicens, *afflicti filii Israel à serpentibus igneis, dixerunt ad Moysem, peccauimus quoniam locuti sumus contra Deum & contra te*: num. 21. *antequam vero Dominus illos serpentes immitteret, nec peccatum suum cognoscebant, nec diuinum auxilium postulabant*, accommoda hæc Ismaeli verba.

Noster Seraph. Bona. in paup. Bibl. c. 111.

Num. 21.

Dei amor in nos, quemlibet alium longe superat.

176. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, nonne mater eum abiecerat, omnibus destitutum auxiliis? nōne pater à domo eiecerat? si autem nullus amor cum patris & matris dilectione erga filios cōferri potest, quomodo filium, quem pater expellit, quem mater proiicit, hūc Dominus respicit eique subuenit? quia Dei amor erga nos, quemlibet alium etiam maternum aut paternum superat, *misericors* (inquit D. Chrys.) *& benignus Deus patris & matris erga nos curam sua transcendens pietate, exaudiuit vocem pueri*, quod regius vates Psal. 9. confirmat dicens, pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.

S Chrysost.

Psal 9.

Plurima pro miseris Deum deprecantur.

177. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, tenent aliqui puerum non clamasse, (forte iam moribundus, ne aperire quidem os valebat), quis ergo Dominum deprecatus est pro puero Ismaele? dices matrem, sed nonne Deum alia interpellarunt? audi Lipp. *clamabat fides innocens Abrahæ, promissio Dei, lachrymæ matris, oculi Domini vbique intuentur necessitates fidelium.*

Lipp.

Mater non suam sed potius filii mortem formidat.

178. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, id est secundū aliquos vocē matris pro vitæ filii incolumitate deprecantis: sed ô Agar, nonne idem vitæ periculum incurristi? si quidē cùm aqua tibi defecerit, vndenam hauriēda sit aqua, ignotum habeas, præ nimia etiam siti in hac vasta solitudine deficies: Deum igitur pro vitæ tuæ conseruatione exora, tantus est amor matris erga filiū, vt vitam illius suæ præferat, sicque potius Deum pro subleuanda filii necessitate, quā sua deprecatur: sensum hunc habet D. Hier. *flente matre & mortem filii miserabiliter præstolante, Deus exaudiuit puerum, de quo pollicitus fuerat dicens, sed & filium ancillæ tuæ in gentem magnam faciam, alioquin & ipsa mater non suam mortem, sed filii deplorabat*, preme vltima Hier. verba.

D. Hier in qq. Hebr.

Nihil æstimes à parentibus & omnibus creaturis deseri vbi Deo curæ es.

179. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, nonne eadem siti premebatur in brachiis matris, nec dubito, quin tunc puer ea oppressus, largas funderet lachrymas, exauditurne tunc à Deo? minime, cur igitur ait textus, auditum fuisse, Deumque illius curam specialem suscepisse? reuoca in memoriam iam eum matrem abiecisse, quasi suæ non amplius solicitudini commissus fuisset: ecce igitur vbi primum mater abscessit relicto puero, Deus adest, qui derelictum à parentibus suscipit, & in magnas spes alit.

Qui etiam sunt in virtute imperfecti, à Deo exaudiuntur.

180. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, cur non dixit Ismaelis, cùm iam excederet pueritiam? aduerte nomine pueri intelligi eos posse, qui in virtute sunt adhuc imperfecti, & quasi adhuc pueri, secundùm illud Pauli 1. ad Corinth. 3. tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; merito igitur ait Angelus, exaudiuit Dominus vocem pueri, quia qui etiam adhuc in virtute non profecerunt, à Deo exaudiuntur: fauet Procop. *amanter præsens locus excipiendus & tractandus est, cùm videamus pueros orantes exaudiri, & sane neutiquam despiciendi sunt spirituales liberi, & si nondum perfectionem fuerint consequuti, si quidē & hominum vocem exaudit Deus*, preme vltima verba.

1. Corinth.

Procop.

Iustorum meritis tribuenda est aliquando nostrarum exauditio deprecationum.

181 *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, cur non Agar quæ vocem suam leuauerat ac fleuerat? tum cur non ait Moyses, exaudiuit Iehoua, sed solum Elohim? non Agar vocem exaudisse, sed solum pueri testatur Moyses, quia erat semen Abrahæ, de quo promiserat, quod illud in gentem magnam multiplicaret; Elohim autem dixit non Iehoua, *ad insinuandum* (inquit Caiet) *meritum Abrahæ propter quem exaudiuit Deus puerum.*

Card. Caiet.

Deus afflictionem præsentem respicit vt nobis succurrat.

182. *Exaudiuit Dominus vocem pueri de loco in quo est*, cur hæc vltima addidit verba? quid enim locus conferre potest, qui præcipue non est sacer vt preces nostræ admittantur? nihil equidem: obserua sensum horum verborum *de loco in quo est*, esse de afflictione in qua sub arbore pœne iacet exanimis: merito igitur postquam ait, exaudiuit Dominus vocem pueri, subiungit *de loco in quo est*, ad innuendum maximè præsenti afflictione nostra commoueri, vt nos exaudiat, necessitatibusque nostris subueniat: *de loco in quo est*, (inquit Abul.) *id est non respexit Deus peccata sua priora, sed afflictionem suam præsentem, quia in loco deserti iacebat iam moribundus non habens auxiliatorem.*

Abulen.

Simplicitas maximè Deo grata.

183. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, cur cùm alloquatur Angelus Agarem, non ait, exaudiuit Dominus vocem tuam? ipsa enim, ait textus, leuauerat & fleuerat: certum est puerum, si sumatur in bonam partem, simplicitatem animi denotare, iuxta illud Christi Domini dicentis, nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. quo supposito ait optime Cat. Græca, *non sunt puerorum preces contemnendæ, tametsi à perfecta ratione non videantur, amat Deus simplicitatem spiritus, facileque eiusmodi vocibus commouetur.*

Auctor Cat. Græc.

Tunc Deus potissimum ad opem nobis ferendam adest, cùm omnia humana nobis deficiunt auxilia.

184. *Exaudiuit Dominus vocem pueri*, quandonā? audiamus

diamus Agar loquentem, nō videbo morientem puerum, quasi diceret cùm pene sit exanimis, eique nullo modo subuenire valeam, subter arborem omni destitutum humano auxilio relinquo, exaudiuit igitur cùm omni destitueretur spe alicuius humani obsequii, & merito, Deus enim tunc potissimum nobis adest, cùm omnia alia deficiunt auxilia quod Chrysol. obseruat qui inquirens de tempore quo Dei Verbum suscipere carnem voluit ait, *quid est quod tempore regis nefandi Deus descendit ad terras, miscetur diuinitas carni: fit terreno corpori celeste commercium: quid est?* respondet vero, *Herodes, alienæ gentis Iudæorum regnum inuasit*, libertatem sustulit, prophanauit sancta, quidquid erat cultus, quidquid ordinis aboleuit: merito ergo genti sanctæ, quia humana defecerant, diuina succurrunt, & eo tempore adest Deus ipse cui homo deerat, Chrysologo applaudit Chrys. hom. 16. in acta, ad eundem modum pendens Moysem qui Israëliticum populum è barbari regis tyrannide vindicaturus erat, tunc opportuno natum fuisse, cum seuerior in populum ingrueret persecutio, vt Deus opem ferre conspiceretur, *hoc mirabile* (inquit) *quod futurus præfectus non ante hoc, nec post hoc tempus nascitur, sed in ipso medio persecutionis furore, & nascitur & educatur, nam cùm humana spem omnem negant, tunc diuina dispensatio clare fulget.*

Pett Chrys. — D Chrys. hom. 16 in act. Apost.

Angelorum alii boni, alii peruersi.

185. *Vocauit Angelus Dei Agar de cælo*, cur Angelum Dei dixit, cùm nullus sit, qui illius non censeatur? omnes enim ab ipso creati, nunc ab eodem conseruantur: non superfluè Dei Angelum dixit, ad differentiam eorum qui licet à Deo fuerint creati spiritus, tamen per superbiam à Deo recesserunt & Angeli Sathanæ non autem Dei nominantur, qui autem in fide & charitate sui creatoris permanserunt, Dei Angeli verè dicuntur.

Angelis bonis ad bona, malis autem ad vindictam Deus vtitur.

186. *Vocauit Angelus Dei Agar de cælo*, cur fidem adhibuisti, sed cùm Angelus Sathanæ mutetur in lucis Angelum, quomodo cito ei credidisti? videamus qua de causa de cœlo à Deo missus descēdit, vt eā solaretur adiuuaretque in puteo adinueniēdo, cuius aquis pene filius extinctus, ad vitam reuocaretur: merito igitur malum non iudicauit, quia Deus bonis ad bona, malis autem ad vindictam vtitur: testem habemus D. Greg. lib. 2. Moral. c. 16. qui exponens illa verba 2. Reg. *vidi Dominum sedentem super solium suum & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris, & à sinistris*, ait, *dextera Dei Angelorum pars electa, sinistra autem Dei Angelorum pars reproba designatur, nec enim ministrant Deo solum boni qui adiuuant, sed etiam mali qui reprobant, non solum qui à culpa redeuntes subleuent, sed etiam qui redire nolentes grauent, à dextera ergo Dei & à sinistra Angelorum stat exercitus, quia voluntas electorum spirituum diuina pietati concordat, & reproborum sensus, sua malitia seruiens, iudicio districtionis eius obtemperat.*

D Greg. lib. 2 Moral. c. 16.

Angeli orationes nostras offerunt Deo.

187. *Vocauit Angelus Dei, Agar de cælo*, cui dixit exaudiuit Dominus vocem pueri, cur preces Ismaëlis à Deo exauditas fuisse annuntiat? quia sicut eas Deo offeruntur, sic Angeli exauditas nobis indicāt: vnde D. Aug. Epist. 120. *annuntiant Angeli non solum nobis beneficia Dei, verùm etiam illi preces nostras, non vt tunc Deus nouerit quid velimus, vel quo indigeamus, sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo temporales causas ad æternam veritatem referre, siue petendo quid erga se fiat, siue consulendo quid faciat.*

D Aug. Episto. 120.

Angelus nobis præbet securitatem.

188. *Angelus vocauit de cælo dicens noli timere*, optimū equidē consiliū, sed quomodo formidare nō debeat cum interitum chari pignoris conspiciat, & sibi etiam mortem imminere persuadeat? siti enim agitata peribit, nihilominus quamuis nihil nisi formidabile conspiciat, præcipit Angelus ne timeat, securitatem enim præbent spiritus Angelici, *effectus enim custodiæ eorum est* (inquit D. Bona lib. 2. de Operib. conditoris c. 18.) *impedimenta boni & occasiones mali remouere*, à quo autem cuiuscumque mali siue naturæ siue moris remouetur, quid formidare potest?

Seraph. Doctor lib. 2 de oper. condit. c. 18.

Sacerdotes sunt Angeli.

189. *Vocauit Angelus Dei de cælo*, est ne terrestris aliquis, vt ad illius differentiam alius de cœlo dicatur? permitte quæso vt consulam Paulum ad Gal. 1. dicentem, *licet Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam id quod Euangelizatum est vobis, anathema sit*: cur de cœlo addidisti Paule? nonne sufficiebat dixisse licet Angelus euangelizet vobis? &c. merito Angelum de cœlo dixit, ad differentiam sacerdotum qui sunt in terra Angeli: sic Theoph. *adiecit autem de cælo, quandoquidem & sacerdotes Angeli vocabantur, ne igitur hæc de sacerdotibus dici putes, cæli appositione supernas virtutes adeoque potentias indicauit.*

Ad Galat. — Theophil. in c. 1 ad Galat.

Propter Iustos alii etiam indigni Angelorum visione honorantur.

190. *Vocauit Angelus Dei Agar de cælo*, nonne ancilla est? quomodo igitur eam colloquio dignatur Angelus? vel quomodo Deus nuntium suum ad vilem fœminam Ægyptiam mittere non renuit? nonne Agar vxor fuerat Abrahæ qui iustissimus erat? dicam equidem tanti apud Deum hunc iustum fuisse, quod propter eum, etiam indignam ancillam visione Angelorum cohonestant: sic Chrys. *quia Patriarcha promiserat & illius hoc semen erat, tantam quoque curam erga eam declarare dignatur*, non seruam Agar iustissimi Abrahæ respice, non miraberis propter iusti prolem, Angelorum colloquium promereri.

Magna dignitas est animæ nostræ.

191. *Vocauit Angelus Dei Agar de cælo*, quomodo pulcherrimum aulæ sydereæ procerem, triadis honorarium genium illum magnificum & ornatu gratiarum nobilem, diuinis honoribus perfruentem, & beatum, ad ancillam vilem, miserrimam mittit Deus è cœlo? vt singularem & eximiam quandam dignitatem animæ nostræ intelligamus, quod æterno beneficio Deus illius curam, institutionem, prouidentiam beatis spiritibus commendet: *magna*, inquit D. Hier. in cap. 18. Matt. *dignitas animarum, vt vnaquaque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum deputatum*, in hoc vel numinis sancti beneuolentia inusitata, vel inexplicabili Angelorum humanitate, quia miserorum hominum humilitatem, sordesque non defugiunt, admiratione obstupefactus hærebat.

Hyeron.

Vult Deus à nobis nostram necessitatem exprimi, vt inde beneficia sua agnoscamus.

192. *Vocauit Angelus, quid agis Agar?* an ignoras illam præ animi angustia sedere mœstam, & pæne exanimem filium deflere? cur igitur tanquam inscius cogitationum suarum, ab ea quid agat sciscitatis? non tanquam ignorans quærit, sed vult ab ea suam necessitatem exprimi, vt subinde recreata, magnitudinem diuini beneficii euidentius agnoscat, vereneturque.

Quo indigniores sumus, eo diuina Dei beneficentia apparet illustrior.

193. *Vocauit Angelus, quid agis Agar?* posset dicere, expecto donec filius animam exhalet, sed cur, ô Deus, ab ea vis exigere cognitionem suæ diffidentiæ, in promissionibus, de quibus diffidere non deberet? accepit enim ab ore tuo filium suum fore multiplicandum, copiosæque multitudinis principem futurum: vult Deus palam manifestari, nullam pene mulieris fidē, vt pote suis toties repetitis verbis neutiquam credentem, vt quo illa magis indigna videtur, illustrior erga illam diuina videatur beneficentia, *pulchrum est enim*, inquit D. Hildeb. Ep. 16. *benefacere vel indignis.*

D. Hildeb. Epist. 16.

Verbo & opere consolationem à Deo accipimus.

194. *Vocauit Angelus & ait, noli timere*, & ilico subiungit, *exaudiuit Dominus vocem pueri*, nonne satis erat vt animum Agar mœstissimum solaretur, dicens noli timere? cur igitur addidit, exaudiuit vocem pueri Dominus? vt eam non solùm verbo sed & opere consolaretur, ab ea enim timorem excutiens vitamque filio conseruari promittens, non verbo tenus consolationem accipit.

Nihil formidandum cùm nobiscum adest Angelus.

195. *Vocauit Angelus & ait, noli timere*, quid? nonne posset inquirere, quid formidare non debeam? cùm nō exprimas in speciali quid sit mihi non timēdū, merito non hoc aut illud declarat formidandum, quia cùm nobiscum est Angelus, non solum ab vno vel altero rei nociuæ timore sumus liberi, sed à nobis omnium formido repellenda est.

Deus nullum quantumuis vilem despicit.

196. *Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo*, si vilissima est Agar, si quidem solum ancilla nominatur, quamque Abraham ex Dei præcepto eiecit è domo, quomodo Angeli sui ministerio eam aggreditur? quia Deus nullum quantumuis vilem contemnit, & auxilio sufficienti destituit ô *misericordiam Domini*, inquit Chrys. *non quia ancilla erat, despexit eam.*

Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVIII.

VVLG. Surge, tolle puerum, & tene manum illius, quia faciam in gentem magnam.

Sep. tene illum manu tua.

Cald. Apprehende manu tua eum, quoniam in populum magnum faciam eum.

Caiet. Fac inualescere manum tuam in eo.

Arias. Fortifica manum tuam in eo.

EXPOSITIO.

Svrge, sedebat enim mœstissima de vitæ filii proximo periculo, *& tolle puerum*, scilicet sub arbore iacentem, pene exanimem, *& tene manum illius*, hoc est præ sitis ardore vehementer lāguidum & exhaustum, attolle, subleua, ductita, & materna solicitudine refrigerii promissi locum quære, *quia faciam in gentem magnam*, id est, futurus est enim maximæ posteritatis progenitor.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Angelus vt erigamur consulit.

197. Svrge, dixit Angelus Agar, cùm ei præceperis vt puerum subleuaret, refugiumque quæreret, id non poterat exequi nisi surgeret à loco in quo sedebat, ad quid igitur præcipis vt surgat? per Agar sedentem & quasi iacentem possumus intelligere animam peccatricem, delictorum suorum onere depressam: nō superflue igitur dixit Angelus Agar vt surgeret, quia vt à peccatis nostris erigamur, consulit: vnde optime D. Bona lib. 2. de operib. condit. c. 18. ait, *Angeli nobis ad custodiam deputati, tenent nos stātes ne cadamus, & cadetes nos adiuuant vt surgamus, nec vnquā nos deserunt etiā peccātes, quin semper sint parati auxiliari si velimus.*

S. Bona. lib. 2. de Operib. condit. c. 18.

Peccatum casus est.

198. *Surge*, cur iubet Angelus Agar vt surgat? nota Agar peccatricis animæ typum gerere, merito igitur dixit vt surgeret, qua qui in peccatis est cecidisse dicendus, à quibus Dei auxilio surgimus: vnde Hugo Card. ait, *surge à peccato scilicet iuxta illud Eph. 5. surge qui dormis.*

Hugo. Car. Eph. 5.

Mater filiorum suorum sit solicita.

199. *Tene manum eius*, D. Hier. per hæc verba, non intelligit quod eleuasset ab humo iacentem, & eum propria manu tenuerit, cùm esset iam adolescens fere viginti natus annos, quid igitur significat manum filii sui tenuisse? respondet, *quod manu parentis tenetur solicitus monstratur affectus*, & merito, satagere enim debet mater omni qua potest cura, vt filius animi robore alios præcellat.

D. Hiero. in qq. Heb.

Quod minus à nobis aufertur, maiori compensat Deus beneficio.

200. *Tene manū eius, quia faciā in gentē magnā*, sed pendamus, cur antequā promiserit facturū eū in gentem magnā, dixerit ne timeas Agar: dices cùm vidisset se à domo Abrahā expulsam, timuit ne aliquid deterius sibi contingeret: sed existimo per hæc verba *ne timeas*, & per subsequentia *faciam eum in gentem magnam*, voluisse innuere nihil ei formidandum esse, quia

Deus

Deus talis est naturæ, vt si quid adimat, maiori beneficio cumulare soleat. Fauet D. Chrysostom. *ne mæreas*, inquit Angelus, *eo quod è domo eiecta sis, tantum eni nage curam pueri, vt & in gentem magnam fiat.*

S. Chrysost.

Præsentibus beneficiis Deus futura conseruat.

201. *Tene manum eius*, deinde subiungit, faciam eū in gentem magnam, nonne sufficiebat liberalle puerum ab eminenti vitæ periculo, nulla promissione factā cur igitur iterum quæ iam pollicitus fuerat, promisit? merito quod difficile censebatur, nempe quod puer penè exanimis in magnam gentem fieret, iam collato maximo beneficio nempe vitæ restitutæ, pollicetur, *vt dudum*, inquit Lippom. *promissa Dei rursum audiens, credat de futuris beneficiis, præsentia cernens.* Deus enim nouis solet nos allicere & erigere beneficiis.

Lipp.

Deus pauca nescit largiri.

202. *Tene manum eius, quia faciam in gentem magnam*, inspiciamus quid fletu suo petierit à Deo Agar, sine dubio solam filii incolumitatem, quomodo igitur Deus non solum annuit eius petitioni, imo filium suum futurum in gentem magnam pollicetur? quia plura quàm ab eo postulamus, cùm nesciat pauca largiri, tribuit.

Qui aliorum princeps est, validus sit, vt alios tueatur.

203. *Tene manum eius, quia faciam in gentem magnam eum*, quænam est hæc causalis quæso? nulla equidem, quæ enim connexio inter tenere manum alicuius, & ideo eum in gentem magnam multiplicare? nulla equidem, sed lectionem Hebraicam quæ sic habet, inspiciamus, fac inualescere manum tuam in eo, id est eum corrobora, viresque adauge, quo sensu cognito, verissima erit causalis, nam qui aliorū princeps est, validus sit & robore præditus, vt suos tueatur. Fauet Caiet. *non solum mandat Angelus vt tollat puerum, sed vt operam det ad hoc vt puer validus sit, quia princeps magnæ gentis futurus est.*

Card. Caiet

Qui à Deo separatur, tantum temporalia consequi potest.

204. *Tene manum eius quia faciam eum in gentem magnam*, cur ei restitutus incolumitatem, vt solum progenitorem gentis maximæ constituas? hoc enim solum temporale & caducum est, nota Ismaëlem matremque eius à domo Patriarchæ depulsos, typum esse eorum qui per peccata à Deo separantur: merito igitur solùm temporalia pollicetur eis, quia qui à Deo separantur, solum ea consequuntur, obseruatio est Lipp. *per ministerium Angeli cum plura promisisset sed temporalia tantum, quia Agar iam abligata erat à familia Abrahæ cum filio secundum carnem.*

Auctor catenæ.

Qui ad arborem crucis confugiunt ab omni periculo liberantur.

205. *Tene manum eius*, cuius? Ismaëlis, nonne ille est qui præ nimia siti pene iacebat exanimis sub arbore? quomodo non solùm à morte liberatur, imo iam validus, vt simul cū matre iter facere posset, vsque ad puteum: aduerte arborem sub qua iacebat, figuram fuisse arboris sanctissimæ crucis: non sine mysterio sub illa ab imminenti morte liberatur, quia qui ad arborem sanctæ crucis confugiunt, ab omnibus liberi periculis euadunt: sic Hug. Cardin. *sub arbore crucis clamantes exaudit Dominus, id est affectum audit.*

Hug. Card.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Aperuitque oculos eius Deus, quæ videns puteum aquæ abiit, & impleuit vtrem, deditque puero bibere.

Sep. Vidit puteum aquæ viuæ, & iuit & impleuit.

Vatab. Vidit fontem.

CONCORDIA.

IN Hebræo non habemus quod septuaginta addiderunt, nempe viuæ, sed fortè subintelligere debemus, quia puteus aquis viuis scatebat.

EXPOSITIO.

APeruit oculos eius, Hebraïsmus est significans ostendere, ostendit si quidem fontem, quem præ distantia vel aliquo impedimento externo nec nouerat nec aduerterat, non quod in oculis aliquod fuisset impedimētū aut velamen, *quæ videns puteum*, cuius nomine, fontem intellige, *abiit & impleuit vtrem*, quem ab Abraham acceperat, *deditque puero bibere*, vt sitim eius extingueret.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Odium in aliquem, oculos, ne quod nobis est vtile conspiciamus, adimit.

206. APeruit oculos eius, non legimus clausos habuisse, quomodo igitur asserit Moyses Deū illi aperuisse? nonne odio in Saram suæ eiectionis occasionem ferebatur? merito igitur præsupponit Moyses oculos saltem mentis clausos habuisse, imo & corporis tenebrosos, oculi enim nimia odii passione caligant, nam qui hac conturbantur, etiam in rebus omnino necessariis manifestis & luce ipsa clarioribus, nec mentem consiliumque ad intelligentiam, nec

oculos ad aspectum habemus, vnde optimè sanctus Nilus.l.de octo vitiosis cogit.c.de ira, ait, *cum semel obsederit nempe odium pectus atque exarserit, mentem fumo obcæcat, iudiciumque corrumpit, ac denique lubrica & confusa omnia reddit.*

S. Nilus.

Adiutor Deus in tribulatione.

207. *Aperuit oculos eius Deus*, id est indidit ei fontis cognitionem, vbinam? in solitudine, quando nam? cũ pene deficeret Ismaël præ nimia siti: sed cur Moyses cum tali, tum temporis, tum loci circunstantia, indicare voluit Deum oculos Agar aperuisse, non autem antequam adeo siti premeretur filius eius Ismaël? sine dubio vt Deum maximo tempore tribulationis agnosceremus adiutorem. Hoc testatur D. Chrys. *in inviis viam præbuit, & perplexæ menti nullamque spem salutis habenti, suam misericordiam exhibuit, simul eam consolans ac pueri curam agens: sic quandocunque voluerit Deus licet in solitudine simus & in extremis afflictionibus nullãque spem salutis habeamus, nullo alio opus habebimus, diuino auxilio nobis omnia suppeditante.*

S Chrysost

Gratiam habenti nihil ei deest.

208. *Aperuit oculos eius*, non nihil quia ante videret, sed quia nihil proderant ei aperti oculi ante supernam visitationẽ, aperuit igitur oculos, id est ignoranti mentẽ excitauit, viamque ostendit vt videret locum, in quo puteus erat, à quo aquam hauriens propinandum dedit filio, qui temperans filii ardorem, incolumitatem recuperauit: quid amplius ô Agar exoptas à Deo? nihil equidem, vndenam tam cito satiatum desiderium? nonne diximus gratia Dei visitatam fuisse? merito igitur nihil deest ei, gratiam enim habenti abundant omnia, quod annuit cit. Chrys. *nullo alio opus habebimus diuino auxilio omnia suppeditante*, en quomodo gratia Dei omnia nobis suppeditat?

Cit. Chrys.

Ignorantia à Deo tollitur.

Aperuit oculos eius Deus, non quia clausos haberet, sed quia ignoranti puteum quem nesciebat ostendit: sed nonne erat Angelus qui loquebatur Agar, cur igitur mutato illius nomine, nõ Angelus dicitur, sed Deus, qui oculos eius aperuit? vt nobis innueretur quod solus Deus ignorantiam perfecte adimit. Vnde Lipp. *puteum videre non potuit donec Dominus voluit; ignorabimus etiam præsentissima, si ea dans nobis negare voluerit.*

Lippom.

Inops consilij qui Deum præsentem non habet.

209. *Aperuit oculos eius*, cæcam non legimus fuisse, quomodo igitur intelligemus clausos habuisse? Lippomanus ait, *quia inops erat consily in tantis necessitatibus*: sed quomodo tunc deerat consideratio, ita vt nec filio nec sibi cõsulere posset? quia Deus præsens sibi non aderat, adfuit enim cùm aperuit oculos.

Cit auctor. cat.

Verbum Dei pluries apparet.

210. *Aperuit oculos eius Deus*, si Angelus, non est Deus: Angelus, autem fuit qui antea loqueretur, quique nunc oculos eius aperuit, quomodo Deus appellatur? aduerte filium Dei magni consilii Angelum dici, Deum autem esse, sicut Pater est, quis ignorat? cur igitur non dicemus filium Dei fuisse qui Agar apparuerit, Deum & Angelum? testem habeo D. Isid. Hispal. *quod eum qui loquitur ad Agar prius Angelum, postea Deum scriptura pronuntiat, filium Dei fuisse credendum est, qui per legem ac Prophetas semper locutus est, qui per obedientiam paternæ voluntatis Angelus vocatur, secundum vero naturam patris Deus, quia vere & ipse Deus sicut & pater.*

Isid. Hispal.

Sine Dei gratia Christum Dominum conspicere non possumus.

211. *Videns puteum aquæ abiit*. Sept. legunt, vidit puteum aquæ viuæ, innuuntne aliquod mysterium? quidni? Christus enim est puteus vel fons aquarum viuẽtium, sed quomodo Agaris, quæ animam designare potuit, ait Moyses, aperuisse oculos eius? optimè, nisi enim specialis nobis adsit gratia, Christum Dominum conspicere non possumus. Sic Procop. *impossibile*, inquit, *est, vt quis conspicetur fontem aquæ viuæ nisi Deus discussa oculorum caligine ipsum nobis videndum proponat.*

Proc. Gaz.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XX.

VVLG. Et fuit cum eo qui creuit, & moratus est in solitudine, factusque est iuuenis solitarius.

Sept. Erat Deus cum puero, & creuit, &c.

Cald. Et fuit verbum Dei adiutorium pueri, & creuit & fuit iaculator arcus.

Arias. Et fuit iaculans arcuarius.

CONCORDIA.

IN vulg. desunt aliquæ dictiones, quæ reperiuntur in Hebræo, nempe *Deus & puero*, quas tamen omisit, quia principium huius versus coniungebat cum præcedente, in quo Deus erat, & sic ne bis in eodem versu repeteret, omisit, quod tamen facilè sub intelligebatur.

EXPOSITIO.

ET *fuit cum eo*, nempe Deus cum Ismaële, vel vt alii volunt Agar, mansit enim cum filio suo, *& creuit*, non enim perfectam attigerat ætatem, *& moratus est in solitudine*, scilicet Arabiæ, quæ & Pharan dicitur, *factusque est iuuenis sagittarius*, hoc est peritissimus in arte sagittaria, vt venationi operam daret solertius.

Conceptus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui secum Deum habet crescit in virtute.

ET *fuit cum eo & crevit*, si nondum ad ætatem in qua datur terminus crescendi, peruenerat, non erat dubium quin cresceret, cur igitur quod superfluum esse videtur, addidit? nota præter augmentum corporis aliud esse, nempe virtutis, si autē cū Septuaginta legimus, & fuit Deus cum puero, vere dicemus illud verbum *creuit* non superflue, imo emphaticum esse, qui enim secum Deum habet, certissimum in virtute progressum facere.

Si nobiscum est Deus quis nos malos esse iudicabit?

212. *Et fuit cùm eo & factus est iuuenis sagittarius*, Hebræi asserunt ideo sagittarium fuisse, vt pote latrocinia in transeuntes per solitudinem exerceret: sed Caietanus existimat nugas esse Rabinorum qui id asseruerunt: sed o Caietane, nonne tibi persuadere potes cùm propter lasciuiam vel propter aliud delictum à domo paterna sit expulsus, in hoc crimen scilicet latrocinii cecidisse? minime, qua de causa vide quid dicat textus; erat Deus cum puero, merito igitur hi accusantur stultitiæ qui asserūt latrociniis deditum fuisse, qui enim secum Deum habet, quomodo malus iudicabitur? hoc paucis complectitur Caiet. *hinc apparet nugas esse quod Ismaël exercuerit latrocinia, si enim Deus quatenus iudex erat cum eo, longe erat à latrociniis.*

Card Caiet

Deus familiarior in deserto.

213. *Et fuit cum eo*, nempe Deus, certum est non semper Deum ab Ismaële abfuisse, imo ei pluries adfuisse; quomodo igitur vsque quo ad solitudinem perueniset, non legimus Deum cum eo fuisse? fuit equidem cum eo Deus aliàs, sed familiarior in solitudine, vt patet ex colloquio Angeli, quē Isidorus Deum ipsum existimat cum Agar, idque cōfirmat auctoritas Orig. Ho. 11. in Lucam, qui loquens de beato Baptista ait, *fugiens tumultum vrbium, populi frequentiam, viciniam ciuitatum, abiit in desertum, vbi cælum apertius & familiarior Deus.*

Orig. in Hom 11. in Lucam.

Desertum hominem Deum efficit.

214. *Fuit cum eo*, sine dubio cum quo Deus est, quodammodo Deus efficitur, sed vbinam tantam adipiscemur dignitatem? inspice quid de puero dicat Moyses, erat Deus cum eo in solitudine, merito equidem, in deserto enim quasi in Deum transformamur. Fauet D. Greg. Nissen. oratione 2. *qui solitudinem vocat* θεοποιὸν *Deum ex homine efficientem.*

D. Greg. Nissen. oratione 2.

Magna quidem & familiaritas Dei in deserto, sed hominibus studiosis, non autem aliis.

215. *Fuit cum eo*, nempe Deus secundùm lectionem Hebraicā, *& creuit & moratus est in solitudine*, ex his verbis colligimus maximam inesse solitudinibus securitatem, Dei maiorem reperiri nobiscum familiaritatem &c. sed huic obstare videtur auctoritas Ioan. Climaci gradu 4. de obed dicentis, nequaquam tutum est imperito & gregario militi ad gladiatorum certamen descendere, ita ne monacho quidem tutum est rudi adhuc ad solitudinem contendere, ille enim in corpore, hic in anima periclitabitur: si igitur animæ periculum est in solitudine, quomodo securitas reperitur, cū aliis relatis commodis? fateor securitatem esse quidem his, qui virtutem coluerint, & in passionum mortificatione vicerint exercitati, periculum autem illis adhuc ignauis & vitiosam consuetudinem adhuc retinentibus, quod optimè declarat cit. Climacus de differentia quietis gradu 27. *nullus qui vel furore, vel elatione, vel simulatione vel iniuriarum memoria perturbator solitariæ quietis vestigium vnquam vel videre audeat, ne forte stupor animi inde lucretur, qui vero à perturbationibus mundus est, ipse tam quod exp. dit, agnoscet:* deinde conditiones quæ requiruntur solitudinem colenti enumerans, ait, *eorum qui ratione solitariam arripiunt quietem, signa, studia, & argumenta ista sunt, mens tranquilla nullisque agitata perturbationum fluctibus, castissima intentio, raptus ad Deum præsens, semper cruciatuū mortis memoria, infatigabilis ac insatiabilis oratio, totius affectionis mortalis ignoratio, mundi mors, gastrimargiæ fastidium.*

Ioann Climacus de differentia quietis gradu 27.

Desertum virtutum mater.

216. *Et fuit cum eo, creuit & moratus est in solitudine*, diximus in primo conceptu per huiusmodi accretionem, virtutis progressum & augmentum intelligi posse, sed cur in Ismaële antea huiusmodi virtutum progressus non obseruabatur, sed solùm cū in solitudine moratur? quia eremus siue desertum, virtutū Schola est. Fauet Sinesius Epist. 101. *Qui desertum à multitudine locum vacuumque à turbis nominat* ἀγαθὸν συνεργὸν *bonum & præstantem adiutorem Philosophiæ*, per hanc autem Philosophiam virtutem Scholam intelligit.

Synesius Epist. 101.

Gratia Dei murus securitatis est.

217. *Et fuit cum eo, creuit & factus est iuuenis sagittarius*, si cùm in domo patris degisset, non legimus artem vllam didicisse, nec inter tot feras securum transisse, quomodo nunc in solitudine eas persequitur sine timore, nec illorum immanitatem respiciens? obserua verba antecedentia Deus erat cum puero: nihil mirandū igitur si nihil formidans, leones, & vrsos appetit, gratia enim Dei in aliquo murus est securitatis, sic D. Chrys. *si quando amicum & beneuolum habemus Deum secum viuemus, maxima enim securitas & inexpugnabilis murus, auxilium.*

Chrisost.

Maior securitas in solitudine quàm in ciuitatibus.

218. *Et fuit cum eo, & mansit in solitudine & factus est sagittarius*, nonne ille est Ismael, qui cum esset filius Abrahæ, nihil securum in domo paterna reperit, si quidem ab eadem fuit expulsus, ita Sara præcipiente? quomodo igitur vastissimam eremum siue formidine colit & habitat, securusque, inter tot ferocissimas moratur belluas? quia maior securitas in solitudine quàm alibi, imo quam in populosis ciuitatibus reperitur, audiamus S. Chrysost. sic dicentem, *vt discas quomodo qui in solitudinibus agit, securior sit & potentior his qui in mediis ciuitatibus versantur ingenti hominum præsidio freti; videamus quomodo Daniel de loco in locum trāsiens, & quasi erraticus vagans manu superna munitus fuerit, Saul autem cùm esset in mediis ciuitatibus, & tantum secum duceret exercitum, & satellites habens & armigeros, quotidie timebat inimicorum insidias; & ille quidem qui solus erat nullumque secum alium habebat, non indigebat humano præsidio, hic vero coronatus & purpura indutus illius auxilio indigebat.*

Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXI.

VVLG. Habitauitque in deserto Pharan & accepit illi mater sua vxorem de terra Ægypti.

Idem omnino leguntaliæ versiones.

EXPOSITIO

HAbitauitque in deserto Pharan, quod quidem est trans Arabiam contra Australem plagam, per hoc fecerunt iter filii Israël cùm de monte Sina castra mouissent, cùmque de Ægypto in terram Chanaan ascenderent, & *accepit illi mater sua vxorem de terra Ægypti* potius autem illius gentis coniugem dedit filio quam alterius, quia cùm originem traheret ab Aegypto ad eundem populum filium voluit referre, vel quia cùm esset in terminis Aegypti, non potuit aliunde commodiùs vxorem ei tradere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Amore naturali ducimur erga patriam.

219. *Accepit mater sua vxorem de terra Aegypti,* cur potius ex alia gente coniugem filio non præbuit, vt vinculo aliquo alteri nationi quàm suæ iungeretur? reuoca in memoriam Agar ex Aegypto duxisse originem: non mirum igitur ex Aegypto potius quàm ex alio populo coniugem Ismaeli dedisse, quia maiori ducimur amore erga patriam & eius incolas, quàm gentis alterius. Fauet Caiet. dicens, *naturali amore vnusquisque afficitur nationi suæ, & propterea Agar Ægyptia mulierem Ægyptiam in nurum asciuit.* (Card. Caiet)

Vxorem non suo sed parentum arbitrio sumant filij.

220. *Accepit illi mater sua vxorem,* Nonne Ismaël cùm forte tunc vigesimum quintum attigisset annum, suique iuris esset, potuit sibi connubio iungere mulierem? cur igitur non ait Moyses accepit sibi Ismaël vxorem, sed mater sua dedit illi coniugem? quia filii non ex sua, sed potius parentum voluntate matrimonio copulari debent, annuit Lippoman. cùm ait, *vxorem mater filio dedit, non suo accepit arbitrio.* (Lipp.)

Coniux etiam si separata quoad thorum à viro, alteri non nubat.

221. *Accepit illi mater sua vxorem,* cùm Agar nondum senilem attigisset ætatem, & à viro suo Abraham ex Dei præcepto separata degebat, nulla spe ad eum redeundi habita, cũ difficile sit mulierem adolescentulam, continentiam colere, quomodo non legimus alium sibi virum assumpsisse, cùm de ea alia non tanti momenti referantur? merito nihil scriptum de eius secundo connubio legimus, mulier enim si solùm quoad thorum à viro suo separata, alteri nubere non potest, quod obseruauit Abulensis. *sciendum,* inquit, *quod cùm Agar esset vxor Abrahæ, non poterat alteri nubere, nec in tota vita sua nupsit.* (Abulens.)

Qui diutius hæret peccato, dignus est qui deseratur.

222. *Accepit illi mater sua vxorem,* cùm maneret in deserto Pharan, quod colebat: bis Agar domum Domini sui deseruit, primo Genes. 16. at tunc restituta est in domum ab Angelo, Domini dixitque Angelus Domini reuertere in domum tuam, iterum eandem domum deseruit, verùm non vltra in domum redijt, nam habitauit in deserto Pharan, quomodo non regreditur ad domum Abrahæ? quia qui primo delinquit, veniam meretur, & in pristinam habitationem ab Angelo restituitur, qui verò diutius in peccato hæret, dignus est qui deseratur, hoc ex Philone sumpsi l. de Cherub. *quandoquidem & Agar per quam indifferens disciplina inclyta ducens corda intelligitur, videmus quidem bis exisse à principe virtute Sara, sed semel tantum reuersam per eandem viam, qua primo quidem vltro profuga, non expulsa, occurente Angelo, id est verbo Dei in domum herilem, iterum autem domo expellitur, reditura nunquam.* (Philo l. de Cherub.)

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXII.

VVLG. Eodem tempore dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham, Deus tecum est in vniuersis quæ agis.

Sep. Factum est autem in tempore illo, & dixit Abimelech & Hochozat pronubus eius, & Phicol princeps exercitus eius &c.

Cald. Verbum Dei est in adiutorium tuum in vniuersis quæ tu agis

CONCORDIA.

CONCORDIA.

Apud Hebraïcam lectionem non reperiuntur hæc verba Hochozat pronubus eius, quæ tamen septuaginta posuere forte, quia traditione acceperant non solùm Abimelech & principem exercitus illius Phicol, sed & pronubum eius fœdus cum Abraham inuisse, credibile enim est cum rege etiam suum pronubum ad Patriarcham venisse.

EXPOSITIO.

Eodem tempore, scilicet quo puerum Ismaëlem & matrem eius Agar expulit; *dixit Abimelech*, nempe ille rex quem Deus propter Saram quam sibi coniugem accipere statuerat, flagellauit *& Phicol princeps exercitus eius*, qui quidem hîc nominatur simul cum rege, vt nobis innotesceret ex consensu totius regni, nec non primatum illius, cum Abraham fœdus injisse, *Deus tecum est in vniuersis quæ agis*, Hebraismus est significans Deum semper ei adiutorem fuisse, quod quidem colligebat Abimelech ex eo quod quatuor reges Assyrios debellarat, filium in extrema senectute & vxore nonagenaria susceperat, & ip emet ob ipsius vxoris raptum Domini flagellum expertus fuerat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Obedientiæ præmium non differtur.

Eodem tempore, scilicet venit ad Abraham rex Abimelech cum principe sui exercitus, quo quæso, tempore? scilicet quo eiecit ex Dei præcepto Ismaëlem cum Agar, sed quomodo Deus disposuit regem potentissimum tantum honorem aduenæ deferre, vt eius amicitiam ambiat? cur non dicemus hunc honorem Abrahæ exhibitum à rege fuisse præmium obedientiæ, quam Deo in electione coniugis præstiterat? mens est Lyrani dicentis, *ponitur Abraha stabilitio, quia enim obedierat Domino in eiectione filij & matris, conueniens erat quod Dominus ostenderet ei aliquod speciale beneficium, quod factum est cùm rex terræ venit ad eum quærens eius amicitiam & fœdus.*

Noster: Lyranus.

Cum tentationibus concupiscibili & irascibili aliter atque aliter pugnandum, cum illis congressione, cum aliis fuga.

124 *Eodem tempore dixit Abimelech*, quo tempore? quo habitauit Ismael in deserto Pharam, non erit alienum ab instituto inquirere cur cùm Agar impatiens imperij Dominæ suæ Saræ fugam inijset, iussa est ab Angelo domum illius regredi, audiens ab eo, humiliare sub manu illius, nunc autem eiectam simul cum filio, neutrum Angelus reduxit, sed Ismaël vsque ad extremum vitæ in solitudine commoratus est: quid hoc? vidit ludentem, inquit textus, hoc est, ait Glossa, interl. lubricum & lasciuum esse docebat, sicut ipse erat, merito igitur Agarem reduxit Angelus vt humiliaretur sub manu iratæ Dominæ, quia cum tentatione irascibili pugnandum congressione, non autem reducitur Ismael, sed semper moratur in solitudine longè ab Isaac, quia verus Isaac si cum lasciuo Ismaele, nempe cum tētatione cōcupiscibili decertare debeat, potius certet fuga & longa ab inuicem separatione. Fauet nobis Chrysost. saltem quoad hanc secundam partem cùm exponit illa verba, Iob pepigi fœdus cū oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine; ait enim. *quis non admiretur & obstupescat videns virum hunc cum diabolo quidem viriliter certare, virginis autem faciem fugere, & à formosa puellæ aspectu oculos subducere? diabolum quidem videns non fugit, sed mansit, sicut leo viribus fidens, virgine autem visa, non stetit, neque moratus in contuenda pulchritudine, sed insuper secessit, siccebat siquidem in prælio contra demones virili & audacia omnino opus, in continentiæ autem præparatione victoriam concedi non ex virginum consuetudine, sed secessu.*

Chrysost. in cap. 31

Animi regii est Zelo inuidiæ non commoueri, ex aliorum prosperitate.

225. *Dixit Abimelech ad Abraham &c.* in amicitiam à viris principibus rogatur, sed cur non inuidiam? nulli enim magis exosi quàm quos vel suspiciendos facit virtus, vel dignitas metuendos, virtus autem Abrahæ in sui stuporem omnes vicinarum regionum incolas adduxerat, dignitas autem illius quamuis non regia, maxima tamen erat, tum propter victoriam quam à tot regibus Assyriis reportarat, tum ex honore, quem ei Rex Melchisedech detulerat: quomodo igitur Abimelech Zelo inuidiæ in eum non æstuat, potius quàm amore? nota Abimelech regem fuisse: dic igitur potius ex prosperitate, virtute & dignitate Abraham commotum fuisse, vt diligeret, quàm vt inuideret, animi enimvere regii est aliorum fœlicitatem non stimulo liuoris, sed potius amoris affectu prosequi.

Suspecta est pax, quam vi quadam principes requirunt.

226. *Dixit Abimelech, Deus tecum est in vniuersis quæ agis*, hæc fuit causa, nempe prosperitas Abrahæ, propter quam ad eum venit Abimelech, timuit enim, inquit Abulens. quia ex quo Abraham tantum prosperatus fuerat, ne insurgeret contra eos, vel regnum, ideo volebat fœdus inire cum eo, nisi igitur timuisset fœlicitatem Patriarchæ minimè illius amicitiam ambiisset, quis dubitat? vnde optimè D. Hildeb. Epist. 57. *suspecta est pax, ad quam non amore sed vi sublimes veniunt potestates.*

D. Hildeb. Epist. 57.

Eos amicos ambiamus quos Dei seruos agnoscimus.

227. *Dixit Abimelech ad Abraham, &c.* nescio cur Rex potentissimus, hominis peregrini & aduenæ amicitiam sibi acquirere solicitus satagit, cùm vna ex legibus veræ amicitiæ sit æqualitas? inspice quid dixerit Abimelech, Deus tecum est, id est tanquam vero ministro & seruo fideli suo semper adest: prudenter

igitur in numerum amicorum Abrahæ adscribi desiderat, quia eorum quos Dei seruos agnoscimus, amicitiam requirere debemus, vnde Stephanus Torn. Episc. Epist 67. recensẽs rationes quibus nouas conciliamus amicitias, quatuor sunt, alternæ confabulationes, obsequia mutua, litterarum frequens excursus, sed vltimam tanquam præcipuam subiungit, *virtutis fama sit consentiens veritati* quasi diceret, præcipua ratio propter quam nouos tibi concilias amicos virtus eorum sit & sanctitas.

Stephanus Episcop. Epist. 67.

Omnia Deo tanquam vero auctori bona tribuenda sunt.

228. *Dixit Abimelech Deus tecum est in vniuersis quæ agis*, scilicet propter victoriam, quam ab Assyriis regibus audiuit retulisse & prosperitatem in rebus temporalibus non exiguam: & dixit Deum secum habere Abraham, id est Deum esse auctorem bonorum quæ contigerunt Patriarchæ: sed nonne plures, cum victoriam ab hostibus referunt suæ fortitudini & dexteritati tribuunt? diuitias quas acquirunt suam in industriam & laborem referunt? quomodo igitur ea omnia in Abraham cognoscens, dixit Deum esse cum eo? vt nos illius exemplo, quæcunque bona consequimur, Dei dona esse fateamur, non autem solum nostræ tribuamus industriæ, quod eleganter confirmat Saluianus lib. I. ad Eccl. cath. quoad bona temporalia: *omnem substantiam mundialem diuino possessoribus munere dari, nullus enim homo vt reor ambigit, qui modo in hominum numerum referri potest, nisi forte quis tantæ sit insipientiæ vt cum humano generi mundus ipse à Deo datus sit, ea quæ in mundo sunt non à Deo hominibus data arbitretur.*

Saluianus. l. I. ad Eccl. Cath.

Iustis prospera contingunt, etiam ipsis non cogitantibus.

229. *Dixit Abimelech ad Abraham*, scilicet vt secum fœdus iniret pacemque stabiliret, maxima quidem Patriarchæ fœlicitas, cùm ipsimet reges suam ambiant amicitiam: an industria sua & labore, vt ad se rex pacem petiturus veniret, consequutus est? minime equidem, quomodo igitur id euenit? non alio, quàm quod iustis prospera contingunt etiam ipsis non cogitantibus, nihil minus cogitabat Abraham quàm diuitias, honorem sibi à rege exhibitum, tamen ea nesciens & ignorans, consequitur & obtinet.

Iustus est Deus etiam cùm temporalia bona suis confert.

230. *Deus tecum est in vniuersis quæ agis*, nescio cur Abimelech Deum non sub nomine Iehoua sed Elohim exprimat, cùm primum sit maioris auctoritatis & potentiæ quàm secundum: nota per hæc verba, Deus tecum est in vniuersis quæ agis, prosperitatem Abraham in rebus temporalibus significasse: merito igitur Deum sub nomine Elohim, id est iudicem appellat, quia iustitia etiam Dei innotescit, cum temporalia bona suis confert & largitur: *appellatur* (inquit Caiet. *Deus ab Abimelech Elohim, eo quod iustitia Dei relucebat in Abraham cum prosperitate temporalium facultatum.*

Card. Caiet.

Præsente Deo bona temporalia conciliantur.

231. *Deus tecum est*, dixit Abimelech, amicitiam cũ Abraham initurus, vnde quæso cognouit Deum esse cum Abraham nisi quia vidit illum bonis temporalibus cumulatum: erat enim, inquit textus, diues valde in possessione auri & argenti, hæc enim bona diuinæ præsentiæ, à qua communicantur signa sunt, vt Oleaster aduertit. *cum*, inquit, *videris iustum bonis etiam temporalibus abundare, cognosce eum Deum apud se habere.*

Oleaster.

Deo præsente nihil nobis deesse potest.

232. *Deus tecum est* inquit Rex Abimelech Patriarchæ antequam fœdus cum eo iniret, sed nonne satis amplius cumulauerat Deus Abraham beneficiis? cur igitur etiam à regibus de amicitia sollicitari disponit? aduerte regum amicitiã maximè prodesse alienigenis vt ab aduersariis protegantur: merito igitur disposuit Deus regem Abimelech cum Abraham fœdus pacis inire, vt nobis innotesceret, quod qui Deum secum habet, omnia sibi conciliari, nihilque sibi vnquam defuturum, quod sibi polliceri potest, inquit Philo Hebr. l. de agricul. ante medium, *quisquis sibi Deum præsentem expertus, impossibile est, deesse eo modum aliquid, vbi Deus præsidet, fructus plena perfectaque bona largiens rebus omnibus.*

Phil. Hebr. l. de agricul.

Societas bonorum maximè prodest.

233. *Deus tecum est, dixit Abimelech ad Abraham*, quomodo Deum agnoscis, cum vxores aliorum antea rapiebas? quomodo Deum adiutorem Patriarchæ fateris, quem antea forte interemisses, si Saram coniugem suam esse compensisses? in memoriam reuoca plures hunc regem cum Abraham colloquutum fuisse: quid mirum igitur nunc Deum fateri, suisque in omnibus auxilium præbere, amicitiamque iusti satagere; societas enim & piorum colloquium, maximæ vtilitatis est ad pietatem acquirẽdam: *Rex Abimelech*, inquit Lipp. *dignus habebatur Deo qui proficeret in timore Dei; nam contubernium Abrahæ non parum illi profecerat.*

Lippom.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIII.

VVLG. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi & posteris meis stirpique meæ, sed iuxta misericordiam quam feci tibi, facies terræ, mihi, & terræ in qua versatus es aduena.

Sep. Nunc ergo iura mihi Deum, non læsurum me, neque semen meum, neque nomen meum, sed secundum iustitiam quam feci tecum, facies mecum, & terræ in qua incoluisti in ea.

Cald. Nunc iura mihi per verbum Domini hic ne noceas mihi & filio meo, & filio filij mei.

Pag. Si mentitus fueris mihi, & filio meo, & nepoti meo, secundùm misericordiam quam feci tecum, facies mecum, & cum terra in qua peregrinatus es.

Caiet. Si falsus eris mihi, & filio meo, & nepoti meo, fac mecum misericordiam, sicut misericordia quam feci tecum.

Vatab. Nihil perfide ages mecum.

Concordia

CONCORDIA.

שקר Sakar mentiri, falsum loqui, perfidè agere significat, quæ verba non reddidit noster interpres, sed solùm sensum, cùm alia non fuerit intentio Abimelech, quàm deprecari Abraham ne sibi noceret נין nin filium, progeniem, stirpem posteros significat נכד neched vero nepotem, id est filium filij, noster etiam vulgatus hîc magis sensum quàm verba sequutus est, *posteris meis, stirpique transferens*, miraberis quod dicitur Hebraice & filio filij mei, à septuaginta reddi neque nomen meum, nam nihil tale apud Hebræum legitur, sed existimo filiũ filij sui, suum nomen habuisse, & ideo nomen pro nepote vertisse, vel potius nomen pro fama intellexisse, communiter vbi legimus misericordiam transferunt septuaginta iustitiam, non distinguentes inter vtrumque attributum.

EXPOSITIO.

IVra per Deum, id est testem Deum tuæ fidelitatis & amicitiæ à te cõseruandæ interpone, vnde colligere velim non solùm Abraham & familiam suam vnũ Deum coluisse, sed & plures alios, qui inter gentes degebant, *ne noceas mihi*, id est, quod mecum dolose non ages, quod per vim me meosque non opprimes, *& posteris meis, stirpique meæ*, quasi diceret non solùm à te exigo iuramentum, ne mihi vel inferas bellum, vel aliud dãnum, sed ne filiis meis eorumque posteritati; *sed iuxta misericordiam quam feci tibi facies & mihi*, Hebraismus est significãs aliquem clementer & benignè excipere, neque enim supplex venit Abimelech vt Abrahæ misericordiam imploret, quin potius sibi hoc ius regium vendicat, sensus igitur verborũ Abimelech hic est, sicut amicabiliter & clementer me gessi tecum, & tui misertus sum, ita & amicè quæso mecum habeas & cum posteris, id est filiis, & cum stirpe, id est iis qui ex mea familia regia, *& terræ* id est cum habitatoribus meæ ditionis, *in qua versatus es aduena*, quasi diceret ad quam tanquam peregrinus & incognitus venisti.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Falsus verè dicendus est homo, qui beneficiis acceptis ingratus est.

234 IVra per Deum ne noceas mihi, Caiet. ex Hebræo legit si falsus es mihi, cur falsũ nũcupat Abrahamum Abimelech, si sibi damnum nullum intulit? nota beneficia Patriarcham accepisse à rege Abimelech, sicut ipsemet testatur dicens, misericordiam feci tecum, merito igitur falsus diceretur Abraham, si ingrate se erga Abimelech gereret, hoc enim nomine appellandus est qui gratitudinem ignorat. Sic Caiet. *falsum se exhibet homo beneficiis receptis, reddendo malum pro bono, nam beneficio respondet benefacere.*

Caiet. Caiet.

Cùm Deum interponimus iuramento, mentem tranquillam gerimus.

235 *Iura per Deum*, nescio cur ab homine iusto iuramentum exigis? si enim Deum cum eo esse fateris, quomodo tibi persuadere potes, in aliquo nociturum fidelem Dei ministrum? nota quod nostræ carnis siue malitia siue infirmitas est, omnes mortales fallere, mẽtiri, atque labi posse, nec vllum ita circũspectum esse, qui falli aut circumueniri aliquando non possit, atque adeo nihil certum aut firmum in rebus humanis esse comperimus, & ideo inquietam gerimus mẽtem: quid igitur efficiendum, vt eam quasi stabiliamus? si Deum interponamus iurantes, is enim solus pacatam & securam mentem nostram reddit, si ei fide vera astrinxerimus, qui enim in rebus seriis, aut proximo præstat iuramentum, aut exigit ab eo, perinde facit ac si diceret, vide, ambo mortales sumus, mendaces ambo, & fallaces, dic iste Deum metuere & colere, eundem etiam veneror, astringamus ergo nos iuramento, summo vero & incommutabili Deo, qui nec fallit nec fallere potest, sicque mentem vterque geret quietam & tranquillam.

Iuramentum finit lites & contentiones tollit.

236 *Iura per Deum ne noceas mihi*, an tibi aliquando nocuit? minime equidem, est enim irreprehensibilis, cur igitur iuramentum exigis, ne tibi dãnum inferat? nota contẽtionem aliquam iam fuisse inter seruos regis Abimelech & domesticos Abrahæ, vt textus ipse testatur dicens, increpauit Abraham Abimelech propter puteum quem abstulerant ei serui eius: à seruis autem facile contentio ad dominos ipsos peruenire potuisset: merito igitur iuramentum exigit, vt omnes inter eos lites & controuersiæ finirentur, nam & optime D. Pau. ad Heb. cap. 6. ait, homines per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramẽtum, quæ verba exponens D. Primas. ait, *homines per maiorem sui iurant, hoc est per Dominum qui est ipsorum creator, iuramentum quippe est finis contentionis eorum ad confirmationem, quia per iuramentũ credendum est, nec debet postmodum querela fieri iuramẽto completo, sed finis contentionis debet esse iuramentum.*

ad Hebr. 6.

S. Primas.

Vnusquisque qualis est, alios iudicat.

237 *Iura Deum ne noceas mihi*, ô Abimelech, audiuisti ne aliquẽ ab Abrahamo fuisse affectũ iniuriã, aut sobolẽ tuam ab eo iniuriose tractatã? disce iustũ nemini iniuriã inferre, cur ergo vis eum iuramento obstringere, ne tibi noceat, cũ nulli vnquã damnum intulerit? reuoca in memoriã Abimelech iniuria affecisse Abrahamum, eique nocuisse, cum coniugem eius Saram in regiam suã ducendã curauerit, vt sibi eam despõlaret, quid mirum igitur, quamuis nullum vnquã offenderit Abraham, præsumere tamẽ quod tibi damnũ inferret, quia vnusquisque qualis est, alios iudicat; si iniuriosus est alios ab iniuriis inferendis liberos non esse existimat, &c. quod subtiliter D. Cæsari. ho. de diuite auaro. qui inquirens cur cùm in flammis torqueretur diues ille ad refrigerium corporis sui, posiit guttã aquæ à La-

D. Cæs. ho. de diuite auaro.

zaro petiit, dixit enim, mitte Lazarũ, vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flãma, ait, *petit guttam, qui negauerat panem*, quasi diceret, cùm fuisset auarus secundum cor suum alios iudicabat, & ideo solam guttã aquæ postulauit.

Principes non solum sibi, sed & suis prouideant.

238. *Ne noceas mihi, & posteris meis, & terra in qua versatus es aduena*, Abimelech, Abrahamum ne tibi bellum inferat, deprecare, cur autem de regno solicitus es? si te modestè erga Patriarcham gessisti, non tibi formidandum est, nihilominus non solum vt vterque se amicabiliter habeat satagit Abimelech, sed vt regno suo non noceat, deprecatur, quia verus princeps non solum sui, sed & suorum conseruationem satagere debet, quod annotauit D. Greg. Mag. in 1. Reg. qui inquirens cur Samuel vnxit Dauidem in medio fratrum suorum ait, *in medio eorum vngitur, vt se priuato amore non diligat, sed ex omni quod præeminet, lucra etiam suorum quærat.*

D Greg. mag in 1. Reg.

Princeps suorum calamitates ac proprias timeat.

239 *Ne noceas mihi & terra in qua versatus es aduena*, per terram suæ ditionis, habitatores intelligit, cur eodem iuramento voluit Abimelech Abrahamum obstringere, ne non solum sibi, sed nec & suis damnum inferret? non enim tantæ auctoritatis nec æstimationis sunt subditi ac princeps, nec calamitas quæ regno contingere potest, regis est propria, interponat ergo solum pro sua salute non autem pro regni incolumitate iuramentum: sed æquissimè exigit Abimelech non solùm pro se, sed & suis idem iuramentum ab Abraham, ne aliquod incommodum ab eo acciperent, subditorum enim calamitates ac proprias formidare debet, quod subtiliter confirmat noster Lyran. cùm exponens hæc verba, 1. Reg. 28. num. 16. *desperabat Dauid se posse euadere à facie Saul*, inquirit, si de diuino oraculo certus erat se regnaturũ post Saul, quomodo desperabat se non posse euadere? respondet, *non desperabat pro sua persona, sed quia timebat de morte virorum suorum*, quasi diceret, torquebatur suorum calamitatibus, ac si propriæ essent.

Lyr in Reg. 28 nu 16.

Iustitia exigit vt beneficia persoluamus.

240 *Iuxta misericordiam quam feci tibi facies mihi*, Septuaginta legunt, nec non D. Ambr. secundùm iustitiam quam feci tecum, facies & mihi, nonne supremus es Rex in tua ditione? cur ergo tibi iustitiam fieri ab aduena exigis? aduerte sensum illius esse, vt sibi non foret ingratus, sed vt gratum sibi animum exhibeat, hoc igitur modo loquendi vtitur, *facias mihi iustitiam*, quia æquitatis proprium est, ab alio accepta beneficia non negligere, sed persoluere.

Memoria beneficiorum inculcanda ne obliuiscamur.

241. *Iuxta misericordiam quam feci tibi, facies & mihi, & terra in qua versatus es aduena* cur hæc vltima subiunxit verba? sufficiebat enim dixisse, miserere mei, nec nõ regni, sicut tui misertus sum, immo hæc verba aliquod iniuriæ genus illatũ Abrahamo præ se ferunt; indicat enim eum peregrinũ, pauperẽ, & incognitum in suã venisse ditionẽ, ea igitur silentio præterire deberet non referre: sed obserua sensũ verborũ esse, tibi liberaliter concessi vt regnũ meum habitares, non igitur superfluè nec iniuriosè hæc verba retulit, sed vt memoriæ illius beneficia accepta inculcaret, vt eum ad gratitudinem prouocaret.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIIII.

VVLG. Dixitque Abraham, ego iurabo.

Sep. & dixit Abraham ego iuro.

EXPOSITIO.

EGO *iurabo*, quamuis Abraham polliceatur solum se iuraturum, nec dicat textus iurasse, non est dubium tamen iuramentum præstitisse iurasse enim supponendum est, vnde sept. legunt ego iuro.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iuramentum cum iudicio coniungendum.

242 EGo *iurabo*, nonne tibi dixerat Abimelech iura mihi? cur ergo non ais. ego iuro, sed solùm de futuro polliceris iuraturum? merito non illico iurat sed differt iuramentum, cum iudicio enim coniungendum, quoniam nec temerè nec inconsideratè, sed consulto, & cogitato iurandum est, ita vt qui iuraturus est, primũ consideret necessitate cogaturne acurateque rem totam expendat, an huiusmodi sit vt iure iurando indigere videatur.

Ratio humana legis diuinæ contemptrix.

243 *Ego iurabo*, cur Deus iuramentum præstare voluit Abraham Abimelech? ad fouendam amicitiam inter Israelitas & Philistæos, sed quomodo id fieri potest, cùm vix cum aliqua gente plura bella Iudæorum legimus, quàm cum Palæstinis ob viciniam scilicet se se æmulabantur: basne mireris id ita contigisse, nam vt optime Lipp. *in hoc humanam rationem dixit emus contemptricem legis diuinæ*, & verissimè quidem, quod enim Deus ad maiorem salutem animæ, immo & ad corporis securitatem statuit, si nobis non arrideat, facile contemnimus.

Lipp.

Amicitia cum iustis maxime prodest.

244 *Ego iurabo*, respondit Abraham Abimelecho ab eo iuramentum exigenti, non solum pro se sed & posteris & sui habitatoribus regni, sed inquiro cur Rex cupiebat omnem suam progeniem Abrahamo confœderatam esse? quia sperabat nihil mali eis accessurũ, si cũ amicis Dei confœderarentur, & quidẽ prudẽter, amicitia enim iustorũ maximi est emolumẽti & vtilitatis.

246

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXV.

VVLG. Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abstulerant serui eius.

Sept. Et increpauit Abraham ipsum Abimelech de puteis aquæ quos abstulerant filii Abimelech.

Caiet. Et fecit increpare Abraham Abimelech propter puteum.

Vatab. Quem rapuerant.

CONCORDIA.

VBi habemus serui Abimelech, septuaginta secundùm aliquorum versionem legunt serui Abimelech, sed existimo errorem librariorum esse, nam D. Ambr. & alij qui sequuntur Septuaginta, habent serui, & in Græco textu οἱ παῖδες.

EXPOSITIO.

ET *increpauit Abimelech*, scilicet Abraham reprehendit regem *propter puteum*; ille est quem Angelus ostendit Agar, quemque foderat Abraham ante Agar & Ismaelis expulsionem: si autem obiicies, quomodo puteum quem foderat Abraham, ignorabat Agar, si ante fossus est quàm illa expulsa, fieri enim potuit vt pecorum suorum causa, longe à domo in qua cum suis habitabat, puteum foderet quem illa nesciret, *quem vi abstulerant serui eius* nempe Abimelech, pro pecoribus suis adaquandis.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Principes delictis subditorum sunt obnoxij.

246 INcrepauit Abimelech, qua de causa Abraham regem reprehendis? propter puteum quem vi abstulerant serui eius, obiurga igitur seruos non autem regem, cùm non ille, sed serui illius puteum violenter rapuerint: merito Abraham non seruos, sed regem arguit, quia principes delictis subditorum quos coercere debent, & tamen impunitos relinquunt, sunt obnoxij, *culpa subditorum* (inquit D. Dam. epist.15. lib.4. *in præpositorum redundat opprobrium, & quod ab ouibus erratur, negligentiæ pastoris adscribitur vide quàm formidolosa sit conditio præsidentium vt non modo pro suis sed & pro subditorum puniantur offensis.*

D. Petrus Dam. lib. 4. Epist. 15.

Principes etiam reprehendendi.

247 *Increpauit Abimelech Abraham.* Si peregrinus & aduena, quomodo ipsummet regem in suo regno, & coram principe sui exercitus, nec non coram pluribus alus audes arguere? nonne furorem & indignationem illius formidas? ab increpatione eius cessa, dissimulans seruorum suorum violentiam: merito Regem Abimelech arguit Abraham, Principes enim si delinquant, reprehendendi, nec dissimulanda eorum delicta, quod patet ex Ioanne regem Herodem reprehendente, cum ait Marci 6. *non licet tibi vxorem fratris tui habere.*

Marc. 6.

Omnia tentanda vt pax solidius firmetur.

248 *Increpauit Abimelech Abraham*, cur non dissimulas, patienter ferens violentiam à seruis illius tibi illatam? prudenter Abraham Regi suas patefacit querimonias, vt omnem, si quis animo lateat dolorem in verbis exuat, ac regis responsione penitus diluat, & sic firmata pace pacatius & sincerius recedat, quod Procopius factum ita subnotauit, *pacto firmato nihil tristitiæ in animo reseruat, non enim ore solummodo vt cæteri solent, sed animo quoque fœderum religionem inuiolatam conseruare voluit Abrahamus.*

Procopius

Mali ministri etiam optimos principes reddunt infames.

249 *Increpauit Abimelech Abraham*, existimabat igitur eum deliquisse, sed inspiciamus textum, propter puteum quem vi abstulerant serui eius, non ergo deliquerat Abimelech, sed solum domestici sui, & tamen tanquam reus culpæ ab Abraham censetur, vnde hoc? quia mali ministri optimos principes suis sceleribus reddunt apud alios infames, in hanc rem sic scribit Ferrandus Diaco. ad Comit. Reg. regula 3. *quid mis eros iuuat, si dux exhibeat continentiam boni ducis, & alius sibi de potestate illius occasionem faciat auaritiæ satiandæ: tales habeat socios ac ministros qualem se esse debere cognoscit.*

Ferrand. Diaconus.

Propria iniuria nobis illata, dissimulanda.

250 *Increpauit Abimelech propter puteum quē abstulerant serui eius*, sed nonne antequam vellet fœdus Abimelech inire cum Abraham, ministri regis puteū abstulerant? quomodo igitur cum sibi foret rex amicitiæ vinculo coniunctus, ad eū non detulit violentiam sibi illatā & factā iniuriam? quia dissimulanda & patienter ferenda quousque occasio se se offerat opportuna illam aperiendi. *Abrahæ longanimitas* (inquit Lipp.) *declaratur qui cultor pacis rerum suarum iacturam tarde querebatur etiam ad amicum sibi regem, habita autem occasione digna opportune proponit suam causam.*

Auctor. Caten.

Pax omnibus commodis præferenda.

251 *Increpauit Abimelech propter puteū*, qui sibi ablatus fuerat, nonne tuo labore, industria, & expensis à te effossus fuerat? quomodo igitur eodem tēpore quo tibi tanta vtilitas pro pecoribus tuis adaquādis adépta est, siluisti, nec ipsos regis ministros increpās? quia cū pacis cultor esset, eam omnibus suis cōmodis anteponit. iacturā bonorū suorū præ illa nihili faciēs, hæc enim supra omnia à Chr. Dño. commendatur discipulis, quod Cælius Sedul. lib. 5. operis Pasc. c. 26. obseruat dicens, *monitis eos erudiens beatos esse pacifica roborās traditione*, preme hæc vltima verba, significat enim Chr. pacem dedisse disci. tanquam omnibus præferendam.

Celius Sedulius Pasc. li. 15. operis Pasc. ca. 26.

Querimoniæ nostræ occasio sit aliquid magni ponderis.

252 *Increpauit Abimelech*, hanc increpationem potius quærimoniam ipsius Abrahæ quàm reprehensionem fuisse nonnulli arbitrantur, quod equidem miror, nam indignum homine potentissimo qualis erat Abraham apud Regem conqueri de re leuissima, qualis erat iactura putei, nota puteum vbi difficiles inuentu erant aquæ, magni precij fuisse: ne miremur igitur conquestum fuisse de putei ablatione, quia aliquid magni ponderis potest esse occasio nostræ quærimoniæ, *pro puteo aquæ*, (inquit Rupert. libro 6. in Genes. ca. 25.) *vir tantus regem increpat, quia videlicet res non indigna erat, præsertim in illis terris vbi naturaliter magna viua aquæ copia non erat.*

Rup. li. 6. in Gen. ca. 25.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVI.

VVLG. Responditque Abimelech, nesciui quis fecerit rem hanc, sed & tu non indicasti mihi, & ego non audiui præter hodie.

Sept. Non noui quis fecerit tibi verbum hoc, neque tu mihi annunciasti.

EXPOSITIO.

Nesciui quis fecerit rem hanc, cùm ignorantiam probabilem violentiæ seruorum suorum illatæ domesticis Abraham circa putei ablationem habuisset, à culpa excusatur, *sed & tu non indicasti mihi*, quasi diceret, si mihi id aperuisses, minime tolerassem; *& ego non audiui præter hodie*, scilicet hodierno die solum didici.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iusti reprehensores diligendi sunt.

253. *Nesciui quis fecerit hanc rem*, quid ô Rex potentissime, ab homine alienigena & incognito quasi iniustus reprehenderis, & contra eum iræ Zelo non excandescis, sed cum amoris argumento respondes? merito quidem, quia iustus reprehensor non odio sed amore prosequendus: ita Clem. Alex. lib. 1. pædag. ca. 1. *beneuolentiæ non odij signum est, reprehendere, ambo enim probrum obiiciunt amicus & inimicus, sed inimicus quidem irridens, amicus vero benefaciens.*

Clem. Alex. lib. 1. pæda cap. 1.

Reprehensio humiliter toleranda.

254 *Nesciui quis fecerit rem hanc*, quis plebeius, (ne dicam nobilem) qui benignè admittat obiurgantem? quomodo ergo Rex humillimis satisfacit verbis Abrahæ reprehendenti? vt illius exemplo discamus reprehensiones nobis factas humiliter esse tolerandas, *nonnunquam* (inquit Ioann. Clim. de acurata pœnit. gradu 4. *cum à pastore incusamur gratificè tolerare ac tacitè debemus, nonnunquam verò facti nostri rationem reddere.*

Ioan. Clim. gradu 4. de acurata pœnit.

Principes ab aliorum violentia se abstineant.

255. *Nesciui quis fecerit rem hanc*, nonne principes aliqui existimant sibi omnia licita ad voluntatis arbitrium, & quod iniustè commissum est à domesticis, id ingenuè tanquam ex suo consensu perpetratum fatentur? quomodo igitur quod à seruis tuis factum est ô Abimelech, quamuis nesciens, id non approbas? quia veri principes non solùm à violentia abstinere tenentur, imo nec ei consensum præbere, vnde profecto melior multis regibus quibus quandoque omnia licent quæ libent, qui quacumque ratione & etiam cum aliorum iniuria vendicant sibi possessiones alienas, cùm proprias administrare pro dignitate non possint, vel negligant.

Excusatio vera non qualibet responsione continetur.

256 *Nesciui, deinde non audiui quis fecerit hanc rem vsque hodie*, si tibi dixerat Abraham seruos tuos vi puteum sibi abstulisse, cur non ais, nescio, si ab eis id commissum fuerit? sic enim sufficienter excusatum te haberet Abraham, minimè equidem, nam vt optime Rupert. lib. 6. in Genes. cap. 25. *vbi de facto agitur parum est ad conscientiæ puritatem nescire à quo factum est, cùm scieris an factum, vel quia factum sit, præsertim si tacendo consensisse videaris, cunctis ergo culpæ partibus rationabiliter se exuit, cùm ad summum dicit, & ego non audiui præter hodie.*

Ignorantia à peccato excusat.

257 *Nesciui quis fecerit hanc rem*, quomodo hac responsione accepta obiurgationem suam non sequitur Abraham, imo excusationem Regis Abimelech admittit? quia vt optime Glossa interl. *Nullius crimen maculat nescientem*, probabili enim & iusta ignorantia siue iuris, siue facti quis excusatur à culpa.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVII.

VVLG. Tulit itaque Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech, percusserúntque ambo fœdus.

Sep. Et sumpsit Abraham oues, & vitulos, & dedit Abimelech & disposuerunt ambo testamentum.

Pag. Et accepit pecudes & boues, & percusserunt ambo fœdus.

CONCOR.

CONCORDIA.

יעת Pecudes significat quidem in propria significatione, tamen denotat minuta animalia, vt oues, & capras, & vt inquit Rabi Dauid in lib. radi. capitur interdum pro particulari aliqua specie, vt puta pro oue tantum, aut solum pro capra, hic autem pro ouibus.

EXPOSITIO.

TVlit itaque *Abraham oues & boues*, scilicet vt restitueretur ei puteus à seruis Abimelech, vel ei tanquam principi hæc obtulit munera, *percusseruntque ambo fœdus*, id est pactum amicitiæ inierunt cum iuramento, obseruantes scilicet solemnitatem quæ antiquitus in pacti confirmatione custodiebatur, scilicet animalia occidentes, & per eorum diuisiones transeuntes, de quo supra cap. 15.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Quod Dei, Deo, quod regis, regi tribuendum.

258 T*Vlit Abraham oues & boues & dedit Abimelech*, nonne ditissimus erat Abimelech, vt pote rex? cùm ergo longe inferior esset opibus Abraham, cur ei tot munera largitur? nota Abimelech principem esse illius regni, in quo tanquam incola morabatur Abraham: iustè igitur hæc ei obtulit non tanquam potentiori, sed tanquam regi suo, iuxta illud Apostoli, reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, iuxta illud Christi Domini, quæ sunt Cæsaris reddite Cæsari, quæ sunt Dei Deo, quod explicans Theophil. ait, *attende quod non dixit date, sed reddite, debitum enim est, tuetur enim te princeps tuus ab hostibus, vitam tuam reddit tranquillam, probis ergo teneris eis in censu.*

Luc 20.

Theophil. in 20. Lu.

Licet à vexatione nos redimere.

259 *Tulit Abraham oues & boues & dedit Abimelech*, quid agis Abrahā? licetne muneribus amicitiam regum ambire? nonne illud adulatorum proprium est, vel hominum qui non soli Deo sed mortalibus confidunt? prudenter tamen ei dona tribuit, vt sibi in Palæstina manere pacificè concederetur, ne sibi iussque iniuria fieret, quia vt optimè Lippo. *licet opportunè gratiam magnorum venari, & odium redimere.*

Lipp.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVIII.

VVLG. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum.

Sep. Septem agnas ouium solas.

Ar. Septem agnas pecoris solas ipsas.

EXPOSITIO.

ET *statuit Abraham agnas septem seorsum*, non ad obseruandam ceremoniam quandam & ritum, quo percutiendum erat fœdus, vt patet ex responsione regis Abimelech, qui nesciebat quid ista segregatio septem agnarum denotabat, modus autem & ritus percutiendi fœdera in ea regione, & apud regiones visitatus regem latere non potuit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Pax & concordia maxime vtilis denotatur.

260 E*T statuit septem agnas seorsum*, scilicet vt eas accipiens Abimelech, pax & concordia firmaretur, sed cur Abraham potius non obtulit septem agnos? oblatio enim agnorum honorabilior agnarum esse videtur, vnde in veteri testamento agni offerebantur Domino, tam in sacrificium quàm in holocaustum, nusquam autem, vt opinor, legitur agnas oblatas fuisse: nota agnam longe vtiliorem esse quàm agnum, vtilitas enim quæ ex agno sumitur habetur etiam ex agna, & insuper agna fœcunditate sua gregem domini multiplicat, quod agnus non efficit: prudenter igitur agnas non autem agnos obtulit Abimelech Abraham, vt indicaret vtilitatem quæ ex fœdere pacis bene obseruatæ resurgeret.

Pax sit perpetua.

261 *Et statuit septem agnas*, cùm maxima ouium ei esset copia, cur solum septem obtulit, non autem plures? indignum enim tanto rege videtur esse solum septem agnarum munus, nota per numerum septenarium plenitudinem designari, sicut patet in septem sacramentis & in septem donis Spiritus sancti; ad designandam igitur perpetuitatem & plenitudinem pacis siue fœderis, non numerum octonarium vel alium, sed septenarium agnarum obtulit.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXIX.

VVLG. Cui dixit Abimelech, quid sibi volunt agnæ istæ quas stare fecisti seorsum?

Sept. Quid sunt istæ septem agnæ ouium, quas statuisti solas?

EXPOSITIO.

CVi dixit *Abimelech, quid* &c. en vides regem ignorantem cur separatæ fuissent ab Abraham septem agnæ, & ideo rei nouitate ductum ab eo sciscitari, quid denotet huiusmodi separatio; vt hinc colligas non pertinuisse ad ritum ineundi fœderis, quamuis in formatione præcedentium conceptuum diximus ad id designatas fuisse.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Dona Spiritus sancti non sunt in potestate hominum.

262. QVid sibi volunt istæ septem agnæ seorsum? hæ septem agnæ quæ in percussione fœderis secundum aliquos constituuntur, septiformem Spiritus sancti gratiam significant, cuius nobis in baptismo, quo in Christo fœderamur, dona distribuuntur. Sed cur huiusmodi agnæ septem donorum Spiritus sancti [illegible] dicuntur [illegible] positæ? subest mer quamuis mysticè, [illegible] Repert. lib. 6. in Genes. cap 2[illegible]. *[illegible] profecto non in potestate hominis sunt dona Spiritus sancti, equidem baptismum aquæ omnes æqualiter per officium Ecclesiasticum exhibemus, ipsius autem dona spiritus non qualia vel quanta volumus damus aut accipimus, sed ipse Spiritus sanctus operatur omnia, diuidens singulis prout vult.*

Repert. lib. 6. in Genes. cap. 26.

Occasio discordiæ & contentionis adimenda.

263 *Quid sibi volunt istæ agnæ seorsum?* vt tibi donentur in pretium agelli, in quo est puteus, quem Abraham fodit pro pecoribus suis adaquandis: sed itane rex auarus, vt sine pretio Abrahamo non concederet huiusmodi agrum in quo puteus erat? minime equidem, cur igitur Patriarcha quod sibi reseruare potuit, ei tulit obtulit prudentia ductus, vt omnem futuræ rixarum occasionem tolleret. Sic Procop. *Septem agnas statuit seorsum in conspectu Abimelech, sicuti vt essent pretium loci, hoc modo contentiones quæ inde exoriri [illegible] prudenter reprimit.* O quàm beata tempora, in quibus quicquid emptum pretio erat, & in possessionem veniebat, de iure tutum nullisque potentatum litibus habebatur.

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXX.

VVLG. At ille, septem inquit agnas accipies de manu mea, vt sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum.

Sept. Quia septem agnas capies à me, &c.

EXPOSITIO.

AT *ille* scilicet Abraham, interroganti Abimelech respondit *septem agnas accipies de manu mea*, phrasis Hebraica, id est accipies à me, *vt sint mihi in testimonium*, id est in memoriale, *quoniam ego fodi puteum istum*; quasi diceret si forte aliquando contentio oriatur inter me & te, vel inter vtrius que posteros, vel famulos super puteum istum, hoc pretium tibi datum [illegible] & pacti, quod [illegible] fecimus, ait autem Aug. q. 56. in Genes. *has agnas datas fuisse, non solum in signum quod puteum foderat, sed in pretium aliquantulæ terræ spatij, circa eundem puteum.*

D. August. q. 56. in Gen.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Pacem firmiori modo quo possumus stabiliamus.

264. SEptem agnas accipies de manu mea, vt sint in testimonium mihi, nonne mutua verba sufficiebant? ad quid igitur donorum oblatio & acceptatio est necessaria? merito non solum verba miscentur, sed & eis dona coniunguntur, in hoc fœdere ineundo, & in hac agri emptione, vt firmius pactum stabiliatur, quod obseruauit Thom. Angl. cum ait, *dicendum quod quando in pactis aliqua facta & dona adiunguntur verbis, pro tunc multiplicius & sensibilius est signum formationis pactorum.*

Tho. Angl.

Septem opera misericordiæ regi sæculorũ immortali offeramus vt sempiterno fœdere ei cõiungamur.

265. *Septem agnas accipies de manu mea*, dixit Abraham regi Abimelech, cur numerum septenarium offert, vt amicitiæ iura contrahat cum rege? per Abraham fidelis anima intelligitur, septẽ agnis septẽ opera misericordiæ, nec non tres virtutes Theologales, & quatuor cardinales denotantur, cur igitur non asseremus septem agnas Abraham regi Abimelech dedisse vt nobis significaretur quod anima fidelis opera misericordiæ, nec nõ & virtutis offerre debet regi sæculorũ immortali, vt sẽpiterno fœdere ei cõiungatur?

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXI.

VVLG. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi vterque iurauit.

Sept. Propter hoc cognominauit nomen loci illius puteum iuramenti, quoniam ibi iurauerunt ambo.

Pag. Idcirco vocatus est locus ille Beersabah.

EXPOSITIO.

Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, in Hebræo est Beersabah, quæ vox composita est ex ber significans puteum, Saba autem tam significare potest septem quàm iuramentum, quare Bersabee possumus interpretari & puteum septem & puteum iuramenti, dicitur autem puteus septem: quia pro eo datæ sunt septem agnæ, puteus autem iuramenti, quia vterque ibi iuramentum præstitit vt in littera dicitur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Prudentia in negotiis nostris necessaria.

266 *Vocatus est locus ille Bersabee,* scilicet ad Abraham, diximus ita dictum propter septem agnas, quas Abimelech obtulerat pro puteo: sed qua de causa sic voluit nominari nō autem alio cognomine, nempe vel suo vel ipsiusmet regis? dico prudētissime in hoc egisse Abrahamum, vt posteri regis nomen septem agnoscentes, recordarentur patri suo datas fuisse ab Abraham in pretium putei, sicque tranquillos illius possessores, posteros Abrahami paterentur, *in hoc valde cautus fuit* (inquit Abul.) *qui sic puteum vocauit, quia nomen demonstrabat ad eum pertinere.*

Maxima est iustorum religio.

267. *Vocatus est locus ille Bersabee,* Bersabee autem diximus etiam significare puteum iuramenti, nonne aliud nomen poterat huiusmodi loco imponi? nota ad virtutem religionis pertinere iuramentum: quo notato dicere possum non sine mysterio nomen huiusmodi impositum fuisse, sed vt quantæ esset religionis nobis innotesceret. Fauet Catena Græ. dicens, *cæterum quanta præstabat Abraam pietate. ipsis etiam locis nomina semper imponebat plena religionis* Videtur quod nihil aliud habebat in mente quàm suam celebrare vbique pietatem.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXII.

VVLG. Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti.

Sept. Et disposuerunt fœdus in puteo iuramenti.

Cald. Et inierunt pactum in Bersabee.

Arias. Et percusserunt fœdus in Beersebach.

Pagninus in suo thesau.

CONCORDIA.

QVAMVIS sensus videatur alienus vulgati à septuag. nam habemus *pro puteo iuramenti*, illi autem *in puteo vel super puteum*, tamen idem est, nam & circa puteum fœdus iniuerunt & pro puteo ab Abraham effosso: non te moueat lectionem Hebraicam habere Beersebah, vbi legimus *puteo iuramenti* quia בבאר שבע idem omnino significat uno dicto שבע septem & iuramentum denotat.

EXPOSITIO.

Et inierunt fœdus, id est pactum fecerunt pro puteo iuramenti, nō quod antea ille puteus hoc modo vocaretur, sed quod ex illa confœderatione huiusmodi nomen sortitus sit, aduerte quod ex illo puteo Bersabee vicina ciuitas deinde similem traxit appellationem, quæ quidem ciuitas erat vltima totius terræ promissionis versus Austrum iuxta Gerara, vnde fit quod extremus terminus totius longitudinis terræ promissionis versus meridiem erat Bersabee, sicut ex aduerso Dan erat vltimus terminus versus septentrionem.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iuramentum non fiat nisi pluribus & grauibus de causis.

268 *Inierunt fœdus pro puteo iuramenti,* diximus שבע denotare septem & iuramentum, imo secundùm Hebræos נשבע nisbagh quod est iurauit, à שבע quod est septem volunt deduci, sed quid commune habet nisbagh, quod est iurauit, cum numero septenario? nota hunc numerum dicere pluralitatem: subtiliter igitur ab hoc numero deducunt iurare, quia

iusiurandum fieri non debet nisi septem, id est multis grauibusque de causis, æquè ac argumentis ac testibus.

Iuramentum non fiat nisi coactè, id est cum difficultate.

269 *Inierunt fœdus pro puteo iuramenti*, in Hebr. beersebah, sabah autem septem denotat, à quo nisbagh quod iuro significat, sed cum nisbagh sit in coniugatione passiua niphal, cur potius verbum iurare non deduxerunt à coniugatione Kal actiua quàm passiua? mihi arridet responsio Pagni. in suo thesauro linguæ Hebraicæ in dictione שבע dicentis, *sic à passiua voce, quasi dicas iureiurando obstringi, quod nemo inquiunt iurare nisi coactus solemniter debeat.*

Pagnin in suo thesauro.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIII.

VVLG. Surrexit autem Abimelech & Phicol princepsque exercitus eius, reuersique sunt in terrã Palæstinorum, Abraham vero plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen domini Dei æterni.

Sept. Surrexit autem Abimelech hochozat pronubus eius, & plantauit Abrahã agrum in puteo iuramẽti, & inuocauit ibi nomen domini, Deus æternus

Cald. Et plantauit plantationem in Bersabæa, & orauit ibi in nomine Dei æterni.

Caiet. Plantauit arborem in Beersheba, & vocauit ibi in nomine Iehoua & æterni.

Arias. Inuocauit ibi nomen domini Dei sæculi.

Vatab. Plantauit lucum.

Ionath. auctor targ. hyeros. Plantauit hortum arbore densum, & plenum optimis fructibus.

Rabi Samuel Plantauit paradisum.

CONCORDIA.

אשל Cum sex punctis inquit R. Dauid quanquam codices impressi habent communiter quinque, est nomen complectens omnem arborem, vnde fit quod varia est lectio, scilicet nemoris, plantationis, luci, arboris: qui vertit paradisum, existimat & comparat locum vbi plantantur arbores fructiferæ, paradiso illo terrestri. Septuaginta legentes agrum, ita intelligendi sunt quod plantauit arbores in agro, quem pretio habuerat ab Abimelech; עולם quando cum vau scribitur vt hic, æternitatem potius denotat quàm sæculum.

EXPOSITIO.

SVrrexit autem Abimelech &c. Forte sedens colloquebatur Abraham *& reuersi sunt in terram Palæstinorum*, id est in Geraram ciuitatem Palæstinorum, à quo egressi fuerant, vt Abraham adirent: *Abraham autem plantauit nemus in Bersabee*, id est copiam arborum circa puteum illum, vt de fructibus earum domestici reficerentur: D. Aug. quæst. 53. in Genes. tenet agrum vbi nemus plantauit, pretio comparasse, quod quidem mihi facessit negotium, nam Act. 7. dicitur, quod nec passum terræ in ea habuerit, sed hoc intelligendum de terra quam donaturus erat Deus & semini eius, non autem de ea quam pretio sibi acquisierat, *& inuocauit ibi nomen Dei*, id est ad Deum tanquam in loco pacifico & à tumultu remoto preces fundebat.

D. Aug. qu. 53. in Gen.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peregrini non solum suscipiendi, sed & recreandi.

270. A*braham plantauit nemus in Bersabee*, itane voluptatibus tuis duceris, vt non contentus necessariis, delectabilia requiras? nota non ob animi sui recreationem, sed ad peregrinorum & hospitum receptionem hortum hunc diuersis arboribus distinctum plantasse: sed ad quid nemus pro peregrinis? nonne sufficit quæ ad vitæ conseruationem sunt necessaria, tribuere? prudenter pro peregrinis hanc arborum plantat multitudinem, non enim solum suscipiendi sed & recreandi. Fauet Lyran. dicens *propter hospites transeuntes recipiendos, vt amœnitate loci recrearentur.*

Lyra.

Peregrini non solùm necessariis alendi, sed & parato optimis & delectabilibus.

271. *Abraham plantauit nemus in Bersabee*, diximus in peregrinorum gratiam, quorum receptione summopere delectabatur, illud plantasse: sed cùm nemus regulariter sit solum arboribus refertum syluestribus, an Abraham fructiferas in eo posuit? quis dubitat? sed ad quid arbores fructiferas? vt non solum peregrini arborum densitate recrearentur, sed vt delectabiliter earum fructibus reficerentur: Abraham (inquit Tostat.) *qui delectabatur in suscipiendo hospites, plantauit arbores, de quarum fructibus recrearentur viatores, & eorum visu delectarentur.*

Abulensis. Tostat.

Ita homines impii vt quod ad veri Dei cultum deseruiebat, ad idololatriæ suæ abusum detraxerũt.

272 *Abraham plantauit nemus, & inuocauit ibi nomen Domini*, ex quo præter rationem in superioribus lectionibus positam, colligimus id nemus fuisse non commodioris solum amœniorisque habitationis gratia, sed vt esset locus diuino cultui sacratus, quo ipse ad sacrificandum Deo, & in diuinis laudibus celebrandis, rebus diuinis meditandis quieto animo atque intento assiduè posset dare operam, frequenter secedere solebat, vnde existimo locum illum quasi oratorium & templum ad colendum Deum tam ipsi Abraham quàm domesticis eius aliisque Deum verum

rum colentibus: quomodo igitur deinde plures fallorum deorum superstitionibus mancipati, in syluis & nemoribus iuxta proceras & latè iucundéque vmbriferas arbores idololatriam exercebant, illud testatur Deus de ipsismet Iudæis per Oseam cap. 4. *super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama subter quercum, & populum, & terebinthum, quia bona erat vmbra eius*: quomodo igitur Iudæi qui se iactant inaniter filios Abrahæ, qui sicut nemus plantat, vt sit diuino cultui locus dicatus, ita in huiusmodi locis Deum non adorant? quia ita impii mortales, vt id quod ad vnius & veri Dei cultum deseruiebat, hoc ad idololatriæ suæ abusum detraxerunt.

Ose ca 4.

Peregrini tanquam dij suscipiendi.

273 *Plantauit Abraham nemus*, scilicet sicut diximus, vt peregrinos delectabiliùs susciperet: sed inspiciamus versionem R. Samuel dicentis, plantauit paradisum: si locus habitationis diuini numinis est paradisus, cur ad peregrinorum receptionem paradisum disponit? quia tanquam dij, quorum habitatio est paradisus, suscipiendi sunt: quod colligitur ex Mat. 25. vbi dixerunt electi Christo Domino, *quando te vidimus hospitem? & collegimus te? respondit Christus Dominus, Amen dico vobis quandiu fecistis vni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis*; cùm autem Christus sit Deus, dicit qui hospitem colligit, eum suscipit, benè infertur ipsos hospites & peregrinos tanquã Deos suscipiendos.

Ad templum accedentes casti sint.

274. *Plantauit Abraham nemus, & inuocauit ibi nomen Domini*, diximus ibi quasi templum habuisse, vt Deum inuocaret: quod mihi facessit negotium est præceptũ Dei factũ de excidendis huiusmodi nemoribus, imo non habendis iuxta templa, vt patet ex Deuter. 21. [subuertite omnia loca in quibus gentes quas possessuri estis coluerunt Deos suos, super montes excelsos, ac colles, & subter omne lignum frondosum &c.] Deinde adduntur hæc verba, [vos autẽ non ita facietis domino Deo vestro] cur lex Mosaica tantopere detestata est nemorum, & arborum cultum in operatione sacrorum? & cur iuxta templum huiusmodi arbores plantari vetuit? Scio te dicturum ne idololatras imitari viderentur, qui Deos suos cum superstitione maxima colebant in nemoribus: sed vt aliter satisfaciamus, obseruandum maximæ amœnitatis, & delectationis non exiguæ esse nemora: quo posito optime satisfacit Philo. Hebr. lib. de Monarchia dicens. *quoniam verum Dei templum non amœnitates postulat, sed seueram castimoniam*, quasi diceret, ad templum non amœnitate ducendi sunt, sed potius ab eis exigit Deus omnimodam corporis & animi castitatem.

Deut. 21.

Philo Heb. li. de Monarch.

In templo maxima attentio in oratione requiritur.

275 *Plantauit Abraham nemus & ibi inuocauit nomen Domini*, propter eximiam eius sanctitatem in loco amœno & nemoroso, permittebatur ei quasi oratorium ad Deum deprecandum, habere: cur igitur suæ posteritati hoc minime fuit licitum? vt vidimus ex cap. 21. Deuter. iterum verè & subtiliter satisfacit idem Philo Hebr. cùm ait, *quia syluestris materiæ nullus est vsus, cùm sit inutile pondus, fructiferæ autem arbores parum cordatos ac pios abintentione animi religioneque sacris debita retraherent*. en quomodo Deus ab iis qui ad templum accedunt, sincerum & attentum deprecandi studium exigit.

Mens deuota secessum ac solitudinem requirit.

276 *Plantauit Abraham nemus & inuocauit ibi nomen Domini*, cùm condensa syluarum nemora maleficis conueniant, & latrocinij securitatem & insidiarum occasionem quærentibus, patentia autem & oculis exposita loca, quæ introgressi, & videri ab aliis possunt & alios videre, sacris maxime apta sint & accommodata, quomodo Abrahã locum aliquem omnium oculis patentem & apertum, non autem nemorosum & occultum ad preces Deo fundendas elegit? quia mens Deo deuota quærit secessum & solitudinem, vt quietius & sacratius diuinis laudibus ac meditationibus insistat, sic enim mirabiles in virtutum studio facit progressus, vt è contra loca publica & patentia cupidè quærens, breui bonorum spiritualium faciet naufragium: testis est D. Dam. apol. de contemptu ca. 20. *fons qui vndequaque ne effundatur occluditur, vndis ad alta profluentibus eleuatur, è contra qui per plures riuos hic inde deducitur, mox vt super eum æstus feruentior incubuerit exsiccatur.*

Petr Dami. apol. de contem. ca. 20.

Deus inuocandus est vt est.

277 *Plantauit Abraham nemus & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni*, nonne sufficiebat dixisse, & inuocauit nomen Domini? ad quid igitur additum est *Dei æterni*, cùm implicet Deum esse & non æternum? ait Caiet. *nominatur Deus à tribus, videlicet ab esse, fortitudine, ab æternitate, ad comprehendendum omnia quæ Dei sunt, essentiam viresque ad durationem, sine principio*: en quomodo nihil superfluum in hac inuocatione, imò en nobis declaratur, Deum secundum quæ sua sunt, inuocandum esse.

Card. Cai.

Gratiarum actiones pro beneficiis acceptis non differendæ.

278 *Plantauit Abraham nemus & inuocauit ibi nomen Domini*, cur ilico postquam dictum est Abraham, cum Abimelech fœdus iniisse, necnon à Sara filium suscepisse, quod nemus plantauerit, ibique nomen Domini inuocauerit, vel vt habet Caldæus, orauerit ibi: non est dubium per huiusmodi orationẽ siue Dei inuocationem intelligi debere gratiarum actionem: merito igitur ilico post accepta à Deo beneficia, dicitur quod inuocauerit nomen Domini, quia gratiarum actiones pro collatis à Deo donis minimè sunt differendæ.

Non solùm gratias pro beneficiis acceptis reddere debemus, sed & alios inducere ad eandem gratitudinem.

279 *Plantauit Abraham nemus & inuocauit ibi nomen Domini*, nempe in nemore quod plantauerat, id est vt ait Abul. gratiarum actiones pro beneficiis acceptis ibi referebat. Sed cur peregrinos vt fructibus arborum reficerentur, in hoc nemus deducebat? nonne vt etiam secum gratiarum actiones referrent, prouocabat? audi respondentem Ionatham auctorẽ Targ. Hyerosol. *Abraham hortum plantauit plenum optimis fructibus, & peregrinos suscipiens hospitio gratis omnia illis suppeditabat, nihil aliud exigens pro pretio, nisi vt conditorem rectoremque cæli & terræ agnoscerent & colerent cuius nempe donum esset quidquid comedissent & bibissent.*

Ionathas.

Omnia nostra Deo seruient.

280 *Plantauit Abraham nemus & inuocauit ibi nomen Domini*, diximus ideo plantasse vt esset locus diuino cultui sacratus; sed si solùm hunc agrum in quo fron-

dotas arbores posuit habuerat pretio, quomodo hunc Deo dedicat & consecrat? quia nihil possidere debemus quæ Dei obsequio non seruiant. *omne* (inquit Lipp.) *studium, peculium, eloquium Domino Deo seruiat.*

Lippo.

Dei cultum docere debemus peregrinos ignorantes.

281 *Plantauit nemus & ibi inuocauit nomen Domini,* diximus secundùm Ionatham, ideo hoc nemus plantasse, vt in eo suscipiens & reficiens peregrinos, eos deinde aduer. Dei cognitionem deduceret, *Sicque* (inquit idem auctor) *in vera religione institutos conuersos dimittebat*: nonne sufficiebat peregrinos suscipere, nec non cibis reficere? ad quid igitur hunc etiam laborem impendit Abraham, vt studeat eis Dei veri cognitionem imprimere? quia non solum erga eos liberalitatem exercere debemus, sed etiam gloriæ Dei & agnitionis sui nominis erga eos ignorantes, studium promouere.

Ionatas.

Plures sunt mysticæ intelligentiæ sacræ scripturæ.

282 *Plantauit nemus*, vel vt alij, *arbores*, nempe circa puteum quem mysticè explicantes, dicimus esse puteum scripturæ Sacræ, & Catholicæ veritatis, & sapientiæ & gratiæ Ecclesiasticæ, quem serui Abimelech, id est Iudæi auferunt sibi, & suo carnali statui adscribentes, & applicantes: sed quid sibi vult Abraham, circa huiusmodi puteū arbores posuisse? quid enim habent commune arbores cum puteo? subtiliter satisfacit Thom. Anglic. dicens, *circa puteum plantat Abraham nemus, id est arbores spiritalium animarum & spiritalium expositionum, & intelligentiarum vt ibi iucundius & amœnius inuocent nomen domini.*

Tho. Ang.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIV.

VVLG. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

Sep. Incola autem fuit in terra Philistin.

Cald. Et peregrinatus est.

Pag. Et habitauit in terra Philistim dies multos.

CONCORDIA.

גור verbum, quia peregrinari, habitare, seu incolam esse significat, hinc varietas lectionum orta est, sed tamen idem est apud omnes sensus, nam incolatus siue habitatio Patriarchæ non aliter fuit quam more peregrini.

EXPOSITIO.

ET *fuit colonus*, colonus propriè denotat in domo vel terra aliena ei conducta manere, *terræ Philistinorum* quia Bersabee in terra Palæstinorum est in solitudine, *diebus multis*, quot autem in ea commoratus fuerit, minimè certum est, quamuis numerum viginti quinque annorum tribuant aliqui.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vita nostra vere dicenda est peregrinatio.

283 COlonus fuit terræ Palæstinorum, vel vt Pagnin. *habitauit.* Si terram Philistim habitauit, quomodo vertit Cald. & peregrinatus est? qui enim in aliqua regione commoratur, in ea dicendus non est peregrinus: imo ita nuncupandus est, vita enim iustorum verè censenda est peregrinatio, vnde optimè Cassiod. explicans illa verba Dauid Psal. 118. *incola ego sum in terra* ait, *iusti enim habent mansionem, sed in terra positi in cœlis conuersantur, de quibus dicit Apostolus conuersatio nostra in cœlis est.*

Psal. 118. Cassiod. in Psal. 118.

Vita nostra adeo velox vt plures anni illius solum dies censeantur.

284 *Fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis*, si consulamus interpretes, reperiemus ad minus 24. annos hanc regionem coluisse: quomodo igitur de eo dicitur quod dies & non annos commoratus est apud Palæstinos? quia vita nostra adeo velox, vt plures anni illius solum dies censendi sunt, cuius velocitatem naui velocissimæ cōparat Agapit. Diaco. in c. parænetica ad Iustinianū Imperat. dicens, *nauis per mare commeātis imitatur transitum compendiosa vita præsentis conditio, quæ sane nos nautas fallens suos, & pedetētim cunctis raptans cursu, tandem ad suum cuiusque exitum perducit.* Si igitur hæc ita se habent, prætercurramus mundi negotia, adcurramusque his, quæ ad sæcula sæculorum permanent.

Agapit. Diacon. in c. parænet. ad Iustinian.

SYNOPSIS CAPITIS VIGESIMI SECVNDI.

ABRAHÆ FIDES ET OBEDIENTIA in filij sui dilectissimi præcepta immolatione probatur, sed ab ipsius immolatione prohibetur, in cuius locum alia offertur victima, promissionesque ei confirmantur, & filij Nachor filii Abrahæ numerantur.

VARIETAS LECTIONVM VERS. I.

VVLG. quæ postquam gesta sunt tentauit Deus Abraham, & dixit, Abraham Abraham, at ille respondit, adsum.

Sep. Et factum est post verba ista.
Vatab. Et fuit post res istas.

CONCORDIA.

LICET Septuaginta differre videantur à nostra vulg. cùm habeant post verba ista, illa autem post gesta, tamen non disconueniunt, quia referunt verba ad ea quæ dicta sunt in præcedenti capite, vulg. ad ea quæ contigerunt: uno דברים deuarim vtrumque significat. Pagninus enim legit post verba hæc, Vatab. autem post res istas: vbi habemus adsum, est in Hebræo ecce ego, sed idem est sensus.

EXPOSITIO.

QVæ postquam gesta sunt, scilicet post eiectionem Ismaëlis, post fœdus inter Abraham & Regem Abimelech percussum, post conditum nemus ad inuocandum nomen Domini, non autem post habitationem Abrahæ in terra Palæstinorum, nam sub finem huius capitis, scriptum est post liberatum ex immolatione Isaac, rediisse in Bersabee, ibique habitasse. **tentauit Deus Abraham**, hoc est probauit, vel periculum fecit perfectæ fidei, & obedientiæ præbens occasionē, non vt discat, sed vt manifestā aliis faciat fidem Abrahæ: in quo autem tentatio dæmonis & Dei differant, in conceptibus aperiemus: *& dixit Abraham*, nomen eius pronuntiat, vt attentiorem reddat, *at ille respondit adsum*, promptitudo eius animi indicatur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ad amicitiam Dei perueniendum maximo cum labore.

1. TEntauit Deus Abraham, sed tentatione qua fortissimi etiam nutarent, vnicum enim filium ab ipso patre petit occidi, quale hoc tormentum? & cur tanto dolore premit amicum Deus? nullo equidem minori pretio amicitiam suam nouit Deus vēdere, vt dicat D. Basil Seleu. or. 7. *naturæ fluctus in virum iustum sustollit, vt diuinæ amicitiæ nundinatorem mireris*, expende illa pulcherrima verba, *amicitiæ diuinæ nundinatorem*, ne putent homines, ad Dei amicitiam gratis euolare, nūdinator est Deus suæ amicitiæ, quā nullus obtinebit nisi magno laborum & dolorum pretio.

D. Basil Seleu. orat. 7.

Deus tentat seruos suos vt eorum opera coronet.

Iacob. c. 1. 2. *Tentauit Deus Abraham*, nonne ait Iacobus 1. suæ epist. quod Deus neminem tentat; sic enim habet, *nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum, ipse autem neminem tentat*, & Dominus noster monet discipulos vt vigilent & orent, ne intrent in tentationem, quasi magnum quoddam malum sit tentatio, cuius vtique auctor Deus esse non possit, imo tentare tanquam diaboli proprium simpliciter ei tribuitur in scriptura, & ideo Paulus 1. Thess. 3. ne forte tentauerit vos is qui tentat: quomodo igitur dictum est à Moyse tentatum esse Abraham à Deo? quàm apta & vera est responsio D. Ambr lib. 1. de Abr. ca. 8. dicentis, *aliter Deus tentat, aliter diabolus, diabolus tentat vt subruat, Deus tentat vt coronet.*

1. Thess. 3.

D Amb. lib. 1. de Abr. ca. 8.

Tentat Deus iam sibi probatos vt puriores euadant.

3. *Tentauit Deus Abraham*, quandonam? postquam hæc gesta sunt, inquit textus, quid est postquam hæc gesta sunt? nēpe postquam eum iussisset patriam, parentesque relinquere, imo post eiectionem dilecti filij sui Ismaelis, imo & sibi charæ coniugis Agar: sed qua de causa antequam hæc gesta fuissēt, Deus Abraham non tentauit? *quia probatos* inquit cit. Amb. *sibi tentat Deus. vnde & Dauid dixit proba me Deus & tenta me, & sanctum Abraham probauit ante, & sic tentauit, ne si ante tentasset quàm probasset, grauaret, probauit enim eum de Charra iussit exire, & obedientem repetit, & probatum, igitur quasi fortiorem tentandum putauit maioribus & quibusdam imperiis grauioribus.* Scilicet vt sic probatus longe purior euaderet & sanctior.

Cit. Ambr.

Tentat Deus seruos vt eorum dilectio manifesta fiat.

4. *Tentauit Deus Abraham*, id est experimentū virtutis ac animi Abrahæ fecit, sed an aliquid Deo incognitum? minime, cur igitur virtutes Abrahæ vult experiri, si sibi cognitæ sunt? satisfacit. D. Aug. ser. 72. de tempore qui est secundus de immolatione Isaac, *nouerit charitas vestra tentationem Dei id non agere, vt ipse aliquid agnoscat, sed vt illo tentante quod est occultum, prodatur.* Sic magister tentat sibi exploratum discipuli ingenium, perplexas obiiciendo quæstiones, vt argutè & scitè respondendo, quātos in litteris progressus habeat, astantibus innotescat, sed quæso quā præcipue virtutem tentatione sua manifestam vult fieri? respondet Moyses Deut. 13. *tentat vos Dominus Deus vester vt palam fiat vtrum diligatis eum.*

D Aug. ser. 72. de tēp.

Deut. 13.

Deus propter seipsum vult amari.

5. *Tentauit Deus Abraham*, Scilicet postquam solum hæredem bonorum suorum credebat Isaacum, & vt diximus petiit sibi immolari, vt doceret non sibi præferendum etiam charissimum, sed nonne conuenientius esset vt Abraham apud se retinēs filiū Isaac, argumenta dilectionis suæ erga Deum declararet, quā vt eum immolet charissimo deinde carēs pignore? minime, imo sapientissimè tentat cum de filij immolatione, vt significet non propter Isaac diligendum esse, sed propter semetipsum, *cum tibi*, cit. inquit Aug. *aliquid magnum tibi subtrahitur non tibi vilescat Deus, quia gratis amandus est Deus, quid enim dulcius præmium quā ipse Deus?*

Cit. Augu.

Deus humano sanguine minime delectatur, sed fide nostra.

6. *Tentauit Deus Abraham*, vt scilicet sibi filium immolaret: sed cur hoc verbo exegit hanc immolationē non aperuit dicens, exegit Deus ab Abraham vt sibi filium sacrificaret? *ne quis* (inquit Diodorus) *ideo suspicaretur Deum humano sanguine delectari, in principio solum ait Moyses tentauit, id est non re vera exegit, sed vt insignem talis viri fidem celebraret, periculum fecit in filio.*

Diodor.

Deus minimè vltra vires tentat.

7 *Tentauit Deus Abraham*, in Hebræo est, Elohim, quod nomen iudicem denotat, cur non apposuit nomen Iehoua? sine dubio vt denotaret Deū tentare iustissimè, id est non vltra tentati vires & gratiā ei datā: mens est Caiet. *nominatur Deus Elohim ad insinuandum quod non crudeliter, non iniuste, sed secundum diuini iudicii rationem tētationē hanc exercuit*, quasi iudex æquissimus tentationē viribus tentati & diuino auxilio, quod ad agonē fortiter subeūdū cōcedit, rectissime metitur.

Card. Caiet.

Deus non personarum acceptor, sed meritorum ponderator.

8. *Tentauit Deus Abraham*, nonne fides eius tibi satis & nobis cognita est, virtutesque aliæ omnibus sunt manifestæ? ad quid igitur experimentum illius sumis? nota Deum plura Abrahæ promisisse, ipsummet desiderium Patriarchæ superantia, & beneficia ei collaturum maxima: merito igitur eum tētat Deus immolatione pignoris sui, iam iam ab eo exequenda, nisi detineretur, vt si deinde eximia tribuit beneficia Abrahæ non cēseatur illius, potius quàm alterius acceptor, sed meritorum, nec non virtutum illius ponderator & remunerator: Sic D. Basil. Mag. explicans hæc verba Psal. 7. *Scrutans corda & renes Deus*, ait, *Scrutatio propria est, cum omnibus torturis & argumentis inquisitio, dū ergo Deus corda & renes scrutatur suam ostēdit iustitiam, tentatum est cor Abrahæ, an Deum tota anima diligeret, quando Isaac iussus est immolare, renes vero Ioseph probati sunt quando lasciuiente erga eum dominā voluptati honestatē prætulit, ad hoc autē vterque probatus est, vt spectatores diuini iudicii animaduerterēt iure illis honorem maximum exhibitum.*

D Basil. Mag. in psal. 7.

Psal. 7.

Tentatio vitæ pignus est æternæ coronæ.

9 *Tentauit Deus Abraham*, quam quidē libenter sustulit, imo alacriter, cùm proprium non renuit in sacrificium offerre filium: sed quis hominū, qui si de morte charissimo pignori danda tentaretur, non se miserrimum arbitraretur? quomodo igitur nullum doloris signum in tam vehementi tentatione aperit Abraham? quia huiusmodi tentatio pignus erat coronæ æternæ: quod indicat D. Iacob c. 1. epi. *beatus vir qui suffert tentationem quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ*, quibus verbis vt firmiores reddere fideles Apostolus ad tolerandam tentationem, præmium proposuit, vt si labor terreret, merces muniret.

Iacob ca. 1.

Suos Deus aliquando grauissimis vrget tentationibus, vt virtus eorum in admirationem nos rapiat.

12. *Tentauit Deus Abraham*, quid? an Athletæ periculum fecit, quod eius virtutem ignoraret? ideo ne vt animi propositum disceret? eius specimen Deus expectabat? minime, ad quid ita grauissima vrget tentatione? *vt ea purgatum patientiæ simulachrum* (inquit D. Basilius Seleuciæ,) *nitidiori opere ostentato, spectantem rapiat in admirationem, nauiculam ventis agitat, quo gubernatoris artem magis admireris, fluctuum ciet impetum, vt obstupescas quam nulla tentatione moueatur, machinas admouet, murorum fortitudinem ostentans.*

D. Basil. Sel.

Adeo

Adeo grauis est de proprii filii immolatione tentatio, vt ea sola huiusmodi nomen habeat.

13. *Tentauit Deus Abraham*, nonne aliàs variis tentationis generibus Deus eum probauit? iussus est enim patriam & cognatos relinquere, nec non in terram secedere ignotam, nonne iussus est ob famem in Ægyptum peregrinari? nonne ablata est ei vxor à Pharaone? ipseque periculum vitæ propter pulchritudinem vxoris subiit? nonne ob iurgia famulorum coactus est à Loth diuelli, quem vt filium aluerat, & diligebat? nonne vt eum captiuum liberaret, coactus est cum quatuor regibus decertare? nonne per regem Abimelech ablata est ei iterum vxor? nonne vxorem Agar & filium Ismaëlem, Dei iussu à domo expulit? si toties igitur tentatum legimus, & variis tentationum generibus pressum, quomodo siluit Moyses, nec tentatum aperuit? nunc autem cum ad immolationem filii prouocatur tentatum asserit? quia quælibet tentatio etiam grauissima, si cum ea qua proprium filium sacrificare iubetur, conferatur, talis non est dicenda, sed hæc sola nomen tentationis meretur.

Tota vita hominis tentatio continua.

14. *Tentauit Dominus Abraham*, scilicet postquam tentationem non exiguam tulit, cur præceptum accepit de Agar vxore repudianda & eiicienda? de filio à paternis laribus ablegando, tunc iterum tentat Deus? nonne sufficiebat in tentatione præcedenti ab eo suæ obedientiæ sumpsisse experimentum? ad quid igitur iteratam duplicat tentationem? quid dicam nescio, nisi *quod hominis vita*, inquit Lippom. *tota tentatio est, quæ non nisi à Domino benignissimo patre infertur, qui & vires administrat vincendi electis & fidelibus.*

Lippom.

Non titubandum in diuturnitate discriminum.

15. *Tentauit Dominus Abraham*, ecquid? leuiter, nequaquam, quin & pluribus annis, repetitisque tentationibus: si danda non est afflictio afflicto, cur tam pluries tentato nouæ adduntur tentationes? nonne in eis deficiet animus? imo validior sumendus, cum in diuturnitate discriminum minimè sit titubandum: quia vt bene beatus Theod. studita serm. 92. cathech *scię dū quo diuturnius fit discrimē, hoc maioris explorationis causam præberi.*

Theodor. studita ser. 92. catheth.

Charitas ipsa Deum quasi tentauit & compulit vt filium suum nobis traderet.

15. *Tētauit Dominus Abrahā* per Abrahā plures intelligūt ipsū patrē, per Isaac, filiū eius vnigenitū, sed si Abrahā Deus pater intelligitur, quomodo verificabitur Deū tētasse Abrahā? nullus enim seipsū tētat, nota ex Ioan. 4. Deū charitatē esse: cur igitur nō dicemus ipsā charitatē tētasse Deū patrē, imo cōpulisse vt filiū vnigenitū daret? vnde ad Rom. 8. dicitur, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus eū tradidit, nescio si ad hoc respexit D. Bern. cū ait, *veritate & iustitia in terra remanentibus, vt miserum hominem flagellarent, pax & misericordia*, adde & charitas, *in cor patris secesserunt & patris pulsantes viscera, pro quodam susurro loquebantur, nunquid in æternū proiiciet Deus & non apponat vt complacitior sit adhuc?* mittens scilicet filiū ad redēptionē generis humani.

Ioann. 4.

Bernard.

Psalm. 7.

Ad pietatem & virtutem accedens ad tentationem se præparet.

16. *Tētauit Deus Abrahā*, quando? posquam hæc gesta sunt, quid est postquam hæc gesta sunt? id est post Agar & Ismaëlis eiectionē sed cur obseruatū est post huiusmodi expulsionem, tentatū fuisse Abrahā? quid enim refert vtrum tunc, vel aliàs hanc subierit tentationē? nota cū Agar & Ismaël concupiscentiā & opera carnalia significent, certum enim per Abrahā, vtrūque expellentē denotari virum qui operibus carnis renuntiat, vt Saræ nempe virtuti consensum præbeat, non sine mysterio igitur dictum, quod postquam hæc gesta sunt id est post Ismaëlis, & Agar exilium, Deum Abraham tentasse, quia qui Sathanæ operibus renuntiat, virtutem amplecti satagit, ad tentationem se præparet necesse est, iuxta illud Eccl. 2. fili accedens ad Dei seruitutem præpara animam tuam ad tentationem, quæ verba explicans Paulus de Palacio ait, *Deus tentauit te vt tentauit Abraham, tentat Diabolus, tentat caro, tentat mundus, tentāt denique omnia quæ facta sunt in muscipulam insipientium.*

Eccl. 2.

Paulus de Palatio in Eccl.

Virtutem colenti aduersa accidunt plurima.

17. *Tentauit Deus Abraham*, diximus in præcedenti conceptu, ideo post Ismaëlis & Agar eiectionem, hoc ei accidisse, quod equidem miror, nam potius Deus abeo lōgè ablegare deberet, ne animus ei in virtutis via deficeret, blanditur ergo ei Deus, potius quàm tentet; imo non solùm tentat sed & ab aduersariis omnibus permittit tentari, quia qui virtutem colere desiderat, non delitiæ vel blandimenta, sed aduersa, tentationibus designata contingent: hoc denotant illa verba Christi Domini, ignem veni mittere in terram, quid volo nisi vt accendatur? pietatem docturus Christus venit in terram, & tamen se venisse ait, vt ignem subiiceret: idem nimirum vtrūque idem esse præsignans & virtuti incumbere, & ærumnarum igne conflagrare, quam veritatem aperit eleganter & subtiliter D. Chrysol. Serm. 164. dicens, *ager quoties longa iniuria siluescit, & toto luxuriæ agrestis sordescit horrore, peritissimi cultoris vtique semper aperitur & purgatur incendio, ac studio benigno cultor ignis apponitur, vt exustis sentibus reueletur prima facies campi*, deinde subiungit, *sed hic ipse cultus non est nouus agricolæ veteri ac cœlesti, nam legem pangere, gratiam serere ignis semper opere consueuit*, quasi diceret non sine igne nempe ærumnarum, dolorum, legē Dei obseruabimus.

Luc. 12.

Petrus Chrys. Serm. 164.

Nomen à Deo impositum non deletur, sed semper duraturum indicatur.

18. *Dixit ad eum Abraham Abraham*, Abram appellabatur vir iste pius, legimus ne autem à Deo hoc nomine vocatum? minimè, quomodo igitur nunc nō solum proprium nomen refert, imo & duplicat? nota primū nomen Patriarchæ nempe Abram à Deo ei minimè impositū fuisse, secundum autē ab eo inditū ei; merito igitur hoc secundū non sicut primū à Deo deletur, imo geminatur, quia appellationem à Deo sortitā sēper seruabimus: obseruatio est Orig. Hom. 8. in Gen. *non à Deo vocari poterat nomine delendo: sed vocat eum hoc nomine quod ipse donauit, & non solū vocat eum hoc nomine sed & ingeminat.*

Orig. Hom. 8. in Genes.

Nomina iustorum geminantur, impiorum silentur.

20. *Dixit ad eum Abraham Abraham*, si alterius hominis ditissimi nomen inuestigemus apud D. Luc. c. 16. dicet, solum homo quidam erat diues, qui induebatur Bysso & purpura; nonne aliquod nomen sortitus erat, & hominibus quidem cognitū? quomodo igitur illud obuoluit silentio, & hic etiā hominis ditissimi non solum nomen semel pronuntiatur, sed & ingeminatur? aduerte hunc diuitem cuius mentio fit apud Euangelistam, hominem impium & auarum fuisse, Abraham autem iustum & pium: merito igitur nomen illius tacetur, huius autem dicitur,

quia nomina impiorum æterno præmuntur silentio, iustorum autem in perpetuas viuent generationes, quod nobis confirmat D. Paul. Epist. 33. *eorum diuitum quorum vel crimina vel supplicia in scripturis significata non sunt, quia sine dubio indigni erant vt sermone diuino nominarentur, quos aut vitæ obliterauit impietas aut auaritia deleuit; dicit enim Dominus nec memor ero nominum eorum per labia mea Psalm. 15. talium nomina in Euangelio non scribuntur quia nec in libro vitæ habentur.*

D. Paulin. Epist. 33.

Psal. 15.

Non diuitiæ sed male eis vtentes condemnantur.

21. *Dixit ad eum Abraham Abraham*, diximus ideo nomen eius pronuntiatum, quia vir pius, aliorum autem quorum mentio fit apud Lucam, sileri, quia diuites impii, sed nonne videmus etiam in Euāgelio diuites nomine suo appellari? vt apud Matt. habemus diuitem Ioseph ab Arimathia, imo Abraham nostrum, qui copiosissimas possidebat opes, nomen toties repetitur: sed ne mireris aliquorum diuitum, non autem aliorum memoriam in benedictione haberi, quia non diuites, prout tales sed in quantum diuitiis abutentes reprobantur, *vt scias*, inquit cit. Paulin. *non diuitias, sed homines pro earum vsibus esse culpabiles, vel acceptos Deo, lege sanctos patres Abraham, Loth & Iob operibus suis amicos Deo factos, nam in Euāgelio quod ille Tartareus contemptor Lazari diues prætermissus est, illum ab Arimathia Ioseph diuitem nominari videmus.*

Paulin. cit.

Ita sunt diuites auari detestabiles vt eorum nomē pronuntiatum ipsammet puritatem pollueret.

22. *Dixit ad eum Abraham Abraham*, ideo nomē illius ingeminat, quia ita suauis est Deo illius pronūtiatio, vt pluries nominet, sed cur non semel saltem diuitum impiorum nomen retulit? quia ita detestabile, vt Deum qui est ipsamet puritas, pronuntiatum pollueret, *labia sua*, ait, cit. Paul. *pollui noluit nominibus impiorum diuina iustitia, & idcirco neque illius diuitis nomen extat, cuius vanitas & auaritia signatur, cui consumptaiam vita, de vitæ apparatibus cogitandi dictum est, stulte hac nocte expostulabitur anima tua, quæ parasti cuius erunt? neque huius est è tartaro diuitis nomē insigne est, quod non casu prætermissum, edito pauperis nomine intelligemus.*

Cit Episcop. Nolæ.

Maxima Dei erga iustos beneuolentia & amor.

23. *Dixit ad eum Abraham Abraham*, an surdus Patriarcha, vt necesse sit bis nomen eius repetere? minimè, quid nobis indicat igitur eiusdem dictionis ingeminatio? superflua enim videtur, cum semel nominatus respondisset: optima solutio Dionys. Carth. *repetitio nominis indicium est amoris & familiaritatis*, quasi diceret ita iustum diligit, vt nomen illius tāquā dulcissimū sibi pluries ore promere delectetur.

Dionys. Carth.

Perfectus obediens non minus ad difficilia promptus quàm ad facilia.

24. *Dixit ad eum Abraham Abraham*, in lecto iacebat Patriarcha, somno indulgens, cum Deus eum alloquutus est, & tamen non dicitur quod clamauit vt eum excitaret, sed miti & placida visus est voce: vt autem à iugulando filio reuocaret etiā vigilantē, de cœlo clamauit, cur ita? cur vt Deus ad filii immolationem excitaret, nullos clamores adhibet? quia minus calcar ad difficilia, & omnium difficillimum, nēpe mortē filii quam ad facile præceptū exequendū, nempe cessationem à prole iugulanda requirebat verus obediens, vt eorum præposteram obedientiā cōfunderet, qui ad delectabilia vocati solo nutu præuolant, ad ardua tamen & laboriosa missi, vix vi trahuntur, quos redarguens Richard. à S. Vict. de sacrif. Dauid Proph. ait, *multi cum dura sibi præcipiuntur molestum quidem habent, nec tam dulciter quàm fortiter sustinent.*

Richard. Vict. de sacrif. Dauid.

Magna attētio requiritur vt Dei iussa accipiam⁹.

25. *Dixit ad eum Abraham Abraham*, an desidia corporeque languet, & proinde opus sit ab huiusmodi ignauia nomini iterata repetitione, excitari? minimè, nunquam enim in Dei obsequia non exarsit Abraham, nam si occasio deesset ardorem illum manifestandi, non deesset interioris ardor affectus: cur igitur geminato nomine vocatur? nota ideo vocatum vt iussa Dei exequeretur: non sine mysterio igitur iterum nominatur, quia ad mandata Dei accipienda maxima requiritur attentio? quod annotat. Chrysost. dicens, *vt attentiorem redderet, vocationem geminabat:* & Ambr. *repetitione nominis mentem excitat vt esset paratior.*

S. Chrysost. S. Amb. lib. de Abrah.

Promptissimi simus ad iussa Dei exequenda.

26. *Dixit ad eum Abraham Abraham, qui respondit, adsum*, si te vocat Deus certum est te adesse, ad quid igitur respondens dicis adsum? diceres quid mihi præcipis exequendum? prudenter Deo vocanti satisfacit, cùm ait adsum, vt promptissimum animum ad iussa Dei exequenda declararet: sonant enim hæc verba ecce adsum ac præsto sum; ecce ego (sic enim Hebraicè scriptum est) inquit Caiet. *promptissimū se Deo exhibendo sic respondet.*

Card. Caiet.

Obediens non dissimulat præcipientem audire.

27. *Dixit ad eum Abraham Abraham, qui respondet adsum*, iuxta Hebræum fontem legitur, ecce ego, equidem non es alius, quæ igitur hæc est responsio, ecce ego? aduerte aliquos qui cùm appellantur, vt iussa superiorum exequantur, longè à seipsis esse, vt pote obedire detrectantes: merito igitur sic respondet ecce ego, vt significet quod verus obediens non tāquā somnolentus, & piger, & extra se diuagās dissimulet se præcipientē audire, sed vt ilico quod præcipitur exequatur.

Omnibus modis fides iustorum probatur.

28. *Dixit ad eum Abraham Abraham*, nescio cur in memoriam reuocat se hoc appellatum nomine, quod multarum gentium patrem sonat, cum vnigeniti filii immolationem, iubere debet? posset enim dicere, aliud nomen mihi conferas, & Abrahamo auferas, cùm omnis spes aliam prolem suscipiendi adimatur, imo huius appellationis voluit admonere vt subsequēti præcepto magis fides eius tētaretur, illustriorque redderetur.

In veteri testamento surdiores ad verbum Dei audiendum quam in nouo.

29. *Dixit ad eum Abraham Abraham*, miror Deum vt attentum redderet Abraham, eique suam aperiret voluntatem nomen eius ingeminasse, cùm autem Christus Magdalenam alloquitur, eam semel nominasse, Ioann. 20. ait enim Euangel., *Dixit Dominus Maria, at illa Rabboni*, an Deus minoris efficaciæ apud Abrahā quèm redemptor erga Mariam? obseruа per Patriarchā designari Iudæos quorū erat progenitor; Magdalenā autē iā ex Iudæa Christianā, sectatores Christi figurare: quo posito respondet Hug. Card. *in veteri testamento fit ingeminatio ista, non in nouo, ad significandum quod in veteri testamento erant surdi ad audiendum verbum Domini, sed in nouo dociles.*

Hug. Card.

Cum

Cùm Pater vel superior ad vnum magis quàm ad alium propensus est, tentationis discriminis erit obnoxius.

30. *Dixit ad eum*, cum scilicet eum tentauit, sed quæ fuit materies tentationis & discriminis tanti viri? ait textus tolle filium tuum quem diligis vnigenitum: nonne erant Abrahamo duo filii Isaac & Ismaël? cur ergo vnigenitus Isaac dicitur? quia sic amabatur à patre, ac si solus & vnicus esset filius, in eum enim vnicè & singulariter paternus affectus ferebatur: quid miramur igitur si Abrahamus in tantum tentationis periculum, ac discrimem adducitur quando eius nempe patris affectus in vnum magis quam in alium propensus? pulchre ait D. Basil. Seleu. oratione 7. *vt enim increuit infans simul increuit quod in infante parentes deamarent, totusque parentum amor indiuisus in vnum, conferebatur filium ac mihi vide deinceps pa... ad certamen euocatum, hac vbi gesta sunt, inquit Moyses, tentauit Deus Abraham.* sensus Isaac ad se vnum rapuit totum affectum, & patrē adduxit in tentationis certamen.

D. Basil. Seleu. oratione 7.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS II.

VVLG. Ait illi Dominus, tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque offeres ibi eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi.

Sep. Tolle filium tuum dilectum, quem dilexisti Isaac, vade in terram excelsam, & offer ibi &c.

Cald. Tolle nunc filium tuum, vnicum tuum quem diligis Isaac, & vade in terram diuini cultus, & offer coram me ibi in holocaustum.

Ar. Cape nunc filium tuum, & vade tibi in terram Moriah.

Orig. Accipe filium tuum charissimum, Procop. amantissimum.

Aquila. Et vade in terram lucidam.

Hier. In terram illuminantem & lucentem.

CONCORDIA.

CERTVM est Moriah fuisse locum, in quo Salomonis templum postea extructum fuit, vnde fit quod Cald. vertit in terram diuini cultus, sed quia pluries Deus se ostenderit in hoc monte, nostri legerunt terram visionis: cum maximè excelsa sit, & à culmine montium visus potest quæ longè distant, conspicere; ideo Septuaginta dixerunt excelsam: si autem lucidam vertit Aquila, ideo est quia à longe visibilis erat: quidam existimant dictam esse terram Moriah scilicet à Mor, id est Myrrha, quia myrrha, aloë & cinamomo abundaret, iuxta illud Cant. 4. ibo ad montem Myrrhæ: dicitur autem illuminans & lucens quia vt ait Hier. ibi est Dabir hoc est oraculum Dei, & lex, & Spiritus sanctus qui docet homines, veritatem illuminat & inspirat Prophetias, si autem alicubi terram amaritudinis legeris, scias ab effectu ita dictam, quid enim amarius Isaac contingere potuisset, quàm mortis dolor & horror eo in monte exhibitus?

EXPOSITIO.

A*It illi Deus*, iam incipit aperire quid ab eo postulet, *tolle tuum filium vnigenitum*, scilicet immolandum, vocat autem vnigenitum, quia Ismaele iam dimisso, vnicus at dilectionis filius erat Isaac, *quem diligis*, scilicet amore præcipuo, Isaac nomen aperit, vt nulla possit subesse dubitatio: *vade in terrā visionis*, id est mōtem iuxta Hierusalem, *ibi offeres in holocaustum*, quod quidem erat sacrificii genus, quod totum in honorem Dei incendebatur, ita vt nihil eius remaneret, præter cineres, *super vnum montium quē mōstrauero tibi*, nō ignorabat Abrahā terrā visionis, sed nesciebat montem determinatè super quē filium in holocaustum offerre deberet, terra enim visionis vel mons Moriah in plures colles & monticulos diuiditur, in orientali enim parte huiusmodi montis, fuit Sion in qua erat arx Dauid, iuxta quam in area Ornan Iebusæi à Dauide coëmpta Salomon templum exstruxit, alia pars Moriah extra vrbem Hierusalem mansit postea, quæ dicta est Caluariæ mons, in quo tam Isaac quàm Christum per Isaac significatum immolatum esse docet communis Patrum sententia.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ita in exequendis Dei præceptis obedientes esse debemus, vt nobis charissima nihili faciamus.

31. TOlle filium quem diligis Isaac, Sept. legunt, quē dilexisti, quam lectionem sequitur & Amb. an odio eum prosequebatur, vt non iam diligere, sed solum dilexisse dicatur? vnde & cit. Doctor ait, *quasi non iam diligat immolandum*: non quia non diligit, Deo offerendū in holocaustum statuit, sed quia obstinatū adeo parendi animū induerat, vt diceres iā naturalē affectū exuisse, adeo prōptus erat ad exequēdā dilecti filii mortē, vt iā illius vitā nullo modo diligere videretur, & quātū olim fouendo filio volūtatē impēdebat, tātū modo iā expromeret ad necādū.

Suauissima quæque vilescant in cōparatione Dei.

32. *Tolle filiū quē diligis Isaac*, Procop. amantissimū; si iā vnigenitū dixerat, cur amantissimū appellat? quis enim dubitat vnigenitū à patre, amore præcipuo diligi? notaquod parētib^9 nihil ita suaue, quā eorū amor in filios: quāuis vnigenitū dixerat, amātissimū adhuc appellat, vt his nominib^9 prouocet patris affectū omnium validissimū, quē impugnet & vincat, sicque quod suauissimū sibi, in Dei cōparatione cōtēnatur. Frāc. Abb. tom. 3. de grat. *iussus est*, inquit, *vt immolet filium suum quem diligit Isaac, vt tot nominibus charitates, paterni exardescat flamma amoris, vincit paternum affectū*

Franc. Abbas, tom. 3. de grat.

affectus in Deum, nihil ita hominibus suaue, ac in maximis habitum delitiis, quo superior affectus Dei esse non debeat.

Nihil exigit Deus, quod ipse vel in se, vel in suis non probauerit.

33. *Tolle filium quem diligis Isaac*, an fides eius, vel obedientia tentatur? id multis probatur patribus: verùm crediderim etiam quod ibi non solum obedientiam, sed virium humanarum experimentum intendit, vt inde possit præceptum de postponendis sibi filiis promulgare: ita eleganter D. Prosper de prædict. par. 1. c. 17. *Abrahami qui tentatur in filio non tantum fides collata virtus demonstratur, quantum etiam nobis imitanda proponitur, & vt præcepti noui ex Euangelio maneret auctoritas, qui amat filium aut filiam super me non est me dignus.* Magna quidem diuinorum auctoritas præceptorum, quod Deus nihil generaliter petat, quod nisi prius in se, vel in suis experientia facta, vt semper supersit nobis de exemplis ad Dei obseruanda mandata potestas.

D. Prosper. de prædict. parte 1. cap. 17.

Lætitia huius sæculi spinis vndique circumsepta.

34. *Tolle filium tuum quem diligis Isaac*, nonne ille est, qui risus & lætitia dicitur parentum? risit enim mater sua, quando rem indignam censuit nonagenariam mulierem parere & nutrire, quomodo igitur qui risus erat patris & matris, immolari iubetur? vt dignoscas lætitiam huius sæculi ludibriosam esse, & spinis vndique ita circumseptam, vt nullus absque vulnere, sanguine, & dolore carpere illam possit, vide si non spinas senserit Abraham, cum ei iubetur risum & lætitiam suam in holocaustum offerre? ecce enim aculeatam animam, dum gaudium possidere existimat: mihi videtur hanc veritatem aspexisse Aug. 8. conf. cap. 2. cum ait, *tu semper aderas misericorditer sæuiens & amarissimis confusionibus aspergens iucunditates meas*: hæc vltima Augustini verba præ me, significant enim gaudia huius sæculi amaritudinibus permixta.

Aug. 8. conf. c. 2.

Quod dignius est, minus digno præponendum statue.

35. *Tolle filium tuum quem diligis Isaac*, de hoc Sapient. 1. & in filiis misericordiam fortem custodiuit, quæ verba exponens Holxotius ait, hic significari sapientiam custodisse fortem & constantem misericordiam erga posteros Abraham, sed Græce longè alius est sensus; habent enim Sept. in filii visceribus fortem custodiuit: quid est quæso sapientiam in filii visceribus fortem custodisse? hoc est sine dubio in filii euiscerato amore, fortem custodiuit amor Abraham, ne iussionem Dei de occidendo filio detrectaret. Sic Iansenius, *significatur his verbis sapientiam effecisse, vt Abraham non obstante paterna pietate filium suum offerre paratus fuerit*, sic & Burgensis, quasi diceret, *in eo effecit sapientia vt quod dignius, nempe Deum, minus digno nempe creaturæ præponeret.*

Sapit.

Holxotius.

Iansenius

Burgensis.

Affectus iustorum à Deo probantur.

36. *Tolle filium tuum Isaac*, si nullum præter Isaacum hoc nomine insignitum filium susceperat, nonne sufficiebat dixisse tolle Isaac? cur igitur nomen filii addidit? pulchre satisfacit D. Ambr. l. 1. de Abr. *non sinit otiosum esse affectum patris à principio cum stimulat & pungit aculeis pietatis, & filii nomen addidit ad vim necessitudinis & amoris*, præ me illa sancti doctoris verba, *non sinit otiosum esse patris affectum*, quasi diceret nominans filium suum, magis Abrahæ probat affectum.

Ambr. l. 1. de Abrah.

Deus seueriore tentatione, iustos premit vt maiorem referant victoriam.

37. *Tolle filium tuum vnigenitum*, quasi diceret, eum quem suscepisti de vxore vnicum, suscepisti in senectute, suscepisti tanquam fidei tuæ præmium, remunerationem operum tuorum suscepisti ex promissione Dei, non coniugis fœcunditate, ex qua alium sperare non posses: sed cur verbis ita amorem paternum commouentibus, Abrahamum prouocas ad filii immolationem? nonne potius illum diminuere deberes dicens, Ismaëlem filium susceperas, cuius eiectionis nec non Agaris dilectæ præbuit occasionem Isaac hunc ergo, rixarum principium inter vtramque coniugem tuam immola: sed merito non alia nisi quæ affectum patris adaugeant, verba pronuntiat, vt maiori & grauiori cum vrgeat tentatione: sed cur præmit ita grauissime dubio vt præclariorem referat victoriam, Sic Hugo Vict. *hoc Deus intendebat vt magis ac magis accenderet amorem patris carnalem erga filium, vt postea præponat amorem Dei suo carnali amori, & cum vinceret esset gloriosior victoria.*

Hug. Victor in Genes.

Tanta fides Dei promissis adhibenda, vt quamuis ratio suadeat contrarium, tamen firmiter eis credendum.

38. *Tolle filium tuum vnigenitum*, tanto tempore promiserat Deus, quod tibi filius nasceretur; prædicens etiam quo nomine censeretur, vt in quo semen tibi vocaretur, & in eo semine benedictio gentibus conferretur: quomodo nunc igitur sibi Deus eundē filium postulat immolari, tanquam immolatus possit feracius dilatari? cur ergo Abraham Deum vel crudelitatis non arguis, vel exiguæ in verbo suo fidelitatis? & sic desine fidem ei adhibere, imo tantam ei præstat, vt quamuis ratio contrarium promissis suis euenturum suadeat tamen firmiter eis assentitur, *iustus Abraham*, inquit Phil. Abb. bonæ spei l. de obed. clericor. c. 34. *cuius fides commendatur prædicabilis Deum promittere nihil superfluum arbitratur, sed plenissimè sciens quia quæcunque promisit potens est facere: non recusat ei filium immolare, cui sicut vitam dederat, sic & à mortuis poterat excitari.*

Philip Abb. bonæ spei l. de obedient. cleri c. 34.

Gaudium nostrum in Deum referendum est.

39. *Tolle filium tuum & offeres eum in holocaustum*; Cald. habet *coram me*, vel *mihi*, cur addidisti offer mihi? nonne sufficiebat dixisse offer in holocaustum? nota quod Abraham filium quem sibi obsequentissimum, virtutum cultorem mansuetissimum esse sciebat, maximo amore paterno prosequebatur, & ex eo summam percipiebat lætitiā, iubet ergo Abraham non absolutè offerri in sacrificium, sed sibi, vt doceret gaudium nostrum non in creaturam quantumuis virtutibus exornatam terminari debere, sed in seipsum debere tendere: mens fuit cit. Phil. cap. 35. *Tunc Deus sibi filium Abrahæ vult offerri cum omnibus datis suis seipsum postulat anteferri, vt quod iustus gaudet per speculum in ænigmate contemplari, non sibi, sed Deo id sciat debere gaudium assignari.*

Ci. Abbas cap. 35.

Dei

Dei præcepta non sunt ratione discutienda.

40. *Tolle filium tuum vnigenitum & offeres eum in holocaustum*, quomodo non turbatus animo, non cõfusus mente, non consilio destitutus, tam graui accepto de filii immolatione præcepto? non cogitas tecum, non ratiocinaris, dicens quid hoc est, qui mihi præter omnem expectationem beneficium exhibuit, qui propter benignitatem suam, emortuam Saræ vuluam generationi fecit idoneam, nunc postquam ablactatus est, & creuit, & in ætatis flore constitutus est, in holocaustum efferri præcipit? qui paulò antea dixerat in ipso vocabitur tibi semen, nunc contraria præcipit, & quomodo implebuntur quæ ab eo sunt promissa, quo pacto fieri potest vt radice eiecta, rami pullulent? vel succisa arbore fructus prouenians? vel fonte exsiccato fluuii scaturiant? cur hæc omnia secundùm rationis apparentiam voluẽs mente, non postulat à Deo quomodo tale sibi præceptum imponit? quia mandata Dei non ratione discutienda sed adimplenda opere. Sic D. Chrysost. *nihil cogitauit secum iustus ille, sed sicut gratus famulus omissa omni ratione humana, vnam rem tantum curabat vt imperata impleret opere.*

Chrysost.

Dei præcepta etiam nobis difficillima æquanimiter & constanter adimplenda.

41. *Tolle filium vnigenitum & offeres eum in holocaustum*, Abraham quomodo ad hanc vocem totus non contremiscis? quomodo filii iugulationem morte non anteuertis? cur pro eius salute Deum enixè nõ deprecaris? dicens ad filii iugulum reposcor, & filii carnifex esse iubeor, seruus cum fuerim pater, in filii cædem vrgeor propere, ô cuiusmodi in spes natum charissimum seruabam? infœcunditatis malo solutus rursum prole destitutus, vitam transigam infœlicem; non vsque adeo filii orbitas luctuosa fuit, quam nũc experior mihi, cur qui me vt genitor essem, parricidium iubes admittere? quid me partu delectari voluisti? an vt deinde lugere doceres? quid amorem mœrore commutas? quid ex amore lamenta concinnas? illius ne filii sanguine dexteram inquinabo, pro quo tibi toties manus extendi? cui hæredem promiseras, eum hæredi percussorem submittis? quemne largiturus eras successorem, mactari deposcis? ecce filio mecum nuptiales epulas & thalamum agitabam animo, en arcam pro thalamo? pro igne nuptiali aræ flammam deprecor igitur vt quem orationibus filium dedisti, lachrymis & precibus meis condones: nil tale deprecatur, quid Abraham? itane crudelis in filium, vt nec pro illius vita seruanda, nec coram Deo lachrymulam effundas? non crudelitatis arguamus Patriarcham, sed admiremur illius constantiam qui Dei præceptum difficillimum & naturæ quasi repugnãs æquanimiter adimplere statuit. ô animi firmitate, exclamat, Basil. Sel. 7. *non gemuit, non illachrymauit, non natura vi fractus est, non in varias partes consiliũ partitus est, oris constantiam tenuit, nõ emisit vocem patre indignam qua filii iugulũ petere abnueret.*

S. Basil. Sel. oratione 7.

Nihil inconsiderate nos vult Deus operari.

42. *Tolle filium tuum & vade in terram visionis*, scilicet vt in aliquo monte mihi eum offeras in sacrificium, sed qua de causa vult Deus eum in terram Moria proficisci? nonne in Bersabee à terra visionis remota potuit immolari? merito sane præcipit vt non in terra in qua morabatur, sed in alia ad quam vt perueniret non exiguum tempus consumendum erat, sibi in holocaustum offerri, vt non præcipitanter, sed prudenter & considerate iussa Dei exequeretur *interponitur spatium* (inquit D. Ambr. *ne præcipitare subito videretur affectus* & nőster Lyran. idem habet.

D. Ambr. lib. de Abrah.

Vbi maior difficultas implendi diuini præcepti apparet, ibi maiorem obedientiam declaremus vt coronam accipiscamur.

43. *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac*, Hebræa magis pungunt & stimulant animum Abrahæ, tolle nunc filium tuum, vnicum tuum quem dilexisti: sed quid tollam, posset dicere Abraham? an boues? an famulos? minimè, sed filium, sed cum mihi sint duo, quemnam ex illis accipiam? Ismaëlem an alium vngenitum scilicet ex Sara? hunc mihi immolari deposco, quemque continuo huc vsque sine vlla amoris cessatione vel diminutione dilexisti: sed cur tot verba amoris inflammatiua paterni silentio non præteris? nonne difficiliorem præcepti tui executionem efficient? ita sane, sed cur difficultatem hanc in animum Patriarchæ inducit? quia quo maior in diuinis mandatis reperitur difficultas, eo verior obedientia declaratur, & præmium accipitur. *Verba protulit Deus* (inquit Dionys. Carth.) *quia erant maximè inflammatiua cordis paterni ad filium illum, vt ex hoc augeretur difficultas implendi præceptum & Abrahæ obedientia plenius commendaretur.*

Dionys. Carth.

Quãto quis est Deo charior, eo verius probatur.

44. *Tolle filium tuum vnigenitum*, Origenes legit charissimum, non suffecerat dixisse filium, sed adiicitur, *& charissimum*, esto & hoc, quid adhuc additur? & quem diligis: sed vide pondus tentationis? charis ac dulcibus appellationibus iterum ac sæpe repetitis paterni suscitantur affectus, vt amoris euigilante memoria ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & aduersus fidem animi tota carnis militia repugnaret: esto Domine, quia commemoras de filio, patrem addis, & charissimum quẽ præcipis iugulari, sufficiat hoc ad patris supplicium, & addis quem diligis, vt & tormentum illius augeatur, quid opus est vt cõmemores Isaac: nunquid nesciebat Abraham quia filius ille charissimus, ille quẽ diligebat, Isaac vocaretur? sed cur hoc in tempore additur, vt recordaretur Abraham, quia dixeras ad eum quod in Isaac vocabitur tibi semen, & quod in Isaac erunt tibi repromissiones, fit & commemoratio nominis, vt & repromissionum, quæ sub hoc nomine factæ sunt, quasi desperatio subeat, sed cùm in hac tentatione vnicum sufficeret supplicium Abrahæ, cur hoc adauget in verbis singulis? non dubitas Deo charissimum fuisse Patriarcham? quod mirum igitur si eum tot pungit doloribus, & tot animum replet amaritudinibus? quia quo quis Deo charior, eo verius ab eo probatur.

Si fides & affectus noster certamen ineunt, in vere fidelibus, victoriam refert fides.

45. *Tolle filium tuum, vade in terram visionis atque ibi offeres eum*, nunquid non poterat prius duci Abrahã cum puero ad illã terrã visionis, & in mõtẽ quẽcũq; delegerat Dominus, & ibi accipere præceptũ vt offerret filium? cur igitur priùs ei dicitur, quod offerre debeat filiũ, & postea iubetur ire in terrã excelsã & ascendere in mõtẽ? vt dũ ambulat, dũ iter agit per totam viam cogitationibus discerpatur, vt hinc perurgente præcepto, hinc vero vnici affectu obluctante crucietur: sed cur præter viam iniunctam, etiam montis ascensio iubetur? ait Origenes, *vt in his omnibus spatium certaminis accipiat affectus & fides, amor Dei & amor carnis*: sed cùm af-

Orig. in Genes.

fectus paternus erga filium & eum vnigenitum sit maximus, an fidem superabit? in parum fideli carnis amor ab ea trophæum referet, sed in iusto qualis erat Abraham: omnis affectus & amor, à fide & amore Dei superatur.

Deus in omnibus audiendus.

46. *Tolle filium tuum & offeres eum in holocaustum:* imperas parricidium Deus, qui prohibes homicidiū filium victimare, solatium paternæ senectutis, & vnicum pignus posteritatis, cùm alteri inferre iniuriam defendas, homini quasi legem sceleris præbes, qui nos à scelere reuocas, cupis crudeliter coli, cum omnem abomineris crudelitatem, ne igitur obtemperes ô Abraham, Deo tale præcipienti: sed audi D. Aug. Serm. 73. *in angusto posita est perfecta iustitia, ecce inter pietatem patris & deuotionem Dei, filium est quidem scelus occidere, sed Deum scelestius non audire.* quasi diceret secundùm paternam pietatem crimen videtur imperari, cùm filius ad mortem postulatur, sed cum Deus sit iustissimus, scelus esset, eum præcipientem non audire.

D. Aug. Serm. 73. de temp.

Tanto amore Deum prosequi debemus vt anima nostra in Deum transeat.

47. *Tolle filium tuum & offeres eum in holocaustum,* de holocausto ad vescendum nihil relinquitur, sed igne totum consumitur, cur omnino filium eius vsque ad cineres consumi voluit: nota per Isaac gaudium & amorem nostrum posse intelligi: merito igitur ipsum Isaac in holocaustum offerri præcipit, quia *per hoc,* inquit Philipp. Abb. *intelligitur oblatio cōsummata, cum scilicet mens iusti tanto charitatis igne est concremata, vt sibi nil retinens proprii gaudii vel amoris, tanquam si oblita sui tota in amorem transeat creatoris.*

Phil. Abbas. l. de obedient. cler. c. 35.

Deus non propter sua munera & beneficia, sed propter seipsum diligendus.

48. *Tolle filium vnigenitum & offeres eum in holocaustū:* cur potius hoc genere sacrificii, quàm alio in quo aliquid hostiæ offerenti relinquitur, voluit ab Abraham coli Deus? nota plerosque videntes sibi temporalia, quæ diligunt abundare, Deum largitorem collaudare, paratos quidem si pleni fuerint, gratias exhibere, & è contra murmurantes si fortè cœperint indigere, vnde & Dauid dicit, *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*: alios vero esse qui considerantes quam terribiliter Deus suis contemptoribus comminatur, & è contra, quæ & quanta se conferre dilectoribus suis protestatur, à timore inchoantes ad sapientiam proficiunt diligendi, qui quo amplius in prudenti dilectionis dulcedine munerantur, eo spe certiori maiora in futuro munera præstolantur, & quo munerum celestium spem percipiunt ampliorem, eo amplius ipsum diligunt largitorem, diligunt diligētem, eligunt eligentem, ardentque ad eum tota deuotione conuerti, quem sibi propitium multis iam beneficiis sunt experti, in quorum persona Propheta dicit, *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi,* & alibi, *conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi:* alii autem sunt qui Deum non propter beneficia ab eo accepta, sed propter ipsummet summopere diligunt, iuxta illud Psalm. 117. *Conuertimini Domino quoniam bonus est,* nō quia bonus vobis, sed quia natura sua bonus &c. merito igitur in holocaustum sibi filium offerri, & non alio sacrificii genere postulat, quia vult ab Abrahamo diligi non propter aliquid ex ipso Isaac reseruatum, quod sibi beneficium collatum reputaret, sed propter seipsum, sensus est cit. Philipp. *vt spes iustorum solidior & perfectior habeatur, & in rem multo efficacius conuertatur, vult Deus vt à perfectis idem sibi gaudium præferatur, vt non tam de illis quàm de ipso qui contulit, gaudeat, offert igitur gaudium suum Deo, qui de suis muneribus non gaudet, sed de eo qui diligit eum de corde puro & conscientia bona, non quia suis dilectoribus vel spiritualia vel temporalia confert dona, sed quia summe bonus est in natura, cuius luminosam non attingit munditiam mens obscura.*

Psal. 56. Psal. 114. Psal. 117. Cit. Philip. Abbas.

Nihil à nobis exigit Deus, vt perfectum actum amicitiæ & obedientiæ.

49. *Tolle filium tuum & offeres eum in holocaustum,* non videtur hoc Deus rectè præcepisse, cum occisio innocentis actus censeatur impius, & præcipuè quod à proprio patre adimpleatur, tum quod contumeliosum sit Deo delectari in morte hominum, & præcipuè innocentium: nota perfectissimam amicitiam & obedientiam nostri ad creatorem non esse, nisi actualissima promptitudine, qua nos & omnia nostra amantissima sibi medullitus offeramus, & nisi eius præcepto imo & nutui, nos & nostra omnia sibi continuo subiiciamus, dico igitur Deum conuenientissimè præcepisse, nec crudelitatem in hoc declarasse, quia vt optimè Thom. Angl. *nihil debet Deus in suis tantum quærere & amare sicut perfectum actum amicitiæ, & obedientiæ suæ.*

Tho. Angl.

Quod Deus nobis precipit etiam si videatur indecorum & inutile, maxime tamen proficit.

50. *Tolle filium tuum & vade in terram visionis &c.* quis non iudicabit nihil ita aduersum nec funestum contingere posse Patriarchæ, quàm vnigeniti sui mortem & sacrificium? nihil enim ad commiserationem ita nos prouocat, quam vnico, morte violenta, orbari filio, sed in hoc iudicio fallitur, consule enim Hebraicam lectionem quæ sic habet, quid est vade tibi? respondet Caiet. *hoc est ad bonum tuum, vt consideret Abraham Deo dicenti quod iubet ei hoc ad propriū bonum.*

Card. Caiet.

Præceptum Dei quod difficillimum videtur, facillimum est.

51. *Tolle filium tuum & offeres eum in holocaustum,* quis non fatebitur nihil difficilius præcipi posse, & omnes naturæ nostræ vires hoc Dei præceptum excedere? sed quæso si tibi quod charissimum possides, tibi iuberetur offerre, pro quo deinde centum restituerentur, difficile ne tibi videretur præceptum? minimè, nota quod Deus præcipit in holocaustum sibi offerri Isaac, qui tamen deinde non offertur, sed patri restituitur sanctificatus cum immenso beneficiorum augmento: præceptum igitur quod in se difficillimum censendum est facilè; *vix,* inquit Bernard. Serm. de trip. genere bonorum, *aut nunquam inuenitur aliquod præceptum datum hominibus quod transeat terminos, possibilitatemque naturæ,* sed Hug. Card. hîc hoc annotat, *bene inquit dicitur de Domino qui fingis laborem in præcepto, non enim est labor, sed fictus labor seruire Domino, putatur labor quod est magna recreatio, fictus labor onus leue, iugum suaue.*

S. Bernard. Serm. de trip. genere bonor. Hug. Card.

Soli perfecti commiseratione non mouentur ergà sibi charissimos si Deo non arrideant.

52. *Tolle filium tuum vnigenitum,* si nihil ita pa-

terna

terna viscera commouet, quàm calamitas quæ filio contingit, vt testatur ille pater prodigi Lucæ 15. cùm adhuc longe esset vidit filium, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum, quæ verba Guerricus Abb. exponens ser. in eundem ait, sic festinat, quasi plus cruciaret misericordiam compassio miseri, quam ipsum miserum passio sui: quomodo hac audita voce tolle filium, & offer eum in holocaustum, commotum non legimus? commiserantem non aspicimus? quia soli perfecti, è quorum numero primus censetur Abraham, commiseratione non mouentur erga sibi charissima si Deo non arrideant: fauet Procop. dicens, *hæc sane verba præter Abrahamum, virum omnem ad commiserationem & misericordiam commouissent.*

Luc. 15.

Guerricus Abb. ser. in Prodig.

Procopius.

Amor Dei vitæ nostræ præferendus.

53. *Tolle filium tuum vnigenitum*, è cuius vita paternus affectus & maternus pendebat, diuina voce postulatur ad victimam, imo vt ait S. Zeno ser. 1. de Abr. *vix in filii sui capibus pater viuere potuisset, si teneris annis moreretur*, si igitur vita Abrahæ in filii vitæ conseruatione consistit, quomodo intrepidè in holocaustum, filium suum, qui vita sua est, festinat offerre? quia amor Dei qui maxime in pignoris charissimi iussa immolatione lucebat, vitæ etiam dulcissimæ, omnino præferendus est. D. Ephrem aliquomodo consentit dicens, *vix iustus obediens factus quonis igne ardentiorem excitauit charitate acutioremque gladio amorem reddidit, nã in ipso natura vincula processit.*

D. Zeno ser. 1. de Abrah.

D. Ephrem tract. de Ab. & Isaac.

Dona nobis concessa vult Deus sibi offerri, vt amplius erga nos sit beneficus.

54. *Tolle filium tuum vnigenitum*, in tuam nimium seueram indignor seueritatem, imo crudelitatis te arguere quis prohibebit? iubere enim à patre filium vnigenitum occidi propriis manibus, quid aliud arguit? imo maximam eius liberalitatem in nos indicat, qui dona concessa & accommodata à nobis tanquam sua repetit, vt ea accepta remuneret & abundantius largiatur: mihi consulit D. Pauli. Epist. 34. *quid habes quod non acceperis? atque ideo non vt de proprio restricti simus, sed vt de credito fœneremus, immensa Dei militia pariter & bonitas de ipsis muneribus suis vult sibi inuicem munera fieri, vt sibi materiam erga te beneficentiæ pariat, quia bonus est, & faciat tibi meritum, quo digne recipias, quia iustus est.*

Pauli. Epist. 34.

In Deo sola nostra sit consolatio.

55. *Tolle filium tuum & offeres eum in holocaustum*, quid? non solum filii cædem inducis, sed mortui etiã perfectam & absolutam consumptionem qualis fiebat in holocausto, præcipis? saltem cineres & reliquiæ filii defuncti patri remaneant, quibus saltem aliquo modo suum possit miserabilis pater mœrorem consolari, & lenire dolorem: nec id patitur Deus, vt non à creaturis sed à seipso solum consolationem accipiamus & habeamus: ipse enim solus vera consolatio est, teste Orig. ho. de Magd. quæ eam sic inducit loquentem, *onerosi sunt mihi omnes consolatores, grauant me, non me consolantur, non quæro Angelos, sed eum qui fecit me & Angelos, ipsum solum quæram, ipse solus me potest consolari*, preme hæc vltima verba.

Orig. hom. de Magd.

Verus obediens non solum quod sibi charissimum est Deo immolat, sed etiam semetipsum.

56. *Tolle filium tuum quem diligis Isaac*, scio te dicturum quod sufficeret Domino dicere, tolle filium, sine additione quem diligis, tamen id merito subiunxit, vt reducta patri ad aures dilectione filii, probaretur in animo quantus viueret amor Dei, quatenus audita dilectio filii paternum pectus accenderet: sed hoc accenso in paterno pectore, amore filii, an ab immolatione illius cessauit? imo non solum Deo pignus sibi charissimum offert in holocaustum, sed vt optime D. Dami. ser. 32. de sancto Apolli. *exuperante diuini amoris flamma semetipsum obedientiæ gladio mactans in ara cordis verus immolat.*

S. Petrus Dami. ser. 32. de sancto Apolli.

Solus Christus Dominus tentationis Monarchiæ mundi victor.

57. *Tolle filium & offeres eum in holocaustum*, grauissima quidem tentatio: sed cur sicut Christum Dominum deinde tentari permisit à Dæmone in oblatione totius orbis terrarum, cùm ait hæc omnia tibi regna dabo, si cadens adoraueris me: vt virtutis Abrahæ experimentum sumeret, sic animum Patriarchæ huiusmodi tentatione agitari non permisit? accipe verissimam & subtilem Oleastri responsionem, *quia nouerat neminem nisi Christum victorem euasurum ex præsentata mundi Monarchia, eum solum voluit illa tentari*, quasi diceret, potuit Abraham ad immolationem filii adducere aliosue fideles grauissimis vrgere calamitatibus, & in his omnibus virtus eorum omnibus apparuit manifesta, sed noluit, vt de totius vniuersi dominio tentarentur, ne præcipites cupiditate dominandi ruerent, soli enim filio meo vnigenito tam insignis debebatur victoria.

Oleaster hic.

Deus quamuis in nos liberalissimus, eo tamen modo quo potest dona abscondit, ne aliquam gloriam ex eis sumere videatur.

58. *Tolle filium tuum vnigenitum & offeres eum in holocaustum*, non est dubium, quin certissimo sciret Abraham filium sibi sacrificaturum: ad quid igitur voluit vt filius in holocaustum diuinæ maiestati suæ offerretur? nota quod tunc statuerat filium suum tanquam victimam pro hominum salute morti tradere, quod quidem inter beneficia nobis collata maximum est: respondeo ergo ideo Deum prius ab Abraham exegisse, vt filium suum vnigenitum sibi immolaret, vt cum postea proprium verbum incarnatum morti traderet, non aliquid magnum pro nobis offerre videretur, cum antea ob sui amorem idem ab homine perpetratum fuisset, hoc acutissime à Chrysost. antea dictum oratione 25. in illa verba Pauli ad Hebr. 11. *fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur*, ait enim, *quoniam quædam magna danda erat hominibus gratia, volens non quasi ex gratia, sed velut ex debito illud facere persuasit primum homini, vt filium suum traderet pro præcepto Dei, vt nihil magnum ipse videatur facere filium suum tradendo, si quidem homo ante ipsum hoc fecerit vt hoc non ex gratia faceret sed debito compensaret.* quis non hæc verba consideratione digna censebit, *vt nihil magnum videatur ipse facere filium suum tradendo?*

Chrys. oration. 25. in illa verba Pauli ad Hebr. 11.

Spes sanctorum abundantissima, etiam si sterilis omnino videatur.

59. *Tolle filium tuum*, &c. nonne antea Patriarcham bis Abraham nominaueras, Abraham autem nonne multarum gentium pater interpretatur? quomodo igitur sublato vnigenito filio, & ablata præter nimiam senectutem cum illius & coniugis suæ spe prolem suscipiendi, sperare poterit se visurum maximæ posteritatis progenitorem? imo nonne antequam pater Isaac diceretur, eum Abraham nominasti, cur hoc nomine eum nuncupas, cùm potius aliud carentiam filiorum dicens deberes imponere? sperabit ne Abraham cùm in summa senectute nondum esset genitor, & cùm iam est factus, filium immolare iubetur? imo ita firmissimæ spei tenax, vt potius viuere desinisset quàm sperare, quod grauiter dixit Amb. *Cùm essent* (inquit) *obsoletæ ætate seniores ipsi scilicet & Sara, reuixerunt, ita vt non diffideret habiturum ex Sara filium, quam sterilem sciebat, & in qua iam fluxus muliebris naturæ defecerat, vt per hæc non curent neque de præputio, neque de circumcisione, & prompti sint circa finem, sicuti qui a credunt ei qui viuificat mortuos, neque alium esse qui hanc habeat potestatem, & cùm voluerit esse quæ non sunt, statim eius voluntate subsistunt, ideo Abraham cùm pater nondum esset, vocatus est pater multarum gentium*, nil melius, vbi notandum illum Abraham scilicet patrem dictum multarum gentium, cùm adhuc pater non esset, non erat pater, satis fuisset si vnius diceretur filii pater, at Deo non satis, nisi & multarum gentium, sic plena, sic abundans in illo reperitur spes sanctorum.

D Amb. super cap. 4 Epist. ad Rom.

Cor nostrum sibi soli offerri vult Deus.

60. *Tolle filium tuum vnigenitum & offeres eum in holocaustum*, vt efformem conceptum, præsuppono filium cor patris nūcupari, nota similiter quod Deus prohibebat ne sibi offerretur thymiama, ait enim Exod. 30. non offeres super eo thymiama compositionis alterius, non est dubium quod per thymiama cor nostrum intelligitur: si Deus igitur præcipit Abrahæ vt sibi corculum suum nempe Isaac offerat, cur prohibet thymiama cor repræsentans, sibi adolendum? nota duplex thymiama fuisse, vnum quasi simplex, quod Deo offerebatur, iuxta illud cit. cap. Exodi, vre thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras, aliud erat quod thymiama compositionis alterius quàm à Deo assignatæ, & illud prohibebatur: sic in hominibus cor duplex reperitur, vnum simplex & rectum, alterum vero cōpositum, id est pluribus negotiis intricatum: quo posito ne mireris Deum petiisse ab Abraham vt Isaac innocentem, corculum suum sibi in holocaustum offerret, & thymiama, cordis figuram renuisse, quia cor nostrum simplex, rectum, & innocens sibi soli vult offerri, non autem aliis rebus dedicari, quo eum non integrè diligimus, cum tamen à nobis hunc perfectum amorem requirat, dicens diliges Deum ex toto corde tuo Matth. 22. quæ verba exponens Auctor imperf. ait, *quid est diligere Deum ex toto corde? id est vt cor tuum non sit inclinatum ad vllius rei dilectionem, amplius quàm ad Dei amorem, nec delecteris in aliqua specie mundi, amplius quàm in Deo, non in honoribus, non in auro vel argento, non in possessionibus aut vineis, non in animalibus aut mancipiis, non in ornamentis aut vestibus, non in filiis aut parentibus aut amicis, sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, vt præ his omnibus Deum ames: si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, iam ex toto corde tuo non amas Deum, pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandam inclinatum, pro tanta parte minus est ad Deum.*

Exod. 30.

Matt. 22.

Auctor Operis imperf.

Virtutes quamuis aliquando contrarios effectus habere videantur, sunt tamen inter se amicissimæ.

61. *Tolle filium tuum quem diligis, & offeres eum in holocaustum*, vt conceptus fundetur, nota sententiam Aug. ser. 72. de temp. c. 1. dextera Abrahæ eligitur ad sacrificium vt moreretur, cuius cor erectum est ad fidem vt nasceretur: quasi diceret, extincta erat in eo spes filium suscipiendi, sed fides cor eius erexit vt crederet Deo sibi prolem pollicenti, qua fide media tandem sibi vetulo natus est Isaac, qui potius fidei quàm Abrahæ dicendus est fœtus: si ergo fides vitam præstitit Isaaco, quomodo obedientia ei adimere contendit? an virtutes inter se aduersariæ, ita vt vna vitam præbeat, altera eripiat? minime quidem, quamuis ita videantur, nam in ordine ad Deo præstandum obsequium sunt amicissimæ, & concordes: ita citat Aug. *nec fuit religio credentis contraria deuotioni obtemperantis.*

D. Aug. ser. 72. de tēp.

Pater æternus licet suum filium tradiderit, non tamen nostro modo loquendi sine cordis dolore.

62. *Tolle filium vnigenitum*, diximus ex aliis versionibus sic haberi, tolle nunc eia illum filium tuum, illum vnicum tuum, quem dilexisti, seu dilectum illum Isaac: vbi præclarè Chrysost. vnumquodque verbum per se sufficeret ad sauciandam Abrahæ animam, verba sunt plena affectibus & adeo tenera, vt Patriarchæ viscera, qui ea audiebat maxime torserint: sed an solum cor Abraham dolore transfigitur? quæso obserua tot esse, qui hanc historiam tradunt, quot qui in Abraham Deum patrem intelligunt, sed vnus sufficiat Aug. ser. 71. de temp. *Abraham quando Isaac filium obtulit, typum habebat Dei patris, Isaac vero typum gessit Dei Saluatoris.* quo notato dico verba tolle filium &c. non modo viscera patris audientis torsisse, verùm etiam proferentis ipsius Dei cor perculsisse, nostro loquendi modo (absunt enim affectiones hæ à Deo longissimæ) quasi ergo ad vnigenitum suum attenderet, in illo ita repræsentatum: ita locutus est, vt filium illum suum, illum vnicum suum, illum dilectum suum dulcissimum Iesum dilectionis suæ filium mirificè descripserit, tenerrimisque verbis non tam Abrahæ sensum pro re vera filio, quàm sui ipsius pro immolatione filii sui, nece portenderit, & transfixi pectoris sui (vt nostro sentiendi modo loquamur) teneritudinem piumque patris affectum expresserit.

S. Aug. ser. 71. de tēp.

Iustus gaudeat occasionem sibi merendi oblatam esse.

63. *Tolle filium vnigenitum & offeres eum in holocaustum*, an tristatur Abraham, hoc accepto Dei seuerissimo præcepto? imo gaudet, quid Abraham? ita ne ferus & crudelis in filium, vt ei manibus propriis mortem inferre læteris? vbi paternus affectus? vbi pietas genitoris in filium? dico tamen accepto de vita charissimo pignori adimenda, præcepto, lætitia profusum, non quia mortem filio inferre deberet, sed quia illius immolatione certissima & maxima merendi præbebatur occasio: sic Zeno ser. 1. de Abr. *dixit Deus volo mihi fieri sacrificium Abraham tuis manibus in monte de filio tuo, hæc mihi victima placet. hoc me sanguine deplacabis, non contristat frontem*

S. Zeno Veron. ser. 1. de Abrah.

frontem deuotissimus Abraham nec dolor patris lachrymas persuasit, sed exultat & gaudet, nec timuit ne parricidium ei imputaretur, sed magis vt deuotione pareret, lætabatur hoc iussisse Deum.

A

Quamuis aliquem grauissimè à Deo videamus percussum, ne peccatis illius tribuamus.

64. *Tolle filium & offeres eum in holocaustum*, quid ô Abraham! ad mortem proles petitur, quid amarius ei in ætatis flore contingere potest quam interitus? an arbitraris innocentem? si innoxium iudicas, Deum iniustum dices, si autem nunquam leges iustitiæ credas excedere, nocentem filium arbitraberis, cum ab eo ita graues exigat pœnas: nec Deum iniustum, nec filium noxium iudicat, quamuis morti condemnatum, quia quamuis aliquem grauissime à Deo videamus percussum, peccatis illius non est tribuendum, *magna pietas*, inquit D. Aug. ser. 6. post. 1. Dominicam in quadragesima fer. 2. *non solum in Deum, sed etiam in ipsum vnicum filium, cum nihil mali credidit esse pater, quidquid de illo iusserat qui creauit.*

B

D. Aug. ser. 6 post 1. Domin. in Quadrag.

Deus idem est misericordissimus largitor, qui terribilis legislator.

65. *Tolle filium & offeres eum in holocaustum*, quid seuerius potest præcipi? si rex à subdito, vnicum habente filium, exigeret eum innocentem ad mortem, nonne inhumanitatis eius fama apud omnes diuulgaretur, & vbera leænæ lactasse crederetur? crudelem igitur Deum dicemus, qui à patre, filium ad mortem postulat: nunc autem Euangelium consulamus, Christum Dominum mansuetum & non seuerum contemplabimur, ait enim de seipso, mitis sum & humilis corde, imo beatos prædicat benignos, denique vitam non adimit, sed ablatam restituit: vel ergo Christum Dominum Deum esse non credam, vel si credidero, Abraham tentatorem esse Deum mihi non suadebo: sed hanc difficultatem soluentem audiamus Aug. loco citato, *dicimus talibus, Euangelium accipitis, legem non accipitis, nos autem dicimus eundem esse Euangelii misericordissimum Largitorem, qui extitit etiam legislatorem terribilis, lege enim terruit, Euangelio conuersos sanauit, quos vt conuerteret lege terruerat, imperator dedit legem, & multa commissa sunt contra legem, lex quam dedit imperator non nouerat nisi punire peccantes, veniebat ergo vt ad soluenda delicta eorum, ipse cum indulgentia veniret, qui legem præmiserat.*

C

D

Cit. S. Aug.

Christus Dominus pro salute hominum immolandus figuratur.

66. *Tolle filium & offeres eum in holocaustum*, qui prohibuisti aliquando tibi animalia irrationalia offerri, quomodo sacrificium hominis exigi? si quidem hac de causa Iudæos sine intermissione notat clamans per Prophetam Dauid Psal. 105. *sacrificauerunt filios suos & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quos immolauerunt sculptilibus Chanaan*, itidem & per Ezechielem, accepisti filios tuos & filias tuas quas genuisti & obtulisti eos amatoribus tuis: quomodo ergo is qui damnat eos qui talia perpetrant, filium vnigenitum à patre in holocaustum offerri postulat? respondet D. Theod. q. 72. in Genes, *hæc erant vmbra dispensationis pro nobis facta, pater si quidem filium dilectum obtulit pro mundo*, quasi diceret Christum immolandum in ara crucis præfigurare voluit Deus in Isaac.

E

F

Psalm 105.

Ezech. 16.

Theod q. 72. in Gen.

Christus Dominus ab initio in suis patitur.

67. *Tolle filium & offeres eum in holocaustum*, nemini dubium est Isaac figuram esse Christi Domini Saluatoris: sed cùm nihil mali perpessus fuit Isaac, patri enim restitutus est incolumis, an Christus in eo solum figuratus euasit illæsus? non auderem equidem in ipso met etiam aliquid passum asserere, nisi fultus auctoritate D. Paulini Epi. 29. quæ est 1. ad Aprum dicentis, *ab initio sæculorum Christus in omnibus suis patitur, ipse enim est initium & finis, qui in fine velatur, in Euangelio reuelatur, mirabilis semper & patiens, & triumphans in sanctis suis Dominus, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus.*

S. Paulin. Epist. 29.

Amor noster in alterius virtute fundetur.

68. *Tolle filium quem diligis Isaac*, alii legunt amantissimum, quem singulari amore amplecteris, cùm sermo fuit de Ismael, non legimus dictum fuisse à patre dilectum: nonne legitimus erat filius sicut Isaac? imo & primogenitus, cur ergo natu minor per excellentiam dicitur quem pater diligit? an vir iustus potius in alium quàm in vnum duci debet amoris affectu? minime quidem, si enim vnius præ aliis acceptor, tunc æmulatio, discordia, & inuidia inter fratres nascitur, obiertur Ismaelem filium quidem fuisse Abrahæ, sed vitiis deditum, Isaac autem innocentem, rectum virtutis cultorem: ne ergo Abraham acceptorem Isaaci præ alio nominemus? quia dilectio quæ alterius virtutum fundamentum habet, condemnari non potest.

Quidquid sumus & opera nostra ad Christum Dominum dirigenda.

69. *Tolle filium & offeres eum in holocaustum*, mystice loquamur, tunc offert homo holocaustum Deo, cum ei quidquid habet, dedicat & consecrat 1. animam per cordis dilectionem, contritionem, & feruentem charitatem 2. corpus per debitum ieiunium, & carnis mortificationem, tertio bona temporalia per eleemosynarum largitionem, ecce holocaustum quod Deo debemus offerre, sed vbi nam quæso? super vnum montium, ait textus, sed in quo eorum? nota quod sancti propter virtutem eminentem, montes appellantur, Christus autem propter eminentissimam virtutem, excelsus mons præ aliis dicitur, qui per vnum montium designatur: tunc ergo nostra offerimus holocausta, & sacrificia super hunc montem, cum omnia nostra siue bona fortunæ, naturæ, vel gratiæ ad Christum referamus, vt per ipsum tanquam per mediatorem Dei & hominum, Deo patri offerantur: quia vt ait Alcuinus l. de diuin. offi. *nec oratio Ecclesiæ, nec Deo offerri potest nisi per vnum mediatorem Dei & hominum, quod ipse in Euangelio commendat dicens, quidquid petieritis patrem in nomine meo hoc faciet.*

Alcuinus l. de Diuin. Officiis.

Matt. 21.

Nihil optabilius quàm Deo parere.

70. *Tolle filium & offeres eum in holocaustum*, cum nulla fuerit tunc immolandi filios consuetudo, cur noui & insoliti exempli effectus auctor? Dei præceptum dissimula, nonne tibi optabilius est frui libero, quem in senecta suscepisti, & ideo tibi amantissimo (nam sero natos ardentius parentes adamant vel quia, diu desideratos, vel quia nullam sperant prolem, natura iam effœta & ad extremum perducta terminum) quam senero Dei obtemperare præcepto: sed præclaram quærio Philon. lib. de Abr.

Philo. Hebr. lib. de Abraham.

sent etiam accipe, *apud omnes qui rectè sentiunt, nihil honestius, nihil optabilius ducitur, quàm Deo parere, hoc autem Abraham ita facere studuit vt nullum vnquam Dei mandatum non prompte, alacriter exequeretur, quantumuis molestiis, & ignominiis, laboribus, ac doloribus refertum esset.*

Non solum vitia carnalia, sed etiam spiritualia prascindenda.

71. *Tolle filium vnigenitum & offeres eum in holocaustum*, si solum duos suscepit liberos, vnum de Agar, & alterum de Sara, & primum ex tuo iussu longe à laribus suis expulit, quomodo alterum, qui sibi vt senectutis suæ sit baculus, præcipis immolari? obserua per Ismaelem natum ex serua, vitia carnalia quæ in nobis originem sumunt, intelligi, per Isaac secundum Hugonem de sancto Charo, vitia spiritualia: quo posito recte eiecto Ismaele, præcipitur ei vt Isaac sacrificet, quia vt ait citatus auctor, *carnalibus vitiis derelictis, iubetur cuilibet vt tollat filium suum, id est occidat vitia spiritualia, ideo enim Deus pater pro nobis occidit filium, vt nos occidamus filium nostrum propter ipsum.*

Hugo de sancto Charo.

Dei beneficiorum memoriam omnibus aperiamus.

72. *Vade in terram visionis &c.* cur ita dicta? cum enim sensibus careat, nomine visionis indigna videtur, mihi arridet quod ait Rupert. lib. 6. in Genes. c. 28. *ex scriptura manifeste constat, propter præsentiam siue conspectum gratiæ Dei, Abraham locum illum appellasse nomine eodem, nam quia tentantis oculos super se defixos, atque apertos super se cordaliter sensit, clamante Angelo Domini, cùm arripuisset gladium, Abraham, non extendas manum tuam super puerum, quia cognoui quod timeas Dominum*, deinde subiungit, *appellauit nomen loci illius, Dominus videt*, constat ergo quod ob causam prædictã, iubilans atque ineffabiliter gratulabundus Abraham illum lætitiæ suæ locum visionis nomine signauit, in quo visum se à Domino veraciter confiteri potuit, sed cùm gratias pro hoc beneficio referre satis fuisset ad quid nomen terræ, in qua illud accepit, imponit? quia non solum Deo grati esse, sed & memoriam beneficiorum omnibus aperire debemus.

Rupert. lib. 6. in Genes. c. 28.

Sicut initium salutis nostræ à Deo est, ita & consummatio, sed à nobis illius cooperatio.

73. *Vade in terram visionis, atque ibi offeres eum super vnum montium, quem monstrauero tibi*, cur Abraham vocat? si autem fuit vocatio necessaria, cur saltem sine vllo labore ipsius Patriarchæ, eum in montem vbi immolandus erat Isaac, non transtulit? si autem transferre noluit, cur saltem nomen montis non aperuit? eadem difficultas agitari potest circa illa verba Dei ad eundem, veni in terram quam monstrauero tibi, potuit enim hanc terram manifestare, vt sine alicuius auxilio postea eam reperiret: nota quod sicut illud, *veni in terram*, & illud, *vade in terram visionis*, initium salutis nostræ, qua ad terram promissionis, vel ad terram visionis, scilicet ad beatitudinem, in qua Deum videbimus sicuti est, dicit: sic ille mons vel terra promissionis quam promittit se monstraturum, ipsiusmet fœlicitatis consummationem significat: recte igitur primo vocat, deinde præcipit vt ipsemet iter faciat tandem ipsum montem ostendit, vt denotet ab eo nostræ salutis initium, & perfectionem, & à nobis ipsis cooperationem: sic Cassian. cap. 3. col. 3. *per hoc manifeste probatur quod initium nostræ salutis Domini vocatio est, quod consummatio perfectionis ac puritatis similiter ab eodem tribuitur, dicit enim veni in terram, & non quantum ex temetipso nosse vel industria tua poteris reperire, sed quam ego tibi non solum ignoranti, sed etiam non inquirenti monstrauero: ergo manifeste colligitur quod quemadmodum inspiratione diuina promoti, ad viã salutis accurrimus, ita etiam magisterio ipsius, & illuminatione deducti, ad perfectionem summæ beatitudinis peruenimus.*

Cassian. Coll. 3. cap. 3.

Deus vult sibi quod maximum est adscribi, non hominibus.

74. *Vade in terram visionis atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium*, sacrificandus Isaac sisti iubet Deo in monte itinere trium dierum ab habitaculo dissito, cur non magis inter clientum frequentiam sacrificandus Isaac sistitur? cur tanto sacrificio locus ita dissitus eligitur? filia Iephte sacrificanda elegit montes, vt fleret intempestiuam mortem, sed inter clientes non sistitur, Iudic. 11. cur non similiter in Isaaci sacrificio clientum cauetur conspectus, sed montium eligitur solitudo? eripiendus erat Isaac à paterno gladio, & cum vita incolumis seruandus, & ideo ne cui alteri quàm Deo possit suã liberationem tribuere, ad solitudinem montis ignoti ducitur, amat enim Deus ne quid boni quod maximum est, sibi tribuatur non hominibus: quod subtiliter confirmat Isidorus Pelusiota Epist. 19. qui inquirens, cur Daniel in damnatione mortis cum Sidrach, Misah, & Abdenago non inuenitur: vocabatur Daniel apud Babylonios Balthasar, quod erat nomen idoli Babylonii: ideo cauit Deus ne habens tale nomẽ caderet in flammas cum pueris, ne pueris danda salus possit attribui idoli nomini, possit attribui alteri quàm vero Deo illam danti, ait ergo D. Isid Pelus. Epist. 19. *hoc diuino consilio contigit, ne impii homines flammæ oppressionem Dei Babylonici nomini adscriberent, Balthazarum enim Danielem appellabant.*

Isid. Pelus. Epist. 19.

Deus non potest non dico parem, sed longe maiorem gratiam non referre.

75. *Vade in terram visionis atque ibi offeres eum in holocaustum*, quàm nouum hoc & insitatum Deo; ex quo tibi Domine victima humana placuit? vnde potuit venire vt tibi vnici filii placeat holocaustum? cur requiris oblationem adeo insitatam? sane Deus volebat firmare decretum suum de dando filio suo, ideo petit sibi filium hominis dari, ne posset tanto obsequio non dico parem, sed longe maiorem non gratiam referre: ait D. Machar. oratio. de exalt. S. Crucis, *Abraham filium vnigenitum ex promissione susceptum ad aram ducebat, & immolare festinabat iussus à Deo, volente, opinor vt & sacrificium illud pro totius mundi salute peragendum firmaretur*, vt firmum est quod Deus obsequentibus sibi parem gratiam referat, sic firmabatur, quod filium suum in holocaustũ curet, eo ipso quod filium Abraham in holocaustum acceperat: Dei enim est quasi non posse parem, sine maiorem gratiam non referre.

D. Machar. oratio. de exalt. S. Crucis.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS iii.

VVLG. Igitur Abraham de nocte consurgens, strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum, cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus.

Sep. Surgens mane, strauit asinam suam, assumpsit autem secum duos pueros.

Caiet. Anticipauit Abraham in mane.

Arias Mont. & manicauit Abraham in diluculo.

CONCORDIA.

שכם Sacham mane surgere, aut venire, si latine dici fas esset, manicare, quo verbo vsus est Montan. sed quia latinis est auribus inauditum, alii dixerunt, surgens manè vel anticipauit se manè, בקר Bo Ker diluculum vel manè significat, quamuis de nocte vertit noster interpres, sed summum mane intellexit.

EXPOSITIO.

DE *nocte consurgens*, id est primo diluculo, ex quo apparet visionem illam & apparitionem Dei Abrahæ factam esse nocturno tempore, *strauit asinum suum*, id est cum præparauit, vt eaquæ necessaria essent holocausto deferret, *ducens secum duos iuuenes*, scilicet vt asinum conducerent, nec non sibi socii itineris forent, *cumque concidisset ligna in holocaustum*, timens enim ne forte in terra visionis non inuenirentur, prope locum in quo morabatur, ea præscidit, *& abiit ad locum quem præceperat ei Deus*, scilicet ad terram visionis sibi cognitam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Verus obediens moras nescit.

76. ABraham *de nocte consurgens*, quid Abraham an Deus præcepit vt summo mane surgens, iter acciperes ad offerendum ei filium tuum vnigenitum? minime quidem, sed solum à te exegit, vt ei sacrificares, tempus immolationis non assignans: dies igitur lucescat, & tunc Dei iussa adimplebis: merito summo mane & ante lucem Deo surgit obtemperaturus, quia verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi: sic noster D. Antoni. de Padua in Dominica 3. Aduent. *vera obedientia* inquit, *est humilis, deuota & festina: humilis in corde, deuota in voce, festina in iussione.*

Noster D. Antoni. de Padua Domini. 3. Aduent.

Vera obedientia in turbatione iucunda.

77. *Abraham de nocte consurgens*, quomodo nec vllum doloris argumentum præbes, accepto filii immolationis præcepto? quin imo quasi gaudens & exultans è cubili surgis Deo obtemperaturus; nonne cor tuum variis agitatũ curis turbatur? requiesce igitur, nec te subito accingas itineri vt tua turbatio eradicetur: prudenter in tanta animi perturbatione etiam exultans, Dei præcepta exequitur, quia vt ait loc. cit. Antonius, *vera obedientia etiam in turbatione iucunda.*

Cit. Anton.

Verus obediens ne retardetur aliquantulum, omnem adhibet diligentiam.

78. *Abraham de nocte consurgens*, nonne Saram habes coniugem tuam, & matrem Isaac? quomodo igitur ei nec Dei nec tuam aperis voluntatem? aduerte quod in hac communicatione aliquas passus fuisset moras: ne igitur aliquo modo retardetur ab exequendo Dei præcepto, vt verus obediens omnem adhibet diligentiam, ne aliqua mora in communicando duceretur, quam promptitudinem laudat D. Chrys. ho. 54. in Gen. Deum cum Isaac loquentem introducens, *neque* (inquit) *turbatus est mente, neque rem communicauit matri tuæ, neque pueris, neque sibiipsi à se sacrificando, sed fortis mente & contenta alacritate, festinauit vt mandatum adimpleret.*

S. Chrys. hom. 54. in Genes.

Difficillimum est, animum maternum filiorum amori obsequium Dei præponere.

79. *Abraham de nocte consurgens*; &c. facinus tam audax celat, neque ad Saram effert mandata, qua de causa? nonne animus eius in Deum propensus? nonne pietas eius & virtus pluries apparuit, tum in peregrinatione quam tecum suscepit, tum in periculis castitatis, quæ apud Pharaonem & Abimelech reges subiit? iterum igitur fidem eius experire, aperiẽs Dei decretum de filii immolatione: nota Deum, Saram dilexisse, sed tamen matrem fuisse: quo posito ait Procop. *sunt qui tradunt Saram ignorasse quæ mãdata marito dederit Deus, videlicet ne muliebri comploratione & materna commiseratione totum negotium interuerteret*, adeo difficile est maternum animum filiorum amore non vinci, & à diuino obsequio non reuocari, vt vel Sara aliàs sanctissima ab hoc naturali affectu superanda timeretur.

Procopius.

Placita creaturarum non expectes vt Deum sequaris.

80. *Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum*, quomodo cum ibi tot sint famuli fideles & obsequẽtissimi, vt ea quæ ad holocaustum sunt necessaria disponant & præparent, non imperas, intentum eis aperiens? ait enim Orig. ho. 7. ipsum omnia parasse, nulli communicasse, vel vmbram consilii: nota Patriarcham vocationem Dei nouisse. merito igitur nihil cum familiaribus communicat, creaturarum enim placita minime sunt expectanda, vt Deum sequamur vocantem: præclare D. Bern. in lib. de contemp. sæculi ait, *vocat magni consilii Angelus, quid opus est vt aliena consilia præstoleris? quis est enim*

S Bernard. li. de contep. sæculi.

fidelior quisue sapientior ille? seduc me Domine & seducar, fortior esto & inualesce &c.

Toti simus in iis quæ Dei spectant obsequium.

81. *Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum*, miror nec accepto Dei præcepto, vllum verbum protulisse, nec familiaribus suis vel Isaac aliquid dixisse, sed ipsummet ligna holocausti concidisse, asinum disposuisse, vt ea deferret: sed mirari desine, quia in iis quæ Dei spectant obsequium, ita intenti esse debemus, vt nec aliis loquamur, ne aliqua responsione ab eo aliquo modo nos reuocent, *silentium* inquit D. Basil. Sel. or. 7. *subsidio comparans, totus erat in iis quæ Deus imperat.*

Basil. Sele. oratione 7.

In vero obediente sicut mens ad obtemperandum prompta, sic & manus operi accingens promptior sit.

82. *Abraham de nocte consurgens*, quid? iam Dei iussa audisti, & ecce accingis te itineri, diem lucescentem expecta, puerum Isaac indulgentem somno parumper dimitte, vt deinde maiori animo in via habeas comitem: ilico non solum holocausti ligna disponit, sed & itineri se committit, quia in vero obediente sicut animus ad obtemperandum paratus est, sic & manus iussa præcipientis exequens æque sit ac prompta, *quia timorem*, inquit Rupertus, *Domini sibi ante oculos proposuerat iustus, idcirco mox audito iubentis imperio, non sequentem expectauit diem, vel saltem ortum surgentis auroræ, sed vicino obedientiæ pede tarditatem pati nesciens in faciendo, & feruens mentis promptitudine ad obtemperandum de nocte surrexit*, pulchre in obediente visuntur pes obedientiæ, vicinus, & mens ad parendum feruens.

Repert. Abbas.

Opera nostra eximia celemus aliis.

83. *Abraham de nocte consurgens*, cur eum Sara non sequitur? quia maritus filii sacrificium à Domino sibi iniunctum illi non reuelauit, & licet à nobis dictum fuerit, rationem huius silentii fuisse, ne nimio in liberum ducta affectu, obedientiam suam reuocaret, sed cum non vno sed pluribus scateant mysteriis diuini verba eloquii, nonne dicere possumus cum aliquibus aliis, vt Procopio, ita Dei voluntati conformem Saram fuisse, vt nec Dei iussa retardare voluisset: cur igitur ei non aperuit? quia eximia opera nostra aliorum oculis celanda sunt: fauet D. Chrys. *vide iusti magnam prudentiam, vult esse hoc occultum, per omnia declarans quod cum feruenti alacritate & intento desiderio implere posset quod Deo probabatur, nam quia sciebat quod nouum & inauditum esset id quod ab ipso faciendum erat, neque ab vllo vnquam tale quoddam factum erat antea, facit vt lateat.*

Procopius.

Chrysost.

Filii non lugendi cum Deo dicantur.

84. *Abraham de nocte consurgens strauit asinum*, diximus ex aliquorum sententia Dei mandatum ad Saram non detulisse, ne quamuis pia & religiosa ab affectu materno superaretur, ne pueri furto materiam obsequendi Deo præcipienti subtraheret, sed ô Abraham postquam in holocaustum filium obtuleris, & sine eius comitatu ad domum redieris, nonne Sara eius amantissima, à te requiret quid ei contigerit? non est dubium te responsurum manibus tuis eum in holocaustum obtulisse, quas lachrymas audita dilectissimi filii morte non effundet? quomodo afflictam lenies? quibus verbis nimium dolentem mulcebis? nonne Deo dedita? cur ergo Sara contristabitur? vel si doloris impatiens, nulla efficacior consolatio quàm consideratio filii in obsequium Dei defuncti: sic D. Basil. Seleu. oratione 7. introducens Abraham Saræ loquentem, *ego post singultationem lamentantem alloquar his verbis, ne fle puerum ipsa singultatione cohonestatum, filium non tollit parens si plus prodest, neque temere it ferrum per mediam sobolem; quem Deus dedit repetit, quem formauit requisiuit*, hæc verba preme non tollit filium parens, si plus prodest, quasi diceret non est cur filium doleas, Deo enim consecratus in maiorem nobis vtilitatem nostram cedet, quam nostræ derelictus familiæ.

D. Basil. Seleu. oratione 7.

Tempus opportunum in præstando Dei obsequio spectandum.

85. *Abraham de nocte consurgens strauit asinum &c.* cum nobis dies illucescit, nonne maiori cum commodo, omnia quæ nobis ad aliquod negocium peragendum necessaria, disponimus? cur ergo auroram diei non expectat, vt ligna holocausti concidat? nota nocturnum tempus cùm silentium sopor omnibus incidit, Dei obsequio exhibendo aptissimum: vnde D. Bern. de tempore quo oratio præcipue habenda est loquens, ait, *tunc liberior & purior oratio erit, nullo turbato clamore, vel strepitu, nulla inspicientis laude tentata, quando nocturnus sopor indicit silentium*, merito igitur potius de nocte consurgit, quam expectata luce diei ad præstandum Dei obsequium; quia tempus in eo exhibendo, magis opportunum spectandum est.

D. Bernard.

Magnanimitas & discretio in operibus bonis necessaria.

86. *Abraham de nocte consurgens duxit secum duos iuuenes*, nescio qua de causa vt hoc eximium opus exequatur scilicet filii vnigeniti sacrificium, potius duos quàm vnum vel quam tres iuuenes secum assumpsit? aduerte ex Pepino fortitudinem & prudentiam his duobus designari iuuenibus: merito igitur non vnus sed duo assumuntur adolescentuli ab Abraham, in hac actione eximia, quia ab opere bono nunquam debent deesse magnanimitas & discretio, nam discretio sine magnanimitate, aut sine fortitudine iners est, magnanimitas vero sine discretione præceps est, quod prudentia requiratur nobis declarat D. Greg. Mag. ho. 12. in Euang. *compellor dicere vt bona quæ agitis cum magna cautela teneatis, ne, per hoc quod à vobis recte geritur, fauor aut humana gratia requiratur, ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur intus à mercede euacuetur.*

S. Greg. Mag. hom. 12. in Euag.

Mundities sacrificantis requiritur.

87. *Abraham de nocte consurgens abiit ad locum quem præceperat ei Deus*, Deus præcipit Abrahamo vt filium suum sibi offerret, è domo exit, & trium dierum itinere confecto, ad montem venit, vbi victimam Deo immolet, abiit, inquit sacer textus, ad locum quem præceperat ei Deus, die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul: inquiramus à Deo, cur non domi sed foris, cur non statim sed post tres dies, voluit vt immolaret? non sine causa ita præcepit & voluit, vt gratum Deo sacrificium peracturus, prius per tres dies à domesticis curis & coniugalibus negotiis vacaret, quasi minus gratum Deo sit sacrificium illud in quo deest munditi es sacrificantis & perfecta à terrenis curis separatio.

Lex Dei

Lex Dei quamuis inducens ad plurima manet inuariata.

88. *Strauit aſinum, cumque concidiſſet ligna holocauſti*, ſcilicet vt igne deinde appoſito, filium ſuum in cineres redigeret: extra inſtitutum diuagabimur-ne ſi ſciſcitantes inquiramus, quomodo electi Deo varia exhibuere obſequia? Abel enim electa Deo offert munera, & fratris gladium non reluctando tolerat: Enoch inter homines ſpiritualiter viuere docuit: Noë deſpectis omnibus ſolum ſe Deo placabilem reddit, atque in arcæ fabrica ſtudio diuturni laboris ſe exercet. Sem & Iaphet humiliter verenda patris erubeſcunt, & ſuperiecto dorſis pallio quæ non videbant abſcondunt, Iſaac mentem quam ſemper ad munditiam tenuit, caligātibus ætate oculis ad videnda longe poſt ventura ſe dilatat: Iacob filium optimum medullitus genuit, & prauorum filiorum præſentiam ſub æquanimitate tolerat: Ioſeph à fratribus venundatus, libertate animi infracta ſeruitutem perpetitur. Moyſes ad delictum populi vſque ad petitionem mortis ſe ſternit in precibus, & vſque ad interfectionem populi per zeli ſtudium ſe erigit, vt & pro pereunte plebe ſe ſe morti obiiceret, & contra peccantem protinus vice Domini iraſcentis ſæuiret: Phinees brachium in vltionem peccantium erigit, & arrepto gladio coëuntes transfigit, vt iram Domini placaret irati; Ioſue munus ſubit exploratoris, & prius contra falſiloquos ciues veritatem verbo defendit, & hanc poſtmodum gladio contra hoſtes allegat. Samuel & in principatu ſe præbet humilem, & in deiectione ſe ſeruat integrum, qui cùm perſequentem ſe plebem diligeret, ipſe ſibi teſtimonium extitit, quia culmen ex quo deiectus eſt, non amauit: Dauid ante iniquum regem, & humilitate fugam meditatur, & pietate commouetur ad veniam, Nathan peccantem regem increpat, Iſaias nuditatem carnis in prædicatione non erubeſcit, Helias feruoris Zelo ſpiritualiter viuit, Hieremias ne in Ægyptum populus deſcenderet, reſtitit: ſed tamen & obedientes diligens, quo deſcendi prohibuit, & ipſe deſcendit: Ezechiel à terrenis deſideriis ſe ſubtrahit, Daniel à regiis dapibus gulam compeſcit, tres pueri incendia vitiorum ſuperant, & mandata regis terreni negligunt, denique nonne & ipſe Abraham aliud ab ipſis efficit inauditum? nempe ipſemet ad holocauſtum filii neceſſaria diſponit? ſi Deus eſt vnus, & omnes dicti illius electi, cur ad eum conſequendum idem non præſtant obſequium, ſed diuerſa? nonne Dei præceptum & legem hoc indicat mutabilem? quàm optime difficultati ſatisfacit D. Greg. Mag. lib. 10. Mor. c. 7. *Lex Dei bene multiplex dicitur, quia nimirum cum vna eademque ſit charitas, ſi mentem plene cœpit hanc ad innumera opera accendit*, deinde ſubiungit, *multiplex iſta Dei lex eſt, quæ ſingulis rerum articulis non permutata congruit, & cauſis ſe variantibus non variata coniungit.*

Exod. 32. | Num. 25. | Ioſue 9. | Greg. Mag. lib. 10. Moral. c. 7.

Cùm aliquod Deo obſequium præſtandum eſt, non aliis demandemus.

89. *Strauit aſinum ſuum & concidit ligna holocauſti*, vbinam ſunt tot vernaculi, quibus imperes vt ligna concidant? cùm id ſit eorum officium tanquam quid ſeruile, nonne indecens eſt hominem iam ætatis fere decrepitæ, & alias ditiſſimum, plurium dominum famulorum, vile iumentum propriis manibus ſternere? veniant famuli & omnia ad iter aggrediendum diſponant neceſſaria: imo diſcedant; cum enim Deo obſequium præſtandum eſt, non aliis hæc cura committenda, ſed ipſimet exequamur, *diſcimus*: inquit D. Amb. lib. 1. de Abr. c. 8. *apparatum ſacrificii & miniſterii munus ipſi nobis vendicare non aliis delegare, ſenex Abraham & diues pecoribus atque abundans ſeruitorum, non quaſiuit comitatus ſui agmina, ipſe quoque ligna concidit, & obſequia maiora viribus ſuis non timere iuſſit.*

Amb. lib. 1. de Abrah. c. 8.

Maxima ſummiſſio ſit in ſacrificiis Deo offerendis.

90. *Strauit aſinum ſuum*, Rupert. lib. 6. Geneſ. c. 29. *aſini nomine* (inquit) *commode ſubiectionis quodlibet genus ſignificatur*: ſed nonne ſufficiebat hominem obedientiſſimum illud offerre ſacrificium? cur igitur animal ſubiectionis typus in eo etiam requiritur? vt omnia obedientiæ argumenta & ſigna in eo lucerent, cum maxima animi ſummiſſio in ſacrificiis Deo offerendis requiratur.

Rupert. lib. 6. in Geneſ. c. 29.

Iudæus plurimis ornatus myſteriis, ſed eorum inſcius.

91. *Strauit aſinum ſuum*, aſinus Iudaicus populus; ſtramentis, id eſt ceremoniis oneratus eſt, ſed cur populus Iudæorum aſino deſignatur? nota vulgo prouerbium in eum qui aliquid poſſidet, & tamen ignorat hoc iactari, aſinus myſteria portans: iure igitur hoc ſignificatur animali, quia vt bene Hugo Card. *aſinus fert & neſcit, quid ſit: Iudæi myſterium incarnationis & paſſionis ferunt & neſciunt.*

Hugo Card.

Prælatus potius exemplo quàm verbo alios præeat.

92. *Strauit aſinum ſuum & ſumens ſecum duos iuuenes abiit ad locum*, nec vllum familiaribus ſuis verbum dixiſſe legimus, ſed ſolum eos præceſſiſſe: cur præcedit eos non alloquutus? nonne potuit imperare verbo, vt eum ſequerentur? nota per Abrahamum, prælatum intelligi: merito igitur nullo cum eis habito ſermone præcedit, quia Prælatus potius exemplo quàm verbo alios debet præire: non abeſt ab hac ratione D. Dami. Epiſt. ad Firminum, *ſacerdos* (adde Prælatus) *qui in regno cælorum vult eſſe magnus, ſit in populo primus vt quod voce ſe ſequentibus dictat, primus ipſe vitiis operibus impleat.*

Petr. Damian. Epiſt. ad Firminum.

Semper timidi ne præceptum Domini poſſimus adimplere.

93. *Strauit aſinum ſuum &c. cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum*, neſcio cur laborem impendis in lignis conſcindendis, & in eis deportandis? nonne cùm ad terram viſionis perueneris, ligna ſecare, & ad holocauſtum diſponere poteris? aduerte quod incertus erat Abraham vtrum in terra viſionis ligna reperirentur: timidus igitur ne tunc præceptum Dei poſſit adimplere, hanc adhibuit diligentiam, *concidit ligna*, inquit Lipp. *ne quid impediret obedientiam in incerto loco lignorum defectus.*

Lipp.

Charitas per antonomaſiam virtus eſt.

94. *Abiit ad locum quem præceperat ei Deus*, ſcili-

cet ad terram visionis, vt super vnum montium quem præceperat ei, filium in holocaustum offerret: sed cùm nomine montium virtutes designentur, quisnam ille vnus innominatus aliis altior, in quo Isaac est offerendus? ait enim Deus super vnum montium offeres, non tamen nominat, cur igitur illius nomen silet? merito manet innominatus, quia cum per eum charitas designetur, sicut per alios montes virtutes, non est nominanda, per antonomasiam enim virtus est, sic D. Philipp. cap. 19. de obedi. cleri. *montes virtutes sunt, vnus autem montium qui nominatim nequaquam exprimitur, rectè per antonomasiam virtus dilectionis accipitur, quia homo à terrenorum multis & variis nexibus expeditur, & vni Deo indissolubili nexu obedientiæ counitur.*

Philip. Abbas c. 19. de obed.

Virtutes sine charitate non sunt condigni meriti.

95. *Abiit ad locum*, scilicet ad vnum montium in quo filium oblaturus erat, sed cum non inepte huiusmodi sacrificium in valle vel planitie potuit perfici, cur hunc laborem Abrahæ imponit, vt montem ascendat huius immolationis gratia? diximus per vnum illorum montium charitatem designari: merito igitur in illo monte, non vero vel in valle, vel in planitie, vel alio in loco, quibus aliæ virtutes significari possunt, hoc sacrificium fieri postulatur, quia sine charitate licet aliæ virtutes adsint, nihil meritorie perficitur: fauet cit. Philip. *in dilectione, iubet eum offerri, quia non sufficit vel forte non proficit quæ possidemus vel diligimus aspernari, si in valle vel in planitie intentionis prauæ non contemnimus demorari, si ad diligendum Deum non contendimus sublimari, si nostris operibus non inuenitur charitas principari, vnde Apostol. si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*

Cori. 13.

Templum Dei vix capit nocentes vt eos patiatur.

96. *Abiit ad locum*, scilicet ad vnum montium, quem tamen seruos suos conscendere nullomodo permisit, imperat enim eis dicens, expectate me hic cum asino, soli autem Abraham & Isaac eum conscendunt: quodquidem mihi non minimum facessit negotium, cum mihi videatur tum in futuro altari præparando, tum in componendis lignis, necessario debuisse conscendere: nonne sacer ille locus qui Dei templo destinabatur? nonne serui, iumentes peccatis nec non ipse asinus peccatores, secundum illud Dauidis, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis, possunt denotare? merito igitur locus ille Deo sacer solus illos capit qui sanctitatem & munditiem sectantur, quidquid autem bestiale, immundum & scelestum est, cauet.

Psal 48.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IV.

VVLG. Die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul.

Sep. Respiciens oculis suis vidit locum à longè.
Cald. Leuauit Abraham oculos suos.

EXPOSITIO.

D*Ie autem tertio*, scilicet in initio matutini temporis diei tertii, à quo discesserat à Bersabee, si autem dicas montem Moriah à loco Bersabee solum distare viginti plus minusue milliaribus, quæ octo leucas conficiunt, quomodo in eo itinere, quod vix erat vnius diei, triduum consumpserit? facile ab hac difficultate se liberat D. Hier. dicens eo tempore habitasse Abraham Geraris, à quo loco vsque ad montem Moriah, vbi filium immolaturus erat, triduanum esse iter, sed non discessisse à Gerariis, verum à Bersabee probabilior videtur esse sententia, nam in fine huius capitis narrat Moses Abraham peracto immolationis negotio, vna cum Isaac & domesticis suis abiisse Bersabee, & ibi habitasse: non videtur autem dubitandum quin eò redierit quò discesserat, illic enim suum domicilium, illic omnem familiam suam & bona reliquerat, posito igitur quod solum à Bersabee discessit, cur triduum consumpsit in itinere vnius diei? varii varia loquuntur, sed existimo cùm Abraham iam centum & viginti quinque annorum esset, sicque viribus non valeret, tot leucas in spatio vnius diei perficere, solum duobus diebus compleuit, & initio matutini temporis diei iam tertii, vidit locum immolationi Isaac destinatum, cognouit autem interiori Dei motu & indicatu.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Obediens cùm aliquid opere exequi non potest, animo saltem adimpleat.

97. *Die tertio eleuatis oculis vidit locũ procul*, cur textus obseruat visum ab Abraham esse locum immolationis Isaac? quid enim hoc ad historiæ narrationem, nec non ad illius mysterium confert? saltem ad illius promptissimam obedientiam deseruit declarandam, seniles enim gressus cùm non posset vrgere ad locum sacrificii tanta celeritate quanta optabat, oculis saltem anteibat, vt vbi primum locum videret, filium oculis immolaret postea ipso opere immolandum: non dissentit D. Ambr. lib. 1. de Abr. cap. 8. *sollicite explorat, qui properat implere, quamuis senilem studio celebraret gradum, tamen hoc serum putans oculis præcedebat, vigebant singulorum officia membrorum, licet senilia membra non possent vigere, solet hebescere visus senum, vt etiam propinqua non facile conspiciant, hic non solum vidit locum, sed etiam longe positus aspexit*, quasi promptitudo ad immolandũ oculos illi acueret, ad locum immolationis vidẽdum, & mẽbris omnibus præ senectute lãguentibus, tamen mẽbrorũ omnium ministeria præ studio parẽdi perfectissima atque integerrima forẽt, vel quod visu præuenerit Abra-

S. Ambr lib. 1. de Ab. c 8.

Abraham pedes quibus non poterat tam celeriter ad optatum ac præceptum locum peruenire, visuque & animo velociter accesserit, quia tardè videbatur illi corpore accedere.

Virtutem iustorum probat Deus.

98. *Die autem tertio vidit locum procul*, cur Deus Abrahamum voluit tot dies in itinere consumere? potuit enim iubere vt in loco non ita remoto, sed propinquiori, filium immolaret: aduerte nemini dubium esse plura apud semet ipsum Abraham perpessum fuisse, cogitare enim potuit Deum sibi promisisse in Isaac semen suum fore benedicendum, & tamen iubere vt immolaretur, quod promissis suis repugnans esse videtur, deinde varijs alijs cogitationibus agitabatur eius animus, hinc vrgente præcepto, illinc filij affectu reluctante, hinc affectus, inde fides, hinc amor Dei, illinc amor carnis spatium certaminis accipiebant: quo posito dicamus ideo voluisse vt in tot dierum spatio solum hanc viam perficeret, vt maiori in anima quasi contrariarum habito certamine passionum, virtus eius fieret manifesta: *vide clementem Dominum* (inquit Chrys.) *quomodo & loci interuallo iusti probauit virtutem.*

S. Chrysost.

Magna merces Deo placere.

99. *Die tertio eleuatis oculis vidit locum*, quibus verbis voluit nobis innuere sacer textus, quasi desiderio flagraret accedendi ad eum locum, vt quia pedibus non poterat votum consequi, saltem illuc voluntate perueniret, & perficeret: sed ô sancte senex, cur tanta celeritate pergis ad mactandum filium, vt cû opere non possis immolare, id voluntate iã perpetres? aliquamne maximam vtilitatem ex tam deploranda internecione speras te consecuturum? eximiam? equidem respondet D. Chrysost. hom. 2. in 1. Corinth. c. 8. his verbis, *Abraham filium in montem adduxit vt interimeret, nullius lucri spe, sed maximam arbitratus mercedem quod Domino obsequeretur*, ô seruum fidelissimum & obsequentissimum, qui non intuitu mercedis & præmij, sed solum vt suo Domino ministret, & placeat, sua iussa perficit.

D. Chryso. hom. 2 in 1. ad Corinth. c. 8.

Perfectiores vrget Deus grauioribus tentationibus.

100. *Die autem tertio vidit locum procul*, liceat Abrahæ filium occidere statim, triduaria itineris mora cum mactaturus secum ducere non iubeatur, sed nota quod cùm per triduum iter protenderetur crescentibus curis, paterna viscera cruciabantur, in omni hoc adeo prolixo spatio pater filium intuebatur, cibum cum eo sumebat, tot noctibus puer pendebat in patris amplexibus, patri inhærebat, in gremio cubitabat, sicque per singula momenta in paterno affectu dolor filij occidendi accumulabatur: sed cur Deus ita graui premit eius animum dolore? respondet Albinus, *vt tentationis augeretur incrementum*, quasi diceret, cùm esset Abraham maximæ perfectionis, eum nonnisi seuera & graui voluit tentatione probare.

Albinus.

Numerus ternarius sacramentis idoneus.

101. *Die autem tertio vidit locum procul*, quid refert vtrum potius die tertio locum viderit quàm secundo, quam quarto? si autem responderis, quia hoc die ab eo visus est: ad quid nobis id Moyses aperuit? nihil hoc enim scire refert: ideo hoc retulit, *quia*, vt ait Origenes, *tertia dies fuit apta sacramentis, nam & populus cùm exisset de Ægypto, tertia die offert Deo sacrificium, & in die tertia purificatur, & resurrectionis Domini tertia dies est, & multa alia intra hunc diem mysteria concluduntur*, & D. Aug. serm. 71. de tempore, *quod ad locum immolationis die tertio peruenitur, etiam mysterium Trinitatis intelligitur, nam quod dies tertius in Sacramento accipi debeat Trinitatis, frequenter in sacris voluminibus reperitur.*

Orig.

August. ser. 71. de tempore.

Deus pater ab æterno passionem filij sui præuidit & voluit, alia tamen intentione quam Iudæi.

102. *Vidit locum procul*, per Abraham Deum patrem designari diximus: quid est igitur Deum patrem à longe vidisse, cùm omnia sint illi præsentissima? eum quidem ab æterno locum passionis filij præuidisse, imo & illius mortem voluisse constat: sed cum Iudæi eam etiam voluerint, dicendum igitur erit Deum patrem mortem vnigeniti simul cum eis accelerasse, sed audi Card. Hug. hanc dictionem, *procul*, explicantem, *id est*, inquit, *remotus à cogitationibus Iudæorum & Gentilium, qui mala voluntate mortem Christi voluerunt.*

Hugo. Card.

Præ omnibus Deus debet diligi.

103. *Vidit locum procul*, quem? vnum scilicet montium super quem iusserat ei Deus filium suum in holocaustum offerri: sed cur nuper super vnum montem excelsum hoc sacrificium perfici postulat? vt sciat, inquit Philip. de obedi. cler. c. 29. *qui Deum rebus omnibus debet anteferre, & sicut vallibus & campis montis supereminet altitudo, sic præ omnibus quæ iustè vel iniustè diliguntur, Dei debet intelligi sanctitudo.*

Philip. Abb. de obed. cler. cap. 29.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS V.

VLG. Dixitque ad pueros suos, expectate hîc cum asino, ego & puer illuc properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.

Sep. Sedete hic cum asino, ego autem & paruulus transibimus vsque illuc.

Cald. Ego autem & puer accedemus vsque illuc.

Arias. Sedete vobis hîc cum asino, ego & puer ibimus.

CONCORDIA.

ישב Iasab est habitare, sedere, manere, imo & quiescere, quia quidam conferunt cum שבת Sabat quod cessationem motus significat.

EXPOSITIO.

Dixit ad pueros suos, scilicet quos secum duxerat, *expectate hic cum asino*, ne quid acturus esset, inspicerent, *ego & puer*, nomine pueri vocat, quamuis secundum plurimos vigesimum quintum annum attigerat, quia secundum sacri textus consuetudinem, filii etiam si sint ætatis perfectæ, pueri respectu patrum dicuntur, *illuc vsque properantes*, scilicet ad huius montis summitatem, *postquam adorauerimus*, scilicet Deum cultu latriæ, *reuertemur ad vos*, scilicet vita comite, aut si Deus voluerit: sic enim verba Abrahæ sunt intelligenda, nec eis aliqua subest falsitas, quamuis Canus mendacium licet leuissimum in eis asserat, sed tantum Patriarcham ab eo etiam in conceptuum formatione vendicabimus.

Canus l. de locis Theol. c. 4.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Diuinissimæ Trinitatis vel adumbratio fundamentum est humanæ fœlicitatis.

104. *Ego & puer postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*, è domo discedis filium iugulaturus, nihilque toto itinere aliud cogitas, quàm pueri iugulationem: quomodo igitur modò pueri incolumitatem & salutem auspicaris, cùm ais, egò & puer reuertemur ad vos? vnde hoc auspicium potuit oriri? vnde iugulandi Isaaci incolumis reditus potuit venire in mentem patris? reuoca in memoriam præcedentem versum, nimirum tertio die eleuatis oculis, &c. ex Augustino autem diximus, per hunc numerum Ternarium adumbrari Trinitatem, ergo vbi diuinissimæ trinitatis incipit effulgere adumbratio, auspicium incolumitatis & prosperitatis non potuit non dari: ad hæc D. Chrys. hom. in illud Pauli, cùm autem subiecta fuerint ei: sic loquitur, *omnes dies fiunt, & tres seruiunt mysterio, qui illi tres? accipe, Isaac dicit, quem dilexisti filium tuum vnigenitum, & vade in vnum montium, ambulauit Abraham tres dies, & tres noctes, vt simul mysterium monstraret, sic enim quasi à morte virtutem accepit Isaac.* vbi diuinissimi ternarii adumbratur mysterium, iam non casum, iam non mortem Isaaci cogitat, sed illum incipit suscipere quasi à morte liberatum.

D. Chrys. hom. in illud Pauli cum autem subiecta fuerint ei.

Qui suas virtutes ab hominum oculis abscondit magnus efficitur.

105. *Ego & puer reuertemur ad vos*, iussit tibi Deus vt in holocaustum filium offeras, quomodo igitur asseris eum tecum ad famulos tuos reuersurum? inspice quid suis dixerit domesticis, expectate hîc, quibus verbis eximium opus obedientiæ Deo exhibiturus, nihil magis studet quàm tantum facinus vel ipsis domesticis celare: quid mirum igitur Abraham prophetasse cum ait, reuertemur ad vos? quia qui in virtutibus suis ab hominum oculis se submouet, maxima à Deo dona consequitur: fauet Chrys. *filium tuum mactaturus pergis, & ais reuertemur? dum pueros studet celare, Propheta efficitur*, adeo gratus est Deo, qui suas virtutes ab hominum oculis celare procurat.

S. Chrysost.

Qui cæcam exhibet obedientiam, perfectam rerum consequitur intelligentiam.

106. *Ego & puer reuertemur ad vos*, nonne solus decreueras redire ad famulos immolato filio? quomodo igitur præuides eum tecum reuersurum? nota Abraham cæcam Deo exhibuisse obedientiam, cùm ab eo filii immolandi præceptum accepit, non enim ab eo inquisiuit, qua de causa, quem ob finem id præcipiebat, cum semen suum in ipso Isaac benedicendum fuerat pollicitus? æquum est igitur vt qui cum quadam cæcitate Deo obtemperauerat, cognitionem, regressus filii acciperet, cæcus enim quamuis loqueretur ex obedientia illustratus euasit, nam vt bene D. Amb. lib. 1. de Abraham c. 8. *prophetauit quod ignorabat ipse solus disponebat redire immolato filio, sed Dominus per os eius loquutus est quod parabat*, quò enim obedientes profundiores in tenebras se immergunt, captiuantes intellectum in obsequium non solum fidei, sed etiam obedientiæ, eò apertiùs in lumen non solum naturalis intelligentiæ, sed etiam Propheticæ diuinitus educuntur.

Ambros.

Ita Dei promissis confidere debemus vt quamuis non adimpleri posse videantur, credamus tamen esse infallibilia.

107. *Ego & puer reuertemur ad te*, quid ô Abraham fingis? das verba famulis? quomodo cum puero reuerteris, si puerum sacrificaturus discedis? non fingo, inquit Abraham, sed perseuero fundatus in Dei promissis, omnino ac infallibiliter cum puero reuertar in spe contra spem, arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus: merito igitur inuenitur Saluian. lib. 2. ad Eccles. in Deo parum fidentes, *ô miseria! inquit, ô peruersitas! homini ab homine creditur, & non creditur Deo! hominis promissionibus spes commodatur, Deo negatur, omnia in rebus humanis spes futurorum agunt, ideo terris frumenta credimus, &c. totum inter homines spe agitur, solus Deus est, de quo desperatur: cùmque elementa ipsa & naturam totius mundi Dominus noster fidelem fecerit, illi tantum prope ab hominibus non creditur qui solus omnibus fecit, vt rebus omnibus crederetur.*

Saluian lib 2 ad Eccles.

Maiores superandæ sunt difficultates præcepti diuini.

108. *Ego & puer properantes*, D. Amb. legit, pertransibimus, quomodo pertransibis locum à Deo tibi assignatum? verus enim obediens nihil eorum quæ sibi iussa fuerunt, omittere debet: non significat Abraham vltra locum immolationis transiturum: sed difficultates quæ in tam ardui executione præcepti reperientur, superaturum: sic Amb. lib. 1. c. 8. *demonstrat quod non deficeret in tanto apparatu pater, non cederet filius aut quia pertransirent pietatis remedio tanti facinoris austeritatem.*

Aliqui futura prædicunt nescientes, sed moti à Spiritu sancto.

109. *Ego & puer reuertemur ad vos*, mentem tuam, ô sancte

sanctę Patriarcha non capio, nonne præcepit tibi Deus filiū in holocaustū offerre? nonne eodē teneris efficaci desiderio? quomodo ergo te cum eo reuersurum asseris? quia motus à Spiritu sancto, quamuis futurum nesciens, prædixit, hoc Prophetice dixit (inquit Lyra) *non tamen aduertens quod diceret, non enim intendebat quod Isaac reuerteretur cum eo*, sed dices, ergo mendacium admisit cùm contra mentem loquutus fuerit, sed facilis est solutio, scilicet cum qui mouetur à Spiritu sancto non esse sui iuris, & sic non potest mendax censeri cùm non possit aliter verba proferre, vt patet ex cap. 22. Numer. si dederit mihi Balach omnem domum suam plenam auri & argenti, non potero immutare verbum Dei mei, vt plus minusue dicam, inquiebat Balaam.

Nic. et Lyra.

Num 22.

Domini arcana non aperienda seruis suis.

110. *Ego & puer reuertemur ad vos*, quod vtique dixit firmiter credens eum postea posse suscitari, per quem deinde multiplicatio generis sicut Deus promiserat, fieri deberet: sed si tantæ fidei erat vt Isaac crederet à morte ad vitam reuocandum, cur id domesticis suis non aperuit, vt Deum omnipotentem magnificarent? *quia secreta* (inquit Hugo Card.) *non sunt seruis committenda iuxta illud Pectoris arcanum non est committere sanum, Ramus seruorum, quia fictile pectus eorum.*

Hugo Card.

Vbi de Dei obsequio agitur cedant omnes sanguinis affectus.

111. *Ego & puer reuertemur ad vos*, an è memoria tibi Isaac excidit? si autem ex nimia tui animi turbatione illum ignoras non potuit in mentem non venisse, quod filius tuus esset vnigenitus, dic ergo ego & filius meus ad vos reuertemur? merito nomen & Isaac & filii quasi ignorans, prætermittit, & solum pueri communi vocat appellatione, quia cum de Dei obsequio agitur, cedant omnes sanguinis carnisque respectus necesse est, quod obseruauit Procopius, *Abrahamus quem fidei perfectio abalienauerat, & quasi à statu mentis dimouerat, non filium, quod suus esset filius, agnouit, nec se patrem esse commeminit.*

Procop.

Spes certa resurrectionis lenit dolorem quo in alicuius morte angeremur.

112. *Ego & puer illuc vsque properantes*, an sine lachrymis famulos nunquam filium tuum charissimum visuros, alloqueris? an sine fletu pignus amantissimum ad locum sacrificii deducere potes? imo lætus & hilaris montem conscendit, vnde hæc oritur lætitia? vnde hoc gaudium nascitur? sine dubio ex spe filii sui resurrectionis, quæ maxime lenit dolorem, quo in alicuius nobis dilecti dolore cruciaremur: quod non obscurè D. Pauli. Episc. 35. obseruat, *Dauid dilectum filium* (primum scilicet ex ea quæ fuit Vriæ) *quem fleuerat ægrotantem, non fleuit amissum, certus infantem ad pacis æternæ beata translatum*, adde & resurrecturum.

D. Paulinus Epist. 35.

De aliis ne peruersè iudicemus.

113. *Ego & puer meus reuertemur ad vos*, dices mentitum fuisse Abraham, cum contra mentem suam loquutus fuerit, sed peruersè iudicas, in hoc enim quod mendacium existimas, prophetiam reperies, quod satis subtiliter S. Ephrem serm. de Iona Propheta declarat dicens, *consulte Abraham ad pueros suos dixit vbi in montem ascenderimus ad vos reuertemur, nam cum putaretur mentiri prophetauit*: expende vltima verba quibus significare videtur, quamuis in proximis aliquid quod peruersum videatur, inspexerimus, non tamen malum esse iudicemus, cum pluries in iudicio nostro decipiamur, ecce enim sermones Patriarchæ mendaces videntur, nihilominus prædictio & Prophetia sunt.

S. Ephrem sermone de Iona Propheta.

Patres filios consolentur afflictos.

114. *Ego & puer reuertemur ad vos*, nescio quo animo hunc promiserit reditum? aduerte Isaacum ligna in holocaustum deferentem, nulla alia comparente victima, potuisse timore percelli, nec non maximo affici dolore: cur igitur non dicemus hunc pollicitum fuisse regressum, licet prophetice, vt filium in animi afflictione positum, spe redeundi consolaretur? mens est D. Ephrem serm. de pœnit. Niniuit. *Abraham suum cupiens consolari filium Isaac innuitus prophetat.*

Cit. Ephrem serm. de pœnitētia Niniuitarum.

Nihil ita Deum ad compassionem prouocat, quàm patrum compassio erga filios.

115. *Ego & puer reuertemur ad vos*, nonne sufficiebat dixisse, hîc expectate, sine aliorum additione verborum? non enim tenebatur rationem reddere, cur montem conscendebat, & quando reuersurus esset: cur igitur hæc, *ego & puer meus* coniunxit? nota hæc verba maximam patris cum Isaac denotare vnionem animi: ac si diceret, ego & filius meus charissimus, senectutis meæ baculus, &c. quo posito, quomodo ilico coniunxit reuertemur? dicimus à Spiritu sancto motum hoc protulisse, sed cur prolatis ego & puer voluit Deus vt Isaaci sui regressum polliceretur? nonne diximus hunc sermonem summum erga Isaaci affectum denotare? quid mirum igitur Deum inspirasse Patriarchæ regressum & filii sui incolumitatem? nihil enim ita Deum prouocat ad misericordiam quàm patrum erga filios amor, & compassio.

Solus homo superior montem perfectionis conscendat, vt se totum Deo offerat.

116. *Expectate hîc cùm asino*, si à loco Bersabee detulit ligna vsque ad montis radicem, cur etiam simul cum Isaac verticem illius non conscendit? ait Ioānes Raulin. asinus, est homo bestialis, quo posito rectè asinum montem conscendere non permittit, *quia solus homo superior* (inquit ille) *cum filio id est mente in arcana & in sancta sanctorum ascendere debet, offerens ibi holocaustum, id est seipsum totum Deo resignans dedensque.*

Ioann. Raulin. serm. de exalt. S. Crucis.

Cùm aliquod bonum opus exequi maturè statuimus, nulli aperiamus, ne reuocet à bono proposito.

117. *Expectate hic cùm asino*, imo comites fiant itineris tui, vt si forte Isaac animo deficiat in deferendis lignis holocausti, in montis ascensu, eū subleuent ab onere: nota quod hi famuli Patriarchæ persuasissent à filii iugulo abstinere, si cum victimam futuram resciissent: prudenter igitur eos ad radices montis iubet expectare, nihil eis aperiens, cùm enim aliquod bonum opus maturè consideratum exequi statuimus, celandum est, ne à pio reuo-

cemur proposito: mens est D. Amb. dicentis, *ne cognito negotio aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet*, ideo suum eis intentum non aperuit.

D. Amb. lib. de Abraham.

Carnaliter viuentes non percipiunt humilitatem esse altissimam.

118. *Expectate hic cum asino*, iuuenes qui montem non conscenderunt (inquit S. Antonius de Padua infra octauam Natiuitatis Domini) sunt carnales affectus, qui expectant cum asinino torpore & tarditate: Damianus autem ser. de Inuentione sanctæ Crucis ait, *seruos illos significare Iudæos seruiliter sapientes, & carnaliter viuentes*: sed quomodo montem non conscenderunt? aduerte ex eodem Damiano, per hunc montem intelligi altissimã Christi humilitatẽ: quid mirũ igitur non ascendisse? carnaliter enim viuentes, humilitatem contemnunt, existimantes esse vilissimam & abiectissimam, cùm sit eminentissima & altissima.

S. Anton. Paduanus ser. infra octauam Natiuitatis.

Dam. serm. de Inuentione sãctæ Crucis.

Si Iudæi in Christum non crediderunt, eorum negligentiæ tribuendum.

119. *Expectate hic cum asino*, non est dubium per asinum, vel vt legit Aug. asinam, synagogam denotari, duos autem pueros typum Iudæorum habuisse, qui pro eo quod inquit cit. doct. ser. 71. de temp. in Christo non erant credituri, ideo ad locum vbi immolandus erat, ascendere aut peruenire non poterant: sed cur, ô Augustine, Christo Domino non sunt credituri? nonne præcipue eorum saluti inuigilauit, & ad fidem suam miraculis & aliis beneficiis allexit & prouocauit? quomodo ergo in eum non erant creditur? respondet cit. Aug. *asinina tarditate*, quasi diceret non Christo Domino tribuenda est eorum incredulitas, sed suæ negligentiæ.

S. August. serm. 71 de temp.

Qui in Christum Dominum non credit, stare non potest.

120. *Expectate hic cum asino*, sep. legunt sedete hic cum asina, num asinam illam sedere fecit? cur igitur cum illa eos iubet sedere? nonne conuenientius fuisset eos expectantes stare tanquam diligentes famulos? aduerte à nobis dictum per asinam, & illos iuuenes synagogam & populum Iudæorum denotari: quo posito sedere fecit, quia Iudæorum populus, qui in Christum crediturus non erat, stare non poterat, sed vt debilis languidusque, qui baiulum crucis despexerat in terram casurus erat.

Solet Deus omnia illius hominis verba adimplere, qui scit sua etiam adimplere verba.

121. *Expectate hic, postquam adorauerimus reuertemur ad vos*, hæc dicit, existimãs filium mactare iuxta Domini præceptum, & postea ad seruos redire, sed vbi montem conscendit, in altari cõstructo filium aptauit, holocausto ignem parauit, gladium strinxit, tunc Deus virum cohibens, liberat puerum & satagit vt pater & filius redeant simul ad seruos, vt senex antea promiserat, qua de causa non vult executioni mandari quod promiserat? quia cùm bonus senex curauerat omnia Dei verba perfectissimè adimplere, æquum erat quod Deus etiam impleret omnia verba senis: fauet Chryso. *opere impleri congruit quæ dicta sunt & pueris tuis, illis enim promisisti cum adorauerimus redibimus.*

S. Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VI.

VVLG. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, ipse vero portabat in manibus ignem & gladium, cumque duo pergerent simul.

Sep. Sumpsit ligna holocausti, & imposuit Isaac filio suo, sumpsit autem in manibus ignem & gladium.

Pagni. Et accepit.

CONCORDIA.

לקח Lakah tulit, cœpit, sumpsit, abstulit, significat.

EXPOSITIO.

TVlit quoque ligna holocausti, id est ligna quæ ducebantur ad huiusmodi sacrificium peragendum, & deferebantur ab asino, ipsemet ab eo accepit, *& imposuit super Isaac filium suum*, qui iam forte vigesimum quintũ annum attigerat, sicque ea facilius quàm pater deferre poterat, *ipse vero portabat ignem & gladium*, in vna enim manuum ignẽ ad cõburendum filii corpus, in altera autem gladium, quo eum tãquam victimam iugulare deberet, deferebat: *cumque duo pergerent simul*, scilicet in montis ascensu.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Quod libenter in Dei obsequium impendimus, quamuis sit onerosum, nobis tamen leuissimũ est.

122. IMposuit super Isaac ligna holocausti, nonne ipsis comburendus erat? nonne in se erant grauissima & onerosa? si quidem ad ea deferenda asinus necessarius censebatur, quomodo igitur non conqueritur de eorum onere? non grauatur pondere? imo celeriter montem conscendit, quia quæ libenter in Dei obsequium impendimus, quamuis in se difficilia & onerosa, tamen leuissima videntur: *ligna*, inquit Philo Iudæ. lib. de Abraham, *ferenda dedit filio, æquum censens, vt ipsa victima deportaret res quas postulabat sacrificium leuissimam sarcinam, nihil est enim pietate grauius, nihil magis industrium*, vbi expende illud, *leuissimam sarcinam*, quasi

Philo Iudæus lib. de Abrah.

quasi illa grauatos non redderet humeros, sed alatos, à cursu non impediret, sed ad volatum excitaret.

Amanti Deum nihil difficile.

124. *Tulit ligna holocausti & imposuit Isaac filio suo*, nonne iam annum plusquam centesimum vigesimũ quartum ætatis tuæ annum excedis? quomodo ergo ligna onerosa accipere potuisti, & in humeros filii detulisti? sed licet vires tibi ad illud peragendum essent sufficientissimæ, quomodo tibi non defecit animus, & præ dolore animam non exhalasti? quia Deũ amanti nihil omnino difficile, quod confirmat Card. Bellarm. qui postquã ostendit quãta mundano amore rerum terrestriũ ducti possint, & exequantur omnia etiam difficillima, sibi facillima reputantes, ait *omittam de amatoribus fœminarum & aliarum sordium dicere, aspicite sanctos homines & amore diuinæ pulchritudinis vehementer incensos, omnes ita rapiuntur ab hoc amore, vt martyria, verbera, cruces, ignominias ita quærerent, vt aurum, ac gemmas, ac lapides pretiosos mercatores quærunt?* sed expressius D. Basil. *afflictionẽ perimebat affectio nec non pietatis contentiosæ mum, omniaque palam ardoris in Deum inflammatio cedebant*, en quomodo Deum verè diligentibus nihil arduum & difficile?

Card. Bellar. in Dominica Passionis

Basil. Seleu oratione 7.

Mysteria fidei nostræ creditu difficillima, iam antea præfigurata, vt deinde facilius admitti potuissent.

125. *Tulit ligna holocausti & imposuit Isaac filio suo*, diximus Isaac ligna ferentem quibus ipsemet in holocaustum cremaretur, typum fuisse Christi Domini, lignum crucis suis in qua spiritum emissurus esset, humeris baiulantis, sed cur Deus voluit hoc mysterium passionis Saluatoris à proprio patre tradití, ante tot sæcula præsignari? nonne maioris fidei nostræ fuisset argumentum si nihil præcessisset, quo nobis hæc veritas præfiguraretur? aduerte hoc mysterium Iudæis scandalum, gentibus autem stultitiam: prudenter igitur Deus mysterium Dei hominis crucifixi tanquam arduum ac difficile creditu, multo ante voluit præsignari, vt paulatim figuris ac vaticiniis (mitigata quodammodo illius difficultate) via sterneretur ad ipsius fidem: in quam sententiam ita granitèr scribit Tertul. 1. aduers. Marci c. 18. *vtique vel maximè Sacramentum crucis figurari in prædicatione oportebat, quanto incredibile tanto magis scandalo futurũ, si nude prædicaretur, quantoque magnificum tanto magis obumbrandum, vt difficultas intellectus gratiam Dei quæreret, atque in primis Isaac cum à patre hostia duceretur, & lignum ipse sibi portet, Christi exitum iam tunc denotabat in victimam concessi à patre lignum passionis suæ baiulantis.*

Tertul. 1. aduers. Marcio. c. 18.

Perfectissimi sunt qui quasi contraria promissionibus diuinis conspiciunt, & tamen eis fidem adhibent.

126. *Tulit ligna holocausti & posuit super Isaac.* nõne te mouet filii innocentia, eiusque obedientia, vt non humeris eius imponas ligna quibus comburatur? verum ex duobus aut ab eius immolatione abstine, aut promissis Dei diffide, nonne Israëlitæ quamuis plures accepissent se libertatem consecuturos, viso tamen Pharaone Ægyptiorum rege eos insequente, omnem spem salutis abiecerunt? nonne Christus Dominus discipulis pollicitus fuerat tertio die resurrecturum? ecce tamen fidem non adhibent, ita vt dicerent ecce nos sperabamus? quomodo diffidũt Israelitæ? quomodo non sperant discipuli? nisi quia quasi contraria diuinis promissionibus conspiciunt: cur igitur ô Abraham omnem spem posteritatis habendæ non abiicis, cum iam ligna humeris eius imponis vt in holocaustum offeratur? quia solius perfecti est viri qualis erat Abraham, fidem adhibere Dei promissis, cum eis quasi contraria contingere videntur.

Christus suam crucem inter duos latrones baiulaturus figuratur.

127. *Imposuit super Isaac filium suum*, nonne sunt tecum duo iuuenes, ex famulis tuis? potiori ratione igitur ligna deferre debent, montemque cum eis cõscendere, & Isaac ab hoc onere subleuari: aduerte per Isaac Christum Dominum designari: merito igitur non iuuenes, sed solus Isaac, ligna holocausti defert; quia Christus Dominus solus inter duos latrones crucem suam figuratur baiulaturus, *consecratur*, inquit D. Amb. l. 1. de Abr. c. 8. *cõsecratur sacris hostia mysteriis, & commendatur futura, quæ pietatis hostia pri ante ministerii vectura est, ligna Isaac sibi vexit, Christus sibi patibulum crucis portauit.*

Amb. l. de Abr. c. 8.

Spes futuri euentus certissimi non tollit meritum obedientiæ difficillimæ.

128. *Imposuit ligna super Isaac*, magnitudinem animi Patriarchæ miraberis, cuius manus non contremiscit in tactu lignorum, quibus in cinerem redigẽdus est filius, sed dices, virtus eius tanta non est admiratione digna, sperat enim Deum ad vitam reuocaturum charissimum pignus, sicque non est adeo eximia virtus eius & obedientia; sicque enim tenet Caiet, quod si cum pergeret Abraham ad Isaac immolationem, credidit illico resurrecturum, non adeo magnifaciendam esse eius obedientiam: sed aduerte quæso duo in Abraham maximè meritoria fuisse, scilicet fidem implendæ promissionis in filio, & dolorem, nec non anxietatem in illius morte: dico igitur licet crederet esse suscitandũ, tamen non poterat, nõ dolere in illius interitu, sicque spes futuri euẽtus certissimi scilicet resurrectionis filii, meritum obedientiæ difficillimæ non tollebat: quod confirmat D. Bernard. teste Hugo Card. contra quosdam dicentes, beatam Virginem non doluisse in morte Christi filii sui, quia certissimè sciebat tertia die resurrecturũ, ait autem, *tu homo abundans in sapientia, vt non mirereris filium Dei in corpore patientem, & mireris matrem suam in corpore compatientem: sed nunquid resuscitandum credebat? vtique & fideliter nunquid ergo dolebat? vtique scilicet vehementer.*

Bernard.

Præmium obedientium à Christo Domino acceptũ in Isaac præfiguratur.

129. *Imposuit super Isaac filium suum, ligna holocausti*, quid Isaac ipse sibi ad immolandum ligna detulit? in hoc Christum Dominum significauit, qui ad locum passionis crucẽ ipse portauit, de quo Propheta Isay c. 9. & erit principatus super humerum eius, *tunc enim*, inquit August. Sermone 71. de tempore, *principatum habuit super humerum, quando crucem suam admirabili humilitate portauit factus obediens patri vsque ad mortem crucis*: sed non prætereamus hic quod Aug. locum hunc ex Isayæ vaticinio confirmarit & illustrarit, qui cum illa & in illa lignea cruce impositum Christo in Isaac puero significato principatum asserat, verum quid habet commune lignum holocausti cum dominio, sicut & lignum crucis cum principatu? lignum tum holocausti in Isaac,

Aug. Serm. 71. de tempore.

tum crucis in Christo Domino vtriusque interitum designat, à quo longè est principatus & dominium vtriusque: sed cuncta attentè considerentur illius typicæ obedientiæ Isaac non assimile fuit pretium in vtroque, quasi enim cum lignis illis puero Isaac à patre impositis, principatum accepisset impositum, dictum fuit à Deo quia fecisti rem hanc, possidebit semē tuum (scilicet hoc ipsum lignis onustum, quod immolare paratus eras) portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo, velut in capite & principe suo omnes gentes terræ: quod igitur tunc in illa obedientia significatum fuit, hoc in Christo completum est, qui cruce à patre accepta, factus illi obediens vsque ad mortem, tanquam verus, legitimus ac generosus patris filius, paternum principatum promeruit, & in ligno illo filialis obedientiæ argumento, regni sceptrum accepit, ibi sane, vbi se obedientem filium patri exhibuit.

Amor Dei omnem patrum in filios etiam ardentissimum superet.

130. *Ipse portabat in manibus ignem*, ô animæ fortitudinem! ô Spiritus soliditatem! qualibus oculis spectabat puerum ligna afferentē, super quæ deinde in cinerem redigendus erat, igne apposito propriis suis manibus? quomodo igitur patris affectus commiseratione non ducitur in filium, ita vt ignem extinguat, ligna deponat, filiumque reducat? quia alius longè vehementior affectus in Deum ei dominabatur, quemlibet alium superans, quod annotauit Chrysost. dicens, *manus quidem ferebat ignem qui sensibilis erat ipsius autem intus mentem accendebat, & rationem assumebat, & persuadebat vt vinceret amor in Deum.*

Chrysost.

A seruorum fastu abstinendum.

131. *Ipse vero portabat ignem & gladium*, quot tibi sunt famuli quorum ministerio, ad ea quæ sacrificio necessaria, vti potes? quomodo igitur ipsemet ignem & gladium, Isaac autem defert holocausti ligna? sine dubio vt nobis viri frugalitas exprimeretur, qui filio tanquam seruo vteretur, & ipse ministerium serui adimpleret, vt nobis seruorum fastum vitandum declararet, quem grauiter damnat D. Chrysost. Hom. 40. in priorem ad Corinth. quot inquit familiares, tot heri, herum vnum vno seruo cōtentum esse decebat, uno vno seruo tres heros eos reputa, qui nullum omnino habent, & ministerio tamen expeditiore coluntur: sic enim comparauit nos Deus vt sibi quisque minister idoneus esse posset, quin etiam proximo, dubitas? Paulum igitur audi, necessitatibus meis inquit, & eorum qui mecum sunt ministrauerunt manus meæ.

S Chrys. Hom. 40 in 1 ad Corinth.

Zelus eorum qui montem religionis conscendunt sine prudentia, errat.

132. *Ipse vero portabat ignem & gladium*, scilicet cum mōtem conscenderet, quo religio propter perfectionem vitæ significari potest, sed cur ignem & gladium manibus præfert? Hugo Cardin. ait, *ignis & gladius, Zelus & discretio*, sed nonne sufficiebat gladium deferre, sine igne, vel è contra? minimè inquit cit. Auctor. *quia si solus Zelus est, errat; si scientia sola est, inflat.*

Hugo. Card.

Quamuis Deus mortales diligat, inultum non vult eorum esse peccatum.

133. *Ipse vero portabat ignem & gladium*, pluries diximus per Abraham Deum patrem denotari: sed quomodo de eo verificari potest, quod ignem & gladium, cum suis humeris verus Isaac lignum crucis baiulabat, ipse deferebat? aduerte quod per ignē ardor amoris illius, per gladium rigor iustitiæ intelligi debet: verū quomodo inest & amoris ardor iustitiæ rigor cū sibi cōtradicere videntur respectu eiusdē personæ & obiecti? cōpatiuntur optimè, quia licet Deus mortale genus humanum diligat, ecce ardor amoris, peccatum eius non patitur esse inultum; ecce rigor iustitiæ. Fauet Diony. Carth. *pater æternus gladium & ignem portauit in manibus, hoc est in omnipotentia est esse acta sua, habebat enim tantam ad homines charitatem tantum quoque iustitiæ Zelum contra eorum iniquitates, quod vnigenitum suum dedit ad patiendum vt nec genus periret humanum, nec peccatum maneret inultum.*

Dionys. Carth.

Pater Christum Dominum ad crucem subleuandam comitatur.

134. *Cumque duo pergerent simul*, nonne vt tanto dolore non angeretur Abraham, foret conuenientius vt obiectum compassionis suæ & tristitiæ à se amoueret? sicque Isaac solum conscendere iuberet, postea ascensurus? si per Isaac Christus Saluator, per Abraham Pater æternus denotatur: merito vterque simul montem conscendit, vt significaretur redemptor non à patre derelictus, cùm ad montem Caluariæ pergeret, sed quod eius semper societatem habuerit *Abraham* (inquit Ambros. *comitabatur filiū pater Christum, non Isaac solus, nec Iesus solus, denique ait solum me relinquetis, & non sum solus, quia pater mecum est.*

Amb lib. de Abrahæ.

Cùm montem orationis conscendimus, omnes affectus humanos repellamus.

135. *Cumque duo pergerent simul*, scilicet montem conscendentes, vbinam serui, vt vnus ligna, alius autem ignem & gladium deferat? vbi vxor Abraham? cur eam tecum non adducis? aduerte per montem quem conscendit Patriarcha, locum orationis designari, & per vxorem & seruos affectus carnis, & seruiles: merito igitur derelictis seruis, & vxore, solus simul cum Isaac conscendit, quia cùm montem orationis petimus, omnes affectus humanos abiicere & repellere debemus, *ne sinas*, inquit Chrysost. *quicquā humanarum cogitationum animam tuam tunc occupare, subeat in mentem Abrahamum, cum sacrificium offerret, non vxori, non seruo, non alii cuiquam, vt adesset permisisse: eodem modo tu quoque minimè sinas vt seruilis vllus & illiberalis affectus tibi adsit, sed solus in montem ascende ad quem ille ascendit, & ad quem nefas est alium quemquam ascendere, quod si quæ huiusmodi cogitationes vnà conscendere conentur, impera eis cum authoritate, ac dic, sedete hic, ego autem & filius postquam adorauerimus, reuertemur.*

S. Chrysost.

Diabolus etiam innocentissimos spe decipiendi tentat.

136. *Cumque duo pergerent simul*, cum semper Diabolus ab operum bonorum executione auertere satagat, & à sincero amouere instituto, ecce enim primos homines quasi vtilia consulens fefellit, contra beatum Iob Deum etiam ipsum prouocauit, patres illos priscos & ad adorandum vitulum mendaciis pertraxit, Dauidem ad numerandum populum concitauit &c. an nunc ita diuinæ conformis voluntati, hominisque iustissimi amicus, vt opus eximiæ erga Deum charitatis exequi properantis, & simul cum Isaac obedientissimo pergentis, impedire non conetur? quis dubitat? ita enim virtutis inimicus, vt etiā innocen-

innocentissimum Isaac, qui insidias eius non ita cognitas habebat, sicut Abraham, tentatione grauissima appeterit, persuadereque nisus fuerit patrem suum crudelitate vel insania ductum sibi vitam adimere velle: sic enim ipsimet Iudæi in lib. tel amedenu מרש ילי fatentur, dixit inquiunt, R. Iohanam, *cum ipsi simul pergerent, venit Sathan, stetitque ad dexterã Isaac, & ait ei, quot afflictionibus afflicta est mater tua, antequam ei aduenires senex iste insanit, & idcirco vadit ad immolandum & dilaniandum te.*

Hebræ.

Nil citius à cruce Domini prodiit quàm vitæ auspicium.

137. *Cumque duo pergerent simul*, Isaac nempe ferens ligna holocausti, (quo facto designatur Christus Dominus, crucem suam baiulans) & imposuit super Isaac filium suum: nonne dixeras antea famulis te cum filio ad eos reuersurum; quæ regressus filii tibi spes potest remanere? ecce ligna holocausti crucis symbolum, benedicit filiũ incolumẽ reuersurum, nihil enim citius à crucis Dominicæ ligno prodire potest quam fecundissimæ vitæ mysterium: pro quo sapienter dicebat Iulius Firmicus Maternus, l. de errore prophanæ relig. c. 28. *diuini ac liberantis ligni ordinem disce, de cataclysmo humanum genus arca lignea liberauit: deinde Abraham, ligna vnici filii humeris imponit &c.* deinde concludit, *lignum crucis cœli sustinet machinam, terræ fundamenta corroborat, affines sibi homines ducit ad vitam.*

Iulius Firmicus l. de errore prophanæ relig.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII.

VVLG. Dixit Isaac patri suo pater mi: at ille respondit; quid vis fili, ecce inquit ignis & ligna, vbi est victima holocausti?

Sept. Vbi est ouis in holocaustum?

Cald. Vbi est agnus in holocaustum?

Arias. Ecce ego fili mi, & dixit vbi agnus in holocaustum?

Caiet. Vbi est pecus?

CONCORDIA.

שה Sche pecudem paruam significat, vt comprehendit arietem & agnum, vnde aliqui verterunt ouem & agnum, noster autem Vulg. communiori vocabulo victimam dixit.

EXPOSITIO.

Dixit Isaac patri suo, cum omnia præter victimã ad holocaustum necessaria, scilicet ligna, gladium, & ignem intueretur Isaac, à patre sciscitatur, *vbinam victima sit*, cuius nomine forte agnum intelligebat, quia solebat Abraham huiusmodi animal innocens præ aliis in holocaustum offerre.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Obedientiæ Dei cedat quilibet amor.

Pater mi dixit Isaac, sufficiebat hoc verbum, inquit D. Chrysost. ad lãcinanda huius iusti viscera, & Orig. & hæc pro tempore à filio prolata tentationis vox est, quomodo enim putas, immolandus filius per hanc vocem viscera paterna concussit? quomodo non superatur à tentatione ita periculosa Patriarchæ animus? quomodo pectus à filio, patris nomine non emollitur, ita vt à iugulo filii abstineat? quia obedientiæ Dei quilibet amor etiam cedere debet, *dicebat*, inquit D. Amb. lib. 1. off. cap. 25. *hostiam pater, interrogabat filius, tentabatur affectus patrius, sed non vincebatur, repetebat filius appellationem paternam, compungebat paterna viscera, sed non minuebat deuotionem, tenebat iustus & pietatis modum & ordinem iustitiæ.*

Amb. l. 1. off c. 25.

Filii bonis moribus præditi mors dolorem patri non potuit non incutere.

139. *Pater mi, ecce ignis & ligna, vbi victima?* quanta agitatur mens iusti tentatione, cum filius nomen patris profert, & ab eo futuram holocausti victimam requirit? D. Chrysost. ait, ipse maximum habuit dolorem verba illa in animo versans, sed quænam doloris tam intensi radix & origo? nonne Dei præceptum cui conformari tenebatur, vrgebat? dolorem ergo deponat, imo retineat, filii enim bonis moribus præditi mors imminens, non potest nõ graui tristitia patris animum afficere: sic Chrysost. *Ipse tulit grauiorem dolorem cogitans pueri internam pulchritudinem, obedientiam, ac gratiam.*

S. Chrysost.

Timor Dei quemlibet affectum superat humanum.

140. *Pater mi, qui respondit fili &c.* pulsatur pietatis vocabulis patris affectus, & fluctibus quibusdam hinc atque inde tunditur, filius vocat patrem, pater dicit, fili, vt ipso verborum sono recognoscat pater, quam impossibile est vt ferire possit, cuius vulneri se subiicere optaret, hæc nomina vitæ solent operari gratiam non ministerium necis, & hæc vocabula incitare ad pietatem non ad mortem solent: quomodo igitur manus eius ab immolatione filii nõ se continet? quomodo ad locum in quo famuli fuerant relicti, non reducit? itane ferreus, vt omnem affectum humanum exuerit? non exuit equidem, nam erga omnes etiam incognitos summè humanus, quanto magis erga filium, sed ideo immolationis eius præceptum iniunctum perficit, quia timor Dei quem summopere reuerebatur, quemlibet alium superat affectum: *vt placeres Deo*, inquit D. Cyprianus, *amittere filium non metuis, qui filium non putes lege & sorte mortalitatis amittere, quid faceres si filiũ iuberetis occidere? ad omnia paratũ facere timor Dei & fides debet,*

D. Cyprian. l. de mortalitate.

Deus vt suorum magis fiant notæ virtutes solicitus satagit.

141. *Pater mi, &c.* si horum teneritudine verborum magis exulceratur Patriarchæ animus, cur Deus ad eorum prolationem Isaacum prouocauit? nonne silens in holocaustum offerri poterat? aduerte quo plura in exequendo aliquo præcepto reperiuntur obstacula, eo excellentiorem apparere obedientiam: non sine prouidentia Dei igitur ab Isaac hæc verba animum Abrahæ exulcerantia, prolata sunt, sed vt magis obedientia eius fieret omnibus deinde manifesta: *hoc factum est*, inquit noster Lyranus, *vt verba pietatis cõmouentia visceta paterna dicerentur à filio vt magis declaretur obedientia Abrahæ, qui ex hoc non fuit ab obedientia reuocatus.*

Noster Lyran.

Ita in exequendis Dei præceptis etiam difficillimus læti esse debemus vt quasi à nobis alieni esse videamur.

142. *Pater mi vbi est holocausti victima?* ad quid hoc Isaac requiris? an tibi persuades è memoria excidisse quod magis requiritur ad holocaustum? ecce ignem & gladium præfert manibus, & victimæ mentem eius cepisset obliuio? non immerito à patre requirit vbinam esset victima, ita enim in adimplendo Dei præcepto alacrem conspicit, vt præ nimia animi lætitia existimasset non de ea cogitasse: sic fatetur D. Basil. Sel. orat. 7. *iterum patri velut oblito, in memoriam redigit, vide pater ne tua alacritatis celeritudo, rei quæ desit, sensum sustulerit.*

D. Basil. Sel. orat. 7.

Iustorum etiam non ætatis maturæ, maxima est prudentia.

143. *Pater mi vbi est holocausti victima?* qua quæso curiositate teneris? cur studio aliena noscendi duceris? si autem est tibi curæ victima, cur cùm adhuc in radice montis cum duobus famulis pater loquebatur, solum deferens ignem & gladium, victimam nõ postulasti? sic enim facilius reperiretur quã in montis ascensu, quàm in vertice montis solitarii: aduerte secum cogitasse Isaac, quod nisi pater eum conscium ac participem earum rerum quæ gerebatur adhibere voluisset, minimè facturum fuisse vt seruis infra manere iussis, ipsum solum assumeret: prudenter igitur non cùm famuli adessent, sed cum patre solus montem conscenderet, victimam futurã inquirit, vt quanta etiam iuuenis prudentia sit præditus, miremur: *ipsum interrogat*, inquit Chrys. Hom. 4. in Epist. 2. ad Corinth. *cùm iam soli essent, nec quisquam ea quæ dicebantur exaudiret, tanta pueri prudentia erat.*

S. Chrys. Hom. 4. in Epist. 2. ad Corinth.

A mente Dei voluntati conformi manare non possunt nisi verba melliflua.

144. *Pater mi, at ille, fili*, ad quid patrem vocas, qui paulopost pater tuus minimè futurus est, quique iã huius honoris fecit iacturam, sile igitur, & quod mihi iussum est, exequar, victimæ ne sis sollicitus, non est filii arcana patris scrutari: merito lenerè filio nõ respondet, sed benignè & mansuetè dicens, filiũ, quia ab homine voluntati Dei conformi manare nõ possunt nisi dulcissima & melliflua verba, *quæ verborum prudentia*, ait cit. Chrysost. *quæ responsionis mansuetudo? multa venustas in verbis efflorebat, magnaque mellis copia è sermonibus manabat à placida & tranquilla illa anima fluens.*

Cit. Chrys.

Quando magis promissionis diuinæ fallibilitas apparet, tunc iustus infallibiliorem existimat.

145. *Pater mi, at ille, fili.* & paulopost filium adhuc nominat, quod quidem Abrahamo insolitum, ne quidem semel adhuc nomine filii vocauerat, cur igitur cùm iam in holocaustum oblaturus esset, non solùm semel, sed iterum filii nomen pronuntiat? ne eũ quidem semel hoc nomine nuncupare deberet, nam qui iam filium certissimè moriturum credit, tanquã si sibi nullus esset, existimare deberet: prudenter tamen Isaac filium dicit, quia quamuis tunc secundũ humanam rationem promissionis diuinæ fallibilitas appareret, tunc tamen infallibiliorem existimat, filiumque semper habiturum credit, imo multiplicandum: ita D. Ambr. lib. 1. de Abrah. cap. 8. *vocare filium frequenter non timet, ita erat intentionis soliditate fundatus, & hoc sibi in perenne mansurum indicauit, si eum immolaret.*

Amb. l. 1. de Abrah.

Ita Christus Dominus innocens, vt mortem quæ sibi infligatur, qua de causa inflicta sit, ignorare videatur.

146. *Pater vbi est victima holocausti?* Isaac typum Christi Domini pluries diximus gessisse: sed cũ Christus omnium scientiã habuerit, quomodo de eo verificari poterit ignorantia futuræ holocausti victimæ? quia ita innocens, & sine macula, vt suæ passionis causam, & cur in cruce immolandus victima, videatur ignorare, *interrogat*, inquit Lipp. *patrem de victima holocausti, quia quantum ad innocentiam suam ignorare videtur Dominus Iesus cur patiatur, vnde in persona eius dicitur, congregata sunt super me flagella & ignoraui*, nempe secundùm illorum opinionem non veritatem, sic enim Psal. 63. narrauerunt vt absconderent, laqueos, dixerunt quis videbit eos? quasi dicerent, nullus.

Psal. 34.

Psal. 63.

Optimi filii solos parentes minimè relinquant in curis diuini obsequii.

147. *Pater vbi est victima holocausti?* nonne plurimæ erant Abrahamo facultates, maxima armentorum & gregum copia? quomodo ergo nusquam legimus patrẽ vel de pecoribus, vel de seruis, vel de aliqua re familiari interrogasse, sed primam eius vocẽ quam vsquam audiuimus, fuisse de victima holocausti? cur victimæ curam integram, sicut & rerum domesticarum genitori non relinquis? quia optimi filii solos parentes minimè relinquere debent in curis officii diuini: rem ponderans D. Basil. Sel. orat. 7. inquit, *Abraham ignem & gladium manu tractabat, lignisque victimarius Isaacum pulcherrimam victimam aggrauabat, & auxiliatrix sacrificii fuit ipsa victima: simul enim cum patre, Isaac sacrificium faciens & cum genitore curam partitus interrogatione profert, quæ patrium animum exulceret, ecce inquit ignis & ligna, vbi est victima?*

D. Basil. orat. 7.

VARIETAS.

VARIETAS LECTIONVM VERS. VIII.

VVLG. Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi, dixit Abraham: pergebant ergo pariter.

Sept. Deus videbit sibi ouem in holocaustum fili.

Cald. Coram Deo reuelabitur sibi agnus holocaustum fili mi, & abierunt ambo simul.

Caiet. Elohim videbit sibi pecudem & holocaustum.

CONCORDIA.

Licet Hebraica & Septuaginta legant videbit sibi, est enim in Hebræo יראה לו tamen clarius expressit sensum Vulgat. dicens prouidebit sibi victimam, licet in eo aliquid variet nempe victimam in genere cũ sit apud sanctum idioma in specie scilicet השה id est pecus, siue agnus, vel aries.

EXPOSITIO.

Et dixit Abraham, scilicet filio inquirenti victimam holocausti, *prouidebit sibi Dominus*, quod vtique verum asseruit, quia vel ipse Isaac vel aliquod animal Dei prouidentia erat immolandum, *pergebant ergo simul*, scilicet ad locum immolationi destinatum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus ita sui cultus est sollicitus, vt ea prouideat quæ sunt ei necessaria tanquam ex iustitia.

148. *Deus prouidebit sibi victimam*, in Hebræo est Elohim, id est index, cur non protulit nomen Ineffabile Iehoua, cum sit fons & principiũ omnis entis? obserua victimam ad cultũ religionis in holocausto fuisse necessariam: non sine ratione igitur nomen *Elohim* posuit, quia Deus ita sui cultus sollicitus est, vt quasi ex iustitia ea prouideat, quæ sunt ad eum exhibendum necessaria. Caiet. est obseruatio, *nominatur*, inquit, *Deus Elohim ratione iustitiæ distributiuæ, cuius est curam habere eorum quæ ad diuinũ cultum sunt oportuna, ne desint religionem exercentibus.*

Card. Caiet.

Promissa Dei infallibiliter adimplebuntur.

149. *Prouidebit sibi victimam*, si futurus est Isaac victima, cur non respondes sine doli specie filio interroganti, quænam futura sit? nulla est nisi tu charissime, ita certus est de Dei promissis circa ipsiusmet filii posteritatem, vt infallibiliter ea credat adimplenda, sicque aliam hostiam in holocaustum offerendam quamuis solum prophetice id asseruerit; *securus*, inquit D Zeno Serm. 1. de Abrah. *nimirumque de fide generi sui pater, filio de quo non dubitabat, patefecit.*

Zeno Ser. 1. de Abrah.

Nihil timendum cùm Deus interuenit.

150. *Deus prouidebit sibi victimam*, respondit Abraham Isaaco sciscitanti, vbinam esset, quid tunc Isaac, nec amplius verbum fecit, nec iterum patrem interrogat, & cur denuo quomodo eam prouideret Deus, cum ea mons careret, non sciscitatur? D. Chrysostom. Homilia 3. in 2. ad Corinth. ait, *simul atque audiuit Deum, nihil postea locutus est, nec amplius erat curiosus*, nihil iam timuit mali vbi nouit Deum auctorẽ sacrificii, sed tota posita solicitudine omnia prospera & fœlicia sperauit.

D Chrysost Hom 3 in 2 ad Corinth

Tunc filii incolumitatem & vitam pariter procurat, pater cùm eum in Deum sperare docet.

151. *Deus prouidebit sibi victimam*, non inquirit à te Isaac, an Deus, quod necessarium est in holocaustum satagat, nemini enim hoc dubium est, sed vbinam sit victima? sed à te Patriarcha sciscitor, si eum morte destinas, cur filium dicere non vereris? nonne in Deum sperare docet, dicens, Deus prouidebit sibi victimam? quid mirum igitur eum tunc dixisse *filium* qui foret superstes, illius enim incolumitatem pater procurat, cùm in Deum docet sperare. Fauet Salu. lib. 1. ad Eccles. qui postquam quæ à parentibus in salutem filiorum satagere debent, expressit, subiungit: *pauca sunt quæ mandat, sed salutaria, vt ponant in Deo spem suam, cùm enim Deus viuorum sit & mortuorum, rectè illa parari filiis iussit, per quæ in æternum viuerent, non perquæ in æternitate morerentur*, en cernis vndenam patres incolumitatem & salutem filiorum hauriant, nempe ex spe in Deo posita?

Salu. l. 1. ad Eccl.

Christus immolandus figuratur.

152. *Prouidebit Deus sibi victimam*, quam, ô Abraham: filiumne an alium? non filium, si quidem incolumis tibi remansit, quamnam igitur sibi prouidebit victimam? cum dixerimus Isaac typum fuisse Verbi patris, cur non asseremus Christum Dominum tũc prædixisse pro generis humani salute immolandum? sic testatur Orig. hom. 8. *futura respondit filio de præsentib? requirenti, ipsi namque sibi Dominus prouidebat ouẽ in Christo, quia & sapientia ipsa ædificauit sibi domum, & ipse se humiliauit vsque ad mortem.*

Orig Hom. 8. in Genes.

Maximè Deum ad commiserationem filiorum prouocat, patrum erga eos compassio & affectus.

153. *Deus prouidebit sibi victimam*, nonne præsens est scilicet Isaac? ad quid igitur de futuro loqueris dicens, Dominus prouidebit? aduerte per hoc ver-

bum Isaaci ad Abrahamũ, *pater mi*, viscera paterna concussa fuisse, pietatisque vocabulo paternum affectum pulsatum fuisse: vnde D. Chrysost. *animaduerte quot quantaque tunc cogitationes coniuncta sunt, non ferro, sed igneis hastis armatæ, atque eum vndique pungentes ac conscindentes, nam si nunc quoque multi etiam qui patres non sunt, dolore franguntur, atque adeo collachrymassent, nisi rei exitum prospectum haberent, quo doloris cruciatu affectum eum fuisse probabile est, qui ipsum genuerat, & qui educauerat qui tamiam eum de medio sublaturus erat?* quo posito dico Deum patris compassionē intuentem, ita pietate commotum fuisse: vt Abrahæ inspirauerit filii annuntiare salutem & incolumitatem: non enim diutius commiserationem patris ferre potuit, quin ei alterius offerendæ victimæ quam filii spem non incertam dederit.

S Chrys. Hom. 5 ad 2 Corinth.

Magna in exequendis Dei præceptis perseuerantia necessaria est.

154. *Deus prouidebit sibi victimam*, qua ratione vocem rupit? quibus è visceribus responsum exprompsit? quæ locutura lingua non obstupuit? cur non & gemens & filium amplexus? abiecit præ luctu sacrificii symbola? nonne à Deo acceperat de filio in holocaustum offerendo præceptum? prudenter igitur sacrificii non abiicit instrumenta, quia in exequendis Dei præceptis & difficillimis perseuerare etiam cum iactura eorum quæ nobis sunt charissima, debemus.

In bonis operibus nesciat sinistra quid faciat dextera.

155. *Deus prouidebit sibi victimam*, si conformem animum Isaac cum Dei voluntate habes expertum, cur ei quænam sit futura victima, cùm tibi cognita sit, non aperies? cur celas quod eum fugere nullo modo potest? quia omni qua possumus diligentia actiones virtutis omnino celare debemus mens est D. Chrys. Hom. 15. 1. ad Timoth. *vidisti*, inquit, *quanta cum diligentia gesseris omnia, vt scriptura ait, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*, hoc est, *quãtumlibet habeamus quempiam, vt proprium membrum non illi nisi summa necessitas sit aperiamus, quid facere velimus: multa enim inde gignuntur incommoda, nam facile inaniter gloriamur, & aliquo impedimento prohibemur nisi clam ista fecerimus.*

D Chrys. Hom 15 ad Timot.

Qualibet animi perturbatio videtur efficere aliquid indignum ne Deo offeratur.

156 *Deus prouidebit sibi victimam*, si maius meritum consequeretur Isaac, sciens se Deo victimam offerendam & non contradicens, cur id ei non aperis? respondet eodem loco cit. Chrysost. *ne lacesciat, inquit, aut deficiat animo, quamuis audito suo proximo interitu commoueretur perturbareturque*: nonne in holocaustum offerri poterit? satisfacit idem Doctor, *timeo ne per id scilicet si lacesceret aut animo deficeret, videatur indignus*, quasi perturbatio quælibet animæ ne aliquod Deo sit munus aceptum, efficiat.

Cit. Chrys.

Præclara virtutis facinora scientiam mentis acuunt.

157. *Deus prouidebit sibi victimam*, vnde hanc scisti prouidentiam? quis tibi tam perspicacem sapientiam edocuit? quis futura reuelauit? id sola edocuit tam insignis litationis actio, opus tam eximium obedientiæ scientiam mentis acuit: profero D. Ephr. in Ionam testimonium, vbi sic ait, *lingua Abrahæ plus nouerat quàm cor, manebatque mens eius occlusa & lingua vaticinabatur, hæc cũ soleat à corde addiscere, hic cor edocetur ab ore sui ea mysteria*, possunt equidem externæ operationes præclara facta mentem illuminare incredibilemque sapientiam ingerere animo.

S Ephrem Serm in Ionam.

Quod Deo largimur perire non potest, imo nobis remanet.

158. *Deus sibi prouidebit victimam fili mi*, filii nomen tacerem, & solum quod scire desiderat, aperirē; si enim statim futurus non es pater, nec vllus tibi cēsendus est filius, cur toties filium nominas, quasi non moriturum? nonne hunc Deo offerebat; quid mirũ igitur à nomine filii non abstinuisse? quia quod Deo largimur, perire non potest, imo nobis semper remanet. *deuotionis minister*, inquit D. Ambr. l. 1. de Abr. cap. 8. *vocare filium frequenter non timet, hoc se meliorem patrem putabat. hoc sibi in perenne mansurum indicabat filium, si eum immolaret Deo*, preme vltima Amb. verba.

S. Ambr. l. 1 de Abr. c. 8

Nos diuinæ committamus prouidentiæ.

159. *Pergebant ergo pariter*, quid ô Isaac, quæ victima à patre tuo sit offerenda tibi non est apertum, & tamen adhuc cum eo longius progrederis? siste quo vsque aperiat vbinam sit, nonne responderat, Dominus prouidebit sibi victimam: merito igitur hoc accepto responso silet, nihil amplius requirens, omnia enim diuinæ commendanda sunt prouidentiæ, *sic vere credentes*, inquit Lippom. loquens de Isaac & Abrah. *diuinæ curæ committunt omnia, non inquirunt quid sit quod præcipitur, & qua ratione, abunde eis sufficit quia sic Dominus voluit, sic mandauit.*

Lippom.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Et venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit, cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.

Sep. Venerunt ad locum quem dixerat ei Deus, & cùm colligasset Isaac, imposuit eum super altare super ligna.

Cald. Ordinauit ligna & ligauit filium &c.

CONCORDIA.

ערך Arac non solùm componere, sed aptare, disponere, & ordinare significat.

EXPOSITIO.

EXPOSITIO.

Venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, scilicet vel interiori reuelatione, vel aliquo signo visibili, *in quo ædificauit altare*, scilicet ex aliquibus lapidibus, hinc inde congregatis, vel ex terra, *& desuper ligna composuit*, ea scilicet quæ secum ex Bersabee detulerat, *& cum alligasset Isaac* nō inuoluntariū, aperto prius ei Dei præcepto, sed ne inuoluntarij & naturales mēbrorum motus tēpore iugulationis insurgentes ordinatum compositumque situm victimæ confunderent, in nonnullam sacrificij indecentiam, *posuit eum in altari* quod construxerat, scilicet super ligna à se composita.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Obediētia commēdatur maxime & remuneratur.

160 V*Enerunt ad locum in quo ædificauit altare*, scilicet ex lapidibus, vel forte ex vnico sacrificij capaci, ibi reperto, nunc consulamus quid dicitur li. 1. Re. ca. 6. nempe quod plaustrum in quo scilicet arca Dei ferebatur, venit in agrū Iosue Bethsamitæ, & stetit ibi, erat autē ibi lapis magnus, scilicet in quo in holocaustū Domini vaccę quæ plaustrū detulerāt, oblatæ sunt, immo & in quo arca requieuit: nūc ad cōceptus formationē, inuestigemus quis nā fuit ille lapis magnus, Hebræi vt refert D. Hier. in qq. heb. & magister hist. c. 7. existimant hūc lapidē fuisse arā olim à Patriarcha Abrahamo ædificatam, nescio an illam ipsam quam ædificauit, filium suū immolaturus, aliquo fortasse euentu à monte Moriah in quo primum erecta fuerat, in hanc vallem Bethsamiticā translatam: quo posito cur arca Dei quæ in profana Dagonis ara per Philistinos collocata fuerat, in sacra ara Abrahami per Bethsamitas collocatur? nam sine speciali Dei prouidentia id nōn contigit: probabile est id euenisse vt antiqua illa sanctissimi Patriarchæ obedientia, denuo commendaretur & remuneraretur. Sed in quo commendata & remunerata? commendata quidem, quia cum arca de hostibus triumpharet, sui triūphi erectura trophæum, & suæ maiestatis erectura soliū, neque sublimius trophæū neque sacratius solium inuenit, quàm illud altare quo Abrahā filio suo immolando sacrificaret: remunerata vero, quia cum nullum esset apud Hebræos augustius diuinitatis sacrarium quàm arca Dei, eam voluit Deus in ara Abrahami conquiescere, vt veterem illius Patriarchæ obedientiam nouo beneficio consecraret, nec vllo vnquam tempore illius memoriam exolescere pateretur.

D. Hier. in qq. hebr. Magister hist. c. 7.

Qui ad Deum accedit habens adhuc aliquos affectus humanos, eos exuat.

161 *Venerunt ad locum quē ostenderat ei Deus*, si quod Moysi contigerit, cùm accederet ad rubum vt Deo colloqueretur, consulamus, inueniemus præceptum accepisse de deponendis calceamentis, solue, inquit Deus, calceamenta de pedibus tuis, tamen nec Isaac, nec Abrahæ quid tale præcipitur, nonne Moyses iustus erat quemadmodum Isaac & Abraham? si locus in quo erat Moyses terra sancta erat, propter suam præsentiam & apparitionem, non minus præsens erat Deus monti Moriah cùm in eo Deus etiam apparuerit, vel in columna ignis vel in alio signo visibili, omnes igitur vel deponant calceamenta, vel incedant calceati: nota Abraham & Isaac affectibus humanis caruisse, ecce enim Dei amorem propriæ præferunt vitæ, quibus non carebat omnino Moyses, cùm adhuc ex Ægypto ascenderet: merito igitur Moyses iubetur calceamenta deponere, non autem Abraham & Isaac, quia ad Deum accedens affectus humanos per calceamenta designatos, deponere debet. Fauet Orig. ho. 8. in Genes. *Moyses quamuis esset magnus, tamen de Ægypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus eius innexa; Abrahā vero & Isaac nihil horum habent, ideo dicitur Moysi, solue corrigiam calceamentis de pedibus tuis.*

Exod. 3.

Orig. ho. 8. in Genes.

Sine Dei auxilio charitas nobis impossibilis est.

162 *Venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus*, locus ille mons est, quem Deus promiserat se ei monstraturum, sed nonne hunc montem, cùm esset aliis altior, inuenire potuit, nullo ex Deo habito iuuamine? aduerte montem illum charitatem denotare, sicut enim ille aliis altior, sic ista aliis virtutibus eminentior: quid mirum igitur montem non inuenisse sine aliquo signo sensibili: quia charitas sine Dei auxilio speciali haberi non potest: quod eleganter confirmat Philip. lib. de obed. cleric. c. 29. *montem Deus se asserit monstraturum, vt sciamus dilectionem Dei præter eum, nobis neminem collaturum, sed ipse quia diligendus sit specialis gratia facit intelligi, intellectum vero facit & diligi.*

Philipp. lib. de obed. cleric. cap. 29.

Vbi fides, ibi dolor esse non debet.

163 *Venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus*, & tunc sine mora ædificat altare, desuper ligna componit, & Isaacum vinculis stringit: ô Abrahā nōne de morte vnigeniti filij tui tristaris? tale non legitur in sacro textu, imo quod extendit manum & arripuit gladium, nonne te scis esse genitorem? si filius tuus iam iam propriis manibus tuis moriturus, quomodo lachrymas contines? quomodo dolorem compescis? nonne promiserat Deus Abrahæ suam posteritatem multiplicandam? quod credidit: non mirum igitur non doluisse nec lachrymis fudisse, quia vbi fides ibi dolor esse non debet: ita D. Zeno serm. 1. de Abrah. *Ecce sub oculis iacet filius vinculis astrictus, vbi sunt lachrymæ vbi dolor qui in humanis sensibus versari consueuit?* deinde addit, *vbi enim fides fuit, non erat dolor.*

D. Zeno. ser. 1. de Abraham.

Timor infirmitatis nostræ & aliorum nobis adsit.

164 *Cùm alligasset Isaac filium posuit eum in altare*, nihil notius patri, quàm filij sui alacris & inuictus animus, nihil patentius quàm eiusdem constantia, credibilius hebetandam ignis & gladij aciem quàm Isaac patri non obtemperaturum: cur igitur eum stringit funibus? optime cit D. Zeno, *securus pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in morte*: en quomodo timor infirmitatis alienæ cordi Patriarchæ inhæret, ita vt cautè nec non fortiter filium colliget.

Cit. Zeno.

Perfectissimi patris est tales habere filios, qui nullo etiam externo audito præcepto, voluntatem suam lætanter exequantur.

165 *Cùm alligasset Isaac filium suum*, &c. Abraham mortem parat infligendam, & robustissimo & dilectissimo filio: sed quo verborũ flumine vtitur, vt iuuenis robustissimus permittat se percuti & alligari à sene imbecilli? nec verbum loquitur, sed prorsus tacens ædificat altare, pater tacet, & filius alligari sustinet, nec mori resistit, cùm possit, sed gladiũ etiã libenter expectat: vtrum adstupeam? Sane miror Abrahamum perfectissimum parentem, qui nouit talem filium perficere, qui nullo parentis verbo accepto, sic gaudenter eius voluntatem in sustinenda morte nouit attingere ad hæc D. Zeno li. 2. serm. 7. *Abraham sub lege non erat, sed legem solus impleuit, & qui nullo iure legis tenebatur, omne ius diuinum præcipue custodiuit, cuius immolatione ille quoque gauderet, qui ad victimam parabatur.* ille ius diuinum adimplet pater qui leges omnes sanctas & impollutas custodit, qui tales nouit instruere filios, qui nulla etiam audita voce, gaudentes asperrima sua vota adimplent.

Zeno li. 2. ser. 7

Iustorum maxima est fortitudo.

166. *Cùm alligasset filium, posuit eum in altare*, D. Amb. & colligatis pedibus ac manibus filij sui imposuit super altare: quomodo potuit altare Abraham ædificare, vt in holocaustum vnigenitus offerretur? quomodo è viuis non excessit delicatissimum sui corpus filij stringens funibus? sicque colligatum lignorum aceruo imponens vt in cineres redigeretur? potuit equidem, cùm enim iustus, non exigua animi fortitudine præditus erat, vt etiam difficiliora exequeretur, vnde merito exclamat Chrysost. dicens *obstupesco iusti fortitudinem.*

S. Chrysost.

Libenter mortem Deo sic præcipiente admittere debemus.

167 *Cum alligasset ædificauit altare*, sed, si futurus est Isaac holocausti victima, cur eo inscio altare disponis in quo sacrificetur? audiamus quæso Iosephum, lib. 1. de antiq. ca. 22. qui testatur altari constructo Abrahã ad [illegible] hæc habuisse verba, ô puer, quam innumeris votis à Deo optaui mihi conferri, & dum peruenisses ad vitam, nihil est quod pro alimẽto tuo non feci, neque me fœliciorem arbitrabar, nisi cùm te viderem ad virilem iuuentutem peruenisse, & moriens te successorem mei honoris & principatus relinquere, cùm gauderẽ qui Dei voluntate tuus pater sum factus, denuo secũdum eius placitum te repono, Deo namque te cedo qui hunc honorem à nobis dignatur accipere eo quod placitus mihi fuit, ac per omnia suffragator, natus ergo fœliciter morere, non communi modo hanc vitam egrediens, sed à patre proprie oblatus Deo patri cunctorum ob legitimũ sacrificium, quid ô Isaac? audita tua sententia mortis non cõtremiscis? quid, in ætatis flore vita charissima relinquenda? supplex ora patrem, vt Deum deprecetur tuæ salutis obtinendæ gratia; nihil equidem tale cogitat, imo Dei audito præcepto, datis manibus morti pissimus iuuenis libenter se obtulit: quod ita D. Zeno ser. 2. de Abr. edisserit, *lætatus est puer patre fideli ipse quoque fidelior, nec recusabat mortẽ, quam Deus qui vitam dederat, imperabat; lætatur pater filio quoque gaudente, & cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libenter offerret.*

Ioseph lib. 1. antiq. c. 22.

Zeno serm. 2. de Abrah.

Bonæ indolis adolescens patris imitatur virtutẽ.

168 *Cumque alligasset Isaac posuit in altare*, si tibi nõ est impositũ à Deo præceptũ moriẽdi, sed solum patri, vt te in holocaustũ offerat, cur teneras adhuc manus vinculis tradẽdas relinquis? cur ceruicẽ præbes gladio amputandã? quia bonæ indolis adolescẽs patris imitatur virtutẽ, obediẽtiamq; illius libenter amplectitur, sicque patrẽ Deo maxime obtemperantem Isaac non minus obediens sequitur, vt bene indicat, D. Chrysost. ad hunc modum, *virum admirer & obstupescã iustius fortem omne spiritum Patriarchæ vel hanc pueri obedientiam, quod nec reluctatus est, nec factum ægre tulit, sed cessit & obtemperauit his quæ à patre facta sunt, & sicut agnus cum silentio super altare accubuit, expectans patris dexteram.*

D. Chrys.

Nihil indignum in oblatione sacrificij committi debet.

169. *Cùmque alligasset Isaac*, si patientissimum animum filij obseruatum habes, cur pedibus & manibus eius funes à te iniciuntur? nonne sufficiet ei vitam adimere, non præsupposito dolore tibi nõ imperato, à quo eũ potes eximere? nota Isaacũ si non pedes manusue ligatas haberet, potuisse mortẽ subterfugere, & ab altari resilire, quod aliquã indecentiã præ se tulisset: merito igitur quãuis patiẽtissimus, funibus cõstringitur, quia in oblatione sacrificij nihil indignũ aut indecens debet cõmitti, quod explicatur à D. Aug. ser. 72. dicente, *vincitur innocens hostia, ne offerentis deuotio putaret se minus aliquid exhibere, si impatientia doloris victima calcitraret*, idem habet D. Zeno ser. 2. de Abraham.

Opera virtutis cum maturitate peragenda.

170 *Cùmque alligasset Isaac*, en quomodo funibus delicatũ corpus filij stringit funibus, quem deinde dispositis in altari lignis, super illud cõstituit; cur tot paulatim disponit ad immolationem filij? nõne argumentũ propitioris fuisset obedientiæ, ilico cũ ad montẽ peruenit, filiũ in holocaustũ obtulisse? non sine mysterio hæc omnia cũ ordine disponit, ne opus tã eximiæ virtutis sine maturitate sed præceps perfecisse videretur, *quanta molimina* (inquit Amb.) *immolauri, ne raptus subito ad immolandum æstimaretur.*

D. Ambr li. de Abrah.

Nihil non efficiendum vt Deum promereamur.

171 *Cùm alligasset Isaac posuit eum in altare*, quid ô Abraham, ecce sub oculis iacet filius vinculis astrictus, vbi sunt lachrymæ? si ab alio vinctum cerneres, an lachrymas cõtinere posses? ecce iã iã iugulandus, vbi nã fletus? si ab alio ad supplicium duceretur, an fletum cõpescere valeres? minime equidẽ, cur ergo nũc nõ solũ siccis oculis, imo gaudens filiũ intueris? quia nihil non efficiendũ, nihil non mouendum, nec non ab omnibus, si aliquam imperfectionem contineant, abstinendum, vt Deum promereamur. Sic Zeno *in tantis filij casibus lætatur & gaudet, & sic Dominum promeruisse triumphat.*

Cit. Zeno.

Cum animi fortitudine tẽtationibus resistendum.

172 *Cùm alligasset Isaac*, incredibile ne videtur, dæmonẽ tunc eũ grauissima tẽtatione appetiisse dicẽtẽ? insẽsate senex, quomodo ita in filiũ in human[illegible], vt vinculis constrictũ iugulare statuas? an ignoras hoc Dei voluntati repugnare? ipse enim ex eo reges nascituros promisit & populos ab eo originẽ ducturos, si ergo tuis manibus (quo nihil crudelius) iugulatur, quomodo diuina illius adimpleri promissa poterũt? desine igitur fidẽ tuæ insaniæ adhibere, hæc Dei nõ est reuelatio, quæ inhumanitatẽ erga suos nõ persuadet, sed potius cõmiseratiõnẽ. an illa paululum cõmotus Abrahã? minimè, & meritò maxima enim cũ animi fortitudine tẽtationibus resistendũ, ita Abul. *Abraham infid:*

in fide constantissimus, licet ad hoc scilicet tentationis genus respondere potuisset, spreuit potius quam spondit, nec reputes hoc fore fabulam, quia idem innuit Apost. ad Hebr. 11. dicens, fide obtulit Abraham cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, Apostolus autem non exprimit quæ fuerint tentationes, sed satis verisimilis est ista.

Hebr. 11.

Deus efficit vt maius in operibus bonis meritum consequantur.

173 *Cùm alligasset Isaac*, nescio cur hoc etiam dolore sensibiliter mentem Patriarchæ voluit afficere, vt filium liberæ, tanquam reum & nocentem vinculis captiuum constringeret? nonne in holocaustum offerre sufficiebat? cur & ligatum desiderat? nota maxime constantiam Abrahæ, & patientiā Isaac in hac colligatione declarata fuisse: Deus igitur disposuit sic Isaac à patre funibus cingi, vt maius in virtutibus suis manifestandis augmentum consequerentur. *Voluit* (inquit Dion. Cart.) *vt ligaretur, quatenus ex ista colligatione magis commendaretur obedientia & constantia Abraha, subiectio & patientia Isaac.*

Dion. Cart.

Amor Dei ab omni alia dilectione victoriam referat.

174 *Cùm alligasset Isaac*, iam in montis vertice paratur ara, ligna glomerantur, vincitur Isaacus, gladius rapitur, ô spectaculum formidandum! amor in prolē Deique dilectio iudicio contendunt, cuinam victoria ac triūphus? an Dei amori vel Isaac? iudex ô Abraham huius controuersiæ constitueris, fer sententiā: iam ab eo datur scilicet pro Dei amore, quis enim dubitat ab omni alia dilectione victoriam referre debuisse? *iudex*, inquit D. Bas. Seleu. or. 7. *ensifer instat Abrahamus, ac ensis ius dicit, victoriamque Dei dilectioni tribuit, consignat sanguine, testemque victoriæ sacrificium facit.*

D. Basil. Seleu. or. 7.

Vt patres in obsequium Dei filios suos offerant, exemplo Abraham prouocantur.

175 *Cùm alligasset Isaac filium*, &c. quæso Euangelium Christi Domini cōsulamus, in quo dicitur, si filij Abraham essetis, opera vtique Abrahæ faceretis, quid ô, Deus! exigis ne à patribus vt filios funibus cōstringant, sicut Abraham Isaacum? gladium parent? vnigenitos iugulent? hæc enim sunt Abrahæ opera (inquit Orig. ho. 8. in Genes.) *non exigitur à te istud magnitudinis propositum, saltem mente constans esto, fide fixus, lætus offer filium Deo, esto Sacerdos animæ filij tui.*

Ori. ho. 8. in Genes.

Non solum voluntas Deo creatori subiicienda, sed & motus rebelles constringendi.

176 *Cùm alligasset Isaac filium*, si libens mortem subire non recusat, (non enim inuitus ligatur; viribus enim præstantior erat Abrahamo, cùm iam vigesimū quintum ad minus annum attigisset; Patriarcha autem iam fere ætatis esset decrepitæ) cur funibus eū stringit? sic enim inuoluntariè mortem subire videbitur, cur non dicemus Isaacum id tulisse libenter, vt non solùm voluntatem suam Deo creatori subditam ostenderet, sed etiam omnes motus suos morti repugnātes naturales, constringi velle, si posset? hāc colligationis rationem assignare videtur Caiet. dicens, *ratio ligandi non fuit timor ne fugeret Isaac, sed ne inuoluntarij vt pote naturales motus membrorum in actu iugulationis insurgerent.*

Christus Dominus sponte alligandus figuratur.

177. *Cùm alligasset Isaac filium*, non est dubiū vinculis Isaaci, Christi vincula olim signata: sed quomodo præfigurari potuerunt? à Iudæis enim vinculis constrictus Dominus, colligatus autem Isaac ab amātissimo patre: sed audiamus Rupert. li. 6. in Genes. 31. *ergo ne & Deus pater suum colligauit filium? colligauit plane, verùm non imbecillitatis vinculo, sed magnæ charitatis imperio, ne se defenderet, ne oblatum calicem passionis mori dedignatus abigeret*, nisi enim pater prior eum alligasset, & ipse alligari sponte voluisset, neque Iudæi, neque gentiles, neque vlla omnino tenebrarum potestas, quicquā penitus effecisset, itaq; prius à patre colligatū cohors, & tribunus, & ministri Iudæorū cōprehenderūt Iesum, & ligauerūt eū.

Ruper. li. 6. in Gen. ca. 31.

Aptatio membrorum Christi Domini super lignū crucis figuratur.

178. *Cùm alligasset Isaac posuit eum in altare, super struem lignorū*, de quibus ait textus, quod ea cōposuerat, sed an illa Isaac super struem lignorum positio, caret mysterio? obseruemus quæso, quod ligna super altare (quod quadrum, id est cornibus quatuor atq; adeo cruciforme erigebatur) ita cōponi solita erāt, vt quatuor ipsa altaris cornua æque respicerent, & imposita etiam victimæ mēbra æque reciperent, mēbrisque singulis respōderent, vt holocaustum pariter posset æquè totum incendi & concremari, quod sic etiā ex Hebræo fonte illustro, est enim verbum ערך arek quod hîc noster interpres, & in Leuitico sæpe per cōponendi verbū reddidit: quo posito cur non dicemus ligna super illud altare (quod existimo quadratum seu quadriforme fuisse) cōposita & mēbra Isaaci lignis aptata seu æquiparata, mirabilem illam cruciformem Domini corporis aptationem super lignū crucis significasse, cuius illa Isaac symbolū erat, componente seu ordināte omnia patre tanquā operis architecto, & crucis ligna mēbris filii sui & mēbra lignis æquiparante: quæ victimæ nostræ æquiparatio nisi significata videtur à Paulo cū ad Hebr. scribēs psalmi locū de Christo victima patri Deo gratissima interpretatus hæc habet. *impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata, ideo ingrediēs mundū dicit, hostiā & oblationē noluisti, corpus autē aptasti mihi, holocaustomata pro peccato non tibi placuerūt, tūc dixi ecce venio.* Scio ad filii Dei incarnationē & formationē corporis in quo pati posset, & immolari, à plerisque patribus ac interpretibus propriè admodū referri: ausim tamen haud impropriè interpretari, de aptando super crucis ligna Domini corpore in holocausti victimā, vt diximus, est enim plenus verborū intellectus à Paulo satis expressus, corpus adaptasti mihi, nimirum in holocaustū & hostiā tibi offerendam, loco taurorum & hircorum, adaptasti autem in cruce, vt aptari solent super ligna holocausta, & vt Abraham posuit Isaac in altare super struem lignorum.

Exod. 27.

Ad Hebr. 10.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS X.

VVLG. extenditque manum, & arripuit gladiū, vt immolaret filium suum.

Sep. Et extendit Abraham manum suam ad capiendum gladium, vt iugularet filium.

Pag. Et misit manum & accepit gladium ad iugulandum filium.

CONCORDIA.

שלח Salach non solum extendere sed mittere significat, sicut לקח lakah capere & arripere, quamuis maiori cum proprietate capere denotet: sicut שחט sachat jugulare quàm immolare.

EXPOISTIO.

EXtendit que manum, gladiũ enim dimiserat vt facilius & commodius ligna in holocaustum super altare componeret, quibus compositis iterum sumpsit vt immolaret filiũ suũ ad modũ victimæ ex Dei præcepto; quo posito licite potuit eũ occidere. Deus autem in præceptis secundæ tabulæ potest dispensare: quorum numero est illud de non occidendo, huiusmodi enim præcepta licet sint de lege naturæ in quantum sunt ei consona, non tamen in quantũ sequuntur ex principiis practicis quæ nota sunt ex terminis, & omni intellectui apprehendenti necessario nota sunt, lege nostrũ Scotum in 3. dist. 37. q. vnica.

Noster Scot. in 3. dist. 37. q. vnica.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Promptissima debet esse nostra obedientia.

179 ARripuit gladium vt immolaret filium, cur ita celeriter? cur cum impetu & quasi cũ violentia? nonne paulatim eum accipere potuit ne terreret filium? potuit equidẽ, sed vt maxima Abrahæ in obediendo celeritas atque prõptitudo declararetur, hoc verbo *arripuit* celeritatẽ denotante significauit: Sic subtiliter annotauit D. Amb. ep. 43. *quam exors natura exerebat gladium, ne mora Sacrificium decoloraret*, id est ne eximiam obedientiæ venustatem atque pulchritudinem tantisper deturparet, celeriter quod sibi iussum fuerat statuit exequi.

D. Ambr. ep. 43.

Ita obedientes esse debemus vt sit difficile agnoscere verũ hæc virtus aliorum eximiam super et vel ne.

180 *Arripuit gladium vt immolaret filium*, eximia Patriarchæ fortitudo, virtus, quæ secundam non habet: præclarissima Dei dilectio, quemlibet alium affectum superans: sed an minor est filij virtus, qui nullo accepto à Deo præcepto, sed solum à patre sibi reuelato propriam fundere vitam non timet, sed libenter ceruicem gladio præbet amputãdam? nescio equidem nec mirũ, talis enim obediẽtia in eo commendatur, vt difficile sit sententiam ferre, verũ eximiam patris virtutẽ superarit, *vtrum admirer*, inquit Chrysost. *& obstupescam iustius, fortemne spiritum Patriarchæ, an pueri obedientiam, qui neque reluctatus est neque factum ægrè tulit, sed cessit & obtẽperauit his quæ à patre gesta sun., & sicut agnus cum silentio super altare accubuit, expectans patris dexteram.*

S. Chrysost.

Vitam nostram exuere ob amorem Dei debemus.

181 *Arripuit gladium vt immolaret filiũ*, quid ais, *filium* Moyses? nam audio dicentẽ Chrysol. ser. 108. corpus suum immolabat Abrahã in filio, imo Phil. in lib. cuius titulus est quod Deus sit immut. Abraham Deo offert germanum animæ filium: immolabat igitur Abram in filio & corpus & animã suam, si autẽ corpus & animam, quid aliud nisi vitã offerebat? sed ô Abraham, cur ita vitam, qua nihil in deliciis charius, profundis? quia paruipendenda est dilectionis Dei assequẽdæ gratia, vnde D. Basil. Sel. or. 7. ô *amoris inquit, Domini vim ô pios ignes qui amoris naturalis flammas peruicerint*, quasi diceret, amori diuino non prætulit ipsam charissimam vitam nempe filium.

Chrysol. ser. 108. Philo. lib.

Basil Seleu. orat. 7.

Melius est nomen serui Dei quam sine eo patris creaturæ.

182 *Arripuit gladiũ vt filium immolaret*, ô Abrahã si nomẽ patris ita desideratũ, quomodo filio immolato ea appellatione optatissima carere festinas? aduerte quod filiũ ex Dei præcepto interficiens, fidelissimi & obsequentissimi serui nomẽ acquisiuit: merito igitur nomẽ patris negligit, quia augustius & desiderabilius est seruũ Dei nũcupari: quod D. Chr. hom. 3. in 2. ad Cor. ita fatetur, *p ius quidem de terra sua egressus fuerat, nunc vero ab ipsa quoque natura excessit. patris enim nomen amittere maluit quam committere vt à probi serui officio recederet.*

Chrys. hom. 3. in 2. ad Corin.

Præmium virtutis, est ipsa occasio data manifestandæ virtutis.

183 *Arripuit gladium vt immolaret filiũ*, quod considerans Zeno cit. ser. 1. ait, *accepit iam præmia quæ meretur, diuina etenim explorationis tentamina porrigũtur, exerit quidem ferrum & armata dextera subleuat manũ*, præmia dicit ipsa tentamenta, quid ais Zeno? estne tentamen præmiũ? imo ex victoria tentationis solũ expectatur corona; optime tamẽ loquitur; Deus maxime seruos suos honorat, & in eo anteacta virtutis opera digna præmio afficit, cũ ad maiora patranda & grauiora subeunda, vnde illustriores victoriæ & triumphi nascantur, inducit.

S. Zeno. ser. 1. de Abrah.

Mira iustorum est patientia.

184 *Arripuit gladiũ vt immolaret filiũ*, quid ô Isaac? ecce iã morti proxim^9, & siles, quis etiã nocẽtissimus, si ad locũ supplicij duceretur, non fateatur se esse innoxium, vt illud effugiat? an nimio terrore correptus, vel horrore mortis stupefactus obmutescis? nõ equidem ea de causa, sed ex maxima virtute patientia libentissime morti à Deo imperatæ se subijcit: Sic D. Greg. *quid Isaac* (inquit) *patientius, qui ligna portat, de holocausto interrogat, atque post paulum ligatur, & non loquitur, aræ superponitur, & non reluctatur, quid ergo viro istis dici potest patientius qui offerendus in holocaustum tacet?*

Greg. mag. 27. [illegible]

Nullus respectu Dei innocens.

185 *Arripuit gladium vt immolaret filium*, quid ô Abraham innocentem interficis? quis te vel patricidam, vel mente captum non existimabit? sed sicut huius immolationis ministrum Abraham potuit Deus exigere, sic ab ipsomet patre ipsum Isaacum morti propter maculam originalem occidi potuit iubere: quod optime animaduertit Abul. dicens, *licet occidere innocentem sit malum, sed Isaac non erat innocens, licet enim esset quantum ad homines, quia nulli eorum nocuerat, Deo tamen non erat innocens quia peccauerat veniali* (adde & originali) *peccato propter qua homines ad mortem obligantur, & sic dicitur. Exod. 34. nullus apud te per se est innocens?*

Abulens. Exod. 34.

Fides

Fides non sola sed cum operibus maxime commendatur.

186 *Arripuit gladium vt immolaret filium*, quem considerans D. Paul. ad Hebr. 11. de eo sic loquitur, fide obtulit Abraham inquit, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat; quid est quod beatus Iacobus in epistola sua mentionem Abrahæ faciens, laudat eum summopere ex operibus suis? beatus vero Apostolus non opera illius sed fidem attentissime commendat? sine dubio alter opera illius, alter fidem enumerat, vt non solam fidem sed operibus coniunctam laude & merito dignam iudicaremus: Sic Primas. in prædictam epist. ad Hebr. qui postquam hanc rationem præbuit scilicet quod Beatus Iacobus ex operibus eum laudat, quem scribebat etiam fide perfectum, quoniam illis scribebat qui fidem quidem videbantur habere, sed eandem fidem bonis operibus non exornabant, at vero beatus Paulus qui illis scribebat bona opera legis videbantur habere, sed fidem perfectam non habebant, iure fidem Abrahæ attentius commemorat quatenus studerent eum imitari, subiungit, *vnde certe vt ostenderent, quia qui filij Abrahæ volunt esse, necesse est vt fidem & opera habeant, merito vnus ex fide, alter nihilominus eum laudauit ex operibus.*

Hebr. 11.

Primas. in Epist. ad Hebr.

Vult Deus virtutem suorum manifestam fieri ne aliqui ei detrahant.

187 *Arripuit gladium vt immolaret filium*, Si Deus eandem patrem & filium à cruento illo sacrificio erat exempturus, cur tandiu expectauit, donec ille manu extenta ferrum iam vibraret? nota si Deus, antequam Abraham gladium cepisset, vt filium immolaret, eum ab incœpto opere retardasset, in aliquorum animum venire potuisse, Abraham opus tam heroicum non perfecturum, ipsamet manu id exequi recusante: prudenter igitur Deus solum post arreptum gladium, iam in caput Isaac vibrandum, impedit, vt virtus tam eximia Patriarchæ manifesta, à nemine detraheretur, hæc respósio est Procop. dicentis. *Sufficiebat ipsum deferri in tentatione tantisper quantisper manum extenderet ad cædendum filium; nam si Deus antequam quidpiam factum esset à cœptis Abramum abstraxisset, fortassis quidam suspicari potuissent, bene est quod ipsum inhibuit ab illo opere Deus, nam si ad eadem ipsam ventum fuisset, fortasse manus ad eam rem obtorpuisset, animo commiseratione fracto, solet dominus seruos suos in tribulatione constitutos quodammodo deserere, vt illorum patientia probetur & constantia sine suspicione clarius emineat.*

Procop. Gaza.

Mortem peccatorum potius quàm piorum iusti formidant.

188 *Arripuit gladium vt immolaret filium*, quis charior filius, an Sodomitæ? cuiusnam salus præferenda, an charissimi pignoris vel nefandi populi? filij profecto, cur ergo pro supplicio ab eorū capite auertendo ad Deum preces multiplicas, filij autem salutem & incolumitatem minime deprecaris? quia mors peccatorum tanquam pessima & eorum animæ nociua, potius quàm iustorum quæ Deo gratissima est, à iustis magis formidanda est.

Satius esset non nasci quàm Deo & patri non obtemperare.

189 *Arripuit gladium vt immolaret filium*, Scilicet iam ei manifestata volūtate, sed o Isaac quamuis qui tacet consentire videretur, cur patri tuo Dei te ad mortem postulantis voluntate aperienti, non respondes? responsum dedisse testatur Ioseph lib. 1. antiq. sed quodnam quæso gratum, an iniucundum? gratissimum quidem & prudentissimum: audi Iosephum sic loquentum faustè testantem, *nec iniustum esset* (inquit) *Isaac, vt initio nasceretur, si nec & patris iudicium esset refutaturus, aut si non monstraret animum voluntatibus præparatum*, en quomodo satius esset non nasci, quàm Deo & patri non obtemperare.

Ioseph li. 1. antiq.

Deus tanquam pater plus dolet quæ à nobis dolenda essent quàm nosmetipsi.

190 *Arripuit gladiū vt immolaret filium*, inquiramus quæso, quisnam in hoc sacrificio doluerit, an Abraham filium immolaturus, vel Isaac è viuis gladio excessurus, vel Deus id imperans: audiamus tam eit. Zenon serm. de Abrah. lætatus est puer patre fideli, ipse quoque fœlicior, nec recusabat mortem qui vitam dederat, imperabat, lætatus est pater filio quoque gaudente, & cum gaudio vinci pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offert, nonnē deberet & Abraham filij mortem, & filius propriā necem dolere? quis ergo dolebat, sane ipse Deus, qui magis pater est quàm ipse Abraham, & ideo illo non dolente, ipse Deus dolet pro eo: ita eit. Zeno *in eo sacrificio solus Deus doluit, quia aliam victimā procurauit.*

D. Zeno.

Cùm quis ad summam deiectionem propter Deum deuenit, in primo exaltationem expectet.

191 *Arripuit gladium vt immolaret filium*, quid tunc? ecce Angelus Domini clamauit, ne extendas manum in puerum, cur tunc cœlestis vox intonat quæ patris dexteram cohibeat, Isaacum incolumem seruet, mille benedictionibus cumulandum? quis tunc deiectior quàm Isaac qui apparet super struem lignorum ligatus manibus & pedibus, quasi vile pecus, vt gladium occisionis expectet? quid mirum igitur tunc Angelum clamantem, Isaacum patri restituisse, mille benedictionibus exaltandum? quia qui ad summam propter Deum deiectionem & humiliationem peruenit, in proximo exaltationem expectet, vnde pulchre D. Paulin. epist. 10. *infimus sedens vnde cadat non habet, & habet vnde consurgat per eum qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigens pauperem.*

Paulin. epist. 10.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS xi.

VVLG. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamauit dicens, Abraham Abraham; qui respondit adsum:

Sept. cum Cald. & Hæb. legunt. Ecce ego.

CONCORDIA.

IN Hebræo est הנני hineni & sept. *ἰδοὺ ἐγώ* tamen noster Vulgat. interpretatus est adsum quia, sensus idem est.

EXPOISTIO.

ET *ecce Angelus Domini*, scilicet à Deo missus, vt mortem Isaac impediret, *clamauit de cœlo*, id est ab aere *dicens Abraham Abrahã*, cum proprio nomine appellans, cur autem eum bis vocauerit in conceptibus aperiemus, *qui dixit adsum*, maxime adhuc obedientem se esse significans.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Sic attenti sacrificio esse debemus, vt nec Angelorum vocibus repetitis reuocemur.

192 ANgelus *clamauit de cœlo dicens, Abraham Abraham*, ecce iam filium sacrificaturus, iam eleuato gladio audit Angelum à tergo vociferantem, suumque nomen ingeminantem: cur hæc Abrahami nominis congeminatio? an surdus Patriarcha vt nomen suum ab Angelo prolatum non percipiat? nonne si semel vocatus solum, Patriarcham à nece amantissimi pignoris reuocaret? minimè, sic enim sacrificio quod peragebat attentus, vt difficile voce Angelica etiam bis vocatus retardaretur: quod obseruauit D. Amb. cùm ait, *tenuit quodammodo manum eius diuina vox, non semel vocauit, ne aut plane audiret, aut fortuitam vocem putaret, repetiuit vocem tanquam veritus ne præueniretur studio deuotionis, & vna vox seuientis impetum retinere non posset*, sic se sacrificiis dedunt sancti, sic attendunt quid faciunt, vt nec Angelorum vocibus capiantur, nisi multiplicatis.

D. Ambr li. 1. de Abr. cap. 8.

Qui cœlestem habitationem colit, difficile extra eam immoratur.

193. *Angelus de cœlo clamauit*, cur ab ipso cœlo negotium iniunctum peragit, cum Abraham nominat? dices, quia qui cœlestem habitationem colit, difficile extra eam commoratur, vt cum mortalibus conuersetur, sed ita se res habeat, quomodo legimus Angelum à Deo de cœlo missum ad Mariam eiusque limina terere, quia in re tractanda cum virgine omnis erat mora tollenda, summa celeritas expectabatur, & ideo cogitur Angelus cœlestem deserere domum, ne moras agat, sed quam celerrime redeat ad sua, non enim extra patriam cœlestem sustinent morari cœlestes ciues: id notauit Franconius to. 6. de gratia, *mittitur itaque vt celerius eat, quia plenitudo temporis iam aderat.*

Franconius to. 6. de gratia

Vera obedientia Deum subleuat à labore.

194. *Angelus clamauit de cœlo*, plures Patres tenent hunc Angelum Verbum diuinum fuisse: cur modo, ô magni consilii Angele, Abrahamum vocas de cœlo? aliàs vt cum Abrahamo loquereris, in terrã descendere consueueras, eius intrare domum, peregrinum habitum induere, modò cœlum minimè deseris: cuius rei causam pulchre notat D. Chrysost. *quia videbat iustum tam accinctum & paratum ad immolationem, & volentem implere mandatum Domini, idcirco vocat eum de cœlo*, non necessarius est Domini è cœlo in terras aduentus, non necessaria Dei peregrinatio, nec vllus ab eo labor impendendus, vbi homo inuenitur obediens.

D. Chrysost.

Perfectus obediens maxima voluntate & celeritate fertur ad ea quæ sibi iubentur.

195. *Angelus clamauit de cœlo*, vbi nota, non vocasse leuiter, sed clamasse fortiter, neque enim promptissima ad iugulandum manus aliter quàm ingenti clamore sisteretur: sed cur clamauit de cœlo, hoc est de longinquo? nonne ad eum accedere potuit? bene de longinquo clamat vt Abraham iussa Dei perficientem reuocet, ne si priùs aduolaret quàm clamaret, in illa breuissima hora qua adueniret, impediturus, ne Isaac iugularetur, iugulatum inueniret.

Curat Deus ne nomen suorum sinistra apud alios opinione laboret.

196. *Angelus clamauit de cœlo*, nonne secreta seu potius interna locutione dixit Deus Abrahã, vt sibi filium vnigenitum immolaret? cur igitur postquam vidit Patriarcham promptum in obsequium, euaginantem gladium, & in pueri iugulum iam vibrantem, de cœlo valdè exclamat? credo vt tanti Patriarchæ honori consuleret, nam si Isaac clamorem de cœlo non audiret, ac Deum priùs præceptum reuocantem non auscultaret, fortasse crederet genitorem suum Abrahamum paterno affectu diuino ab obsequio reuocatum: ne igitur sancti Patriarchæ nomen etiam apud filium sinistra opinione laboraret, palã Deus magnis clamoribus testatur Abrahamum ab illo sacrificio non aliter quàm diuinitus impeditum.

Obedientia cæca certior quàm prudentia videns.

197. *Angelus clamauit de cœlo*, Scilicet vt reuocaret Abrahamum à filij immolatione, legamus vndecimum caput Iudic. nu. 39. reperiemus permisisse Deum Iephte, vt filiam interimeret in sacrificio sibi oblato: personarum acceptor videtur esse Deus, si enim seruat à sacrificio Isaac incolumem, cur etiam filiam Iephte non custodit? hanc difficultatem soluentem audiamus D. Aug. q. 49. in Iudices, *quoniam* (inquit) *Abraham iussus obtulit filium, Iephte autem fecit quod nullo speciali iubebatur imperio*, quasi diceret, vterque parens ad necandum filium pergebat, sed Abraham ex obedientia cæcus, Iephte ex humana prudentia videns, idcirco Deus permisit non cæcum sed videntem aberrare, vt certior tandem cæca obedientia, quàm videns prudentia crederetur.

Iud 39.

D. Aug. q. 49 in Iudices.

Tentationibus magno impetu & violentia resistendum.

198 *Angelus clamauit de cœlo Abraham Abraham*: cùm diuinitus à cæde remouetur cur Abraham, duplici voce vocatur ab Angelo? nota vt diximus in quodam conceptu vers. præcedentis, maxima fortitudine tentationi grauissimæ restitisse, quod significatum est per illa verba, arripuit gladium, quasi maximo impetu & violentia viriliter difficultates quæ in hoc eximio opere virtutis reperiebantur dissolueret: quid mirum igitur si nunc non vnica sed ingeminata voce nominatur, impetum enim quo ferebatur non poterat, vnica vox retardare. Sic D. Chrysost.

S. Chryso. Chrysost. *geminatione vsus est vt superetur impetus iusti, & quasi per vocem detineatur iusti dextera iam tendens ad pueri cædem.*

Deus hominum sanguinem non sitit, sed nostram obedientiam.

199 *Angelus clamauit de cœlo*, scilicet ne Abraham filium suum immolaret, nonne iusserat Deus, tibi Isaac in holocaustum offerri? cur igitur nunc præceptum reuocas, prohibens Abraham ne sacrificiũ incœptum perficiat? vt agnosceremus Deum hominum sanguine non delectari, sed solum nostræ desiderare manifestationem obedientiæ: *Satis* (inquit Dion. Cart. Carth.) *declarata est fides & obedientia tua, non innocentis filij tui sanguinem sitit, sed suarum declarationem virtutum ad aliorum ædificationem.*

Verus obediens difficilius reuocatur ab adimplenda obedientia, quàm ad eam impellatur.

200 *Angelus de cœlo clamauit, Abraham Abraham*, cùm iussit Deus vt filium sibi immolaret, secundùm lectionem Hebræorum & Caldaicam paraph. habemus solùm semel suo appellasse nomine; cur igitur nunc bis eo illum appellat? nonne facilius à bono opere reuocamur quàm ad illud excitemur? maxime si segniter operem, vt qui verus est obediens difficilius reuocatur ab adimplenda obedientia quã ad eam impellatur; tamen Chrysost. vtraque hom. 3. in 2. ad Corinth. admirabilem considerat obedientiam dicens, *eadem vox dextram armauit & cohibuit, dixit occide, protinus armata est, dixit ne occidas, protinus exarmata est.*

Angelus licet mittatur non desinit sua perfrui fœlicitate.

201 *Angelus de cœlo clamauit*, de cœlo (inquit Abulẽ.) id est ex aere, è cœlo empireo & sede beatorum recessit, cur ò Angele pro vita vnius hominis conseruanda beatitudinem, qua in cœlo empyreo fruebaris, deseris? nonne maioris ponderis est visio Dei intuitiua, quam vitæ vnius hominis conseruatio? falleris tamen si carere sua beatitudine Angelum existimes licet ad nos nullus descendat. *Angeli enim* (ait R. P. Barthol. Sybilla in quæstionibus suis pereg. q. 2. cap. 3. secundæ decadis) *licet non sint semper in cœlo localiter, tamen semper sunt in eo per fruitionem vbicumque sint, nunquam enim desinunt frui Deo eumque videre, cum fruitio sit actus voluntatis à loco independens*; vnde D. Gr. moral. ait, *Angeli sic foras exeunt, vt internæ contemplationis gaudiis non priuentur, nec recessus eorum à cœlo empyreo, indignitatem inducit aut gloriam minuit.* Barthol. Sybilla in quæstionibus peregrinis q. 2.

Verbum patris magni consilii Angelus.

202. *Angelus de cœlo clamauit*, quisnam ille Angelus? an creatura, vel creator? si creator, an pater vel filius? cur non dicemus filium esse? qui licet sit Deus, magni tamen Angelus est etiam consilii, sic existimauit Dyonis. Alex. epistola contra Paulum Samosaten. dicens, *filius Angelus patris est, qui est ipse Dominus & Deus, scriptum est enim, magni consilii Angelus, sicut & aliàs in Abraham & vocauit eum Angelus Domini de cœlo.* Dionys. Alexand epist. contra Paulum Samosaten.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XII.

VVLG. Dixitque ei, ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidpiam, nunc cognoui quod times Deum, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me.

Sep. ne iniicias manum tuam super puerum; non pepercisti filio tuo dilecto propter me.

Pag. nunc cognoui quod timens Deum es, & non prohibuisti filium vnicum à me.

Caiet. non facies illi nihil.

CONCORDIA.

שלח Salech non tantum extendere, sed mittere, imo & iniicere significat: חשך chasek in sinistro cornu cum puncto, subtrahere, prohibere in vera significatione denotat, licet Hier. verterit pepercisti, eundem tamen retinuit sensum, dixi in sinistro cornu, nam in dextro non sonat amare.

EXPOSITIO.

NE *extendas manum tuam*, extendere manum hîc pro percutere sumitur, quod eleuatione & depressione manus percussio fieri deberet, *super puerum* qui licet adolescentiam excesserit, tamẽ adhuc puer dicitur, quia sub cura patris degebat: *ne facias illi quidpiam*; maior explicatio est præcedentium verborum, quasi dicat ne leui saltem ictu percutias, *nunc cognoui quod timeas Dominum* id est manifestaui te & cognoscere feci homines experientia quomodo me timeas, *& non pepercisti filio tuo vnigenito propter me*, id est iam paratus eras non parcere, sed quamuis vnigenitum & maxime dilectum, in holocaustum offerre.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui maturat Dei obsequium, misericordiam à Deo consequetur.

203. *Ne extendas manum tuam super puerum*, præcepit Deus Abrahamo vt sibi filiũ offeret, & postea ait illi non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidpiam. Iephte filiam suam Deo offert, permisit Deus illam sacrificari, dubium ergo

esse potest, cur liberauit Deus Isaac à morte, cum præcepisset sibi immolari? permisit autem vt Iephte filia sacrificaretur? quid dicitur, quæso de Abraham, nisi quod de nocte surgens ad obsequiū hilaris festinauit? quid autem de Iephte, nisi quod ingemiscens, filiæ inducias postulanti duos menses concessit, vt virginitatem plangeret? Respondeo ergo quod ideo Abraham pro Isaac misericordiam consequitur, quia Dei obsequium maturauit, non autem Iephte pro filia, quia distulit; sic D. Ambrosius 3. de virginib. *quia non vna forma monitorum ideo non vna forma factorum, pater scilicet Iephte doluit, fleuit filiam, vterque de Dei miseratione dubitauit; non doluit Abraham nec consuluit parentis affectum, vbi audiuit diuinitatis oraculum non distulit sacrificium sed maturauit obsequium, Isaac non fleuit cum ligaretur, nec dilationem proposuit cùm offerretur, & ideo misericordia largior*, expende illa verba maturauit obsequium, quasi propter maturum obsequium, misericordiam pro filio fuerit consequutus.

D. Amb.

In Christi similitudine humanæ salutis auspicium.

204 *Ne extendas manum tuam super puerum*, nonne antea ad mortem postulasti? cur nunc ad vitam reuocas quem in holocaustum offerri petieras? nonne cum Isaac à parente positus est super struem lignorum, vt ibi sacrificaretur, simul apparuit simillimus filio Dei, crucis arbori suffixo? quid ergo mirum si morti condemnatus, nunc ad vitam petitur? quia in Christi similitudine humanæ salutis etiam est auspicium: sic Dominus apud August. serm. 73. de temp. *parce deuote pater, ecce spirituali præsagio meum præuenisti consilium, quod enim paraui pro toto mundo, tu iam deliberasti in filio tuo, quod in vnigenito meo dispesui, tu in tuo iam perfecisti*. Sic ibi Dominus vitam annunciabat filio in quo exprimebatur sacrificandus filius.

Aug serm 73.

Solius Dei vere misereri & parcere.

205 *Ne extendas manum tuam super puerum*, quis magis pater quàm Abraham Isaaco charo, vnico, & dilecto filio suo, senectutisque suæ firmissimo baculo? cur igitur hunc iugulaturum gladium exeris? sed cur perimendus à patre liberatur à Deo? quia solius Dei est vere misereri & parcere, quod nobis pulchre D. Zen. aperuit dicens, *religiosus carnifex stringit gladium, patris erat quod leuauit, Dei fuit quod pepercit*. Si Isaacum religatum ad necem viderem eiusque ministrum noscerem patrem, crederem absque dubio futurum patrem tanto filio condonaturum, sed nullius creaturæ tantum parcendi est munus, non sponsi, non patris, imo patris erat, quod leuauit ad interitum gladium, sed vnius Dei fuit, quod pepercit, cuius proprium est semper misereri & parcere.

D Zeno serm. 3. de Abr.

Nihil nobis sufficit præter Iesum.

206 *Ne extendas manum tuam super puerum*, nonne erat filius eius, nempe Isaac? cur igitur non ait, ne extendas manum super filium? maluit puerum qui seruus dicitur, quàm filium nominare, vt ostenderet nihil magnum & plenum sperandum à seruis, quod solum præstare potest ille qui vere dilectus & vnicus filius est patris æterni Christus Dominus, indigebat equidem Abrahamus hostia qua cœlesti impleretur benedictione, hanc non inueniret in puero, non in creatura alia, sed in solo filio Dei Iesu: mens est D. Chrys. hom. de Iob. & Abraham *quare non dixit filium, sed puerum: opus erat non puero vel seruo sed filio.*

S Chrys hom. de Iob & Abr.

A

Pater ab inordinato filiorum affectu sit liber.

207 *Ne extendas manum tuam super puerum*, nonne cùm iussisti eum immolare, filium nominasti, dicens tolle filium tuum, & vnigenitum & dilectum expressisti? cur nunc absque vlla cognatione & amoris mentione, puerum nominasti? idem est enim Isaacus, credo equidem id non sine mysterio factum, sed vt patris affectum ab inordinato pignoris amore liberum significaret: qui quidem sacrificium facturus victimam immolandam non esse aliam quàm filium suum vnicè non modo genitum, sed etiam dilectum cogitabat, & nihilominus ab eo immolando non desistebat: sacrificium autem iustum omissurus, non filium, non vnigenitum, non dilectum despiciebat, sed tanquam puerum quasi ignotum & alienum, & nulla secum necessitudine coniunctum: ad hanc enim misericordiam filio præstandam non ex naturali parentis affectu, quem iam subegerat, sed ex solo Dei præcepto quod filio præferebat, ducebatur.

B

Victoria à tentationibus obtenta Deus, cum Angelis nobis applaudit.

C

208 *Ne extendas manum tuam super puerum*, clamat Angelus, an in eodem momento, quo ad immolandum filium manum leuabat, aderat præsens Angelus, vt gladium à ceruice Isaac auerteret? quis dubitat? Deus enim cum Angelis adest, Abrahamum pugnantem cum difficultatibus quæ in hac immolatione reperiebantur, & cum tentationibus quæ sese obtulerunt, imo & de eis triumphantem, consolaturus, vt ei applauderet; mens est D. Chrysost. hom. 2. ad 2. Corinth. *Abraham stabat extensa manu gladium tenens, atque Angelorum agmen applaudebat, ac Deus è cœlis victorem eum pronunciabat, quoniam enim in cœlis illi conuersatio erat, idcirco quoque cœlesti præconio celebrabatur, quidnam hoc splendidius? imo quidnam cum hoc trophæo comparari queat? iustus enim ille de potentissima tyrannide triumphum egit.*

S Chrys. hs 2. ad 2. Corinth.

D

Ita manifestari virtutes suorum satagit Deus, vt omnem occasionem adimat, ne innotescant cum aliqua suspicionis vmbra.

209 *Ne extendas manum tuam super puerum*, qua de causa? quia nunc cognoui quod times Deum; quomodo tu cognouisti in Abrahā hunc timorem? quia non pepercit filio vnigenito propter me, apud septuaginta legimus & Amb. non pepercit filio dilectissimo propter me: cur dilectissimum nominat Deus? nonne hoc nomine, cùm præcepit immolari, sufficiebat appellasse? nota ex eo quod Abraham voluit filium in holocaustum offerre, aliquos suspicari potuisse, omnem amorem erga filium deposuisse, sicque hoc opus non ita eximium esse: merito igitur nunc etiam dilectissimum, in quem gladium vibrabat, appellat, quia ita virtutem Abrahæ manifestare satagit, vt omnem occasionem adimat, ne innotescat cum aliqua suspicionis vmbra eam minuente. Fauet D. Amb. lib. 1. de Abr. cap. 8. *non otiose quoque hic dilectissimum filium dixit, vt illud quod supra dixit, quem dilexisti, ita dictum ostenderet, ne æstimares quod iam diligere desiisset.*

E

D Amb lib. 1 de Abra. cap. 8.

F

Quod præbet Deo obedientia, hoc melioratum accipit.

210 *Ne extendas manum tuam super puerum*, nonne tibi

tibi offerendum postulaueras Isaacum in oblationē? sine ergo vt inceptum opus perficiat, alias Abrahæ restituetur: & merito, qui enim ex obedientia aliquid Deo præstat ab eo melioratum illud accipiet: propterea inquit Chrysost. *quia tibi præcepi, præuisisti iussionem meam filio tuo, proinde & filium tuum accipe, propter hoc cum præcepi tibi vt extenderetur semen tuum, redimitus ergo obedientiæ tuæ corona, abi, ego enim voluntatem coronare soleo.*

S. Chrys.

Amor creaturæ ad Deum non est ad æqualitatem sed ad reuerentiam.

211. *Ne extendas manum, nunc cognoui quod timeas Deum*, cur non ait Angelus, nunc cognoui quod ames Deum? cùm actus immolandi pro domino filiū potius fiat ex amore quàm ex timore: nota duplicem esse amorem, vnum æqualitatis, qui versatur inter creaturas, alterum reuerentiæ & reperitur in inferiore re pectu superioris præcellentis: prudenter igitur loquitur dicens, nunc cognoui quod timeas Dominum, non autem quod diligas amore scilicet æqualitatis, sed solum reuerentiæ, qui in timore includitur: *hoc modo loquendi* (inquit Tho. Angl.) *designauit propriè* [illegible] *amorem enim creaturæ ad dominum suum non debet esse æqualitatis, sed cum summa reuerentia, & respectu agendorum debet esse cum summa obedientia, & in homine qui potest peccare, debet esse cum summo timore offendendi.*

Tho. Angl.

Gaudium pro Deo non amittitur, sed conseruatur.

212 *Ne extendas manum tuam super puerum*, super quem, nisi super Isaac? Isaac autem nonne risus & gaudium interpretatur? si igitur tibi suam offert lætitiam, cur eum illa carere non permittis, imo restituis? quia qui gaudium pro Deo relinquit, & renuntiat, non amittit, sed sibi conseruat: accipe testem huius veritatis D. Bern. ser. in illud ecce nos reliquimus omnia, qui sic loquitur, *mira nouitas, sed eius, qui noua omnia facit, relinquens omnia centuplum habet, Isaac oblatus siquidem sacrificatus est, non mactatus & tinguitur, si vocem Domini, audieris, & dicatur tibi, vt offeras Isaac tuum quodcunque gaudium, fideliter & constanter offerre ne* [illegible], *securus esto non Isaac, sed aries morietur, non peribit tibi lætitia,* [illegible] *enim te Dominus nec mactabitur Isaac, vt opinaris, viuens viuet.*

S. Bern. ser. in illa ecce nos reliquimus omnia.

Deus fidem nostram quærit non mortem.

213. *Ne extendas manum tuam super puerum*, extendat, ô Angele, adimplebit enim Dei præceptum, & maius augmentum meriti consequetur ex intuitu filij defuncti, & propter Deum in cineres deinde redigendi: sed vitæ filij parcat, vociferatur Angelus, Deus enim non mortem desiderat, sed fidem nostris operibus adiunctam solùm requirit: Sic scriptum reliquit D. Pet. Chrysol. ser. 108. *Deus fidem non mortem quærit, votum non sanguinem sitit, placatur voluntate non nece.*

D. Pet. Chr. serm. 108.

Fides inter gladios tuta.

214 *Ne extendas manum tuam super puerum*, quid liberabitur à gladio Isaac? nonne iam in caput eius vibrasti gladium? quomodo igitur incolumis euadet? non dubitas magnam fuisse tum Abrahæ tum Isaac fidem: quid igitur mirum si iam imminente capiti suo gladio seruatur? fides enim ab ense tutum custodit: Sic Zeno, *seruauit filium dum non pepercit, sola enim fides inter gladios tuta, inter feras amica, in ignibus frigida, sola filios [illegible] asserenda, id est [illegible] ornata, qualis fides Abrahæ.*

S. Zeno ser. 3.

Misericordia Dei nostrum præuenit desiderium.

215 *Ne extendas manum tuam super puerum*, dic mihi, ô Abraham, cùm manum extenderes vt filium iugulares, nonne post mortem solum resurrecturum credebas & tunc tibi incolumem restituendum? quomodo igitur nunc Deus præcipit vt ab immolatione eius abstineas, tibique sine læsione restituit? quia nostram expectationem præuenit eius misericordia, ecce accurrit ne moriatur Isaac, plenius ac perfectius patrem solatur, filium, ne occidat, imperans.

Tanta gloria est pro aliis moriendi, vt Verbum homo existens, sibi eam voluerit reseruare, nemini antea primo volens tribuere.

216 *Ne extendas manum tuam super puerum*, si Isaac typus est filij tui dilectissimi, ô Deus, cur sicut iam est alligatus, vt ostenderet filium tuum vinculis & funibus constringendum, & sicut ipsemet holocausti ligna humeris suis detulit, vt denotaret verbum tuum carnem factum, lignum crucis ad locum supplicij baiulaturum, cur noluisti vt Isaac immolatus periret ad futuram filij mortem tui annuntiandam? quia tanta est pro alijs moriendi gloria, vt nemini antea primum voluerit tribuere, sed sibi eam reseruare voluerit. Sic Clemens Alex. lib. 1. pædagog. c. 5. his verbis, *Isaac typus est ac figura domini, erat enim filius Abrahæ, quemadmodum Christus Dei, hostia autem sicut dominus, sed non oblatus est vt dominus, ligna solum sacrificij portauit: Isaac, vt lignum dominus, solum autem iure non est passus Isaac, qui primas passionis partes verbi cesserit*, tam præclara tamque spectanda est gloria qualis est filium innocentem à Deo in holocaustum offerri, vt noluerit ipsemet Deus tandem homo futurus vt sibi aliquis mortalium eam sibi præriperet.

Clemens Alex. lib. 1. pæda. ca 5.

Deus ne nobis aliquid ex pura misericordia videatur tribuere, aliquid exigit vt noster debitor videatur.

217 *Ne extendas manum tuam super puerum*, cum filium illius, tibi in holocaustum offerri voluisti? cur postulasti vt tibi sacrificium vitæ illius fieret: ne cū nobis verbum suum tribueret, ex pura misericordia dare videretur, sed quasi ex debito, scilicet quia propter suum amorem, iam purus homo pignus suum charissimum morti tradere statuerat: verba sunt expressa Rupert lib. 6. in Genes. cap. 3. *vt non omnino* (inquit) *ex sola misericordia staret salus hominis, sed misericordia & veritas obuiarent sibi, quæsiuit misericors Deus capitulum in homine, per quod posset iuste debitor ipse teneri: quæsiuit inquam ab homine vnigenitum sibi filium immolari, vt suum ipse filium iusta vicissitudine deberet homini, igitur cùm dicit idem filius in Euangelio suo, sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret: non dilectio remissa vel misericordia carens iustitia, nam & homo sic [illegible] Deū, vt offerret illi non dubitauerit filium suum vnigenitum.*

Rup. lib. 6. in Gen. cap 6.

Ioan. 3.

Resurrectio vnigeniti prærogatiua Christi Domini.

218 *Ne extendas manum tuam super puerum*, si secundùm fidem Abrahæ, à mortuis filius suscitari debet, patere illius immolationem, sic enim fides illius

magis elucescet, merito non patitur immolari, licet resurrecturum crederet, quia resurrectio vnigeniti tanquam prærogatiua Christo Domino debebatur, *ideo* (inquit D. Prosp. part. 1. de promiss. & prædict. Dei cap. 17. in fine) *Isaac immolatus non est, quia resurrectio filio Dei seruata est.*

D. Prosper part. 1. de promiss. & prædi.

Magna in nobis debet esse vis exempli.

219 *Ne extendas manum tuam super puerum*, an tibi charior puer quam adolescentula? cur igitur sicut incolumem seruasti à gladio patris Isaacum, sic filiæ Iephte non pepercisti? nota Iephte exemplum habuisse in Abraham, Deum non delectari sanguine innocentum, nec filicidium sitire: merito igitur patrē vt filiam Iephte immolet, non reuocat, quia oraculum expectare non debebat, sed exemplum contemplari, quo à parricidio reuocabatur: accipe D. Amb. lib. 3. de virginit. *dum consilium esset ambiguum* (inquit) *signare debuit oraculum, quid ad præsens facto & in reliquum conueniret exemplo, vbi vero iam præcessit exemplum, necessarium non indicauit oraculum, cùm facti forma veteris quid fieri oporteret, ostenderit.*

D. Amb. li. 3. de virgi.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIII.

VVLG. Leuauit oculos suos Abraham, viditque post tergū arietē inter vepres cornibus hærentem, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio.

Sept. Et respiciens Abraham oculis suis, vidit, & ecce aries vnus, qui tenebatur in virgulto Sabec, cornibus, & iuit Abraham, & sumpsit arietem, &c.

Cald. Et ecce aries postquam apprehensus est in arbore cornibus suis, & abijt Abraham, & tulit arietem, &c.

Pagnin. Et ecce aries post detentus in perplexitate cornibus suis, & perrexit Abraham, & accepit arietem, &c. & fecit ascendere eum pro filio in holocaustum.

Vulg. antiq. Et an aries stabat post detentus in dumo cornibus suis.

Vatab. Et ecce aries retro detentus in densitate.

Chrysost. Aries vnus detinebatur cornibus in arbusto.

Lipp. Et ecce aries postquam appensus est in perplexu, siue implicatione.

Procop. Aries apprehensus tenebatur in perplexu veprium cornibus suis.

Syrus. Ecce aries suspensus.

CONCORDIA.

אחז Achan non solùm apprehendere, tenere, sed & adhærere, detinere significat, sicut verbum סבך sauac, implecti, implicari, siue perfectè ligari, innecti, inuolui, colligari, à quo postea סבך seuac descendit, id est vepres, seu ramus condensus, vel irretitus, aut arbustum, quia hæc omnia inuicem perplexa sunt siue irretita, siue constipata, septuaginta nomen proprium virgulti, quo detinebatur aries, posuerunt.

EXPOSITIO.

Leuauit oculos suos Abraham, phrasis Hebraica, significans inspexisse, *viditque post tergum* scilicet voluens oculos, *conspexit arietem inter vepres cornibus hærentem*, ministerio Angeli aliunde adductum, *quem assumens obtulit holocaustum pro filio*, filius enim illius in holocaustum Deo offerendus, & sic in locum Isaac substitutus est aries ab Abrahamo.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Omnimoda sit cum Dei voluntate conformitas.

220. Leuauit oculos suos vidit que post tergum arietem inter vepres hærentem, cur post Angeli iussionem præcipientis, à sacrificando filio extensam manum referre, immediate subiiciuntur verba relata? negotium enim facescit leuasse oculos ad videndum ea quæ & post tergum & infra ipsius oculos erant subiecta, sed si attendis, duplici verbo vtitur scriptura, nec ad videndum arietem oculos leuasse, sed leuasse primum oculos, deinde arietem vidisse affirmat, plane vt ostendat non prius ab immolando filium manum mentemque retraxisse, quam leuando ad Deum oculos testaretur, æque se in vtrūque ob Dei obsequium esse paratum & vt antea ad sacrificium perficiēdum oculos leuauerat. (Sic enim versu 4. eleuatis oculis vidit locum procul) indicās illius Deum auctorem esse, cuius ipse ductum sequeretur, ita modo eodem facili habitu obtestaretur, nō nisi ex Dei præscripto, à morte filio inferenda cessare, nec alium denuo animum, alium vultum, alium trahere colorem.

Confirmatio eiusdem conceptus.

221 *Leuauit oculos & vidit arietē quē assumens obtulit in holocaustum pro filio*, quomodo, Moyses summa Abrahamū lætitia affectū fuisse nō testatur, cū a cæde filii abstinuit cumque in eius locum cessit aries immolandus? quia Dei in omnibus voluntati ita conformis, vt semper eadē mentis æqualitate, eodē animi tenore, eadē facie ac colore vultus, & terribilium sibi terribilissimum nēpe charissimi mortē pignoris, & quod reipsa suauissimum sibi foret, scilicet ab eius immolatione cessare aggreditur. Sic enim ad immolandum filium accessit ac si ab eius immolatione supersederet, sicque ab eo iugulando supersedit, ac si ad ipsum trucidandum accederet: ita monuit S. Zeno ser. de Abr. *eo ferro mactauit arietem quo filium percutere iam parabat, à filio ad agnum transtulit dexteram semper lætus & gaudens, nec mutatus est vultus eius cùm esset victima commutata cum tanta lætitia arietem obtulit cum quanta obtulerat & filium*, pende illud, nec mutatus est vultus eius, & miraberis pectus adamantinum, & triplici ære munitum, ita vt nec timor, nec

Zeno ser. de Abr.

gaudium colorem excutere valuerit, nec in ruborem pallor commutatus fuerit.

Christus Dominus Deus est & homo.

222 *Vidit arietem, quem assumens obtulit in holocaustum pro filio*, cum Abrahamo præcepisset, ne extenderet gladium in filium, leuauit oculos viditq; post tergum arietē inter vepres hærētem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum Domino: sine dubio hic aries immolatus typus fuit Christi Domini in ara crucis occisi; Isaac etiam gerit formam Christi: sed quomodo Christo Domino conueniat cùm solus aries fuerit iugulatus, non autem Isaac? vtrumque rectè figurat Christum Dominum, aries vt hominem mortalem, Isaac autem vt verbum patris: est enim Deus & homo, ita exponit Orig. Hom. 8. *Christus verbum Dei est, sed verbum caro factum est, vnum igitur in Christo de superioribus est, alterum de humana natura & virginali vtero susceptum, patitur ergo Christus, sed in carne & pertulit mortem sed caro cuius hic aries forma est; verbum vero in incorruptione permansit, quod est secundum spiritum Christus, cuius imago est Isaac.*

Orig. ho. 8.

Deus erga nos clementissimus.

223 *Vidit arietem quem assumens obtulit in holocaustum pro filio*, præceperat Abrahæ Deus vt sibi filium offerret in sacrificium, quomodo sententiam reuocare videtur, & in filij locum, arietem curat substituere? quia ita benignus in hominum genus, vt illius sanguini facillime parcat, vt vitæ condonet, quod miratur Chrysost. dicens, *vidisti Dei clementiam, sacrificium consummatum est cùm accepit arietem & obtulit holocaustum pro filio.*

S. Chrysost.

Quod sibi offerri in sacrificium vult Deus iam non desiderat esse terrenum.

224 *Vidit arietem inter vepres cornibus hærentem*, vel vt habet Amb. ecce aries vnus suspensus, quem assumens Abraham obtulit in holocaustum, qua ratione denotatur aries suspensus? quid enim vt victima Deo constituatur, necesse fuit vt suspenderetur? satisfacit Ambrosij responsio, *vt aduerteres hostiam illam non esse terrenam*, quasi diceret: hostia Deo est offerenda, quod terrestre in ea est exuat.

D. Ambr. li. de Abra.

Misericors Deus longè hominum misericordiam superat.

225 *Vidit arietem, quem assumēs obtulit in holocaustū*, cur Deus Isaac immolari non permisit? si enim & Isaac in sanctorum patrum limbo requiesceret, ab huius mundi calamitatibus liber esset, & Abrahā sui obsequii maius indicium præstitisset, æquo vultu exanime corpus filij conspiciens, cur si pater in sobolem charissimam gladium stringere nō formidat, Deus quasi tortē illius dolens auertit iam capiti imminentē? quia misericors Deus longe hominū: etiā patrum in filios misericordiam superat. Fauet Zeno ser. 5. de Abr. *in illo sacrificio solus Deus doluit quia alii victimam procurantis, nam Abrahā cum filio sic probatus a Deo, vt nō postulatis misericordiam consequeretur.*

Zeno ser. 5. de Abrah.

Christus Dominus secundùm naturam non diuinam sed humanam moritur.

226 *Vidit arietem quē assumens obtulit in holocaustū pro filio*, cur aries immolatus, Isaac autem à morte liber euadit? nota ex Melitone Episcopo Dominum Saluatorem in ariete & Isaac denotari, sed diuinitatē eius per Isaac, humanitatē autem per arietem significari: merito igitur solus aries in holocaustum offertur, & Isaac seruatur incolumis, quia Christus Dominus solum secundum naturā non diuinam, sed humanam mortuus censendus est: accipe Rup. *Soli vsui gladii Isaac subducitur, & aries pro illo immolatus, quia videlicet ipsus ille cælorum in quem desiderant Angeli prospicere secundum naturam qua Deus est, mori nō potuit, sed ea immortaliter atque impassibiliter permanente, secundum naturam hominis quam assumpsit inter vepres, id est inter scelera Iudæorum clauis hærens ad cornua crucis vere passus, vere mortuus est.*

Melito Sard. Episc.

Rup. Abb.

Iesus Christus spinis coronandus significatur.

227 *Vidit arietem inter vepres cornibus hærentem*, cur inter spinas denotatur aries repertus: quid enim hoc ad historiam refert? sufficit enim non ignorare loco Isaac substitutū fuisse: nota per eum designari Christum Dominū: rectè prius inter vepres inuentus antequam immoletur dicitur, vt Christus Dominus antequam cruci affigatur, spinis coronandus designetur: Sic D. Aug. 16. de Ciuit. Dei, *illo etiam ariete qui cornibus in frutice tenebatur, quo immolato impletum est significatiuo sanguine sacrificium, Iesus Christus significabatur antequam immolaretur spinis Iudaicis coronatus.*

D. Aug. 16. de Ciuit.

Christus cruci affigendus designatur.

228 *Vidit arietem inter vepres cornibus hærentem*, Syrus legit, ecce aries suspēsus, ita vt in arbusto sublimis & erectus detineretur, etiam secundùm testimoniū Eusebii Emisseni, cur sic apparet Patriarchæ? cur illius circunstantia situs à Moyse consideratur? vt Christus qui illo figurabatur cruci affigendus designaretur, sic Procop. *cum fruticetum anterioribus pedibus conscendisset frutecto implicitus, crucis formā pendens præ se ferebat extensione pedum.* sed non ita obscure D. Dam. ser. de inuent. crucis *hærens cornibus aries, est Christus crucifixus inter aculeatas, & vulnificas Iudæorum iniquitates.*

Procopius.

D. Petr. Dam. serm. de inuē. S. Crucis.

Per crucem venia.

229 *Vidit arietem inter vepres cornibus hærentem*, in Hæb. est in perplexitate בסבך basceuek quod Septuaginta retinuerūt, est enim apud eos in virgulto sabec: cur potius in hoc virgulto quàm in alio? potuit enim virtute diuina in alio detineri: Si diximus arietē hūc suspensum denotasse Christum Dominum cruci affixum, sicque huiusmodi arbustū crucis symbolū erit: at quomodo Sabec interpretatur? venia, & optime nam, per crucem consequuti sumus veniā: accipe testimonium catenæ græcæ *Sabec planta genus quod nomen apud hebræos veniam significat, quod ad mysterium facit*

Auctor catenæ Græcæ.

Longe Deus hominum liberalitatem superat.

230 *Vidit arietem quem assumens obtulit holocaustum pro filio*, dignitatene superat filius Abrahæ Dei sobolem, vt priori venia tribuatur, alter autem in crucem agatur? Isaac patri restituatur, Christum autem Dominum morti tradat Pater? non equidem, sed vt liberalitate Deum longe superare hominum munificentiam intelligamus: Sic Orig. hom. 8. in Gen. *Vide Deum magna cum hominibus liberalitate certantem, Abraham mortalem filium non moriturum obtulit Deo, Deus immortalem filium pro hominibus tradidit morti.*

Orig. hom. 8. in Genes.

Pœnitentia agenda cum hilaritate.

231 *Vidit arietem, quem assumens obtulit in holocaustum pro filio*, cur Isaac viuit, ariete in holocaustum oblato? per Abraham quemlibet iustum, per Isaac animi hilaritatem (interpretatur siquidem visus) per arietem carnem significari certum est: merito igitur aries immolatur, & Isaac viuit, quia (vt optime hugo Card. *vult Dominus vt cum hilaritate fiat pœnitentia, Matth 6. cùm ieiunas nolite fieri sicut hypocritæ tristes, tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua ne videaris hominibus ieiunans.*

Matth 6.

Deus propter seipsum præcipue, non autem propter sua dona diligendus.

232. *Vidit post tergum arietem*, pulchre animal quod Abraham pro Isaac immolauit, arietem fuisse scriptura memorauit, qui, vt scitis, dux est & præuius non hædorum, sed gregis innocui, videlicet agnorũ vel ouium, in quo inquit Phil. Abb. tract. de obedi. cleri. non incongruè animalis illa intentio designatur, qua homo Deum propter sua beneficia diligere comprobatur, cùm ab illo & quædam videt sibi tribui, & maiora in futuro sperat sibi retribui, qualiũ ille vnus mihi videtur extitisse, qui se dicebat retributionis intuitu diuinis iussibus obedisse Psal. 118. inclinaui, inquit, cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem, huius retributionis intuitus arietis more greges præcedit plurimorum, quos velut ad pascua ducit, & perducit ad custodiam mandatorum, quæ forte illi non magnopere custodirent, & sibi retribui non ambirent: sed cur dictum est huiusmodi arietem post tergum visum fuisse ab Abraham, cumque deinde in holocaustum obtulisse? quia postponenda est semper huiusmodi retributionis intentio & quasi post tergum abiiciendæ cùm Deo præstandum est obsequium, quia propter seipsum præcipue, non propter sua dona diligendus: ita cit. auct. *cum in hoc excelso excessu commendabili sublimantur (scilicet cùm contemplantur suis dilectoribus Deum nihil conferre melius quam seipsum) vultuque leuato & mundato, quicquam nisi faciem Dei nõ mirantur, qui paulo ante retributionis intuitu affectu mercenario sequebantur, iam eundem post tergum profectu gratulatorio deprehendunt, volentemque vel posterioribus adhærere statim viriliter apprehendunt, & ne de eo quicquam residead diuinis altaribus, non solum immolant sed incendunt.*

Psal. 118.

Phil. Abbas de obed. cler. ca 35.

Iustus quæ sunt corporis, animæ saluti postponat.

233 *Vidit post tergum arietẽ*, nescio cur hæc describitur circunstantia, quod ab Abrahamo post tergũ visus fuerit aries? si enim sacrificio destinabatur sane, sufficiebat dixisse quod inter vepres inuentus fuerit: nota per arietem carnem nostram denotari, & per Abraham hominem fidelẽ: merito igitur post tergum videt Abraham arietem, quia iustus ea quæ corpus spectant, postponere debet iis quæ sunt suæ salutis animæ. Fauet Hugo Card. *quilibet iustus debet habere post tergum carnem suam, ne curam eius faciat in desideriis &c.*

Hugo Car.

Voluptates carnis spinæ sunt & vepres.

234 *Vidit arietem inter vepres cornibus hærentẽ*, aries inter vepres caro nostra in medio voluptatũ, quibus irretita tenetur, nec ab eis liberari potens: sed cũ voluptatibus dediti nihil eis iucundius arbitrentur, quomodo eas vepribus pungentibus comparamus? quia licet initio suauissimæ videantur, grauissima & spinis plena terminantur molestia, nã vt optime Moses Barcepha Syrus Episcop. *his quibus iam fruimur mortales, voluptatibus sua cuique molestia cohæret veluti cibo largiori malum cruditatibus, potui copiosiori nausea, bonæ valetudini aduersa, atque ita in aliis quoque.*

Moses Barcepha Syrus Episc.

Verus obediens non solum quod sibi præceptum est exequatur, sed quod superiori gratum existimet, opere compleat.

235 *Vidit arietem inter vepres cornibus hærentẽ, quem assumens obtulit in holocaustum*. si tibi à Deo non legimus imperatum, vt arietem sacrificares, solũ enim tibi præceptum est vt non extenderes manum in puerum, non autem vt arietem in holocaustum offerres, cur igitur in holocaustum obtulisti? quia verus obediens qualis Abrahã, non solum quod sibi præceptũ est debet exequi, sed quod superiori gratum existimat opere complere, quamuis minime iussum.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIIII.

VVLG. appellauitque nomen illius Dominus videt, vnde vsque hodie dictum, in monte Dominus videbit.

Sep. Vt dicant hodie in monte Dominus apparuit.

Cald. Et orauit atque immolauit Abraham in loco illo coram Domino, sic erunt seruientes generationes, propterea dicebatur in die hac, in monte isto Abraham coram Domino immolauit.

Pag. Dominus videbit, ideirco dicitur hodie in monte Dominus videbitur.

Arias. Dominus prospiciet.

CONCORDIA.

LIcet in vulg. sit actiue Dominus videbit, in hebræo est יראה ierach videbitur, sed sensus fere est idem significans in angustiis fore adiutorem, sicque videbit Deus, in quantum auxilium laturus: videbitur autem in quantum illud quis experietur, in Caldæo non immorandum, est enim paraphrasis non versio.

EXPOSITIO.

APpellauitque nomen illius Dominus videt, vocabatur enim antea mons Moria, sed ab effectu, quia Deus afflictionem Abrahæ, illiusque & filij obedientiam animaduertit, nuncupatus est, Dominus videt: *vnde vsque hodie dicitur* scilicet prouerbialiter, *Dominus videbit*, hæc verba sunt Moysis: illud aduerbium referri debet ad illius ætatem, ita vt sit sensus, prouerbium à tempore Abrahæ incepit, permanetque etiam in ætate Moysis scribentis, *Dominus videbit*, id est sicut

Deus

Deus Abraham in illa vidit angustia, opem ei videlicet afferens, ita fore vt quicunque nomen eius ex animo innocauerunt, & ad misericordiam eius impetrandam toto animo contenderunt, Deum videbunt; id est salutarem optatumque petitionis suæ & diuinæ protectionis sentient effectum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Cùm humana salus desperata est, tunc Deus præsens adest.

236. A*ppellauit nomen loci illius Dominus videt*, nonne Deus omnia semper conspicit & intuetur? cur igitur potius hunc specialem locum montis Moria, hoc nomine *Dominus videt*, insigniuit? quia tunc Dominus afflictionem Abrahami vidit, cũ gladius filii ceruicibus impenderet, nec antea patrem metu liberauit, quàm filius in vltimo vitæ discrimine versaretur, vndè in prouerbium hoc abiit, vsque hodie in monte Dominus videbit, id est sinit Deus homines in vltimo vitæ discrimine versari, nec priùs eos aliquando à malo eripit, quàm desperatæ prorsus valetudinis eos viderit, sic explicat Rupert. Abb. *hoc nempe apud Hebræos exiuit prouerbium, vt si quando in angustia constituti sunt & Domini optant auxilio subleuari, dicant in monte Dominus videbit, & hoc est sicut Dominus misertus est Abrahæ miserebitur & nostri, vnde & in signum dati arietis solent nunc quoque cornu clangere.*

Rupert. Abb.

Virtutis opera oculis hominum non Dei celanda.

237. *Appellauit nomen loci illius Dominus videt*, voluit quidem vt Deus videret se paratissimum ad vnigeniti filii immolationem, quod equidem miror; nam nec permisit famulos suos cõscendere vt testes forent sacrificii, sed merito, nam virtutis opera hominum oculis celanda, solius autem Dei cognitioni aperienda sunt: quod D. Remig. in cap. 6. Math. aperit dicens, *sufficiat tibi vt ille solus nouerit tuam orationem*, adde & bona opera, *qui omnium corda nouit occulta, quia ipse qui est inspector, erit & exauditor.*

D. Remig. in c. 6. Math.

Memoria beneficii accepti semper remaneat.

238. *Appellauit nomen loci illius Dominus videt*, cur à Deo tibi restitutum filium, incolumem, omnibus cognitum esse voluisti? à te nunquam tanti beneficii memoria recedat: merito loci illius appellatione, omnibus aperit mortalibus tam eximium à Deo acceptum beneficium, quia memoria illius non solùm apud nos, sed & alios perseuerare debet: annuit Chrysost. dicens, *vide iusti religiosam mentem, quomodo vndequaque ex his quæ acciderant appellationes locis imponit*, scilicet vt omnibus notum esset hoc à Deo beneficium accepisse.

S. Chrysostom.

Deus etiam minimorum prouidentiam habet.

239. *Appellauitque nomen loci illius Dominus videt*, in Hebræo est Iehoua, itane oculi Domini coarctantur, vt montem videre dicantur? & cùm illum intuentur, cur Iehoua nuncupatur? optimè Caiet. *à nomine loci prouidentiam respectu singularium actionum ac rerum omnium in his inferioribus, summi Dei, qui est primum principium dans esse omnibus profitetur non defuturam, & nominatur Deus primum essendi principium, vt illius prouidentia vsque ad minima testimonium etiam ex hoc nomine haberes.*

Card. Caiet.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

V*VLG.* Vocauit autem Angelus Domini Abraham secundò de cœlo dicens.

Pag. Et clamauit Angelus Domini ad Abraham secundo è cœlo & dixit.

EXPOSITIO.

V*ocauit Angelus Domini*, licet aliqui opinentur nomine Angeli Deum intelligi debere, quia de se tanquam de Deo loquitur, dicens per memetipsum iuraui, id enim est proprium Dei, Angeli enim minimè per seipsos iurant, sed per Deum, nihilominus dicendum est verum Angelum fuisse, sed in persona Dei loquentem, & ideo tanquam Deum loqui, & hoc patet ex verbis ipsius Angeli dicentis, *per memetipsum iuraui dicit Dominus*, quibus manifestat se verbis Dei loqui, nec de se, sed de deo agere: sic enim crebro loqui solent Prophetæ, *dicit Dominus, vocauit Abraham secundo*, primo enim vocauerat cum iussit ne extenderet manum super puerum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus beneficiis cumulat beneficia.

240. V*ocauit Angelus Abraham secundo*, scilicet vt ei prædiceret futurum inimicorum suorum victorem, & in eo populos benedictionem accepturos: nonne sufficiebat ei tot præstitisse beneficia, fœcunditatẽ vxori, Isaac egregiæ indolis adolescentem &c. cur ergo de nouo plura pollicetur? quia Deus nescit pauca largiri, sed beneficiis beneficia cumulat, *sufficiebat quidem iusto*, inquit Chrys. *pro præmio quod viuus rediret Isaac, & quod meritus erat illam eximiam laudem nempe cum dixit, nunc cognoui quod timeas Deum, veruntamen is qui donis certare cupit & beneficiis, semper vincit mentem nostram, coaceruat etiam nunc iusti voluntatis remunerationes.*

S. Chrysostom.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVI.

VLG. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem non pepercisti filio tuo vnigenito propter me.

Sept. Propterea quod fecisti verbum hoc, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me.

Cald. Per verbum meum iuraui.

Pagnin. Quia pro eo quod fecisti rem hanc, & non prohibuisti filium tuum vnicum.

CONCORDIA.

חשך Chased cum puncto in sinistro cornu (nam in dextro dicit tenebrescere vel obscurari) significat proprie, prohibere, licet D. Hieronym. transtulerit pepercisti, sensum respiciens & non verbum.

EXPOSITIO.

PEr *memetipsum iuraui*, quia Deus prima veritas est supremaque natura, non habet quidquã præstantius & honoratius, per quod iurare possit: iuraui, id est iuro, familiare enim est Hebræis, præterito vti pro præsente: *quia fecisti hanc rem*, id est quia prompto & alacri animo iam paratus eras mihi in holocaustum offerre vnicum & dilectum filium tuum, *& non pepercisti filio tuo vnigenito*, postposuisti enim vitam proprii filii tui voluntatis meæ executioni; vnigenitum autem vocat respectu Saræ, nullum enim alium ex Abraham suscepit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nullus Deo maior.

241 PEr *memetipsum iuraui*, cur non per alium? nullus enim nisi per alium seipso maiorem iuramentum pronuntiat, merito non per alium sed per semetipsum iurat, nullum enim se superiorẽ nec maiorem habet. quod Theophil. obseruat in cap. 6. Epist. ad Hebr. *iuramentum est confirmatio veritatis, veritas autem Deus, quisnam alius fuerit præter Deum, qui cum non possit per maiorem iurare, per semetipsum iurat?*

Theoph in c. 6. Epist. ad Hebr.

Deus se demittit vt in promissis suis nos certiores reddat.

242. *Per memetipsum iuraui*, quia non infallibilis sunt veritatis homines, iusiurando quæ asserunt confirmant, vt maior fides eis adhibeatur, sed tu ô Deus, cum ex natura tua sis verissimus, cur iuramẽto, quæ daturus es Patriarchæ, asseueras? quia ita se hominibus attemperat, & quasi se demittit, vt de promissorum suorum euentu infallibili, certiores efficiat, iuramento se obstringat. Fauet Chrysost. *vide quomodo in sermone hoc per memetipsum iuraui, se demittit Dominus vt confidas omnino euentura sibi quæ à me dicta sunt, quando quidem enim homines promissis iuramenta adhibes, vt stabilierem accipiant promissionem iis quibus promittitur; ea propter & Dominus humana vsus consuetudine, ait per memetipsum iuraui.*

S. Chrysostom

Voluntas pro facto isto æstimatur.

243. *Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem:* si filium nõ interfecit, imo incolumem accepit, quomodo dictum est à Deo Abrahæ, quia fecisti hanc rem? nota ex Hieronym. Epist. 34. ad Iulian. eum voluntate iugulasse: merito igitur ait quia fecisti hanc rem, quoniam voluntas apud Deum pro facto æstimatur, quod optimè confirmat D. Chrys. *considera misericordiam Domini, non pepercisti, inquit, filio tuo, attamen viuum ipsum reduxit, non euentum considerat, sed voluntatem, quia faciebat mandata circa ratiocinationem curiosam, quantum enim ad voluntatem spectat cruentauerat dexteram Patriarchæ, & per ceruicem pueri immiserat gladium, perfectumque obtulerat sacrificium, idcirco & Dominus quasi sacrificio consummato laudat iustum, tu quidem non pepercisti propter meum mandatum, ego autem peperci propter tuam obedientiam*, itaque non facto ipso, sed solo voto filium suum Patriarcha immolauit, hæc autem prompta voluntas apud Deum pro facto ipso æstimatur.

Chrysost.

Ita Deus misericors, vt licet voluntatem in bono pro opere reputet, in malo, vt grauitatem minuat non pro facto existimare videtur.

244. *Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo propter me*, ecce quomodo volũtatem nostram & desiderium pro opere reputet, nam Abraham filio pepercit, à Deo iussus, nec eũ immolauit prohibitus: sed si ita se res habet, quomodo Oseæ 7. de Israële conquestus ait, in me cogitauerunt malitiam, non autem male operati sunt aut peccauerunt, cùm Abrahæ dixerit quia fecisti rem hanc licet solum voto sacrificium adimpleuerit? quia Deus ita misericors est, vt licet in bono voluntatem, pro opere reputet, in malis tamen ac demeritis, vt operis grauitatem minuat, & peccati malitiam veluti detrahat, quasi voluntatem tantum reputat, vt quasi ad exitum res non peruenerit, de ea præmagna misericordia loquitur, vt enim culpas hominum extenuet, cogitatas, potius dicit quàm opere cõpletas.

Deus

Deus tanto amore hominem prosequitur, vt cum eo agat tanquam familiaris cum amico.

245. *Per memetipsum iuraui*, multas hactenus Dei promissiones audiuimus, nusquam tamen quàm hic iuramentum addidit, nunquid Abraham, qui hactenus semper ob fidem commendatus est, hic primus diffidere incipit, vt opus sit iuramento Dei? nequaquam, non diffidit Abraham, sed verè & constanter credit, nec propter se iurauit Deus, quasi ipsi minimè fidendum sit, aut quasi fallere soleat: sed ideo iurat, vt ostendat quanto amore genus humanum cõplectatur, cum eo more & amore se Abrahamo conglutinet atque familiarem se ei præbat, quo solent homines erga eos quos certiores efficere desiderant.

Deus fidem nostram corroborare nititur.

246. *Per memetipsum iuraui*, superuacaneum mihi videtur Deum iuramento sua confirmare promissa, simplex enim eius affirmatio & negatio tantam habet firmitatem, quantam habere potest, etiam si mille iuramenta ei addantur, nihil enim iuramentum Dei addit simplici eius verbo: imo etiam incongruũ & indecens videtur diuinæ maiestati ac auctoritati iuramento se obstringere, quia non adhibetur, nisi quia sine ipso fides non adhiberetur homini dicẽti vel aliquid promittenti: at eo ipso quo aliquid Deus dicit, verissimum & certissimum est, atque adeo omnino credibile ac credendum, cur igitur Deus iurat, cum id suæ maiestati & auctoritati detrahere videatur? optima responsio est Thom. Angl. dicentis, *exterior iuratio Dei, multum valet respectu nostri ad ampliorem confirmationem nostræ fidei & spei, quia secundum Apost.* ad Hebr. 7. *per hoc abundantius ostendit nobis Deus consilium suum secretum, vt per hoc fortissimum spei solatium habeamus, licet respectu Dei nihil addat secundum rem, addit tamen secundum rationem, vnde dicimus, quod Deus plus diligit matrem quã Petrum, & quod vult plus diligi se quàm proximum, similiter potest in proposito dici, quod pro quanto maius inconueniens est periurium quàm simplex mendacium, pro tanto Deus difficilior est ad periurium quàm ad simplex mendacium, quamuis secundum se & absolutè sit ei vtrumque æque impossibile, non igitur inconueniens est Dominum per semetipsum iurare, tum quia non iurat ad confirmandum dictum suum, quasi debile ex parte Dei, sed quasi respectu nostræ fidei, tum quia non iurat per maiorem se aut per alterum à se, sed solum per seipsum.*

Tho. Angl.

Hebr. 7.

Deus iurat vt nostram subleuet infirmitatem.

247. *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus*, cur scriptura iurantem inducit Deum, cùm ipsi indecorum ac alienum videatur? iurandum enim intelligitur testimonium de re ambigua, de Deo autem nihil est incertum & dubium, qui etiam alios in cognitionẽ veritatis adducit: obserua animam nostram non sẽper in promptu habere præcipuam illam de Deo sententiam, non esse homini similem, vt transcendamus quidquid de homine prædicatur, sed quia maxima ex parte sumus affines rerum mortalium, nec sine harum admixtione cogitare quicquam possumus, sed induti rebus mortalibus tãquam cochleæ, eisque in morem earum inuoluti, eadẽ de illa beata immortalique natura, quas de nobis opiniones habemus, verbis quidem negantes Deũ humana forma & affectu esse, re autẽ ipsa humanos mores & affectus ei tribuentes, nam & manus ei affingimus & pedes, & surgere & stare, odium, iram, furorem, & pœnitentiam, affectus profecto nihil ad auctorem illum summum pertinentes: quo notato sic respondet Philo Hebr. in lib. de sacrificio Cain & Abel, *scriptura Deum inducit iurantem vt infirmitatem naturæ nostræ coargueret, & conniuẽtiam consolaretur, iusiurandum enim quod est in numero affectuum quos Deo tribuimus, est quo nostra subleuatur infirmitas.*

Phil. Heb.

Licet Deus ab æterno aliquid statuerit efficere in tempore, tamen regulariter non nisi nobis efficit operantibus.

248. *Quia fecisti hanc rem benedicam tibi*, nonne ab æterno benedictionem Abrahæ impertiri statuisti? cur igitur benedicturũ asseris, quia promptum animum in filii immolatione exhibuit? merito Deus ait, quia fecisti hanc rem benedicam tibi, quia licet ab æterno aliquid statuerit efficere, in tempore tamen regulariter nonnisi nobis efficit operãtibus: *disposuerat*, inquit Caiet. *Deus ab æterno se facturũ ea quæ subiunguntur, sed quia disposuerat se facturum illa intercedente hoc merito Abrahæ tanquam causa secunda, ideo ait quia fecisti rem hanc.*

Card. Caiet.

Tam excellens est opus obedientiæ, vt nomen non inueniatur quo appelletur.

249. *Quia fecisti hanc rem*, qualem, ô Deus! nonne eam nobis annuntiare vales? an nomen eius exprimi non potest? non ignoras per hæc verba, *quia fecisti hanc rem*, obedientiam Deo exhibitam à Patriarcha in immolatione filii sui intelligi: quid mirũ igitur nomen illius rei non expressum fuisse? quia ita excellens opus est, obedientia, vt ea dignum nomen ne ipse quidẽ Deus inuenire videatur. Sic Oleast. *hic Dominus non solum opus commendat, sed tantifacit, vt nomen quo laudet, non inueniat, non dicit quoniam voluisti immolare filium mei causa, sed quia fecisti hanc rem, quam quæso Domine? non inuenio nomen operi dignum.*

Oleast.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris, possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.

Sep. Certè benedicens benedicam te, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & tanquam arenam quæ est iuxta labium maris, & hereditate possidebit semen tuum ciuitates aduersariorum.

Cald. Quoniam benedicens benedicam, & multiplicans multiplicabo filios tuos sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris, & hereditabunt filii tui ciuitates inimicorum suorum.

Pag. hereditabit semen tuum portam inimicorum suorum.

CONCORDIA.

ירש Iaraz hereditate aut hereditatem accipere siue possidere significat שפה Sapha est labium, quod licet propriè sit oris extremitas, figuratè tamen est cuiuslibet rei margo, ora, & fimbria, vnde optimè noster interpres vertit littus maris, est enim sicut illius margo siue extremitas, in Hebræo est שער, in singulari scilicet porta, in plurali autem dixere alii, sed Sept. cum Caldæo ciuitates exposuerunt quod per portas intelligerent Hebræi.

EXPOSITIO.

Benedicam tibi, vel vt est Hebraicè benedicens benedicam tibi, quæ geminatio verbi certissimam & amplissimam significat bonorum copiam à Deo dandam, *& multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli*, id est posteri tui ita multiplicabuntur, quod stellis cœli siue maris arenæ in multitudine conferri potetunt: *possidebit semen tuum portas*, id est robur potentiam & imperium, nam munitiones & propugnacula in portis collocari solebant, quod equidem contigit sub Iosue, nam vrbes Chananæorum sub Dauide & Salomone, Palæstinorum, Ammonitarũ, Syrorum possederunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Quæ populo Christiano promittuntur cœlestia sũt, quæ vero Iudæo terrena.

250. *Benedicam tibi & multiplicabo semen tuum, &c.* nonne iam Deus hanc benedictionem & multiplicationem pollicitus fuerat Abrahæ? cur igitur eam denuo repetit? nam eiusdem repetitio superflua esse videtur: nota ex Orig. Hom. 9. in Genes, quod si Abraham tantum secundum carnem vixisset, & vnius populi, quem secundum carnem genuisset, pater fuisset, vna promissio sufficiens censeretur; nunc verò vt ostenderet eum primo patrem futurum eorum qui secundum carnem circumcisi sunt, circumcisionis suæ tempore, datur ei repromissio quæ ad populum circumcisionis pertinere deberet: secundo quia pater esset futurus etiam eorũ qui ex fide sunt, & qui per passionem Christi veniunt ad hereditatem, tempore nihilominus passionis Isaac promissio renouatur: quæ pertinere debeat ad eum populum qui passione Christi, ac resurrectione saluatur: sed cur ea quæ secundo populo promittuntur obseruat scriptura ab Angelo de cœlo dicta fuisse, non autem ea quæ primo? illa enim in terris dicta sunt, ait siquidẽ textus eduxit eum scilicet Patriarchã foras de tabernaculo, & dixit ei, respice stellas cœli, si numerari possint præ multitudine, & addidit sic erit semen tuum, subtiliter satisfacit Orig. *apertè hic illud designare videtur, quod Apostolus dicit primus homo de terra, secundus homo de cælo cælestis, ista ergo promissio quæ ad fidelem populum pertinet de cælo est, illa de terra.*

Orig Hom 9. in Genes.

Quod amissum credimus, illud obediẽtia multiplicatum restituitur.

251. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli*, nõne semen illud Isaac intelligitur, quem in sacrificiũ sibi offerri Deus postulauit? si ergo totus holocausto in cinerem redigendus, quomodo ita multiplicandus, vt stellis cœli in multitudine conferatur? nõne maximam Dei mandato præstitit obedientiam Abrahamus? merito igitur quem iugulandum credidit, multiplicandum accipit, obedientia enim longè numerosius restituit, quod timebatur deperditum: Fauet Chrys. *hic qui per voluntatem tuam occisus est, in tantam multitudinem propagabis semen tuum, vt stellis & arenæ adæquetur hoc tibi propter obedientiam erit.*

S. Chrysost.

Iustus non solùm pro merito accipit præmiũ æternum, sed etiam virtuti eius tribuitur temporale.

252. *Multiplicabo semen tuum*, scilicet quia animum exhibuisti promptum ad filii immolationem, si operi adeo eximio iusti Abrahæ debetur merces æterna, cur semen suum fore multiplicandũ pollicetur, quod quidem solum præmium est temporale? hoc etiam secundum promittit præter primũ, quod ei futurum erat, quia iustus non solùm pro merito accipit præmium æternum, sed etiam virtuti eius temporale tribuitur, *quia scriptum est*, inquit D. Gregor. in l. 1. Reg. c. 9. *quod vnusquisque mercedem accipiet secundum laborem suum, quod nimirum non solum de æterna retributione accipitur, sed etiam de præsenti, omnipotens Deus pro merito operis electis suis tribuit augmẽta virtutis, nam & Abrahæ filio, non parenti dicitur, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum.*

Greg Mag. 1 Reg c. 9.

Diuina exequentes mandata, maiori illustrantur lumine.

253. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli*, cur quod futurum est ei aperit? nõne sufficiebat tempore à te constituto, præmium Patriarchæ debitũ præbere? merito quæ futura sunt prædicit, & ignota reuelat, quia diuinum exequens mandatum, maiori à Deo illustratur cognitione. Fauet cit. Doct. *plerumque qui laborant in faciendis iis quæ sciunt per diuinam gratiam, maiora quæ agant cognoscere merentur.*

Cit. Doct.

Iustis nullus nocere potest, impiis autem omnes.

254. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenã*, quod ait, *sicut stellas*, referri potest ad iustos & electos, quod autem dicit *sicut arenam*, ad impios & reprobos: sed cur quæso iustos stellis, impios autem confert arenæ vel puluerit? obserua stellas in sublimi positas à nullo damnum accipere posse, arenã autem ab omnibus cõculcari: merito igitur pii stellis, impii autẽ arenæ cõferũtur, quia iustis null⁹ nocere potest, omnes autem impius: sic Rab. Sal. Abul. rectè *filii Abrahæ cõparãtur stellis quãtũ ad bonos, quia quãdo boni essent nullus eis nocere posset, sicut nullus nocet stellis in sublimi positis, quando mali essent, cõparantur arenæ vel pulueri, quia ita conculcarentur ab omnibus sicut puluis.*

Abul. ex Rab. Salom.

Verbo diuino instructi nihil timent.

255. *Multiplicabo semen tuum sicut arenam quæ est in lit-*

in littore maris, quando quæso progenies Abrahami, vt arena maris fuit? nisi cum de verbo vitæ, de sapientia incarnata habent fideles vt nulla aduersa timeant: accipe Phil. & si ignoranter tamen dicentē. lib. de Somnus, *progenies sapientiæ cum arena confertur, quia marinas vndas littoralis arena obiecta repercutit, sicut peccatorum fluctus recta per verbum diuinum instientia*, cur fluctus aduersitatum timeat, qui verbi diuini habet in se disciplinam?

Phil. l. de Somnus.

Reproborum numerus excedit longè prædestinatorum numerum.

256. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli & sicut arenam quæ est in littore maris*. Euseb. Cæsar. lib. 2. demonst. Euangel. c. 40. hunc locum de reprobis & electis intellexisse videtur, ait enim, duo sunt quæ Abrahæ Deus respondens promisit, de iis qui ab illo orituri erant, vnum quidem quod futuri essent sicut stellæ cœli, alterum vero quod tanquam maris arena. Dei quidem amici quales fuerunt illi veteres & Prophetæ, & Saluatoris nostri Apostoli, quibus ipse illud testimonium exhibuit, vos estis lux mundi, luminibus cœlestibus ipso splendore comparantur, reliqui vero, terreni scilicet atque in humum spectantes, arenæ similes habentur: sed cui arenæ reprobi conferuntur, stellis autem prædestinati: nō est dubium arenæ grana excedere numero cœli sydera: merito igitur reprobi comparantur maris arenæ. prædestinati autem cœli syderibus, longè enim maior est numerus electorum quàm aliorum, secundum illud Christi Domini, *multi sunt vocati pauci vero electi*.

Euseb. Cæs. l. 2. demōst. Euang. c. 40.

Veri fideles persecutionibus crescunt.

257. *Multiplicabo semen tuum sicut arenam quæ est in littore maris*, per arenæ numerum multitudo fidelium intelligi potest ex Titelmano exponente illud Psalm. 138. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur*, quasi diceret, prius illi amici tui admodum erant pauci, ita vt facillimè potuissent dinumerari, ac nullo negotio cogi in numerū certum aliquē: quemadmodum in actis Apostolicis, eos, qui simul in Hierusalem erant congregati, fideles, Ecclesiæ nouæ initio legimus certo comprehensos numero: atque ante Spiritus sancti missionem fere, etiam nominatim designatos, verum post modum Spiritu sancto demisso, & beatis Apostolis in omnem terram exeuntibus, tanta facta est credentium multitudo vt quasi arena maris fierent innumerabiles: en quomodo fideles arena denotantur? sed quæso cur potius littoris arenæ, quam quæ est in medio mari cōferuntur? aduerte arenam quæ in littore est, diuersis concuti fluctibus maris, & procellis agitari, nihilominus non minui, imo maiori vi comprimi & augeri, alia ex ipso mari adducta arena: merito igitur fideles diuersis persecutionum procellis non minuūtur, sed dilatantur: sicut dixit D. Leo Mag. Serm. 1. de Petro & Paulo, *semen siquidem est sanguis Christianorum, plures efficiuntur quoties metimur à tyrannis*, & Serm. 6. Epiph. *cruenta impietate*, ait, *in Dei populum sæuiebant, quasi ad maximam gloriam suam pertinere ducerent si de terris nomen Christianorum auferrent, nescientes Ecclesiam Dei per furorem suæ crudelitatis augeri, quando in suppliciis & mortibus beatorum martyrum qui putabantur minui numero, multiplicabantur exēplo.*

Noster Titelm. in Psal. 138.

D. Leo Mag. Serm. 1. de Petro & Paulo, & Serm. 6. de Epiph.

Deus in promissis suis constantissimus.

258. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli & sicut arenam maris*, si posteritas Abrahæ tibi inobediens & tua deserens præcepta, alios agnoscere Deos debet, an sicut arena quæ est in littore maris multiplicanda est? multiplicabitur equidem: si potius diminui deberet ita vt nullus eorum superesse et heret, cur stans tuis promissis eorum numerum pateris crescere? quia Dei semper sunt constantissimæ promissiones, dummodo eis cooperemur, quod obiectat Doctus Baptista Folengius in Psalm. 115. Super illa verba memor fuit in sæculū testamēti sui, quod mādauit in mille generationes ait, *vide constantissimum Dei consilium atque æternum, præstando si quid vnquam pollicitus est propositum, de quo pacto ac fœdere cū Abraham, Isaac postea & Iacob percusso, non vno in loco narrat Moyses, cuius sane ea fuit summa, vt ipse illorum esset Deus, ipsi vicissim illius plebs ac populus semper, id quidem præstitit æternus pater, licet ex parte Iudæorum millies iam fractum sit fœdus violataque fides ac iuramentum, attamen absque pœnitentia, vt inquit Paulus sunt dona Dei, vnumque illius promissiones, non quod sic meruimus, sed quia recordatus est misericordiæ suæ à progenie in progenies.*

Baptista Folengi. Psal. 115.

Christ. Domin. verè ab inimicis victoriā retulit.

259. *Multiplicabo semen tuum, possidebit portas inimicorum tuorum*, quot nationes, tot hostes Iudæi populi, & tamen ciuitates eorum non possidebit, quomodo igitur pollicetur Deus Abrahæ progeniem suam ciuitatum inimicorum victricem fore? nota Christum Dominum secundum carnem semen Abrahæ dici: merito igitur dixit semen tuum possessurum portas inimicorum tuorum, quia Christus Dominus verè ab omnibus suis inimicis victoriam erat relaturus: sic Orig. Hom. 9. *hoc verius & excellentius impletur in Christo Domino, quomodo autem hereditate accepit Christus ciuitates aduersariorum suorum? per hoc sine dubio quod in omnem terram exiuit sonus Apostolorum & in fines orbis terræ verba eorum, vnde & ad iracundiā excitati sunt Angeli illi qui singulas quasque nationes sub potestate retinebant.*

Orig. Hom. 9. in Genes.

Christus animam nostram possideat per mortificationem nostram.

260. *Multiplicabo semen tuum, possidebit portas inimicorum tuorū*, Sept. legunt ciuitates, si animæ nostræ sunt ciuitates regis magni, aduersarii eius, passiones & vitia nostra, quomodo semen Abrahæ accipiet hereditate ciuitates inimicorum suorū? dico id euēturum, si carnem nostram cum vitiis & concupiscētiis crucifigamus, quod auctoritate sua confirmat, cit. Orig. *vigilandum nobis est, quia aduersarius noster tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui nisi restiterimus fortes in fide, rursum nos in captiuitatem reuocabit: dirumpamus igitur vincula eorum, passiones & vitia nostra sunt, quibus tādiu innectimur donec carnem nostram crucifigamus cum vitiis & concupiscentiis, & ita disrumpamus vincula eorum, igitur occupauit semen Abrahæ, ciuitates aduersariorum, sed quid mihi prodest si semen Abrahæ quod est Christus, possideat portas inimicorum suorum, si meā ciuitatē non possideat? si in mea ciuitate, hoc est in anima mea, quæ est ciuitas regis magni nec leges eius nec instituta seruantur? quid mihi prodest si vniuersum mundum subiicit; si non destruat legem quæ est in membris meis repugnantē legi mentis meæ? igitur vnusquisque nostrum sic satagat, vt ea in sua anima & in suo corpore vincat Christus aduersarios nostros, & subiiciēs eos ac triūphās etiā sua animæ possideat ciuitatem.*

Cit. Orig.

Vilissimi sunt peccatores si cum iustis conferantur.

261. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & si-*

Noster Lyran. *cut arenam quæ est in littore maris, hoc dixit*, inquit Lyranus, *quantum ad bonos, & quantum ad terrenos, ita vt stellas cœli iustos afferat, arenam autem impios!* quod equidem mihi facescit negotium, nam quid in hoc sæculo magis fulget, sicut impius in dignitate sua? iusto autem quid vilius? cùm asserat Paulus de Apostolis, arbitratos esse sicut stercora? quomodo igitur stellas vocat Lyranus iustos, impios autem arenam? merito equidem, quia inter iustum & peccatorem ea est differentia, qualis inter vilissimum & abiectissimum arenæ granum, & fulgentissimum cœli sydus, quid autem vilius arena, stella autem pretiosius?

Paul. 1. Cor. 4.

Iustus prudens ita dirigit sensus suos, vt non ab inimicis habeantur.

262. *Multiplicabo semen tuum & possidebit portas inimicorum tuorum*, vt formetur moralis conceptus, obseruandum est inimicos non esse, qui oculis videri possunt corporeis, sed spirituales esse, quales spiritus immundi, & peccata: portæ autem per quas ingrediuntur in animas nostras, sunt sensus corporei, iuxta illud Hierem. 9. ascendit mors per fenestras vestras: quo posito quomodo portas inimicorum possidebit semen Abrahæ? tunc possidere incipiet, cùm iustus & electus diligenter & caute sensus corporeos custodierit, ne per eorum abusum prædicti aduersarii ciuitatem animæ nostræ ingrediatur, vnde optime Beringosf. Abb. c. 6. de inuent. S. Crucis, l. 1. *sicut ex præcepto Ioseph, quinta pars frugum Ægyptiarum data est regi, ita quinque sensus nostri, qui sunt portæ animæ nostræ, deferendi sunt in obsequium Dei, vt pro quinta parte quæ debebatur regibus, quinque sensuum nostrorum custodiam diuinis semper mancipemus legibus.*

Hierem. 9.

Beringosf Abb. c. 6. de Inuent. S. Crucis. lib.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVIII.

VVLG. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ quia obedisti voci meæ.

Sep. Quia obaudisti vocem meam.

Cald. Et benedicentur propter filios tuos omnes populi terræ, pro eo quod obedisti verbo meo.

Vatab. audiuisti in vocem meam.

CONCORDIA.

שמע Samaa obedire, obtemperare & audire significat, construitur autem non solum cum אל & ל, sed etiam cum ב vnde fit quod recte verterit Vatab. in vocem meam, est enim Hebraice בקלי.

EXPOSITIO.

ET *benedicentur in semine tuo*, id est per semen tuũ nempe per filium tanquam per causam principalem huius benedictionis, quid autem sit illud nisi Christus Dominus ex illo 3. ad Gal. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius, non dicit & in seminibus quasi ex multis, sed quasi in vno & semini tuo, qui est Christus: *omnes gentes terræ* per hãc benedictionem quam omnes consequuti sunt in Christo redemptionem intellige, in qua quantum ad sufficientiam omnes benedicti censentur, cũ pro omnibus facta fuerit, & sufficiat; quantum vero ad efficaciam non pro singulis generum (vt dicimus) sed pro generibus singulorum, quia ab Adam vsque ad finem mundi ex omnibus gentibus & nationibus salui facti sunt, & quot salui fient in morte eius salutem & benedictionem consequentur, cuius portionis sunt Sacramenta, quæ ex morte eius manarunt, & media quæ ad salutem nobis promeruit, *quia obedisti voci meæ*, non hoc ita intelligendum quod obedientia Abrahæ promeruit de condigno vt in semine suo, puta in Christo Domino omnes gentes benedictionem consequerentur, hoc enim Christi Domini merito propriè tribuendum est, sed solùm de congruo, obedientia enim illius vt causa meritoriè dispositiua cooperata est ad hoc vt in semine suo omnes benedictionem acciperemus.

Ad Galat 3.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non minoris meriti est parcere inimico propter Deum, quàm non parcere filio Vnigenito propter eundem.

265. BEnedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ, en quomodo Abraham prædicitur progenitor Christi Domini secundum carnem, quia vnigenito non pepercit, imo iuramento se ie obstrinxit Deus, hoc ita euenturum? sed cum eandem promissionem Dauidi factam conspicio nempe Psal. 131. *Iurauit Dominus veritatem, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, quem versum exponens D. Prosper. ait Dauid hanc promissionem accepit, quod fructus ventris eius super sedem ipsius esset ponendus, cuius regnum manet in æternum, qui ideo fructus ventris dicitur, quia Saluator secundùm carnem virginis matris est filius, conceptus nõ per virilem coitum, sed per Spiritum sanctum, cùm inquam idem Dauid promissum factum lego, non possum non inuestigare quam ob virtutem dignum illum iudicauerit, vt ei iuraret progenitorem verbi sui futurum? audiamus eximium opus Dauidis ex 1. reg. c. 24. desumptum, scilicet quod cum inimico suo Sauli infensissimo mortem inferre potuisset, libẽter tamẽ cõdonauit: ecce hodie, inquit Dauid. Sauli viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca, & cogitaui vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus: quid mirum igitur si promissionẽ accepit à Deo iuramento interueniente, Dauid futurum progenitorem Christi Domini, sicut & Abrahã? quia parcere inimico propter Deũ ita apud eum in pretio est, sicut filio vnigenito propter eundem non condonare: Fauet Rupert. lib. 4. de vict. Verbi c. 27. qui postquam eandem proposuit difficultatem, sic soluit: *ratio docet non multo minoris esse meriti pepercisse inimico propter Deum, quàm non*

Psalm 131.

D. Prosper.

Rupert l. 4. de vict. c. 27.

non pepercisse unigenito filio propter Deum, hoc fecit David inimico suo infensissimo quærenti animam suam, inimico regi, cuius regnum sine dubio se suscepturum sciebat, ibi pepercit ubi quærebat animam suam, quod eatenus fuerat inauditum, sicut ipse testatur Saul admirans & dicens ad eum: quis enim cum invenerit inimicū suū dimittet eum in viā bonā? ob hanc maxime causam iurasse illi arbitramur, quod semē vel caro eius assumēda foret in filium Dei, quia maxime causa ista facit filios Dei, sicut testatur ipse Dominus cùm ait, diligite inimicos vestros ut sitis filii patris vestri qui in cœlis est, dilexit inimicum, benefecit illi non solùm parcendo cùm occidere posset, verùm etiam plangendo cùm ille occisus fuisset, & sicut iam dictum est pro causa huiusmodi tali iuramento Dei dignus extitit.

Talis est obediens ut mereatur esse Dei hominis progenitor.

264. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, id est in Christo, qui futurus erat Abrahæ semen, sed quomodo tam eximium dignitatis gradum pertingere potuit, ut Dei & hominis genitor diceretur & esset? inspice quid de eo textus asserat, quia obedisti voci meæ: virtuti igitur obedientiæ eius tribuitur, quod Christi Domini fuerit progenitor, quod confirmat D. Crysost. *hæc omnia, scilicet, in semine tuo benedicentur omnes nationes terræ, tibi propter obedientiam erunt.*

S.Chrysost.

In Christo solo gloria nostra.

265. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*, in hebræo est *it Garecu* in coniugatione reciproca, sicque propriè reddendum est, benedicent se in semine suo omnes gentes terræ, vel ut habet Vatablus, & beabunt se se, quid est quod benedicent se in semine Abrahæ omnes terræ nationes? sine dubio idem est quod in Christo Domino, solum consequentur benedictionem: quod Lip. ita intelligit, *benedicent se, hoc est in solo illo semine beatificandos se verissimè dicent.*

Christus Deus est & homo.

266. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, si per illud semen non solum credimus, sed etiam Iudæi, Messiam intelligendum, quomodo Spiritus sanctus clarius non est loquutus dicens, in Christo vel in Messia benedicendæ sunt omnes gentes terræ? merito dixit in semine tuó benedicendas fore omnes nationes, quia hoc verbo comprehenditur quidquid nos de Christo fatemur, nempe quod verus sit homo, quod ex virgine natus, quod mori debuit, quod resurgere, & ad dexteram Dei sublimari, imo quod etiam Deus sit: nam quia semen Abrahæ dicitur, certum est quod homo sit, in hoc quod hoc semen alios benedicit, signum est ipsum maledictioni non subiacere, & cùm omnes mortales via naturali progeniti, maledictioni sint obnoxii, sequitur quod sicut verus homo ex fœmina nasci debuerit, sed ex virginè, ut maledictum non incurreret: tum si omnibus benedictionem debet impertiri, necesse est eum ex mortalibus in aliam transire vitam, qua possit omnibus ubique adesse: moritur igitur ut homo, & resurget, ascendetque ut adimpleat omnia, tandem si omnes per ipsum benedictionem consequuturi sunt, necesse est etiam Deum esse, quomodo enim purus homo vitam, iustitiam, salutemque omnibus terræ nationibus posset conferre?

Deus ad incarnationem suam prædixit se venturum mysticis & modis occultis.

267. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, ut ex his verbis & aliis conceptum efformare promissum valeam, recurramus ad thronum à Salomone constructum 3. Reg. c. 10. de quo sacer textus ait, habebat sex gradus, & quod erat ex ebore, nec non ex auro vestitus: cur sex gradus habuisse testatur Spiritus sanctus? quid enim refert scire quot instructus & ornatus fuerit? dico sex mundi ætates designari, per quas mysticis prædictionibus ex quibus una est, in semine tuo benedicentur omnes terræ nationes designari, quibus repromisit se ad suam incarnationem perventurum tanquam ad thronum, prosequitur Phil. Abb. to 2. in cant. tit. recapitulatio de throno eburneo dicens, *in 1. ætate quæ ab Adam usque ad Noe extitit, se venturum spopondit, quando mulieri denuntiavit dicens, semen tuum conteret caput serpentis, in 2. ætate quæ à Noe usque ad Abraham fuit, venturum se indicavit, quando filiis Noe dixit, crescite & multiplicamini: in tertia autem ætate quæ ab Abraham usque ad Moysem decurrit, ad futurum se præfiguravit, quando eiusdem Prophetæ proli benedixit dicens, in semine tuo benedicentur omnes nationes, in quarta vero ætate quæ erat à Moyse usque ad David, in multiplici sacrificiorum religione adfore se insinuavit, in quinta autem ætate quæ erat à David usque ad nativitatem beatæ Mariæ floruit, quia ipse est rex regum & sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech in regibus & sacerdotibus figurabatur se venturum esse: sexta ætas ipsa est quæ nunc agitur ab ortu Mariæ virginis usque ad diem iudicii, in qua ad incarnationem suam clementer dignatus est venire filius Dei, sicut in sexto gradu perveniebatur ad illud gloriosum sedile quod erat in medio throni aurei & eburnei.*

3.Reg.c.10.

Phil. Abbas to. 2. in canticas

Promissa Dei nō solum vera, sed ipsamet veritas.

268. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*, hæc promissio verissimè adimpleta in Christo Domino: sed undenam colligimus non solùm verum esse, quod pollicebatur Deus, sed etiam ipsammet veritatem? audi quid dicat Psal. 118. regius David, principium verborum tuorum veritas in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ: sed quodnam est illud principium verborū Dei, quod sit veritas? accipe Chrysost. ibi respondentem, *per verborum principium pollicitationes Abrahamo factas intelligit, nam ex eo tempore Iudæorum natio coagmentata est, verum postea promissa præstitit, & populum stellarum instar adauxit, quin & in ipsius quoque semine, quemadmodum promiserat, gentes omnes benedixit, & propterea divinorum oraculorum principium veritate cōdecoratum esse dixit.*

Psal. 118.

Chrysost.

VARIETAS LECTIONUM VERSUS XIX.

VULG. Reversus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabee simul, & habitavit ibi.

Septuag. Et perrexerunt simul ad puteum iuramenti, & inhabitavit ad puteum iuramenti.

Pag. Et surrexerunt & perrexerunt simul ad Bersabee, & habitavit Abraham in Beersebah.

CONCORDIA.

ויקמו Kum maiori cum proprietate significat surrexit quàm abiit, imo abire non indicat, sed stare: vnde fit quod noster vulgatus potius sensum quàm verbi proprietatem respexit, de puteo iuramenti diximus superius.

EXPOSITIO.

Reuersus est Abraham, scilicet acceptis à Deo promissionibus de benedictione & de generis sui multiplicatione, *ad pueros suos*, nempe ad famulos quibus præceperat reditum suum in montis radice expectare, *abieruntque Bersabee simul*, ibi enim commorabatur Abraham cùm ad montem Moria perrexit, *& habitauit ibi* tanquam colonus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vir vxorem non destituat consolatione.

269. Reuersus est Abraham & habitauit Bersabee, cur potius non est commoratus in monte Moria cùm filio, vt in quo tot à Deo acceperant beneficia, in eodem loco perpetuas agerent gratiarum actiones? obserua valde solicitam & anxiam mansisse Saram, tum de viri incolumitate, filiique sibi charissimi absentia, haud enim acceperat in quem locum vterque secesserat: prudenter igitur ad Bersabee regreditur, vbi Sara remanserat, vt sua præsentia anxium vxoris suæ animum subleuaret, tristemque consolaretur.

Maxima est iustorum humilitas.

270. *Reuersus est Abraham & habitauit Bersabee*, certe montem hunc habitationi suæ eligere debuisset, & præcipere famulis, vt ad eum, Saram cum omni familia adducerent, cùm enim tot ibi peracta fuissent mysteria, omnibus aliis locis debuisset anteferre: nota innotuisse Abrahæ filium Dei hoc in monte, vitam pro hominibus in cruce daturum: tantæ igitur fuit humilitatis, vt indignum omnino se iudicauerit huius sanctissimi montis inhabitatorem, timuitque tam propria quàm suorum mansione polluere.

Iustus à Deo se accepisse non iactat beneficia.

271. *Reuersus est ad pueros*, cur non aperuisti Abraham famulis magnificas tibi à Deo factas fuisse promissiones, vitamque filio tuo miraculosè conseruatam, arietemque in locum illius substitutum fuisse in holocaustum? merito silentio à Deo accepta celebrat beneficia, quia iustus à Deo prudenter ea nō se accepisse iactat: quod Lipp. obseruat, *de tanto opere vel promissis nihil iactat iustus, simpliciter arbitratur se id egisse quod obligabatur, & Domino debebat tanquam seruus inutilis parcissimus verbis vbique, sed sapientissimus consiliis & factis.* Lipp.

Christus Dominus ad cœlum vnde venerat reuersurus figuratur.

272. *Reuersus ad pueros & abierunt Bersabee*, quid nobis declaratur Isaac Bersabee à qua discesserat ex monte, in quo in holocaustum oblatus fuerat, rediisse? aduerte nomen Bersabee puteum satiantem interpretari: quod quidem cœlo vel gloriæ potest accomodari, iuxta illud Psal. 16. *satiabor cùm apparuerit gloria tua*, quod exponens Ludolfus Carthus. ait, *æternè enim ibi satiatur humanus appetitus, eo quod ibi bonum consequitur infinitum*, dicamus igitur Isaac figuram Christi Domini Bersabee à qua recesserat rediisse, vt significaretur quod perfecto in cruce sacrificio, in cœlum à quo descenderat, rediturus. Psal. 16. Ludolfus. Carthus.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XX.

VVLG. His ita gestis nuntiatum est Abrahæ, quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo.

Sep. Et factum est post verba hæc, & annuntiatum est ipsi Abrahæ, dicentes ecce peperit Melcha, & ipsa filios Nachor fratri suo.

Pag. Et fuit post res istas, nuntiatum fuit Abrahæ &c.

EXPOSITIO.

His ita gestis, scilicet omnibus quæ diximus peractis & regressu suo in Bersabee, *nuntiatum est Abrahæ quod Melcha*, &c. quia infra erat narrandum, quomodo Isaac duxit in vxorem Rebecam filiam Bathuel filii Nachor, idcirco hîc breuiter subditur de generatione Nachor: notandum est ergo quod vt dictum est cap. 11. Thare genuit Abram, Nachor & Aran, Aran genuit Loth, Nachor autem & Abram duxerunt vxores, nomen vxoris Abram Sarai, & nomen vxoris Nachor Melcha, erant autem istæ duæ vxores duorum fratrum sorores, & filiæ Aran patris Loth, & de hac Melcha hîc nuntiatur Abrahæ filios genuisse Nachor.

CONCE-

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Patres sint soliciti quibus filios suos iungant matrimonio.

173. His *ita gestis nuntiatum est Abrahæ*, &c. cur obseruat scriptura sacra, tunc nuntiatum fuisse Abrahæ Melcham fratri suo filios peperisse? quæ enim connexio inter hæc & verba præcedentia? tum, estne credibile antea non accepisse, fratrem suum filios genuisse? nota tunc Abrahamum solicitum fuisse de vxore filio suo danda, quam ex Chananæis ei iungere nolebat: merito igitur sacer obseruat textus, nuntiatum fuisse Abrahæ Melcham fratri suo filios peperisse, vt denotaret, quanta cum solicitudine & diligentia, cui filium suum coniugio iungere deberet, & cuius matrimonium fugere: fauet Rupert. *nuntiatum est Abrahæ subaudi ur nolenti accipere filio suo Isaac vxorem de filiabus Chananæorum inter quas habitabat, & solicito vnde sibi nurus esset speranda digna filio suo, nam hæc solicitudo vel occasio est idonea, cur hoc loco illi nuntiatum esse sacra doceat scriptura.*

Rupert.

Longe maior numerus Angelorũ quàm hominũ.

274. *Nuntiatum est Abrahæ quod Melcha genuisset filios Nachor fratri suo*, scilicet octo, & Roma peperit ei alios quatuor: en mysterium aliquod designari potest in hoc, quod vna ex vxoribus suis peperit sibi quatuor, alia autem plures? nota quod Nachor interpretatur requies luminis, propter quod recte designat Christum, qui est lux vera & requies electorum in cœlo: duæ vxores illius Ecclesiæ Angelorum & hominum: merito igitur dicitur quod Nachor ex prima & principali vxore, octo susceperit filios, ex secunda autem & minus præcipua solum quatuor, quia numerus beatorum spirituum longè excedit numerum hominum, vnde fit quod D. Greg. Nyssen. lib. de opificio hominis c. 17. loquens de Angelis dicat, *quanquam inter Angelos nulla sit propagatio, copia tamen eorum numero quadam infinita sunt*: sed ante eum D. Dionys. Areopag. lib. de cœl. Hierarchia c. 14. *multi sunt beati cœlestium mentium exercitus, qui infirmum & contractum numerorum corporeorum quibus vtimur, modum superant & transeunt, atque scienter definiuntur, à sola earum summa cœlestique intelligentia ac scientia.*

Cap. N. 7. Greg. Nyss.

Dionys. Areop. lib. de cœlesti Hierarc. c. 14.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXI.

VVLG. Hus primogenitum, & Buz fratrem eius, & Camuel patrem Syrorum.

Pag. Cum Cald. legit, Et Chemuel patrem Aram.

CONCORDIA.

HÆbræis non aliud sonat Aram, quàm Syriam, quæ est prope Iudæam, cuius metropolis est Damascus, quæ cum Assyria non est eadem, nam Assyria Hebraice appellatur אשור Asur à primo incola, Syria vero Aram.

EXPOSITIO.

HVs *primogenitum*, à quo Iob descendisse aliqui sed pauci affirmant, quia dicitur in principio libri Iob; vir fuit in terra Hus nomine Iob: communior tamen sententia est Iob fuisse de stirpe Esau, & pronepotem ipsius, si quidem ex cap. 36. Genes. colligitur, in quo dicitur quod Esau genuit, Rachuelem, hic Zaram, ex quo natus est Iobab, qui putatur esse Iob, & in eodem cap. mortuus est Bela & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Besra, hoc tenent tum Græci & patres Latini quod ratione confirmatur maximè probabili, scilicet quod initio libri Iob apparet ipsius patriam fuisse Hus, vbi scilicet natus educatus & versatus fuerit, at Hus erat in regione Idumeæ; quod adeo perspicuè docet Hieremias, vt nulli dubium remanere debeat, in quarto enim Lamentationum sic ait, gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus, ad te quoque perueniet calix, quibus verbis declaratur Idumæos habitasse terram Hus, tanquam regionis suæ partem, & sic magnum est argumentum beatum Iob gente Idumæum fuisse, & ex progenie Esau.

Iob.

Aristæus vetustissimus apud Eusеb. lib. 9. de præp Euan. Chrys. Aug. Theo.

Thren. 4.

Et Buz fratrem eius, ex cuius genere est Balaam ille diuinus, qui in libro Iob dicitur Eliu filius Barachiel Buzites, id est de Buz radice descendens, primum vir sanctus, & Dei Propheta, postea per auaritiam & munerum desiderium, dum Israel maledicere cupit, Dei indignationem incurrit.

Et Camuel patrem Syrorum, cùm multiplex fuerit Syria, nempe Mesopotamia, Soba & Damasci, quæritur cuiusnam fuerit hic Camuel pater, videtur quod Syriæ in Mesopotamia, nam ibi & Nachor & posteritas eius habitauere, illinc enim ducta est Rebeca ad Isaac, & ab eo missus est eodem Iacob, vt ex eadem familia & posteritate vxorem duceret.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

A malis parẽtibus probi aliquãdo naſcuntur filii.

275. **H**Vs *primogenitũ*, à quo quãuis aliqui ſuſtineant originem ducere Iobum, diximus tamen Eſau pronepotem fuiſſe: ſi ita impius Eſau, vt ſanguinem fratris ſitierit, ita ſacrilegus, vt primogenita, nec non ſacerdotium vendiderit, Iob autem ſerui Dei nomine ab ore ipſius diuinæ maieſtatis decoratus, dictus rectus, & perfectus: quomodo ſpecimen patientiæ, qui vt ait D. Chromatius in caput 5. Matth. de beatitud. ſe in omnibus virum Euangelicum præbuit, originem trahere potuit à viro impio & inhumano? arbor enim mala bonos fructus nunquam producere poteſt: ſine dubio hoc exemplo nobis declaratur, non ſemper à bonis parentibus pios haberi filios, cùm ab Iſaac Eſau natus fuerit, nec à malis impios, cùm Eſau pronepos fuerit Iob patientiſſimus, nobis arridet Sedulius Hiber. in cap. 9. Epiſt. ad Rom. *videmus de Iacob traduce natos factos perfidos, de Eſau fideles & Deo charos, nam quia de Iacob multi ſint perfidi, dubium non eſt, omnes enim Iudæi non credentes ex eo habent originem: & quia de Eſau boni ſunt & fideles, probat Iob qui eſt filius Eſau quintus ab Abraham, hoc eſt nepos Eſau.*

D. Chromat. in cap. 5. Matth.

Sedul. Hiber in cap. 9. Epiſt. ad Rom.

Auaritia prophetam Dei in ariolum diaboli commutat.

276. *Buz fratrem eius*, ex cuius genere fuit Balaam Propheta Dei, quomodo Propheta, ſi Angelus eum alloquens dixit; ego veni vt aduerſarer tibi, quia peruerſa via tua? aduerte auaritia obcæcatum Deum dereliquiſſe, & in partes diaboli tranſiiſſe, ita vt populo Dei benedicto maledicere tentauerit: quid mirum igitur huius Prophetæ viam fuiſſe Deo contrariam, nec non ex vate, diaboli ariolum ſurrexiſſe? hoc enim eſt proprium auaritiæ: ſic D. Hier. *Balaam ille primum vir ſanctus & Propheres Dei, poſtea per deſiderium munerum, dum Iſrael maledicere cupit, diuini vocabulo nuncupatur*, id eſt ariolus dictus eſt.

D. Hieron.

Auaritia facile ſerpit in immiſericordes.

277. *Buz fratrem eius*, cuius progenies fuit ille Balaam, quem miror, cùm vir pius fuerit, potuiſſe laqueis auaritiæ detineri, obſerua ex inhumanitate & immiti animo maledictionem populo Dei inferre voluiſſe: quid mirum igitur in barathrum auaritiæ decidiſſe? immitis enim & inhumanus ea facile capitur: accipe D. Paul. Epiſt. 32. *facile ſerpit cancer auaritia in præcordia, nullis miſericordiæ munita viſceribus.*

D. Paulin. Epiſt. 32.

Auaritia omnium malorum ſentina.

278. *Et Buz fratrem eius*, quem diximus fuiſſe progenitorem Balaam de quo loquens beatus Iudas & de eius imitatoribus ait, *væ illis qui errore Balaam mercede effuſi ſunt*: cur quæſo eos qui Balaam errorem ſequuntur, effuſos eſſe aſſerit? quomodo enim poſſunt effundi? aduerte illius quod effunditur nihil ex eo remanere: exiſtimo igitur eos eiuſos qui Balaam auaritiam colunt, beatum Iudam aſſerere, quia cupiditate habendi obcæcati, quibuſuis prauis cupiditatibus fræna laxant, ac ſe totos libidinibus conſtringendos præbent; & modò quæſtus ac vtilitatis ſpes affulgeat aliqua, nullum recuſant ſcelus, nec ab vlla abſtinent turpitudine: quod eleganter confirmat D. Laurent. Nouar. hom. 1. de pœnit: *auaritia infandum eſt vitium in hominibus; radix eſt vna in præcordiis fixa, ex qua pullulant omnia mala, quid eſt auaritia? cupiditas omnium malorum radix, de iſta radice exurgunt mendacia, oriuntur periuria: quis enim eſt aut diſtractor, aut emptor qui lucri gratia habet de cupiditate tractatus, nonne plerumque peierat? ſæpe mentitur: ſine hoc vitio negotiator aut rarus aut nullus, & quid dico negotiatorem, impoſtorem vſum commerciis videamus, quæ res facit prædones aut vnde erumpunt proditores? nonne de auaritia? prædo fuit Achab quando per factionem doloſæ mulieris falſa ſub proditione iuſtum ſingulaeis vt vineam eius violentus inuaderet: auarus & Iudas fuit cùm proderet Chriſtum Iudæis, cùm acciperet ab eis triginta argenteos: tolle auaritiam & non eſt diſcordia; aufer auaritiam & ſolus amor regnat, deſinat auaritia & ceſſat ambitio: tolle cupiditatem & nemo dicit hoc meum aut hoc tuum: fraus inde germinat, dolus inde conſurgit, factio inde concinnatur, iræ quoque inſidiæque, & homicidia, bella ipſa ſine publica hæc inteſtina, cupiditatis & auaritiæ fructus ſunt, vt ſi quando vel armis vel argumentis alter alterum vel ſuperauerit vel truncauerit, res eius velut victor diripiat ſuamque auaritiam ſuppleat, & hoc eſt quod in ſcriptura teſtatur Apoſtolus ad Timoth 6. radix eſt omnium malorum cupiditas.*

D. Laurent. Nouar. ho. 1. de pœnit.

Ad Tim. 6.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XX.

VVLG. Et Gaſed, & Aſau, Pheldas quoque & Teldaph,

Pagni. Et Cheſed, & Chaſo, & Phildas, & Tolaph & Bethuel.

CONCORDIA.

LIcet omiſſum ſit apud vulgatum nomen Bethuelis in hoc verſu, nihil tamen diminuit de filiis Nachor, nam in ſubſequenti verſu Bethuel ponitur.

EXPOSITIO.

ET *Caſed*, à quo iuxta Hieronymum Chaſdim, id eſt Caldæi poſtea vocati ſunt: ſed hoc minime concordat, cum eo quod ipſe tradiderat ſuper cap. 10. & à Ioſepho quoque traditum eſt, Arphaxad auctorem fuiſſe gentis Caldæorum, & cum omnium ſententia conſtet Abraham genere fuiſſe

Caldæum, & apud eam gentem natum atque educatum, fieri profectò non potest vt primus gentis Caldaicæ genitor fuerit iste Cased filius fratris Abrahæ, Asan idem est ac Chaso, varia enim apud Hebræos & Latinos eiusdem nominis est pronunciatio.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIII.

VVLG. Ac Bathuel, de quo nata est Rebecca; octo istos genuit Melcha Nachor fratri Abrahæ.

Sep. Bathuel autem genuit Rebeccam; octo hi filii quos peperit Melcha.

EXPOSITIO.

ET *Bathuel de quo nata est Rebecca*, propter hunc Bathuelem hic exprimitur generatio Nachoris, quia ab eo est Rebecca futura vxor Isaaci, quē ei iungere matrimonio cogitabat, & tunc nunciatum est de filiis Nachor, qui in textu referuntur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus intentionem rectam dirigit ad effectum.

279. *Et Bathuel de quo nata est Rebecca*, cur quæso tunc facta est mentio apud Abrahamum filiorum Nachoris? non enim hæc genealogia cum præcedētibus connexionem habere videtur, obserua satis anxium tunc fuisse Patriarcham, cui iungeret filium suum Isaac, & statuisse peruersæ gentis Chananeæ vxorem ei non assumere: non sine ratione igitur sed nutu Dei tunc accepit Abraham fratrem suum filios suscepisse ex Melcha, quorum vnus filiam nubilem haberet, vt agnoscamus Deum in angustia suos cōsolari, rectamque eorum intentionem ad effectum dirigere: *sic cognatio fratris Nachor* (inquit Lipp.) *narratur Abrahæ, octo scilicet filiorum, qui & neptem haberet Rebeccam filio desponsandam nutu Dei & ad consolationem Patriarchæ.* Lippom.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIV.

VVLG. concubina vero illius nomine Roma, peperit Tabee & Gaam & Tahas, & Maacha.

Sep. Vocauit eam Reuma, & filios eius Thabec, & Tahaam & Tochos & Mocha.

EXPOSITIO.

COncubina vero illius nomine Roma, ne propter huiusmodi nomē, quod simile est ciuitatis Romæ nomini, quis comminisci audeat, originem primam illius vrbis ad istam mulierem referendam, in Hebræo enim non est Roma, sed Reumach, cum concubinam audis, non accipias fornicariam, sumitur enim etiam pro vxore minus præcipua, cuius filiis non debebatur hæreditas, non æqualis honor, non sacerdotium, sed munera recipiebat, vt patet ex 25. huius libri, vbi dicitur quod Abraham filiis concubinarum scilicet Agar, & Cethuræ, largitus est munera.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

In sacra scriptura non semper est sensus mysticus inuestigandus.

280. COncubina illius Roma peperit Tabee, &c. quid nobis prodest tot filiorū nomina cognoscere? & verū Roma eorum fuerit mater? & quem ex eis sensum elicere possumus mysticum? quamuis nullum eliciamus, non est sacer textus superfluitatis accusandus: nam in eo non semper est inuestigandus: accipe Gloss. interl. *non mirum si non hæc omnia mysticos sensus gerunt, quia non omnes rami arboris fructum ferunt.* Gloss Inter.

In sacra scriptura nihil superfluum, sed in ea mira omnium connexio.

281. *Concubina illius Roma peperit Thabee, &c.* quid ad historiæ descriptionem pertinet Romæ fœcunditas? si autem Melchæ antea referuntur filii, ideo est quia Rebecca futura vxor Isaaci, ab vno eorum originem ducebat: sed Roma & filii eius superfluè in hac serie historiæ positi videntur; sed ne ita credideris, mira enim est in omnibus connexio: sit tibi testis Aug. 22. contra Faustum, *sicut in citharis & huiusmodi organis musicis, non quidem omnia quæ tanguntur canorum aliquid resonant, sed tantum chordæ: cætera tamen in toto cytharæ corpore ideo fabricata sunt, vt esset vbi vincirentur, vnde & quo tenderentur illa quæ ad cantilenæ suauitatem modulaturus & percussurus est artifex: ita in his Propheticis narrationibus quæ de rebus gestis hominum Prophetico spiritu deliguntur, aut aliquid iam sonant significatione futurorum, aut si nihil tale significant ad hoc interponuntur, vt sit vnde illa significantia tanquam sonantia connectantur.* D. Aug. 22. contra Faustum.

SYNOPSIS CAPITIS VIGESIMI TERTII.

SARA MORITVR ET PLANGITVR, atque in ſpelunca duplici, quam Abraham ab Ephron cum agro, præſenti emit pecunia, ſepelitur.

VARIETAS LECTIONVM VERS. I.

VVLG. Vixit autem Sara centum viginti ſeptem annis.

Sep. Facta eſt autem vita Saræ centum viginti ſeptem.

Pag. Et fuit vita Sarah centum anni & viginti anni & ſeptem anni vitæ Sarah.

CONCORDIA.

PHraſim Hebraicam quæ in repetitione annorum conſiſtit, breuius & elegantius expreſſit Vulgatus, apud Latinos enim importuna eſt eiuſdem verbi repetitio.

EXPOSITIO.

VIxit autem Sarà, hæc eſt prima mulier cuius ætas, mors, & ſepultura in ſacro contextu deſcribitur, non ſolùm propter eius eximiam virtutem, ſed & propter ſingularem dignitatem: mater enim Hebræi populi colitur, ſicut & Abraham pater illius honoratur, *centum viginti ſeptem annis*, & ſic Iſaac triginta ſeptem annorum erat, cùm enim peperit, erat nonagenaria.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Memoria iuſtorum in æternum permanet.

1. VIxit Sara 127. *annis*, cur ætas huius mulieris deſcribitur? cur mors illius exprimitur, cum ſepultura? hactenus enim in diuinis litteris non eſt mentio facta ætatis alicuius fœminæ, vel illius interitus: in dubium reuocare non potes eximiæ virtutis & pietatis fuiſſe Saram: merito igitur ætatis illius, mortis, & ſepulturæ fit mentio, vt illius memoria in æternum apud omnes vigeret, & vita illius obliuioni non traderetur.

Lætitia miſcetur amaritudine.

2. *Vixit Sara* 127. *annis & mortua eſt*, quomodo ilico poſt inenarrabile gaudium, quo parens & filius affecti fuere, pater incolumem filium recipiens, quem morti tradendum arbitrabatur, filius quia in holocauſtum Deo offerri dignus habitus eſt, poſt non exiguam lætitiam acceptam de nuntio vxoris habendæ filio ſuo, non de ſtirpe Chananæa, ſed ex proprio genere: quomodo nihil interpoſito, mors dilectiſſimæ vxoris Abraham & amantiſſimæ matris Iſaac deſcribitur? cur à narratione hiſtoriæ, quæ nihil quàm eximiam legentibus lætitiam confert, ilico luctus incipit? vt nobis ſignificetur quod omnis humana lætitia miſcetur amaritudine, *ſemper mundana lætitia* (inquit Innoc. Papa lib. 1. de contemptu mundi c. 21.) *triſtitia repentina ſuccedit, & quod incipit à gaudio, deſinit in mærorem, mundana quippe fœlicitas multis amaritudinibus reſperſa eſt.*

Innoc. Pa. lib. 1. de contemptu mundi c. [illegible]

Ante exitum huius ſæculi iuſtorum vita integra eſt.

3. *Vixit Sara* 127. *annis*, cur huius mulieris ſanctæ vo-

ctæ voluit Deus vitam 127. annis terminari? sunt enim anni nostri mensurabiles, non autem 120. vel pluribus? aduerte, ex Glossa Interl. quod numerus centesimus & vigesimus septimus solidus & quadratus est, & sic perfectionem indicat: merito igitur computatur vita Saræ sanctissimæ numero annorũ centum viginti septem, vt nobis sit apertum quod ante huius exitum sæculi, vita nostra sit integra & perfecta: sic cit. interli. *hoc numero signatur integritas vitæ sanctorum ante huius vitæ exitum.*

Glossa Interl.

Vult Deus vt concupitis diu fruamur.

4. *Vixit Sara 127. annis*, cur tot annos post filii sui natiuitatem, vitam ducere voluit Deus Saram? nonne sufficiebat quod filium natum & ablactatum vidisset? reuoca in memoriam solum nonagenariam peperisse, sicque diutissimè sobolem concupiisse: merito igitur in hoc sæculo ita diuturnam post filii natiuitatem transigit vitam quia vult Deus vt diu concupitis fruamur, *nec alterius fœminæ* (inquit Lippom.) *tanta legitur ætas legitur in canone, voluit eam Deus aliquandiu cum filio gaudere, quem tanto desiderio tot annis verbis Dei credula sperauerat*, en quomodo spes sanctorum plena est cum diu concupitis fruantur.

Lippom.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS II.

VVLG. Et mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron in terra Chanaam, venitque Abraham vt plangeret & fleret eam.

Sep. Et mortua est Sara in ciuitate Arbee, quæ est in valle, hæc est Chebron in terra Chanaam.

Cald. cum Hebræo, Et mortua est Sara in Canatharbe vel Chariatarbad.

CONCORDIA.

OPtime noster interpres vertit in ciuitate, vbi habemus in Hebræo בקרית & miror Pagninum linguæ Hebraicæ peritissimum Chiriat legisse sine huius dictionis interpretatione, קריה Kiria enim est ciuitas & cum constructione קרית Kiriat: quod positum est in 70. *quæ est in valle*, in authenticis codicibus non habetur.

EXPOSITIO.

MOrtua est Sara, debitum naturæ illius auctori persoluens, *in ciuitate Arbee*, per anticipationem sic appellata est, non enim tempore Abrahæ sic dicta est: si nomen Arbee quatuor significat propter quatuor Patriarcharum nempe Adam, Abraham, Isaac & Iacob, qui cum vxoribus hic conditi sunt, sepulturam: noster autem Lyranus non per anticipationem sic dictã asserit, sed quod hoc tẽpore sic appellabatur propter quatuor gigãtes ibi sepultos, scilicet Achimam, Sisai, Tilmai, alterius autem nomen desideratur. hæc autem ciuitas dicta est Hebrona à filio quodam Caleb Hebronis patre: sicque verba illa (quæ est Hebron) non Moysis sed auctoritate Synagogæ quæ tunc à diuino spiritu regebatur adiecta sunt; nam filius ille Caleb qui nomen Hebron indidit huic ciuitati, non solum post Mosis, sed etiam Iosue excessum, vrbem hanc cepit, expugnatis Chananæis.

Venit Abrahã vt plangeret, venit non de mõte Moria vel alio loco remoto, quasi præsens charissimæ suæ nõ fuisset exitui, sed venit de domo ad locum in quo iacebat eius cadauer sepeliendũ, *vt plangeret & fleret*, rectè vtrũque verbũ addidit Moyses, planctus enim distinguitur à fletu, quia planctus significat luctum solennẽ, nec nõ funeris pompã, sic 2. Regum 1. Dauid solemni funere & carmine planxit Saul & Ionatham, cæsos in bello: fletus est quædam lachrymarum emissio proueniens ex dolore.

2. Regum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nihil in hoc sæculo stabile & permanens.

5. MOrtua est Sara, cur vita sanctissimæ mulieri eripitur? cur diutius tum ad consolationem Abrahæ quàm Isaaci nõ relinquitur superstes? quia in hoc sæculo nihil stabile & diuturnũ, nec ipsa qua nihil est charius vita, quin etiã vti optime obseruat Hildebertus Ep. 56. *hæc aliena esse* (*nempe huius sæculi vel naturæ bona*) *fuga ipsorum denuntiat, bona vaga, bona pennata sunt, eorum esse nusquam esse diutius.*

S. Hildeb. Epist. 56.

Mors peccati vectigal.

6. *Mortua est Sara*, nonne in æternum vitam degere deberet, tum propter eximiam fidem, tum & celebrem pietatem? cur ergo è viuis excedere cogitur, & non nobiscum manere permittitur? quia mors peccati in primo parente contracti debitum est, *attende* (inquit Hildebert. cit.) *miserias hominum, imo nere cineres, vectigalia peccati sunt, peccatum tot secum sunt violationes, quot ex eo incommoda pullularunt.*

Citat. Hild.

Nullus ita vehemens amor inter coniuges qui morte non dissoluatur.

7. *Mortua est Sara*, si adeo stricto vniebantur amoris vinculo Abraham & Sara, quomodo soluitur interitu vnius? nam cũ dicat Spiritus sanctus Ecclesi. 25. in tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata corã Deo & hominib⁹, cõcordia fratrũ, & amor proximorũ, & vir & mulier bene sibi consentientes: si igitur in tribus maximè delectaris, in quorũ numero viri & mulieris amor cõprehenditur, quomodo inter Saram & Abraham voluntate tua soluitur? quia nulla inter coniuges ita vehemens dilectio, quam mors alterum ab altero dissocians, non extinguat.

Iustus in Ecclesia moriens æternam consequitur beatitudinem.

8. *Mortua est in ciuitate Arbee quæ est Hebrõ*, cur tot

circumstantiæ mortis exprimuntur? quid refert vtrū in Arbee quæ est Hebron è viuis excesserit, vel alibi, dummodo mors eius nobis innotescat? ad formationem conceptus moralis, obserua Saram quæ interpretatur princeps, iustum denotare, qui motuum suorum dominator est & rector, ipsi enim sunt principes magni, inquit Beda in c. 10. Lucæ qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt: Arbee interpretatur quatuor & significat Ecclesiam quæ est in quadro posita, Apocal. 21. Hebron interpretatur visio sempiterna: prudenter igitur refertur mors Saræ in Arbee, quæ est Hebron, *quia iustus* (inquit Hugo Cardinalis) *in Ecclesia moriens ad sempiternam euolat visionem.*

Vener. Beda in cap. 10. Lucæ.

Hugo Card.

Iustus in morte de bono mutatur in melius.

9. *Mortua est Sara in ciuitate Arbee quæ est Hebron in terra Chanaam*, si diximus per Saram defunctam in Arbee, quæ est Hebron, denotari iustum morientem in Ecclesia, & æternam consequentem fœlicitatem, quomodo conuenire potest textus sequens, quod Hebron est in terra Chanaam, cùm iis quæ dicta sunt à nobis? aduerte Chanaam mutationem interpretari: optime igitur quadrat, quod in Hebron, quæ est in Chanaam, moriatur Sara, *quia* (vt optime dictus Hugo Car.) *iusti mutantur in morte de bono in melius, iuxta illud Corinth 15. omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

Hu. Card. 1. Cor. 15.

Non idem honor datur fœminis etiam si iustæ sint, ac viris.

10. *Mortua est Sara*, miror cum Sara fuerit mulier sanctitatis eximiæ, cur non refert textus obiisse in senectute bona, plenamque dierum, sicut de viro illius aliisque virtute claris asseruit? sic enim sanctitatis illius euidentius testimonium haberemus, forte id non asseruit quia non idem honor piis fœminis datur ac viris: fauere videtur Carthus. *non est consuetudinis scripturarum mortem fœminarum quamuis sanctarum, tam solemniter describere sicut virorum.*

Dionys. Carth

Iustus quatuor virtutibus Cardinalibus moriatur ornatus.

11. *Mortua est Sara in ciuitate Arbee*, cur potius hunc designauit ei Deus locum in quo vitam cum morte mutaret quàm alium? diximus Arbee quatuor significare: sed cur in ciuitate quæ quatuor denotat, moritur? quia iustus per Saram expressus, cum è viuis excedit, quatuor virtutibus cardinalibus condecoretur: iustitiâ, reddendo Deo, proximo, nec non sibi ipsi debitum: prudentiâ de mediis sibi ad salutem æternam prouidendo: temperantiâ dolores mortis quantum in se est temperando: demum fortitudine maxima cū animi constantia insidiis diaboli tunc vehementiori tentatione nos opprimentis fortiter resistendo: fauet Glossa Moral. *mortua est in ciuitate Arbee id est quatuor, quia boni moriuntur quatuor virtutum perfectione.*

Glossa Moral.

Iustus quod humanū est non exuit sed retinet.

12. *Venit Abraham vt plangeret & fleret eam*, quomodo filium immolaturus sibi vita chariorem, nullas fudit lachrymas, nullum edidit gemitum, nec vlla ex corde tam graui vulnere saucio, traxit suspiria, sed vultu sereno atque inturbato animo vt rite Dei mādatū expleret filii immolationi totus fuit intentus? & nūc ob vxoris mortē ita tenero & molli fuit animo, vt in lachrymas resolutus, & in planctū effusus multū ab illo mutatus, multumque dissimilis sui videri possit, vnde quæso tanta eiusdem hominis tā diuerso affecto animo diuersitas? nimirum illic respectus & contēplatio diuinæ maiestatis & voluntatis, summūque studiū obtēperandi cœlestibus præceptis, omnes exclusit lachrymas, coercuit gemitus, omnēque paterni vel animi vel doloris sensū oppressit, at vero hic cōiugalis respectus, & vxoris amissio, cum qua diutissime & cōcordissime vixerat, iustū sanè mœrorē, doloremque in animo eius excitauit, *homo enim & ipse erat* (inquit L.) *& nihil humani à se alienū putabat.*

Lippom.

Lacrymæ pietatis ac charitatis defunctis non negandæ.

13. *Venit Abrahā vt plāgeret & fleret*, si preciosa est in cōspectu Domini mors sanctorū eius, in quorū numero connumerata creditur Sara, cur Abrahā mortem vxoris suis lachrymis deplorat, cū potius nō exiguo perfūdi gaudio deberet? obserua quæso duplicē fletū esse, qui pro mortuis solet effundi, moderatū scilicet & immoderatū: moderat⁹ vel ex naturali pietate vel ex charitate, quia adhuc qui defunctus est, huic erat sæculo necessarius prouenit: quo posito dico Abraha prudēter & merito charissimā vxorē suam fletu moderato prosequi, quia lachrymæ pietatis ac charitatis nō sunt defunctis negādæ: testis est D. Paul. Epist. 57. ad Pammach. *vt euocatione ad Deū sanctæ sororis meæ, ita deuotione pietatis in Christo tuæ pariter audiui ipse etiā patre familias per quē scripsi innotui, & prudentiā & sanctitatē veræ in coniugem charitatis tuæ, quam non vacuā fletibus vt maxima pars mortalium neque vano (vt spei nostræ expertes solēt) pōparum inanium honore comitatus es, sed remediis salutaribus ex viuis opibus, hoc est eleemosynis prosecutus debito ordine primum charo funeri iusta persoluens, piis lachrymis & charitatis longo rore perfusus, religiosius exequias honorasti: itaque istius pietatis inter opus ante laudabo, nam id quoque Deo placitum monstrat scriptura diuina, cum dicit, fili produc lachrymas in mortuo, & quasi dira passus, incipe plorare & non despicias sepulturam illius: denique Patriarchæ nostri huius quoque religionis sunt exemplo, nam pater fidei matrem vocationis nostræ Sarram fleuit, non vtique diffidentia recipiendæ, sed prægressæ desiderio, quomodo enim resurrectionis diffideret fidei pater, & repromissionis beatæ primus auditor?*

D. Paulin. Epist. 37. ad Pammac.

Eccles. 38.

Nimiæ nō sunt defunctis lachrymæ persoluendæ.

14. *Venit Abrahā vt plangeret & fleret eam*, cùm sibi charissima esset Sara, & amore prosequeretur eam ardentissime, cur solū de eo dicitur, quod fleuerit, nō autem quod amarè eam lachrymatus fuerit aut incessanter, nullū dolori & fletui finem imponēs? non quod immoderate vel nimium eam fleuerit dicitur, quia non sunt nimiæ lachrymæ defunctis persoluendæ, Paulinum Epist. citat. circa finem accipe sic dicētem, *pium est contristari de amissione charorum, sed sanctum, lætificari spe & fide promissionū Dei, & dicere animæ laboranti, quare tristis es & quare conturbas me? nunquid qui dormit nō adiiciet vt resurgat? acceptior est autē Deo gratia lætitia quam diuturna quasi querula tristitia, inanes lachrymas non effundamus, quæ vtique superfluo mortuis donantur nihil conferētes recepto & grauātes relictū, salua fide pietatis officia pēdamus & salua pietate fidei gaudia præferam⁹: esto tēporaliter fleat pietas, sed oportet vt iugiter gaudeat fides*, deinde subiūgit, *his verborū & exēplorum cœlestium auctoritatibus vt ad pietatem lachrymarum eis vsus es, ita etiam ad earum modū utere: scriptum est enim omnis rei tempus & tempus plorādi fluxerit, gratulandi modo tempus est, quia Dominus prope est, & scriptura diuina quæ producere nos lachrymas, quasi euaporādo dolore permittit, termino quoque designato præscribit*

Psal. 41. Psal. 42.

Eccles. 3.

praescribit tempora cùm dicit amaritudinem luctus vno ferendam die.

Defuncti non solum lugendi, sed cum pompa funebri prosequendi.

15. *Venitque vt plangeret & fleret eam*, nonne sufficiebat lachrymis vxorem defunctam prosequi? cur ergo à Moyse dicitur, quòd non solùm fleuerit, sed etiam eam planxerit? obserua planctum praeter fletum, pompam funebrem dicere, in qua non solùm lugubri voce & oratione deploratur mortuus, sed enarrantur virtutes egregiaque facta & merita eius, in comitatu parentum nec non aliorum amicorum cadauer insequentium: merito igitur non solùm fleuit Abraham, sed & planxit vxorem, quia defuncti non solùm lugendi, sed etiam pompa funebri prosequendi. vnde D. Greg. Nazi. oratione 7. de Caesarii fratris sepultura scribēs ait, *cum pompa clarus est sacris parentum manibus honoratus*, & D. Hier. de sepultura Paulae sanctiss. sic loquitur, *Paula translata Episcoporum manibus, & ceruicem feretro subiicientibus, cum alii pontifices lampades cereosque praeferrent, alii choros psallentium ducerent in media Ecclesia in spelunca Saluatoris est posita tota, ad funus eius Palestinarum vrbium turba conuenit.*

Nazi. oratione 7.

D. Hieron.

Verus amor est indeficiens.

16. *Venit vt plangeret & fleret eam*, si iam è viuis excessit, cur testimonium amoris tui in eam exhibes? si enim vxores amantur, vel propter pulchritudinē, vtilitatem, vel voluptatem, sed morte superueniente deficiunt haec omnia, necesse est vt amor in eas deficiat: aduerte in Sara nō solùm corporis eximiā pulchritudinē infuisse, sed potius animae scilicet virtutes quibus cōdecorabatur: & ideo amorē Abrahami in eā nō carnalē & imperfectū, sed spiritualem & perfectū: merito igitur in defunctā amoris sui exhibuit argumenta, dilectio enim illius non ex corporis pulchritudine, sed ex virtutū animae illi⁹ multitudine oriebatur, & ideo vera, sicque indeficiens, *amor enim* (inquit Euseb. Emiss. ho. in S. Matt.) *spiritualis indeficiens est, carnalis autem cito dilabitur sicut & ipsa caro.*

Euseb. Emiss.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS III.

VVLG. Cùmque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth dicens.

Cald. Surrexit Abraham à conspectu mortui sui. *Pagni.* à facie *Vatab.* Desuper facies mortui.

CONCORDIA.

Vatablus conformiter idiomati Hebraeo transtulit, sic enim habet מעל פני מתי Meal phene meto vulg. autem potius sensum & opus exhibitum ab Abrahamo respexit, quàm verba.

EXPOSITIO.

Cumque surrexisset ab officio funeris, dicit quod exhibetur cadaueri priusquā sepulturae mādetur, vti est ipsum vngere, postquā lautum est aromatibus condire, vestire decēter, & cum amicis & parentibus coram eo plangere, *locutus est ad filios Heth*, qui ibi commorabantur & à quo Hethaei dicti sunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non diutius inhaerendum est caeremoniis defunctorum cadaueribus exhibendis.

17. *Cvmque surrexisset ab officio funeris*, cur diutius non permāsit circa corpus vxoris defunctae? cur non protraxit plurimos in dies planctū? quis enim cohibere posset lachrymas in iactura ita dilectae & piae coniugis? prudenter ab officio funeris surgit nec longiores trahit moras, quia vt optime D. Amb. lib. 1. de Ab. c. 9. *per hoc docemur vt non diutius inhaereamus mortuis, sed quantum satis est officii, deferamus.*

D. Amb. lib. 1. de Abrah. c. 9.

Virtus condecorat mulieres nomine masculino.

18. *Cumque surrexisset ab officio funeris*, Septuag. legunt surrexit Abraham à mortuo suo: cur non dixerunt à mortua sua cum defuncta illius esset vxor? dices mortuum hic sumendum esse neutro genere non masculino, sed obstat D. Aug. in locutionibus super Genes. cuius haec fuit verba, non in neutro quasi corpus mortuum, sed masculino genere dictum scriptura graeca indicat, sic enim habet ἀπὸ τοῦ νεκροῦ, sed cur masculino genere vocat mulierem? hoc enim maximè videtur incongruum: in dubium non reuocas Saram variis virtutibus ornatā: merito igitur nō foeminina, sed appellatione masculina nominat, virtus enim nomine solis viris idoneo cōdecoratur: nescio si hūc sensum respiciens D. Greg. Mag. lib. 28. Moral. c. 4. ait, *scriptura sacra viros vocare consueuit, qui vias Domini fortibus & non dissolutis gressibus sequuntur, vnde & sapientia in Prouerbiis dicit, ô viri ad vos clamito*, quasi diceret qui virtutem colunt hi solo nomine viri digni censendi sunt.

Greg. Mag. lib. 28. Moral. c. 4.

Prouer. 4.

Mors aliorum nobis charissimorum aequo animo ferenda.

19. *Cumque surrexisset ab officio funeris*, cur non dixit cùm cessasset ab ingenti copia lachrymarum, in argumentum amoris maximi quo coniugem prosequebatur? merito non dixit eum abundantissimas effudisse lachrymas, mors enim etiam charissimorū patienti animo ferenda: hanc animi Abrahae moderationem in vxoris funere sic commendat Philo lib. de Abr. *amissa tali vita socia qualem scriptura depingit dolori cōtra se insurgenti & animā petenti, tanquā vinctus Athleta non succubuit, recolligens se & confirmans rationis robur à natura appositae affectionibus, id testantur sacra volumina vbi narratur eum modicis lachrymis profusis celeriter se subduxisse à cadauere, quippe qui*

Phil. l. de Abr.

prolixiorem luctum alienum putabat à sapientia, à qua didicerat mortem existimare, non extinctionẽ animæ, sed separationẽ disiunctionemque à corpore, illa redeunte retro vnde venerat, venerat autem à Deo, his vltimis verbis optimam ferendæ mortis rationẽ attingit, quis enim ferat inique animam ad Deum à quo processerat, recurrentem? & rationem confirmans subiungit, *quemadmodũ nemo sanus ægre fert à se reposci debitum aut depositum, eodem modo natura quod suũ est repetente, non arbitrabatur indigne ferendũ, sed necessitati cedendũ.*

Mortis memoria iustos ad perfectiorẽ vitæ statũ perducit & ad bonorũ tẽporalium cõtemptũ.

20. *Cumque surrexisset ab officio funeris*, cur non est à Moyse dictum postquam recessit, sed cum surrexisset? scio Caietanum respondere, insinuatur quod Abraham exercuit officiũ luctus iacens seu sedens in loco superiore respectiue ad faciem cadaueris, tãquam continuo spectans faciem vxoris, & quod ex hoc loco surrexerit: sed cur non asseremus etiã minime dictum fuisse à Moyse recessisse, sed surrexisse? vt innueret ad altiorem perfectioremque viuẽdi statum euasisse, dum enim vxoris suæ Saræ mortem tacita apud se cogitatione volutauit, ad perfectiorem vitam conscendit, quod difficile non erit ex ipsa littera colligere, nam paulo ante mortem Saræ constitutus fuerat à Deo terræ possessor, iuxta illud, possidebit semen tuum portas inimicorum suorum: sed post mortem Saræ factus est terræ contemptor dicebat ad Hethæos, aduena sum & peregrinus apud vos, quasi ex mortis consideratione ad vitæ contemptum induceretur, quod D. Chrys. expendens ait, *monstrat nobis scriptura virtutem Patriarchæ per omnia, spe futurorum despiciebat præsentia, & expectatione maiorum bonorum minus curabat, & quæ in præsentis sunt vita* (nec mirum) cur enim temporalia bona non contemneret, qui mortem omnium temporalium bonorum deprædatricem contemplabatur?

S. Chrysost.

Deus vtilitati nostræ & famæ consulit.

21. *Cumque surrexisset ab officio funeris*, cur diutius non inhæret vxori defunctæ? cur largiores non permittit Deus vt pro ea lachrymas effundat vel vt omnino ab eis temperet? aduerte quod belluarum & stipitum est nulla ratione commoueri aut obrigescere morte nobis charissimorum: sicut è contra nimia affici tristitia propter huiusmodi euẽtũ, maximè sanitati nostræ nociuum est: merito igitur Deus nec vult eum largiores effundere lachrymas, nec ab eis omnino tẽperare, quia sic eius saluti & vtilitati nec non honori consuluit: sic D. Pauli Epist. 37. pertractãs illud Eccl. 38. propter delaturam autem amare fer luctum illius vno die, & cõsolare propter tristitiam, & fac luctum secundum meritum eius vno die, vel duobus propter detractationem, sic ait, *Dominus qui producere nos lachrymas quasi euaporando dolori permittit, termino quoque designato præscribit tempora, cum dicit ama studinem luctus vno ferendam die: ò diuitiæ Dei bonitatis, quàm pia id ipsum sollicitudine nostri cauet, non pietatis propensæ inuidus sed infirmitatis nostræ cõscius, & omnis immodici temperator, lachrymas in mortuo produci iubet: amaritudinem vero lugendi vno tantum die claudit, illud porrigi sinens, quo dolor relaxatur & anima respirat, istud vero præcidens, quod immoderato & irrationabili cruciatu mentem nostram conficit, quodque diutius fragilitas nostra non valet sustinere.*

Pauli Epi. 37. Eccl. 38.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IV.

VVLG. Aduena & peregrinus sum apud vos, date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum.

Sep. Date mihi possessionem sepulchri vobiscum.

Pag. Date mihi hæreditatem sepulchri vobiscum, & sepeliam mortuum meum à facie mea.

CONCORDIA.

QVod interpres vertit ius sepulchri Hebraice אחזת-קבר quod potius apprehensionem aut possessionem sepulchri significat, vnde Caldaica possessionem habet: septuaginta autem κτῆσιν quod idem est ac hæreditas & possessio.

EXPOSITIO.

ADuena & peregrinus sum apud vos, licet enim apud eos commoraretur, tamen tanquam peregrinus nullam hæreditatem possidens, cum eis degebat, *date mihi ius sepulchri*, id est date mihi potestatem possidendi locum aliquem inter vos in quo tanquam in re mea possim iure meo condere sepulchrum, meosque in eo sepelire, licet enim sim peregrinus, commune sepulchrum cum aliis habere nolo propter religionis inter nos discrimen, *vt sepeliam mortuum meum*, id est defunctam vxorem meam, Hebræorum enim mos est masculinum vsurpare pro fœminino.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Cùm Dei sumus nihil nisi in eo mori desideremus.

22. *ADuena ego sum & peregrinus, date mihi ius sepulchri*, non domũ, non ius ciuitatis, sed ius sepulchri quærit, & cur ius ciuitatis non simul petit, cum honorificum sit ciuiũ numero adscribi & eorũ priuilegiis gaudere? D. Hier. de vera circũcisione respõdet, *Abraham post verbum Domini locum sibi nõ vbi viueret sed vbi moreretur, acquirit*, vbi sese dederat Deo nihil aliud quærit quàm sepulchrum, quo medio in Deo requiescat.

D. Hier.

Prima nostra possessio sit sepulchrum.

23. *Aduena ego sũ, date mihi ius sepulchri*, vel vt in Heb. date mihi possessionẽ sepulchri, quid? nõne plurimæ sunt diuitiæ? ingens pecudũ copia? plurima famulorũ multitudo? quomodo igitur nec vllã adhuc pretio hære-

hæreditatē cōparasti, sed solùm nunc venit in mentem acquirere sepulchrum? quia in hoc sæculo breuissimo & inconstantissimo, prima & vnica nostra debere esse possessio, acquisitio sepulchri: quod innuit Thom. Anglicus dicens, *est valde notabile, quod prima terra quam de iure sibi acquisiuit, imo qua in scriptura prima empta legitur, fuit sepulchrum, hoc enim de iure homini ipso competit, nec aliud hic nobis est quærendum aut habendum.*

Thomas Anglicus.

Contemptus mundi vigeat iugiter in nobis.

24. *Aduena ego sum & peregrinus*, quomodo nec tibi locus suppetit in quo sepulchrum ædifices? quomodo à tot annis vitæ tuæ, nec hæreditatem posteris ubique comparasti? sine dubio vt admirabilis dein ostenderetur huius vitæ in qua semper se hospitem iudicauit, terrenarum rerum contemptus, qui nihil ad vitæ vsum aut voluptatum possedit, vel agelli proprii, sed ad sepulchrum tantummodo locum quæsiuit, *in quo* (vt egregiè animaduertit Chrys.) *monstrat nobis scriptura diuinam virtutem Patriarchæ, per omnia, & quod sicut peregrinus & aduena toto tempore egit, a quo hoc assignauit, vt discamus quod tanto auxilio superno fretus, & sic illustris factus est, in tantam multitudinem diffusus, proprium non possedit sepulchrum, imitemur Patriarcham qui nullibi habuit sepulchrum quo Saræ conderet reliquias.*

S. Chrysost.

Ille verus aduena & peregrinus qui se & omnia diuinæ committit prouidentiæ.

25. *Aduena ego sum & peregrinus*, an solum aduena dicendus est Abraham, quia patria deserta alienam terram incolebat? minime equidem, hoc enim in laudem illius minime cedebat, cùm plures derelicto proprio regno, sine vllo merito, alterius fiant habitatores: dicamus igitur verum aduenam & peregrinum, quia se & omnia, diuinæ fidens prouidentiæ, committebat: vnde optime Ottomarus in allegoriis super Psal. ait, *aptissima metaphora est quæ competat in credentes verbi, aduena, nam cùm cuncta Deo committunt, anima salutem, vitæ alimoniam, amictum & oram, quibus necessario indiget, nihil est cur de patria se velint magnopere iactitare; sed magis exulare se fatentur à regno cælesti, cuius ciues sibi esse videntur & domestici Dei, vt ait Apost. ad Ephes. 2.*

Ottomarus in Alleg. super Psal.

Ephes. 2.

Virtutes sint nobis diuitiæ.

26. *Aduena ego sum date mihi ius sepulchri*, nonne paterfamilias omnem adhibet diligentiam, vt possessiones sibi comparet posteris relinquendas? arguetur enim negligentiæ, si hæredes aliquorum bonorum immobilium non constituat filios: cur ergo Abraham optimus paterfamilias, non ea cōquirit vndique? quia veræ diuitiæ hominis non bona terrena, sed virtutes æstimari debent, *habebat* (inquit Chrysost.) *sufficientes diuitias mentis, & de aliis non erat anxius.*

Cit. Chrys.

Peregrini à superbia caueant.

27. *Aduena ego sum & peregrinus*, si hominum erubescere est, cum necessitate compulsi fatentur se alienigenas & exteros, quomodo Abraham ita libenter, nec non humiliter se dicit peregrinum? sine dubio vt caueant exteri, alieno in solo, arrogantes temerarios, audacesque se præbere, sed quod est prudentiæ, modestos se atque humiles exhibeant.

Corpora defunctorum loco honesto sepelienda.

28. *Aduena ego sum, date mihi ius sepulchri, vt sepeliam mortuum meum*, cur vxorem cum aliis peregrinis sepelire recusas? arrogantiæ accusaberis, cùm enim sis aduena, proprium tamen sepulchrum possidere niteris, tum quid opus est tanta diligentia sepulturam cōquirere, cùm nihil referat vbi corpus putrescat? Domini est terra & plenitudo eius: concedo quidem nihil obesse animæ, quo loco corpus in puluerem redigatur, attamen cum corpora nostra sint tēpla Spiritus sancti, habeantque promissionē futuræ resurrectionis, congruum est corpora fidelium honesto loco & separatim ab aliis sepeliri: vnde D. Aug. lib. 1. de Dei ciuit. c. 13. ait *non contemnenda & abiicienda sunt corpora defunctorum maximè iustorum ac fidelium, quibus tanquam organis ac vasis ad omnia bona opera vsus est Spiritus sanctus: si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior affectus: nullomodo aspernanda sunt ipsa corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius quam quælibet indumenta gestamus, vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt & exequiæ celebratæ & sepultura prouisa*, & Orig. lib. 8. contra Celsum, *solas rationales animas honorare nouimus, & earum instrumenta solemni sepulturæ honore dignamur, incretum enim animæ rationalis domicilium non proiicere, sicut brutorum cadauera præsertim quod sunt anima bene & sanctè instrumento suo in certaminibus vsa receptaculum.*

D. Aug. lib. 1. de Dei ciuit. c. 13.

Origen lib. 8. contra Celsum.

Honores quos corporibus nostris post mortem deferri volumus, aliis deferamus.

29. *Aduena ego sum, date mihi ius sepulchri vt sepeliam mortuum meum*, quid? inest ne aliquis sensus cadaueri vxoris tuæ, vt illud honore sepulturæ prosequaris? vel laboras ne opinione eorū quod in sepulti fluuium transmigrare non poterant? absit hoc inquit Aug. à veris fidelibus, alioqui pessime actum est cum tanta martyrum multitudine, quorum non potuerunt corpora sepeliri, & fallaciter eis veritas dicit, nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quod faciant, si eis tanta mala facere potuerunt, quibus impedirent ad loca exoptata transire: sed quia hoc sine vlla dubitatione falsissimum, nec aliquid obest negata fidelibus eorum sepultura, nec aliquid si exhibeatur infidelib⁹, prodest, cur tanta cum solicitudine sepulturæ corpus vxoris mandari satagit? quia honores quos corporibus nostris post mortem deferri volumus, aliis deferre debemus: ita cit. Aug. *quod sibi exhiberi volunt post mortem suam corporibus suis quando sensuri non sunt, aliis non sentientibus, curam exhibent dum ipsi sentiunt.*

S. Aug lib. de cura pro mortuis agenda cap. 9.

Maximum pietatis officium est suos sepelire & peregrinos.

30. *Aduena ego sum, date mihi ius sepulchri vt sepeliam mortuum meum*, cur ita sollicitus sepulturæ tuam mandare vxorem desideras? ipsismet filiis Heth sepeliendam relinque: non enim ita barbari, & ferreæ naturæ, vt cadaueri sepulturam inuideant, insepultumque relinquant: merito anxius vxorem (quæ simul etiam erat & peregrina) exoptat sepelire, quia vt optime Lact. lib. 6. cap. 12. *vltimum & maximum pietatis officium peregrinorum & pauperum est sepultura.*

Lact. lib. 6. c. 12.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS V.

VVLG. Responderunt filii Heth dicentes.

In Hebr. Cal. & apud Sept. legimus, responderunt ad Abraham.

EXPOSITIO.

Responderunt filii Leth, plurimos congregatos fuisse Hethæos audita morte vxoris Abrahæ, vel potius concilium eorum alicubi congregatum supponendũ, à quo ius sepulturæ petiit Patriarcha.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peregrini patienter audiendi, & modestè alloquendi sunt.

31. Responderunt filii Heth, quis ignorat plurimos ita contemnere peregrinos & aduenas, præcipue si alterius fuerint prouinciæ, vel regni, vt nec eos sermone dignentur? quomodo igitur Hetthæi idololatræ, alterius regni & religionis ita benignè audiunt & responsione dignantur Abraham, cùm sit peregrinus & aduena & se talem profiteatur? vt illorum exemplo discamus, nullum quantumuis externum & alienigenam contemnere, sed omnes honore prosequi, nec non sermone dignari: vnde Moyses populum Dei inducens ad benignè peregrinum suscipiendum ait Deut. 10. *cùm Dominus Deus noster amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum, & vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ.* Deuter. 10.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VI.

VVLG. Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos, in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit, quin in monumēto eius sepelias mortuum tuum.

Sep. Nequaquam Domine, audi vero nos rex à Deo tu es in nobis; nemo enim prohibebit monimentum suum à te.

Cald. Acquiesce nobis, Domine noster princeps coram Deo tu es inter nos, in meliori sepulchrorum nostrorum sepeli mortuum tuum, non prohibebit vir ex nobis sepulchrum suum à te, quin sepelias mortuum tuum.

Pag. Princeps Dei es in medio nostri, singulus è nobis sepulchrum suum non prohibebit à te, &c.

Caiet. Audi nos Domine mi in electo sepulchrorum nostrorum sepeli mortuum tuum.

Bib. antiq. In electissimis sepulchris nostris.

Alii. Nubes Dei apud nos.

CONCORDIA.

IN Hebræo est נשא propriè ducem vel principem significans, quasi qui super alios sit elatus, à radice נשא Naia id est leuauit vel subleuauit: regem autem dixerunt Septuaginta, quia dux vel princeps alios regit & gubernat, in vulg. habemus nullus te prohibere poterit, sed verbum *poterit* nec apud Septuaginta nec apud Heb. reperitur, solùm enim nullus Sepulchrum prohibebit, habent.

EXPOSITIO.

AVdi nos Domine, Dominus vocatur, vel quia quemlibet aduenam honoratum sic nominare solemus, vel quia apud eos tanti æstimabatur, vt hoc nomine eum cohonestarint, *princeps Dei es apud nos*, principem vocant Hebraismo virum principalem, & qui inter alios præ cæteris eminet, *in electis sepulchris nostris*, id est in quolibet sepulchrorũ nostrorũ quod tu præ cæteris elegeris, *nullus te prohibere poterit*, quasi dicerent, tanto te amore prosequuntur omnes, vt nullus obstabit, nec impediet quin si velis, vxorem tradas sepulturę.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deo obediens & credens regis nomine decoratur.

PRinceps Dei es apud nos, vel vt habent 70. rex à Deo tu es, quomodo ita ad eximium in homines euectus est principatum; vt eorum rex diceretur? cùm enim esset aduena, quomodo ad hoc peruenit fastigium? singularem certe circa Deum præstitit Abraham obedientiam, cum primus dicatur in sacris litteris Deo credidisse, hoc est obedisse, credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad iustitiam: merito igitur hunc honorem adeptus est, quia Deo credens & obediens; *primus* (inquit Philo Hebr. de nobili.) *credidisse Deo dicitur qui primus inconcussam fidē tenuit, adeptus autem hanc virtutem præstantissimā simul* Phil. Hebr. de nobili.

fimul et omnibus cunctas alias, vt apud hospites suos auctoritatem haberet regiam, sed clarius hoc expressit D. Paulus, loquutus de Abraham, *qui contra spem,* inquit, *in spem credidit vt fieret pater multarum gentium,* quasi diceret, quia Deo credidit & obediuit, dignus fuit vt imperaret multis gentibus.

Rom. 4.

Verborum grauitas in maximo nos constituit honore.

33. *Princeps Dei es apud nos,* si Abrahamus ingenuè aduenam & peregrinum inter vos se fatetur, humilisque & precabundus ad vos accedit: quomodo nihilominus salutatis principē? vnde tātam apud vos sibi auctoritatem conciliauit, totum hoc existimat Philo factum lib. de nobili propter maiestatem & sanctitatem verborum quibus vtebatur Abrahamus, *honorabat,* inquit, *eum quasi suum principem suspicientes ingenium augustius humano fastigio, nec enim sermonibus vtebatur vulgaribus, sed diuinitatem quandā præ se ferentibus.* nullum enim potest esse internæ sāctitatis clarius argumentum, quam externum colloquium de rebus seriis & grauibus institutum.

Phil. l. de nobil.

Princeps instar nubis, quia ab æstu aduersitatis suos protegere debet.

34. *Princeps Dei es apud nos,* alii secundùm Hebr. nubes Dei apud nos, quod quamuis non legerim nisi apud doctum Pæzium tex. 11. ann. 1. cantici Moysis, tamen certum est, quod nomen נשיא nasi, quod interpretatur princeps, nubem etiam significat, quod sicut princeps dicitur, eo quod sit super alios elatus, sic nubes etiam sursum eleuatur, vnde Ierem. 10. 13. legimus & ascendere fecit נשאים nubes seu vapores, & Prouerb. 25. 11. 14. נשאים nubes & euentus, sine imbre: sed quid commune habet princeps cum nube vt idem nomen nubem & principem designet? dico hanc analogiam inueniri, quod sicut nubes non solum de terra eleuatur à sole, & ab eodem sæpe dispellitur, ita & terreni principes de terræ puluere & ab extremis terræ suscitantur à Deo, ab eodemque deiiciuntur & disperguntur, cùm voluerit: sed etiam quia principes instar nubis, ab æstu aduersitatis subditos suos protegere debent, & liberalitatis rorem si opus fuerit, etiam cum dispendio propriæ substantiæ, impertiri, sicut nubes ipsa in pluuiam dissoluitur, pro terra fœcundanda.

Rex memoriam mortis & sepulchri habeat.

35. *Princeps Dei es apud nos,* D. Chrysost. rex à Deo tu es in nobis, quasi Hetthæi iam præsagirent regnum terræ illius ad Abraham itidem pertinere, sed expende quid primo offerant ei, quem ditionis illius regem prædicant, nimirum aiunt in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum: cur potius principem muneribus non colitis? sanè nihil prius cum principatu & regno coniungendum est quàm sepulchrum, & mortis meditatio, Theodor. ad c. 15. Genes. in cat. Græc. ait, *notanter ii admodum officiosi fuerunt in Patriarcham; quem cùm regem sibi à Deo esse acclamarent, cadauer tuum dixerunt in nostris selectis condito monimentis,* ecce tibi regalis inauguratio, quæ munera primo prætendat regi, nimirum sepulchrum vt quod sit imprimis necessarium principibus, quando nequit esse principatus sine mortis metu.

Theodor.

Princeps est cui non propria, sed Dei voluntas principatur.

36. *Princeps Dei es apud nos,* communi nomine princeps dicitur, qui in aliquos gerit principatum, Abraham autem Hetthæis non dominabatur; quomodo igitur princeps apud eos eorum nominatur? nullus est qui ignorat non suam, sed Dei in omnibus sequutum fuisse voluntatem: merito igitur princeps nuncupatur, quia vt optimè noster Bonna. 1. parte de Eccl. Hierar. c. 1. *magnus princeps est cui propria voluntas non principatur, vnde in Genes. princeps Dei es apud nos.*

Bonn 1. parte de Eccl. Hierarch.

Princeps Deo gratus qui virtutes colit.

37. *Princeps Dei es apud nos,* quomodo Dei princeps nuncupatur? si enim Deus hominum rex est seu princeps, quomodo Abraham qui mortalis homo est, ipsiusmet Dei rex potest appellari? inspiciamus versionem Cald. dicentem, princeps corā Deo tu es, id est oculis Dei gratissimus es: sed vndenam ita Deo gratum notum habuere? nisi quia virtutum amatorem & cultorem conspexere: nam vt optimè Agapetus Diaconus ad Iustinian. Imp. num. 67. *imperator vt est omnium Dominus, ita cum omnibus Dei seruus existit, tunc igitur demum vocabitur Dominus cum ipse sibi dominari nec illicitis voluptatibus famulari patietur,* en quomodo Imperator Deo gratus cum virtutibus ornatur.

Agapetus Diaconus.

Moderatus in deflendis mortuis fletus animum regium denotat.

38. *Princeps Dei es apud nos,* vel vt habet Philo, rex à Deo tu es inter nos, vnde quæso ille Hetthæorum vnanimis consensus, quo se Abrahamo externo homini, & peregrino tanquam proprio ac naturali principi subdiderunt? quam animi in eo excellentiā conspexerunt, vt eum regio nomine cohonestarent? reuoca in memoriam quod superius dictum est de Abrahamo, quod surrexit ab officio funeris, id est quod moderatè mortuam vxorem defleuit: quo posito, cur non dicemus illam Abrahami in moderando luctu patientiam & prudentiam, ab Hetthæis ita æstimatam fuisse, vt eam non nisi in animum regium cadere arbitrati sint? ita Philo cit. lib. de Abrah. *cum nihil,* inquit, *viderent eorum quæ apud ipsos ex more fieri solebant, in funere luctuque, non complorationes, non lamenta, non planctum virorum & mulierum, sed totam familiam sobriè moderateque mœrentem, demirati sunt non mediocriter sicut ante tota viri vita miraculo eis fuerit, moxque attoniti tanta virtutis excellentia, in qua nihil non inerat non eximium in hanc vocem erumperunt: Rex à Deo tu es inter nos.*

Phil. l. de Abrah.

Iusti veri sunt nobiles.

39. *Princeps Dei es apud nos,* si principes, alios generis excellunt claritate, & ab illustribus nati sunt parentibus, cùm Hetthæi ex qua sit ortus Abrahā familia, ignorent, cùm ipsemet se peregrinum, & aduenam fateatur, quomodo eum principem id est nobilissimum nuncupant? quia hominem iustum esse satis erat eis cōpertū: iustus autem cēsēdus est nobilissimus, accipe Phil. Iud. de nobil. *nobilitas expiatæ purgatæque mentis sors est præcipua, nobiles ducendi sunt soli prudentes & iusti, etiam si è vernis aut emptitiis nati sint, ex malis vero progenitis ex honestis maioribus nullus locus esto inter nobiles.*

Phil. Alex. de nobilit.

Quidquid excellens est in hominibus Deo tribuendum.

41. *Princeps Dei es apud nos*, cur non absolutè principem, sed Dei nominant principem? aduerte Hebræos quidquid excellit diuinum vocare, ideo hoc loco principem Dei intellige eximium & singulari præstantia: sed cur Hebræi, cum alia circumlocutione vti possent, ad aliquid excellens denotandū dicunt illud esse Dei? merito quidem, *vt se Deo*, inquit Vatab. *vni adscribere testentur quidquid virtutum in hominibus laude, & reuerentia dignum est.*

Vatablus.

Princeps ille est qui alios exemplo suo in virtutis studium ducit.

42. *Princeps Dei es apud nos*, id est princeps propè diuinus, D. Hieron. vertit ducem, sed cur Abrahamum quem principem Dei nuncupant, ducem suū nominát? quia cum virtutum splendore inter illos floruerit, merito suum ducem appellant, quia princeps aliorum est, qui eos vitæ suæ exemplo in virtutis studium ducit, & dominatu solo non præit quod S. Columbanus testatus est, vt refert Hector Boëtius de rege Scotorum Conuallo, *plus regis virtus ferocem populum à suis flagitiis & seditionibus coercebat, quàm eiusdem authoritas & ideo verè rex.*

S. Columbanus Hector Boëtius.

Virtutum cultor Dei vices in hoc sæculo gerit.

43. *Princeps Dei es apud nos*, an cùm sit omniū supremus Dominus Deus, an principem habet? minimè, nam princeps alicuius eo superior & eminentior est, Deus autem superiorem non agnoscit: quomodo igitur Abraham Dei princeps nominatur? nota principem Dei pro regem denotare: cur igitur eo nomine nō appellabitur cū virtutum cultor vices in hoc sæculo gerat accipe Caiet. dicentē, *fulgebat in Abraham tanta iustitia diuina, vt vices summi iudicis Dei gerere videretur.*

Card. Caiet.

Tanta virtutis est potentia, vt etiam Barbaros in sui admirationem rapiat.

44. *Princeps Dei es apud nos*, quid in hoc Patriarcha conspiciunt Hetthæi, Barbari, & infideles, vt censeant eum esse Dei principem? quid in homine mortali intuentur, vt quasi in admirationem rapti regem Dei nuncupent? sanè nihil nisi virtutes eius eximias, quarum tanta vis est & potentia, vt etiā barbaros in sui admirationem rapiat: hanc in Dauide experiebantur iusti iuxta illud Psal. 118. *Qui timent te, videbunt me & lætabuntur*, quæ verba explicans D. Ambr. ait, *plerisque iustis aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero lætitia est, quàm pulchrum ergo si videaris & prosis non dubitare possumus, quod iusti sanet aspectus sed quemadmodum iustus lætificat cor innocentium cùm videtur, ita & improbi iustorum cognitione torquentur, quia vel tacitis sanctorum moribus arguuntur.*

Psal. 118. D. Ambr. in cit. Psal.

Cum quo Deus est, maximo honore afficiendus.

45. *Princeps Dei es apud nos*, dixerat antea audi nos Domine, quamuis illius veri essent subditi, an alterius honoris titulo vel nominibus ita gloriosis quam Domini & Principis, condecorare possent? nimimè, quomodo igitur hominem aduenam ita extollunt, vt his cohonestent appellationibus? Deum cum Abrahamo esse cognorunt, tum ex victoria quam ex exercitu tot regum retulerat, tum quia in ætate maximè senili filium ex vxore sterili susceperat, tum ex illius substantiæ quasi prodigiosa multiplicatione: quid mirum igitur si tanquam dominum & principem reuerentur? maximo enim honore prosequendus cum quo Deus est, quod annotat Hug. Cardin. dicens, *magnus & honorabilis quia Deus tecum est.*

Hug Card.

Sensata petitio plus obtinet, quàm postulat.

46. *In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum*, quid à vobis petiit Abraham? solum ius sepulchri: vndenam igitur in vobis tanta liberalitas, vt non solum ius illud conferatis, sed vt electissimum sepulchrum seligat, conceditis? notate illius petitionem non indiscretam fuisse, sed prudentem: plus igitur obtinet quam postulat, *hoc enim meretur bene sensata postulatio quæ*, vt ait Lippom. *facilè suscipitur.*

Lippom.

Deo obsequentibus etiam mundus præstat obsequi

47. *In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum*, miror gentiles tantum obsequium homini peregrino & aduenæ præstare, vt illi suorum sepulchrorum selectissimum offerant: aduerte hunc Dei obsequentissimum agnouisse, quod equidem fatentur cum dicunt princeps Dei es apud nos, desine igitur mirari & gentiles hoc beneficium Abrahæ præstitisse, quia sine dubio si Deo obsequeremur, mundus etiam ipse nobis obsequia præstaret.

Humilitate ad Dei altitudinem acceditur.

48. *In electis sepulchris nostris &c. Princeps Dei es apud nos*, quid quæso sublimius quàm euehi ad Dei principatum quid Deo coniunctius quàm ipsiusmet Dei princeps? vnde Abrahamo tanta contingere potuit celsitudo? inspice humillima illius verba, aduena ego sum & peregrinus, & reperies quod humilitate Dei celsitudinem attingimus: testis est D. Prosp. lib. sentent, sent. 88. *non acceditur ad altitudinē Dei nisi per humilitatē & cui propinquat subditus, longe ab eo recedit elatus.*

D. Prosper.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII.

VVLG. Surrexit Abraham & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth.

Pag. Surrexit Abraham & incuruauit se populo terræ.

Caiet. Inclinatus est populo terræ.

CONCORDIA.

VErbum שחה Sacha prosternere incuruare, deprimere & adorare significat, inde diuersitas lectionum nascitur.

EXPOSITIO.

EXPOSITIO.

SVrrexit Abraham, sedebat enim cum aliis in consilio ciuitatis, *& adorauit populum terræ*, hic adorauit populum terræ, hic adoratio non sumitur pro cultu latriæ soli Deo debito, sed pro honore ac reuerentia alicui exhibita, quam quis aliquo corporis gestu declarat: gratias igitur Abraham agens filijs Heth pro sepulcro sibi oblato coram eis, pectus inclinauit, nec te terreat verbum adorauit, frequentissime enim sumitur in scriptura pro reuerentia hominibus exhibita.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustis honos etiam ab infidelibus exhibetur.

49. SVrrexit Abraham, ergo sedebat, quod equidem miror, nam qui deprecantes accedunt potius stare quàm sedere debét, Abraham autem ab Hetthæis ius sepulchri postulabat, cur ergo sedens deprecatur? quia cum iustus, tantum ei detulerunt vt erectum aliquid postulare non permiserint, Fauet Abul. cum ait, *licet Abraham quia petebat non sedere, sed stare debebat, tamen ex magna reuerentia, fecit sedere Abraham.*

Abulens.

Ea principis indoles debet esse vt quò superior, eò humilius & summissius se gerat.

50. *Adorauit populum terræ*, cùm maximæ humilitatis indicium sit inferioribus assurgere, imo coram eis inclinari, quomodo Abraham qui princeps ab Hetthæis salutatur, imo qui ab eis rex dicitur, eosdem adorat? imo quia princeps coram eis se deprimit, gloriosa est enim principibus humilitas, sic Cassiod. lib. 5. Epist. 44. *sic est in principibus humilitas gloriosa, quemadmodum in mediocribus odiosa potest esse iactantia*, vnde Spiritus sanctus ait, audiuit anima mea pauperem superbum.

Cassiod. l. 5. Epist. 44.

Quò sanctior eò humilior.

51. *Adorauit populum terræ*, magnæ quidem specimen humilitatis, coram aliis genu flectere, hominem principem, vel aliud reuerentiæ indicium præbere, si enim eum Dei principem dixere, cur coram eis se gerit demissè? imo quia princeps Dei es, id est præcipuus in virtute, humilitatem colere debet, quia quò quis sanctior eò sit humilior, quod confirmat D. Bernard. Serm. 47. in Cant. expendens verba illa sponsæ, nardus mea dedit odorem suauitatis, ait *sponsæ humilitas voluntaria est, perpetua est, fructifera est, audierat, pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, & collum tuum sicut monilia, acceperat repromissionem ornatus aurei, nihilominus cum humilitate respondet, & quanto maiorem se audit, tanto humiliat se in omnibus*, hæc vltima verba preme.

Bernard. Serm. 47. in Cant.

Ne vinci patiamur beneficiis.

52. *Adorauit populum terræ*, scilicet pro beneficio oblato gratias agens, sed cùm eum principem Dei agnouerant, nonne illius erunt oblata sepulchra? cur ergo pro eis gratiarum actionem refert? quia nullo modo aliorum beneficiis superari debemus, quin ea persoluamus, *qui timet Dominum*, inquit Lippom. *nihil negligit, diffusus charitate, modestia promptior ad reddendum beneficium quàm ad postulandum, non patitur se vinci beneficentia.*

Lippom.

Verbo & opere nos terram & cinerem fateamur.

Adorauit populum terræ, cur cum ipsum regem fateatur populus non erubescit se ab Abraham adorari? cur quæso se vsque in terram incuruat coram non cœli sed terræ populo? nota Patriarcham se cinerem & puluerem nominasse: merito igitur nunc etiam incuruat se terræ, Hetthæos adorans, vt verbo & opere se cinerem & puluerem fateatur: *ostendit* inquit Procop. *sicut supra commemorauerat se terram esse & cinerem.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VIII.

VVLG. Dixitque ad eos si placet animæ vestræ vt sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor.

Sep. Et locutus est ad eos Abraham dicens, si habetis in anima vestra, vt sepeliam mortuum meum à facie mea, loquimini pro me cum Ephron filio Suar.

Cald. Si est voluntas animæ vestræ acquiescite mihi.

Pag. Si est cum anima vestra, vt sepeliam mortuum meum à facie mea.

Bibl. antiq. si vobis cordi est &c.

CONCORDIA.

OMisit Vulgat. *à facie mea*, forte existimans nihil in sensu prodesse, sed in conceptu horum verborum energiam aperiemus verbum פגע Paga interuenire siue intercedere propriè significat, vnde optimè Vulg. vertit intercedite.

EXPOSITIO.

SI placet animæ vestræ, Hebraismus est significans si gratum est vobis, *v. sepeliam mortuum meum*, vxorem meam defunctam, *audite me*, acquiescite mihi, *& intercedite*, vestras preces meis coniungite, *apud Ephron filium Seor* Ephron vir præcipuus inter Hetthæos.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iusti satagunt etiam in morte ab impiis separari.

53. *SI places animæ vestræ intercedite pro me &c.* nõne tibi ab Hetthæis offeruntur sua sepulchra etiam selectissima? cur igitur deprecaturus accedis Hebron, vt tibi sepulchrum conferat, etiam pecunia coëmendum? hanc aliis operibus charitatis impende, cum tibi gratis conferatur: merito proprium, & non Hetthæorum sepulchrum sibi dari deprecatur, quia iusti non solum in vita, imo nec in morte cum impiis volunt communicare, sed ab iis separari satagunt, vnde Abraham voluit vxorem suam sepeliri in fidelium monumentis.

Vxor à viro in quantum maxime sibi coniuncta diligatur.

54. *Si placet intercedite pro me &c. Vt sepeliam mortuum meum*, in Hebræo est *à facie mea*, cur hæc verba adduntur cum superflua videãtur, & ita omissa à vulgata? imo non sine mysterio addita annuit. Caiet. vtpote quæ maximam vnionem inter virum & vxorem indicant, sic enim ait, *interpres superflua hæc reputauit*, scilicet à facie mea, *cum tamen significent qualitatem personæ mortuæ, vt quod erat vxor eius, vt pote iuncta faciei eius, à coniunctione siquidẽ mulieris cum facie viri, vxor denominata est.*

Card. Caiet.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Vt det mihi speluncam duplicem quam habet in extrema parte agri sui, pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri.

Sept. Quæ est in parte agri eius argento digno det eam mihi in vobis, in possessionem monumenti.

Cald. Quæ est in latere agri sui.

Pag. Quæ est in fine agri sui argento pleno det eam mihi in medio vestri, in hereditate sepulchri.

CONCORDIA.

LEgimus *pecunia digna*, cum in Hebræo sit argento pleno, sed facilis est concordia, plenũ enim argentũ apud Hebræos sufficientem pecuniam, perfectam, dignam, siue iusti pretii denotat.

EXPOSITIO.

VT det mihi speluncam duplicem, cur ita dicta sit, non est vnanimis auctorum consensus, existimo tamen ita dictum quod duæ speluncæ, quarum vna superior, altera inferior, *quam habet in extrema agri sui parte*, in ditione enim Hebron continebatur huiusmodi spelunca, *pecunia digna tradat eam mihi* non intendit sepulchrum pecunia sibi acquirere, sed partem agri vt constitueret sepulchrum pro vxore, vnde subditur *in possessionem sepulchri*, sicut qui agrum in quo esset Ecclesia, emeret;

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Optimi prædicatores, defuncti sepulti.

55. *VT det mihi speluncam duplicem*, sic dictam existimat Ioannes Belethus de diuinis officiis c. 159. quia erat in duas partes diuisa, quarum vna corpori sepeliendo vsque ad femora, altera femoribus inseruiebat, & aliis corporis partibus, sicque cadauera sepeliebantur sedentia tanquam in cathedra, sic enim existima hanc speluncam compositam, vt in superiori parte eius poneretur cadauer vsque ad femora simile sedenti, cæteræ autem partes eius demitterentur in speluncam inferiorem: hæc opinio de spelunca non displicet Abulens. quo supposito cur ita composita fuere cadauera in sepulchro, vt tanquam in cathedra sedere viderentur? sine dubio vt nobis innueretur, quod optimus concionator est cadauer silentio nobis prædicans & annuntians è sepulchro, tanquam è cathedra vitam non esse immortalem, sed tandem moriendum, & ideo vitam pie transigendam, vnde merito Theodorus Studita cath. 19. mortuum eximium concionatorem vocat loquens enim de morte ait, *quàm eximia catechesis? quàm frugi admonitio? quæ intentos ad officii functionem vigilesque præstat.* catechesis autem est compendiosa concio.

Ioan. Belethus de diuinis officiis c. 159.

Theodor. Stud. cath. 19.

Nullam paterfamilias suis posteris occasionem litigandi præbeat.

56. *Speluncam duplicem digna pecunia tradat eam mihi*, cur pecunia coëmere desiderat non autem gratis? sed si pecunia sibi hanc speluncam comparare velit,

velit, cur plena, non autem semiplena? ne suis deinde posteris atque heredibus occasio litium vlla relinqueretur, facili enim negotio priuarentur agro speluncæ & sepulchro, quæ gratis fuerant attributa non pretio digno vendita. Fauet Thom. Angl. *vult habere, vt esset maior firmitas iurisdictionis possessionis, & vt hoc liberius sibi soli & suo generi vendicaret sepulchrum:* & Procop. *pretium agri annumerat, ne postea aliqua controuersia inde suboriatur, & agri dominio excitatur.*

Tho Angl.

Sanctorum memoriam celebrem reddit Deus.

57. *Speluncam duplicem digna pecunia tradat eam mihi*, vendicare sibi sepulchrum in quo conditi erat Adam & Eua voluit, quia singulari deuotione ferebatur in illud: sed cur Deus in iustorum sepulchra deuotè & piè nos ferri inspiratione quadam impellit? optimè satisfacit Thom. Ang *vt eorum memoria sit maior posteris ac celebrior, & per consequens etiam vtilior, vel in exemplum infirmioribus, vt sanctorum meritis religiosè afficiantur ad loca sacra, & ad sepulchra sanctorum.*

Tho Angl.

Libertatem vendit qui gratis beneficium accipit.

58. *Speluncam duplicem pecunia digna tradat mihi*, si tibi gratis conceditur, gratis accipe, pecuniamque tuis serua posteris, prodigus enim pater familias censeri videtur, qui quod filiis seruare potest, iacturam illius facere non timet, existimo tamen prudenter egisse Abraham, nihil gratis accipientem, cùm pecunia potuerit emere, maiori quippe solet precio venire, quod gratis accipitur, cum accipiens, libertatem vēdat, & compedes accipiat, quibus perpetuo addictus est in obsequium dona conferentis.

Vnusquisque colere debet studiosè vitam actiuā & contemplatiuam.

59. *Speluncam duplicem pecunia tradat*, cur tanto studio [illegible], cùm aliud ei sit oblatum & electissimum sepulchrum? si mysticè loquamur, nota quod per hoc duplex sepulchrum, duplex vita contemplatiua videlicet & actiua denotatur, contemplatiua enim nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit, dum nos terrenis desideriis susceptos, in intimis abscondit, ab exteriori quippe vita mortui per contemplationem fuerant quibus Paulus dicebat, mortui estis, & vita vestra abscondita est, sepulchrum item est actiua vita, quia à prauis operibus nos mortuos sæpe tegit, sed contemplatiua perfectius sepelit, quia à cunctis mundi actionibus funditus diuidit: merito igitur Abraham speluncam duplicem satagit, quia vnusquisque studiosè vitam actiuam & contemplatiuam colere debet, *hinc est*, inquit D. Greg. Mag. *quod Abraham coniugem mortuam in sepulchro duplici sepeliuit, quia nimirum perfectus quisque prædicator, extinctam à præsentis vitæ desideriis animam suam sub bonæ operationis & contemplationis tegmine abscondit, vt à carnali concupiscentia sub actiua, contemplatiua quasi vita quasi insensibilis lateat, quæ prius mundi desideriis sentiens mortaliter viuebat.*

D. Greg. Mag. in illa verba Iob. ingredieris in abundantia sepulchrum.

Sepulchrum monet mentem vt ab illicitis retrahamur.

60. *Speluncam duplicem tradat eam mihi in possessionem sepulchri*, Sept. in hereditatem monumenti: cur locus in quo cadauera sepulta iacent, dicitur monumentum? nota ex Abulensi huius nominis interpretationem, monumentum inquit est quasi monens mentem: sed cuius mentem monere potest? sine dubio viuentis: monet enim vt ab illicitis se retrahat, cum tandem sit ei moriendum: *signat enim*, ait cit. Abul. *cuilibet transeunti monumentum, quasi dicat memento quia cinis es & in cinerem reuerteris.*

Abulens.

Nostræ preces cum aliis coniungendæ.

61. *Speluncam duplicem tradat mihi*, intercedite pro me: si princeps Dei non solum apud Hethæos, sed etiam apud Ephron existimaris, cur alienas preces interpellas? cur ipsummet Ephronem non deprecaris, vt tibi hanc concedat gratiam? merito alienas preces implorat, non enim ita nostris fidendum est, vt alienas despiciamus: vnde optimè Abulens. *non direxit petitionem suam principaliter ad Ephron, sed ad populum terræ, quia magis credebat preces totius populi valituras apud Ephronem quàm suas solum.*

Abulens.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS X.

VVLG. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth, responditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus, qui ingrediebantur portā ciuitatis illius, dicens.

Sep. Ephron autem sedebat in medio filiorū Heth, respondens autem Ephron Hetthæus ad Abraham dixit audientibus filiis Heth & ingredientibus ciuitatem omnibus dixit.

Pag. Et respondit Ephron Chithæus in auribus filiorum Heth, & omnibus ingredientibus portam ciuitatis suæ dicendo.

CONCORDIA.

LIcet verbum ישב habitare seu incolere significet sicut & sedere, tamen Septuaginta verterunt aptius Ephrō sedebat, sensus enim est quod loquente Abraham filiis Heth, aderat inter illos tunc, & ipse Ephrō; vbi habemus *cunctis audientibus*, in Hebræo est in auribus filiorum Heth, sed idem est sensus, Hebraismus enim est significans quod omnibus astantibus, & ingredientibus ciuitatem, id est publicè & non priuatim loquutus est.

EXPOSITIO.

HAbitabat, id est tunc aderat præsens in medio, aliqui existimant quod sic debeat intelligi, nēpe quod Ephron, princeps erat Hetthæorū, quod principis Hyeroglificum sit medium, vt omnium æque commodis consulatur; sed licet existimem præcipuū inter Hetthæos fuisse, tamē hic *in medio*, sicut & ali-

bi sæpe pro *inter* ponitur, ita, vt sit sensus Hebron inter alios ciues aderat. *Respondit que Abraham cunctis audientibus*, coram maiori parte ciuitatis, *qui ingrediebantur portam ciuitatis*, hinc colligendum quod in portis quasi in loco publico, quo omnes etiã exteri facile cõuenirent, olim non solùm iudicia sed etiam commercia conueniebant: in portis igitur olim sedebant iudices & consules, ibique omnia tam publica quàm priuatorum negotia tractabant, vbi iam sedẽt & tractant in domo ciuica.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Discamus misericordiam peregrinis impendere.

62. RESpondit Ephron Abraham cunctis audientibus, si inter Hetthæos præcipu⁹ erat Ephrõ, quomodo Abraham peregrinum & aduenam non solum responsione sua indignum judicat, imo nihil in ea regione possidentem, libenter beneficiis cumulat? sine dubio vt illius exemplo discamus egenis & aduenis misericordiã impendere: vnde Euseb. Emiss. Hom. in 2. Fer. post 1. Dominic. Quadrages. *reuerentia suscipiendi sunt pauperes Christi, cum magna veneratione seruiendum est eis, si quidem Christus suscipitur & honoratur in eis.*

Euseb Emiss.

Iudicium nulli denegetur.

63. *Respondit Ephron cunctis audientibus*, qui ingrediebantur ciuitatem, diximus in expositione litteræ, iudicia olim fieri solita in porta ciuitatis, & negotia in eodem loco perfici: nonne conuenientius in aliqua domo publica peragerẽtur? sic enim honestiori loco sederent iudices: prudenter in porta ciuitatis iudicia peragebantur, vt nulli negaretur, sed omnibus litigantibus locus iudicii aperiretur: *in porta ciuitatis*, inquit Abul. *erant isti, quia olim iudicia fiebant in portis, vt omnibus pateret euntibus & redeuntibus vel introeuntibus.*

Abulens.

Non iudicum sed litigantium quæratur cõmodum.

64. *Respondit cunctis audientibus qui ingrediebantur portam ciuitatis*, si iudices in ciuitate potius quàm extra muros illius commorantur, nonne decentius esset ad iudicium ferendum vt in ipsamet ciuitate non autem in illius porta locum haberent destinatũ? merito quamuis ciuitatem haberent, locus ferendi iudicii non in ea, sed in illius porta signatur, quia non cõmodum iudicũ, sed potius litigantium quærendum, vt optime notauit Hieron. Amos 5. super id odio habuerunt in porta corripientem ait, *ne agricola litis causa veniens ciuitatis frequentia & nouo terreretur cõspectu, nec vrbis habitator longè ab vrbe properare: & subiectionem quæreret iumẽtorum*, en quomodo litigãtium commodum, non autem iudicum opportunitas quæritur?

Hieronym. in cap. 5. Amos.

Nihil coniunctius principatui quàm puluis.

65. *Habitabat Ephron in medio filiorum Heth*, diximus ex aliquorum sententia & opinione hac phrasi *habitabat Ephrõ in medio filiorũ Heth*, denotari Ephrõ principem Hetthæorum fuisse, imo existimat Philo Iudæus l. de conf. ling hunc sibi in regem Hetthæos elegisse: sed inuestigemus quæso huius nominis *Ephron*, interpretationem: puluerem certe significat: cur virum hunc cuius puluis est nomen, in principem sibi constituunt Hetthæi? vt nobis innueretur nihil principatui coniunctius esse puluere: Fauet cit. auct. Hetthæos alloquens. *cinerem & puluerem pluris facitis quam animam, dum vobis præfecistis Ephron, quod nomen significat puluerem.*

Phil Alex. in lib conf. ling.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI.

VVLG. Nequaquam ita fiet Domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor, agrum trado tibi & spelũcam quæ in eo, præsentibus filiis populi mei sepeli mortuum meum.

Sep. Apud me esto Domine, & audi me, agrum & speluncam quæ in eo, tibi do in conspectu omnium ciuium meorum dedi tibi. *Cald.* Acquiesce mihi.

Pag. Non, Domine mi audi me, agrum tibi dedi & speluncam quæ est in eo tibi dedi, in oculis filiorum populi mei, dedi eam tibi.

CONCORDIA.

HEbræi præteritum vsurpant pro præsenti, cùm illo careant, non mirum igitur sic vertisse Pagninum, *dedi*, est enim נתתי vbi habemus *præsentibus filiis*, in Hebræo legitur in conspectu siue oculis populi, sed hæc phrasis nihil aliud denotat, quàm quod expressit vulgatus.

EXPOSITIO.

NEquaquam ita fiet Domine mi, quasi diceret pecuniam quam affers pro spelunca minimè admittam, sed gratis accipe, *ausculta quid loquor*, attentus esto sermoni meo, *agrum & speluncam quæ in eo trado tibi*, siue vsui seu potius dono, *præsentibus filiis populi mei*, id est testibus illis, vt postea non mihi repetere liceat quod tibi cõcesserim, populũ suũ vocat, vel ab eo oriundus, erat vel quia illius Dominus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Cum veneratione tractandi sunt peregrini.

66. NEquaquam ita fiet Domine mi, nonne Ephrõ Hetthæorum Dominus & princeps, Abraham autem peregrinus & aduena? quomodo igitur princeps alienigenam non solum Dominum (quod nomen honoris est) sed suum appellat, quod potestatem denotat? vt hoc exemplo discamus maximo honore & veneratione prosequi peregrinos, cum rex aduenam Abrahamum nomine Domini sui non dedignetur appellare: hunc debitum honorem peregrinis accipe ex Sancto Clem. Rom. lib. 2. constitut.

stitut. Apostol.ca. 62. cuius titulus est de commendatis peregrinis: sic autem ait. *Si presbyter à paroecia venerit, recipiatur à presbyteris in communionem, si diaconus recipiatur à diaconis, si Episcopus vna cum Episcopo sedeat, eundem ab illo obtinens honorem: si cum sedet is, alius in eremenia peregrinus vita clarus, vel indigena, fratres scilicet (si Episcopus legitime fuerit impeditus) per Diaconos cum recipiant, si locus desit, Diaconus, excitato eo qui iunior fuerit non tamen iram adhibens sed per suasionem, illum in sede collocet, si inops aliquis vel obscurus vel aduena venerit siue senex, siue adolescens ætate, is sit, locusque desit, locum ex toto corde promideas Diaconus, ne personis gratificari videatur.*

Clemens Rom. in a. constit. Apost. c 62.

Principum est liberalitas.

67 *Nequaquam ita fiet, agrum tibi trado & speluncam*, quid ais Ephron? quid polliceris? solum postulauit Abraham speluncam duplicem, & hanc pecunia vult sibi comparare: tu vero non solum speluncã gratis, sed etiam & agrum possidendum cõcedis: nonne Ephron princeps erat? quid mirũ igitur si ita munificus? principum enim propria est liberalitas: quod annotauit Procop. dicens, *Abrahamus solũ petebat speluncã, Ephron cernens viri prudentiam & agrum dedit, existimans liberaliter beneficia esse præstanda.*

Procop.

Ad principum exemplum se subditi confingunt.

68 *Nequaquam ita fiet, agrũ tibi trado & speluncam:* audiamus quæso; quid ipsimet Hetthæi Abrahamo sepulchrum petẽti dixerint, in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum: & ab Hettheis sciscitemur, quomodo ita benefici erga peregrinum & aduenã, vt liberaliter seligendũ quodlibet electissimũ sepulchrum concedãt? inspiciamus munificentiã principis eorũ Hebronis, qui non solum speluncam, sed & agrum gratuito largitur, & dicemus, non mirũ ita liberales & beneuolos erga peregrinos, ad principum enim exemplum se confingunt subditi, ita Synesius de regno, qui postquam Arcadium Imperatorem admonuit, vt virtutem quamuis cum egestate coniũctam haberet in pretio, cum prudentia, iustitia reliquaque animi bonorum multitudo sub vili abiectaque veste delitescant: subdit, *quod si ita fere is multos ista in videbis, qui volũ artæ paupertatis nomine sibi placeant, nũ cum pluri na fine regiæ dignitatis præstabilia beataque concessa, tunc nõ minus, imo multo magis cæteris omnibus vim mirabitur quispiam & prædicabit quam id subditorum animis præcipuã habet*, en quomodo virtus principum compellit sub eos vt eam sequantur.

Synesius de regno.

Cum infidelibus mortuis ne sit etiam cõmunicatio.

69 *Nequaquam ita fiet Domine*, & merito, si enim indecorum est aliquid pretio à principibus postulare, nec indecorum est aliquid ab eis accipere, cur liberaliter oblatum sepulchrum gratis admittis? sine dubio ne si gratis acciperet, libera relinqueretur aliis suos cum coniuge Sara sepeliendi potestas, quod maxime abhorrebat, *noluit Abraham* (inquit Abul.) *gratis accipere, quia postea vellent ibi infideles suos mortuos sepelire quasi ager esset eorũ, & Abrahæ ex gratia concessũ esset ibi sepelire mortuos suos, quod Abraham valde refugiebat ne infideles apud Saram relinquerentur.*

Principes ita in donis suis stabiles esse debent, vt ea reuocare nullomodo possint.

70 *Nequaquam ita fiet, speluncam & agrum tibi tradã præsentibus filiis populi mei*, cur præsenti populo agrũ & speluncam vis dono conferre Abraham? nonne subterfugere debemus coram aliis bona præstare egenis? cur igitur secreto & non corã multitudine Patriarchæ promisisti speluncam & agrum? prudẽter præsente populo vtrumque Patriarchæ dono cõcedit, ne aliquando reuocare posset cum suæ munificentiæ tot testes haberentur, *præsentibus filiis* (inquit Abul.) *vt postea negare non possit, quod non eam scilicet speluncam ei tradiderit.*

Abulens.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI. & XII.

VVLG. Adorauit Abraham coram populo terræ.

Pag. Incuruauit se Abraham coram populo terræ.
Caiet. Inclinauit se Abraham.

CONCORDIA.

VErbum שחה vt supra diximus versu 7. adorare, incuruare, nec non inclinare significat.

EXPOSITIO.

ADorauit Abraham, id est exhibuit honorẽ ac reuerentiã gratiasque egit pro spelunca & illius agro sibi oblatis *coram populo*, id est omnibus inspicientibus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Pro beneficio coram omnibus accepto coram eisdem sunt agendæ gratiæ.

71 ADorauit Abraham, scilicet gratias agens, nõ miror nõ ingratũ, sed corã populo terræ has gratias retulisse? si enim Ephron solus hoc beneficiũ Abrahæ conferre voluit, cur ei soli gratiarum actionem non persoluit? reuoca in memoriam hoc munus speluncæ & agri coram populo terræ oblatum fuisse Abrahæ; merito igitur coram eodem se incuruat, quia pro beneficio omnibus præsentibus accepto, coram eisdem agendæ sunt gratiæ.

Principi maxime decens gratitudo maxima.

72 *Adorauit Abraham*, principem, qualis erat Abraham, conspicio hominem adorantem in signum gratiarum actionis: si verbis referre gratias sufficiebat, cur etiam & genu flexione? quia principi maxime decens, non qualiscunque sed maxima gratitudo, maxima autem consistit non solum in verbis sed etiam in opere.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIII.

VVLG. Et locutus eſt ad Ephron circumſtante plebe, quæſo vt audias me, dabo pecuniam pro agro, ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in eo.

Sept. Et dixit ad Ephron in aures coram populo terræ, quoniam quidem es à me, audi me, argentum agri cape à me, & ſepeliam mortuum meum à me.

Cald. Et locutus eſt cum Ephron coram populo terræ dicens, ſi tu facis mecũ miſericordiam acquieſcee mihi.

Pag. Locutus eſt in auribus populi terræ dicendo, verum, ſi tu vtinam audias me, dabo argentum agri, cape à me.

CONCORDIA.

LOcutus eſt in auribus, Hebraiſmus eſt æquiualens, dixit circumſtante plebe, verum ſi tu, vtinam audias me, alter Hebraiſmus idem ſignificans, quod quæſo vt audias me.

EXPOSITIO.

LOcutus eſt ad Ephron, circunſtante plebe, non acquieuit Abraham Ephrom agrum & ſpeluncã promittenti, ſed adhuc inſtat coram eodem populo, vt pecuniam accipiat pro agro dicens, *dabo pecuniam pro agro ſuſcipe eam*, nam ſi ſuſceperis, ſepeliam mortuum meum, nempe vxorem meam defunctam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nobiles inter ſe pugnant liberalitate.

73. D*Abo pecuniam pro agro*, cur tibi gratis oblatum non accipis ô Abraham? & tu Ephrõ, cur pecuniam, cuius cupiditate maxima pars hominum irretitur, nam vt ait Chryſol. ſer. 126. imperat gentibus, iubet regnis, ſubdit populos, inique humanis dominatur corporibus & mentibus: cur inquam pecuniam pro poſſeſſione tua oblatam renuis? nonne vterque erat Princeps? quid mirum igitur vtrũque liberalem, nobiles enim inter ſe certant liberalitate, ſicut ignobiles parſimonia contendunt.

D. Petr. Cryſol. ſer. 126.

Iuſtorum eſt, pecuniæ amore non teneri.

74 *Dabo pecuniam pro agro*, ſi nihil ita ab hominibus æſtimatur quàm pecunia, eam enim tanquam Deũ venerantur, teſte D. Chryſol. ſer. 29. qui explicãs illud Exod. 32. dictum ab Aarone populo Dei vitulum aureum oſtendente & dicente: *hi ſunt dii tui Iſrael*, aurum Iudaicum populum ſic captiuauit, aſpectu, vicit illecebris, vt hoc Deum verum tot beneficiis cognitum denegarent: ſi ergo ab hominibus ita pecunia æſtimatur, vt tanquam Deus adoretur, quomodo ita deſpicitur ab Abraham, vt ſemel & iterum eam renuenti, offerat? quia iuſtorum eſt amore pecuniæ non teneri, cùm autem iuſtus fuerit Abraham, quid mirum ſi eam paruipenderit?

D. Chryſo. ſerm. 29. Exod. 32.

Nihil dono gratuito, ab alio ſi poſſis accipias.

75 *Dabo pecuniam pro agro*, cur ita munificentiã Hettheorum Principis habes contemptui, vt tibi oblatũ agrum cum ſpelunca negligas, ſed pretio comparare contendas, illo etiam renitente? non ex contemptu ſed potius ex dictamine prudentiæ, oblatum non accipit, quia nihil dono ſi poſſimus ab aliis accipere debemus, quod equidem laudat Chryſ. in Abrahamo dicens, *vide iuſtum quomodo operibus ſuis doceat optimæ vitæ mores, & non prius vult accipere agrum quã iuſtũ dinumeret pretium: nam licet*, inquit, *ita beneuolus ergà me ſis, at ego non patiar niſi prius debitum pretium dependerim, & ſic accipiam agrum.*

S. Chryſoſt.

Beneficio accipiendo neminem grauemus.

76 *Dabo pecuniam pro agro*, mihi inurbanus videris ô Abrahã, quis enim beneficium oblatum à rege pecunia compenſari vidit? hoc enim in illius opprobrium cederet, auaritiamque illius denotaret, cur igitur à te nihil exigenti ſed liberaliter offerenti pecuniam tribuere contẽdis? vt illius exemplo diſcamus in beneficiis accipiendis nullum eſſe grauandum: *hoc loco docemur*, inquit Lipp. *nolle petere quod gratuitum præſtatur, quã minime beneficiis accipiẽdis quẽquam priuare.*

Lippo.

Nihil aliud in hoc ſæculo quàm ſepulchrum poßideamus.

77 *Dabo pecuniam pro agro & ſpelunca illa duplici*, cuius vnam ſepulturæ ſuæ deſtinabat: ſed cùm nullam emerit poſſeſſionem, quomodo ita ſollicitus de cõparando ſibi ſepulchro, ita vt pro illius acquiſitione pecunias expendat? merito nihil aliud quàm illã ſpeluncam futuram ſibi ſepulchrum poſſidendam ſatagit, quia nihil aliud in hoc ſeculo poſſidere debemus. Fauet D. Dami. ep. 34. c. 1. qui laudans Archiepiſcopum Byzantinum quod ſepulchrum in quo mortuus conderetur, ſibi viuens conſtruxit, ait, *illud fateor mihi præ omnibus placuit, quia ſepulchrum tuum mihi oſtendiſti, à te velut hodie ſuſcipiendũ, accuratiſſime præparatum, vbi tanquam veſpilonum merces, quini nũmorum ſolidi per quatuor altrinſecus angulos in ſudario ſunt ligati, vt inter exequias funeris in ipſo quoque pietatis opere ſepultoribus tuis videatur remuneratio non deeſſe, in quo nimirum Patriarchæ Abrahæ tenere videris exemplum, qui cum Saram vxorem ſuam ſepelire ſatageret, & omnes filii Heth electa quoque ſepulchra ſua ſibi gratis offerrent, gratuita contempſit ab Ephron filio Seor ſpeluncam duplicem comparauit*, dignus mos qui in exemplum omnium cedat, vt à ſuperfluis ædificiis abſtinerent, & ſolum de ſtruendo ſibi ſepulchro cogitarẽt, vt erectio ſepulturæ maniũ rerum cogitatus, nec non omnem faſtum ſepeliret.

D. Dam. ep. 34. c. 1.

VARIETAS LECTIONUM VERSUS XIV. & XV.

VULG. Respondit Ephron.
Sept. Respondit autem ad Abraham Ephrõ dicens, sic Chald. & Heb.
Vulg. Domine mi audi me, terra quam postulas quadringentis siclis argenti valet, istud est pretium inter me & te, sed quantum est? hic sepeli mortuum tuum.
Sep. Nequaquam domine, audiui enim terra est quadringẽtorum didrachmorũ, sed quid vtrique hoc fuerit inter me & te: tu vero mortuum tuum sepeli.
Cald. Domine mi acquiesce mihi, terra quæ valet quadringentos siclos argenti inter me & te quæ est? mortuum tuum sepeli.
Pag. Terra quadringentorum siclorum argenteorum est inter me & te, quid est? & mortuum tuum sepeli.

CONCORDIA.

Quamuis vulgatus defecerit in pluribus dictionibus, quæ in Hebræo leguntur, non tamen censendus est diminutus, sed causa breuitatis eas omisit.

Vt de septuaginta feram iudicium non ad veritatem dictionis Heb. verterunt, & vulgatus addidit istud est pretium, quod quidem apud nullum alium reperitur, forte maioris gratia claritatis, attamen licet in Hebræo difficilem sensum nõ habeat, difficultas est apud septuaginta, qui didrachma dixerunt pro siclis, tamen à nobis non dissentiunt, nam duplex est drachma, Attica videlicet, alia vero Hebræa: Attica secundum Ioseph. lib. 3. antiq. c. 9. æquiualebat quinque solidis gallicis siue regali Hispanico: Hebræa autem viginti solidis vel quatuor regalibus, Sept. autem de didrachmate Hebræo eiusdem pretij ac sicli loquuntur.

EXPOSITIO.

Terra quam postulas quadringentis siclis argenti valet, siclus moneta fuit vsitatissima Hebræis, qui & stater dicebatur, fuit aureus & argenteus, sed inæqualis ponderis, siclus enim aureus valebat decem siclos argenti, fuit etiam communis & sacer, communis qui iam ante legem latam in rebus politicis recipiebatur, sacer ex lege ad res sacras institutus: an vterque differat pondere & pretio silẽtio prætereo, cùm non sit huius loci hæc difficultas, tum quia auctores minime inter se consentiunt, aliqui enim siclum sacrum maiorem fuisse communi existimant, communi enim siclo dant 24. obolos, sacro vero 20. alij verò opinati sunt siclum sacrum communi esse maiorem, dantes siclo sanctuarij 40. obolos, communi vero 20. alij tãdem asserunt æquales fuisse: sicli consignationem post legem describit Ar. Mont. lib. de mensuris, scilicet siclum habuisse in vno latere vrnam cum manna, cum hac inscriptione sekel Israel id est siclus Israel; in altero latere habuit virgam Aaronis floridam cum hac inscriptione Ierusalem Kedosca in litteris priscis Samaritanis, id est Hierusalem sancta: quã autem inscriptionem ante legem habuerit nullã existimo; nam prisci Iudæi sicut & Romani rudẽ massam æris, argenti vel auri ad certũm pondus vice pretij & pecuniæ adhibebant, postea autẽ consignarunt conflaruntque pecuniam signatam, sed quam iusto semper appenderent pondere, pondus sicli argentei erat quatuor drachmarum Atticarum, drachma autẽ Attica, est vnus regalis Hispanicus vel quinque solidi Gallorum, sicque siclus Hebræus æquiualebat quatuor regalibus Hispanicis, vel viginti nostris solidis Floreno Brabantico, sicque colligemus pretiũ agri fuisse quadringẽtas libras nostræ monetæ Gallicæ, & regalia mille sexcẽta & aliquid amplius. *Istud est pretium inter me & te*, id est pro agro hoc, à te pretiũ postulo, *sed quantum est hoc?* quasi dicat cum vterque nostrum sit ditissimus, non est res tanti momenti, vt propterea sollicite inter nos de ea transigere oporteat, *sepeli mortuum tuum*, quasi dicat, propter hoc pretium mihi deinde persoluendum noli dimittere vxorem defunctam sepelire.

CONCEPTUS IN HUNC VERSUM.

A quibus abest cupiditas argenti, etiam & dolus abest.

78 *Terra quam postulas quadringentis siclis valet*, cur pluris non æstimat, & maius pretiũ ab eo non exigit? cum enim esset Abraham ditissimus, potuisset dicere, ager quem postulas, quingentis siclis valet; aduerte nulla cupiditate pecuniæ ductum fuisse Ephron, hoc pretium petentem, sed vt voluntati Abrahæ satisfaceret: si quidem gratuito agrũ obtulit, merito igitur ab eo solum iustum exigit pretiũ, ei enim cupiditas habendi non dominatur, nec in eo est decipiendi voluntas, *à quibus abest* (inquit Lact. Firmianus, lib. diuin. Instit.) *studium lucri, abest etiã voluntas peccandi, & causa fallendi.*

La. Firm. diuin. Instit.

Discant Sacerdotes ex Pagano pretium ex sepulchris non accipere.

79 *Terra quam postulas quadringentis siclis valet*, si speluncam in qua cum vxore sua sepeliretur Abrahã, petit, cur etiam ei pretium non imponit, vt ab eo acquiratur pecunia? illius Pagani & idololatræ exemplo, discant sacerdotes pretium ex sepulchris non accipere, sic D. Greg. Mag. in regist. li. 7. epist. 55. *memores*, inquit, *dum Abraham à filiis Emor, hoc est Ephron filio Seor sepulchri terram pretio ad humandum corpus coniugis postularet, præmium accipere renuit, ne commodum videretur de cadauere consecutus: si ergo tantæ considerationi paganus vir fuit, tanto magis nos qui sacerdotes dicimur hoc facere non debemus, vnde ne vlterius ante tua tuum ne vel in alienis denuo terris præsumatur admoneo.*

D. Greg. Mag. in regist. lib. 7. epist. 55.

Iustus aliorum Dominus.

Terra quam postulas Domine mi, dixit Ephron Abrahamo, si Princeps illius populi Hetthei est Ephron, & Abraham peregrinus & aduena; quomodo dominum suum Patriarcham appellat? quia cum esset iustus, aliorum Dominus censeri debet, Fauet Lippo. *magnus vir ille Ephron dominum appellabat, amicus enim Dei & clarus virtutibus erat.*

Lippo.

Ne nos tædeat liberales fuisse.

81. *Terra quam postulas quadringentis siclis valet*, quid Ephron? antea dono gratuito agrum & speluncam Abrahæ offerebas, nunc autem ab eo quadringentos siclos exigis? anne te pœnitet liberalem erga eum fuisse? audiamus illius verba subsequentia, ist... est pretium inter me & te, sed quid hoc est? sepeli mortuum tuum, quorum verborum sensus, vt aliqui autumant, est, illud pretium obesse non potest, quin tibi libentissime agrum & speluncā tradam, vt mandes vxorem tuam sepulturæ, quod si ita se res habet, discere possumus liberalitatem nostram nunquam reuocare debere: *non taxat* (inquit Lippo.) *pretium terræ Ephron, sed adhuc in oblata perseuerans liberalitate, rogat Patriarcham, vt modici valoris terrā gratanter dono accipere non dedignetur.*

Lippom.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVI.

VLG. Quod cùm audisset Abraham, appendit pecuniam quam Ephron postulauerat, audientibus filiis Heth quadringentos siclos argenti, probatæ monetæ publicæ.

Sept. Appendit Abraham Ephron argentum quod locutus est in auribus filiorum Chet, quadringenta didrachma argenti probati mercatoribus.

Cald. Acquieuit Abraham Ephron & appendit quadringentos siclos argenti, quod recipiebatur pro mercimoniis in vnaquaque prouincia.

Pagn. Et obediuit Abraham, & appendit quod locutus fuerat in aures filiorum Chet, quadringentos siclos argenteos, transeuntes per mercatores.

Vatab. Pecuniæ transeuntis mercatoribus.

CONCORDIA.

INterpres noster sensum ipsum non ipsa verba transtulit, vbi enim habet quadringentos siclos argenti probatæ monetæ, legimus in Hebræo siclos transeuntes per mercatores.

EXPOSITIO.

QVod cùm audisset Abraham, scilicet pretium illius agri, *appendit pecuniam*, non dixit, soluit vel numerauit, sed appendit, antiquitus enim non solum numerando, sed etiam ponderando in agitandis commerciis, & vendendo atque emendo pecunia dabatur, ex quo exploratius iustum eius pecuniæ pretium esset cognitum, *quadringentos siclos probatæ monetæ*, id est non attonsæ, nec diminutæ in pondere, & mensura quæ cōmuniter erat in vsu, diximus in Heb. esse siclos trāseūtes per mercatores; mercatores enim monetā maxime discernere, appendere, & probare solent, maximeque probam & probatam exigunt: *audientibus filiis Heth*, id est videntibus omnibus circumstantibus, non solum autem in illo contractu venditionis & emptionis agri fuerunt spectatores vel auditores, verum etiam testes eorum, quæ inter Abraham & Ephron, vltro citroque dicebantur & agebantur, quo publico illo testimonio contractus ille firmior & validior foret in posterum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Requies quæ solum est in sepulchro, magno pretio comparanda.

82 *Appendit quadringentos siclos argenti*, scilicet vt speluncam in qua cum vxore sepeliretur, sibi cōpararet: si nec obolum in acquirendis aliis possessionibus expendit, cur tantam argenti copiam in coëmendo sepulchro, & illo solo appendit? quia nostra requies, quæ solum in sepulchro & non in aliis possessionibus consistit, magno comparanda est pretio: suffragatur D. Hieron. ep. ad Gerundiā filias de contemnenda hæred. vbi inter alia sic ait, *quid mirum? & pauperculus & peregrinus in terra aliena sepulchrum emit. Abraham à filiis Heth, ô veritas, ô altitudo sapientiæ & scientiæ Dei! quid est sepulchrum? locus quietis vbi iuxta mundi rationem defunctorum corpora collocantur, vera ergo intelligentia locum sibi requietionis pater Abraham fide sua & contemptu pecuniæ comparauit:* quibus in verbis alludit doctor sanctus ad peregrinationem Abrahæ, etenim peregrinus & aduena in terra, nullam in ea requiem habuit, nisi in sepulchro & tunc solummodo sibi requiem & dominationem proposuit, cum in Domino esset sepeliēdus, neque enim vir prudens & iustus (qualis procul dubio Abraham erat) vllam in vita requiem nisi mortuus potest inuenire, cū perpetuo motu agitentur mūdani.

D. hieron.

Imperfectionem maximā arguit qui gratis defuncto gratiam non confert.

83 *Appendit quadringentos siclos, ipsi Ephron* D. Hieronimus sic legit appendit Abraham argentum ipsi Ephran & certe in Hebræo in repetitione illi⁹ nominis Ephrō vau deficit, sic enim cū communiter scribatur עפרון ephron per vau, sine illo sic scriptum repetimus עפרן cur quæso Princeps iste ante venditum agrum Ephron, dicitur, illo autem vēdito Ephran nuncupatur vel saltem cum diminutione vnius litteræ? vt significetur quod qui gratis defuncto gratiam non confert sed pro eo pretium exigit imperfectus censendus est, ita Rupert lib. 6. in Genes. cap. 35. *in Hebræo*, inquit, *primum nomen eius scribitur Ephron, secundū Ephran, postquā enim pretio victus est, vt sepulchrū vēderet & acciperet argentū, licet cogente Abraham, vau littera quæ apud illos pro o legitur ablata decem*

Rupert lib. 6 in Gen. cap. 35.

de eius nomine est, pro Ephron appellatus est Ephran; significante scriptura non eum esse consummatae perfectaeque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum, qui deinde sic egregie concludit. *Sciant igitur qui sepulchra venditant, & non coguntur vt accipiant pretium, sed à nolentibus quoque extorquent, immutari nomen suum, & perire quid de merito eorum cùm etiam ille reprehenditur qui inuitus acceperit.*

Nulli ita largitores in religiosis impensis quàm veri Dei cultores.

84 *Appendit quadringentos siclos argenti*, Scilicet pro possessione sepulchri, cur qui cauit vel minimũ pecuniae consumere in aliis agris habendis modo tãtum pecuniae prodigit pro sepulturae agro? in hoc iam erat verissimae cultus religionis, quae mortuis nostris mandabat requiem, vbi autem res est verae religionis & aeternae gloriae, nulli sumptui parcunt Dei veri cultores, ex hoc D. Paulinus Epist. ad Pãmach. ait, *Abraham empto ad sepulchrum agro mortuam suam pretiosa morte compensauit, docens quid sibi iusti deberent homines prouidere; cum is, qui ad Dei verbum de terra patria cognationis exierat, nihilo praeterea de peruagatis diuersationibus spatiis comparauerat, omnis terrae aduena, solum tamen agrum sepulchro, id est, non temporalem, sed aeternam possessionem non terram auaritiae sed quietis emisset.* Hoc habent proprium homines veri Dei cultores, qui spiritu Dei aguntur, qui sola pro religione & pro iis quae spectant ad aeternam vitam, nullis parcunt sumptibus.

Paulin.

Cùm aliquid emere desideras, tuum cela desiderium ne carius accipias.

85 *Appendit quadringentos siclos argenti*, quomodo ò Ephron, liberaliter agrum oblatum antea nunc tanto pretio vendis Patriarchae? aduerte desiderium quo Abraham in agrum & speluncam ferebatur, conspexisse: non mirum igitur tot siclis vendidisse: mercator enim affectum, quo aliquid acquirere desiderat, intuens, carius vendere solet, quod annotauit Carth. dicens, *quod quamuis Ephron primo se habuerit circa Abraham multum liberaliter & honeste, praebendo agrum cum spelunca omnino gratis, postea tamen se habuit cupidè agrum charè vẽdendo, quia videbat intẽsum Abrahae appetitum ad agrum illum habendum.*

Carth.

Ex consideratione mortis & huius vitae calamitatibus, saeculum negligentes vitam regularem amplectamur.

86 *Appendit quadringentos siclos*, Scilicet pro spelunca duplici, quae quidem mystice est religio sacra vel quicumque status poenitentiae in quo sancti mundo morientes, mundo absconduntur, est autem duplex propter corpus & animam ibi locandam, vel propter vitam actiuam & contemplatiuam, vt diximus; sed quomodo percipiemus hanc speluncam duplicem, symbolum religionis posse ab Ephron vel à filiis Heth comparari: nota Ephron puluerem interpretari, Heth vero vitam & pauorem; quasi vitam miseram; quia pauidam: merito igitur illam speluncam nempe religionem nobis comparare debemus ex Ephron vel filiis Heth, quia ex consideratione pulueris, nempe quod in puluerem reuertemur, & ex huius vitae pauidae calamitatibus, saeculum negligentes vitam regularem amplecti debemus: accipe Thom. Angl. dicentem, *haec nempe religio à filiis Heth qui interpretatur vita & pauor, id est à filiis huius vitae pauidae & miserae, & specialiter ab Ephron, id est à puluere mortis acquiri debet, quia communis omniũ mors, & misera nobis magnam materiam exhibet sepulturae praefatae.*

Thom. Angl.

Si religionem tibi comparare velis, quadruplex appetitus inordinatus relinquendus.

87 *Appendit quadringentos siclos argenti*, quae connexio quaeso (si mystice loquamur) acquisitionis speluncae mediante numero quadringentorum siclorum, cum ingressu religionis? nulla equidem videtur: sed obserua ex citato Anglico doctore per illum quadringentorum numerum quadruplicem appetitum intelligi, scilicet dominandi, possidendi, delectandi & sciendi, scilicet propter vanitatem & curiositatem: maxima igitur connexio est inter emptionem speluncae ex Ephron, interueniente numero quadringentorum siclorum, vt tibi debite possis vitam regularem acquirere, ex consideratione pulueris siue mortis; *necessaria est enim* (inquit cit. Doct.) *abnegatio quadruplicis illius appetitus.*

Cit. Doct.

Qui veram scripturae sacrae intelligentiam acquirere satagit, pluribus renunciet.

88 *Appendit pecuniam quadringentorum siclorum argenti*, scilicet pro sibi comparanda spelunca duplici, quae scripturam sanctam denotat duplex habentem testamentum, vetus & nouum, cum duplici sensu, litterali & mystico, vel cum duplici cognitione superiorum & inferiorum: sed ad quid dãdi sunt quadringenti sicli pro illius speluncae possessione? per hũc numerum quaternarium siclorum intelligit cit. Thom. quadruplicem sensum sapientiae stultae, vel quadruplicem appetitum illum inordinatum dictũ in praecedenti conceptu: si igitur illam speluncam scripturae sacrae acquirere desideras, necessario tibi renuntiandum est citato appetitui quadruplici vel sensui sapientiae stultae, *qui enim ea perfecte non renuncit* (inquit cit. Doctor) *non potest intrare in illam diuinã speluncam sapientiae Christianae & supermundanae.*

Cit. Doct.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Confirmatusque ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre, tam ipse quam spelunca & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum.

Sept. Et stetit ager Ephron qui erat in duplici spelunca, qui est ad faciem Mambre, ager & spelunca quae erat in eo, & omnis arbor quae erat in agro, & quidquid est in finibus eius in circuitu.

Caiet. Et surrexit ager Ephron.

Vulg. an iq. Confirmatus est ager Ephron qui erat Macphelach qui erat è regione Mambre.

CONCORDIA.

Diuersitas & discordia videtur esse in his lectionibus, confirmatus est, stetit, & surrexit: sed nulla est si verbum hebraicum inspiciamus קום kum illud autem verbum tam stetit, quàm surrexit, quàm confirmatus est verti potest, verbum enim קום kum est secundæ vel tertiæ coniugationis confirmare, statuere, vel erigere etiam significat, septuaginta aliquid addiderunt, scilicet *& quidquid est in finibus eius*, quod in originali non habetur, forte existimantes præter arbores aliquid in illo agro fuisse.

EXPOSITIO.

Confirmatus est ager, cessit itaque ille ager qui fuit Ephronis, in possessionem Abrahæ, *in quo erat spelunca duplex*, de qua antea dictum manet, si autem velis addere ita dictam quia vir in vna, in alia autem mulier sepeliebatur, *respiciens Mambre* id est è regione siue è prospectu Mambre conuallis, ita dictæ à Mambre Abrahæ amico, *& omnes arbores eius*, ager enim ille non solum speluncam in ambitu suo continebat, sed etiam variis consitus erat arboribus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Tanta est aliquando iustorum sanctitas vt ipsis rebus inanimatis conferant valorem.

89 *Confirmatus est ager ille*, in hebræo est surrexit, quomodo intelligi potest, quod ager qui suo pondere immobilis est, surrexit? nonne in potestatem tam ipsius Patriarchæ venerat: dicamus ergo surrexisse metaphorice *in quantum* (inquit Caiet.) *ager ille eleuatus est in meliorem conditionem per hoc quod emptus sit ab Abraham*, quasi diceret, tanta fuit Patriarchæ sanctitas, vt quasi aliquam huic agro contulerit, qua in meliorem à præcedenti conditione surrexerit.

Card. Caiet.

Nihil pecunia fugacius.

90. *Confirmatus est ager*, emptus scilicet pecunia probata; quænam dictio in hebræo huic nomini adiectiuo respondet? עבר eued id est transiens, si nihil solidius quàm aurum & argentum, quomodo transiens nuncupatur? quia nihil fugacius, nihil inconstantius, qualibet pecunia, quæ vnum dedignata Dominum perenni quodam cursu ad hos & illos transilit, instabili semper sede & infido ministerio. hanc inconstantiam pecuniæ annotauit noster Bonn. in psal. 104. his verbis, *temporalia adiectiua sunt, nam: nunc adsunt: nunc non: &* lib. 2. de profectu religiosi. c. 44. assignãs causas cur contemptibilis est, inter eas aliam assignat, *quia diu cum homine non perseuerat.*

Seraphicus doctor in psal. 104.

Laudabile est cum parentibus sepeliri.

91. *Confirmatus est ager in quo erat spelunca duplex*, cur tantopere hanc sibi duplicem comparare speluncam studuit? aduerte quod ibi sepulti Adam & Eua iacebant parentes omnium communes, prudenter igitur speluncam hanc tanto pretio sibi acquirit, vt in ea cum vxore & primis parentibus sepeliatur, hoc enim maxime laude dignum, quod Leo 3. in decretal. obseruat lib. 3. tit. 28. de sepulturis, *nos* (inquit) *instituta maiorum patrum considerantes statuimus vnumquemque in maiorum suorum sepulchris iacere, vt Patriarcharum exemplus docet*, deinde cp. 3. *qui relictis antiquis patrum aliorumq; parentũ suorum sepulchris contra consuetudinem patrum veteris testamenti, qui cum patribus suis sepulti esse leguntur, ad noua & minus religiosa loca se transferunt, irrationabiliter & contra antiquam institutionem facere videntur.*

Leo. 3 in decretal. lib. 3. tit. 28. de sepult.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVIII.

VVLG. Abrahæ in possessionem, videntibus filiis Heth & cunctis qui intrabant portam ciuitatis illius.

Cald. Abrahæ in emptionem.

Pag. ipsi Abrahæ in possessionem, in oculis filiorum Chet & omnium ingredientium portas ciuitatis.

CONCORDIA.

In *oculis filiorum Heth*, hebraismus est, æquiualens videntibus filiis Heth siue astantibus, siue præsentibus.

EXPOSITIO.

Abrahæ in possessionem, scilicet ager ille cessit, *videntibus filiis Heth*, vt essent testes illius contractus transacti inter Abraham & Ephron, *& cunctis qui intrabant portam ciuitatis illius*; quasi diceret non solum testes illius contractus fuere habitatores illius terræ, sed etiam alienigenæ ciuitatem ingredientes.

CONCE-

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Charissima sunt nobis Dei promissa.

92. Abraha in possessionem, confirmatus est ager ille, cui tot verbis nobis Spiritus sanctus exprimit sepulchrum Saræ, quod erat Abrahæ etiam futurum, cuiusque circumstantias loci illius ita diligenter enumerat: optime Lippo. *Deus locum illum speluncæ notum voluit esse filiis Israel, & memoriale fidei & promissionum utque tā: o chariorem haberent patriam olim possidendam, sic & nos iam ex parte possessionem accipimus in Christo, Christus enim illuc ascendit cum carne nostra, vt nos studeamus sequi, & suspirare ad eandem patriam.*

Vt validus sit contractus solemnis sit.

93. *Abrahæ in possessionem audientibus filiis Heth,* scilicet cessit ager ille emptus, ad quid necesse vt nō solum habitatores illius populi, sed etiam alienigenæ præsentes sint agri venditioni; quia vt contractus ciuilis sit validus, necessaria est quædā solemnitas quæ aliquot testes comprehendit.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIX.

VVLG. Atque ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca duplici, quæ respiciebat Mambre, hæc est Hebron in terra Chanaam.

Pag. post hæc sepeliuit vxorem suam in spelunca agri duplici coram Mambre.

EXPOSITIO.

Atque ita sepeliuit, id est postquam quadringentos siclos argenti Ephroni numerauit, cessitque in possessionem suam ager cum spelunca, tum demum dilectam vxorem suam sepulturæ tradidit in vna illius speluncæ parte, quæ sita fuit ex opposito vallis Mambre: difficultas non exigua breuiter à nobis aperienda, scilicet quomodo constare potest veritas huius versus cum verbis Steph. act. 7. numero 15. dicentis, descendit Iacob in Ægyptum, & defunctus est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sichem, positi sunt in sepulchro quod emit Abraham pretio argenti à filiis Emor filii Sichem: si Abraham vt diximus emit agrum & hanc speluncam duplicem vxoris suæ in sepulturā ab Ephron filio Seor, quomodo ait Steph. emisse à filiis Emor filii Sichē? in hac difficultate enucleanda tot capita tot sensus: sed vt missos faciam aliquos, dicentes quod in actib. Apost. Latina Græcaque editio vitiata est, & ideo reponendum esse Iacob pro Abraham & pro filii Sichem, patris Sichem, existimant enim Stephanum sermonem habere de quodam agro empto quem Iacob emit à filiis Emor patris Sichem, de quo loquitur Moyses Genes. 33. his verbis Iacob reuersus de Mesopotamia Syriæ, transiuit in Salem vrbem Sichimorum in Chanaam, & habitauit ibi iuxta oppidum, & emit partem agri in qua fixerat tabernacula à filiis Emor patris Sichem centum agnis: sed hic sensus nimium fauet hæreticis, qui cùm vrgerentur aliqua scripturæ authoritate, dicerent esse vitiatam & corruptam, tum si ante istos nemo aliter aut legit, aut errorem deprehendit, cur soli illi in tanta nominum dissimilitudine, suspicionem vitii inducere conantur vt opinionem suam persuadeant? Alios etiam prætereo dicentes Stephanum totum alteri rei, puta causæ suæ de Christo intentum, lapsum esse memoria & pro Iacob nominasse Abraham, & confudisse duas emptiones, & in vnam commiscuisse, scilicet priorem Abrahæ, de qua hic est sermo, & alteram Iacob, de qua Genes. 33. sed quomodo fidem his auctoribus adhibebimus, quis enim credet Stephanum Spiritu Sancto plenum, imo in quo loquebatur Spiritus sanctus, præsertim cum hic publicè coram doctissimis Rabinis, sic aduersariis concionaretur, tractaretque controuersiam de Christo, lapsum fuisse memoria: potuissent enim aduersarii illius obiicere, quæ coram omnibus annuntias, scimus falsissima esse, Abraham enim non à filiis Emor filii Sichem, sed ab Ephron filio Seor agrum emit argenti pretio: consule apud Pererium varios dicendi modos circa huius difficultatis enucleationem.

Lipp. And Mass. in Iosue c. 24.

Beda, canus 2. lib de locis Theol.

Dico igitur sermonem Stephani esse de emptione speluncæ facta ab Abraham, quia non Iacob sed Abraham diserte habent omnes codices, & de emptione sepulchri, quod pro Sara vxore defuncta emit Abraham non Iacob, Iacob enim emit agrum ad altare, non ad sepulchrum; & de sepulchro empto pretio argenti scilicet quadringentis siclis argenti; Iacob autem emit agrum non pretio argēti, sed centum agnis.

Sed dices, Abraham emit sepulchrum ab Ephron filio Seor, non à filiis Hemor filii Sichem: aduerte quod plures Hebræi fuere binomii, vt patet, si nomina quæ initio libri Paralipomenon recensentur inspicias, exempli gratia vnus de filiis Iosiæ Regis Iuda lib. 4. Reg. ca. 24. nominatur Ioachas; idem lib. 1. Paralipp. cap. 3. & Hier. 22. dicitur Sellum: conferas cum iis quæ ponuntur alibi: quo posito respondeo Ephronis patrem fuisse binomium, vocatus enim est & Seor & Hemor, porro Emor fuit filius Sichem, non illius à cuius filiis emit agrum Iacob, sed eo longè antiquior, Hemor autem multos habuit filios, inter quos maior & primogenitus videtur fuisse Ephron, qui nomine cæterorum fratrum sepulchrum vendidit Abrahæ.

Vrgebis 2. quomodo verum est illud dictum à Stephano, Iacob & patres nostros translatos fuisse in Sichem, positosque in Abrahæ sepulchro, hoc enim in Hebron erat, non autem in Sichem, nec Iacob ex Ægypto translatus est in Sichem, sed in Hebron: existimo Patriarchas 12. in Ægypto defunctos, inde primum translatos in Sichem, siue prope Sichem, vbi ager fuerat assignatus Ioseph à patre Iacob, postea in Hebronicum Abrahæ sepulchrum

translatos iterum fuisse Iosephus 2. antiq. cap. 8. qui magnam in his fidem meretur, tradit positos esse in Hebron, magister autem histo. Carthus. Gagnæus deportatos fuisse ex Sichem asseuerant.

D. autem Hiero. in Epitaph. sanctæ Paulæ dicens duodecim Patriarcharum sepulchra adhuc sua ætate ostendi solita in Sichem, minime nobis aduersatur, quia ibi primo sepulti sunt, ideo eorum sepulchra ibidem manserunt, & religiose à posteris asseruata & frequentata sunt, sed postea ex Sichem in Hebron translata sunt, vti Stephanus asserere videtur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Licet securi simus de animæ salute alicuius, corpus tamen illius non est negligendum, sed cum honore sepeliendum.

94 S*Epeliuit Abraham vxorem suam in spelunca duplici*, non est dubium piè & religiosè vitam duxisse & finisse Saram, si igitur dubitare non potuit de illius animæ in limbo patrum requie, cur ita sollicitè curat illius corpus sepeliendum? quia licet securi simus de alicuius animæ salute, corpus tamen illius non est negligendum, sed cum honore sepulturæ mandandum, *humanitatis memor Abraham* (inquit D. Pauli epist. 37.) *non spreuit corporis curam propter animæ securitatem, sed empto ad sepulchrum agro mortuam suam pretiosa sede composuit, docens pariter quid sibi isti deberent homines prouidere, cum is qui ad Dei verbum de terra patria cognationis exierat, nihilque præterea de peruagatis natione diuersa spatiis comparauerat, omnis terræ aduena, solum tamen agrum sepulchro, id est non temporalem sed æternam possessionem, nec terram auaritiæ, sed quietis emisset.*

D. Paulin. ep. 37.

Quæ mortem spectant non vt aliena, sed propria conspiciamus.

95 *Sepeliuit vxorem suam in spelunca duplici*, quam diximus conuenientem viri & mulieris sepulturæ, sed cum promissam accepit à Deo terram Chanaā, cur aliquam non adhibuit diligentiam, vt aliquam illius partem sibi acquireret, sed solum sollicitus est de spelunca duplici, in quarum vna sepeliēdus erat? quia omnia alia vt aliena, quæ autem mortem spectant, vt propria coquirere debemus: annuit D. Ambr. lib. 1. de Abr. ca. 9. *festinauit pro loco sepulturæ pretium soluere, cùm gratis daretur vt non in alienis sed potius in nostris ædificemus tumulis.*

D. Ambr. l. 1. de Abr. ca. 9.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XX.

VVLG. Et confirmatus est ager & antrum quod erat in eo Abraham in possessionem monumenti à filiis Heth.

Sep. Et confirmatus est ager & spelunca, quæ erat in eo in possessionem sepulchri.

Pag. In hæreditate sepulchri.

Caiet. Et surrexit ager & antrum.

CONCORDIA.

SPelunca hic & antrum non differunt, sicut nec confirmatus & surrexit, vti dictum est versu decimoseptimo.

EXPOSITIO.

C*Onfirmatus est ager*, &c. id est obtinuit vt proprium publica authoritate, & antrum, nempe speluncam duplicem *in possessionem monumenti* ad mortuos deinde sepeliendos, dubitabis si agrum hunc & huiusmodi antrum cessit Abraham in possessionem, siue in hæreditatem, quomodo ait D. Stephan. cap. 7. Act. Apost. quod in Chananæa Deus non dedit illi hæreditatem in ea nec passum pedis, ager enim ille mensuram passus pedis excedebat: scio aliquos respondere hæc non possedisse quasi hæreditatem, scilicet vt viuus ea tāquam prædium coleret vel incoleret, sed vt locum sepulturæ in quo mortuus quiesceret. Aug. autem mihi clarius satisfacere videtur q. 56. in Genes. dicens hæc nempe agrum & speluncam Deum non dedisse Abraham, sed pretio ea sibi comparasse.

D. Aug. q. 59. in Gen.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Defuncti funere præsenti tunc solùm deflendi.

96 C*Onfirmatus est ager ille* &c. *in possessionem*, quis non mirabitur Abraham perfusum lachrymis, vxorem defunctam defleuisse, postquam autem eam sepelierit, nec plorasse dictum? & merito, vt instruamur defunctos aliquo modo deflendos præcipue cum funus præsens adest, deinde lachrymas reprimendas. Sic Lipp. *ante sepulturam Saram planxit semel & fleuit Patriarcha, post sepulturam autem nequaquam fleuisse legitur, vt fideles per hoc sancta scriptura doceat mortuos moderate deflendos, & tunc tantum cum in promptu adest funus quicquid (præter orationes, eleemosynas & oblationes, pro eorum animabus agitur) videndum non ex infidelitate procedat, admonente nos Apostolo ne super mortuis contristemur sicut & cæteri qui spem non habent.*

Lippom.

1. Thes. 4.

Ita Deus

Ita Deus iustitiam suam exercet, vt etiam iudicio hominum æquissimus censeri debeat.

97 *Confirmatus est ager ille in possessionem Abrahæ,* Scilicet postquam eum sibi quadringentorum siclorum precio comparauit, sed cum Deus ei hanc terram in qua huiusmodi ager erat & spelunca, promisisset, cur absolute, id est saltem agrum & speluncam non concessit possidendam absque tot siclorum precio? acuta est Ruperti responsio dicentis, *quid hac tali emptione factum est, nisi quod ius legi timum semini Abrahæ collocatum est, vt non solum modo iudicio Dei qui iuste peccatores de terra illa exterminare habebat, sed etiam hominum iudicio terram eandem repetere meritò deberet, quam pater istorum quadringentis siclis argenti & probatæ publicæ monetæ coemisset? quid enim si non totam terram pater ille Abrahã comparauit? pars totum iustiori causæ vendicare debuit, præsertim vbi quod iure exigeretur pro parte non concederet aduersarius, vnde & apud Romanum nobilem quidam decertans sic succinctè declamat, omnia dat qui iusta negat,* en Deus æquissimus etiam hominum iudicio censeri voluit, in ablatione terræ Chanaam ab eius habitatoribus, cum voluit illius partem sibi Abrahã precio comparare & non gratis acquirere.

Ruper Abb. lib. 6 ca 36.

Elationis fastigium fastidiamus, sed solum spem bonorum operum & amorem supernorum quæramus.

98 *Confirmatus est ager & antrum,* scilicet spelunca duplex, *Abrahæ in possessionem,* non possum non inquirere, cur electissima sepulcra Hethæorum neglexit Abraham, solumque speluncam siue antrum informe, nullaque industria elaboratum sibi voluit comparare? gaudemus enim in sepulchris perpolitis & arte adornatis, nostros sepelire defunctos, imo & sepeliri; aduerte per electa sepulchra gentilium, qui iactant se in exterioribus, designari elationem, per speluncam autem duplicem humilem bona opera quæ in abscondito coram patre à nobis fiunt, denotari; quo notato sic optime Drogo respondet, *habet mundus electa sepulchra, illos vtique quos elationis fastigium vel superstitionis operositas perspicuos reddit, denique tota Ægyptus sepulchris plena est, neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus, illa sepulchra filij Israel cupierant in deserto, cum dicerent, forte deerant nobis sepulchra in Ægypto, in talibus sepulchris noluit Abraham mortuum suum sepelire, sed vbi? in spelunca duplici vbi spes bonorum operum & amorè contemplatiua deuotionis requiescit.*

Drogo in alleg Tilmani.

SYNOPSIS CAPITIS VIGESIMI QVARTI.

SENIOR SERVVS DOMVS ABRAHÆ ab ipſo adiuratus in Meſopotamiam ad quærendam vxorem Iſaac mittitur; Rebeccam inuenit & habito parentum ac fratris ipſiuſque conſenſu, adducit ad Iſaac, quam ille ducit in vxorem, & ita ſuper matris morte accipit conſolationem.

VARIETAS LECTIONVM VERS. I.

VVLG. Erat autem Abraham ſenex, dierumque multorum, & Dominus benedixit ei.

Sept. Et Abraham erat ſenior prouectus diebus, & Dominus benedixit Abraham per omnia.

Cald. Erat ſenex prouectæque ætatis.

Pag. Abraham ſenex venerat in dies.

CONCORDIA.

V*Enerat in dies* Hebraiſmus eſt, æquiualens prouectæ erat ætatis, ſiue dierum multorum, reſpexit igitur potius ad ſenſum noſter vulgatus, quàm ad verba; in Hebræo enim eſt בא בימים ba baiamim venerat in dies.

EXPOSITIO.

E*Rat autem Abraham ſenex*, Primus ſic dictus, non reſpectu ſuperiorum omnium temporum maiorumque ſuorum, qui ante diluuium vltra nongenteſimum, poſt diluuium vero vltra quadringenteſimum annum vitam produxerunt, ſed reſpectu hominum ſui temporis, neminem enim eius ætatis aut etiam poſteriorum temporum longæuiorem fuiſſe legimus quàm Abraham, non loquor de Iſaac qui patris ſui ætatem quinquennio ſuperauit, *dierumque multorum*, tunc enim erat centum quadraginta annorum, nam centeſimum annum attigerat, cùm ei natus eſt Iſaac. Iſaac autem quadragenarius erat cùm Rebeccam duxit vxorem, quam eodem anno quo Abraham miſerat ſeruum ſuum, ad eam conquirendam ſibi Iſaac matrimonio copulauit.

Et Dominus in cunctis benedixit, Hebraiſmus, id eſt benedixerat, ſubſtantiam enim illius auxerat, prolem iam centenario ex vxore ſterili dederat, promiſeratque vt ex ſemine ſuo, id eſt in Chriſto omnes gentes benedicerentur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Senectus non annorum diuturnitate, sed virtute censenda est.

1. ABraham erat senex dierumque multorum, quis ignorat quod iste religiosissimus Patriarcha breuioris æui quàm vllus pœne omnium maiorum suorum fuerit, illorum tamen qui diutissime vixerunt nemo quod sciam, sed solus hic scribitur senior; cur præ aliis nomen senis obtinet, cum eis comparatus iuuenis censendus esset? quia non plurium annorum, sed præstantium morum senectus in scriptura commendatur: hanc veritatem approbat D. Hier. in Psal. 91. super illa verba, & senectus mea in misericordia vberi, cum ait. *diligenter attende in scripturis vbi primum legerim senectutem, Adã nongentis 30. annis vixit & tamen senex non dicitur, Mathusalem nongentis 69. annis vixit & senex non dicitur, venio vsque ad diluuium, & post diluuium per annos fere tria millia; & nullum inuenio qui dictus est senex, primus Abraham senex dicitur, & certe multo minoris ætatis fuit quã Mathusalem: sed propterea dicitur senex, quoniam senectus ipsius inuncta fuit oleo vberi, hoc est bonis charitatis & misericordiæ operibus circumfusa.*

D. Hier. in Psal. 91.

Qui benedictionibus Dei repletur, nomine senis decoratur.

2 *Abraham erat senex & Dominus in cunctis benedixit ei*, quæ connexio inter hæc verba, senectutemque illius & benedictiones à Deo acceptas? an senectus causa benedictionis, vel benedictio, cur senex nuncupetur? occasio forte quia benedictionibus diuinis repletur, nomine senis maioribus decoratur: quod recte obseruauit Philo cum ait, *dicunt diuina oracula quod Abraham erat senior ætatis prouecta & Dominus benedixit Abraham rebusque ipsius omnibus, quod mihi videtur subiunctum tanquam causa præcedentium, cur senior dicatur ille sapiens cum enim à benigno Deo bene afficitur anima pars rationalis nec vnam modo sed omnes benedictionis species accepit, similiter sapit atque ita fit senior.*

Philo lib. de his verbis resipuit Noë.

Ætate prouectu conuenit, vt coniuges filiis suis seligant.

3 *Abraham erat senex*, an ætatis fuisse prouectæ & centesimum annum excessisse ignorabamus? minime quidem cum Genes. 18. dictum sit de eo & Sara, erant ambo senes prouectæque ætatis, cur igitur Moyses iterum in medium senectutem illius adducit? aduerte hoc in capite solicitum esse Patriarchã de coniuge danda Isaac filio: merito igitur senectutem illius annuntiat, quia potius ætate prouectis conuenit, quam aliis vxores filiis suis seligere. Fauet D. Chrysost. *quare*, inquit, *hãc nobis* (scilicet ætatẽ prouectam) *assignauit scriptura? quia Patriarcha diligenter curaturus erat vt sponsa Isaac adduceretur, ideo nobis eius ætatem assignauit.*

S. Chrys.

Benedictionibus Dei cumulatus satagat aliorum connubium.

4 *Abraham senex erat & Dominus in cunctis benedixerat ei*, cur à benedictionibus quibus à Deo cumulatus erat Abraham, narrationem huius capitis exorditur Moyses? nã diuersas ei impertiuisse benedictiones, & omnium maximã, scilicet quod in semine suo omnes gentes benedicerentur sciebamus: nonne in hoc capite de quærenda vxore filio suo agitur? merito igitur supponendum erat, quod in cunctis Deus ei benedixerat, quia qui aliorum connubium satagunt, non irreligiosi sint aut impii, sed Dei benedictionibus cumulati: non dissentit Rupertus cum ait, *tali præfatione* (scilicet quod Deus Abrahæ benedixerat) *digna subsequitur narratio, scilicet quod vxorem filio suo quæsierit.*

Rupert. hic.

Qui tenuioris sunt fortunæ, coniugium tanto cum affectu non appetant.

5 *Abraham senex erat & Dominus in cunctis benedixerat ei*, benedictionem hic appellat scriptura nõ solum spiritualium, sed & temporalium bonorum affluentiam. Sed ad quid nobis describitur bonorum Abrahæ abundantia, quorum hæres Isaac futurus erat, cum agẽdum est de filij sui futuro matrimonio? vt instruamur potius diuites quàm pauperes solicitos esse debere in conquirendis vxoribus filiis suis: hanc rationem indicat Abulensis dicens, *quomodo Abraham quæsierit vxorem filio suo ponuntur hæ causæ, scilicet senectus eius, & abundantia eius, multi enim volentes accipere vxores, non accipiunt eas, quia sunt indigentes, expectantes quousque perueniant ad pinguiorem fortunam, & tunc sumant vxores, qui autem abundat bonis, nulla causa est quam matrimonium dilatet existente ætate ad hoc debita.*

Abul.

Liberalitas maxime Deo congruens.

6 *Abraham senex erat & Dominus in cunctis benedixerat ei*, in Hebræo est יהוה iehoua, cur cum summã Dei erga Abrahamum munificentiam nobis exprimere conatur Moyses nomẽ Iehoua ei tribuit, quod nomen illi soli conuenit? sine dubio vt edoceret maximam liberalitatem soli omnium principio, scilicet Deo conuenire: Dominus (inquit Caietanus) *nomen est tetragrammaton congruens diuinæ largitati tam affluentis in omnibus.*

Card. Caiet.

Filius persona patris censetur.

7 *Abraham erat senex*, postquam Moyses descripsit qualiter habuerit se Patriarcha in vxore tumulanda, hic refert qualiter se gesserit erga prolem matrimonio copulandam, & hoc est (inquit Abul.) se habere ad seipsum, quid ais? nonne proles distincta est à persona patris? quomodo igitur habere se potest ad semetipsum, cum de prole connubio iungenda agit, satisfacit optime Lyranus, *ostenditur* (inquit) *qualiter Abraham vt perfectus, se habuit respectu sui seu propriæ familiæ, quia filius reputatur vna persona cum patre.*

Noster Lyran.

Maximè benedictus dicendus est per quem alij benedictionem accipiunt.

8 *Abraham erat senex & Dominus in cunctis benedixerat ei*, ergo benedictus à Domino; sed itane benedictus dicitur, quia solum à Deo largissimè & cumulatissimè bona acceperat? minime quidem, sed ita censendus est quia propter semen eius omnes benedictionem accepere: sic Rup. lib. 6. c. 38. *quid est* (inquit) *Dominus in cunctis benedixerat ei, id est bona cuncta quæ Deus omnibus gentibus per semen eius, id est Christum facturus erat, ei prædixerat, atque iuramento firmauerat.*

Rup. lib. 6. c. 38.

Bonis operibus ducimur ad Deum.

9 *Abraham erat senex multorumque dierum*, in Hebræo est venerat in dies, diximus ideo laudatam eius senectutem fuisse, non quia annorum diuturnitate maiores suos superabat, sed quia præ illis sanctiorem duxerat vitam: quo posito, si per multos dies bona opera in quibus vitam consumpsit possunt intelligi, cur Hebr. habet venit in dies? hoc enim improprie dictum censeo, potius enim dies in nos veniunt quàm nos in dies veniamus: merito venisse in dies dicitur vir ille fide plenus, venit enim in multa quasi gressibus quibusdam opera bona vel in magnam lucem, famam, seu vt verius sanctitatem per dies significatam, *vbi enim* (inquit D. Prosper lib. 1. de vita contem. ca. 6.) *per fidem bene viuendo proficiscimur bonorum operum quodammodo passibus ambulamus, iuxta* Paul. 2. Corinth. 5. *dum sumus in corpore peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus & non per speciem.*

D. Prosper li. 1. de vita cont. cap. 6.

2 Cor. 5.

Vita transiens.

10 *Abraham senex erat multorumque dierum*, in Hebræo venit in dies, qui venit progreditur transiens, cur quæso vt nobis vita Patriarchæ longæua significetur, per verbum venire declaratur? vt intelligamus nullomodo vitam permanentē esse, sed tanquā transeuntem semper progredi: vnde optime Olympiodorus in Eccles. comparat illam rotæ, *rota* (inquit) *accipitur pro nostra hac vita ob ipsas reuolutiones & motus*, & optime, sicut enim rota nullomodo permanet, sed semper mouetur, sic vita nostra nullomodo constans sed semper transiens, addit idem auctor, *antequam rota huius vitæ nos deuoluat in lacum seu infernum propriam curemus salutem.*

Olymp in Eccl.

VARIETAS LECTIONVM VERS. II.

VVLG. Dixitque ad seruum suum seniorem domus suæ qui præerat omnibus quæ habebat, pone manum tuam subter femur meum.

Sept Dixit Abraham puero suo seniori domus suæ potestatem habenti omnium quæ ei erant, pone manum tuam subter lumbum.

Chrysost. asserit Hebr. habere pone manum tuam subter lumbum.

Procop. Ait Hebræum & Syrum nominare membrum viri, quo proles fabricatur.

CONCORDIA.

IN omnibus Hebraicis codicibu, est ירך ierex quod femur, latus, plagam, pedem, hastile significat, nusquam autem lumbum, & ideo nescio in quo libro vel auctore eam lectionem Hebraicam repererit Chrysost. lumbi enim alio vocabulo dicuntur nempe חלצים chalatsaim nescio etiam vnde hauserit Procopius aliam lectionem, nusquam enim inuenitur.

EXPOSITIO.

DIxit ad seruum suum, hic seruus creditur fuisse ille Damascus Eliezer filius procuratoris, cuius mentio facta est Genes. 15. *seniorem domus meæ*, non solum ætate, sed & prudentia, *qui præerat omnibus quæ habebat*, curam habens facultatum & aliorū domesticorum familiæ Abrahæ.

Pone manum tuam subter femur meum, non exigua est difficultas in inuestigatione germanæ significationis huius ceremoniæ, qua vsus est Abraham in adiurando seruum suum, iubens eum ponere manum sub femore suo, prætermissis plurium auctorum sententiis, dico hanc ceremoniam ponendi manum sub femore non fuisse solemnem Iudæis in iuramento ob significationem & reuerentiam Sacramenti circumcisionis, quod membro vicino femori celebrabatur, nam si ritus ille & ceremonia iurandi spectasset ad Iudaicam circumcisionem, cum omnium Iudæorum communis esset circumcisio, etiam talis ritus & mos peruulgatus apud eos vsitatus fuisset: at præter vnum aut alterum nempe Abraham & Iacob alium Iudæorum neminem vsurpasse hunc morem nullibi in sacra scriptura reperimus: germanæ igitur huius cæremoniæ significatio ea est, quod Abraham declarabat ex femore suo iam natum esse Isaac, & ex eodem per Isaac nasciturum Christum semen benedictum, sicque à Deo promissum; vt igitur Christus ex se per Isaac nasceretur, seruum suum vt quæraret ei fidelem vxorem per femur quasi per Christum vt pote ex femore suo nasciturum compellit.

Si autem obiicias seruum hoc mysterium generationis Messiæ ex stirpe Abrahæ incognitum habuisse, quomodo igitur Patriarcha id facere seruum iubet, cuius significationem minime intelligebat? possem dicere hoc patefactum mysterium ei ab Abraham fuisse, fides enim illius, prudentia virtusque longissimi temporis vsu spectata & explorata sibi fuerat, sicque nullum inconueniens reperitur, si Abraham hoc mysterium seruo aperuerit, sed si tibi non arrideat hæc responsio, dicas cum Abulensi licet illud arcanum generationis Messiæ ex stirpe Abrahæ ille seruus exploratum nō haberet, satis erat nosse calere & credere Deum cœli & terræ Dominum, per quem adiurabatur, de significatione autem abdita illius cæremoniæ ponendi manum sub femore nequaquam curiose ab eo requirendum erat; persuasum enim habebat nihil à Domino suo religiosissimo nisi sapienter fieri.

CONCEP.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Christus Dominus à multis sæculis venturus annuntiatur.

P*One manum tuam subter fœmur meum, vt adiuremte*, cur non potius super aram manum imponere iubetur vt sanctius obstringat iuramento, dices cum D. August. Serm. 75. de tempore perinde fuit dicere mitte manum tuam subter fœmur meũ, ac dicere mitte manum tuam ad altare, aut ad arcã testamenti, aut ad templum Dei, & iura mihi, sed sane dissimile est aræ aut altari, aut templo Dei fœmur, quomodo igitur S. Doctor censet idem iurare subter fœmur ac super aram? aliam igitur adhibet responsionem quæst. 67. in Genes. *quod Abraham iubet puero suo, vt manum suam ponat sub eius fœmore solet imperitos mouere, non attendentes magnam de Christo Prophetiam quod ipse Dominus cæli & Dominus terra, in ea carne venturus esset, quæ de illo fœmore propagata est.*

S. August. quæst. 67. in Genes.

Nihil indecorum quod virtuti promouendæ & bono plurimorum ostenditur vtile.

12. *Pone manum tuam subter fœmur meum*, nonne seniori, & nobiliori viro, qualis erat Abraham, indecorum, quod serui manum subter fœmur suum exciperet? quis enim vellet permittere ne dicam illud iubere? sed ne id tanto viro dicamus indignum quia quo eo modo Christi à se oriundi profitebatur religionem, minime indignum putabat, quidquid tanto bono & omniũ deseruiebat vtilitati, vnde non indecorum putauit filius Dei qui cum in forma Dei esset, se exinanire, & in formam serui venire, quando id vtile erat hominum saluti, quod eleganter pertractat Theodotus Ancyran. Episcop. Hom. 2. de Christi natiu. habita in concil. Eph. c. 10. *ne mireris, inquit, si verbum ex vtero virgineo nascitur, Deus enim nihil ignominiosum ducit, quod humanam salutem conciliare natum est, neque tu Dei naturam ita vilem abiectamque arbitreris, vt cuicumque iniuriæ obnoxia esse queat, nihil enim abiectum aut vile, quod is nostri causa assumpsit, vilam illi ignominiam irrogat, assumit nihilominus quædam inferiora non quo suam naturam contaminet, sed quo nostram naturam saluet.*

Theodotus Ancyran.

Omnes vilescunt ad Iesu Christi comparationem.

13. *Pone manum tuam subter fœmur meum*, vel sub fœmore meo, cur non expendemus qua de causa iurantis serui manus sub fœmore Abraham iubeatur poni, non autem super fœmur pulchre D. Eucher. l. 2. in Gen. ait, *nec super fœmur, sed sub fœmore manũ ponere iubetur, quia ex illo fœmore descensurus erat qui homo quidam sed super omnes veniret, vnde dignum, non fuit vt manum super fœmur poneret, quia nulla caro superior illa carnem est, quam in redemptionem nostram sibi vnigenitus patris vniuit*, quid pulchrius? merito non super fœmur vnde Iesus nasciturus erat, sed subter hic humana manus admittitur, quia omnes in comparatione illius vilescunt.

D. Euchar. l. 2. in Genes.

Talis est sanctitas Christi Domini vt parentem suum, quia parens est, sanctificere videatur.

14. *Pone manum tuam subter fœmur meum*, cur volens iureiurando obstringere seruum suum Abraham, non super aram manum ponere iubet? vt sanctius iurare videretur, respondet D. August. Serm. 75. de tempore, *quia perinde fuit dicere, mitte manum tuam super fœmur meum, ac dicere, mitte manum tuam ad altare, aut ad arcam testamenti aut ad templum Dei & iura mihi*, quid? tantane sanctitate præditus Abraham, vt pars corporis illius nempe fœmur factũ, altare dici mereatur? nõne futurus erat, Christi progenitor quid mirũ igitur factũ quodãmodo altare dici? quia tanta est Christi D. sanctitas, vt Abrahamus eo solo nomine, quo Christi Domini futurus est, talis parens, sic nuncupari mereatur.

D. Aug. Serm. 75. de tempore.

Grauia negotia nõ quibuscunque sed prudentioribus committenda.

15. *Pone manum tuam subter fœmur meum*, dixit ad seruum suũ seniorẽ domus suæ, quem iuramento obstrinxit vt vxorem filio suo probam quæreret, sed cum longum esset iter peragendum erat, nonne cõuenientius fuisset iuuenem expeditum seligere, qui prouinciam peragrans, sollicitius quæreret coniugẽ Isaac? aduerte per seniorem non solam intelligi ætate, sed prudentia, aere merito non qualẽcunque domesticum, sed seniorem seligit, quia grauia negotia è quorum numero est, vxorem probam inuenire, non quibuscunque sed prudentioribus committenda, quod notat D. Chrysost. *quando ad extremam senectutem peruenit volens Isaacum à Chananæorum cognatione liberum esse, & nõ inde vxorem duceret, vocato antiqui famulo prudentiore, commendat ei hoc negotium.*

Chrysostom.

Arcanum incarnationis non quibuscunque aperiebatur.

16. *Pone manum tuam subter fœmur meum*, iam diximus ideo manu posita sub fœmore seruum iuramẽto obstrinxisse, quia tali ceremonia adumbrabat ac significabat mysterium generationis Messiæ ex fœmore, id est ex stirpe & genere suo propagandi, eoque signo profiteri & contestari voluit fidem suã quam habebat de Messia nascitura ex semine suo: sed si seruus nihil horum cognoscebat, cur ei Abraham non aperuit? quia arcanum incarnationis non omnibus sed paucissimis declarabatur, ita Abul. *seruus Eliezer nihil horum sciebat, quia ista secreta non reuelabantur omnibus.*

Abulens.

Firmitas sit in iuramentis & promissis.

17. *Pone manum tuam subter fœmur meum*, nonne alio ritu & ceremonia, quam manus positione sub fœmore, poterat seruum suũ iuramento obstringere? nota fœmora firmissimam humani corporis partem: vt firmitatem stabilitatemque in promissis & iuramento conseruandam esse significaret, à seruo suo hanc sane ceremoniam exegit: accipe Oleast. *mihi inquit, videtur suppositione manus sub fœmore pacta firmari tunc solita, quod fœmur sit pars in homine firmior, in qua scilicet tanquam domus in columnis (quarum figuram præ se ferunt fœmora) totum corpus sustentatur, est ergo sensus, pone manum tuam sub fœmore meo, id est ostende signum firmitatis iuramenti ponendo manum tuam in parte corporis mei firmiore.*

Oleast.

Iustus iis quibus impii abutuntur, bene vtitur.

18. *Pone manum tuam subter femur meū*, existimat Procop. Syrum & Hebræum loco femoris habere membrum genitale, sed itane obscœna sacra scriptura, vt hanc partem nominare vellet? & itane impudens Abrahamus, vt tangendum & spectandum præberet: quod nimis pudendum & subobscœnum est? satisfacit Procopius, *viro iusto & temperanti, nullū turpe est, impiis vero nedum membra turpia censentur, verum etiam anima polluta est*, & merito dixit, nullum membrum iusto turpe esse, quippe qui non ad libidinem male vtatur corporis sui facultatibus & mēbris, sed ad præscriptas ab ipsa ratione Deique leges, impius autem & ad omnem componet libidinē.

Procopius.

Concionator humilis est & Dei adiutor.

19. *Pone manum tuam subter femur tuum, dixit ad seruum seniorem domus suæ*, per hunc seruum moraliter inquit Lyranus, concionator intelligitur, sed cū liberrimus sit in dicendo peccatoresque reprehendendo & obiurgando vitia, quomodo seruus nuncupabitur? cū etiā si seru⁹ erat Eliezer qui interpretatur adiutoriū Dei, quomodo Deum adiuuare potest qui omnib⁹ aliis auxiliatur? optimè Lyr. *prædicator dicitur seruus per virtutem humilitatis & seruor per maturitatem honestatis, diciturque Eliezer adiutor, vnde Paulus de se & aliis prædicatoribus dicit 1. Corinth. 3. Dei adiutores sumus in verbo*, scilicet nōn in potentia, inquit beatus Primasius.

Noster. Lyran.

1 Corinth. Primas.

Antiqui non ita leui suspicione ducebantur sicut homines huius temporis.

20. *Dixit ad seruum suum qui præerat omnibus, quæ habebat*, quomodo ita domestico confidit, vt omnia quæ possidet, gubernanda, administranda, & regenda tradat? nonne nunc Domini quotidianas expensas, quotidiano scrutinio à seruis exigunt? scrutantur singula? sciscitantur de omnibus? morderentur suspicionibus, bonorum suorum iacturam timentes? quia antiqui non ita leui in seruorum infidelitatem suspicione ducebantur ac huius temporis corruptissimi homines: quod agnouit Hugo Carensis, *fidei serui Eliezer omnia commiserat Abraham, non ita scrupulosi erant antiqui nec suspiciosi, quin omnia sua fidei seruorum committerent.*

Hug. Car.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS III.

VVLG. Vt adiurem te per Dominum Deum cœli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito.

Sep. Et adiurabo te per Dominum Deum cœli & Deum terræ, vt non sumas filio meo Isaac vxorem de filiabus Chananæorum, cum quibus ego habito.

Pag. in cuius medio ego habito.

Cald. Et adiurabo te per verbum Domini Dei cœli &c.

Arias. Et faciam te in Domino Deo cœli & Deo terræ, quod non accipies in vxorem filio meo de filiabus Chananæi, cuius ego habitans in medio eius.

CONCORDIA.

IN Hebræo est futurum verbi Hiphil, ואשביעך quod expressit noster vulgatus in alio tempore & modo, sed idem sensus, repetitio *Deus cœli & terræ*, Hebræorum propria.

EXPOSITIO.

VT *adiurem te per Deum*, licet modus iurandi esset positio manus sub femore Abrahæ, cui iurabatur, non tamen iuramentum fiebat in creatura sed in creatore: quem etiam Eliezer agnoscebat & credebat, *non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, nouerat enim Abraham Noe maledictionem in Chanaam & ipsos infideles & idololatras, & ideo noluit eis misceri, ne vxor virum aut filios ad idololatriam prouocaret, *inter quos habito*, non enim à terra eorum egressus fuerat.

Aduerte breuiter quod licet apud Latinos scriptores adiurare idem significet atque simplex verbum iurare, tamen hîc alia est iurādi significatio, nā significat adigere aliquem ad iuramentū, & iuramento eū obstringere ad aliquid promittendū, dicendū aut faciēdum: aut è contra à faciendo dicēdoue deducere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non quoscunque sed inferiores iubendo possumus adiurare.

21. VT *adiurem te*, Origenes ait, non oportet, vt vir volens secundùm Euāgelium viuere, adiuret aliquem, si enim iurare non licet quantum ad Euangelicum Christi mandatum, notum est quia nec adiurare, aduerte quæso adiurationē dupliciter fieri, vel in eos qui subiecti nostro sunt imperio: aut nobis superiores auctoritate & potestate dico igitur non licere nobis superiores adiurare iubēdo, sed rogando; inferiores autem & præcipiendo dummodo res grauis aut vrgens appareat necessitas accipe D. Thom. dicentem, *si aliquis per inuocationem diuini nominis, vel cuiuscunque rei sacræ, alicui non sibi subdito adiurando necessitatem agendi aliquid imponere intendat, sicut imponit sibi ipsi iurando, talis adiuratio illicita est, quia vsurpat potestatem in alium, quām non habet, & sic illicita fuit adiuratio principis sacerdotum qua Dominum Iesum ausus fuit adiurare, sic etiam intelligitur dictum Origenis prædictum super Matthæum, si autem per aliquam necessitatem superior inferiorem sibi subditum tali genere adiurationis constringere velit, tūc erit licita adiuratio, & hoc pacto Patriarcha seruum suū Eliezer adiurauit.*

Orig. hom. vlt. in Matth.

D. Thom. 2 2 q. 90 in corpore quæstionis.

iuramento

Iuramenti Deus non solum testis sed violati vindex.

22. *Vt adiurem te per Dominum Deum*, in Hebræo, in Iehouah & Elohim, nonne satis fuisset eum per Dominum cœli adiurasse? cur igitur addidit per Elohim, quod nomen iudicem significat? quia Deus non solum est testis iuramenti, quod præstamus, sed etiam illius, si à nobis violatur, iudex & vindex, Fauet Caiet. *nominatur Deus inuocatus in testem non solùm primum essendi principium, sed iudex cæli & terræ, vt qui dat esse omnibus sit vindex, si contra officium propagandi esse fiat.*

Card. Caiet

Deus iudex hominum & Angelorum.

23. *Vt adiurem te per Dominum Deum cæli*, in Hebræo est hæc repetitio, & per Deum terræ, nonne eminentissimus est titulus Dei, quo nominatur Dominus cœli & terræ? cur igitur Deus, cui in Hebræo respondet Elohim, non solum terræ sed & cœli nuncupatur? quia Deus non solum futurus est iudex terræ homines adumbrantis, sed & cœli significantis Angelos, *dicitur Deus cœlorum*, inquit citatus Card. *eo quod verè iudex est omnium substantiarum spiritualium, tam quæ in cælis superioribus sunt, quam in inferioribus, id est in aere versantur.*

Card. Caiet

Homini probo committendum negotium tractandi matrimonii.

24. *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, nescio cur hominem senem ad hoc munus obeundum seligit, nonne sibi plures erant alii domestici? cur viribus & robore præstanti prouinciam alienam proficisci non imperat, vt filio vxorē adducat? aduerte seruum Eliezer non solum maturæ ætatis, sed & virtutis & probitatis; prudenter igitur hoc munus inquirendæ filio vxoris exequendum alteri non committit, quia solum homini probo, si fieri potest, matrimonii tractandi negotium debet cōmitti, *desumit iustus*, ait Lipp. *ex fidelibus seruis optimum ad tractandum præcipuum opus matrimonii conciliandi, qui & hero suo virtutibus similior & fide spectatior erat.*

Lippom.

Ne iungas matrimonio maculatos graui maledictionis infamia.

25. *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, cur ita exosos habes Chananæos? cur eorum filias ita negligis, vt connubio filii indignas omnino iudices? an eis, quod præcipuè ab omnibus requiritur, & opes & pulchritudo desunt? minimè equidem: aduerte progenitorem Chananæorum impium fuisse & à patre maledictum: cur igitur cōsilium Abrahami imprudens arbitraris, imo prudētissimè tene, si ex Chananæis filiam vxorem filii futuram negligat, quia proles matrimonio non copulanda aliqua graui maledictionis infamia maculatæ: sequere Ambrosium sic consulentem, *constrinxit seruum iustus vt non de semine Chananæorum vxorem accersiret Domino suo, quorum generis auctorem patrem non honorauerat, & ideo maledictionis hereditatem transmisit in suos, vt cognoscamus fidem & quandam hereditatem de auctoris prosapia in his requirendam quos nobis volumus adiungere? cum sancto enim sanctus eris, & cum peruerso peruerteris, si hoc in aliis, quanto magis hoc in connubio vbi vna caro & vnus spiritus est? quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides? & ideo caue Christiane, gentili aut Iudæo filiam tuam tradere, caue inquam Iudæam gentilem aut alienigenam, hoc est hæreticam & omnem alienam à fide tua vxorem accersas, tibi prima coniugii fides castitatis gratia est.*

D. Ambros. l. 1. de Abr c. 14.

Psal. 17.

Omnis vtilitas & consolatio ex impiis propter Deum despicienda.

26. *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, si illorum regionis habitator, à quibus non exigua potes obtinere emolumenta, & tuæ posteritati: cur igitur mens tua ab eorum affinitate ita auersa, vt iuramento seruum constringas filiam eorum in coniugem filii non assumendam? quia omnis vtilitas & emolumentū ab impio proueniens, propter Deum omnino despiciendum, *nec senex Abraham*, inquit Rupertus, *nuruin de Chananæis quæsiuit vnde aliquod suppeditare posset solatium suæ peregrinationi, quod in eo non magno caret fidei merito, quod peregrinationem suam propter Deum in quo confidebat, sic amplexatus est, vt eorum qui Deo non placebant, propinquitatem nullam sibi aut posteris suis admitteret.*

Rupertus.

Omnis occasio idololatriæ tam in se quàm in aliis vitanda.

27. *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, nonne expertus es in te, eos misericordes, benignos, & munificos, cum agrum & speluncam, pro vxore sepelienda tibi dono obtulerunt? cur igitur eorū filias despicis, vt nulla ex eis futura filii vxorē consentias? certe ingratitudinis argueris, nō exiguę: nota, Chananæorum filias idolis cultum exhibere, vt igitur omnem occasionem idololatriæ à posteritate sua amplectendæ amputet, prudenter à sua familia mulieres idololatras arcendas statuit, audi Gennadium in catena græca sic disserentem, *cum circumcisionis ritum à Deo videret Abraham accepisse, vt ab aliis gentibus genus suum secerneretur, veritus summopere ne si affinitatem cum incola eius regionis contraheret, filius paulatim ad idololatriam desisceret, idcirco seruum iubet circumcisionis notam tangentem per eum à quo impressa est adiurare.*

Gennadius in catena græca.

Iuuenes à parentibus sibi dari coniuges expectent.

28. *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, an Isaac precibus postulauit à parente, vt sibi vxorem traderet? non legimus, an sibi seligendam duxit? minimè, nonne nubilis erat? imo quadragenarium annum attigerat, cur igitur posteritati suæ non consulit ducens vxorem vel à patre eam postulans? quia iuuenes bonæ indolis à parentibus matrimonio iungi, expectare debēt: sic consulit cit. Rup. *nec enim iuuenis Isaac vxorem ambiuit quam concupisset oculis, sed eam quam nunquam viderat secundùm voluntatem patris præstolatus est, iuuentutis petulantiam supergressus est, vt illam expectaret coniugem, quam Deus daret non concupiscentibus oculis ipse cum dote magna rapuisset.*

Cit. Rupertus.

Diuinæ prouidentiæ non ita negotia committenda, vt ei non cooperemur.

29. *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, nonne tibi Deus amplissimam pollicitus est posteritatem, non minorem stellarum numero nec pulueris multitudine? cur igitur ita sollicitus de vxore futura filii? nam si Deus decreuit posteros ex semine tuo futuros, Isaac coniugē non denegabit: ab hac igitur solicitudine mentē reuoca, diuinæ fidens prouidentiæ, fidit equidē, sed ea nō abutitur, nec tentat, nō enim ei ita sunt nostra cōmittenda, vt nostrā secludamus cooperationē quod optimè animaduertit Lipp. cū ait, *Abrahā per fidē certus erat de futura posteritate promissa, agit tamen quod ad complendas Dei promissiones pertinet, non vult enim Deus otiosos cessantes ac stertentes circa eaque futura prædicit, sed vt fideles serui sēper ea prosequantur quę Domini sunt, actuum nostrorū exitus eidem commendantes.*

Lippomanus.

Mater ad inducendum in malum sobolem accõmodatior quàm pater ad bonum.

30. *Non accipias vxorem de filiabus Chananæorum*, si tibi posteritas futura est, quid refert vtrum ex Chananæa, vel alterius gentis muliere? scias me dixisse quod Abraham timuerit ne Chananæa, quæ idolis seruiebat, posteritatem suam ad idololatriã induceret? nonne Isaac fidelissimus vnius Dei seruus filios suos in obsequio veri Dei instrueret, illiusque mandata custodire doceret? non ergo timendum est hanc Chananæam quamuis idolis seruientem, ad idololatriã filios quos ex Isaac susciperet, inducturã? prudenter tamen Abraham hanc mulierem excludit, mater enim ad inducendum in malum accõmodatior & potentior, quàm pater in bonum: huius veritatis rationem assignat Abulensis, *quia filius, inquit, magis conuersatur cum matre quando tener est, & quando possunt fieri impressiones in eo, & ideo si mater male imbuit filium suum in tenera ætate, semper erit vir malus, nisi ex magna misericordia Dei & labore dirigatur.*

Abulens.

Ita sancti suæ delectantur peregrinationis, vt nihil ei contrarium velint admittere.

31. *Ne accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, tantone odio erga Chanaan habitatores duceris, vt ne vnicam eorum filiam affinitate tibi coniũgi patiaris? inter tot & innumeras, nonne aliqua bonæ indolis reperietur futura filii tui coniux? aduerte cùm esset Abraham ditissimus, si vxorem ex Chananæis, inter quos erat peregrinus & aduena, filio suo selegisset, forte illa plura immobilia, vt agros, domos possedisset, quod alienum est à peregrino: non igitur vxorem Isaaco ex huiusmodi gente ducendam voluit, quia iusti peregrini ita suæ condelectantur peregrinationis, vt nihil ei contrarium velint admittere: sic Thom. Anglic. *vt magis apparerent esse in terra illa vt peregrini, vsquequo Deus sua promissa adimpleret & per hoc suis clarius prædicaret gentem illam esse delendam, & suo semini in posterum fugiendam, ideo noluit quod de Chananæis duceret vxorem.*

Thom. Anglic.

Nostra negotia à Deo incipienda.

32. *Ne accipias vxorem filio meo, &c. te adiuro per Deum cæli*, cur nomen Dei interposuit in hoc matrimonii negotio? satis enim erat dixisse adiuro te: consulto nomen Dei interposuit, illiusque mentionem facit, negotia enim nostra & præcipuè connubia à Deo incipienda, alioquin nusquam prospera, vt experientia notum habemus.

Mulier improba etiam fidelissimos Dei seruos à suo cultu abducit.

33. *Ne accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, times ne in idololatriam tuã impellat posteritatem, imo & à vero Dei cultu Isaacum abducat; sed existimo tuo te deceptum consilio, nam creditu difficile est hominem quadragenarium, qualis est Isaac, optimis moribus instructus, à Deo variis cumulatus beneficiis, & illius fidelis seruus, propter mulierem idolis seruientem veræ religioni valedicturum, corque eius ita deprauandum, vt saluti suæ renuntiet: imo prudenter credidit hoc fore euenturum, mulier enim improba etiam fidelissimos Dei seruos à suo abduxit obsequio, huius veritatis testis est ipsemet Deus Ieremiæ vlt. dicens, *nunquid non in huiusmodi re peccauit Salomon rex Israel? & certe in gentibus multis non erat rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus regem super omnem Israel, & ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ*, & 3. Reg. c. 11. *Rex Salomon adamauit mulieres alienigenas, super quibus dicit Dominus filiis Israel, non ingrediemini ad eas, certissime enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum, his itaque copulatus est Salomon, & auerterunt mulieres cor eius, cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres vt sequeretur Deos alienos*, quod paucis versibus nobis aperuit Dom. Phil. in Epigrammate de mala fœmina.

Ierem. vlt.

3. Reg c. 11.

Phil. Abbas.

Plurima cùm soleant mores euertere sacros,
Altius euertunt fœmina, census, honos,
Fœmina mente Parim, vita spoliauit Vriam,
Et pietate Dauid, & Salomona fide,

Ita Deo obediendum vt quamuis aliquid non præceperit, sed scimus aliquando id iussurum, id exequamur.

34. *Ne accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, mirum est certe cùm prohibeat, ne filio coniungat vxorem Chananæam, eundem tamen proficisci iubeat seruum ad gentem quæ idolis inseruiebat, & hinc petere filio suo coniugem (sic enim tenet Procop.) dices sciuisse Deum, diris execratum imprecationibus fuisse Chananæos, & proinde noluisse vt filius inde duceret vxorem: sed audias quæso cùm Abraham fuerit Propheta, agnoscere potuit legem qua Deus præcepturus erat filiis Israël ne Chananæis matrimonio coniungerentur: quid mirum igitur Chananæam non admisisse Isaac vxorẽ, quia ita Deo obediendum, vt quamuis aliquid non præceperit, sed tamen non ignoramus id aliquando iussurum, exequamur: annuit Procop. *nouerat, erat enim Propheta, quod postea Deus daturus esset legem qua vetaret sociare connubium cum Chananæorum gente, qua propter prohibet ne filio coniungat vxorem Chananæam.*

Procopius.

Claritas generis in patre & matre soboli prodest.

35. *Ne accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, si omnium hominum Deus creator, nec apud illum est acceptio Iudæi aut Græci, cur Abraham præfert aliis Chananæis? obserua Chananæos viles ob maledictionem Noë eorum progenitori inflictam: prudentissimus igitur Abraham nõ abiectum, sed potius clarissimum filio suo matrimonium prouidet, claritas enim paterni & materni generis maximè soboli prodest, hæc mens fuit Procopii sic annotantis, *quia audierat dicentem, in Isaac vocabitur tibi semen, voluit claritatem illi semini accedere à paterno & materno genere.*

Cit. Procop.

Qui reuerentiam patri non exhibet, Deo & hominibus maximè exosus est.

36. *Ne accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, in quo te Chananæus offendit? imo quam ab eo gratiam non accepisti, apud eum in summo habitus honore? cur igitur ita tibi exosus, vt strictè seruo præcipias nullam ex filiabus earum in coniugem filii seligere? nonne cõpertũ est omnibus Chananæam, ob irreuerentiam patri exhibitam, maledictionem ab eo accepisse? merito igitur odio est apud Abraham Chananæus, quia qui dedecore patrem afficit, non soli Deo sed & omnibus exosus est mortalibus, fauet Amb. *constrinxit seruum, vt non de semine Chananæorum vxorem accerseret Domino suo, quorum generis auctor patrem non honorauerat, & ideo maledictionis hereditatem transmisit in suos.*

Ambros. lat.

Diuitiæ

Diuitiæ vilipendendæ in vxore, si morum probitas absit.

37. *Ne accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, si ab hominibus diuitiæ & auri argentiue copia requiruntur, pluresque sint Chananæi ditissimi, cur ô Abraham in vxorem filii tui filiam Chananæi potentissimi, opibus clarissimi non seligis, eique matrimonio copulandam? diximus Chananæas merito ex hoc genere mulieres negligi, quia diuitiæ vilipendendæ in vxore, si morum desit probitas, quod prosequitur D. Chrys. oratione de muliere & pulchritudine, ait enim, *cognouisti praeceptum Patriarchæ quod seruo præcepit, cogita quomodo antiquitus studium collocabant non pecuniæ copiam quærentes, non magnas diuitias, sed seruitia, & iugera terræ, tot & tot non externoris pulchritudinis decorem, sed animi pulchritudinem exquirebant, & morum nobilitatem, ac Patriarcha quidem ille animi virtutis curam agens & indigenarum improbitatem fugiens hoc facit.* D. Ambr. lib. de Abrah. *quid in vxore quæretur: non aurum, non argentum quæsiuit Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis.*

S Chrysost oratione de muliere & pulchritudine.

Ecclesia quæ est sponsa Christi, non ex Iudæis solum, sed ex gentibus.

38. *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, miror cur ex fœminis Chananæis vxorem minimè Isaac tradere voluit, sed ad eorum regionem qui idolis dediti erant, seruum suum continuo misit, vt summo studio vxorem quæ Isaac cõueniret, inueniret, quid? vxor ex regione gentilium gratior ne erit Isaac, quam ex terra Chanaam, quam ipsemet Abraham habitabat? mysticè loquor, animaduertens per Chananæos Iudæos intelligi, tum quia hanc terram incoluerũt, tum ex nominis interpretatione, Chananæus enim promptitudinem ac subiectionem denotat, sed quinam quæso ad subiectionem promptiores viliores que homines vsquã inueniri potuerunt, quam Iudæi? postquam enim Christum negauere, omnibus certe nominibus vbique terrarum subiecti sunt, vilissimique inter homines habentur: per Isaac Christus Dominus intelligitur, tum vt ipse in vltima ætate sæculi, quemadmodum & Isaac, natus fuerit, cum etiam dilectus à Patre ac lætitia exultatioque haberetur, vt & ipse Isaac potest interpretari: quo posito desine mirari Abraham non ex Chananæis vxorem filio tradere voluisse, quia hac veritate innuebatur hoc mysterium, nẽpe quod Deus Pater omnium Iudæorum congregationem nollet Christo Domino tanquam vxorẽ coniungere, sed ex gentibus eam illi tradere: hauriamus hanc veritatem à Cyrill. Alex. c. 8. in Genes. *Abraham non ex Chananæis sed è Mesopotamia filio suo vxorem deduci voluit, nam & Ecclesia non ex Iudæis, sed ex gentibus saluatori nostro voluntate Patris opera que seruorum fidelissimorum scilicet Christi discipulorum spiritualiter coniuncta est, qui cùm Iudæam quemadmodum & Abrahæ seruus Chananæam reliquissent, ad regionem eorum qui simulachris dediti fuere, profecti sũt.*

S. Cyrill Alex. c. 8. in Genes.

Discipuli Christi Domini penes se habent quæ sunt ipsius Christi.

39. *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, cum dictũ à nobis fuerit præcedenti conceptu, Abrahã, Deum Patrem, Isaac, Christum Dominum exprimere, manet aperiendum, quomodo discipuli Domini seruo Abrahæ possunt significari: nã de eo dicitur, quod præerat omnibus quæ possidebat Dominus illius Abraham, de ratione enim discipuli Domini est quod omnibus vendit is, ea pauperibus eroget, vtinque & pauperrimus in hoc sæculo degat: quomodo igitur seruo Abrahæ denotari possũt Saluatoris discipuli? accipe iterum sic Cyrill. respõdẽtẽ, *ipsi namque discipuli quæstores ministrique arcanorum Dei habentur & quæ Christus possidet, penes se habent.*

Cit Cyrill.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IV.

VVLG. Sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac.

Sep. Sed in terram meam vbi natus sum ibis, & ad tribum meam, & sumes vxorem filio meo inde.

Cald. Sed ad terram meam & generationem meam ibis.

CONCORDIA.

ילד Ialad generationem natiuitatemque significat propriè, quamuis extenderit interpres ad cognationem, sequutus septuaginta interpretes habentes τῶν φυλῶν.

EXPOSITIO.

SEd ad terram & cognationem meam ibis, optimè pronomen possessiuum illud *meam*, non cum substantiuo terræ coniunxit vulgatus, sed solum cũ cognatione, quia Abraham non potuit appellare terram suam, in qua tunc habitabat Nachor, in Aran enim Mesopotamiæ erat, Abrahami autẽ terra erat Vr Chaldæorum, sed iunxit cum cognatione ita vt hoc sic intelligi debeat, proficiscere ad terram scilicet Mesopotamiæ, & ad cognationem meam quæ in ea habitat, si autem coniungere velis meam cum terra sicut est in Hebr. Cald & 70. dicas Abraham regionem quæ trans fluuium Euphratis est cõprehendentem Mesopotamiam & Chald. generatim terrã suam appellasse, quod tota regio illa transfluuialis diceretur respectu Palestinæ, quoniam igitur Abraham mittebat seruum suum in Mesopotamiam, proxime Chald. patriæ suæ iunctam, & quæ ample sumpta Chald. amplectitur, & progenies Nachor habitabat in vrbe Haran quæ erat in Mesopotamia, idcirco mittens illuc seruum vere dixit illum in terram suam mittere, & *cognationem meam*, de cognatione Abrahæ solus remanserat Nachor cũ vxore sua Melcha, quæ erat consobrina Abrahę & filia Aran, *& inde accipias vxorem*, scilicet de filiabus Nachor, vel de filiabus filiorum suorum quia Rebeccã filiam Bathuelis filii Nachor accepit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Bona domesticis potius quàm alienis prouidere debemus.

41. A*D terram & cognitionem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo*, cur potius ex cognatione tua quàm aliena? plures enim in Mesopotamia virgines dignæ filii tui connubio reperientur, reuoca in memoriam plura Deum Abrahæ posteritati beneficia promisisse: prudenter igitur ex cognatione sua, potius quàm ex aliena vxorem filio suo postulat, vt bonorum sibi à Deo promissorum fiat particeps potius quàm aliena: mens est Dionys. Carth. *sciebat*, inquit, *quanta bona Deus filio promiserat & posteris eius, eorum bonorum affectauit Abraham suam cognationem participem fieri magis quàm alienos.*

Dionys. Carth.

Negotia spiritualia temporalibus præferenda.

41. *Ad terram & cognitionem meam proficiscaris &c.* cum, ô Abraham, negotium sit tanti oneris nurum seligere, cur itineri nō te accingis, vt bonis moribus commendatam formæ speciosæ &c. reperias? cur hunc laborem imponis domestico? non est dubium hominem piissimum, qualis erat Abraham, quotidianis piis exercitiis vacare, quæ longo itinere potuissent vel impediri vel diminui: laudibus igitur eum extollamus, si se non itineri accinxit, sed huic negotio seruum destinauit, prætulit enim secularibus spiritualia: quod animaduertit Lippom. cùm ait, *is nempe seruus negotiorum Abrahæ moderator fuit, quo senior ipse minus grauaretur, & à vere piis exercitiis minus impediretur.*

Lippom.

Nullæ difficultates obstent inquisitioni probæ vxoris.

42. *Ad terram & cognationem meam proficiscaris*, si seruus senilem iam ætatem attigit, si arduum iter tam propter luti profunditatem in hyeme, in æstate vero propter aquarum inopiam, & propter latronū immanitatē, periculosum est, inquit Iosephus, cur ad tot periculis plenam regionem mittis hominem senem? patere vt inter Chananæas coniugem filio tuo seligat, & ne tam difficili accingat se itineri vt adducat ex Mesopotamia? obserua non solicitum esse Abraham de vxore Isaac quærenda, sed de proba, bonisque moribus exculta: viriliter igitur hoc opus aggreditur, omnibus periculis contemptis, nullæ enim difficultates quamuis grauissimæ executioni boni operis, quale erat connubium vxoris bonæ indolis, debent obstare, *neque intervallum locorum*, inquit Chrysost. *neque aliæ difficultates segnem eum in his reddunt, sed sciens rei necessitatem, omnem curam & studium adhibet ac mittit seruum.*

Chrysostom.

Patria mores indicat.

43. *Ad terram proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo*, an meliores reperientur fœminæ inter Chaldæos vel Mesopotamitas, quàm inter Chananæos, vt præcipias potius ex Mesopotamia quam ex Chanaan vxorem filio tuo seligi? aduerte Chananæos regulariter prauæ indolis & in malum propensos, secus autem Mesopotamitas & Chaldæos: merito igitur ex terra sua coniugem adduci iubet, quia ex patria non exiguum ducitur ad mores iudicandos argumentum, vt latè docet D. Hieronym. l. 1. in Epist. ad Galat. cap. 3. sub initium, *vnaquaque*, inquit, *prouincia suas habet proprietates, Cretenses semper mendaces, malas bestias, ventres, pigros, Mauros feroces, Dalmatas Latinus pulsat, Historicus timidos Phrygas omnes poëtæ lacerant, Athenæ expeditiora nasci ingenia Philosophi gloriantur, leues Græcos sugillat Tullius, ingenita inquit leuitas & vanitas erudita, ipsum Israël graui corde & dura ceruice omnes testantur scriptura, & ante illum Tertul. lib. de anima cap. 20.*

D. Hieron. l. 1. in Epist. c. 3.

Tertul. in l. de anima cap. 20.

Pulchritudo in vxore non quærenda præcipuè, sed optimi mores.

44. *Ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo*, cur non addis pulchram? corporum enim pulchritudo, oculorum voluptas est, hac visus delinitur, hac delectatur, à natura hoc desiderium est, vnde Synesius in Encomio Caluitii, *natura*, inquit, *omnes formæ & pulchritudinis desiderio tenemur*: pulchram igitur præcipe coniugem filio tuo adduci; pulchritudinem negligit nec illius meminit, illa enim non in vxoribus quærenda est, cū pulchritudinē non semper virtus comitetur, quod testatur D. Bern. in l. de vitæ ordine cùm ait, *qualis est ista pulchritudo? quàm leuis febricula perdit, & rugosa senectus ita dissoluit, vt nec fuisse putetur: nos certe in pulchritudine locum virtutis non ponimus & tamen sunt qui hanc habentes, extolluntur, & cùm sint vacui virtutibus, per hanc solam se gloriosos arbitrantur*, Ambros. clarius lib. de institut. virgin. c. 4. *cur vultus decorem in virgine magis quàm morum requiras? placeat vxor honestate magis quàm pulchritudine.*

Synesius in Encom. Caluit.

D. Bernard. lib. de vitæ ordine.

Vnicus filius maxime à patre diligitur.

45. *In cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo*, cur Abraham non ipsummet Isaac misit in Mesopotamiam, vt quam vellet ipse ex posteris Nachor, vxorem sibi eligeret, sed id negotii tractandum & perficiendum seruo suo mandauit? ii quidem Isaac daturus filio suo Iacob vxorem, non seruum misit in Mesopotamiam, vt inde accerseret & duceret filio suo vxorem, sed eò misit ipsummet Iacob: aduerte Isaac duos filios habuisse, Abraham autem vnum: quid mirum igitur Isaac instigatione Rebeccæ, vnum misisse seruum Abrahā, non filium? quia vnicus tanto amore à patre diligitur, et tanquam solatium & subsidium nolit à se separare.

A gremio parentum prauæ religionis filii subducendi sunt, vt facilius ab errore reuocentur.

46. *In terram meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo*, si secundum aliquos cognatio Abrahami non vnū Deū, sed plures colebat, sicut & Chananæi diis seruiebant, nonne conuenientius fuisset Chananæam coniugem Isaac tradere quam ex Mesopotamia adductam? sic enim plures omitterentur expensæ, plura vitarentur pericula, notandum est quod si Isaac ex Chananæis duxisset vxorem, illa parentibus familiaris, quotidie conuersaretur, sicque illorum errorem difficile dimitteret: admiremur igitur Patriarchæ prudentiam, ut quærenda coniuge Isaaco, remota in regione, qui enim à gremio parētū prauæ religionis subducitur, & in piorū familiam transfertur, citius ab errore reuocatur. *haud fugiebat Abrahā*, inquit Proc. *fore vt si puella longius à pate no genere fuerit semota, & in piā domū deducta oblitura facere pater-*

Procop.

terni erroris, quod sane non fuisset, si fuisset subinde in tutela & quasi gremio parentum.

Voluntas filii in his quæ recta sunt, sit voluntati patris conformis.

47. *In cognationem meam proficiscaris & inde accipias vxorem filio meo*, quomodo Abraham nō præcepit filio, qui iam adultus erat nuptiisque idoneus, ne se Chananæorum matrimonio pollulat? si quidem Isaac monenti pariturus erat, sicque opus non fuisset seruum adiurare, ne ex illis coniugem acciperet filio; ita paternæ voluntati conformis subditusque fuit Isaac, vt necesse non fuerit id ei præcipere, sed soli ministro; grata enim & accepta habiturus erat quæcunque Pater voluisset.

Serui prudentes & pii, tanquam parentes à filiis honorari debent.

48. *In cognationem meam proficiscaris & inde accipias vxorem filio meo*, sed, ô Abraham, si morte corriperetis dum seruus tuus Eliezer viam perficit, & eo regresso nollet sibi adductam Isaac vxorem admittere, nonne in opprobrium familiæ tuæ cederet? laborque serui tanquam inanis euanesceret? id certe minime timendum, quia cùm Eliezer esset seruus pius & prudens, quamuis mors Abrahæ contigisset, tanquam pater ab Isaac coleretur eiusque mandata suscepisset: quod confirmat Procop. dicens, *prudentia singulari præditus erat & consiliis plurimum pollebat, tales autem seruos prudentes veneramur, & ad liberorum ingenia excolenda natos propter ætatem his obsequuntur filii familias seu alteris parentibus:*

Procopius.

Senes, non iuuenes, negotiis magni ponderis committendi.

49. *In terram & cognationem meam proficiscaris*, quis ille seruus, & cuius ætatis, cui hoc præceptum imponis? inquit textus, quod senilis: cùm tot essent alii domestici ipsi Patriarchæ, nonne sibi obsequentissimum minoris ætatis potuit reperire, cui hanc prouinciam demandaret? potuit equidem, sed noluit, quia non iuuenes, sed senes negotiis arduis & magni momenti committendi sunt: recte in hanc sententiam ita scribit D. Hildebert. Ep. 12. *ætas integra postulatur, vnde nec periculum religio metuat, nec reuerentiam dignitas amittat, Christus Ioãnem supra Petrum dilexit, Petro tamen non Ioanni concessa est potestas ligandi & soluendi, nam coram discipulis ostendi nimis ponere noluit, ne maioribus anteponeret iuuenem, quamuis eum prærogatiua castitatis præ cæteris fecerit familiarem, detulit igitur ætati non meritis, nec prætulit coniugatum virgini, sed prouectiorem iuniori.*

Hildeb. Epist. 12.

Non adest omnis fœlicitas parentibus, si filios matrimonio non copulauerint.

50. *In terram meam proficiscaris & inde accipias vxorem filio meo*, si Deus omnipotens omni eum bonorum spiritualium ac terrenorum affluentia cumulauit, si prosper in omnibus ac fœlix semper vsque ad hanc ætatem processit; cur angitur? cur variis cogitationibus ducitur Abraham? cur torquetur ad inueniendam filio suo vxorem? quia parentibus etiam beatis vna fœlicitas deest, filiis scilicet decentissimum ac honestissimum prouidere coniugium.

Animæ sæcularibus negotiis deditæ, non possunt Christo Domino tanquam sponso coniungi, sed solum sæculo renuntiantes.

51. *Vade in cognationem meam & inde accipias vxorem filio meo*, contestatus est Abraham seruum suum vt non ex Chananæis acciperet, in quo deliquerunt Chananeæ vt præferatur Mesopotamiensis? hic mystice loquor, præsupponens Chananæum interpretari secundum Hugon. Card. negotiationem, per Rebeccam autem patriam parentesque relinquentem intelligi virgines, animasque sæculo renuntiantes: nō igitur accipiat Chananæam Isaaco vxorem, sed Rebeccam, non enim animæ sæcularibus deditæ negotiis, sed iis renuntiantes, Christo Domino tanquam sponso debent coniungi: hanc accipe veritatem ex cit. Card. *filię Chanaan quę interpretatur negotiatio vel motus corũ, sunt omnes molliter in hoc sęculo viuentes, negotia sęcularia sustabiliter sectantes, tales matrimonio cùm Christo non coniunguntur, vnde Greg. de filiabus Chanaam vxor duci prohibetur, quia Christo nullę reproborum animę coniungentur, Leuit. 21. c. dicitur de sacerdote, virginem ducet, viduam, & repudiatam, & sordidam atque meretricem non accipiet, vidua est cuius vsus voluptatis non affectus mortuus est, repudiatæ quam mundus repudiat, non ipsa mundum, meretrix, & sordida quę in peccatorum sordibus sordescit, adhuc, nullam talem sibi copulat Deus, sed virginem, id est mundam, Psal. adducentur regi virgines post eam.*

Hugo Card.

Leuitat.

Psal. 44.

VARIETAS LECTIONUM VERSUS V.

VULG. Respondit seruus, si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, nunquid reducere debeo filium ad locum de quo egressus es?

Sep. Dixit ad eum puer, ne quando noluerit mulier ire mecum retro in terram hanc, reuocabo filium tuum in terram vnde existi inde.

Cald. Forte nolet mulier venire post me, nunquid reducens reducam filium tuum ad terram de qua egressus es?

CONCORDIA.

Licet Vulgatus cùm Orig. seruum senem dixerit, septuaginta tamen puerum dixere, non ætatem sed conditionem exprimentes, serui enim dicuntur pueri, vel à dominis, vel à quibuscunque potioribus: sic D. Ambrosius.

EXPOSITIO.

SI noluerit mulier venire mecum, &c. cum longe distaret Mesopotamia à terra Chanaam, & non exiguum iter conficiendum esset, prudenter timuit ne secum mulier vellet venire, *nunquid reducere debeo filium tuum ad locum de quo egressus est?* quasi diceret si ea conditione nolit mulier matrimonium contrahere, nisi cum suis moretur, promittamne iturum illuc filium tuum Isaac?

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Prudenter præmeditandus est grauis negotii euentus, vt remedium adhibeatur.

52. *SI noluerit venire mecum &c.* cur futura præuides? Domini tui mandata exequere, Mesopotamiam proficiscere, nubilem puellam Isaac quære coniugem, prudenter quid sibi faciendum sit sciscitatur, & quid agendum sit, si mulier secum pergere nolit, quia præmeditandus est grauis euentus negotii, vt remedium adhiberi possit, quod obseruat Lipp. *seruus Domini pietatem imitatus, rationabiliter agenda præmeditatur, ne frustra conficiat tantum iter vacuus rediturus, cunctatur non de sua voluntate, sed quod fieri potest, præueniendo.*

Lippom.

Timeat seruus ne aliquo modo præceptum Domini transgrediatur.

53. *Si noluerit venire mecum nunquid reducere debeo filium tuum?* nunquid ex Mesopotamia rescribere poteris, certioremque Abrahamum facere voluntatis puellæ? cur igitur accingens te itineri hanc difficultatem præmeditaris? hoc impedimentum proponit, non laboris itineris vitandi vel aliquo modo differendi gratia, sed timens ne in aliquo Domini sui præceptum violaret: sic obseruat Chrys. *postquam vidit tanta serio iussum sibi præcipere, vt ne si difficultas aliqua incideret, transgrediar mandata tua, rogo quid oportebit me obseruare?* in omnibus enim tibi obsequentissimus adero.

Chrysost.

Si quis voluntarie credere nolit, relinquatur, & infidelitati suæ non communicetur.

54. *Si noluerit venire mecum nunquid reducere debeo filium tuum?* Rupertus hoc mystice declarans ait, si nemo ex Iudæis voluerit relicta circumcisionis carnaliumque ceremoniarum iustitia, solam necessariam, quæ ex fide est, suscipere iustitiam, num concedendum vel ferendum erit, vt fidem Euangelii communicemus vel commisceamus carnali Iudaismo, de quo Christus circumcisus vel circumcisionis minister egressus est? quid? an ei communicandum? audiamus Christum Dominum respondentem, *si noluerint suscipere te, puluerem pedum vestrorum excutite in eos*, quæ exponens verba Stapulensis ait, *qui recipiunt & beneuole audiunt ab aliquo terreno principe missos, pacem cum illo retinent, fouentque, qui autem eos audire nolunt & repellunt, bellum seueramque vltionem ab illo principe expectare timereque debent: nam in misso mittentem contemnunt, nec missi sed mittentis sermones respuunt: pari modo & qui seruos Dei à Deo quidem missos: sed quod supplicium manet eos? certe id quod signum quod mandat Dominus in egressu faciendum, id est excussio pulueris pedum, designat autem quod habitatores loci ciuitatis, pagi, aut domus excussi sunt à facie Domini, sicut puluis ille excussus à pedibus illorum, & reuera incolæ Sodomæ & Gomorrhæ qui solum terra & terreni fuerunt, quique olim in abyssum propter peccata sua corruerunt, non tam grauibus adiudicabuntur pœnis in die iudicii, quàm qui legatos Christi & sermones eorum repellunt, nam crimina illorum personalia erant, istorum læsæ maiestatis immensa.*

Matt. 10.

Stapulensis in c. 10. Matt.

VARIETAS LECTIONVM VERS. VI.

VVLG. Dixitque Abraham caue ne quando reducas filium meum illuc.

Sep. Attende tibi ne reuoces filium meum illuc.

Pag. Caue tibi ne forte reducas.

EXPOSITIO.

CAue ne quando reducas filium meum illuc, quasi diceret, nullo modo volo, vt ea conditione coniugium inter filium meum Isaac & fœminam de cognatione mea perficiatur, vt si mulier illinc venire nolit, tu pollicearis illuc iturum filium meum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Dei præceptum ita custodiendum, vt nec per nos nec per alios transgredi videamur.

55. *CAue ne quando reducas filium meum illuc*, si ex Mesopotamia coniugem filio tuo adducendam satagis, cur si nolit tantum iter conficere cum seruo tuo, ipsemet Isaac illuc non proficiscetur illius ducendæ gratia? reuoca in memoriam præceptum Abraham à Deo accepisse egrediendi è terra & cognatione sua: non vult igitur nec filium terram suam vel cognationem suam adire, quia arbitrabatur id fore contra grauissimum & sanctissimum Dei præceptum, quo iussus fuerat illinc discedere, si aliquo modo per se vel posteros regrederetur: mens est Isidori Clari, *quia (inquit) ipse iussus est inde discedere*, quasi diceret, Abraham Deo iubente tanti illius fecit præceptum vt nec per senec per filium suum eò redire ausus fuerit.

Isidorus Clar.

Iustus Abbas sem quondam habito in conuentu multorũ Abbat. & Epis. cop. Cisterc.

Deus satagit vt fides nostra meritoria sit.

56. *Caue ne quando reducas filium meum illuc*, cur non ait seruo sibi obiicienti, vtrum si mulier secum pergere noluisset, filium suum deduceret in Mesopotamiam, cur non dixit, inquam, non renuet tecum proficisci? quia illud forte ignorabat Abraham: sed cùm Deus tot Patriarcham beneficiis cumulauerit, cur eum aliqua euidenti cognitione istius euentus futuri non illustrauit? vt fides eius intensius meritum consequeretur, *Abraham* (inquit Abul.) *de hoc terram cognitionem non habebat vt fides eius meritoria esset.*

Abulens.

Religiosus à sæculo vnde egressus est ne regrediatur.

57. *Caue ne quando reducas filium meum illuc*, moraliter loquamur, si vbicumque bene, ibi patria nostra, cur Isaac Mesopotamiam non proficisceretur? Hugo Cardin. intelligit per Isaac religiosos, qui mundo valedixerunt sæculo renuntiantes, rectè igitur admonet Abraham filium illuc vnde exierat, non reducendum, quia pater æternus præcepit vt religiosus à sæculo vnde egressus est, non regrediatur, quod optime consulit Iustus Abb. dicens, *moneo & rogo fratres charissimi, vt mundum quem reliquimus sub prætextu quarumlibet vtilitatum, non resumamus.*

Promissis Dei ne aduersari videamur.

58. *Caue ne quando reducas filium meum illuc*, cum nescio qua patriæ dulcedine omnes alliciamur, cur si præcepto impeditus Abraham eam repetere non potest, cur saltem non permittit filium suum eam inuisere? dico Deum ei promisisse se daturum eius semini terram Chanaam, atque inibi se eius progeniẽ numerosissimè multiplicaturum, magnisque bonis cumulaturum, at si eius posteri relicta terra Chanaam, aliò gentium & terrarum habitatum irent, earum Dei promissionum minime compotes fieri possent: sicque diuinis promissionibus sibi datis quasi contrarius fuisset & null⁹ forte euentus irritus: fatet Abul. *Deus mandauit Abrahæ vt exiret de Mesopotamia* (intellige Mesopotamiam largè sumptam prout comprehẽdit etiam & Chaldæam) *& veniret in terram Chanaam, quia ibi benedicturus erat ei, & de hac terra promissiones ei factæ fuerant, credebat ergo Abraham quod contra voluntatem Dei esset reducere Isaac in Mesopotamiam.*

Abulens.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII.

VVLG. Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo.

Sep. Dominus Deus cœli, & Deus terræ, qui accepit me de domo patris mei, & de terra in qua natus sum &c.

Cald. Qui iurauit mihi dicens filiis tuis dabo terram hanc.

CONCORDIA.

HAbent 70. ἐν τῆς γῆς quæ in originali non reperiuntur, ea enim Abraham in tertio versu dixerat, & sic in isto prætermisit Moyses.

EXPOSITIO.

QVi tulit me de domo patris mei, nempe Thare, *de terra natiuitatis meæ*, scilicet de Vr Chaldæorum, *qui locutus est mihi & iurauit mihi dicens, semini tuo dabo terram hanc*, hoc habes supra in cap. 12. vers. 7. & 13. 5. & 15. 18. *ipse mittet Angelum suum coram te*, videlicet vt iter tuum & negotium à me tibi mandatum regat, prosperet & ad optatum exitum perducat, *& accipies inde vxorem filio meo*, hic est huius negotii finis optatus, scilicet habere coniugem Isaac ex Mesopotamia.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

In Deo spem collocandam aliis suadeamus.

59. DOminus Deus cœli, nescio qua de causa vt seruo suo persuadeat fœlicem exitum negotii sui habiturum, Dominum Deum cœli nominat? sufficiebat enim ei dixisse, mittetur Angelus coram te, cùm enim esset Abraham vir iustus & verax, fidem ei adhibuisset Eliezer: merito in initio suæ orationis Dominum cæli appellat vt in eo solo eiusque prouidentia ineffabili confidat, sic testatur D. Chrysost. *vide quomodo superius seruum adiurans ipsum de omnium conditore docet, nunc precaturus eadem verba dicit, per omnia docens vt seruus perfectiùs, in illo fiduciam habeat & de bono rei exitu bene speret.*

D. Chrysost.

Beneficium à Deo acceptum ratio est aliud ab eo accipiendi.

60. *Dominus Deus cœli qui tulit me de domo patris mei &c.* cur tot à Deo beneficia accepta memoras, vt Eliezer persuadeas confidenter iter perficere versus Mesopotamiam, & quod de cognatione tua indubitanter vxorem filio tuo inuenies, non renuentem cum eo proficisci ad celebrandas in Chanaam nuptias? quam rectè plura commemorat à Deo sibi collata beneficia, vt persuadeat seruo aliud ab eo accepturum, nempe dignam filio suo coniugem, quia beneficium à Deo collatum est ratio aliud ab eo accipiendi: sic cit. Chrys. *docet enim* (inquit) *quantam olim abiqitio beneuolentiam Dei inuenerit, & quod*

Cit. Chrysost.

ille qui domo paterna euocauerat, & vsque ad hoc tempus ita gubernarit, iamque ita prouecta senecta Isaac dederit prospera, etiam quæ adhuc restant faciet, bene animatus abi, certus enim sum quod qui tantis me beneficiis hactenus prosequutus est, prioribus etiam illud addet.

A

Deum nobis adiutorem speremus.

61. *Dominus Deus mittet Angelum suum coram te,* vnde hoc compertum habes? quis tibi aperuit puellam seruum tuum Eliezer secuturam à Mesopotamia vsque ad Chanaam? ne pollicearis quod ignotas, ne mendacii arguaris: non promittit quod ignorat, sed quod sperat, confidit enim Deum in omnibus suum adiutorem: hoc agnouit Amb. lib. 1. de Abr. *sane Domini sui qui se ab incolatu terræ in qua habitabat adduxerat, non de fatu aut misericordiam, vt praeiret studio petitoris, & puellæ inclinaret animum.*

B

D. Amb. lib. 1. de Abr.

Grato homini beneficia sunt semper præsentia.

62. *Dominus Deus qui tulit de domo patris mei qui iurauit dicens semini tuo dabo terram hanc,* si à tot annis hæc beneficia tibi collata fuere, quomodo obliuione deleta non sunt, & à memoria tua non dilabuntur? quia gratus beneficia etiam præterita semper ob oculos habet tanquam præsentia, *sanctis* (inquit Lippo.) *Dei beneficia recenter adsunt, & innumera, o illa habent semper grati.*

Lippom.

Obediens sibi similes quærit.

63. *Dominus Deus mittet Angelum suum &c. accipies inde vxorem filio meo,* inde, id est de ipso loco, significatque terminum motus à quo, & ideo non dixit accipies ibi vxorem scilicet vt maneant ibi, sed accipies inde, vt in Chanaam eam deducas: sed ô Abraham, cur puellam patriæ renuntiantem, parentes deserentem tantopere desideras? nonne obedientissimus fuit Abraham cum præcepit ei Deus vt exiret à terra & à cognatione sua? merito igitur mirum eligit, quæ valedicat patriæ & parentibus, obediens enim sibi similes quærit & diligit, hoc non latuit Procop. cuius hæc sunt verba, *veruntamen cum Rebecca à patrio auocetur solo & inde digrediatur, implenit quoque illud Abrahami, egredere de terra & illud veni in terram quam commonstrauit Deus Abrahæ.*

C

D

Procopius.

Seruos suos mira Deus prouidentia protegit.

64. *Mittet Angelum suum coram te,* vndenam tibi compertum est tantam tui solicitudinem gerere vt è cœlis mittat Angelum suum, qui quidnam agendum sit seruo tuo, aperiat, seque ducem itineris sui se præbeat? quia Deus seruos suos in rerum discrimine & in dubiis mira protegit prouidentia: hinc beatus Laurent. Iust. de triumph. Christi agone ait, *in tribulatione Deus iustos comitatur, vt illos in præsentiarum eripiat & glorificet in futuro, comitatur ipsos in negotiis ne delinquant, in periculis ne cadant, in dubiis ne errent,* sic direxit hunc seruum Abrahami Eliezer.

E

Laurent. Iust.

Beneficiorum acceptorum memoria grata ad alia de nouo accipienda certiores nos efficit.

65. *Mittet Angelum suum coram te,* vnde tam certo asserit Abrahamus Angelum à Deo mittendum, qui serui iter prosperet, sponsã filio inueniens? an Deus tenetur illi sane gratiam præstare? reuoca in memoriam nos dixisse in secundo conceptu huius versus, plura à Deo sibi collata beneficia grata recordatione recoluisse: merito igitur sibi pollicetur Deum Angelum missurum, vt viam serui sui prosperet, quia beneficii accepti memoria grata, ad alia de nouo accipienda certiores nos efficit, & vt ea nobis concedat Deus, quasi constringit: fauet Theodotus Ancyræ Episc. hom. 1. habita in Concil. Eph. cap. 10. *solet vberior gratia illis obuenire, qui grato animo gratiam accipiunt, tantum enim plerumque donorum præstatur, quantum eorum est gratitudo qui huiusmodi donis potiuntur, quare cum de accepto dono donatoris benignitatem grata recordatione agnoscis, non modo pro acceptis fecisti satis, verum ad maiorem quoque beneficiorum elargitionem donatorem astrinxisti.*

F

Theodotus

Deus causas secundas operari sinit.

66. *Mittet Angelum suum coram te, &c.* cur non pollicetur Abraham Deum futurum sui itineris comitem vel ducem, sed solum Angelum? nonne Dauid Psal. 90. vII. Angelis suis Deus mandauit de te vt custodiant te in omnibus viis tuis, & Paulus, omnes sunt administratorii spiritus? solum igitur pollicetur Patriarcha seruo suo Dei Angelum sui itineris ducem, non ipsummet Deum, quia licet Deus id præstare potuisset, Eliezerque in via sua præire, tamen vt naturæ ordinem quem ipse posuit seruaret, per Angelos id præstitum voluit: addit Fabianus Iustinianus, *sic licet potuisset olim Iudæos à Philistinorum infestatione per semetipsum custodire, & posset modo Christianos sine sacramentis & Euangelii prædicatione saluare, possetque conseruare homines sine cibo & potu, non vult tamen vt ordinem suum diuinæ prouidentiæ, quo suauiter omnia disponuntur, conseruet, sed sicut illos per iudices populi, ita hos per sacramenta & Euangelii prædicationem & omnes tandem per cibum & potum vult spiritualiter & corporaliter viuere, vt cum Dominus sit ille, suis vtatur creaturis & famulis.*

Psal. 90.

Paul. Heb. 10.

Fabianus Iustinianus Epist. c. 1. vers. 15. in Tobiam documento 2.

Angeli hominibus ministrant.

67 *Mittet Angelum suum coram te,* scilicet vt te in itinere præcedat, quid, ô Abraham? nonne Angeli sunt superioris naturæ hominibus, & excellentioris dignitatis? quomodo igitur asseris Angelum famulum fore tui serui in itineris ostensione & comitatu? famulorum est enim suos præire dominos, ne in aliquod præcipitium ruant, vel ne à recta via deflectant: nihilominus tamen licet Spiritus Angelici hominibus sint superiores, eis tamen ex Dei imperio, ministrant, *ministrant* (inquit D. Cæsar. Dial. 1. q. 44. *Trinitati & nobis, huic quidem vt erga Deum perfecti seruientes, nobis vero præstantes ea quæ ad salutem nostri necessaria certo consilio ipsis ab ea mandantur.*

D. Cæsarius dialogo 1. q. 44.

Angeli nostri itineris custodes & duces.

68. *Mittet Angelum suum coram tē,* scilicet vt te dirigat, iterque tuum regat, cur ei hæc prouincia demandatur? hoc munus ei iniungitur? nonne potuisset dicere Abraham, plurimos ex famulis tuis tuæ comites viæ efficiam, vt Puellæ ex cognatione mea nitantur, vt tecum proficiscatur: non immerito Angelum ei pollicetur in itinere suo præeuntem, quia huiusmodi spiritus beati, nostræ viæ sunt custodes & duces; quod latè prosequitur Abul. dicens, *Angeli dirigunt vias nostras tollendo nocumenta quæ magis accidere possunt in itineribus quàm cùm manemus in ciuitatibus, de hoc Tobiæ 5. credo quod Angelus Dei bonus comitetur ei, vt bene disponat omnia quæ circa ipsum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos: Angeli enim in via contra hostes impugnantes, vnde cùm Ægyptii sequerentur à tergo Iudæos recedentes de terra illa, Angelus qui præcedebat in interiori parte nubes,*

Abulens.

Tob.

nubis, conuertit se ad extremam partem illius contra Ægyptios, & obscurauit aerem ne viderent, & post Ægyptios in mare subuertit, vias etiam demonstrauit, & sic Angelus praecedebat castra Iudaeorum in columna ignis per noctem, & in columna nubis per diem, & monstrauit itinera &c.

Frustra laborat concionator, nisi magni consilii Angelus comitetur.

69. *Mittet Angelum suum coram te*, dicamus per Eliezer seruum senem Abrahæ concionatorem humilem & sapientem designari, qui satagit animas ad Christum adducere futuras eius sponsas: sed cur Abraham pollicetur Eliezer Angelum Dei futurum ei ducem in itinere? nonne scientiæ lumine illustratus diuini verbi concionator, id solus efficere poterat? aduerte Gloss. interl. habere Angelum magni consilii, scilicet Christum Dominum, & optime, nam absque illius gratia & adiutorio frustra laborat prædicator in animarum conuersione, *ante prædicatorem* (inquit Hugo Carr.) *mittitur Angelus Domini Exod. 23. ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in terram quam paraui tibi, & reuera iste Angelus necessarius est, quia vt dicit Greg. frustra laborat exterius lingua prædicatoris, nisi adsit interius gratia redemptoris.*

Hug. Carren.

Exode 23.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VIII.

VVLG. Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento, filium tamen meum ne reducas illuc.

Sep. Quod si noluerit mulier tecum venire in terram hanc, purus eris à iuramento meo; tantummodo ne reuoces filium meum huc.

Cald. Eris innocens à maledictione mea hac.

Pag. Et si noluerit mulier pergere post te, mundus eris à iuramento meo isto, dumtaxat filium meum non reducas illuc.

Vatab. Absolueris à iuramento.

CONCORDIA.

Licet sit in Heb. נקית Nikite, quod idem est ac innocens es, vel mundus, vel purus, phrasim tamen obseruauit noster interpres, cum ait non teneberis, idem enim est non teneri iuramento, ac ab eo mundari: si autem Caldæus posuit eris innocens à maledictione hac, per maledictionem non intellexit iuramentum, cùm licitum sit adhibitis circumstantiis, sed id quod ex illius trangressione, sequitur.

EXPOSITIO.

Sin autem mulier noluerit sequi te, si tibi consulenti vt Mesopotamiam cognationemque deserat, & Chanaam pergat, noluerit adhærere, *non teneberis iuramento*, absolutus eris à iuramento mihi præstito, *tamen filium meum ne reducas illuc*, quasi diceret, quicquid contigerit, hoc vnum obserua, vt filius meus hic remaneat, nec omnino pollicearis Mesopotamiam iturum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Aliorum conscientias securas reddere debemus.

70. *Sin autem mulier noluerit sequi te*, &c. si certissimè tenes Deum interius persuasurum mulieri, vt cum seruo tuo proficiscatur in Chanaam futura coniux filii tui, cur affirmatiue non loqueris dicens, certissime te sequetur, non autem conditionaliter & cum absolutione iuramenti? aduerte quasi perplexum fuisse Eliezer de iuramento quod sibi præstandum erat, an eo teneretur si sibi vellet puella contradicere, vnde prudenter Abraham eum absolutum à iuramento testatur, vt conscientiam eius ab omni scrupulo liberet.

Satius est carere posteris quàm Deo non obedire.

71. *Sin mulier noluerit sequi te, filium tamen meum ne reducas illuc*, si statuisti, ex Chananæis filium non accipere futuram filii tui vxorem, sed puellam ex cognatione tua, quomodo si illa renuerit venire, non permittis illuc iturum filium vt matrimonium contrahat filiosque suscipiat? obserua credidisse Abraham hoc præceptum quod sibi imposuerat Deus, vt terram & cognationem desereret, non solum à se, sed etiam à filio obseruandum: quid mirum igitur noluisse vt Isaac illuc proficisceretur matrimonii contrahendi gratia filiosque suscipiendi? quia satius conuenientiusque credidit carere posteris, quàm in aliquo Dei præceptum transgredi.

Ex duobus malis minus eligendum.

72. *Sin mulier noluerit sequi te, filium meum ne reducas illuc*, licet Abraham certam spem haberet, forè vt mulier quæ ex cognatione sua petebatur in cõiugem filii sui, libenter & ipsa veniret in terrã Chanaan, & à parentibus mitteretur: eo tamẽ fuit animo si aliquod foret impedimentum veniendi, nullo modo filium suum in Mesopotamiam deduci, sed potius ex Chananæis puellam ei in coniugem seligi, nonne satius esset ò Patriarcha, vt ex cognatione tua virginem bonæ indolis in Mesopotamia coniugem duceret Isaac, quàm Chananæam? ait Pererius, *hoc primum Dei præcepto & promissionibus sibi ab eo datis contrarium, hoc autem secundum minimè licet malum videretur ac periculosum*, merito igitur potius eligeret Patriarcha Chananæam filio dare coniugem, quàm mittere Isaac in Mesopotamiam, ex duobus enim malis minus seligendum.

Pererius.

Prædicator excusatur si non admittitur.

73. *Si mulier noluerit te sequi non teneberis iuramento*, cur eum liberum prædicas? sed potius cur eū non vrges, vt puellam adducat ex Mesopotamia, dicens, nisi adduxeris, mea domus tibi in æternum clausa manebit? hic enim est mos Dominorū, si quid à seruis exigant, minis eos terrere, vt illud exequantur: moraliter diximus per Eliezer concionatorem intelligi, quem absolutum à iuramento dicit Abraham, si mulier eum sequi noluerit, quia prædicator excusatur, si adhibita diligentia non admittitur, quod obseruat Carthus. *Abraham seruum excusatum habuit si secum mulier ire noluit, sic Apostolorum chorus culpam non habet, de pereuntibus incredulis, qui eorum prædicationi credere ac parere noluerunt.*

Dionys. Carth.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Posuit ergo seruus manum sub fœmore Abraham Domini sui, & iurauit illi super sermone hoc.

Sept. Iurauit ei de verbo hoc.

Pag. Iurauit super re hac.

CONCORDIA.

Quis ignorat דבר dabar verbum, sermonem, causam, negotium significare?

EXPOSITIO.

POsuit seruus nempe Eliezer *manum suam sub fœmore*, id est sub crure, quid de hac ceremonia dictum sit à nobis, inspice versum secundum. *Iurauit illi super sermone hoc* scilicet se facturum quod Abraham iniunxerat, nempe non accepturum vxorem de filiabus Chanaan, dilecto suo Isaac, sed de cognatione sua, nec deducturum Isaac in Mesopotamiam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Magna est aliquando seruorum erga Dominos beneuolentia.

74. IVrauit illi super sermone hoc, cur rem difficillimam exequi te obstringis iuramento? moueat te itineris arduitas, prædonum periculum, nullaque puellæ cognitio, vt depreceris Abraham hanc alteri domestico prouinciam mandaret nihil eum impedit quominus negligat etiam difficillima, serui enim aliqui maximo erga Dominos suos feruntur affectu *vidisti*, inquit Chrysost. *quomodo ab initio seruus indicauit suam erga Dominum beneuolentiam.*

S. Chrysostom.

Iuramentum aliquando licitum.

75. *Iurauit illi super sermone hoc*, quomodo ita facilè iuramentum emittis? an tibi licitū iurare? Christus Dominus prohibuisse videtur Mat. 5. dicens, nolite iurare omnino, neque per cœlū, quia thron⁹ Dei est, sermo autem vester sit, est, est, non, non, quod autem his abundantius à malo est: si ergo à malo est, quod simplicem sermonem excedit, qui se iuramēto obstringit, peccare videtur, ita dixerunt Vualdēses omne iuramentum quantumcunque iudicialiter & veridicè factum, peccatum esse, voluntque Christum Dominum intendisse, quod nullis modis, nullis ex causis possit quis sine peccato iurare, sed his non obstantibus & garrientibus, iuramentum aliquando licitum esse dicamus, vt patet ex Psal. 62. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*, & Psal. 109. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum*, & Deuteronom. 6. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, & per nomen illius iurabis, aliàs diximus quæ circumstantiæ requiruntur vt licitum fiat iuramentum satisfaciamus auctoritati adductæ ab Vuald. tripliciter igitur ista locutio, Christi potest exponi 1. id est in omni verbo, secundò pro omni facto, 3. & conformius Euangelio, nolite iurare omnino per omnem rē, sed solū per creatorē aut per creaturam per Deum sanctificatam, licet iuramentum principalius sit per creatorem sanctificantem, quàm per creaturam sanctificatam, placet etiam illud exponere, quod autem abundantius his est, à malo est: sed audiamus Pilichdorffium c. 36. lib. contra Vuald. *hic dicit hæreticus à malo, id est à peccato iurantis, & hoc non intendit Christus, quia sic omnis iurans esset malus, sed à malo, simplicia verba sine iuratione non credētis & iuratorem adiurandum per eius incredulitatem quasi compellentis, non tamen semper à malo culpæ, sed quandoque à malo ignorantiæ, vel timoris, dum timens quis se à simpliciter loquente decipi, vult iurari, aliàs omnis iudex peccaret, quia licet locum Dei teneat, vel habeat, non tamen Deus est, vt corda hominū valeat agnoscere, ne ergo per sententiam suam iniustè iudicet, vult sibi per iuramentum ea proponi de quibus debet iudicare*, & sanctus Edmundus, *verumtamen potest homo bene iurare veraciter regi & aliis hominibus, vt veritas saluetur & falsitas damnetur, & hoc in iudicio, iustitia, & veritate.*

Math. 5.

Psal. 62.

Psal. 106.

Deuter. 6

Pilichdorffius contra Vuald. in Bibl. Patr.

S. Edmun. Arch. Cant. ... in ... culo ... de decem ... decalo... præcep.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS X.

VLG. Tulitque decem camelos de grege Domini sui & abiit, ex omnibus bonis eius portans secum, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad vrbem Nachor.

Cald. Et abiit & omnia optima Domini sui portans in manu sua, & perrexit, & abiit in Syriam, quæ est iuxta Euphratem, in ciuitatem Nachor.

Pag. Perrexit, & de omni bono Domini sui erat in manu sua, & surrexit, & perrexit in Haran, Nacharaim, ad ciuitatem Nachor.

Arias. Et iuit & omne bonum Domini sui in manu eius.

Biblia Antiq. Erant autem pretiosa quæque Domini sui in manu eius.

CONCORDIA.

IN Hebræo legimus וכל-טוב Tuf, & omne bonum scilicet Domini sui in manu sua, quæ verba significare videntur non solum creditam fuisse omnium bonorum curam, & administrationem, verùm etiam quod in hac legatione, tulerit secum omnia bona Domini sui, qui quidem sensus contrarius esse videtur sensui nostræ vulgatæ, quæ solum aliqua ex illius bonis detulisse denotat, ait enim ex omnibus bonis eius portans secum, tamen facilis est vtriusque concordia, si originale Hebræum exponamus primò vt sit locutio hyperbolica satis frequens in sacra scriptura, & tulisse dicatur omnia bona, id est plurima, deinde vt illud omne non significet omnem bonorum vniuersitatem, sed tantummodo generū & specierum, vt sit sensus ex omni genere bonorum Domini sui tulit secum, id est ex auro, & argento, gemmis pretiosis, vestibus aliisque rebus, quæ erant raræ in Mesopotamia: scio Hebræos censere propterea dictum esse seruum illum tulisse omnia bona Abrahæ, quia tulit secum schedam vel chirographum Abrahæ, in quo declarabat, se filio suo Isaac tanquam vnico hæredi, tradidisse omnia bona sua, sed vtraque præsens expositio nostræ vulgatæ conformior est. in Hebræo אל ארם נהרים ad Aram Nachoraim, id est Aram siue Syriam fluuiorum etiam Mesopotamiam significat, quæ est inter flumina euphratem & tygrim.

EXPOSITIO.

TVlitque decem camelos, quorum frequentissimus fuit vsus apud orientales populos Palæstinæ vicinos, paruo quidem impendio laboreque exiguo, & cum maxima vtilitate, eorum enim equitatu in præliis vtebantur & in longo itinere cōficiendo, nec non in gestandis grauissimis ponderibus, hos autem sumpsit Eliezer, tum vt deferrent quæ erant victui necessaria, & pretiosa munera offerenda, *& abiit*, non solus sed cum pluribus aliis Abrahæ domesticis, *ex omnibus bonis Domini sui portans secum*, id est ex pretiosissimis, præsertim quæ ad ornatum muliebrem spectabant, vt sunt annuli, inaures, armillæ, vestes & alia huiusmodi. *profectusque perrexit in Mesopotamiam*, quæ est inter Euphratem & Tigrim, *ad vrbem Nachor*, nempe Aran quæ dicitur vrbs illius, quia Nachor post mortem Thare & discessum Abrahæ, in ea manserat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Concionator patiens sit, humilis & præceptorum Dei custos.

76. TVlit decem camelos de grege Domini sui, cur potius camelos quàm equos? si autem camelos, qua de causa potius decem quàm nouem vel vndecim? cùm mysticè loquamur, aduerte camelum ad suscipienda onera sponte se humiliare, in iis ferendis patientissimum, sed famis & sitis præcipue: numerum autem denarium decem præcepta denotare: non immerito igitur Eliezer (quem diximus significare concionatorem) camelos & illos decem tulit, quia verus concionator patientia celebris, humilitate nobilis, & Dei mandatorum perpetuus obseruator debet esse: sic D. Greg. *per camelum quod est animal oneriferum, significatur patientia, per denarium obedientia mandatorum, ista duo semper debent secum Eliezer vt sit patiens in malis sustinendis, & obediens in bonis exequendis.*

Greg. cit. ab Hugo Carensi.

Concionator vt aliis obedientiam mandatorum Dei persuadeat, ipsemet eis obediat.

77. *Tulit camelos decem*, si à nobis dictum sit ideo camelos secum habere Eliezer, quia concionator Dei præceptis semper obedire debet, nonne potius aliis obedientiam persuadere debet? eorum enim est officium animæ aliorum consulere: nihilominus recte dictū, prius præstare obedientiam debere, quia concionator vt aliis obedientiam Dei mandatorum persuadeat, prior ipse ea debet exequi: accipe Hugonem Carensem, *iustum est vt qui verbum Dei annuntiat, primum verbo obediat, Prouerb. 25. vir obediens loquetur victorias, merito autem & illius prædicationi nō obeditur qui prædicationi aliorum obedire contemnit, vnde & qui prædicant & docent alios, & si non propter aliud, deberent tamen aliis prædicantibus obedire ne merito suo verbū Dei quod per ipsos enuntiat, priuetur fructu suo.*

Hugo Card. Prouerb. 25.

Sanguinis nobilitas, sine auri splendore ab auaris contemnitur.

78. *Abiit ex omnibus bonis eius portans secum*, silentio non prætereamus, quid aliquādo contigerit Labano, sororē suam Rebeccām sine vlla mora seruo Abrahami Eliezer tradidit deferendam, in terram Chanaam, nec nō Isaac matrimonio copulādam, at vero filiam suā Rachelē non statim tradidit Iacob eiusdē Abrahami nepoti, sed aliquot post annos cōtinuæ ac laboriosæ seruitutis, cur ita factū? nobilior ne aut dignior erat seruus Abrahæ Eliezer quàm nepos Abrahæ Iacob? nequaquam, cur igitur Labā prius fa-

V

Prædicator excusatur si non admittitur.

73. *Si mulier noluerit te sequi non teneberis iuramento*, cur eum liberum prædicas? sed potius cur eū non vrges, vt puellam adducat ex Mesopotamia, dicens, nisi adduxeris, mea domus tibi in æternum clausa manebit? hic enim est mos Dominorū, si quid à seruis exigant, minis eos terrere, vt illud exequantur: moraliter diximus per Eliezer concionatorem intelligi, quem absolutum à iuramento dicit Abraham, si mulier eum sequi noluerit, quia prædicator excusatur, si adhibita diligentia non admittitur, quod obseruat Carthus. *Abraham seruum excusatum habuit si secum mulier ire noluit, sic Apostolorum chorus culpam non habet, de pereuntibus incredulis, qui eorum prædicationi credere ac parere noluerunt.*

Dionys. Carth.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Posuit ergo seruus manum sub fœmore Abraham Domini sui, & iurauit illi super sermone hoc.

Sept. Iurauit ei de verbo hoc.

Pag. Iurauit super re hac.

CONCORDIA.

Quis ignorat דבר dabar verbum, sermonem, causam, negotium significare?

EXPOSITIO.

POsuit seruus nempe Eliezer *manum suam sub fœmore*, id est sub crure, quid de hac ceremonia dictum sit à nobis, inspice versum secundum. *Iurauit illi super sermone hoc* scilicet se facturum quod Abraham iniunxerat, nempe non accepturum vxorem de filiabus Chanaan, dilecto suo Isaac, sed de cognatione sua, nec deducturum Isaac in Mesopotamiam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Magna est aliquando seruorum erga Dominos beneuolentia.

74. IVrauit illi super sermone hoc, cur rem difficillimam exequi te obstringis iuramento? moneat te itineris arduitas, prædonum periculum, nullaque puellæ cognitio, vt depreceris Abraham hanc alteri domestico prouinciam mandaret nihil eum impedit quominus negligat etiam difficillima, serui enim aliqui maximo erga Dominos suos feruntur affectu *vidisti*, inquit Chrysost. *quomodo ab initio seruus indicauit suam erga Dominum beneuolentiam.*

S. Chrysostom.

Iuramentum aliquando licitum.

75. *Iurauit illi super sermone hoc*, quomodo ita facilè iuramentum emittis? an tibi licitū iurare? Christus Dominus prohibuisse videtur Mat. 5. dicens, nolite iurare omnino, neque per cœlū, quia thronus Dei sermo, autem vester sit, est, est, non, non, quod autem his abundantius à malo est: si ergo à malo est, quod simplicem sermonem excedit, qui se iuramēto obstringit, peccare videtur, ita dixerunt Vualdēses omne iuramentum quantumcunque iudicialiter & veridicè factum, peccatum esse, voluntque Christum Dominum intendisse, quod nullis modis, nullis ex causis possit quis sine peccato iurare, sed his non obstantibus & garrientibus, iuramentum aliquando licitum esse dicamus, vt patet ex Psal. 62. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*, & Psal. 109. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum*, & Deuteronom. 6. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, & per nomen illius iurabis, aliàs diximus quæ circumstantiæ requiruntur vt licitum fiat iuramentum satisfaciamus auctoritati adductæ ab Vuald. tripliciter igitur ista locutio, Christi potest exponi 1. id est in omni verbo, secundò pro omni facto, 3. & conformius Euangelio, nolite iurare omnino per omnem rē, sed solū per creatorē aut per creaturam per Deum sanctificatam, licet iuramentum principalius sit per creatorem sanctificantem, quàm per creaturam sanctificatam, placet etiam illud exponere, quod autem abundantius his est, à malo est: sed audiamus Pilichdorffium c. 36. lib. contra Vuald. *hic dicit hæreticus à malo, id est à peccato iurantis, & hoc non intendit Christus, quia sic omnis iurans esset malus, sed à malo, simplicia verba sine iuratione non credētis & iuratorem adiurandum per eius incredulitatem quasi compellentis, non tamen semper à malo culpæ, sed quandoque à malo ignorantiæ, vel timoris, dum timens quis se à simpliciter loquente decipi, vult iurari, aliàs omnis iudex peccaret, quia licet locum Dei teneat, vel habeat, non tamen Deus est, vt corda hominū valeat agnoscere, ne ergo per sententiam suam iniustè iudicet, vult sibi per iuramentum ea proponi de quibus debet iudicare*, & sanctus Edmundus, *veruntamen potest homo bene iurare veraciter regi & aliis hominibus, vt veritas saluetur & falsitas damnetur, & hoc in iudicio, iustitia, & veritate.*

Math. 5. Psal. 62. Psal. 106. Deut. 6. Pilichdorffius contra Vuald. in Bibl. Patr. S. Edmund. Arch. Cant. [illegible] de decem decalogi præcep.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS X.

VVLG. Tulitque decem camelos de grege Domini sui & abiit, ex omnibus bonis eius portans secum, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad vrbem Nachor.

Cald. Et abiit & omnia optima Domini sui portans in manu sua, & perrexit, & abiit in Syriam, quæ est iuxta Euphratem, in ciuitatem Nachor.

Pag. Perrexit, & de omni bono Domini sui erat in manu sua, & surrexit, & perrexit in Haran, Nacharaim, ad ciuitatem Nachor.

Arias. Et iuit & omne bonum Domini sui in manu eius.

Biblia Antiq. Erant autem pretiosa quæque Domini sui in manu eius.

CONCORDIA.

IN Hebræo legimus וכל-טוב Tuf, & omne bonum scilicet Domini sui in manu sua, quæ verba significare videntur non solum creditam fuisse omnium bonorum curam, & administrationem, verùm etiam quod in hac legatione, tulerit secum omnia bona Domini sui, qui quidem sensus contrarius esse videtur sensui nostræ vulgatæ, quæ solum aliqua ex illius bonis detulisse denotat, ait enim ex omnibus bonis eius portans secum, tamen facilis est vtriusque concordia, si originale Hebræum exponamus primò vt sit locutio hyperbolica satis frequens in sacra scriptura, & tulisse dicatur omnia bona, id est plurima, deinde vt illud omne non significet omnem bonorum vniuersitatem, sed tantummodo generũ & specierum, vt sit sensus ex omni genere bonorum Domini sui tulit secum, id est ex auro, & argento, gemmis pretiosis, vestibus aliisque rebus, quæ erant raræ in Mesopotamia: scio Hebræos censere propterea dictum esse seruum illum tulisse omnia bona Abrahæ, quia tulit secum schedam vel chirographum Abrahæ, in quo declarabat, se filio suo Isaac tanquam vnico hæredi, tradidisse omnia bona sua, sed vtraque præsens expositio nostræ vulgatæ conformior est. in Hebræo אל ארם נקרים ad Aram Nachoraim, id est Aram siue Syriam fluuiorum etiam Mesopotamiam significat, quæ est inter flumina euphratem & tygrim.

EXPOSITIO.

TVlitque decem camelos, quorum frequentissimus fuit vsus apud orientales populos Palæstinæ vicinos, paruo quidem impendio laboreque exiguo, & cum maxima vtilitate, eorum enim equitatu in præliis vtebantur & in longo itinere cõficiendo, nec non in gestandis grauissimis ponderibus, hos autem sumpsit Eliezer, tum vt deferrent quæ erant victui necessaria, & pretiosa munera offerenda, *& abiit*, non solus sed cum pluribus aliis Abrahæ domesticis, *ex omnibus bonis Domini sui portans secum*, id est ex pretiosissimis, præsertim quæ ad ornatum muliebrem spectabant, vt sunt annuli, inaures, armillæ, vestes & alia huiusmodi, *profectusque perrexit in Mesopotamiam*, quæ est inter Euphratem & Tigrim, *ad vrbem Nachor*, nempe Aran quæ dicitur vrbs illius, quia Nachor post mortem Thare & discessum Abrahæ, in ea manserat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Concionator patiens sit, humilis & præceptorum Dei custos.

76. TVlit decem camelos de grege Domini sui, cur potius camelos quàm equos? si autem camelos, qua de causa potiùs decem quàm nouem vel vndecim? cùm mysticè loquamur, aduerte camelum ad suscipienda onera sponte se humiliare, in iis ferendis patientissimum, sed famis & sitis præcipue: numerum autem denarium decem præcepta denotare: non immerito igitur Eliezer (quem diximus significare concionatorem) camelos & illos decem tulit, quia verus concionator patientia celebris, humilitate nobilis, & Dei mandatorum perpetuus obseruator debet esse: sic D. Greg. *per camelum quod est animal oneriferum, significatur patientia, per denarium obedientia mandatorum, ista duo semper debent esse cum Eliezer vt sit patiens in malis sustinendis, & obediens in bonis exequendis.*

Greg. cit. ab Hugo Carensi.

Concionator vt aliis obedientiam mandatorum Dei persuadeat, ipsemet eis obediat.

77. *Tulit camelos decem*, si à nobis dictum sit ideo camelos secum habere Eliezer, quia concionator Dei præceptis semper obedire debet, nonne potius aliis obedientiam persuadere debet? eorum enim est officium animæ aliorum consulere: nihilominus rectè dictũ, prius præstare obedientiam debere, quia concionator vt aliis obedientiam Dei mandatorum persuadeat, prior ipse ea debet exequi: accipe Hugonem Carensem, *iustum est vt qui verbum Dei annunciat, primum verbo obediat, Prouerb. 25. vir obediens loquetur victorias, merito autem & illius prædicationi nõ obeditur qui prædicationi aliorum obedire cõtemnit, vnde & qui prædicant & docent alios, & si non propter aliud, deberent tamen aliis prædicantibus obedire ne merito suo verbũ Dei quod per ipsos enunciat, priuetur fructu suo.*

Hugo Card. Prouerb 25.

Sanguinis nobilitas, sine auri splendore ab auaris contemnitur.

78. *Abiit ex omnibus bonis eius portans secum*, silentio non prætereamus, quid aliquãdo contigerit Labano, sororẽ suam Rebeccàm sine vlla mora seruo Abrahami Eliezer tradidit deferendam, in terram Chanaam, nec nõ Isaac matrimonio copulãdam, at vero filiam suã Rachelẽ non statim tradidit Iacob eiusdẽ Abrahami nepoti, sed aliquot post annos cõtinuæ ac laboriosæ seruitutis, cur ita factũ? nobilior ne aut dignior erat seruus Abrahæ Eliezer quàm nepos Abrahæ Iacob? nequaquam, cur igitur Labã prius fa-

mulo quàm domino, prius alieno homini quã sibi cōsanguineo morigeratur? & quod maius est hunc seruire cogit, illū honorificè dimittit: nota Iacob peregrinum & omniū egenū ad Mesopotamiam accessisse, Eliezer autem ditissimum, vt pote cum magno camelorū & virorū apparatu, & cum maxima diuitiarum copia: ait enim textus ex omnibus bonis eius portans secū: quid mirū igitur tot perpessum Iacob nobilissimū, vt sibi pulchram desponsaret Rachelē, imo quasi à Labā cotēptui habitū, Eliezer autem honorificè dimissū cū Rebecca virgine pulcherrima? quia homines auari, è quorum numero erat Laban, sanguinis nobilitatem auri splendore non comitatam contemptibilem habent, obscuritatemque diuitiis ornatam honorabilem.

Nihil ita mulieres allicit quàm diuitiæ.

79. *Abiit ex omnibus bonis Domini sui portans secum,* nescio cur cum tanto tam camelorum quàm virorū comitatu, proficiscitur, totque bonorū copia, inauriū, annulorūque diuersitate: nam prædones cauendi erant, quos pauper & nudus facile contemnit, sufficiebat enim cum haberet domini sui auctoritatem, vt puellæ polliceretur se fore diuitem, si sponsum filiū Abrahæ ditissimi & potentissimi haberet: prudēter tot dona secum detulit, vt persuaderet Rebeccæ à propria recessurum patria, quia nihil ita mulieres allicit quàm diuitiæ possidendæ: fauet Rupertus lib. 6. c. 50. *sapienter pro re & tempore seruus senior sic abiit, scilicet cùm decem camelis portans ex omnibus bonis Domini sui, præsentibus namque honoribus debebat instrui puella, vt non paruas viri antfecce i sui speraret diuitias quibus visis facile alliceretur,* inquit Carthus.

Rupert lib. 6. cap. 5.

Dionys. Carth.

Nihil non extorquet auri copia.

80. *Abiit ex omnibus bonis portans secum,* nescio cur Mesopotamiam proficiscens? existimasne parentes cōtentum daturos vt puellam cognatā, in longinquā trāsferas regionem: aduerte bona plurima detulisse, non solum vt ea puellæ offerret, sed etiam parētibus eius: securus igitur proficiscitur, parentes non ei virginē denegaturos, quia nihil nō extorquet auri splēdor, annuit Lipp. *fidelis seruus & prudens, acceptis animalibus quicquid pretiosum ac magnificū domi habebat herus, quibus parentes donaret & honoraret & ad amicitiā alliceret, perrexit quò iussus cum muneribus.*

Lippom.

Virtutes in vxore quærendæ, non diuitiarum abundantia.

81. *Abiit ex omnibus bonis portans secum,* diximus in Hebræo esse & omne bonum Domini sui in manu sua, per quod aliqui intelligunt vniuersā possessionē Abrahæ, quæ in schedula mittebatur obsignata Isaaco, vt pote certo & vnico hæredi, & sic facile erat seruo cōiugem inuenire Isaaco opulentissimæ familiæ vnico hæredi: sed admiremur prudentiā & modestiam Abrahæ, schedulam magnarū opū itemque donaria pretiosissima mittit ad sponsam, nec tamen ab illa, vel ab ipsius parentibus quicquam exposcit: sed quid, o Patriarcha, si paupercula, bonisque destituta sese obtulerit in cōiugem filii tui, nonne satius erit Chananæam fœminam ducere nobilem & opulentam? minime equidem, nam in cōiuge filii sui futura non diuitiarum abundantiam, sed virtutū splēdorem & animi dotes postulabat, quod confirmat Chrysost. *considera mentem & propositum iusti, & quò spectarit, & attende quomodo veteres non quærebant substantiam multam, non diuitias, non seruos & iugera agri, tot & tot non externæ venustatis formam, sed animæ pulchritudinem & morum nobilitatem, Patriarcha igitur habens respectum virtutum animæ ita se gessit.*

Chrysost.

Iusti ita temporalia bona possident, vt ab iis non possideantur.

82. *Abiit ex omnibus bonis Domini sui portans secum,* quis ille Dominus, nisi Abraham? nonne cum diximus nec passum pedis in terra Chanaan possedisse? quomodo igitur ait textus, quod Eliezer decem camelos ex grege Domini sui & ex omnibus bonis eius quæque pretiosissima sumpsisse? plurima quidē possidebat, sed eo modo vt ab eis nō possideretur, sicque non possidēs dici potest: vide inquit Paulin. Ep. 2. ad Seuerum, *quātum in ea tibi donauerit Deus, cui & in illorum sorte tribuit portionem, qui in lege perfecti vixerunt, ita possidentes vt non possiderentur à possessionibus suis, neque vllam aut rerum aut necessitudinum charitatem* (vt in Iob & Abraham & Loth ostenditur) *dominicæ charitati & disciplinæ anteponerent.*

Pauli Ep. 2 ad Seuerum.

Vnusquisque secundum personæ suæ dignitatem potest comparere.

83. *Abiit ex omnibus bonis Domini sui portans secum,* vbi nam illa, o Abraham, modestia quam in omnibus tuis actionibus seruasti? nunc autem eam sic facile negligere videris, cum tot camelis, totque viris, & ingenti diuitiarum copia, seruum in alienam mittens regionem, quærendæ filio tuo coniugis gratia, nonne vnus vnico sufficiebat famulo camelus? aduerte potentissimum & ditissimum fuisse principem Patriarcham: non igitur indignum eius modestia & humilitate iudices, quod honorificè & cum opulentia seruum suum miserit, vnusquisque enim potest secundum personæ suæ dignitatem & opulentiam, aliorum oculis se conspiciendum exhibere, dummodo absit omnis fastus & inanis gloriæ cupiditas.

Concionator priùs bonis spiritalibus ornetur quàm verbum Dei annuntiet.

84. *Abiit ex omnibus bonis Domini sui portans secum,* quænam illa bona Domini, nisi humilitas, paupertas, animarum zelus, & virtutum ornamentum: sed cur prius dicitur ex omnibus bonis Domini portare, quam quod instructus fuerit sermone quem puellæ aperire deberet, vt eam alloqueretur? quia concionator prius bonis spiritualibus, & omni virtutum choro ornetur, antequam aliis eas aperire & annuntiare studeat, quod docuit Concilium Paris. cap. 4. lib. 1. *necesse est vt qui verba sanctæ prædicationis mouent, prius studio bonæ actionis euigilent, ne in semetipsis torpentes opere alios excitent, voce prius se per sublimia facta excitant, & tunc ad bene viuendum alios solicitos reddant, prius cogitationum alis semetipsos ferant, & quicquid in se inutiliter torpere sollicita inuestigatione deprehendunt, districta animaduersione corrigant, & tum demum aliorum vitam loquendo componant, prius punire propria fletibus curent, & tunc quæ aliorum punienda sunt denuntient: & antequam verba exhortationis insonent, omne quod loquuturi sunt, operibus clament:* & post: *quando vero vita sacerdotum cum doctrina non concordat, & audito eius infirmis scandalum & animarum prouenire periculum non est dubium, proinde summouere cauēdum est sacerdotibus, ne offendiculum fiant quibus prosunt, tunc enim offendiculum fiunt illis quando quod verbis prædicant, moribus impugnant.*

Concil. Paris. cap. 4. lib. 1. sub Greg. 4. & Ludouico.

Concionator

Concionator quæ ad fidem & ad mores spectant, annūtiet, nō autē iocosa & solū auribus grata.

85. *Abiit ex omnibus bonis portans secum*, diximus illa bona Domini in sermone mystico esse humilitatem, paupertatem, animarum zelum cæterasque Christi Domini virtutes, quas Eliezer nempe concionator possidere debet. sed inuenio hæc Domini bona ex Hugone Car. intelligi Christi Saluatoris incarnationē, passionē, resurrectionē, ascēsionē, Spiritus sancti missionē: sed ad quid prædicator hæc bona Domini secū debet deferre, cum ad perquirēdā Isaac nempe Christo Domino sponsam scilicet animā, in Mesopotamiā scilicet in omnē regionē proficiscitur? quia verus concionator nō iocosa vel solum auribus grata, sed quæ ad fidem spectant vel mores bene cōponendos, secū deferre debet, vt aliis enuntiet hanc veritatem hauriamus à venerabili Henrico Kalterien Hæreticæ prauitatis inquisitore, in oratione quam habuit in concilio Basiliensi, *sciendum* (inquit) *quod ea quæ sunt populo prædicanda, sunt in triplici differentia, aut enim sunt credenda vt articuli fidei, aut agenda vt moralia Dei præcepta, vel corrigenda vt ea quæ sunt circa usum materię bonorum morū; falsitates ergo & errores quæ opponuntur credibilibus, & his quæ sunt de integritate fidei & sacræ scripturæ, prædicator tacere non debet, transgressores vero diuinorum mandatorum eodem modo tacendo & non pronunciando esse peccata, damnosa est pestis, in persona enim taliū dicitur Thren. 2. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, stulta, & non aperiebant iniquitatem tuā, quia laies ex g auctoribus leuior quasi ex diuina auctoritate peccantibus nuntiant, dicentes bonum malum & malum bonum.*

Henricus Kalterien Dominica.

Concil. Basil. ex parte reprobatū nempe quoad ea quæ ibi de auctoritate cōcilij de depositione Eugenij decreta & sancita fuerunt. Thren. 2.

Animæ facile alliciuntur ad gloriam concupiscēdam, si concionator illius diuitias aperiat.

86. *Abiit ex omnibus bonis Domini portans secum*, ad quid hæc dona pretiosa Puellæ quam pro Isaac cōcupiscit, offerenda sunt? sine dubio vt facilius alliciatur: sed cùm mysticè loquētes, per hæc bona diuitias spirituales intelligam, cur has cōcionator depromit animæ cui vitam æternam persuadet & pollicetur? quia nihil ita pertrahit suauiter animam ad gloriam concupiscendam, quam si Ecclesiastes illius diuitias aperiat, *quia in his* (inquit Greg. super Ezech. vt testatur D. Paterius in lib. 1. super Genes.) *quę de Domino loquuntur in semetipsis diuitias virtutum ostendunt, vt tanto citius ad sequendum Deum pertrahant.*

D. Pateri.

Verbum Dei communitati annuntiandum.

87. *Profectusque est ad vrbem Nachor*, quid commune habet in vrbem Nachor Eliezeris iter, cum eo quod diximus quod plura secum bona Domini sui detulit? per vrbem quis dubitat communitatem intelligi? rectè igitur ad vrbem proficiscitur ille Eliezer, quia concionator Dei verbum communitati debet annuntiare: sic Gloss. Moral. *perrexit ad vrbem Nachor quia prædicatori fieri debet fidelium communitati, quę per vrbem significetur.*

Gloss. Moral.

Anima in lauacro gratiæ & fletu pœnitentiæ reperitur.

88. *Profectusque perrexit Mesopotamiam ad vrbem Nachor*, vacat ne mysterio quod Eliezer nēpe cōcionator, ad animā Christo Domino cōiungēdā, Mesopotamiā proficiscitur? vacare dices quid enim interest vtrū Mesopotamiā perueniat, potius quā aliam regionē, cū Deus vbique terrarum velit omnes homines saluos fieri? aduerte Mesopotamiā inter Tigridem & Euphratē fluuios sitā esse, quod ipso vocabulo græco demōstratur μέσος enim medius ποταμός vero fluuius interpretatur; per hæc duo flumina cur nō intelligemus lauacrū baptismi & pœnitentiæ fletum? non caret igitur mysterio, quod Eliezer ad inueniendam Isaac coniugē futurā, Mesopotamiā perrexerit, quia anima vt Christo Domino cōiungatur, reperiēda in lauacro baptismi & fletu pœnitētiæ, vbi autē inuenitur anima fidelis nisi in Mesopotamia? inde quęritur, ibi accersitur, ibi duobus stipatur fluminibus, lauacro gratię & fletu pœnitentiæ. Etenim nisi peccata propria defleueris, nisi gratiā baptismatis acceperis non tibi acquiritur Ecclesiæ fides & quædam coniugalis copula.

Ecclesia ex lege scripta, non ceremonias &c. sed decem præcepta obseruare debet.

89. *Profectus perrexit in Mesopotamiam cum decē camelis ex grege*, cū plures fuerint asini Patriarchæ, ipsique sint cōmodiores ad fœminas deferēdas, cur cū Mesopotamiā pergeret, vt inde puellā adduceret cōiugē Isaac futurā, (quę sine dubio cū ancillarū comitatu venire deberet,) asinos, vt in eis equitarēt mulieres, simul cū camelis non adduxit: aduerte asinos, Iudęos suis ceremoniis oneratos, significare: merito igitur non asinos, sed solum decem camelos secum ducit Eliezer, vt puellā adducat; quia non cæremonias legis scriptæ, sed decem præcepta obseruare debebat anima ab Eliezer, nēpe choro Apostolorū, ad Christū Dominū ex Mesopotamia scilicet ex gētilitate adducta: sic enim Rupertus, *recte sunt decē cameli, quia ex decem Dei præceptis quæ in tabulis scripta sunt digito Dei, continetur omnis vera iustitia, quam solam seruari oportet in Euangelio Christi, rejectis omnibus iustitiis carnis, quas Apostolus detrimentum facit pro Christo & arbitratur vt stercora.*

Rupertus.

Spes sola Messiæ pluris fiebat quàm omnium diuitiarum cumulus.

90. *Profectus perrexit ex omnibus bonis portans secum*, Chaldæus superlatiuo vtitur, omnia optima Domini sui portās in manu sua, sed quomodo poterat Eliezer breui pugillo continere immēsos diuitiarū cumulos quos possidebat Abrahā? nā diuitiis abundātē nō poterat capere terra Gen. 13. v. 6. scio Hebræos respōdere cūctas Abrahæ diuitias fuisse relatas in syngrapha, seu catalogum, qui in manu Eliezer positus fuit: sed vlteriùs vrgeo, breuis chirographus non potuit forte cōpræhendere eas sūmas & rationes, quæ multa volumina replere potuerūt: quare alii dicūt teste Mēdoça anno. 1. sect. 2. c. 9. versu 2. lib. 1. Reg. nihil aliud in illa schedula scriptū esse, quā hoc verbum, *spes Messiæ*, sed illa duo verba non sunt bona potentissimi Patriarchæ: imo illius optima, quibus fruebatur, nēpe spes & desideriū de Messia, sine quo omnis affluentia, indigētia videretur: itaque bonus parens amplissimū suo filio donaturus patrimonium, spem Messiæ donauit, quasi diceret, argentum nec aurum mihi curæ est, quod autem omnibus diuitiis præfero & defero, spem Messiæ tibi dono.

Mendoça lib. 1. Reg. Vers. 2.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XI.

VVLG. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum, iuxta puteum aquæ, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit.

Sep. Extra ciuitatem ad vesperum, quando egrediuntur aquatrices.

Pagn. Genuflectere fecit camelos ad puteum aquæ, tempore vespertino, quo egrediuntur quæ hauriunt.

Arias. Ad tempus hauriendi haustrices.

Vatab. Cadere fecit in genua.

CONCORDIA.

IN Hebræo non habemus mulieres vel puellas, sed solum שאבת id est haustrices à radice שאב Saab id est hausit, attamen recte appositum est nomē mulierum à vulgato quia præsupponuntur quod ipsæ aquatrices fuissent: pro accumbere est ברך BaraK quod benedicere significat, secundo vero genu flectere, quod homines ad benedictionem accipiendam soleant genua flectere, minus autē propie accumbere.

EXPOSITIO.

CVmque accumbere camelos fecisset, id est requiescere, itinere enim erant defessi, *extra oppidum* scilicet extra vrbem Nachor, *vespere*, quod est inter solis occasum & noctem quo egrediuntur, *haurire aquam*, nota enim sibi erat illius terræ cōsuetudo, vt circa vespertinum tempus mulieres aquā haurirent.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Occasio aliquid agendi præmeditanda.

91. *CAmelos fecit accumbere iuxta puteum aquæ*, cur quæso ita sollicitus est sacer textus exactè circunstātias omnes actionis Eliezer obseruare? quid enim refert vtrum iuxta puteum requieuerit cū camelis, vel ne, cognitum habere? aduerte nō ignorasse consuetudinē mulierum illius regionis, quod ex hoc puteo aquas hauriebant propter aliorum defectum fontium: prudenter igitur iuxta puteum accumbit, vt inde occasionem accipiat exequendi & perficiendi, quod præmeditatus fuerat.

Concionator recolligat se extra tumultum sæculi.

92. *Cumque accumbere camelos fecisset extra oppidum Nachor*, certū est etiam Eliezer se quieti dedisse, sed cur ciuitatem non ingreditur, vt conuenientiorem quieti locum sumeret in aliquo hospitio? diximus Eliezer concionatorem adumbrare, certum est autē ciuitatem tumultu tum negotiantium, tum vagantiū plenā esse, prudenter extra & non intra oppidum requiescit, quia vt optime noster Lyranus, *prædicator ante prædicationem debet se recolligere extra sæcularis negotii tumultum.* (Noster Lyran.)

Concionator non sæcularem, sed sanctam auditoribus annuntiet doctrinam.

93. *Cumque accumbere camelos fecisset iuxta puteum aquæ*, nonne in alio loco remotiori, à quo prospicere posset puellas aquatrices accumbere potuisset? cur igitur iuxta puteum aquæ consedit? certū est sacram scripturam puteo designari, de quo Ioann. 4. puteus altus est: merito igitur illum puteum aquæ selegit, vt ex eo camelorum sitim expleret, quia verus concionator sicut Eliezer non aliā nisi ex puteo sacræ scripturæ suis auditoribus aquam salutaris doctrinæ propinare debet: sic obseruat Hugo Car. *puteus, est sacra scriptura iuxta quam sedit Eliezer & cameli id est prædicatores, vt inde hauriant aquā sapientiæ salutaris, de qua sitim suam & aliorum reficiant*, *sitim inquam illam de qua dicit Dominus per Amos 8. mitte famem in terram, nō famem panis, neque sitim aquæ, scilicet audiēdi verbum Dei.* (Hugo Cardin.) (Amos 8.)

Tēpus aptū concioni est defectus prosperitatis.

94. *Cumque accumbere fecisset iuxta puteū aquæ vespere*, cur potius vespere quā matutino tempore? nota vesperū aduersitatis, sicut mane prosperitatis symbolū esse, nam sicut dies fulget in matutino tēpore, sed aridus est, nox quæ vesperū sequitur, tenebrosa sed humida, sic prosperitas fœlicitasue clarum reddūt hominē, sed arentē virtutibus, in aduersitate vero & calamitate, quanquā obscurus appareat, rigescit tamen homo prius virtutibus, exurgente sole ros cadit, sed mox à solis calore facile absumitur, in nocte vero augetur, ita virtutū semina aucta fœlicitate facile rescinduntur, & marcescunt, sed in calamitate virtutes excitantur: en quomodo recte vespertino tēpore designatur aduersitas, matutino autē prosperitas: merito igitur vespere denotatur, quando Eliezer accūbit, vt cum puella sermonem conferat, *quia* (inquit Hugo Cardin.) *quando sol tempore prosperitatis iam declinauit, tunc tempus aptum est doctrinæ & prædicationi.* (Hugo Card. Eccles. 10.)

Opportunū tempus loquendi expectet cōcionator.

95. *Tēpore quo solent mulieres egredi ad hauriendā aquā*, cur obseruat tēpus Eliezer in quo occasionem alloquēdi puellā sumeret? si diximus Eliezer cōcionatorē designare, prudenter expectat tēpus opportunū cū Rebecca colloquēdi, quia concionator tēpus cōmodius doctrinæ seminādæ debet seligere, vnde Ecclesiast. 10. versu 6. dicitur, homo sapiēs tacebit vsque ad tēpus &c. quod Iansen. exponēs ait, *sapiētis est tacere vsque ad tēpus opportunū, quia sapiētis est nō loqui ad ostentationē, nec ad vindictæ illationē, sed loqui ad ædificationē; qui autē lasciuæ linguæ est & petulās, atē qui est imprudēs nō obseruat tēpus opportunū sed eo nō expectato mox prosilit ad dicendum quod in buccam venit.* (Eccles. 10.) (Iansen. ib.)

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XII.

VVLG. Domine Deus Domini mei Abraham, occurre mihi obsecro hodie, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham.

Sep. Prospere dirige coram me hodie.

Pag. Occurrere fac obsecro.

CONCORDIA.

IN Hebræo non est occurre, sed הקרה Ha Kre id est occurrere in Hiphil, septuaginta prosperum fac corã me hodie, sed vtrobique idem est sensus, nã addendũ est in Hebræo, fac mihi occurrere scilicet quod cupio.

EXPOSITIO.

OCcurre mihi obsecro, Hebraismus est, id est propitius mihi esto in hoc quod amplexus sũ, negocio *fac misericordiã cũ Domino meo Abrahã*, hoc ei beneficium conferas, vt quod exopto prosperum sortiatur effectum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Virtus iustorum à Deo maxime æstimatur.

96. *Occurre mihi Domine Deus Domini mei Abrahã*, si Deus omniũ Dominus est, cur solum Abrahæ Dominũ nuncupas? ne arguamus quæso famulum Patriarchæ, cum ipsemet Deus se dominũ Abrahæ fateatur Exod. 36. ego sum Deus Abraham, non adeo excellens præconiũ, vt cum sis tot beatorum spirituũ Dominus, ad vnum hominẽ tuum reducas dominium? saltem in iusti Patriarchæ laudem cedit quantique Deus iustos facit agnoscimus, qui vnius iusti Dominus non renuat appellari, *quid miraris*, inquit Chryso. *si seruus eum ita vocat? ipse omnium Deus monstrans quomodo iustorum virtutem magnificat, inquit ego sum Deus Abrahæ.*

Exod. 36.

S. Chrys.

In negotiis magni ponderis singularem Dei præsentiam postulemus.

97. *Occurre mihi obsecro hodie*, nonne Deum velles tibi in omni vitæ tuæ curriculo occurrere, cur ergo Deum deprecaris, vt suo occursu tibi nunc faueat? nõ ignoras graui negotio vacasse Eliezer: prudenter igitur singularem Dei fauorem & præsentiam præstolatur hoc agnouit Tostat. *licet semper vellem quod mihi occurreres, specialiter tamen hodie, quia est tempus explendi negotium meum.*

Ab orationibus incipiendum vt matrimonium prosperum sit.

98. *Obsecro occurre mihi hodie*, cur puellas cum ad hauriendam aquã venerint, paulisper nõ sustines, vt ea inspecta quæ hospitalitatis & benignitatis officia exhibeat, in vxorem Isaac à te seligatur? ad quid igitur tempus in deprecatione apud Deum consumis? ne preces tunc temporis fundens, arguatur, quia ab oratione incipiendum vt matrimonium contingat prospere fatetur id Lipp. cum ait, *ab oratione Paranimphus matrimonium auspicatur.*

Lippom.

In oratione sanctorum merita Deo præsentanda vt eorum intuitu facilius admittatur.

99. *Obsecro occurre Domine meus Domini mei Abraham*, cur Abraham Dei seruum fidelem in oratione tua nominas, vt Deus desideriis tuis acquiesceret? sufficiebat cum hac deprecatione sola, *obsecro Domine*, coram eo preces fundere; in oratione sanctorũ merita Deo repræsentanda, vt eorum intuitu facilius & efficacius admittatur: *docet nos* (inquit Oleas.) *in orationibus nostris apud Deum sanctorum merita suorum iactare, vt quod possibilitas nostra non obtinet, eorum intercessionibus nobis donetur.*

Oleas.

Oratio debet esse humilis.

100. *Occurre mihi obsecro*, cuius meriti tui intuitu, id postulas? Deo præstita obsequia referas? virtutes tuas extolle? non modestus homo merita sua exponit, quæ nulla in se agnoscit, sed Domini sui obsequii vno verbo comprehendit, vt hac maxima ostensa humilitate, mereretur exaudiri, quod obseruat Seuerus in catena super 18. c. Luc. versu. 3. annotans discrimen orationis publicani & Pharisæi ait, *Pharisæus quidem stans in medio templi alta voce rogabat et orabat, & tanquam qui impetrare dignus sit proprias res gestas recensebat, & quo plura dicebat eo magis diuinum auditum obtundebat: Publicanus vero à longe stans, & in extremo aliquo templi angulo adrepens, pectus percutiebat vixque ab ore verbum exibat, at exemplo in cœlum alis sublimibus tollebatur, & pulsans ostium intro ad diuinam admissus est audientiam.*

Seuerus super Lucam.

Concionator antequam verbum Dei seminet, preces fundat.

101. *Obsecro mi Domine*, tuæ confide industriæ, ad quid igitur Dei oratione tua auxilium postulas, vt puella consensum præbeat? cum toties diximus Eliezer concionatorem adumbrari, quid mirum preces coram Deo fundere antequam puellæ persuadeat vt connubium Isaac admittere velit? quia diuini verbi præco antequam illud auditorum auribus seminet, *debet* inquit Hugo Card. *primum orare vt fructificet.*

Hugo Card.

Tanto nobis Deus specialior est Dominus quanto eum speciali amore colimus.

102. *Obsecro mi Domine Deus Domini mei Abraham*, cur Deum, specialem dominum Patriarchæ constituis? an in eius formatione maiorem laborem impẽdit? an in eius conseruatione maiorẽ curam adhibet quam in tot pæne innumerorum hominũ multitudine? ne dicas igitur dominũ Abrahæ sed omnium: iure merito illius specialis Dominus nuncupatur, quia quanto quis specialiori affectu Deum diligit, tanto illius Deus specialior est Dominus, *Deus omnium erat*, inquit Carthus. *tanto specialius Deus Abrahæ, quanto gratiosius habuit se circa eum, & quanto ipse Abraham deuotius coluit Deum.*

Dio. Carth.

Seruus bonæ indolis probos pii Domini mores imitatur.

103. *Obsecro mi Domine Deus*, hãc primã in toto illo itinere vocẽ à seruo emissam legimus, ac si cũ hominibus integrũ seruaret silentiũ, vnã autẽ cũ Deo familiariter loqui assuesceret: vnde nam tanta in seruo pietas, vt ab oratione quod sibi imperatũ fuerat, exequẽdi principium sumeret? nonne orationi deditissimus erat Patriarcha Dominus eius? ad exemplum igitur tam pii Domini seruus bonæ indolis virtutem & pietatem in Deum sequitur.

Deus quantumuis vilem orantem non despicit.

104 *Obsecro mi Domine Deus*, si à regibus infimi despiciuntur, ita vt præ illis dii haberi videantur, an omnium regum Dominus te vilissimum inter homines (cùm sis seruus) virum clamantem exaudiet? imo deprecantem audiet, nullus enim vilis deprecans à Deo censetur nec despicitur: accipe D. Pacianum Barci. paræn. ad pœnit: *nemo adeo peccatricis animæ vilitate desperet, etiam modici & nanimi requiruntur, ben: u peccator rogare igitur ne desinas.*

D. Pacianus.

Negotia nostra sanctorum propria efficiamus, vt facilius effectum suum sortiantur.

105 *Fac misericordiam cum Domino meo Abraham*, nonne Deum deprecaris, vt prospero occursu tibi opituletur? tua res agitur: cur igitur non ais, fac Domine mecum misericordiam, non autem cum Domino tuo? recte in oratione sua à Deo postulat, vt cum Domino suo Abraham faciat misericordiam: quia prudenter negotia vt sanctorum propria apud Deum constituimus, vt facilius effectum suum sortiantur.

Maximo amore prosequamur eos à quibus virtutes didicerimus.

106. *Fac misericordiam cum Domino meo Abraham*, cur non solum itineri cum tot incommodis & periculis te accinxisti, vt vxorem filio Domini tui sollicitus quæreres, sed etiam nunc pro eo misericordiam deprecaris? cur tanto amore dominum (cum serui regulariter odio habeant) herum prosequeris? inspice quot virtutes à Patriarcha didicerit; merito igitur tanto affectu eum diligit cum ab eo diuersa virtutum semina acceperit: fauet Lipp. *amorem testatur heri sui apud quem studia sancti ... didicerat, benignitatem, hospitalitatem, beneficentiã & in Deũ fiduciã.*

Lippom.

Nihil à Deo ex iustitia, sed ex misericordia postulemus.

107. *Fac misericordiam cum Domino meo Abraham*, si tot obsequia digna præmio præstiterat Deo Abrahã, cur nõ ait Eliezer hoc ex iustitia præbe Domino meo beneficiũ? misericordiã Dei deprecatur, quia nihil à Deo ex iustitia, sed ex misericordia postulare debemus, docet Procop. *non peto vt quasi ex debito huic sis obstrictus, absit, misericordiam tuam imploro quam in negotio heri mei fac aspiciam, nam qui plurima bona opera facit, gratia nec ex operibus saluatur.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERS. 111.

VVLG. Ecce ego sto iuxta fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam.

Sep. Ecce ego steti super fontem aquæ.

EXPOSITIO.

Ecce ego sto iuxta fontem aquę, supra dixerat puteũ, & verum est puteum fuisse, quem tamen fontem nominat vulgatus, quia lectio Hebraica nullũ inter vtrũque ponit discrimẽ, *egredietur ad aquã hauriẽdã*, sciebat enim consuetudinem illius terræ talem esse vt puellæ circa vespertinum tempus ad hauriendam aquam simul conuenirent.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Sacra scriptura non fons qualiscunque, sed à quo omnes eruditionis cuiuscumque aquas haurire possumus.

108. Ecce ego sto iuxta fontem, D. Ælredus Abbas Rieuallen. ser. 1. de opere Babyl. *Deus* inquit *scripturam fontem nobis ministrauit*, en quomodo Eliezer concionator iuxta fontem sacræ scripturæ sedet, sed cùm tot sint fontium genera, propter illarum diuersitatem aquarum, quisnam fons erit doctrina sacra? omnium aliorum naturam sapiens, quia ab eo omnes eruditionis cuiuscumque aquę salutares hauriuntur, quicquid enim in aliis sæcularium scientiarum fontibus præclarum est, in hoc reperitur, hoc bene cecinit sanctus Theodulphus.

D. Ælredus.

S. Theodulphi Ep.

Quicquid in ingenuis, mundana discitur arte
Artibus, hic currit liberiore via.
Quadratione viget, vel quicquid amatur in illis,
Hoc à fonte meat huius ab amne fluet,

Sacra scriptura fons signatus ad exercendas ingenii vires.

109. *Ecce ego sto iuxta fontem aquæ*, cum à nobis dictum sit, hoc fonte designari sacram scripturam, iuxta quam stat concionator, inquiro vtrum fons huiusmodi sit obsignatus, an omnibus patens? fontem signatum ait D. Aug. lib. 2. contra Cresconium c. 14. & Rupert. lib. 2. in Exod. c. 10. sacram scripturã conditam nouimus vere paradisum voluptatis, fontem signatum: nonne conuenientius esset vt omnibus pateret? cur igitur tot sigillis difficultatis signatur? scio Augustinum loco citato respondentem, vt ad hunc fontem nullus accedat extraneus, id est ne indignis & contemptoribus pateat: sed non contemnenda ratio Procopii in c. 7. Is. dicentis, *est lex ipsa per se verborum obscuritate ad exercendas ingenii vires velut sigillat & obsignata*, quasi diceret, signatus est sacrarũ litterarum fons, vt ingenii vires aliqua obscuritate exerceret, ne nimis diuina lex vilesceret, si nimis esset obuia.

S. August. Rupert.

Procopius.

Concionator laborans indagandæ sacræ scripturæ veritati dignus est à Deo exaudiri.

110. *Ecce ego sto iuxta fontem aquæ*, si à Deo exaudiri petiisti, cùm diceres, obsecro Domine occurre mihi, cur ais ego sto ad fontem aquæ? quæ enim connexio inter deprecationem tuam, & iuxta fontem aquæ stationem? quid enim refert vtrum hic stes vel alibi, vtrum sedeas vel iaceas, vt admittatur tua deprecatio? Hugo Card. ait, ille stat iuxta sacram scripturam,

qui immobiliter & diligenter laborat ad videndū veritatem sacræ scripturæ, vt aliis succurrat: optimè igitur Eliezer vt à Deo exaudiretur ait, ecce ego sto ad fontem aquæ, *quia*, inquit citat. Card. *prædicator debet exaudiri à Domino, quia hoc modo stat iuxta fontem sacræ scripturæ.*

Hug Card.

Nostræ prudentiæ solum negotia grauia non committamus sed diuinæ prouidentiæ.

111. *Ecce ego sto ad fontem aquæ*, scilicet expectans quod optatis satisfaciēs mihi occurrere facias, quod summopere desidero, si senior seruus domus Abrahæ dicens, id est prudentior, nonne puellam Isaac matrimonio iungendam, alia via inuestigare potes? scilicet inquisitione facta, quæ probis moribus prædita, quæ pulchrior oculis tuis appareat: merito expectat à Deo quid sibi prosperum continget nostræ enim prudentiæ solum negotia grauia non committenda, sed diuinæ prouidentiæ & ordinationi: *veraciter*, inquit Rup. lib 6. in Genes. c. 51. *senio enim hunc supra nominatum scriptura, nam quod semore dignū fuit, nec sese petendæ puellæ iudicium suis commisit oculis, qui solam faciem non etiam mores aut virtutem prouidere possunt, sed secundum beatam fidem credens quod Domini sui cui aim habe et Deus, totam in illo posuit spem electionis.*

Rupert.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IIII.

VVLG. igitur puella cui dixero inclina hydriam tuam vt bibam, & illa responderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac, vt per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum Domino meo.

Sept. Camelos tuos adaquabo, quoad vsque bibere desinent.

CONCORDIA.

APud Hebræum non reperiuntur hæc verba, quoad vsque bibere desinent, forte ea addidere 70. mentem Eliezer considerantes qui ea proferre potuit.

EXPOSITIO.

IGitur puella cui dixero &c. non per modum augurii aut diuinationis signum petiit, sed præmissa oratione qua in seligenda vxore Isaaco dirigetur, quæ obseruatio, præmissa oratione, dummodo non imprudenter mali periculo se exponat, illicita non est, vnde Eliezer diuino præcedente instinctu, humili præuia oratione, quia hoc vtile erat omnibus, inueniri mulierem, per quam Dei filius in terris pro hominum reparatione homo fieret, rectè & iustè admodum signum petiit. *ipsa est mulier quam præparasti seruo tuo Isaac*, non per modum prophetiæ hæc dicta fiere ab Eliezer, sed per modum orationis, *ac per hoc intellige, quod feceris misericordiam cum Domino meo*, id est quod ei hoc beneficium concesseris.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vxor æqualis sibi in virtutibus à viro seligatur.

112. PVella cui dixero inclina hydriam tuam vt bibam, *ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*; cur non ais quam formosam conspexero, quam diuitem agnouero, ipsa sit vxor futura filii Domini mei? aduerte in hac petitione Eliezer puellam liberalem, & hospitalem quæsiisse, qualis erat Isaac, quàm igitur prudenter non aliam quam quæ sibi & camelis potum præberet, futuram sponsam Isaac petiit, quia vxor virtutibus similis viro seligenda est. Fauet Chrysost. *vide serui prudentiam, nam quia sciuit Patriarchæ hospitalitatem, & quia virginem inde ducendam congruebat, iisdem esse præditam moribus quibus ipse, nullam aliam coniecturam inquirit, sed characterem virginalis animi hospitalitate colligere vult*, deinde addit, *illa sic explorata, & hoc indicio deprehensa Domini mei moribus conueniens digna erit, quæ filio eius sit vxor.*

Chrysost.

Ex hospitalitate plurima tibi commoda eueniūt.

113. *Puella cui dixero &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, cur nomine Domini sui seruus ille Eliezer requirit in futura sponsa hospitalitatis gratiam? quærat in ea aliarum virtutum ornatum, præcipuè modestiam, & honestatem: hospitalitatē exoptat Eliezer, scit enim quanta ex ea Domino suo commoda contigere, *hospitalitatem*, inquit Procop. *non est non minimam esse suæ fœlicitatis causam, cum apposuisset cibum Deo sub imagine humana terras lustranti, filium accepit cum commiscuisset farinam, vt inde panes fierent, audiuit nepotes suos fore innumerabiles instar stellarum cœli.*

Procop.

Mulier benefica solet & virum saluare.

114. *Puella cui dixero &c. per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum Domino meo*, si tibi præbeat puella, & tuis aquam camelis, nonne apparebit digna vxor danda Isaaco? cur insuper addis facturum Deum in hoc misericordiam cum Domino tuo? quia sane magna à Deo ventura est misericordia in eum virum, cui contigerit habere vxorem largam in beneficiis præstandis: quid contigit Nabal propter beneficentiam Abigail in Dauidem? accipite à S. Petro Damiano Episcopo 14. de perfect. monach. c. 19. *Abigail cum magnifica conuiuii partem subtrahit, à viri iugulo gladium Dauid in vltionem contumeliæ festinātis auertit, sicque suis cibū beneficura surripuit, quibus vtique vitā extraneis ministrando seruauit.*

Non quicumque à Deo signum petens in alicuius rei futuræ confirmationem eum tentare dicendus est.

115. *Puella cui dixero inclina hydriam tuam vt bibam &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, cur à Deo hoc signum futuræ coniugis serui Domini tui exigis? Deum enim tentare videris, ecce Sathanas in confirmationem diuinitatis Christi Domini, signũ petens, nempe vt è pinnaculo templi mitteret se deorsum, audiuit ab ipso Saluatore, nõ tentabis Dominum tuum: imo cum ab eo petit vt ex lapidibus panes produceret, vt similiter eius diuinitas agnosceretur, tentator dicitur: nihilominus tamen Eliezer Deum tentasse minimè dicendus, quia quotiescunque à Deo signum petitur, non ex fidei imbecillitate, sed ex magna Dei fiducia, nec ad diuinam potestatem aut veritatem dictorũ & promissorum eius explorandam, sed vt circa graue aliquod negotium tractandum, quid Deo placitum sit pernotescat, & vrget ad hoc honesta necessitas, vel pia vtilitas, diuino instinctu præcedente, signum petere licet, nec id ad tentationem pertinet.

Qui aliis subuenit etiam in hoc sæculo à Deo remuneratur.

116. *Puella cui dixero, &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo*, vndenam à Deo huic puellæ collatum beneficium, vt sanctissimi viri coniux inter tot mulieres eligatur? nonne audis quod dilectione erga proximum incensa, diligenter subuenire necessitati proximi deberet, illius nec non camelorum potu sitim extinguens? quid mirum igitur si etiam in hoc sæculo præmium accipiat à Deo, vt coniux viro iustissimo præparetur? cum proximi necessitati subueniat, *hos ad bona eligendos à Domino scias*, inquit Oleast. *qui alacriori animo proximorum indigẽtiis succurrere nouerint.*

[Margin: Oleaster.]

Diuinissimũ est nulli suã opẽ auxiliũque negare.

117. *Puella cui dixero inclina hydriam tuam vt bibam, & illa responderit, bibe quin & camelis tuis dabo* addunt Sept. quoadvsque bibere desierint, ipsa est quam præparasti seruo tuo: omnia quæ requisierat ipsa præstitit, ait tamen textus, ipse contemplabatur rem tacitus, scire volens vtrum prosperum iter fecisset Dominus, adhuc hæsitas & meditaris? cum non solum quæ petebas, præstiterit sed celeriter, vides iã beneficam puellam in tuo & camelorum potu, quid adhuc requiris, vt noscas illam Deo plenam & à Deo paratam Isaaco? pulchre Theodor. q. 77. ait, *cũ illa hausisset aquam & camelis præbuisset fluentum, expectabat ille vt videret an omnibus præberet, quanũ opus erat*, & quidem merito, non certus fit de Dei assistentia in puella, donec ab eius benefica manu videt nullum camelorum manere vacuum: sed omnes suscipere necessaria, Deo namque digna beneficentia tunc ostenditur clare, cũ sua nemini dona negat.

[Margin: Theodor.]

Caute examinanda est Dei voluntas.

118. *Puella cui dixero da mihi vt bibam, &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo*, vt à te dignosceretur volũtas Dei circa sponsam futuram Isaaco, nonne sufficiebat vt ab eo potum obtineres, vt eius benignitas & hospitalitas erga te declararetur? cur ergo etiam requiris vt camelis hanc præstet humanitatem? optima est responsio Tostati, *hoc posuit Eliezer cautè, vt manifestè videret bonitatem Dei, quod enim aliqua puella videns hominem alienigenam libenter & sine petitione daret ei & camelis suis potum, valde magna bonitas videbatur, ad quam nulla puella inclinaretur, nisi illa quam Deus specialiter inclinasset.*

[Margin: Alphons. Tost.]

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

119. *Puella cui dixero &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo*, vnde sciebat Abraham quod ex progenie cognationis suæ, puella coniux futura Isaaci hospitalitati vacaret, ita vt Eliezer nomine Domini sui hanc ab ea virtutem requirat? certum est cognationem Abrahæ virtuti hospitalitatis studuisse, bene colligit igitur Eliezer hanc puellam fore hospitalem, nam naturæ suæ quisque sequitur semina, hoc habet Procop. *sciens Abrahamus illam familiam hospitalitate ornatam, inde vxorem filio suo hospitalitate insignem quærere in animum induxit, & cum illa esset educata in tam liberali familia, non dubitabat quin & ipsa aduentura esset hospitalitatis virtute decenter imbuta.* en quam peracutè Procopius animaduertit quam bene colligit Abraham ex liberali familia puellæ, fore liberalem in pauperes? naturæ quippe vt diximus sequitur semina quisque suæ.

[Margin: Procop.]

Vt quæ sit digna sponsa Christi Domini, non ab ea nobile genus sed virtutum ornamentũ requiritur.

120. *Puella cui dixero inclina hydriam tuam vt bibam, & illa responderit, bibe, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, nonne te iuramento obstrinxisti solum ex cognatione Abrahæ Domini tui coniugem Isaac te accepturum & non Chananæam: Chananæa autem sicut & alia potest tibi potum præbere, si quidem cũ Chananæam non agnoscas, eam vt inclinet hydriã potes deprecari, sicque iuramento fies transgressor: minimè, nam vt optimè Rupert. lib. 6. in Genes. credidit homo quod explorata & hocmodo deprehensa frugalitas Domini sui moribus conueniens digna foret, cui inaures armillasque appenderet: quasi diceret existimauit se à iuramenti transgressione liberum esse, si puellam virtutibus præditam, quamuis non cognatam Isaaco coniugem eligeret, vel dicamus cum Isaac typum gereret Christi Domini, & illa puella veræ animæ fidelis, non requirit vt foret sponsa illius, quod nobilis esset & ex tali prosapia, sed virtutibus ornata, non enim personarum est acceptor Christus sed meritorum, *non enim*, inquit D. Thom. in cat. aurea in c. 20. Matt. *apud Deum est acceptio personarum, sed quicunque talem se præbuerit in regno cælorum dignus fiat, hic accipiet quod non personæ, sed quod vitæ paratum est.*

[Margin: D Thom. in cat. aurea in Matt.]

Sponsa Christi cognoscitur in dilectione qua fertur erga proximum.

121. *Puella cui dixero, inclina hydriam &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, cur potius hoc signo quam alio vxorem Domini sui cognoscere voluit? pluribus enim aliis indicari potuit: nonne hæc puella futura sponsa Isaac denotat animam fidelem quę ad thalamum Domini Saluatoris euehitur? non immerito igitur Eliezer potius hac manifestatione charitatis erga proximum quam alio signo notam habere voluit coniugem Isaaci, *vt eam*, inquit Oleast. *Dominus Isaac eligere didicisset in qua charitas & dilectio proximi reluceret, quæ scilicet libenter & sibi & camelis suis hauriret*, accõmoda animæ fideli cum gloss. interl. dicente, *talis est anima futura sponsa Christi &c.*

[Margin: Oleaster. Gloss. inter.]

Fœcunditas præmium misericordiæ.

122. *Puella cui dixero inclina hydriam tuam & bibam &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, sed vnde obsecro hæc colligebat Eliezer? quod signum hoc ad futuram sponsam Domini sui cognoscendã? non aliud

aliud sane, nisi quia cùm ad prolem obtinendam quæreret Abraham vxorem fœcundam filio, nõ putauit ille talem se reperire posse nisi misericordem & eleemosynariam virginem reperisset, sed vnde dignoscere potuit virginem hanc misericordem, futuram esse fœcundam? subtiliter satisfacit Iustinianus Episc. Adiœcentis in c. 4. Tobiæ vers. 10. documento, *nouerat*, inquit, *Saram tunc promissionem futuræ prolis recepisse quando misericorditer hospites Angelos sub virorum specie recepit, pro comperto habens fœcũditatem misericordiæ præmium esse.*

Iustinianus Episcopus.

Aliis subuenire signũ indolis ingenuæ & nobilis.

123. *Puella cui dixero inclina hydriam tuam, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, sed ô Eliezer, hoc signum eratne sufficiens vt acciperes vxorem Domino tuo dignam? nonne aliavilis & abiecta puella potuit etiam aquam porrigere tibi & tuis camelis? esto potuerit, fatear tamen necesse est optimum fuisse signum & conueniens, quia subuenire necessitati manifestat bonam indolem, affabilem, & docilem, nec non nobilem, ita Theodor. *signum erat non pulchritudo corporis, non quicquam aliud ex iis quæ splendida putantur, sed affabilitas & animi mansuetudo*, & Tho. Angl. *dicit: talis fuit oratio, si quidem conditionem posuit rationabiliter, indicatiuam strenuæ indolis puellæ, vt pote actum promptæ, piæ ac largæ liberalitatis*, scilicet in subueniendo alterius necessitati.

Theodor.

Thom. Angl.

Non secundum faciem iudicandum.

124. *Puella cui dixero, inclina hydriam &c. ipsa est quã præparasti seruo tuo Isaac*, cur hoc negotium tuis non committis oculis, vt quænam sit omnium puellarum modestissima, intueantur, & sic quæ præ aliis modesta fuerit, in sponsam Isaac eligatur? diuinæ ordinationi potius quàm propriis oculis hoc commisit matrimonium, quia non secundùm faciem iudicandum: petendæ enim puellæ iudicium non suis committere debuit oculis qui solam faciem, non etiam mores & virtutes peruidere possent, sed totam in Deo posuit spem electionis.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Necdum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel filii Melchæ vxoris Nachor, fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua.

Sept. Et factum est priusquam ipse consummaret, loquens in mente sua, & ecce Rebecca habens hydriam super humeros suos.

Pag. Et fuit ipse antequam compleuisset loqui, ecce Rebecca & hydria super humerum eius.

Vatab. Antequam autẽ finisset loqui in corde meo.

CONCORDIA.

IN Hebræo non habentur hęc verba *nec dum intra se*, addita sunt autem à 70. & à Vulg. explicandæ rei gratia, si quidem ipsi legunt αὐτοῦ λαλοῦντος ἐν τῇ διανοίᾳ ipsum loquentem in mente.

EXPOSITIO.

NEc dum intra se verba compleuerat, cum mentaliter hæc verba proferre desiit, *ecce Rebecca egrediebatur*, Deus enim qui mouerat Eliezer ad prædictum signum petendum, mouit & Rebeccam ad egrediendum, pro aqua ex puteo haurienda, *filia Bathuel, filia Melchor*, quæ erat filia Aran sororque Loth, habens hydriam in scapula sua, id est super humerum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus citissime preces suorum exaudit.

125. NEcdum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur; cur obseruat Moyses nedum orationi finem impoluisse, & tamen puellã sibi oblatam cum hydria? vt sciremus Deum citissime suorum preces exaudire, *vide efficaciam precum*, inquit Procop. *quas iusti ad Deum transmittunt, vide quoque quàm expeditè & promptè penetrent cœlum & exaudiantur*, & D. Chrysost. Hom. quales sunt vxore ducendæ, *tales sunt bonorum preces ante finem earum sentiunt annuisse numen propitium.*

Procop.

D. Chrys.

Deus in se speranti præsentissimus adest.

126. *Necdum intra se verba compleuerat & ecce Rebecca egrediebatur*, nonne Deus differre signi petiti exhibitionem potuit? ad quid igitur nondum completa oratione Eliezer, quæ postulat obtinet? reuocã in memoriam non suæ industriæ hoc commisisse negotium, sed diuinæ prouidentiæ: quid mirum igitur cito assecutum fuisse quod postulauerat? Deus enim in se speranti adest præsentissimus: *præsentissimum*, inquit Lipp. *Deum videmus sperantibus in illũ tota fiducia, & quæ seruus volente Deo optare cœperat, eodem Domino prouidente ac perficiente completa sunt.*

Lippom.

Deus fidem nostram corroborat.

127. *Et ecce Rebecca egrediebatur*, an arbitraris casu vel fortuna tunc egressam fuisse Rebeccam aquæ hauriendæ gratia? minimè equidem, nam sic Deo disponente res contigit, sed qua de causa disposuit, vt in hoc suæ spei sumeret experimentum? an vt auguri fides adhiberetur? nequaquam, *sed ad certitudinem fidei firmandam*, inquit cit. Lipp. *de maioribus bonis Abrahæ à Deo promissis.*

Lippom.

Quod Deus incipit perficit.

128. *Et ecce Rebecca egrediebatur*, quis hanc puellam commouere potuit, vt prima ad hauriendam aquam pergeret? & vt finita oratione Eliezer domum paternam egrederetur? non enim id casu con-

tigisse credendum est, obserua quod verè Thom. Anglicus, animaduertit, nempe quod oratio facta ab Eliezer mota & ordinata fuit à Deo, ita vt Deus primum illum bonum excitauerit in eo motum: dicamus igitur etiam Deo inspirante in occursum Eliezer exiisse quia quod Deus sua gratia præuenit, id perficit & absoluit, *Deus*, inquit Abulens. *qui monerat Eliezer ad taliter concipiendum, monuit Rebeccam ad egrediendum pro aqua.*

Abulens.

Gratia Dei interuenit in iis quæ fiunt cum debita intentione.

129. *Ecce Rebecca egrediebatur habens hydriam in scapula sua*, plures hydriam tunc temporis fortuito cœpisse, arbitrabantur Rebeccam, quid enim magis casuale videtur quàm occursus puellæ homini stanti iuxta puteum? nihil tamen in hoc euentu fortuitum cogita, sed gratia Dei perfecta fuisse, ea enim interuenit, cùm aliquid fit recta cum intentione. Fauet Franconius Abb. tomo 3. de gratia Christi, his verbis, *ecce in hoc mysterio gratia adfuit, ipsa seruum spiritum consilii imbuit: ipsa preces impleuit, ipsa vxorem elegit.*

Franconius Abb. tomo 3. de gratia Christi.

Gratus animus difficillima quæque perficit.

130. *Ecce Rebecca egrediebatur habens hydriam in scapula sua*, quid fœlicius? quam primùm vidit puellam post preces, eam æstimat sponsam destinatam Domino suo, & qua virtute tam cito deuenit in cognitionem dignæ sponsæ, in quam alii vix post longa examina deueniunt? satisfacit Theodor. Serm. 8. de prouidentia, *quod vero iis quæ petiit potitus est, Dei amicum fuisse demonstrat, nec enim tam facile iis potiri potuisset, nisi in largitorem fuisset gratissimus, gratitudinem vero hanc animi virtus elaborauit.*

Theodor.

A fastu seruorum abstinendum.

131. *Ecce egrediebatur Rebecca habens hydriam in scapula sua*, nonne ex illustri prosapia ducebat originem Rebecca, clarisque orta natalibus? quomodo igitur ad aquam hauriendam ancilla non m[illegible] sed ipsamet puella nobilis & diues humeris suis defert hydriam? vt hoc virtutis exemplo à fastu seruorum abstinere doceamur, quia vt optimè D. Hier. Epist. 47. de vitando suspecto contubernio, *quarulum seruorum genus est, & quantacumque dederis semper eis minus est, non enim considerant de quanto, sed quãtum detur, doloremque suum solis, quod possunt obtrectationibus consolantur.*

D. Hieron. Epist. 47.

Otium animæ inimicum.

132. *Ecce egrediebatur Rebecca habens hydriam in scapula sua*, nec enim otiosam, mollem atque elanguidam sponsam Isaaco peti oportebat, quid refert vtrum otio sit dedita, dummodo virtutum ornamento studeat? imo tantum interest, quia nec illa dotes animi virtutumque ornamenta quibus emineret, vlla profecto haberet, si otio omnium bonorum exitio diffluerer, quod persuadet Euseb. Emiss. in illa verba Ioann. 5. surge, tolle grabatum tuum & ambula, *hoc est*, inquit, *non sis otiosus, otiositas enim animæ inimica est, quæ & vitia nutrit & virtutes necat.*

Euseb. Emiss. Ioan 5.

Vbi magis quis se humiliat ibi magis exaltatur.

133. *Ecce egrediebatur Rebecca habens hydriam in scapula sua*, quomodo tam seruile munus non renuit? ancillarum enim proprium hydrias deferre hauriõdæ aquæ gratia: quomodo ita humiliter se deprimit? quæ enim puella claris orta natalibus, vellet hoc seruile munus exequi? an aliquod huiusmodi humilitatis præstitæ præmium accipere potuit? ita eximium, quia vt ibi se magis humiliat, ibi magis exaltetur, sponsum enim ac Dominum inuenit diuitem, illustrem, & omni sanctitate præclarum, & quod omnẽ fœlicitatem in terris superat, electa est in auiam Dei hominis in mundum venturi.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVI.

VVLG. Puella decora nimis, virgoque pulcherrima & incognita viro, descenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, & reuertebatur.

Sep. Virgo autem erat speciosa aspectu valde, virgo erat, vir non cognouerat eam.

Caiet. Et puella bona aspectu valde.

CONCORDIA.

טוב Tob Non solùm quid bonum, sed elegans, speciosum, & præstans denotat.

EXPOSITIO.

PVella decora nimis, eximiæ formæ, *virgoque pulcherima & incognita viro*, repetitio eiusdem rei videtur esse, & superflua; nam si virgo est, certe à viro non cognita, tamen existimo quod cum sint duæ voces in Hebræo significantes puellam & virginem, עלמה alma scilicet & בתולה Betula, Betula quandoque poni pro puella, quamuis virgo non sit vt Ezech. 23. & Ioël. 1. vbi puella lugens maritum suum dicitur in Hebræo Betula, existimo inquam quod cum hoc loco vbi nos legimus virgo, in Hebræo sit Betula, merito subdi, & incognita viro, vt ostenderet Moyses non solùm puellam quantum ad ætatem esse, sed etiam à viro nullo modo cognitam: *descenderat autem ad fontem*, erat enim fons in humiliori & decliuiori loco quam ciuitas, *& impleuerat hydriam*, propria industria, *& reuertebatur*, Eliezer forsitan non conspecto.

Ezech. 23. Ioel. 1.

CONCEPTVS

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Virgines mulieribus pulchriores.

134. *PVella decora nimis & virgo pulcherrima,* cur non semel, sed iterum eximiam venustatem Rebeccæ denotat? forte vt significet quod puellæ quæ virginitatis iacturam non fecere, aliarum mulierum pulchritudinem superant, sic obseruat Abul. *virgines pulchriores sunt & fulgentiores, quia intactæ viris, cum autem cognoscuntur, marcescit color vividus & lenitas vultus deturpatur, quasi floribus manibus tactis vel iis qui nondum ab aliquo fuere contacti.*

Abulens.

Virginis nomen, abscondita.

135. *Puella decora nimis & virgo pulcherrima,* Hebraicè alma, idest abscondita, eodem modo habet Isai. 7.14. *ecce virgo concipiet,* in Hebræo est absćōdita, vnde Hieron. ergo alma non solùm puella vel virgo, sed cum ~~[illegible]~~ virgo abscondita dicitur, & secreta, & alibi, loco virginis habemus absconditam, sed cur loco virginis transfertur abscondita? vt innuatur latebras tam proprias esse virginum, vt non aliunde melius quàm ab illis nomen sortiantur, vnde D. Ambros. in exhortatione ad Virg. *decet solitudo verecundiam, & gymnasium pudoris secretum est.*

D Amb. in exh. ad Vir.

Virgo debet esse mente & corpore.

136. *Puella decora nimis & virgo pulcherrima, & incognita viro,* transfert Orig. & vir non cognouit eam, certe inquirendum est, quid est quod dicitur virgo erat, vir non cognouerat eam? quasi vero aliqua sit virgo, quam vir contigerit, & quid tibi videtur additamentū in virgine vt dicatur, quia vir non cognouit eam? estne enim aliqua virgo quam contigerit vir? Orig. hoc explicans mysticè ait, *sicut Christus animæ vir dicitur, cui nubit anima, cùm venit ad fidem, ita & huic contrarius, vir ille est cui nubit animarum declinat ad perfidiam; ipse ille qui & inimicus homo dicitur: per hunc virum ergo intelligi dæmonem, siue eius prolem, scilicet vitia & peccata, vides ergo non fuisse superfluum dixisse fuisse virginem, deinde addidisse & vir non agnouit eam, quia puella non solùm debet esse virgo corpore, sed etiam mente,* ita Origenes non sufficit animæ vt casta sit corpore, opus est vt & vir hic pessimus non cognouerit eam, potest enim fieri, vt quis habeat in corpore virginitatem, & cognoscens illum virum pessimum Diabolum, atque ab eo concupiscentiæ iacula in corde suscipiens, animæ perdiderit castitatem, quia ergo Rebecca virgo erat sancta, erat corpore & Spiritu, ideo eius duplicat laudem, & dicit, virgo erat, & vir non cognouerat eam.

Orig. hom. 10.

Amor inter coniuges virgines ardentior.

137. *Puella decora nimis & virgo pulcherrima,* si puellam dixerat, cur virginem addit? nam vt matrimonium prosperum esset, venustas & eximia pulchritudo in puella requiritur: reuoca in memoriam in expositione litteræ, dictum fuisse discrimen esse inter puellam & virginem, quod puella nomen est aliquando non integritatis sed ætatis, virgo autem incorruptionis: merito igitur postquam puellam dixit Moyses etiam virginem appellauit, vt indicaret quàm faustum & fortunatum futuret illud matrimonium quod inter virgines conglutinandum erat, in quo nec mulier alium nouisset virum, nec vir aliam mulierem, fit enim mutuus inter coniuges flagrantior & perseuerantior amor, quorum animi alienis amoribus non fuere occupati.

Tantà est aliquando puellarum impietas, vt inuersa Venere vtantur vt virgines appareant.

138. *Puella decora nimis, & pulcherrima & incognita viro,* si virginem dixit, cur viro incognitam addidit? nam si virgo est, necesse est incognitam esse atque viro intactam, si autem viro incognita, nomen virginis retinet: probabile est sane vtrumque dixisse de Rebecca, tamē aliquando puellæ in tantā impietatem delabuntur, vt virgines oculis hominum appareant, quia claustrum virginitatis eorum à viro non est apertum, tamen à viris cognitæ sunt per auersam nimiū venerem, & nefandæ diuerticula libidinis. Fauet omnino D. Cyprian. Ep. 11. *nec aliqua putet se posse hac excusatione defendi, quod inspici ac probari possit, an virgo sit, cum & manus obstetricum & oculi sæpe fallantur, & si incorrupta inuenta fuerit virgo ex ea parte sui, qua mulier po- est esse, potuit tamen ex alia parte corporis peccasse, quæ corrumpi potest, & tamen inspici non potest.*

Cyprian Epist. 11.

In sacra scriptura vitantur quæ in errorem inducere possunt.

139. *Puella decora, virgo pulcherrima & incognita viro,* in Hebræo est betula, si betula, virginem significat cur cum Isaiæ 7. dicitur, ecce virgo concipiet in Hebræo non est betula sed alma: nota à nobis dictum esse betulam aliquando sumi posse pro puella nupta, alma autem nequaquam; sed solum pro virgine: merito igitur in Isaia non dicitur Betula, sed alma, vt error vitetur eorum qui possent asserere non virginem concepturam, sed quandam puellam: scitum est illud Epiphanii inquit vir pius & doctus Leo Castrensis, *circumspectissimus est Spiritus sanctus in diuina scriptura, cauet omnia, prospicit omnia, sciens igitur quantopere conaturi essent Iudæi deprauare vaticinium illud Isaiæ, voluit ponere in eo vocem non betula, sed alma, quæ secundùm vsum linguæ hebreæ semper dicitur de puella incorrupta.*

Isa 7 & 5.

Leo Castrens. in Isaiam.

Pulchritudo non est causa impudicitiæ, sicut nec deformitas causa castitatis.

140. *Puella decora nimis & virgo pulcherrima & incognita viro,* cum viro incognita, virginis nomen habeat, qua de causa simul puellam formosissimam & virginem pulcherrimam coniunxit, cum viro incognita? vt nobis persuasum esset pulchritudinem simul compati cum castitate, nec illius iacturæ causam esse venustatem, *licet forma elegantia* (inquit Procop.) *omnes facile antecelleret, nullius tamen viri concubitu compressa & inquinata est, similem castitatem scriptura tribuit Iosepho, nec pulchritudo formæ impudicitiæ semper causa est, vt nec castitatis formæ turpitudo, non enim corpus, sed animus & vita institutum causant castitatem.*

Procop.

Puella sermones viri fugiat.

141. *Puella decora nimis* &c. *impleuerat hydriam & reuertebatur,* quomodo virum aduenam stantem prope fontem, cum tanto comitatu vel non salutat, vel non alloquitur? inurbanitatis arguenda videtur, si quidem hausta aqua & homine insalutato domum reuertitur: non inurbana sed modestissima iudicanda est, cum viri sermones negligat, *castitas in ea emicat,* inquit Procop. *quod non accurrebat & prior virum compellabat.*

Procop.

Magna laus fœminæ pudicæ quod pulchritudinem fucata non mentiatur.

142. *Puella decora nimis*, deinde dicitur, *virgoque pulcherrima*, cur antequam eius virginitas exprimatur, decor eius maximus exhibetur? sanè debuit prius forma veri, & non ementiti per fucos decoris, probari, vt inde perfecta laus constaret pudicitiæ & virginitatis, non crederetur enim perfectus virgineus pudor, nisi probata esset forma decoris, in nullo ementiti, vnde optimè D. Greg. Nazianz. in prosa aduersus mulieres ait, *nullam aliam pulchritudinem agnosco quàm eam quæ naturæ dono contingit, vt Galli ad Rheni vndas in lucem editos fœtus explorant, vt ignis de auri puritate certissimus index est. sic ergo animi tui pudicitiam ad incomptam fucisque expertem formæ elegantiam expendit.*

Greg Nazianz.

Iustis non solum necessaria, sed etiam iucunda præbet Deus.

143. *Puella decora nimis & pulcherrima aspectu*, nonne diximus vxorem virtutibus præditam quærendam, non autem illius pulchritudinem? quomodo igitur virginem speciosissimam futuram Isaaco coniugem dandam disponit? aduerte nihil pulchritudine delectabilius, sicut nec quid vtilius viro contingere posse quàm fœminam optimis moribus ornatam: sapienter igitur disponit Deus pulcherrimam Isaaco coniungi puellam, quia non solum iustis necessaria, sed etiam vtilia præbet, *audis quales Dominus*, inquit Hieron. ab Oleastro, *vxores pijs eligit, qui non solum moribus, sed etiam membrorum pulchritudine sunt adornata.*

Oleaster.

Castitas in puella gloria Dei.

144. *Puella decora nimis & pulcherrima aspectu*, cur de Rebecca hoc elogium prædicatur? cur venustas eius ita extollitur plusquam aliarum? nota ex Clem. lib. 4. Strom. Rebeccam gloriam Dei interpretari, rectè igitur de Rebecca dicitur, quod sit virgo pulcherrima, quia castitas in puella gloria Dei est, sic auctor cit. *Moyses pulchra Epanalepsi seu repetitione vsus significauit animæ & corporis incorruptionem describens in Rebecca hoc modo, virgo autem erat pulchra, vir non cognouit ipsam, Rebecca autem exponitur Dei gloria, Dei autem incorruptio est gloria.*

Clem l. 4. Strom.

Non reclusio domi nec custodia parentum castas efficere debet adolescentulas, sed virtus.

145. *Puella decora nimis & virgo pulcherrima descendit ad fontem, impleuerat hydriam*, nonne nostra ætate plures domi reclusæ & quasi consepultæ manent, nihilominus virginitatis suæ faciunt iacturam? quomodo igitur Rebecca extra domus cancellos & custodiam parentum sola procedit, imo in publicum ad hauriendam aquam progreditur, & tamen extitit virgo mente licet peregrina quadam pulchritudine prædita? vt agnoscamus non reclusionem domi nec custodiam parentum, sed virtutem mentes efficere castas, non latuit hoc Procopium dicentem, *Rebecca quæ tanta forma coruscabat elegantia, nec domi desidebat, sed in publicum egrediebatur, & sola aquatum prodibat, non tamen fucum sensit, sed virginitatis florem conseruauit.*

Procop.

Prima laus in fœmina castitas.

146. *Puella decora & virgo pulcherrima & incognita viro*, nonne expectabas ô Eliezer puellam hospitalem, quæ tibi aquam sitibundo præberet, & insuper camelos adaquaret? cur igitur antequam hospitalitatem eius ostendat virginitatem commendat? quia prima laus fœminæ à castitatis encomio debet sumi, & aliæ deinde eius virtutes commemorari, vnde Sixtus Pontifex in tractatu de malis Doctoribus & castitate ait, *est infinita virtus corporis vincere voluptates, totum iustitiæ atque sanctitatis fundamentum.*

A te absit curiositas.

147. *Descendit ad fontem, impleuerat hydriam & reuertebatur*, quid? sic domum regrederis à viro peregrino iuxta fontem stante nihil inquirens? cur non sciscitaris vnde venit, quò progreditur, quod negotium est sibi in tua ciuitate peragendum, si aliquid noua in sua contigit? nihil tale perquirit, sed domum nihil edocta reuertitur, à nobis enim omnis inepta abesse debet curiositas: quod persuadet Ludouicus Blosius Abb. in canone vitæ spirit. cap. 30. *quod nihil ad te attinet*, inquit, *quodque prorsus inutile est, id tu perquirere audire, cognoscere, vel inspicere, ne sis auidus, non extra te non circa aliorum facta curiosus fueris, sed intra te & circa aliorum vitia sit tua occupatio, non inquam affectes aliorum mores & vitam discutere, nolis observandis te implices, nisi officii tui ratio perquirat, sed & si officium poposcerit: operanda tamen erit istius modi sollicitudo, ita vt aliena eatenus cures quatenus necessitas vel animarũ salus exigit, nõ quatenus curiositatis libido animique leuitas suadet.*

Blosius Abbas.

Digna Deo sponsa anima quæ intelligentiam sacræ scripturæ quotidie scrutatur.

148. *Descendit ad fontem*, quotidie ab eo aquam hauriebat, sed quomodo quotidie aquam hauriens, tandem in eo famulum Abrahæ reperit qui eam in sponsam Isaaci perquirebat? diximus fonte illo, sacram designari scripturam, Rebecca animam, Isaaco Christum Dominum, quid mirũ igitur si Rebecca hauriens aquam è puteo, tandem in eo futurum sponsũ inuenit, quia qui quotidie sacræ scripturæ intelligẽtiam perquirit, dignus est qui Christo Domino coniungatur, accipe Origenem, *vides ausus*, inquit, *quod nobis modo recitatum est, Rebecca quotidie veniebat ad puteos, quotidiè hauriebat aquam, & quia quotidiè vacabat ad puteos, idcirco inueniri potuit à puero Abraham, & in matrimonium sociari Isaac, animarum ista est eruditio & spiritalis doctrina, quæ te instruit & docet quotidie venire ad puteos scripturarum, ad aquas Spiritus sancti, & haurire semper ac plenum vas domum demum deferre, sicut faciebat sancta Rebecca quæ non aliter iungi potuisset tanto Patriarchæ: mysteria sunt cuncta quæ scripta sunt vult te Christus sibi desponsare, ad te enim loquitur per Prophetam dicens, despondabo te mihi in æternũ in fide, & misericordia & cognosces Dominũ, quia ergo te sibi vult desponsare, præmittit ad te istum puerum, puer iste sermo Propheticus est, quem nisi prius susceperis nubere Christo, non poteris: scito tamen quia nemo inexercitatus & imperitus sermonem propheticum suscipit, sed qui scit haurire aquam de puteo.*

Origen.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Occurritque ei seruus & ait, paux illum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.

Sep. Occurrit autem puer obuiam ei, & dixit pota me paululum aquæ.

Cald. Fac me gustare paululum aquæ.

Pag. Cucurritque in occursum eius, & dixit potum da mihi

da mihi nunc parum aquæ.

Arias. Refrigera me exiguo aquæ.

Caiet. Pauxillum aquæ mihi ad sorbendum præbe.

CONCORDIA.

Dubia est significatio verbi גמא gama, vel potius גמא gime frequentius nempe sumitur pro absorpsit vel exhausit quàm bibit, sed quia qui absorbet bibere videtur, & qui aquam bibit refrigeratur, hinc est quod vtrumque comprehendit.

EXPOSITIO.

Occurritque ei seruus, stabat enim antea iuxta fontem, & cum eam domum reuertentem conspexit aggreditur pauxillum aquæ petens, vt probaret eius indolem.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Fauor affectandus virtutibus deditorum.

149. Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe, nōne prior ad fontem peruenisti? nōne seruos tecum habes, quibus præcipere potes vt aquam sitis tuæ extinguendæ gratia è puteo hauriant? cur igitur à puella suam aqua plenam hydriam deferente, id postulas? forte vt hac petitione eius gratiam & fauorē aucuparetur: fauet Lippo. *gaudio & fide plenus de manu virginis bibere eligebat, & officia vtrinque demereri.*

Lippo.

Hospitalitas non ex donorum magnitudine, sed animi affectu dignoscitur.

150 *Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe*, nonne vxorem filio Domini tui hospitalem inquiris? qua de causa igitur à Rebecca pauxillum aquæ solum postulas? pete & hydriam, nam hospitalis vel liberalis animus illius in dono exiguæ aquæ qua nihil vilius & communius, non dignoscetur, nihilominus solum aquæ paululum petit, quia vt verè Procopius ait, *non munerum magnitudine, sed animi affectione indicatur hospitalitas.*

Procop

Concionator salutem animarum sitiat.

151 *Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe*, si diximus Eliezer concionatorem designare, puellam autem quam coniugem Isaac inquirebat, esse animam, quam ad Christi connubium euehere satagebat, cur ipse Eliezer ab ipsa puella aquæ paululum postulat, & non è contra? conuenientius enim esset ipsam ab eo aquā putei petere, quia præparatione indiget ad connubium cum Christo celebrandum, quam ex se habere non potest, sed à concionatore edocente, nihilominus ipse Eliezer à puella paululum aquæ postulat, quia vt ait Greg. teste Lipp. *prædicator omnis animam auditoris sui sitit.*

Lippo. 5.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIX.

VVLG. Quæ respondit bibe mi domine, celeriterque deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum.

Sep. Et festinauit, & deposuit hydriam super brachium suum & potauit eum quoadusque cessauit bibens.

Pag. Et festinauit, & descendere fecit hydriam.

CONCORDIA.

IN Hebræo est versum ותמהר vatemaer & festinauit, quod per aduerbium celeriter expressit, nec Hebr. nec Vulg. habent hæc verba septuaginta, quoadusque cessauit bibere, ea enim subintelligi debent; certum est enim hydriam non retraxisse, quousque sitim suam extinxisset.

EXPOSITIO.

Qvæ respondit bibe mi Domine, petitioni illius libenter annuit, sicque celeriter hydriam ex humeris deposuit, vt ei potum præberet, nullo subterfugio quæsito.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vrbanitati studeamus.

152 Bibe mi Domine, cur hac appellatione peregrinum & aduenam cohonestas? sufficiebat dixisse bibe, Domini nomen obuoluens silentio, potuit sed voluit, vt erga incognitos exemplo suo nos vrbanos esse doceret. Rebecca (inquit Abul.) *erat bene morigerata, & in verbis suis vrbana, ideo sic placide loquebatur*, dissimilis pluribus qui & ipsos pauperes iniuriosè tractant.

X

Vnumquemque decet hospitalem esse & liberalem.

153 *Deposuit hydriam super vlnam suam & dedit ei potum*, cur cùm esset puella ætate tenera, aquam petenti non dixit, domine iam in humeris hydriam habeo, & domum iam reuertor, ab aliis quæ è puteo aquam hauriunt, postula, facile petitioni tuæ acquiescent? nihil talia profert, sed cùm esset iuuenis, votis Eliezer satisfacit, quia vnumquemque quantumuis ætatis exiguæ, decet esse liberalem & hospitalẽ, hoc animaduertit Chrysost. *cogita obsecro quanta cum ea ætate fuerit continentiæ diligentia, & modestiæ eminentia, hospitalitatisque frequentia, quia neque in alienia aufugit, neque prætextu verecundiæ vitæ petitioni renuit sed cum multa amicitate respondit bibe mi Domine.*

S. Chrysost.

Fidelis audiens concionatorem eum spiritaliter reficit.

154 *Deposuit hydriam & dedit ei potum*, si concionator seruo Abrahæ designatus, aquas sapientiæ salutaris suis præbet auditoribus, quomodo è contra hîc puella quæ auditorem fidelem adumbrat, potum aquæ exhibet Eliezer? per Rebeccam respondentem, & desiderio Eliezer annuentem, fidelis anima quæ verba Dei audit, & ea quæ præcipit exequitur, intelligitur: merito igitur ipsamet Rebecca potum seruo Abrahæ porrigit, quia vt ait Greg. M. *qui Dei quem audit consitetur, prædicatoris aquam eductationis & refrigerij efficit*, & Carth. *ex cuius conuersione appetebant mentalis refici, nempe concionatores.*

Greg Mag cit à nostr. Lyran

Carth.

Hospitibus nos tanquam serui humiliter & libenter ministremus.

155 *Deposuit hydriam super vlnam suam & dedit ei potum*, cur non respondisti Rebecca, paulisper expecta, mittam ad te ancillas meas, quæ votis tuis satisfacient, sitimque potu extinguent, nam cùm claris natalibus orta esset, hoc ei potuit respondere: nequaquam ita loquitur, imo ipsamet hydriam suam deponit, & tanquam ancilla celeriter potum præbet, quia hospitibus tanquam serui libenter & humiliter ministrare debemus, sic enim illius puellæ maximam humilitatem admiratus S. Ephr. serm. de patre & comp. ait *hic animæ virtutem contemplare, nihil enim segniter, nihil superbè, nihilque arroganter factum comperies, hominem peregrinum appellabat dominũ & viatori tanquam vera ancilla ministrabat.*

S. Ephrem.

Ecclesia remedium præbet morbis spiritualibus, non autem Synagoga.

156 *Deposuit hydriam suam & dedit ei potum*, postquam scilicet ad fontẽ venerat, & ex eo aquas hauserat, vertamus nos ad Samaritanam & inspiciamus, quomodo Christo Domino iuxta fontem sedenti, & ab ea potum petenti renuit, aduerte per illam Rebeccam pulcherrimam virginem intelligi Ecclesiã à nostro Lyrano, quæ inquit sine ruga & macula est. Samaritana autem significat Synagogam: quid mirum igitur Rebeccam potum dedisse sitienti, minime autem Samaritanã? quia Ecclesia necessitati spirituali remedium, non autem Synagoga ex se præstabat: sic agnouit D. Ambr. lib. 1. de Abrah. in hoc capite, *prius* (inquit) *dicitur de Rebecca illa pulcherrima, quod descenderit ad fontem & impleuerat hydriam suam, Samaritana autem illa venit ad fontem, sed non descendit, puteus enim ei videbatur altus, & impleuit hydriam, vnde non habebat, vnde actus suos lauaret: sola descendit, hæc sola cognouit fontem verũ, hoc est aquã sed vitæ æternæ & ideo habuit quod daret sitientibus*, sed præstat audire D. Macharium hom. 32. titulum nostri cõceptus expressius confirmantẽ cum ait. *quomodo corporis vmbra ortum habet ab ipso corpore? nam alligare vulnera, escam præbere, vel loqui non potest vmbra & si manet à corpore, præcedensque declaret corporis præsentiã: eodem modo lex vetus, vmbra noui testamenti, pronuntiat veritatem, non tamen suppeditat spiritum, porro sicut vmbra nihil confert, neque medetur doloribus, sic antiqua lex animæ vulnera molestiasque sanare non poterat, quia vitam non habebat.*

D. Amb. l. 1. de Abrah.

D. Mach. hom. 32.

Virgo Maria plena misericordiæ.

157 *Deposuit hydriam in vlna sua*, scilicet vt potum daret petenti: ô Rebecca, quomodo ita liberalis es, vt pauxillum aquæ petenti hydriã plenam propines? Rebecca sine dubio figura est beatissimæ Virginis: ideo Rebecca nõ solũ petenti paululũ aquæ dedit, imo plenã hydriam deposuit, quia beatissima virgo ita est misericordiæ plena, vt non solum elargiatur quod petitur, imo quod non petitur à quibus nõ rogatur, nempe à peccatoribus, ita D. Bernar. de verbis Apocal. ecce signum magnũ apparuit in cœlo, *nec puero Abrahæ tantum, sed & camelis potum tribuas de superfluenti hydria tua.*

D. Bern.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIX.

VVLG. Cumque ille bibisset, adiecit, quin & camelis tuis hauriam aquã, donec cũcti bibãt.

Cald. Cumque cessasset bibere, dixit, etiam camelis tuis hauriam aquã donec cessent bibere.

Pag. Donec compleuerint bibere.

EXPOSITIO.

CVmque ille bibisset, ad libitum adiecit non petita, *quia & camelis tuis hauriam* aquã nõ recusat huc nimpendere laborem, in haurienda decem camelis aqua sufficientissima.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

In hospitalitate exhibenda nihil te detineat.

158 CVm *ille bibisset*, si infirmitate aliqua corripi timemus, quomodo Rebecca antequã potum ex propria hydria præberet Eliezer, ab eo non quæsiuit vtrũ aliquo morbo detineretur, ne forte familiam suam inficeret ex illo potu? nihil tale perquirit, quia in beneficio hospitalitatis exhibẽdo, nihil nos debet nec paululum retardare: *imitatur Abrahã*, inquit Proc. *qui inuitãs hospites nõ percunctatur, qui sint, vnde venerint, idẽ & illa factitabat, nihil percũctãs sed quod petebatur magna promptitudine & alacritate ad rẽcõ ferens. Plura*

Procop.

Plura tribuamus quàm à nobis postulentur.

159 *Cumque ille bibisset adiecit, quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant,* Si à te pauxillum aquæ ad extinguendam propriam sitim solum petiit, nec verbum protulit de camelis suis adaquandis, qua de causa igitur eis & potum præbere contendis? quia plura ad exemplum illius tribuenda sunt, quàm à nobis requirantur, quod prosequitur D. Chrysost. *animaduerte* (inquit) *quantum fuerit quod virgo tenera aquam non solum annuerit eius petitioni & ad satietatem præbuerit viro ignoto, & non solum illi dederit, sed & omnes camelos adaquauerit, & per ea quæ fiebant monstrauerit animæ suæ ingenuitatem, an nescimus quod multi etiam viri denegant sæpe petentibus talia? & quod dico de aqua quæ præbetur interdum cum faces tenent, & ab accedentibus orantur vt paulisper expectent quo lumen accendant, id facere renuunt, tametsi nihil minuatur ignis, & multi sint qui accendere possint? hic autem puella & hydriam super humeros ferens, non solum non grauatim tulit, quod ab ea petebatur, sed & plusquam petitum erat concessit, & potum dedit vt petebat & ex ipsa etiam camelos potare festinabat.*

S. Chryso.

Magna sit in nobis comitas.

160 *Cumque ille bibisset adiecit, quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant,* in Hebræo donec cessauerint bibere, nonne sufficit aquam haurire, cuique potum præbere, ad quid permansuram te dicis, quousque sitim suam satisfecerint? vt comitatem & benignitatem qua ornabatur addisceremus, *magna benignitas in hoc signatur* (inquit Abul.) *quia licet moraretur puella, dixit, amen se velle expectare quousque omnes cameli bibissent.*

Abulen.

Ecclesia non solum prudentibus, sed & imprudentibus Verbum Dei annuntiat.

161 *Cumque ille bibisset adiecit, quin & camelis tuis hauriam aquam,* vt scilicet eis potum præbeam: quid tibi curæ sunt cameli, animalia ratione carentia? sufficiat aquam Eliezer dedisse? diximus Rebecca virgine speciosissima Ecclesiam intelligi, quis dubitat camelis, insipientes & peccatores adumbrari? merito igitur non solùm Eliezer, verùm etiam camelis suis aquam potandam præbuit, quia Ecclesia non solùm iustis, sed etiam peccatoribus aquas sapientiæ salutaris exhibet: ita fatetur D. Gregor. Mag. *aqua* (inquit) *in hydria est scientia prædicationis in mensura, quia sancta Ecclesia studet non plus sapere quam sapere ad sobrietatem, & hydria aqua in vlna, est doctrina prædicationis in opere, quæ non solum eius conuiuibus, sed & camelis potum præbuit, quia verbum vitæ non solum prudentibus, sed etiam stultis prædicat, iuxta Pauli verbum dicentis, sapientibus & insipientibus debitor sum.*

S. Grego mag. lib. ad Patero hom. sup. Ezech.

Virgo Maria plura largitur & pluribus quàm àb ea requiratur.

162. *Cumque ille bibisset adiecit, bibe Domine mi & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant,* seruus Abrahæ pauxillum aquæ tantum petiit, illa effusam hydriam, plenosque canales, & seruo & camelis propinauit quid hoc est? nihil aliud, quàm viuum beatissimæ virginis simulachrũ, quæ & plura quàm petantur, & pluribus quàm qui petunt elargitur, brutis pariter & hominibus, peccatoribus videlicet & iustis propitiam se ostendit ac liberalem, vnde D. Bern. de verb. Apocal. *ciba hodie pauperes tuos Domina, ipsi quoque catelli de micis tuis edant, nec puero Abrahæ tantum, sed & camelis potum tribuas de superfluenti hydria tua, quia tu vere puella es prælecta & præparata altissimi filio:* hæc vltima preme verba, his enim innuere videtur matris cum filio similitudinẽ, vt quemadmodum filius plura largiri solet quã postulentur, ita & mater filii misericordiam imitata, nostris maiora votis largiatur, & vt filius homines & iumenta saluabit Psal. 35. ita mater iustis & iniustis patrocinetur.

Bernard.

Psal. 35.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XX.

VVLG. Effundensque hydriam in canalem, recurrit ad puteum, vt hauriret aquam, & haustam omnibus camelis dedit.

Sep. Et festinauit, & euacuauit hydriam in canalem, & cucurrit ad puteum ad hauriendum rursus, sicut Cald. & Heb.

CONCORDIA.

DEest in nostro Vulgato verbum *festinauit*, quod in omnibus aliis lectionibus legitur, nescio quã de causa illud omisit, nisi forte quod subintelligi facile crederet, sed profecto magis promptum eius animum significat quam si prætermittatur.

EXPOSITIO.

EFfundensque hydriã in canalibus, canales sunt quidam lapides vel lignea vasa in quæ fundebatur aqua pro pecoribus & iumentis adaquandis, *recurrit ad puteum vt hauriret aquam,* quia quæ erat in hydria non sufficiebat ad tot camelorum potum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Liberalitas etiam in Virginibus extollitur.

163. EFfundensque hydriam in canalibus recurrit ad puteum, nonne hydriam denuo adimplendam potuit præbere Eliezer, vt suis camelis potum præberet? vel saltem dicere excusatam me habeas, si ad puteũ iterum non redeo, haurc enim quam in hydria aquam habuerã exhibui, non enim decet virginẽ sic effundere potũ camelis: nihil tale loquitur, quãuis nobilis & speciosissima virgo, quia virgines etiã decet esse liberales: *virgo*, inquit Lipp. *animi liberalitatem declarat, & pro insigni morum comitate, multo plura hospiti sponte exhibet quàm fuerat rogata, ingenuam educationem ostentans.*

Charitatis officium libenter & celeriter exhibendum.

164 *Effundensque hydriam* sept. legunt, *festinauit & cucurrit ad puteum*, nonne indecens est virginem sic currere? Paulatim progredere, non enim ita siti premuntur cameli, vt paululum temporis eam non sustineant, currit & festinat, vt Eliezer officia charitatis exhibeat, quæ libenter & celeriter sunt præstanda: *in bonis operibus*, inquit Taulerus domin. 2. post Trinit. *maximeque in officiis charitatis vos exerceb is, ita vt alter alteri charitatis officia hilariter impendat*, qui autem dicit hilariter impendenda, intelligit libenter & cum animi promptitudine, & Oleaster ait, *memento animaduertere illius temporis charitatem.*

Tauler.

Fides operibus coniuncta à Sponsa Christi requiritur.

165 *Effundensque hydriam dedit camelis &c.* cur quæso iiuit defatigari illam nobilem & ingenuam virginem seruus Patriarchæ, cùm tale signum futuræ coniugis Isaac non poposcerit? verba enim illius vt sonant sic se habent, puella cui dixero da mihi bibere & illa dixerit, bibe domine, quin & camelis tuis tribuam potum, ipsa est quam præparasti seruo tuo: tamen quomodo verba illius solum expetit? tamen non sic contigit, nam de facto non solum bibit ipse, sed etiam permisit vt Rebecca omnes suos potaret camelos; verum est sic contigisse, scilicet quod petitio eius solum verba exigebat benigna, tamen ea non solitaria intendebat, sed operibus adiuncta, non quibuslibet sed laboriosis & magnis, vt in sponsum Domini sui admitteretur, sic Deus fidem postulat sed charitatis formatam operibus, nam alioquin nô tibi proficiet fides, nec ad perfectam consummatamque cum sponsa coniunctionem peruenies, vt egregiè adnotat. D. Amb. lib. 1. de Abr. hunc locum exponens, *vbi inuenitur Ecclesia*, ait, *nisi in Mesopotamia? inde quæritur, ibi accersitur, ibi duobus stipatur fluminibus, lauacro gratiæ & fletu pænitentiæ*, etenim nisi peccata propria defleueris, nisi gratiam baptismalem acceperis, non tibi acquiritur Ecclesiæ fides, & quædam coniugalis copula.

D. Ambr.

Alacritas in bono opere exequendo quascunque diuitias superat.

166 *Effundensque hydriã recurrit ad puteum*, septuag. cucurrit, ex hac promptitudine qua non solum sibi, sed & camelis suis potum præbet, colligit Rebeccã filij Domini sui futuram coniugem: nonne ex pluribus diuitiis quibus abundaret, vel ex pulchritudine qua alias superaret virgines, hoc potius potuit inferre? prudenter equidem hoc ex illius animi promptitudine colligit, quia alacritas in bono opere exequendo quascunque excellit diuitias: *monstratur in hoc*, inquit Chrysost. *puellæ indicibilis alacritas, quibus hæc opibus non sunt præstantiora? quibus hæc thesauris non sunt præferenda? hæc summa dos, hæc summa bona, hæc thesaurus qui non consumitur.*

S. Chrys.

Corpori necessaria sunt administranda.

167 *Effundensque hydriam* aquam haustam omnibus camelis dedit, dedisse seruo Eliezer potum aquæ sufficit, cur etiam laborem impendis in aqua pro camelis haurienda? per camelum caro nostra vel corpus intelligitur; merito igitur non solum Eliezer, sed etiam camelis quibus insidebat, potum præbuit, quia non solum animæ, sed etiam corporis cura habenda est, sensus est mysticus D. Gregor. cum ait, *aqua etiam iumentis datur, quando, quomodo carnis cura habenda sit disponitur, vt vel voluptate impendi non debeat, & tamen in necessitatibus non negetur, sicut scriptum est curam carnis ne feceritis in desideriis, qui enim hanc in desideriis fieri prohibet, procul dubio in necessitate concedit, iuxta hoc quod rursum dicitur, nemo carnem suam odio habet, sed nutrit & fouet eam.*

D. Greg. cit. à Lipp.

Prius attentè verbum Dei audiendum & suscipiendum quàm aliis annuntiandum.

168 *Effundens aquam in canalibus*, cur priùs aqua in canales proiicitur quàm ex ea cameli biberint? nota ex Hugone Card. per canalem cor humanum intelligi, sicut enim canalis quemlibet liquorem recipit, sic cor quemlibet affectũ admittit: prius igitur aqua (qua verbum Dei denotatur) in canales effunditur, quàm eam bibant cameli, quia vt ait cit. Card. *prius cor humanum debet esse concha per disciplinæ susceptionem quàm fiat canalis per doctrinæ effusionem.*

Hug. Card.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXI.

VVLG. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens vtrum prosperum iter suum fecisset vel non.

Sep. Homo autem considerabat eam & tacebat.

Cal. Vir autẽ admirabatur eã tacitus cõtemplãdo.

Pag. Et vir stupebat in ea tacens.

Caiet. Vir attonitus prope eam faciens tacere.

Oleaster Et vir desertus est cogitans vtrum Deus secundaret viam suam.

CONCORDIA.

VErbum Hebraicũ est משתאה mistahe quod diuerso modo verterunt, deducitur à verbo שאה saah quod propriè sonare videtur, vt ex nomine Saon quod est sonitus constat Isa. 66. Saon id est sonitus de ciuitate, & ex consequenti desertum aut cauum locum, qui vocem reddere videtur quam echo vocant: & verbũ desolare, deserere aut desolari, deuastare, vnde Oleaster sic vertit, vir desertus est, scilicet viribus aut spiritu destitutus, Charas חרש significat arare & fabricare, & ex consequenti cogitare, quod cogitãs in corde suo fabricare videtur, significat etiam conticescere, siue silere: שלח, Salach & prosperare & secundare denotat.

EXPOSITIO.

IPse autem contemplabatur eam tacens &c. considerabat attentè & perpendebat vtrum in ea signa adimplerentur quæ à Deo postulauerat & per illa experiri volens, an Deum ductorem viæ habuisset & feliciter exitu iter suum prosperasset.

CON-

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Pulchritudo vt plurimum in superbiam incidit.

169 *Contemplabatur eam tacens*, in Hebræo stupebat quid attonitus miraris puellam vidisti tibi propinantem, hoc ne admiratione dignũ? non enim insolitum est virginem potum præbere sitienti, Lipp. ait *attonitus erat vir ille intra se & supra quam dici posset admirabatur cùm videret puellam tam elegantem & obsequentem*: preme illa duo vltima verba *tam elegantem & obsequentem*, quasi diceret in admirationem rapior, cùm video pulcherrimam virginem, quæ ex pulchritudine sua non superbiat, imo humilis mihi præstat obsequia.

Lippo.

Vxor futura in omnibus diligenter consideranda.

170 *Contemplabatur eam tacitus*, &c. an pulchritudinem eius solum considerat? an solum incessum? an solùm sermonem? nullum ex his seorsim, sed omnia simul attentè conspiciebat, quia coniux futura non solum in vno vel altero, sed in omnibus diligenter est consideranda, id annuit Chrysost. quid *est cõtemplabatur eam tacitus? verba puellæ diligenter considerabat, aspectum, incessum, aliaque omnia, vt scilicet an hæc à Deo sponsa prapararetur filio domini sui compertum haberet.*

Chrysost.

Non solum charitatis opera exhibenda, sed etiam reprehendendi qui ea non præstant.

171 *Contemplabatur eam tacitus*, an eius in te charitatem solum admiraris? an ingenuam liberalitatem erga te exhibitam? aduerte quid dicat Iosephus lib. 1. cap. 24. de Eliezer, cùm esset inquit in suburbanis, plures vidit virgines euntes ad aquam, orauitque Deum vt Rebecca ob quam desponsandam filio suo eum emisit Abraham, si secundum voluntatem eius essent nuptiæ celebrandæ, inter illas ita cognosceretur, vt aliis quidem aquam poscenti negantibus, illa præberet, en quomodo aliæ mulieres potum ei denegauere? considerabat igitur eam non solùm quia charitatis opera sibi exhibuerat, sed quia socias quæ id non præstiterant, arguebat, sic Carth. ex mente Iosephi *increpauit puellas tanquam inclementes quæ potum aquæ negauerunt peregrino.*

Ioseph.

Prouidentia Dei admiratione digna.

172 *Contemplabatur eam tacitus*, Cald. admirabatur existimas forte solum virtutem puellæ considerasse, quid igitur aliud? certe Dei prouidentiam, quæ hæc omnia ita disposuerat ad votum Domini & ad suum nutum: & sic optime vertit Chaldæus admirabatur, prouidentia enim Dei admiratione digna, quæ variis euentibus nostra ad fines suos dirigit negotia, quæ licet casu & fortuito contigisse videantur, ordinatissima tamen sunt Dei dispositione.

Dion. Carth.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXII.

Vulg. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem.

Sep. Factum est autem postquam cessarunt omnes cameli bibentes, sumpsit homo inaures aureas singularum drachmarũ ponderis, & duas virias in manus eius decem aureorum pondus earum.

Cald. Tulit vir inaurem auream, appendentem siclum vnum, & duas armillas super manus eius.

Pag. Tulit vir inaurem auream semissis põdus eius decem aurei pendus earum.

Art. Dimidium sicli pondus eius.

Caiet. Circum aureum becach pondus eius.

Chrysost. Circumponet ei inaures aureas.

CONCORDIA.

IN Hebræo est solum protulisse inaurem auream, quamuis in vulgato habeamus in plurali & apud septuaginta dedisse inaures aureas, tamen nulla est discordia, quia Vulgatus noster loquitur de duabus inauribus duabus appẽdendis auribus, in hebræo autem est sermo de inaure auri vnicuique appẽdenda, certum est enim vnam aurem ornatam altera inornata non mãsisse: vbi legimus duos siclos pro vtraque inaure, certe pro vnaquaque in Hebræo habemus dimidium sicli, id est vnum siclum pro vtraque, & sic vtraque lectio inter se cohærere non videtur, tamen non est dissonantia, nam noster vulg. siclos minores siue dimidiatos intelligit; dimidium enim sicli vocatur subinde siclus, sicut regalis apud Hispanos maior est & minor siue dimidiatus, maior enim est 10. solidorum, minor autem quinque: vel dices quod cum pondera sint varia in diuersis regionibus, siclus vnus Palestinæ vbi morabatur Abraham, erant duo sicli Mesopotamiæ vbi morabatur Laban de quibus locutus est vulgatus.

EXPOSITIO.

POstquam autem biberunt cameli ad satietatẽ enim eis potum præbuit, *protulit inaures aureas*, id est ei dono dedit, inaures autem sunt aurium ornamentum à puellis nobilibus gestari solitum, appendentes siclos duos scilicet vsuales non autem sanctuarij, de quorum valore supra diximus capite præcedenti, & armillas totidem quæ sunt brachiorum ornamenta rotunda vel ex margaritis vel ex auro & alia simili materia.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non solum aures audiendi, sed etiam manus operandi habeamus.

173 *Protulit inaures aureas & armillas totidem*, nonne sufficiebat ei obtulisse inaures & illas aureas pro aquæ exiguo dono? cur igitur etiam & dedit armillas? cùm anima fidelis Rebecca adumbretur, inaures auditum significent, & armillæ operationem: prudēter Rebecca tam inauribus quàm armillis adornatur, quia verus fidelis non solùm aures ad audiendum id est obediendum, sed etiam manus ad operandum debet habere: ita fatetur D. Amb. lib. 1. de Abr. ca. 9. *inaures Rebeccæ pii auditus insignia, & viria hoc est armillæ ornamenta factorum sunt, has aures habebant quæ non grauarent aurem, sed demulcerent, has virias quæ manum non materialis auro onerarent, sed spirituali actu lauarent, & tam sume inaures quas tibi Abraham reliquit, sume quas transmisit virias, audi verba Domini Dei tui sicut ipse audiebat; exquere iussa, sicut ipse præceptauit.*

S. Amb. lib. 1. de Abr. ca. 9.

Verus obediens ad plura quàm præcipitur exequenda sit paratissimus.

174 *Protulit inaures appendentes siclos duos & armillas pondo siclorum decem*: cur maioris ponderis fuerunt armillæ quàm inaures? hæ enim duorum, illæ autem decem siclorum erant: cùm à nobis dictum fuerit inauribus obedientiā, armillis opera denotari, non sine mysterio forte armillæ sunt maioris ponderis quàm inaures, ad exprimendam verum obedientem ad plura quàm præcipitur exequenda paratissimum, pluribus ad operandum manibus quàm ad audiendum auribus instructum.

Parentum præcipue diuitum, nimia est aliquando erga filios auaritia.

175 *Protulit inaures duas appendentes siclos duos*, quo munere illa incredibiliter delectata, quasi opes nunquam antea possessas aut visas fratri suo ostendebat: sed cur puella ex ditissimis orta parentibus & maximis opibus assueta, ad mediocria quædam munuscula sic exilit & gaudio triumphat? Orig. hom. 10. in Genes. parentes Rebeccæ de auaritia vituperans sic ait, *tanta eius inquit aut negligentia, aut auaritia fuit, vt filiæ ornamenta non daret*, quid auarius quàm immensas opes possidere, & ne in splendorem quidem domus, & in cultum filiorum liberaliter dispensare?

Origenes.

Præcipuæ mulieres ad audiendam Veritatem difficiles.

176 *Protuli inaures aureas*, nunquid puellæ nobili & nobili, & in domo opulenta enutritæ deesse poterant hæc aurium ornamenta? doctus Mendosa ait minime quidem, cur igitur non obtulit alia munera peregrina quorum nouitate magis Rebecca delectaretur? dixerim inquit cit. auct. vt aliquid mysterii eo munere significaret, nimirum inaures obtulit, vt exigeret aures quibus sciebat magnates & mulieres præcipuas magna ex parte mutilari, mutilas inquam esse quoad audiendam veritatem, non quoad suscipiendam adulationem, quod reprehendens D. Fulg. ser. de decoll. Ioann. Bapti. ait: *res est extrema dementia odisse loquentem* scilicet veritatem.

Men. 1. lib. reg. cap. 8. n. 3. annot. 3. sect. 2.

D. Fulg.

Quando munera à Virginibus non admittenda.

177 *Protulit inaures aureas*, quas libenter admisit Rebecca, nonne indignum est virgine ab homine ignoto accipere munera? his enim pluries allecta, valedicit pudicitiæ, cur igitur nobilissima puella non contempsit? quia data à viro iam sene, & pluribus præsentibus, & vbi omnis mali suspicio aberat, admittere potuit: nobiscum est Thom. Angli. *à sene maturo & venerando qualis præsumendus est fuisse procurator totius domus Abrahæ, pensato quoque loco vbi tunc erat, & societate seu familia prædicti procuratoris, hoc nihil habui suspicionis, vnde nec ipsa tanti viri donum bono modo respuere potuisset absque indecenti contemptu illius*

Thom. Angli.

Grati simus obsequiis minimis nobis præstitis.

178 *Protulit inaures aureas & armillas totidem*, cur ita liberalis erga puellam, à qua paululum aquæ accepisti? quid enim commune habet exigua aqua tibi data cum muneribus, quæ ei offers suscipienda? prodigalitas celebritur esse, imo gratitudo quę etiam minima obsequia non sinit esse irremunerata, *docet nos esse gratos* (inquit Oleaster) *omnibus ministeriis quātumuis minimis.*

Oleaster.

Solum à Christo Domino Ecclesia potuit Verba diuina & opera sancta accipere.

179 *Protulit inaures & armillas totidem*, in illis inauribus aureis (inquit Aug.) significantur verba diuina, in illis armillis aureis opera sancta, quia in manibus opera designantur, sed qua de causa per alium quàm per Eliezer sub nomine Isaac, hæc non obtulit munera Rebeccæ? diximus pluries Rebecca Ecclesiam, Isaac autem Christum Dominum designari: quo pacto recte satisfacit citat doctor, *quomodo Rebecca non inaures habere potuit nec armillas in manibus, nisi Isaac per seruum suum transmitteret: ita Ecclesia nec verba diuina in auribus, nec opera sancta habere potuisse in manibus nisi hæc illi Christus, per suam gratiā per suos Apostolos contulisset.*

S. August. serm. 1. de temp.

Diligendus Deus & proximus, nec non in decem præceptis oportet operari.

180. *Protulit inaures aureas appendentes siclos duos & totidem armillas pondo siclorum decem*, cur potius siclorum duorum quàm trium sunt inaures, & cur decem non autem nouem aut vndecim sunt dextralia? optime Rupertus, *quia in duobus præceptis vniuersa lex pendet & Prophetæ, vt scilicet Deus & proximus diligatur, bene inaures duorum siclorum; quia vero in decem præceptis operari conuenit, armillæ pondo decem fuere siclorum.*

Rupert. li. 6 in Gen. ca. 42.

Concionator suis obedientiam suadeat & rectam operationem.

181 *Protulit inaures aureas & armillas totidem*, nonne alia habuit monilia, quæ in aliarum corporis partium ornatum cederent, offerenda Rebeccæ? cur igitur hæc priora obtulit? quia concionator per Eliezer designatus, primo auditoribus suis obedientiæ

fidem

fidem per inaures, & rectam operationem per armillas significatam debet annuntiare. Sic D. Greg. *quia prædicator auditum Ecclesiæ per obedientiam & manus per operationem exornat.*

D. Greg. Mag. cit. à Lyr.

Concionatoris doctrina consistit in eruditione fidei & morum instructione.

182 *Protulit inaures aureas*, inauris aurea, inquit Hugo Carensis, est doctrina Catholica, quæ in aure percipitur, sed cum vnica sit doctrina Catholica designata inauri aurea, cur ei duas appendit inaures? *quia in duobus* (ait citat. Card.) *doctrina consistit in eruditione fidei & instructione morum, vel in detractione mali & in ædificatione boni.*

Hugo. Card.

Dona non ab hominibus infidelibus, sed à iustis accipiamus.

183 *Protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos & armillas totidem pondo siclorum decem*, nonne pater diues erat? nonne habebat brachialia & inaures, quas daret filiæ suæ? quomodo ergo hæc ei ornamenta defuerit? nota quidem ea non habere sed accepisse à domestico Abrahamo, quia dona ab infidelibus non accipienda sed à fidelibus: ita fere Origen. hom. 10. *Rebecca non vult de auro Bathuelis ornari, non sunt ei condigna ornamenta hominis barbari & imperiti, de domo Abrahæ requirit monilia, nec manus eius suscipiunt ornamenta nisi quia miserit Isaac.*

Origen.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIII.

VVLG. Dixitque ad eam, cuius filia es indica mihi? est in domo patris tui locus ad manendum?

Sep. Annuntia mihi si est apud patrem tuum locus nobis ad diuertendum.

Pag. Locus nobis ad pernoctandum.

CONCORDIA.

לין Lun non solum pernoctare, quamuis aliqui minus proprie id significare asserant, sed diuertere, & permanere, vel manere denotat.

EXPOSITIO.

Cuius filia es? plures existimant prius Eliezar nomen puellæ sciuisse quàm inaures dederit, ne ignotæ virgini munera tradidisse videretur, sed facilis solutio est, si dicas non ignotæ puellæ dedisse, sciebat enim ex signo quod à Deo petierat, hanc futuram Isaaci coniugem, sicque potes tenere priùs munera dedisse, deinde interrogasse cuius filia esset, nam licet cognosceret quod ex cognatione Abrahæ esset, nesciebat tamen patrem illius, *est in domo patris tui locus ad manendum?* id est ad noctem in ea transigendam, vt opportunius sermonem conferret de matrimonio contrahendo.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Matrimonium tractandum non celeriter sed opportunè.

184 *Indica mibi est ne in domo patris tui locus ad manendum?* nonne sufficiebat à puella potum petiisse? cur ergo adhuc importunus domum ad pernoctandum postulas? non vt importunus hoc petit, sed tanquam prudentissimus, vt commodè & opportunè in ea domo pernoctans, matrimonio Isaac vacare posset: Fauet. Abul. *volebat Eliezer manere in domo Rebeccæ, quia intēdebat eam petere in vxorē pro domino suo & ideo melius colloqueretur & procuraret negotium manens in domo quam si extra hospitaretur, quia in domo existens videret opportunitates ad proponendum quas non videret extra existens.*

Abulens.

Abulens.

Dignus hospes cognoscitur ex familiæ suæ virtute.

185 *Indica mibi est ne locus in domo patris tui ad manendum?* cur in domo patris puellæ vis pernoctare, & in ea hospitium seligere, cum an sit morosus, accessuque difficilis ignores, & grauis peregrinis? nonne virtutem & charitatem puellæ cognouerat? non dubitat igitur illius patrem liberalem & hospitalem esse, quia dignus hospes cognoscitur ex familiæ suæ virtute, *dignus hospes*, inquit Hugo Card. *testimonio vicinorum eligitur.*

Hugo. Card.

Signa data in confirmationem alicuius veritatis prudenter consideranda.

186 *Indica mibi cuius filia es?* nonne signum agnoscendæ futuræ coniugis Isaac à Deo postulasti? scilicet quod puella cui diceres, inclina hydriam tuam vt bibam, & illa, bibe domine mi &c. ipsa à Deo præparata esset in vxorem filii Abrahæ, illa autem vt vidimus non solum tibi, sed & camelis tuis potum præbuit copiosissimum, cur ergo inquiris Eliezer nunc cuius esset filia? quia signa in confirmationem alicuius veritatis etiam cum magna cautela & prudenter admittenda: *non fuit seruus iste contentus* (inquit Oleaster) *sic vt orauerat accidisse, in hoc nos admonens non cuicumque signo fidere etiam in iis quæ à Deo euenire putamus.*

Deus quantumuis vilem orantem non despicit.

104 *Obsecro mi Domine Deus*, si à regibus infimi despiciuntur, ita vt præ illis nihil haberi videantur, an omnium regum Dominus te vilissimum inter homines (cùm sis seruus) virum clamantem exaudiet? imo deprecantem audiet, nullus enim vilis deprecans à Deo censetur nec despicitur: accipe D. Pacianum Barci. paræn. ad pœnit: *nemo adeo peccatricis animæ vilitate despeciet, etiam modici & nimium requiruntur, bene tu peccator rogare igitur ne desinas.*

D. Pacianus.

Negotia nostra sanctorum propria efficiamus, vt facilius effectum suum sortiantur.

105 *Fac misericordiam cum Domino meo Abraham*, nonne Deum deprecaris, vt prospero occursu tibi opituletur? tua res agitur: cur igitur non ais, fac Domine mecum misericordiam, non autem cum Domino tuo? rectè in oratione sua à Deo postulat, vt cum Domino suo Abraham faciat misericordiam: quia prudenter negotia vt sanctorum propria apud Deum constituimus, vt facilius effectum suum sortiantur.

Maximo amore prosequamur eos à quibus virtutes didicerimus.

106. *Fac misericordiam cum Domino meo Abraham*, cur non solum itineri cum tot incommodis & periculis te accinxisti, vt vxorem filio Domini tui sollicitus quæreres, sed etiam nunc pro eo misericordiam deprecaris? cur tanto amore dominum (cum serui regulariter odio habeant) herum prosequeris? inspice quot virtutes à Patriarcha didicerit, merito igitur tanto affectu eum diligit cum ab eo diuersa virtutum semina acceperit: fauet Lipp. *amorem testatur heri sui apud quem studia sancti artis didicerat, benignitatem, hospitalitatem, beneficentiã & in Deũ fiduciã.*

Lippom.

Nihil à Deo ex iustitia, sed ex misericordia postulemus.

107. *Fac misericordiam cum Domino meo Abraham*, si tot obsequia digna præmio præstiterat Deo Abrahã, cur nõ ait Eliezer hoc ex iustitia præbe Domino meo beneficiũ? misericordiã Dei deprecatur, quia nihil à Deo ex iustitia, sed ex misericordia postulare debemus, docet Procop. *non peto vt quasi ex debito huic sis obstrictus, absit, misericordiam tuam imploro quam in negotio heri mei fac aspiciam, nam qui plurima bona opera facit, gratia nec ex operibus saluatur.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERS. III.

VVLG. Ecce ego sto iuxta fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam.

Sep. Ecce ego steti super fontem aquæ.

EXPOSITIO.

Ecce ego sto iuxta fontem aquę, supra dixerat puteũ, & verum est puteum fuisse, quem tamen fontem nominat vulgatus, quia lectio Hebraica nullũ inter vtrũque ponit discrimẽ, *egredietur ad aquã hauriẽdã*, sciebat enim consuetudinem illius terræ talem esse vt puellæ circa vespertinum tempus ad hauriendam aquam simul conuenirent.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Sacra scriptura non fons qualiscunque, sed à quo omnes eruditionis cuiuscumque aquas haurire possumus.

108. *Ecce ego sto iuxta fontem*, D. Ælredus Abbas Rieuallen. ser. 1. de opere Babyl. *Deus* inquit *scripturam fontem nobis ministrauit*, en quomodo Eliezer concionator iuxta fontem sacræ scripturæ sedet, sed cùm tot sint fontium genera, propter illarum diuersitatem aquarum, quisnam fons erit doctrina sacra? omnium aliorum naturam sapiens, quia ab eo omnes eruditionis cuiuscumque aquę salutares hauriuntur, quicquid enim in aliis sæcularium scientiarum fontibus præclarum est, in hoc reperitur, hoc bene cecinit sanctus Theodulphus.

D. Ælredus.

S. Theodulphi Ep.

Quicquid in ingenuis, mundana disitur arte
Artibus, hic curru liberiore via.
Quod ratione viget, vel quicquid amatur in illis,
Hoc à fonte meat huius ab amne fluet,

Sacra scriptura fons signatus ad exercendas ingenii vires.

109. *Ecce ego sto iuxta fontem aquæ*, cum à nobis dictum sit, hoc fonte designari sacram scripturam, iuxta quam stat concionator, inquiro vtrum fons huiusmodi sit obsignatus, an omnibus patens? fontem signatum ait D. Aug. lib. 2. contra Crescomum c. 14. & Rupert. lib. 2. in Exod. c. 10. sacram scripturã conditam nouimus vere paradisum voluptatis, fontem signatum: nonne conuenientius esset vt omnibus pateret? cur igitur tot sigillis difficultatis signatur? scio Augustinum loco citato respondentem, vt ad hunc fontem nullus accedat extraneus, id est ne indignis & contemptoribus pateat: sed non contemnenda ratio Procopii in c. 7. Is. dicentis, *est lex ipsa per se verborum obscuritate ad exercendas ingenii vires velut sigillata & obsignata*, quasi diceret, signatus est sacrarũ litterarum fons, vt ingenii vires aliqua obscuritate exerceret, ne nimis diuina lex vilesceret, si nimis esset obuia.

S. August. Rupert.

Procopius.

Concionator laborans indagandæ sacræ scripturæ veritati dignus est à Deo exaudiri.

110. *Ecce ego sto iuxta fontem aquæ*, si à Deo exaudiri petiisti, cùm diceres, obsecro Domine occurre mihi, cur ais ego sto ad fontem aquæ? quæ enim connexio inter deprecationem tuam, & iuxta fontem aquæ stationem? quid enim refert vtrum hîc stes vel alibi, vtrum sedeas vel iaceas, vt admittatur tua deprecatio? Hugo Card. ait, ille stat iuxta sacram scripturam,

qui

qui immobiliter & diligenter laborat ad videndũ veritatem sacræ scripturæ, vt aliis succurrat: optimè igitur Eliezer vt à Deo exaudiretur ait, ecce ego sto ad fontem aquæ, *quia*, inquit citat. Card. *prædicator debet exaudiri à Domino, quia hoc modo stat iuxta fontem sacræ scripturæ.*

Aug. Card.

Nostræ prudentiæ solum negotia grauia non committamus sed diuinæ prouidentiæ.

111. *Ecce ego sto ad fontem aquæ*, scilicet expectans quod optatis satisfaciẽs mihi occurrere facias, quod summopere desidero, si senior seruus domus Abrahæ diceris, id est prudentior, nonne puellam Isaac matrimonio iungendam, alia via inuestigare potes? scilicet inquisitione facta, quæ probis moribus prædita, quæ pulchrior oculis tuis appareat: merito expectat à Deo quid sibi prosperum continget, nostræ enim prudentiæ solum negotia grauia non committenda, sed diuinæ prouidentiæ & ordinationi: *veraciter*, inquit Rup. lib. 6. in Genes. c. 51. *senio enim hunc supra nominauit scriptura, nam quod seniore dignũ fuit, nec ipse petendæ puellæ iudicium suis commisit oculis, qui solam faciem non etiam mores aut virtutem prouidere possint, sed secundum hominem fidem credens quod Domini sui cum eam habe et Deus, totam in illo posuit spem electionis.*

Rupertus.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IIII.

VVLG. igitur puella cui dixero inclina hydriam tuam vt bibam, & illa responderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac, vt per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum Domino meo.

Sept. Camelos tuos adaquabo, quoad vsque bibere desinent.

CONCORDIA.

APud Hebræum non reperiuntur hæc verba, quoad vsque bibere desinent, forte ea addidere 70. mentem Eliezer considerantes qui ea proferre potuit.

EXPOSITIO.

IGitur puella cui dixero &c. non per modum augurii aut diuinationis signum petiit, sed præmissa oratione qua in seligenda vxore Isaaco dirigetur, quæ obseruatio, præmissa oratione, dummodo non imprudenter mali periculo se exponas, illicita non est, vnde Eliezer diuino præcedente instinctu, humili præuia oratione, quia hoc vtile erat omnibus, muniri mulierem, per quam Dei filius in terris pro hominum reparatione homo fieret, rectè & iustè admodum signum petiit. *ipsa est mulier quam præparasti seruo tuo Isaac*, non per modum prophetiæ hæc dicta fuere ab Eliezer, sed per modum orationis, *ac per hoc intellige, quod feceris misericordiam cum Domino meo*, id est quod ei hoc beneficium concesseris.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vxor æqualis sibi in virtutibus à viro seligatur.

112. PVella cui dixero inclina hydriam tuam vt bibam, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac; cur non ais quam formosam conspexero, quam diuitem agnouero, ipsa sit vxor futura filii Domini mei? aduerte in hac petitione Eliezer puellam liberalem, & hospitalem quæsiisse, qualis erat Isaac, quàm igitur prudenter non aliam quam quæ sibi & camelis potum præberet, futuram sponsam Isaac petiit, quia vxor virtutibus similis viro seligenda est. Fauet Chrysost. *vide serui prudentiam, nam quia sciuit Patriarcha hospitalitatem, & quia virginem inde ducendam congruebat, iisdem esse præditam moribus quibus iustus, nullam aliam coniecturam inquirit, sed characterem virginalis animi hospitalitate colligere vult*, deinde addit, *illa sic explorata, & hoc indicio deprehensa Domini mei moribus conueniens digna erit, quæ filio eius sit vxor.*

Chrysost.

Ex hospitalitate plurima tibi commoda eueniũt.

113. *Puella cui dixero &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, cur nomine Domini sui seruus ille Eliezer requirit in futura sponsa hospitalitatis gratiam? quærat in ea aliarum virtutum ornatum, præcipuè modestiam, & honestatem: hospitalitatẽ exoptat Eliezer, scit enim quanta ex ea Domino suo commoda contigere, *hospitalitatem*, inquit Procop. *nouerat non minimam esse suæ fœlicitatis causam, cum apposuisset cibum Deo sub imagine humana terras lustranti, filium accepit cum commisceri iussisset farinam, vt inde panes fierent, audiuit nepotes suos fore innumerabiles instar stellarum cœli.*

Procop.

Mulier benefica solet & virum saluare.

114. *Puella cui dixero &c. per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum Domino meo*, si tibi præbeat puella, & tuis aquam camelis, nonne apparebit digna vxor danda Isaaco? cur insuper addis facturum Deum in hoc misericordiam cum Domino tuo? quia sane magna à Deo ventura est misericordia in eum virum, cui contigerit habere vxorem largam in beneficiis præstandis: quid contigit Nabal propter beneficentiam Abigail in Dauidem? accipite à S. Petro Damiano Episcopo 13. de perfect. monach. c. 19. *Abigail cum magnifici conuiuii partem subtrahit, à viri iugulo gladium Dauid in vltionem contumeliæ festinãtis auertit, sicque suis cibũ bene furata surripuit, quibus vtique vitã extraneis ministrando seruauit.*

Non quicumque à Deo signum petens in alicuius rei futuræ confirmationem eum tentare dicendus est.

115. *Puella cui dixero inclina hydriam tuam vt bibam &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, cur à Deo hoc signum futuræ coniugis serui Domini tui exigis? Deum enim tentare videris, ecce Sathanas in confirmationem diuinitatis Christi Domini, signū petens, nempe vt è pinnaculo templi mitteret se deorsum, audiuit ab ipso Saluatore, nō tentabis Dominum tuum: imo cum ab eo petiit vt ex lapidibus panes produceret, vt similiter eius diuinitas agnosceretur, tentator dicitur: nihilominus tamen Eliezer Deum tentasse minimè dicendus, quia quotiescunque à Deo signum petitur, non ex fidei imbecillitate, sed ex magna Dei fiducia, nec ad diuinam potestatem aut veritatem dictorū & promissorum eius explorandam, sed vt circa graue aliquod negotium tractandum, quid Deo placitum sit pernoscescat, & vrget ad hoc honesta necessitas, vel pia vtilitas, diuino instinctu præcedente, signum petere licet, nec id ad tentationem pertinet.

Qui aliis subuenit etiam in hoc sæculo à Deo remuneratur.

116. *Puella cui dixero, &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo*, vnde nam à Deo huic puellæ collatum beneficium, vt sanctissimi viri coniux inter tot mulieres eligatur? nonne audis quod dilectione erga proximum incensa, diligenter subuenire necessitati proximi deberet, illius nec non camelorum potu sitim extinguens? quid mirum igitur si etiam in hoc sæculo præmium accipiat à Deo, vt coniux viro iustissimo præparetur? cum proximi necessitati subueniat, *hos ad bona eligendos à Domino scias*, inquit Oleast. *qui alacriori animo proximorum indigētiis succurrere nouerint.*

Diminissimū est nulli suā opē auxiliūque negare.

117. *Puella cui dixero inclina hydriam tuam vt bibam, & illa responderit, bibe quin & camelis tuis dabo* addunt Sept. quoadvsque bibere desierint, ipsa est quam præparasti seruo tuo: omnia quæ requisierat ipsa præstitit, ait tamen textus, ipse contemplabatur eam tacitus, scire volens vtrum prosperum iter fecisset Dominus, adhuc hæsitas & meditaris? cum non solum quæ petieras, præstiterit sed celeriter, vides iā beneficam puellam in tuo & camelorum potu, quid adhuc requiris, vt noscas illam Deo plenam & à Deo paratam Isaaco? pulchre Theodor. q. 77. ait, *cū illa hausisset aquam & camelis præbuisset fluentum, expectabat ille vt videret an omnibus præberet, quantum opus erat*, & quidem merito, non certus fit de Dei assistentia in puella, donec ab eius benefica manu videt nullum camelorum manere vacuum: sed omnes suscipere necessaria, Deo namque digna beneficentia tunc ostenditur clare, cū sua nemini dona negat.

Caute examinanda est Dei voluntas.

118. *Puella cui dixero da mihi vt bibam, &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo*, vt à te dignosceretur volūtas Dei circa sponsam futuram Isaaco, nonne sufficiebat vt ab eo potum obtineres, vt eius benignitas & hospitalitas erga te declararetur? cur ergo etiam requiris vt camelis hanc præstet humanitatem? optima est responsio Tostati, *hoc posuit Eliezer cautè, vt manifestè videres bonitatem Dei, quod enim aliqua puella videns hominem alienigenam libenter & sine petitione daret ei & camelis suis potum, valde magna bonitas videbatur, ad quam nulla puella inclinaretur, nisi illa quam Deus specialiter inclinasset.*

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

119 *Puella cui dixero &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo*, vnde sciebat Abraham quod ex progenie cognationis suæ, puella coniux futura Isaaci hospitalitati vacaret, ita vt Eliezer nomine Domini sui hanc ab ea virtutem requirat? certum est cognationem Abrahæ virtuti hospitalitatis studuisse, bene colligit igitur Eliezer hanc puellam fore hospitalem, nam naturæ suæ quisque sequitur semina, hoc habet Procop. *sciens Abrahamus illam familiam hospitalitate ornatam, inde vxorem filio suo hospitalitate insignem quærere in animum induxit, & cum illa esset educata in tam liberali familia, non dubitabat quin & ipsa aduentura esset hospitalitatis virtute decenter imbuta.* en quamperacutè Procopius animaduertit quam bene colligit Abraham ex liberali familia puellæ, fore liberalem in pauperes? naturæ quippe vt diximus sequitur semina quisque suæ.

Vt quæ sit digna sponsa Christi Domini, non ab ea nobile genus sed virtutum ornamentū requiritur.

120. *Puella cui dixero inclina hydriam tuam vt bibam, & illa responderit, bibe, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, nonne te iuramento obstrinxisti solum ex cognatione Abrahæ Domini tui coniugem Isaac te accepturum & non Chananæam: Chananæa autem sicut & alia potest tibi potum præbere, si quidem cū Chananæam non agnoscas, eam vt inclinet hydriā potes deprecari, sicque iuramento fies transgressor: minimè, nam vt optimè Rupert. lib. 6. in Genes. credidit homo quod explorata & hocmodo deprehensa frugalitas Domini sui moribus conueniens digna foret, cui inaures armillasque appenderet: quasi diceret existimauit se à iuramenti transgressione liberum esse, si puellam virtutibus præditam, quamuis non cognatam Isaaco coniugem eligeret, vel dicamus cum Isaac typum gereret Christi Domini, & illa puella veræ animæ fidelis, non requirit vt foret sponsa illius, quod nobilis esset & ex tali prosapia, sed virtutibus ornata, non enim personarum est acceptor Christus sed meritorum, *non enim*, inquit D. Thom. in cat. aurea in c. 20. Matt. *apud Deum est acceptio personarum, sed quicunque talem se præbuerit in regno cælorum dignus fiat, hic accipiet quod non personæ sed quod vitæ paratum est.*

Sponsa Christi cognoscitur in dilectione qua fertur erga proximum.

121. *Puella cui dixero, inclina hydriam &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, cur potius hoc signo quam alio vxorem Domini sui cognoscere voluit? pluribus enim aliis indicari potuit: nonne hæc puella futura sponsa Isaac denotat animam fidelem quę ad thalamum Domini Saluatoris euehitur? non immerito igitur Eliezer potius hac manifestatione charitatis erga proximum quam alio signo notam habere voluit coniugem Isaaci, *vt eam*, inquit Oleast. *Dominus Isaac eligere didicisset in qua charitas & dilectio proximi reluceret, quæ scilicet libenter & sibi & camelis suis hauriret*, accōmoda animæ fideli cum gloss. interl. dicente, *talis est anima futura sponsa Christi &c.*

Fœcunditas præmium misericordiæ.

122. *Puella cui dixero inclina hydriam tuam & bibam &c. ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, sed vnde obsecro hæc colligebat Eliezer? quod signum hoc ad futuram sponsam Domini sui cognoscendā? non aliud

Marginalia: Oleaster. — Theodor. — Alphons. Tost. — Procop. — D. Thom. in cat. aurea in Matt. — Oleaster. — Gloss. interl.

aliud sane, nisi quia cùm ad prolem obtinendam quæreret Abraham vxorem fœcundam filio, nō putauit ille talem se reperire posse nisi misericordem & eleemosynariam virginem reperisset, sed vnde dignoscere potuit virginem hanc misericordem, futuram esse fœcundam? subtiliter satisfacit Iustinianus Episc. Adiœcensis in c. 4. Tobiæ vers. 10. documento, *nouerat*, inquit, *Saram tunc promissionem futuræ prolis recepisse quando misericorditer hospites Angelos sub virorum specie recepit, pro comperto habens fœcūditatem misericordiæ præmium esse.*

Iustinianus Episcopus

Aliis subuenire signū indolis ingenuæ & nobilis.

123. *Puella cui dixero inclina hydriam tuam, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*, sed ô Eliezer, hoc signum eratne sufficiens vt acciperes vxorem Domino tuo dignam? nonne aliavilis & abiecta puella potuit etiam aquam porrigere tibi & tuis camelis? esto potuerit, fatear tamen necesse est optimum fuisse signum & conueniens, quia subuenire necessitati manifestat bonam indolem, affabilem, & docilem, nec non nobilem, ita Theodor. *signum erat non pulchritudo corporis, non quicquam aliud ex iis quæ splendida putantur, sed affabilitas & animi mansuetudo*, & Tho. Angl. *discreta illa fuit oratio, si quidem conditionem posuit rationabiliter, indicatiuam strenuæ indolis puellæ, vt pote actum prompta, piæ ac largæ liberalitatis*, scilicet in subueniendo alterius necessitati.

Theodor.

Thom. Angl.

Non secundum faciem iudicandum.

124. *Puella cui dixero, inclina hydriam &c. ipsa est quā præparasti seruo tuo Isaac*, cur hoc negotium tuis non committis oculis, vt quænam sit omnium puellarum modestissima, intueantur, & sic quæ præ aliis modesta fuerit, in sponsam Isaac eligatur? diuinæ ordinationi potius quàm propriis oculis hoc committit matrimonium, quia non secundùm faciem iudicandum: petendæ enim puellæ iudicium non suis committere debuit oculis qui solam faciem, non etiam mores & virtutes peruidere possent, sed totam in Deo posuit spem electionis.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Nec dum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel filii Melchæ vxoris Nachor, fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua.

Sept. Et factum est priusquam ipse consummaret, loquens in mente sua, & ecce Rebecca habens hydriam super humeros suos.

Pag. Et fuit ipse antequam compleuisset loqui, ecce Rebecca & hydria super humerum eius.

Vatab. Antequam autē finisset loqui in corde meo.

CONCORDIA.

IN Hebræo non habentur hęc verba *nec dum intra se*, addita sunt autem à 70. & à Vulg. explicandæ rei gratia, si quidem ipsi legunt αὐτου λαλοῦντος ἐν τῇ διανοίᾳ ipsum loquentem in mente.

EXPOSITIO.

NEc dum intra se verba compleuerat, cum mentaliter hæc verba proferre desiit, *ecce Rebecca egrediebatur*, Deus enim qui mouerat Eliezer ad prædictum signum petendum, mouit & Rebeccam ad egrediendum, pro aqua ex puteo haurienda, *filia Bathuel, filia Melchor*, quæ erat filia Aran sororque Loth, habens hydriam in scapula sua, id est super humerum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus citissime preces suorum exaudit.

125. NEc dum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, cur obseruat Moyses nedum orationi finem imposuisse, & tamen puellā sibi oblatam cum hydria? vt sciremus Deum citissime suorum preces exaudire, *vide efficaciam precum*, inquit Procop. *quas iusti ad Deum transmittunt, vide quoque quàm expeditè & promptè penetrent cœlum & exaudiantur*, & D. Chrysost. Hom. quales sunt vxores ducendæ, *tales sunt bonorum preces ante finem earum sentiunt annuisse numen propitium.*

Procop.

D. Chrys.

Deus in se speranti præsentissimus adest.

126. *Nec dum intra se verba compleuerat & ecce Rebecca egrediebatur*, nonne Deus differre signi petiti exhibitionem potuit? ad quid igitur nondum completa oratione Eliezer, quæ postulat obtinet? reuocat in memoriam non suæ industriæ hoc commisisse negotium, sed diuinæ prouidentiæ: quid mirum igitur cito assecutum fuisse quod postulauerat? Deus enim in se speranti adest præsentissimus: *præsentissimum*, inquit Lipp. *Deum videmus sperantibus in illū tota fiducia, & quæ seruus volente Deo optare cœperat, eodem Domino prouidente ac perficiente completa sunt.*

Lippom.

Deus fidem nostram corroborat.

127. *Et ecce Rebecca egrediebatur*, an arbitraris casu vel fortuna tunc egressam fuisse Rebeccam aquæ hauriendæ gratia? minimè equidem, nam sic Deo disponente res contigit, sed qua de causa disposuit, vt in hoc suæ spei sumeret experimentum? an vt auguri fides adhiberetur? nequaquam, *sed ad certitudinem fidei firmandam*, inquit cit. Lipp. *de maioribus bonis Abrahæ à Deo promissis.*

Lippom.

Quod Deus incipit perficit.

128. *Et ecce Rebecca egrediebatur*, quis hanc puellam commouere potuit, vt prima ad hauriendam aquam pergeret? & vt finita oratione Eliezer domum paternam egrederetur? non enim id casu con-

tigisse credendum est, obserua quod verè Thom. Anglicus, animaduertit, nempe quod oratio facta ab Eliezer mota & ordinata fuit à Deo, ita vt Deus primum illum bonum excitauerit in eo motum: dicamus igitur etiam Deo inspirante in occursum Eliezer exiisse quia quod Deus sua gratia præuenit, id perficit & absoluit, *Deus*, inquit Abulens. *qui mouerat Eliezer ad taliter concipiendum, mouit Rebeccam ad egrediendum pro aqua.*

Abulens.

Gratia Dei interuenit in iis quæ fiunt cum debita intentione.

129. *Ecce Rebecca egrediebatur habens hydriam in scapula sua*, plures hydriam tunc temporis fortuito cœpisse, arbitrabantur Rebeccam, quid enim magis casuale videtur quàm occursus puellæ homini stanti iuxta puteum? nihil tamen in hoc euentu fortuitum cogita, sed gratia Dei perfecta fuisse, ea enim interuenit, cùm aliquid fit recta cum intentione. Fauet Franconius Abb. tomo 3. de gratia Christi, his verbis, *ecce in hoc mysterio gratia adfuit, ipsa seruum spiritum consilii imbuit, ipsa preces impleuit, ipsa vxorem elegit.*

Franconius Abb tomo 3. de gratia Christi.

Gratus animus difficillima quæque perficit.

130. *Ecce Rebecca egrediebatur habens hydriam in scapula sua*, quid fœlicius? quam primùm vidit puellam post preces, eam æstimat sponsam destinatam Domino suo, & qua virtute tam cito deuenit in cognitionem dignæ sponsæ, in quam alii vix post longa examina deueniunt? satisfacit Theodor. Serm. 8. de prouidentia, *quod vero iis quæ petiit potitus est, Dei amicum fuisse demonstrat, nec enim tam facile iis potiri potuisset, nisi in largitorem fuisset gratissimus, gratitudinem vero hanc animi virtus elaborauit.*

Theodor.

A fastu seruorum abstinendum.

131. *Ecce egrediebatur Rebecca habens hydriam in scapula sua*, nonne ex illustri prosapia ducebat originem Rebecca, clarisque orta natalibus? quomodo igitur ad aquam hauriendam ancilla non [illegible], sed ipsamet puella nobilis & diues humeris suis defert hydriam? vt hoc virtutis exemplo à fastu seruorum abstinere doceamur, quia vt optimè D. Hier. Epist. 47. de vitando suspecto contubernio, *quarumlibet seruorum genus est, & quantacumque dederis semper eis minus est, non enim considerant de quanto, sed quātum detur, doloremque suum solis, quod possunt obtrectationibus consolantur.*

D. Hieron. Epist. 47.

Otium animæ inimicum.

132. *Ecce egrediebatur Rebecca habens hydriam in scapula sua*, nec enim otiosam, mollem atque elanguidam sponsam Isaaco peti oportebat, quid refert vtrum otio sit dedita, dummodo virtutum ornamento studeat? imo tantum interest, quia nec illa dotes animi virtutumque ornamenta quibus emineret, vlla profecto haberet, si otio omnium bonorum exitio difflueret, quod persuadet Euseb. Emiss. in illa verba Ioann. 5. surge, tolle grabatum tuum & ambula, *hoc est*, inquit, *non sis otiosus, otiositas enim animæ inimica est, quæ & vitia nutrit & virtutes necat.*

Euseb. Emiss. Ioan 5.

Vbi magis quis se humiliat ibi magis exaltatur.

133. *Ecce egrediebatur Rebecca habens hydriam in scapula sua*, quomodo tam seruile munus non renuit? ancillarum enim proprium hydrias deferre hauriēdæ aquæ gratia: quomodo ita humiliter se deprimit? quæ enim puella claris orta natalibus, vellet hoc seruile munus exequi? an aliquod huiusmodi humilitatis præstitæ præmium accipere potuit? ita eximium, quia vt ibi se magis humiliat, ibi magis exaltetur, sponsum enim ac Dominum inuenit diuitem, illustrem, & omni sanctitate præclarum, & quod omnē fœlicitatem in terris superat, electa est in auiam Dei hominis in mundum venturi.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVI.

VVLG. Puella decora nimis, virgoque pulcherrima & incognita viro, descenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, & reuertebatur.

Sep. Virgo autem erat speciosa aspectu valde, virgo erat, vir non cognouerat eam.

Caiet. Et puella bona aspectu valde.

CONCORDIA.

טוב Tob Non solùm quid bonum, sed elegans, speciosum, & præstans denotat.

EXPOSITIO.

PVella decora nimis, eximiæ formæ, *virgoque pulcherrima & incognita viro*, repetitio eiusdem rei videtur esse, & superflua, nam si virgo est, certè à viro non cognita, tamen existimo quod cum sint duæ voces in Hebræo significantes puellam & virginem, עלמה alma scilicet & בתולה Betula, Betula quandoque ponitur pro puella, quamuis virgo non sit vt Ezech. 23. & Ioël. 1. vbi puella lugens maritum suum dicitur in Hebræo Betula, existimo inquam quod cum hoc loco vbi nos legimus virgo, in Hebræo sit Betula, merito subdi, & incognita viro, vt ostenderet Moyses non solùm puellam quantum ad ætatem esse, sed etiam à viro nullo modo cognitam: *descenderat autem ad fontem*, erat enim fons in humiliori & decliuiori loco quam ciuitas, *& impleuerat hydriam*, propria industria, *& reuertebatur*, Eliezer forsitan non conspecto.

Ezech. 23. Ioel. 1.

CONCEPTVS

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Virgines mulieribus pulchriores.

134. *Puella decora nimis & virgo pulcherrima*, cur non semel, sed iterum eximiam venustatem Rebeccæ denotat? forte vt significet quod puellæ quæ virginitatis iacturam non fecere, aliarum mulierum pulchritudinem superant, sic obseruat Abul. *virgines pulchriores sunt & fulgentiores, quia intactæ viris, cum autem cognoscuntur, marcescit color vinidus & lenitas vultus deturpatur, quasi floribus manibus tactis vel his qui nondum ab aliquo fuere contacti.*

Abulens.

Virginis nomen, abscondita.

135. *Puella decora nimis & virgo pulcherrima*, Hebraicè alma, idest abscondita, eodem modo habet Isai. 7. 14. *ecce virgo concipiet*, in Hebræo est abscondita, vnde Hieron. ergo alma non solùm puella vel virgo, sed cum ἐπιτάσει virgo abscondita dicitur, & secreta, & alibi, loco virginis habemus absconditam, sed cur loco virginis transfertur abscondita? vt innuatur latebras tam proprias esse virginum, vt non aliunde melius quàm ab illis nomen sortiantur, vnde D. Ambros. in exhortatione ad Virg. *decet solitudo verecundiam, & gymnasium pudoris secretum est.*

D. Amb. in exh. ad Vir.

Virgo debet esse mente & corpore.

136. *Puella decora nimis & virgo pulcherrima, & incognita viro*, transfert Orig. & vir non cognouit eam, certe inquirendum est, quid est quod dicitur virgo erat, vir non cognouerat eam? quasi vero aliqua sit virgo, quam vir contigerit, & quid tibi videtur additamentũ in virgine vt dicatur, quia vir non cognouit eam? estne enim aliqua virgo quam contigerit vir? Orig. hoc explicans mysticè ait, *sicut Christus animæ vir dicitur, cui nubit anima, cùm venit ad fidem, ita & huic contrarius, virilis est cui nubit anima, cùm declinat ad perfidiam; ipse ille qui & inimicus homo dicitur: per hunc virum ergo intelligi dæmonem, sine eius prolem, scilicet vitia & peccata, vides ergo non fuisse superfluum dixisse fuisse virginem, deinde addidisse & vir non agnouit eam, quia puella non solùm debet esse virgo corpore, sed etiam mente*, ita Origenes non sufficit animæ vt casta sit corpore, opus est vt & vir hic pessimus non cognouerit eam, potest enim fieri, vt quis habeat in corpore virginitatem, & cognoscens istum virum pessimum Diabolum, atque ab eo concupiscentiæ iacula in corde suscipiens, animæ perdiderit castitatem, quia ergo Rebecca virgo erat sancta, erat corpore & Spiritu, ideo eius duplicat laudem, & dicit, virgo erat, & vir non cognouerat eam.

Orig. hom. 10.

Amor inter coniuges virgines ardentior.

137. *Puella decora nimis & virgo pulcherrima*, si puellam dixerat, cur virginem addit? nam vt matrimonium prosperum esset, venustas & eximia pulchritudo in puella requiritur: reuoca in memoriam in expositione litteræ, dictum fuisse discrimen esse inter puellam & virginem, quod puella nomen est aliquando non integritatis sed ætatis, virgo autem incorruptionis: merito igitur postquam puellam dixit Moyses etiam virginem appellauit, vt indicaret quàm faustum & fortunatum fuisset illud matrimonium quod inter virgines conglutinandum erat, in quo nec mulier alium nouisset virum, nec vir aliam mulierem, fit enim mutuus inter coniuges flagrantior & perseuerantior amor, quorum animi alienis amoribus non fuere occupati.

Tanta est aliquando puellarum impietas, vt inuersa venere vtantur vt virgines appareant.

138. *Puella decora nimis, & pulcherrima & incognita viro*, si virginem dixit, cur viro incognitam addidit? nam si virgo est, necesse est incognitam esse atque viro intactam, si autem viro incognita, nomen virginis retinet: probabile est sane vtrumque dixisse de Rebecca, tamẽ aliquando puellæ in tantã impietatem delabuntur, vt virgines oculis hominum appareant, quia claustrum virginitatis cùm à viro non est apertum, tamen à viris cognitæ sunt per auersam nimirũ venerem, & nefandæ diuerticula libidinis. Fauet omnino D. Cyprian. Ep. 11. *nec aliqua putet se posse hac excusatione defendi, quod inspici ac probari possit, an virgo sit, cum & manus obstetricum & oculi sæpè fallantur, & si incorrupta inuenta fuerit virgo ex ea parte sui, qua mulier potest esse, potuit tamen ex alia parte corporis peccasse, quæ corrumpi potest, & tamen inspici non potest.*

Cyprian. Epist. 11.

In sacra scriptura vitantur quæ in errorem inducere possunt.

139. *Puella decora, virgo pulcherrima & incognita viro*, in Hebræo est betula, si betula, virginem significat cur cum Isaiæ 7. dicitur, ecce virgo concipiet in Hebræo non est betula sed alma? nota à nobis dictum esse betulam aliquando sumi posse pro puella nupta, alma autem nequaquam; sed solum pro virgine: merito igitur in Isaia non dicitur Betula, sed alma, vt error vitetur eorum qui possent asserere non virginem concepturam, sed quandam puellam: scitum est illud Epiphanii inquit vir pius & doctus Leo Castrensis, *circumspectissimus est Spiritus sanctus in diuina scriptura, cauet omnia, prospicit omnia, sciens igitur quantopere conaturi essent Iudæi deprauare vaticinium illud Isaiæ, voluit poni in eo vocem non betula, sed alma, quæ secundum vsum linguæ hebreæ semper dicitur de puella incorrupta.*

Isaiæ 7.

Leo Castrens. in Isaiam.

Pulchritudo non est causa impudicitiæ, sicut nec deformitas causa castitatis.

140. *Puella decora nimis, & virgo pulcherrima & incognita viro*, cum viro incognita, virginis nomen habeat, qua de causa simul puellam formosissimam & virginem pulcherrimam coniunxit, etiam viro incognitam? vt nobis persuasum esset pulchritudinem simul compati cum castitate, nec illius iacturæ causam esse venustatem, *licet forma elegantia* (inquit Procop.) *omnes facile antecelleret, nullius tamen viri concubitu compressa & inquinata est, similem castitatem scriptura tribuit Iosepho, nec pulchritudo formæ impudicitiæ semper causa est, vt nec castitatis formæ turpitudo, non enim corpus, sed animus & vita institutum causant castitatem.*

Procop.

Puella sermones viri fugiat.

141. *Puella decora nimis impleuerat hydriam & reuertebatur*, quomodo virum aduenam stantem prope fontem, cum tanto comitatu vel non salutat, vel non alloquitur? inurbanitatis arguenda videtur, si quidem hausta aqua & homine insalutato domum reuertitur: non inurbana sed modestissima iudicanda est, cum viri sermones negligat, *castitas in ea eminebat*, inquit Procop. *quod non accurrebat & prior virum compellabat:*

Procop.

Magna laus fœminæ pudicæ quod pulchritudinem fucata non mentiatur.

142. *Puella decora nimis*, deinde dicitur, *virgoque pulcherrima*, cur antequam eius virginitas exprimatur, decor eius maximus exhibetur? sanè debuit prius forma veri, & non ementiti per fucos decoris, probari, vt inde perfecta laus constaret pudicitiæ & virginitatis, non crederetur enim perfectus virgineus pudor, nisi probata esset forma decoris, in nullo ementiti, vnde optimè D. Greg. Nazianz. in prosa aduersus mulieres ait, *nullam aliam pulchritudinem agnosco quàm eam quæ naturæ dono contingit, vt Galli ad Rheni vndas in lucem editos fœtus explorans, vt ignis de auri puritate certissimus index est. sic ergo animi tui pudicitiam ad incomptam fucisque expertem formæ elegantiam expendit.*

Greg Nazianz.

Iustis non solum necessaria, sed etiam iucunda præbet Deus.

143. *Puella decora nimis & pulcherrima aspectu*, nonne diximus vxorem virtutibus præditam quærendam, non autem illius pulchritudinem? quomodo igitur virginem speciosissimam futuram Isaaco côiugem dandam disponit? aduerte nihil pulchritudine delectabilius, sicut nec quid vuluis viro contingere posse quàm fœminam optimis moribus ornatam: sapienter igitur disponit Deus pulcherrimam Isaaco coniungi puellam, quia non solum iustis necessaria, sed etiam vtilia præbet, *audis quales Dominus*, inquit Hieron. ab Oleastro, *vxores pijs eligit, qui non solum moribus, sed etiam membrorum pulchritudine sunt adornata.*

Oleaster.

Castitas in puella gloria Dei.

144. *Puella decora nimis & pulcherrima aspectu*, cur de Rebecca hoc elogium prædicatur? cur venustas eius ita extollitur plusquam aliarum? nota ex Clem. lib. 4. Strom. Rebeccam gloriam Dei interpretari, rectè igitur de Rebecca dicitur, quod sit virgo pulcherrima, quia castitas in puella gloria Dei est, sic auctor cit. *Moyses pulchra Epanalepsi seu repetitione vsus, significauit animæ & corporis incorruptionē describens in Rebecca hoc modo, virgo autem erat pulchra, vir non cognouit ipsam, Rebecca autem exponitur Dei gloria, Dei autem incorruptio est gloria.*

Clem l. 4. Strom.

Non reclusio domi nec custodia parentum castas efficere debet adolescentulas, sed virtus.

145. *Puella decora nimis & virgo pulcherrima descendit ad fontem, impleuerat hydriam*, nonne nostra ætate plures domi reclusæ & quasi consepultæ manent, nihilominus virginitatis suæ faciunt iacturam? quomodo igitur Rebecca extra domus cancellos & custodiam parentum sola procedit, imo in publicum ad hauriendam aquam progreditur, & tamen extitit virgo mente licet peregrina quadam pulchritudine prædita? vt agnoscamus non reclusionem domi nec custodiam parentum, sed virtutem mentes efficere castas, non latuit hoc Procopium dicentem, *Rebecca quæ tanta forma coruscabat elegantia, nec domi desidebat, sed in publicum egrediebatur, & sola aquatum prodibat, non tamen fucum sensit, sed virginitatis florem conseruauit.*

Procop.

Prima laus in fœmina castitas.

146. *Puella decora & virgo pulcherrima & incognita viro*, nonne expectabas ô Eliezer puellam hospitalem, quæ tibi aquam sitibundo præberet, & insuper camelos adaquaret? cur igitur antequam hospitalitatem eius ostendat virginitatem commendat? quia prima laus fœminæ à castitatis encomio debet sumi, & aliæ deinde eius virtutes commemorari, vnde Sixtus Pontifex in tractatu de malis Doctoribus & castitate ait, *est infinita virtus corporis vincere voluptates, totum iustitiæ atque sanctitatis fundamentum.*

A te absit curiositas.

147. *Descendit ad fontem, impleuerat hydriam & reuertebatur*, quid? sic domum regrederis à viro peregrino iuxta fontem stante nihil inquirens? cur non sciscitaris vnde venit, quò progreditur, quod negotium est sibi in tua ciuitate peragendum, si aliquid noua in sua contigit? nihil tale perquirit, sed domum nihil edocta reuertitur, à nobis enim omnis inepta abesse debet curiositas: quod persuadet Ludouicus Blosius Abb. in canone vitæ spirit. cap. 30. *quod nihil ad te attinet*, inquit, *quodque prorsus inutile est, id tu perquirere audire, cognoscere, vel inspicere, ne sis auidus, non extra te non circa aliorum facta curiosus fueris, sed intra te & circa alienum vitia sit tua occupatio, non inquam affectes aliorum mores & vitam discutere, nōillis obseruandis te implices, nisi officij tui ratio perquirat, sed & si id fieri ū poposcerit: operanda tamen erit istiusmodi sollicitudo, ita vt aliena catenus cures quatenus necessitas vel animarū salus exigit, nō quatenus curiositatis libido animique leuitas suadet.*

Blosius Abbas.

Digna Deo sponsa anima quæ intelligentiam sacræ scripturæ quotidie scrutatur.

148. *Descendit ad fontem*, quotidie ab eo aquam hauriebat, sed quomodo quotidie aquam hauriens, tandem in eo famulum Abrahæ reperit qui eam in spōsam Isaaci perquirebat? diximus fonte illo, sacrā designari scripturam, Rebecca animam, Isaaco Christum Dominum, quid mirū igitur si Rebecca hauriens aquam è puteo, tandem in eo sanctum sponsū inuenit, quia qui quotidie sacræ scripturæ intelligētiam perquirit, dignus est qui Christo Domino coniungatur, accipe Origenem, *videamus* inquit, *quod nobis modo recitatum est, Rebecca quotidie veniebat ad puteos, quotidiè hauriebat aquam, & quia quotidiè vacabat ad puteos, idcirco inueniri potuit à puero Abrahæ, & in matrimonium sociari Isaac, animarum ista est eruditio & spiritalis doctrina, quæ te instruit & docet quotidie venire ad puteos scripturarum, ad aquas Spiritus sancti, & haurire semper ac plenum vas domum demum deferre, sicut faciebat sancta Rebecca quæ non aliter iungi potuisset tanto Patriarchæ: mysteria sunt cuncta quæ scripta sunt vult te Christus sibi desponsare, ad te enim loquitur per Prophetam dicens, desponsabo te mihi in æternū in fide, & misericordia & cognosces Dominū, quia ergo te sibi vult desponsare, præmittit ad te istum puerum, puer iste sermo Propheticus est, quem nisi prius susceperis nubere Christo, non poteris; scito tamen quia nemo inexercitatus & imperitus sermonem propheticum suscipit, sed qui scit haurire aquam de puteo.*

Origen.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Occurritque ei seruus & ait, paux illum aquæ mihi ad bibendum præbe, de hydria tua.
Sep. Occurrit autem puer obuiam ei, & dixit pota me paululum aquæ.
Cald. Fac me gustare paululum aquæ.
Pag. Cucurritque in occursum eius, & dixit potum da mihi

da mihi nunc parum aquæ.

Arias. Refrigera me exiguo aquæ.

Caiet. Pauxillum aquæ mihi ad sorbendum præbe.

CONCORDIA.

Dubia est significatio verbi גמא gama, vel potius גמי gime frequentius nempe sumitur pro absorpsit vel exhausit quàm bibit, sed quia qui absorbet bibere videtur, & qui aquam bibit refrigeratur, hunc est quod vtrumque comprehendit.

EXPOSITIO.

Occurritque ei seruus, stabat enim antea iuxta fontem, & cum eam domum reuertentem conspexit aggreditur pauxillum aquæ petens, vt probaret eius indolem.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Fauor affectandus virtutibus deditorum.

149. *Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe*, nōne prior ad fontem peruenisti? nōne seruos tecum habes, quibus præcipere potes vt aquam sitis tuæ extinguendæ gratia è puteo hauriant? cur igitur à puella suam aqua plenam hydriam deferente, id postulas? forte vt hac petitione eius gratiam & fauorē aucuparetur, fauet Lippo. *gaudio & fide plenus de manu virginis bibere eligebat, & officia vtrinque demereri.* Lippo.

Hospitalitas non ex donorum magnitudine, sed animi affectu dignoscitur.

150. *Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe*, nonne vxorem filio Domini tui hospitalem inquiris? qua de causa igitur à Rebecca pauxillum aquæ solum postulas? pete & hydriam, nam hospitalis vel liberalis animus illius in dono exiguæ aquæ qua nihil vilius & communius, non dignoscetur, nihilominus solum aquæ paululum petit, quia vt verè Procopius ait, *non munerum magnitudine, sed animi affectione indicatur hospitalitas.* Procop

Concionator salutem animarum sitiat.

151. *Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe*, si diximus Eliezer concionatorem designare, puellam antem quam coniugem Isaac inquirebat, esse animam, quam ad Christi connubium euehere satagebat, cur ipse Eliezer ab ipsa puella aquæ paululum postulat, & non è contra? conuenientius enim esset ipsam ab eo aquā putei petere, quia præparatione indiget ad connubium cum Christo celebrandum, quam ex se habere non potest, sed à concionatore edocente, nihilominus ipse Eliezer à puella paululam aquæ postulat, quia vt ait Greg. teste Lipp. *prædica or omnis animam auditoris sui sitit.* Lippo. 5.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIX.

Vvlg. Quæ respondit bibe mi domine, celeriterque deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum.

Sep. Et festinauit, & deposuit hydriam super brachium suum & potauit eum quoadusque cessauit bibens.

Pag. Et festinauit, & descendere fecit hydriam.

CONCORDIA.

In Hebræo est versum ותמהר vatemaer & festinauit, quod per aduerbium celeriter expressit, nec Hebr. nec Vulg. habent hæc verba septuaginta, quoadusque cessauit bibere, ea enim subintelligi debent; certum est enim hydriam non retraxisse, quousque sitim suam extinxisset.

EXPOSITIO.

Qvæ respondit bibe mi Domine, petitioni illius libenter annuit, sicque celeriter hydriam ex humeris deposuit, vt ei potum præberet, nullo subterfugio quæsito.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vrbanitati studeamus.

152. *Bibe mi Domine*, cur hac appellatione peregrinum & aduenam cohonestas? sufficiebat dixisse bibe, Domini nomen obuoluens silentio, potuit sed voluit, vt erga incognitos exemplo suo nos vrbanos esse doceret. Rebecca (inquit Abul.) *erat bene morigerata, & in verbis suis vrbana, idea sic placide loquebatur*, dissimilis pluribus qui & ipsos pauperes iniuriosè tractant.

Vnumquemque decet hospitalem esse & liberalem.

153 *Deposuit hydriam super vlnam suam & dedit ei potum*, cur cùm esset puella ætate tenera, aquam petenti non dixit, domine iam in humeris hydriam habeo, & domum iam reuertor, ab aliis quæ è puteo aquam hauriunt, postula, facile petitioni tuæ acquiescent? nihil talia profert, sed cùm esset iuuenis, votis Eliezer satisfacit, quia vnumquemque quantumuis ætatis exiguæ, decet esse liberalem & hospitalē, hoc animaduertit Chrysost. *cogita obsecro quanta etiā ea ætate fuerit continentiæ diligentia, & modestia eminentia, hospitalitatisque frequentia, quia neque in alienis aufugit, neque prætextu verecundiæ vim petitioni renuit sed cum multa mititate respondit bibe mi Domine.*

S. Chrysost.

Fidelis audiens concionatorem eum spiritaliter reficit.

154 *Deposuit hydriam & dedit ei potum*, si concionator seruo Abrahæ designatus, aquas sapientiæ salutaris suis præbet auditoribus, quomodo è contra hîc puella quæ auditorem fidelem adumbrat, potum aquæ exhibet Eliezer? per Rebeccam respondentem, & desiderio Eliezer annuentem, fidelis anima quæ verba Dei audit, & ea quæ præcipit exequitur, intelligitur: merito igitur ipsamet Rebecca potum seruo Abrahæ porrigit, quia vt ait Greg. M. *qui Deum quem audit confitetur, prædicatori aquam eductationis & refrigerij effecit*, & Carth. *ex cuius conuersione appetebant mentalis refici, nempe concionatores.*

Greg Mag cit à nostr. Lyran

Carth.

Hospitibus nos tanquam serui humiliter & libenter ministremus.

155 *Deposuit hydriam super vlnam suam & dedit ei potum*, cur non respondisti Rebecca, paulisper expecta, mittam ad te ancillas meas, quæ votis tuis satisfacient, sitimque potu extinguent, nam cùm claris natalibus orta esset, hoc ei potuit respondere: nequaquam ita loquitur, imo ipsamet hydriam suam deponit, & tanquam ancilla celeriter potum præbet, quia hospitibus tanquam serui libenter & humiliter ministrare debemus, sic enim illius puellæ maximam humilitatem admiratus S. Ephr. serm. de patre & comp. ait *hic animæ virtutem contemplare, nihil enim segniter, nihil superbè, nihilque arroganter factum comperies, hominem peregrinum appellabat dominū & viatori tanquam vera ancilla ministrabat.*

S. Ephrem.

Ecclesia remedium præbet morbis spiritualibus, non autem Synagoga.

156 *Deposuit hyd. iam suam & dedit ei potum*, postquam scilicet ad fontē venerat, & ex eo aquas hauserat, vertamus nos ad Samaritanam & inspiciamus, quomodo Christo Domino iuxta fontem sedenti, & ab ea potum petenti renuit, aduerte per illam Rebeccam pulcherrimam virginem intelligi Ecclesiā à nostro Lyrano, quæ inquit sine ruga & macula est. Samaritana autem significat Synagogam: quid mirum igitur Rebeccam potum dedisse sitienti, minime autem Samaritanā? quia Ecclesia necessitati spirituali remedium, non autem Synagoga ex se præstabat: sic agnouit D. Ambr. lib. 1. de Abrah. in hoc capite, *prius* (inquit) *dicitur de Rebecca illa pulcherrima, quod descenderat ad fontem & impleuerat hydriam suam, Samaritana autem illa venit ad fontem, sed non descendit, puteus enim ei videbatur altus, & impleuit hydriam, vnde non habebat, vnde actus suos lauaret: sola descendit, hæc sola cognouit fontem verū, hoc est aqua sed vitæ æternæ & ideo habuit quod daret sitientibus*, sed præstat audire D. Macharium hom. 32. titulum nostri cōceptus expressius confirmantē cum ait, *quomodo corporis vmbra ortum habet ab ipso corpore? nam alligare vulnera, escam præbere, vel loqui non potest vmbra & si manet à corpore, præcedensque declarat corporis præsentiā: eodem modo lex vetus, vmbra noui testamenti, pronuntiat veritatem, non tamen suppeditat spiritum, porro sicut vmbra nihil confert, neque medetur doloribus, sic antiqua lex animæ vulnera molestiasque sanare non poterat, quia vitam non habebat.*

D. Ambr. l. 1. de Abra.

D. Mach. hom. 32.

Virgo Maria plena misericordiæ.

157 *Deposuit hyd. iam in vlna sua*, scilicet vt potum daret petenti: ô Rebecca, quomodo ita liberalis es, vt pauxillum aquæ petenti hydriā plenam propines? Rebecca sine dubio figura est beatissimæ Virginis: ideo Rebecca nō solū petenti paululū aquæ dedit, imo plenā hydriam deposuit, quia beatissima virgo ita est misericordiæ plena, vt non solum elargiatur quod petitur, imo quod non petitur à quibus nō rogatur, nempe à peccatoribus, ita D. Bernar. de verbis Apocal. ecce lignum magnū apparuit in cœlo, *nec puero Abrahæ tantum, sed & camelis potum tribuas de superfluenti hydria tua.*

D. Bern.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIX.

VVLG. Cumque ille bibisset, adiecit, quin & camelis tuis hauriam aquā, donec cūcti bibāt. *Cald.* Cumque cessasset bibere, dixit, etiam camelis tuis hauriam aquā donec cessent bibere. *Pag.* Donec compleuerint bibere.

EXPOSITIO.

CVmque ille bibisset, ad libitum adiecit non petita, *quia & camelis tuis hauriam* aquā nō recusat huc nimpendere laborem, in haurienda decem camelis aqua sufficientissima.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

In hospitalitate exhibenda nihil te detineat.

158 *CVm ille bibisset*, si infirmitate aliqua corripi timemus, quomodo Rebecca antequā potum ex propria hydria præberet Eliezer, ab eo non quæsiuit vtrū aliquo morbo detineretur, ne forte familiam suam inficeret ex illo potu? nihil tale perquirit, quia in beneficio hospitalitatis exhibēdo, nihil nos debet nec paululum retardare: *imitatur Abrahā*, inquit Proc. *qui inuitās hospites nō percunctatur, quis sint, vnde venerint, idē & illa factitabat, nihil percūctās, sed quod petebatur magna prōptitudine & alacritate ad rē cō ferens.* Plura

Procop.

Plura tribuamus quàm à nobis postulentur.

159 *Cumque ille bibisset adiecit, quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant,* Si à te pauxillum aquæ ad extinguendam propriam sitim solum petit, nec verbum protulit de camelis suis adaquandis, qua de causa igitur eis & potum præbere contendis? quia plura ad exemplum illius tribuenda sunt, quàm à nobis requirantur, quod prosequitur D. Chrysost. *animaduerte* (inquit) *quantum fuerit quod virgo tenera aquam non solum annuerit eius petitioni & ad satietatem præbuerit viro ignoto, & non solum illi dederit, sed & omnes camelos adaquauerit, & per ea quæ fiebant monstrauerit animæ suæ ingenuitatem, an nescimus quod multi etiam viri denegant sæpe petentibus talia? & quod dico de aquis quæ præbetur interdum cum faces tenent, & ab accedentibus orantur vt paulisper expectent quo lumen accendant, id facere renuunt, tametsi nihil minuatur ignis, & multi sint qui accendere possint? hic autem puella & hydriam super humeros ferens, non solum non grauatim tulit, quod ab ea peteretur, sed & plusquam petitum erat concessit, & potum dedit vt petebat & ex ipsa etiam camelos potare festinabat.*

S. Chryso.

Magna sit in nobis comitas.

160 *Cumque ille bibisset adiecit, quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant,* in Hebræo donec cessauerint bibere, nonne sufficit aquam haurire, cuique potum præbere, ad quid permansuram te dicis, quousque siti suæ satisfecerint? vt comitatem & benignitatem qua ornabatur addisceremus, *magna benignitas in hoc signatur* (inquit Abul.) *quia licet moraretur puella, dixit tamen se velle expectare quousque omnes cameli bibissent.*

Abulen.

Ecclesia non solum prudentibus, sed & imprudentibus verbum Dei annuntiat.

161 *Cumque ille bibisset adiecit, quin & camelis tuis hauriam aquam,* vt scilicet eis potum præbeam: quid tibi curæ sunt cameli, animalia ratione carentia? sufficiat aquam Eliezer dedisse? diximus Rebecca virgine speciosissima Ecclesiam intelligi, quis dubitat camelis, insipientes & peccatores adumbrari? merito igitur non solùm Eliezer, verùm etiam camelis suis aquam potandam præbuit, quia Ecclesia non solùm iustis, sed etiam peccatoribus aquas sapientiæ salutaris exhibet: ita fatetur D. Gregor. Mag. *aqua* (inquit) *in hydria est scientia prædicationis in mensura, quia sancta Ecclesia studet non plus sapere quam sapere ad sobrietatem, & hydria aqua in vlna, est doctrina prædicationis in opere, quæ non solum eius ciuibus, sed & camelis potum præbuit, quia verbum vitæ non solum prudentibus, sed etiam stultis prædicat, iuxta Pauli verbum dicentis, sapientibus & insipientibus debitor sum.*

S. Grego mag. lib. ad Patroin hom. sup. Ezech.

Virgo Maria plura largitur & pluribus quàm ab ea requiratur.

162. *Cumque ille bibisset adiecit, bibe Domine mi & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant,* seruus Abrahæ pauxillum aquæ tantum petit, illa effusam hydriam, plenosque canales, & seruo & camelis propinauit quid hoc est? nihil aliud, quàm viuum beatissimæ virginis simulachrũ, quæ & plura quàm petantur, & pluribus quàm qui petunt elargitur, brutis pariter & hominibus, peccatoribus videlicet & iustis propitiam se ostendit ac liberalem, vnde D. Bern. de verb. Apocal. *ciba hodie pauperes tuos Domina, ipsi quoque catelli de micis tuis edant, nec puero Abrahæ tantum, sed & camelis potum tribuas de superfluenti hydria tua, quia tu vere puella es prælecta & præparata altissimi filio:* hæc vltima præme verba, his enim innuere videtur matris cum filio similitudinẽ, vt quemadmodum filius plura largiri solet quã postulentur, ita & mater filii misericordiam imitata, nostris maiora votis largiatur, & vt filius homines & iumenta saluabit Psal. 35. ita mater iustis & iniustis patrocinetur.

Bernard.

Psal. 35.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XX.

VVLG. Effundensque hydriam in canalem, recurrit ad puteum, vt hauriret aquam, & haustam omnibus camelis dedit.

Sep. Et festinauit, & euacuauit hydriam in canalem, & cucurrit ad puteum ad hauriendum rursus, sic & Cald. & Heb.

CONCORDIA.

DEest in nostro Vulgato verbum *festinauit*, quod in omnibus aliis lectionibus legitur, nescio qua de causa illud omisit, nisi forte quod subintelligi facile crederet, sed profecto magis promptum eius animum significat quam si prætermittatur.

EXPOSITIO.

EFfundensque hydriã in canalibus, canales sunt quidam lapides vel lignea vasa in quæ fundebatur aqua pro pecoribus & iumentis adaquandis, *recurrit ad puteum vt hauriret aquam,* quia quæ erat in hydria non sufficiebat ad tot camelorum potum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Liberalitas etiam in virginibus extollitur.

163. EFfundensque hydriam in canalibus recurrit ad puteum, nonne hydriam denuo adimplendam potuit præbere Eliezer, vt suis camelis potum præberet? vel saltem dicere excusatam me habeas, si ad puteũ iterum non redeo, hanc enim quam in hydria aquam habuerã exhibui, non enim decet virginẽ sic effundere potũ camelis: nihil tale loquitur, quãuis nobilis & speciosissima virgo, quia virgines etiã decet esse liberales: *virgo*, inquit Lipp. *animi liberalitatem declarat, & pro insigni morum comitate, multo plura hospiti sponte exhibet quàm fuerat rogata, ingenuam educationem ostentans.*

Charitatis officium libenter & celeriter exhibendum.

164 *Effundensque hydriam* sept. legunt, *festinauit & cucurrit ad puteum*, nonne indecens est virginem sic currere? Paulatim progredere, non enim ita siti premuntur cameli, vt paululum temporis eam non sustineant, currit & festinat, vt Eliezer officia charitatis exhibeat, quæ libenter & celeriter sunt præstanda: *in bonis operibus*, inquit Taulerus domin. 2. post Trinit. *maximeque in officiis charitatis vos exercebitis, ita vt alter alteri charitatis officia hilariter impendat*, qui autem dicit hilariter impendenda, intelligit libenter & cum animi promptitudine, & Oleaster ait, *memento animaduertere illius temporis charitatem.*

Tauler.

Fides operibus coniuncta à sponsa Christi requiritur.

165 *Effundensque hydriam dedit camelis* &c. cur quæso sinit defatigari illam nobilem & ingenuam virginem seruus Patriarchæ, cùm tale signum futuræ coniugis Isaac non popoścerit? verba enim illius vt sonant sic se habent, puella cui dixero da mihi bibere & illa dixerit, bibe domine, quin & camelis tuis tribuam potum, ipsa est quam præparasti seruo tuo: en quomodo verba illius solum expetit? tamen non sic contigit, nam de facto non solum bibit ipse, sed etiam permisit vt Rebecca omnes suos potaret camelos; verum est sic contigisse, scilicet quod petitio eius solum verba exigebat benigna, tamen ea non solitaria intendebat, sed operibus adiuncta, non quibuslibet sed laboriosis & magnis, vt in sponsum Domini sui admitteretur, sic Deus fidem postulat sed charitatis formatam operibus, nam alioquin nō tibi proficiet fides, nec ad perfectam consummatamque cum sponsa coniunctionem peruenies, vt egregiè adnotat. D. Amb. lib. 1. de Abr. hunc locum exponens, *vbi inuenitur Ecclesia*, ait, *nisi in Mesopotamia? inde quæritur, ibi accersitur, ibi duobus stipatur fluminibus, lauacro gratiæ & fletu pœnitentiæ*, etenim nisi peccata propria defleueris, nisi gratiam baptismalem acceperis, non tibi acquiritur Ecclesiæ fides, & quædam coniugalis copula.

D Ambr.

Alacritas in bono opere exequendo quascunque diuitias superat.

166 *Effundensque hydriā recurrit ad puteum*, septuag. cucurrit, ex hac promptitudine qua non solum sibi, sed & camelis suis potum præbet, colligit Rebeccā sibi Domini sui futuram coniugem: nonne ex pluribus diuitiis quibus abundaret, vel ex pulchritudine qua alias superaret virgines, hoc potius potuit inferre? prudenter equidem hoc ex illius animi prōptitudine colligit, quia alacritas in bono opere exequendo quascunque excellit diuitias: *monstratur in hoc* (inquit Chrysost.) *puellæ indicibilis alacritas, quibus hæc opibus non sunt pretiosiora? quibus hæc thesauris non sunt præferenda? hæc summa dos, hæc summa bona, hæc thesaurus qui non consumitur.*

S. Chrys.

Corpori necessaria sunt administranda.

167 *Effundensque hydriam* aquam haustam omnibus camelis dedit, dedisse seruo Eliezer potum aquæ sufficit, cur etiam laborem impendis in aqua pro camelis haurienda? per camelum caro nostra vel corpus intelligitur; merito igitur non solum Eliezer, sed etiam camelis quibus insidebat, potum præbuit, quia non solum animæ, sed etiam corporis cura habenda est; sensus est mysticus D. Gregor. cum ait, *aqua etiam iumentis datur, quando, quomodo carnis cura habenda sit disponitur, vt vel voluptate impendi non debeat, & tamen in necessitatibus non negetur, sicut scriptum est curam carnis ne feceritis in desideriis, qui enim hanc in desideriis fieri prohibet, procul dubio in necessitate concedit, iuxta hoc quod rursum dicitur, nemo carnem suam odio habet, sed nutrit & fouet eam.*

D Greg. cit. à Lipp.

Prius attentè verbum Dei audiendum & suscipiendum quàm aliis annuntiandum.

168 *Effundens aquam in canalibus*, cur priùs aqua in canales proiicitur quàm ex ea cameli biberint? nota ex Hugone Card. per canalem cor humanum intelligi, sicut enim canalis quemlibet liquorem recipit, sic cor quemlibet affectū admittit: prius igitur aqua (qua verbum Dei denotatur) in canales effunditur, quàm eam bibant cameli, quia vt ait cit. Card. *prius cor humanum debet esse concha per disciplinæ susceptionem quàm fiat canalis per doctrinæ effusionem.*

Hug Card.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXI.

VVLG. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens vtrum prosperum iter suum fecisset vel non.

Sep. Homo autem considerabat eam & tacebat.

Cal. Vir autē admirabatur eā tacitus cōtemplādo.

Pag. Et vir stupebat in ea tacens.

Caiet. Vir attonitus prope eam faciens tacere.

Oleaster. Et vir desertus est cogitans, vtrum Deus secundaret viam suam.

CONCORDIA.

VErbum Hebraicū est משתאה mistahe quod diuerso modo verterunt, deducitur à verbo שאה saah quod propriè sonare videtur, vt ex nomine Saon quod est sonitus constat Isa. 66. Saon id est sonitus de ciuitate, & ex consequenti desertum aut cauum locum, qui vocem reddere videtur quam echo vocant: & verbū desolare, deserere aut deijcere, deuastare, vnde Oleaster sic vertit, vir desertus est, scilicet viribus aut spiritu destitutus, Charas חרש significat arare & fabricare, & ex consequenti cogitare, quod cogitas in corde suo fabricare videtur, significat etiam conticescere, siue silere: צלח Salach & prosperare & secundare denotat.

EXPOSITIO.

IPse autem contemplabatur eam tacens &c. considerabat attētè & perpendebat vtrum in ea signa adimplerentur quæ à Deo postulauerat & per illa experiri volens, an Deum ductorem viæ habuisset & fœlici exitu iter suum prosperasset.

CON-

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Pulchritudo vt plurimum in superbiam incidit.

169 Contemplabatur eam tacens, in Hebræo stupebat quid attonitus miraris puellam vidisti tibi propinantem, hoc ne admiratione dignũ? non enim insolitum est virginem potum præbere sitienti, Lipp. ait *attonitus erat vir ille intra se & supra quam dici posset admirabatur cùm videret puellam tam elegantem & obsequentem*: preme illa duo vltima verba *tam elegantem & obsequentem*, quasi diceret in admirationem rapior, cùm video pulcherrimam virginem, quæ ex pulchritudine sua non superbiat, imo humilis mihi præstat obsequia.

Lippo.

Vxor futura in omnibus diligenter consideranda.

170 *Contemplabatur eam tacitus*, &c. an pulchritudinem eius solum considerat? an solùm incessum? an solùm sermonem? nullum ex his seorsim, sed omnia simul attentè conspiciebat, quia coniux futura non solum in vno vel altero, sed in omnibus diligenter est consideranda, id annuit Chrysost. quid est *contemplabatur eam tacitus? verba puellæ diligenter considerabat, aspectum, incessum, aliaque omnia, vt scilicet an hæc à Deo sponsa præpararetur filio domini sui compertum haberet.*

Chrysost.

Non solum charitatis opera exhibenda, sed etiam reprehendendi qui ea non præstant.

171 *Contemplabatur eam tacitus*, an eius in te charitatem solum admiraris? an ingenuam liberalitatem erga te exhibitam? aduerte quid dicat Iosephus lib. 1. cap. 24. de Eliezer, cùm esset inquit in suburbanis, plures vidit virgines euntes ad aquam, orauitque Deum vt Rebecca ob quam desponsandam filio suo eum emisit Abraham, si secundum voluntatem eius essent nuptiæ celebrandæ, inter illas ita cognosceretur, vt aliis quidem aquam poscenti negantibus, illa præberet, en quomodo aliæ mulieres potum ei denegauere? considerabat igitur eam non solùm quia charitatis opera sibi exhibuerat, sed quia socias quæ id non præstiterant, arguebat, sic Carth. ex mente Iosephi *increpauit puellas tanquam inclementes quæ potum aquæ negauerunt peregrino.*

Ioseph.

Prouidentia Dei admiratione digna.

172 *Contemplabatur eam tacitus*, Cald. admirabatur existimas forte solum virtutem puellæ considerasse, quid igitur aliud? certe Dei prouidentiam, quæ hæc omnia ita disposuerat ad votum Domini & ad suum nutum: & sic optime vertit Chaldæus admirabatur, prouidentia enim Dei admiratione digna, quæ varijs euentibus nostra ad fines suos dirigit negotia, quæ licet casu & fortuito contigisse videantur, ordinatissima tamen sunt Dei dispositione.

Dion. Carth.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXII.

VVLG. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem.

Sep. Factum est autem postquam cessarunt omnes cameli bibentes, sumpsit homo inaures aureas singularum drachmarũ ponderis, & duas virias in manus eius decem aureorum pondus earum.

Cald. Tulit vir inaurem auream, appendentem siclum vnum, & duas armillas super manus eius.

Pag. Tulit vir inaurem auream semissis pōdus eius decem aurei pondus earum.

Art. Dimidium sicli pondus eius.

Caiet. Circum aureum becaeh pondus eius.

Chrys. st. Circumponet ei inaures aureas.

CONCORDIA.

IN Hebræo est solum protulisse inaurem auream, quamuis in vulgato habeamus in plurali & apud septuaginta dedisse inaures aureas, tamen nulla est discordia, quia Vulgatus noster loquitur de duabus inauribus duabus appēdendis auribus, in hebræo autem est sermo de inaure auri vnicuique appēdenda, certum est enim vnam aurem ornatam altera inornata non mãsisse: vbi legimus duos siclos pro vtraque inaure, certe pro vnaquaque in Hebræo habemus dimidium sicli, id est vnum siclum pro vtraque, & sic vtraque lectio inter se cohærere non videtur, tamen non est dissonantia, nam noster vulg. siclos minores siue dimidiatos intelligit; dimidium enim sicli vocatur subinde siclus, sicut regalis apud Hispanos maior est & minor siue dimidiatus, maior enim est 10. solidorum, minor autem quinque: vel dices quod cum pondera sint varia in diuersis regionibus, siclus vnus Palestinæ vbi morabatur Abraham, erant duo sicli Mesopotamiæ vbi morabatur Laban de quibus locutus est vulgatus.

EXPOSITIO.

POstquam autem biberunt cameli ad satietatẽ enim eis potum præbuit, *protulit inaures aureas*, id est ei dono dedit, inaures autem sunt aurium ornamentum à puellis nobilibus gestari solitum, appendentes siclos duos scilicet vsuales non autem sanctuarij, de quorum valore supra diximus capite præcedenti, & armillas totidem quæ sunt brachiorum ornamenta rotunda vel ex margaritis vel ex auro & alia simili materia.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non solum aures audiendi, sed etiam manus operandi habeamus.

173 *Protulit inaures aureas & armillas totidem*, nonne sufficiebat ei obtulisse inaures & illas aureas pro aquæ exiguo dono? cur igitur etiam & dedit armillas? cùm anima fidelis Rebecca adumbretur, inaures auditum significent, & armillæ operationem: prudẽter Rebecca tam inauribus quàm armillis adornatur, quia verus fidelis non solùm aures ad audiendum id est obediendum, sed etiam manus ad operandum debet habere: ita fatetur D. Amb. lib. 1. de Abr. ca. 9. *inaures Rebeccæ pii auditus insignia, & viriæ hoc est armillæ ornamenta factorum sunt, has aures habebant quæ non grauarent aurem, sed demulcerent, has virias quæ manum non materialis auro onerarent, sed spirituali actu lauarent, & iam sume inaures quas tibi Abraham reliquit, sume quas transmisit virias, audi verba Domini Dei tui sicut ipse audiebat; exequere iussa, sicut ipse præceptauit.*

S. Amb. lib. 1. de Abr. ca. 9.

Verus obediens ad plura quàm præcipitur exequenda sit parati ssimus.

174 *Protulit inaures appendentes siclos duos & armillas pondo siclorum decem*: cur maioris ponderis fuerunt armillæ quàm inaures? hæ enim duorum, illæ autem decem siclorum erant: cùm à nobis dictum fuerit inauribus obedientiã, armillis operã denotari, non sine mysterio forte armillæ sunt maioris ponderis quàm inaures, ad exprimendam verum obedientem ad plura quàm præcipitur exequenda paratissimum, pluribus ad operandum manibus quàm ad audiendum auribus instructum.

Parentum præcipue diuitum, nimia est aliquando erga filios auaritia.

175 *Protulit inaures duas appendentes siclos duos*, quo munere illa incredibiliter delectata, quasi opes nunquam antea possessas aut visas fratri suo ostendebat: sed cur puella ex ditissimis orta parentibus & maximis opibus assueta, ad mediocria quædam munuscula sic exilit & gaudio triumphat? Orig. hom. 10. in Genes. parentes Rebeccæ de auaritia vituperans sic ait, *tanta eius inquit aut negligentia, aut auaritia fuit, vt filiæ ornamenta non daret*, quid auarius quàm immensas opes possidere, & ne in splendorem quidem domus, & in cultum filiorum liberaliter dispensare?

Origenes.

Præcipuæ mulieres ad audiendam veritatem difficiles.

176 *Protulit inaures aureas*, nunquid puellæ nobili & nobili, & in domo opulenta enutritæ deesse poterant hæc aurium ornamenta? doctus Mendosa ait minime quidem, cur igitur non obtulit alia munera peregrina quorum nouitate magis Rebecca delectaretur? dixerim inquit cit. auct. vt aliquid mysterii eo munere significaret, nimirum inaures obtulit, vt exigeret aures quibus sciebat magnates & mulieres præcipuas magna ex parte mutilari, mutilas inquam esse quoad audiendam veritatem, non quoad suscipiendam adulationem, quod reprehendens D. Fulg. ser. de decoll. Ioann. Bapti. ait, *res est extremæ dementiæ odisse loquentem* scilicet veritatem.

Men. 1 lib. reg. cap 8. n. 3. annot. 3. sect. 2.

D Fulg.

Quando munera à virginibus non admittenda.

177 *Protulit inaures aureas*, quas libenter admisit Rebecca, nonne indignum est virgine ab homine ignoto accipere munera? his enim plures allecta, valedicit pudicitiæ, cur igitur nobilissima puella non contempsit? quia data à viro iam sene, & pluribus præsentibus, & vbi omnis mali suspicio aberat, admittere potuit: nobiscum est Thom. Angli. *à sene maturo & reuerendo qualis præsumendus est fuisse procurator totius domus Abrahæ, pensato quoque loco vbi tunc erat, & societate seu familia prædicti procuratoris, hoc nihil habui suspicionis, vnde nec instantis viri donum bono modo respuere potuisset absque indecenti contemptu illius*

Thom. Angli.

Gratissimus obsequiis minimis nobis præstitis.

178 *Protulit inaures aureas & armillas totidem*, cur ita liberalis erga puellam, à qua paululam aquæ accepisti? quid enim commune habet exigua aqua tibi data cum muneribus, quæ ei offers suscipienda? prodigalitas cẽlebritur esse, imo gratitudo quę etiam minima obsequia non sinit esse irremunerata, *docet nos esse gratos* (inquit Oleaster) *omnibus ministeriis quantumuis minimis.*

Oleaster.

Solum a Christo Domino Ecclesia potuit verba diuina & opera sancta accipere.

179 *Protulit inaures & armillas totidem*, in illis inauribus aureis (inquit Aug.) significantur verba diuina, in illis armillis aureis opera sancta, quia in manibus opera designantur, sed qua de causa per alium quàm per Eliezer sub nomine Isaac, hæc non obtulit munera Rebeccæ? diximus plures Rebecca Ecclesiam, Isaac autem Christum Dominum designari: quo pacto recte satisfacit citat doctor, *quomodo Rebecca non inaures habere potuit nec armillas in manibus nisi Isaac per seruum suum transmitteret: ita Ecclesia nec verba diuina in auribus, nec opera sancta habere potuisset in manibus nisi hæc illi Christus, per suam gratiã per suos Apostolos contulisset.*

S. August. serm. 71. de temp.

Diligendus Deus & proximus, nec non in decem præceptis oportet operari.

180. *Protulit inaures aureas appendentes siclos duos & totidem armillas pondo siclorum decem*, cur potius siclorum duorum quàm trium sunt inaures, & cur decem non autem nouem aut vndecim sunt dextralia? optime Rupertus, *quia in duobus præceptis vniuersa lex pendet & Prophetæ, vt scilicet Deus & proximus diligatur, bene inaures duorum siclorum; quia vero in decem præceptis operari conuenit, armillæ pondo decem fuere siclorum.*

Rupert. li. 6 in Gen. ca. 42.

Concionator suis obedientiam suadeat & rectam operationem.

181 *Protulit inaures aureas & armillas totidem*, nonne alia habuit monilia, quæ in aliarum corporis partium ornatum cederent, offerenda Rebeccæ? cur igitur hæc priora obtulit? quia concionator per Eliezer designatus, primo auditoribus suis obedientiæ fidem

D. Greg. Mag. cit. à Lyr. fidem per inaures, & rectam operationem per armillas significatam debet annuntiare. Sic D. Greg. *quia prædicator auditum Ecclesiæ per obedientiam & manus per operationem exornat.*

Concionatoris doctrina consistit in eruditione fidei & morum instructione.

182 *Protulit inaures aureas*, inauris aurea, inquit Hugo Carensis, est doctrina Catholica, quæ in aure percipitur, sed cum vnica sit doctrina Catholica designata inauri aurea, cur ei duas appendit inaures? *quiam duobus* (ait citat. Card.) *doctrina consistit in eruditione fidei & in instructione morum, vel in detractione mali & in ædificatione boni.* Hugo. Card.

Dona non ab hominibus infidelibus, sed à iustis accipiamus.

183 *Protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos & armillas totidem pondo siclorum decem*, nonne pater diues erat? nonne habebat brachialia & inaures, quas daret filiæ suæ? quomodo ergo hæc ei ornamenta desunt? nota quidem ea non habere sed accepisse à domestico Abrahamo, quia dona ab infidelibus non accipienda sed à fidelibus: ita fere Origen. hom. 10. *Rebecca non vult de auro Bathuelis ornari, non sunt ei condigna ornamenta hominis barbari & imperiti, de domo Abrahæ requirit monilia, nec mansuetus suscipiat ornamenta nisi quia miserit Isaac.* Origen.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIII.

VVLG. Dixitque ad eam, cuius filia es indica mihi? est in domo patris tui locus ad manendum?

Sep. Annuntia mihi si est apud patrem tuum locus nobis ad diuertendum.

Pag. Locus nobis ad pernoctandum.

CONCORDIA.

לין Lun non solum pernoctare, quamuis aliqui minus proprie id significare asserant, sed diuertere, & permanere, vel manere denotat.

EXPOSITIO.

C*Vius filia es?* plures existimant prius Eliezar nomen puellæ sciuisse quàm inaures dederit, ne ignotæ virgini munera tradidisse videretur, sed facilis solutio est, si dicas non ignotæ puellæ dedisse, sciebat enim ex signo quod à Deo petierat, hanc futuram Isaaci coniugem, sicque potes tenere priùs munera dedisse, deinde interrogasse cuius filia esset, nam licet cognosceret quod ex cognatione Abrahæ esset, nesciebat tamen patrem illius, *est in domo patris tui locus ad manendum?* id est ad noctem in ea transigendam, vt opportunius sermonem conferret de matrimonio contrahendo.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Matrimonium tractandum non celeriter sed opportunè.

184 **I**Ndica mihi est ne in domo patris tui locus ad manendum? nonne sufficiebat à puella potum petiisse? cur ergo adhuc importunus domum ad pernoctandum postulas? non vt importunus hoc petit, sed tanquam prudentissimus, vt commodè & opportunè in ea domo pernoctans, matrimonio Isaac vacare posset: Fauet. Abul. *volebat Eliezer manere in domo Rebeccæ, quia intendebat eam petere in vxorem pro domino suo & ideo melius colloqueretur & procuraret negotium manens in domo quam si extra hospitaretur, quia in domo existens videret opportunitates ad proponendum quas non videret extra existens.* Abulens. Abulens.

Dignus hospes cognoscitur ex familiæ suæ virtute.

185 *Indica mihi est ne locus in domo patris tui ad manendum:* cur in domo patris puellæ vis pernoctare, & in ea hospitium seligere, cum an sit morosus, accessusque difficilis ignores, & grauis peregrinus? nonne virtutem & charitatem puellæ cognouerat? non dubitat igitur illius patrem liberalem & hospitalem esse, quia dignus hospes cognoscitur ex familiæ suæ virtute, *dignus hospes*, inquit Hugo Card. *testimonio vicinorum cogitur.* Hugo. Card.

Signa data in confirmationem alicuius veritatis prudenter consideranda.

186 *Indica mihi cuius filia es?* nonne signum agnoscendæ futuræ coniugis Isaac à Deo postulasti? scilicet quod puella cui diceres, inclina hydriam tuam vt bibam, & illa, bibe domine mi &c. ipsa à Deo præparata esset in vxorem filii Abrahæ, illa autem vt vidimus non solum tibi, sed & camelis tuis potum præbuit copiosissimum, cur ergo inquiris Eliezer nunc cuius esset filia? quia signa in confirmationem alicuius veritatis etiam cum magna cautela & prudenter admittenda: *non fuit seruus iste contentus* (inquit Oleaster) *sic vt orauerat accidisse, in hoc nos admonens non cuicumque signo fidere etiam in iis quæ à Deo euenire putamus.*

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIV.

VLG. Quæ respondit filia sum Bathuelis filii Melhcæ, quem peperit ipsi Nachor.

Cald. At illa, filia Bathuelis ego sum filij Melchæ, quem peperit de Nachor.

EXPOSITIO.

QVæ respondit filia sum Bathuelis, Duo quæsierat Eliezer à Rebecca, cuius filia esset, & an esset in domo patris eius locus ad pernoctandũ, primo quæsito iam satisfacit, cum se dicit filiam Bathuelis filij Nachor & Melchæ, Nachor autem auum suum addidit, vel Dei impulsu, vel quia non solum patrem, sed etiam auum voluit cognitum haberi.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Virgines modestè quæsitis respondeant.

187 *Quæ respondit filia sum Bathuelis*, nonne potuisset dicere sufficiat à me potum accepisse, quid igitur curiosè nomen meum inquiris? quid tibi curæ quo nomine nuncuper? & à quo originem ducam? nihil tale respondet, sed cuiusnam sit filia aperit, virgines enim modeste quæsitis debent satisfacere, *percontatur seruus* (inquit Procop.) *quo genere sata sit, & illa nequaquam vt curiosum virum auersata est, sed genus commemorat.*

Procopius.

Serui in exequendis dominorum suorum iussis sint diligentissimi.

188 *Quæ respondit filia sum Bathuelis*, nonne sciebas adimpletum esse signum, quod à Deo postulaueras ad dignoscendam futuram Isaaci coniugem? cur igitur eam interpellasti vt cuiusnam esset filia tibi aperiret? aduerte quod Abraham eum iuramento obstrinxerat, vt non aliam nisi ex cognatione sua coniugem filio suo sumeret: merito igitur illam vt cuius filia esset, aperire coegit: sic enim in exequendo domini sui iussu, sagacissimus & diligentissimus fuit.

Deus læta suis annuntiat, & desideriis eorum satisfacit.

189 *Quæ respondit filia sum Bathuelis filij Melchæ quem peperit ei Nachor*, solum sciscitatus est à quo originem duceres, & tui nomen parentis, non autem aui, cur ergo vtriusque nomen aperis? diuino sane instinctu impulsa nomen Nachoris Eliezer cogniti, tanquam fratris Abraham declarat, vt gaudio perfusus, cognosceret quomodo cuncta suis desideriis prospere cederent, hoc animaduertit Abul. *Rebecca*, (inquit) *mouebatur à Domino qui totum istud negocium quodam occultissimo ordine conuertebat, vt ipsa narraret vsque ad Nachor, quem Eliezer sciebat esse fratrem Abrahæ, quia à Domino suo hac sæpe audierat, & sic Eliezer iret lætus in domum Rebeccæ: si autem dixisset Rebecca solum filia Bathuelis ego sum, non cognosceret Eliezer vtrum esset de cognatione Abrahæ, quia Abraham non solebat facere mentionem de Bathuele.*

Abulens.

Qui in se non habet quid dignum laude, de auorum nobilitate gloriatur.

190 *Quæ respondit filia sum Bathuelis filij Melchæ, quem peperit ipsi Nachor*, preme silentio nomen aui, cùm solum cuius filia sis interrogeris, cur patrem, & auum meministi? Dauid interrogatus de parentibus à Saule 1. Reg. 17. de qua progenie es ô adolescens, dixit Dauid, filius serui tui Isai Bethleemitæ ego sum, auos non recenset, sed solum patrem: cur ergo illa tota est in auis memorandis de illis non interrogata Dauid autem de illis interrogatus *de qua es progenie*, eos non memorat? erat Dauidi in manibus Goliath caput, quod recenter absciderat ei, qui talia perpetrat facinora, non multum curat auorum stemmata. Sed Rebeccæ nihil erat piæ manibus præterquam quod habebat hydriam de fonte plenam: ne miremur igitur quod adeo multa fuerit in auis percensendis, quæ in se pœne nulla erat: hinc D. Hiero. in epitaph. Fabiolæ ait *alius forsan memoret Quintum Maximum vnus qui nobis cunctando restituit rem, & Fabiorum gentem proferet in medium: duceret pugnas, describeret prælia, & per tantæ nobilitatis gradus Fabiolam venisse iactaret, vt quod in virga non poterat, in radicibus demonstraret.* Humi enim repentis plantulæ proprium est radicem virtutis iactare quando in ramis nullum habet fructum.

D. Hieron.

Peccator omnino non agnoscitur.

191 *Quæ respondit filia sum Bathuelis*, sed cùm per Eliezer diximus concionatorem intelligi, & per Rebeccam, animam: quomodo sciscitatus est cuiusnam esset filia? ignoratne à Deo creatam esse ad suam imaginem & similitudinem, sicque filiam eius esse? Hug. Card. ait, filia diaboli est per culpam, en quomodo tanquam ignorans inquirit cuius est filia? qua anima peccatrix à Deo & à suis præconibus nõ agnoscitur. *Fias igitur* (inquit cit. auctor,) *filia Dei per gratiam, & agnosceris.*

Cit. Auct.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXV.

VLG. Et addidit dicens, palearum quoque & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum.

Sep. Et paleæ & pabula multa apud nos, & locus ad diuertendum.

Pag. Etiam locus ad pernoctandum.

CONCOR-

CONCORDIA.

NOster vulg. legit fœnum, quod alij dixerunt pabulum, ex dictione Hebræa מספוא mispo, quæ omnem cibum iumento proprium præter paleas dicit, scilicet hordeum & auenam, nec non herbas, & fœnum significat.

EXPOSITIO.

ADdidit dicēs palearū quoque & fœni plurimum est apud nos, non interrogata ab Eliezer plura proponit, nempe etiam pabulum esse sufficientissimum pro camelis, & locus spatiosus ad manendum, quasi diceret, ne timeas in domo patris mei pernoctare, est enim capacissima, vt qui te committeat, & cameli facile in ea sine incommodo quietem capiant.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iusti, quæ aliis sunt necessaria libenter offerunt.

192 ADdidit palearum quoque & fœni plurimum est apud nos, cur fateris ea omnia domi tuæ habere? an compertum habes id patrem tuum non moleste laturum? minime quidem, probi enim homines quæ sunt necessaria libenter aliis tribuunt, sic obseruat Oleast. *Solent viri impij docere filios negare vicinis, quæ apud eos sunt, ne illi ab illis ea quibus indigent petant: non sic viri probi, sed omnes quæ domi indicare, quæ vsui aliis esse possunt, docent.*

Oleast.

Peregrinos nobiscum diu manere non debemus ferre molestè.

193 *Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos*, cur iactas locum esse spatiosissimum in domo tua ad manendum, nec non & pabulum copiosissimū pro camelis alendis? nam occasionem diu tecum manēdi accipiet, quod tibi & Patri forte erit intolerabile, nam etiam propinquos & amicos diu nobiscum commorantes tolerare non possumus, his non obstantibus vt Eliezer domi tuæ manere compellat, plurimos dies si libuerit, nihil ei defuturum pollicetur, hoc exemplo nos inducens ad non ferēdum moleste si nobiscum peregrini diu commorentur, *illa nequaquam auersatur*, (inquit Procopius) *nos autem si hospitio excipiendi sunt saltem vnum diem propinqui & amici, cælum terra miscemus & indignamur.*

Procop.

Peregrinis plura sunt danda quàm petierint.

194 *Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos*, si solum à te quæsiuit Eliezer, vtrum locus esset in domo tua pernoctandi gratia; cur quæsito illius non solum satisfacis, sed subiungis copiosissimum esse etiam in ea pabulū? quia peregrinis & aduenis plura sunt danda quàm petierunt: consentit D. Chrysost. *considera, inquit, puellæ responsum, nam sicut cùm aquam peteret Eliezer, non solùm eam dedit, sed & camelos illius potauit: ita & hic rogante seruo num esset locus ad manendum, illa non solum respondit est locus spatiosus ad manendum, sed addidit dicens palearum quoque & fœni plurimum est apud nos.*

S. Chrysost.

Perfecta hospitalitate apud peregrinos vtamur.

195. *Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos*, nonne satis hospitalis censeberis, si lectum ve ei eo ab itineris labore se reficiat, tribueris? vel vt stabulum aliquod pro camelis præparari iubeas? ad quid igitur cibum omnibus ita libēti animo te daturum polliceris? aduerte hospitalitatem imperfectam exercere qui solum cubiculum & cubile in quo quiescat peregrinus, tribuit, si etiam cibos non offerat, prudenter igitur non solum locum ad manendum esse dicit, sed & copiam pabuli, vt perfecta hospitalitate apud Eliezer vteretur: sic Abul. *Sicut in hominibus non est perfecta hospitalitas dare lectum ad quiescendum, nisi detur cibus ad recreandum: ita enim patet supra de Abraham & Loth, qui hospitibus suis immediate parabant, sic etiam de iumentis ad complementum hospitij dare oportet pabula.*

Abulens.

Concionatori stipendium temporale non negandum.

196 *Palearum & fœni multum est apud nos*, cur hæc offers Eliezer? sufficiat illi potus quem præbuisti; si dictum est à nobis per Eliezer concionatorem designari, & per Rebeccam animam, cui verbum veritatis annuntiatur: merito pabulum & alia offerat ei puella, quia sancta Ecclesia teste D. Greg. verba vitæ audiens, terrena stipendia prædicatoribus reddidit: quæ Paulus quasi pro nihilo accipere se dixit, *Si nos inquit spiritualia vobis seminauimus, magnum est si à nobis carnalia metamus.*

D Greg. cit. à Lipp.

Concionatori amplissimum est domicilium latitudo charitatis auditoris.

197 *Palearum & fœni multum est & locus spatiosus ad manendum*, mysticè hæc exponens D. Greg. in Ezech. ait, Ecclesia (designata per Rebeccam) prædicationis verba in amplo charitatis gremio suscepit, sed quodnam est illud, ô Gregori, charitatis gremium amplum? optime satisfacit doctor, *spatiosus ad manendum locus est in auditoris corde latitudo bonitatis*, legit Hugo Card. *latitudo charitatis*, Lipp. *latitudo veritatis*, en quomodo vel latitudo bonitatis, aut charitatis auditoris, concionatori amplissimum est domicilium?

Cit. Greg.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVI.

VVLG. Inclinauit se homo, & adorauit dominum

Sept. Et benedicens homo adorauit Dominum.

Cald. Et flexit vir genua sua, & adorauit coram Domino.

Pag. Et incuruauit se & genuflexit Domino.

Chryſ. Quod cùm probaret homo adorauit Dominum.

CONCORDIA.

קדד Kadad inclinauit, vel verticem incuruauit, honoris exhibendi cauſa ſignificat, neſcio autem qua de cauſa dixere ſeptuaginta εὐδοκήσας ὁ ἄνθρωπος benedicens vel complacens homo, niſi quod Deo benedixit, videns omnia ſibi proſpera contingere.

EXPOSITIO.

Inclinauit ſe vel ceruicem ſummittendo, vel genua flectendo, *adorauit Dominum*, genu enim flexione tanquam actu exteriore Deum adoratione latriæ colimus, ſenſus igitur poteſt eſſe; Eliezer genuflectens Deum adorauit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Dei beneficiis grati eſſe debemus.

198 *Inclinauit ſe homo & adorauit Dominum*, cur audito quod in domo Patris Rebeccæ palea & fœnum eſſet, nec non locus ſpatioſiſſimus ad manendum, Deum adorauit? nota quod hoc in loco *adorare* ſignificat gratias agere: inſuper obſerua non exiguum à Deo beneficium accepiſſe in eo quod ſponſam pro Iſaac, illius cognationis quam exoptabat, inuenerat: merito igitur hic Dominum adorat, id eſt gratias agit, quia Dei beneficiis grati eſſe debemus, *exilarans ſeruus* (inquit Chryſ.) *in his quæ cognouerat, & quæ ei puella dixerat, adorauit Dominum, & gratias illi egit, eo quod in Patriarcham, & in ſe tantam declaraſſe prouidentiam, eo quod omnia tam proſpere atque fœliciter ſucceſſiſſent.* S. Chryſoſt.

Gratiarum actiones non ſunt differendæ.

199 *Inclinauit ſe homo & adorauit Dominum*, cum ad exitum fœlicem negotium cuius gratia veniſti, Meſopotamiam perduxeris, tunc immortales Deo referes gratias, pro ſucceſſu illius proſpero, à gratiarum actione incipit, non enim diu differenda eſt: ſic Procopius *ſuaue inclinato capite numen adorat, nihil enim prius gratiarum actione habere debet, qua oſtendat ſe non eſſe ingratum Deo.* Procop.

Nihil aliud mediteris ante omnia quàm gratiarum actionem.

200 *Inclinauit ſe homo & adorauit Dominum*, nonne inuentæ quam deſideraueras puellæ munera offerre debueras? ſi Rebeccam offendiſti votis tuis reſpondentem, cur eam tanquam futuram Domini tui ſponſam nō honoras domi? inaures aureas & armillas ei offerendas non tribuis? prius Deo benefactori gratias refert quàm quodlibet aliud circa creaturam præſtet: nihil enim aliud ante omnia meditandum eſt quàm gratiarum actio: id ponderauit S. Theod. ſer. 8. de prouid. *poſtquam ſigna quæ petierat vidit omnia, nec tum quidem ante gratiarum actionē deſponſationis ſymbola dedit, nec voluptate victus, largitoris oblitus eſt; ſed donum coram videns ſe doni quoque largitorem videre credidit, ei prius pro virili ipſum collaudauit, deinde hoc modo munus oblatum ſuſcepit, poſtquam enim plura quam poſtularat accepit, quantis potuit laudibus beneficij huius auctori gratias retulit ei, atque in pronuntiationibus veritatis teſtimonium tulit, benedictus enim inquit Dominus domini mei.* Theodor.

II.

Dei gratiæ fœlicem euentum in negotiis noſtris tribuamus.

201 *Inclinauit ſe homo & adorauit Dominum*, cur Deo refers gratias? nonne tuæ induſtriæ quidquid egiſti tribuendum? nam in Meſopotamiam veniſti, munera dediſti Rebeccæ, ab ea didiciſti cuiuſnam eſſet filia &c. nihilominus Dei recolit beneficiū, ſcit enim quod fœlix euentus in negotiis noſtris Deo ſit maxime tribuendus: obſeruatio eſt Hugo. Card. *inclinauit ſe nihil ſibi tribuens, ſed Dei gratiæ.* Hugo. card.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXVII.

VVLG. Dicens benedictus Dominus Deus Domini mei Abrahā qui non abſtulit miſericordiam & veritatem ſuam à Domino meo & recto itinere me perduxit in domū fratris domini mei.

Sept. Qui non dereliquit iuſtitiam ſuam & veritatem ſuam à Domino, meque proſpere deduxit Dominus, &c.

Cald. Qui non dimiſit miſericordiam & veritatem à Domino meo, & recta via deduxit me.

Pag. Peregrinantem deduxit me Dominus, &c.

Ar. Ergo in via duxit me Dominus in domum fratrum Domini mei.

CONCOR-

CONCORDIA.

עזב Azab non solum deseruit, dereliquit, sed & abstulit significat in Hebræo אנכי בדרך baderex Anoxi habemus, sed subintelligendum est, erant, & sic sensus erit omnibus communis, vbi legimus in domum fratris, in Hebræo est in plurali in domum fratrum, sed vulgatus intelligit de Nachor fratre Abraham, Hebr. autem de illius consanguineis, qui omnes tunc fratres dicebantur.

EXPOSITIO.

Benedictus Dominus Deus, &c. id est quem colit ac profitetur Dominus meus Abraham, *qui non abstulit misericordiā & veritatē &c.* Hebraismus est, id est qui & nunc misericors, & verax in promissis suis fuit erga Dominum meum Abraham, *& recto itinere me perduxit* scilicet ad domum & progeniem Nachor.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non solum gratiæ pro beneficiis referendæ, sed etiam eorum materia recolenda.

202 Benedictus Dominus qui recto itinere me perduxit, nōne sufficiebat Eliezer gratias Deo retulisse, pro accepto beneficio? ad quid igitur illud in mediū proponis, dicens prosperū iter tuū fecisse? quia non solū pro beneficiis à Deo acceptis gratiæ sunt referendæ, sed etiam eorum materia recolenda est: Sic Caiet. *subiungit seruus ma etiam beneficii Domino collati Abrahæ dicendo in via habui summum essendi principium.*

Card. Caiet.

Viri iusti nihil suis meritis tribuunt, sed orationibus sanctorum.

203 *Benedictus Dominus qui non abstulit misericordiam suam ab Abraham,* cur facit mentionem Abrahæ Eliezer? nonne sufficiebat dicere benedictus Deus qui mihi hoc contulisti beneficium, vt fœlicem haberet negotium meum, exitum? prudenter Abrahæ meminit, cuius intuitu eum perduxisset Deus (quia vt optime Oleast.) *nihil viri iusti sibi aut meritis suis tribuunt, sed sanctorum orationibus, quarum ope se omnia nactos arbitrantur.*

Oleast.

Dei misericordiæ nostra tribuamus prospera.

204 *Benedictus Deus qui non abstulit misericordiam suam à Domino meo,* dicerem, Deus omni dignus benedictione qui hoc præmium operibus meis contulit vt prosperum mihi contingeret iter, prudenter loquitur equidem cūm ait, Deus qui non abstulit misericordiam suam à Domino meo, quia illius bonitati & misericordiæ nostra tribuenda est prosperitas, hoc agnouit Abul. cū n ait, *vocatur hic misericordia Dei quia hoc non fecit Deus, tanquam si ad hoc compelleretur vel aliàs obligaretur, sed sola benignitate sua.*

Abulens.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVIII.

VVLG. Cucurrit itaque puella, & nuntiauit in Domum matris suæ omnia quæ audierat.

Sept. Nuntiauit in domum matris suæ verba hæc.

CONCORDIA.

Parui refert quod in Hebræo est כדבר ים האלה Caddenarim haelle, secundum verba hæc, sed idem quod in littera nostra est, videlicet nuntiauit omnia quæ viderat.

EXPOSITIO.

Cucurrit itaque puella, nempe præ gaudio euentus inexpectati, *nuntiauit in domum matris suæ,* etsi patrem adhuc haberet superstitem, mater tamen illius seorsum in visa parte totius domus cum puellis degebat, more Hebræorum & orientalium quibus in visa domo virorum ac fœminarum distinctæ habitationes visebantur & ideo ad domum matris cucurrit, nuntiauit *omnia quæ audierat*, scilicet ab Eliezer.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Virgo ne diu sermones conferat etiam cum viris iustis.

205 *Cucurrit itaque puella &c.* cur hominē tibi colloquentem deseris? cur aufugis? murbana ab hoc peregrino censeberis, merito currit & hominem loquētem adhuc solum derelinquit: quia virgo pudore affici debet, si diu sola cū viro loquatur, sicque Rebecca prudens defert ad matrē quicquid à viro audierat, ne forte aliquod adiret periculū

cum viro sermones conferens, quod amplius laudatur in matre Sansonis, ea quidem vt scribit D. Amb. lib. 3. ep. 23. *non passa sine viro scire vel diuinitatis secretum, insinuauit viro visum sibi hominem Dei præclara specie futuræ sobolis ferentem oracula.*

D. Ambr. lib 3. epist 23.

Alacritas in hospitalitate declaranda.

206 *Cucurrit itaque puella &c.* nonne animū hospitalem apud Eliezer aperuisti, cùm potum aquæ non solum ei, sed & camelis suis præbuisti, cū locum esse ad pernoctandum in domo patris tui sufficientissimum esse dixisti, nec non maximam esse pabuli copiam in ea? cur ergo adhuc cursu præcipiti tendis ad matrē annuntiatura quæ tibi contigerunt? quia hoc cursu exprimere voluit alacrem animum in hospitalitatis officio Eliezer, & socijs eius exhibendo: *vide quomodo* (inquit Chrys.) *in singulis declaret nobis hospitalitatis alacritatem, cursu, verbis, mansuetudine, & ita cum voluptate cucurrit.*

Chrysost.

Mulieres decet in cubiculis à viris separatas suis vacare negotiis.

207 *Cucurrit puella & nuntiauit in domum matris quæ audierat,* cur matri potius quàm patri, quæ à viro spectabili audierat, aperit? dices quia cum matre familiarius quàm cum patre versabatur. Sed cur dicitur quod in matris non autem patris domum cucurrit? sufficiens responsio Lipp. *quia forte mulieres tabernacula separata in domibus maritorum habebant, in quibus cum filiabus & ancillis opera fœminis competentia exercebant,* en quomodo decet mulieres in cubiculis separatas à viris suis vacare munus.

Lippom.

Muliebre genus ad dona capienda promptius quàm virile.

208. *Cucurrit puella in domum matris suæ,* in patris domum curr at, nuntians aduentum serui Abrahæ, nam potius patris erat quàm matris scire eum aduenisse, vt hospitio reciperetur, cur ergo puella patris alloquium fugit, & ad matrem festinat? nonne acceperat puella inaures aureas, & armillas & alia munuscula? cauens ergo cum eis apparere in conspectu patris, ad matrem cucurrit, vt cui acceptio munerum & donorum, quia mulier erat, non poterat inuisa & iniucunda esse.

Mater filiabus familiarior quàm pater.

209. *Cucurrit puella & nuntiauit matri quæ audierat,* Patri renuntia, nam quid agendum sit, maturius quàm mater considerabit, & maiori cum prudentia exequetur, tum etiam quia mater nihil inscio patre tuo disponet, aperi ergo genitori quæ tibi contigerunt, nihilominus genitrici potius nuntianda censuit, quia sibi familiarior erat quàm pater, *propter familiaritatem maiorem* (inquit Hugo Carens.) *quam habent filiæ erga matres matri nuntiauit quæ audierat.*

Hugo. Carens.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIX.

VVLG. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, vbi erat fons.

Sep. Cucurrit Laban ad hominem foras ad fontē.

EXPOSITIO.

Habebat *fratrem nomine Laban* hic est qui filias suas Liam & Rachelem Iacob matrimonio iunxit, *qui festinus egressus est ad hominem,* audierat enim quæ matri suæ renuntiauerat Rebecca, *ad fontem,* ibi enim expectabat rei euentum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peregrinus modestiam præ se ferat in ingrediendis hospitiis.

209 Festinans *egressus est ad hominem vbi erat fons:* cur iuxta fontem mansit Eliezer? nonne potuit vltra progredi saltem vsque ad domum matris puellæ, eam non ingrediens, sed ibi responsum Rebeccæ expectans cum ex cognatione Domini tui Abraham esse cognouisti? merito fontem non prætergreditur, quia peregrinus modestiam præ se ferre debet in egrediendis hospitiis, *Stat secus ad fontem,* inquit Lipp. *vt tanquam amicus inuitari magis & introduci ab aliquo viro posset quàm ignotus ad puellæ vocem se secum tot camelis ingereret, modestiam docet facto, ne quis se cui oneri esse parui pendat.*

Lippom.

Promptè hospitalitatem exerceamus.

210 *Festinus egressus est ad hominem,* nonne sufficiebat Eliezer occurisse vt eum ad hospitium inuitaret, & quicquid comitatui suo erat necessarium, offerret? cur igitur festinus ad id agendum egreditur? quia peregrini non solum benignè suscipiendi, sed & promptè & celeriter admittendi: Fauet D. Bon. in biblia pauperum cap. 45. *Prompta ad hospitalitatem videbatur Rebecca, quæ dixit seruo Abraham, fœni & palearum plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum & paulo post idem dixit et Laban.*

Sera Doct. in bib. pauperū. ca. 45.

Vtilissima est carnalibus piorum societas.

211 *Festinus egressus est ad hominem,* nempe Eliezer quem diximus concionatorem adumbrare, at quomodo Laban carnis operibus deditus, ad audiendum verbum Dei festinus properat? nōne ait textus, quod erat frater Rebeccæ (quæ animam fidelem repræsentat) sicque eius societate fruebatur? ne mireris igitur Laban hominem carnalem, audiendi verbi Dei gratia ab Eliezer præcone veritatis accurrisse, quia carnalis ex piorum familiaritate & societate aliquod & non exiguum emolumentum percipit. Sic D. Greg. hom. Ezech. *habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban &c. quia sunt carnales fidelibus coniuncti, quorum familiaritate aliquando ad audiendum verbum prodeunt.*

D. Greg. Ma. in Ezechiel.

VARIETAS.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXX.

VVLG. Cumque vidisset inaures, & armillas in manibus sororis suæ & audisset cuncta verba referentis, hæc loquutus est mihi, homo venit ad virum qui stabat iuxta camelos, & prope fontē aquæ.

Sep. Et factum est postquam vidit inaures & virias, &c. venit ad hominem, stante illo super camelos super fontem.

EXPOSITIO.

CVmque vidisset, Hebr. postquam audierat & viderat, est Hebraismus quem Vatablus ita explicat, vertens, viderat itaque inaures, audierat verba Rebeccæ, & ideo cum in præcedenti versu Moyses ait Laban egressum ad hominem, rem gestam exprimit, & in hoc rei gestæ narrationem, scilicet cum vidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ tunc egressus est in occursum illius.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui aliquid iustè acquirit coram omnibus defert.

112. *CVm vidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ*, cùm Rebecca esset puella modestissima, cur huiusmodi inaures aureas coram omnibus detulit, & non abscondit? quia qui aliquid iuste acquirit coram omnibus deferre potest, *nota*, inquit Thom. Anglic *quod prædicta iocalia non portanit abscondè sicut faciunt sibi de his suspectæ.* Tho Angl.

Dantes munera honore prosequimur maiori quā proprios parentes.

213. *Cum vidisset inaures venit ad virum qui stabat iuxta camelos*, maxima equidem beneuolentiæ significatio erga hominem peregrinum & solum Abrahæ seruum, an eodem amore nepotem suū Iacob admisit? nequaquam certè, imo eum domi suæ seruire coegit, vnde quæro tam eximia amoris significatio erga seruum, & erga parentem exigua? inspice quid dicat textus, cum vidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ, cum autem Iacob ad eum venit, egenus & pauper ad eum accessit: ne inquiras ergo, quomodo tam beneuolus in Eliezer? quia dantes munera maiori honore dignamur quā ipsosmet parentes: nescio si ad hoc respiciens Oleaster ait, *parant munera hospitium, exhilarant recipientis faciem & animum.* Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXI.

VVLG. Dixitque ad eum, ingredere benedicte Domini, cur foris stas? præparaui domum & locum camelis.

Sep. Heu ingredere benedictus Domini, vt quid stetisti foris?

Pag. Vt quid manes foris?

EXPOSITIO.

INgredere benedicte Domini, id est à Domino, quasi dicat gratiosum Domino, & cui Deus fauet. *cur foris stas?* id est non decet famulum talis Domini qualis est Abraham, sub dio manere, sed domum nostram tanquam egenam sed propriam ingredi: *præparaui domum & locum camelis*, postquam enim ea quæ à Rebecca dicta sunt, audiuit, ilico disposuit hospitium.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peregrini à nobis precibus compellendi, vt hospitium admittant.

204. INgredere benedicte Domini &c. nonne peregrinorum est ab aliis hospitium quærere? petat ergo Eliezer ea quibus indiget: nihilominus Laban eum honore afficiens, vt officium hospitalitatis admittat deprecatur, quia peregrini à nobis sunt cōpellendi, vt nobiscum velint commorari, *vide & hunc benedicentem Deum,* inquit D. Chrysost. *in aduētu peregrini & antequam hospitalitatem impleuit opere, multis eum exhortatus est, veni ingredere.* S. Chrysost.

Etiam peccatores Deum omnibus benefacientem agnoscunt.

215. *Ingredere benedicte Domini*, in Hebræo est Iehoua quod nomen summum essendi & benefaciendi principium denotat, quomodo Laban qui sculptilibus addictus erat, Deum sub nomine Iehoua cognoscit? quia etiam peccatores Deū omnibus benefacientem non ignorat: sic Caiet. *ibi est nomen tetragrammaton, summum enim Deum dantem omnibus esse etiam Laban didicerat: & tanquam Deum communem benefactorem omnium beneficiū illi quoque nominas.* Card. Caiet.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXII.

VVLG. Et introduxit eum in hospitium, ac destrauit camelos, deditque paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes eius, & virorum qui venerunt cum eo.

Sep. Intrauit homo in domum, & destrauit camelos, & dedit paleas & pabula camelis &c.

Caiet. Absoluit.

Cald. Et soluit camelos.

CONCORDIA.

PAtah hoc in loco soluere seu dissoluere significat, licet Sep. etiam ἀπέσαξε id est destrauit, hoc est à vinculis clitellarum absoluit, & onera deposuit, quod certè nihil aliud est quam eos soluisse.

EXPOSITIO.

ET *introduxit eum in hospitium*, scilicet Laban frater Rebeccæ Eliezer seruum Abrahæ, *& destrauit camelos*, id est deposuit sellas & onera eis imposita, *deditque paleas & fœnum*, scilicet pabulum eis conueniens, *& aquam ad lauandos pedes eius*, nempe Eliezer: aduerte quod in Biblijs recentibus sic legimus, pedes eius, in antiqua autem pedes camelorum, quod equidem inconueniens non est, nam etiã purgari potuerunt aqua pedes eorum ex puluere in itinere contracto, *& virorum qui cum eo venerant*, ex quo patet Eliezer solum non venisse, sed plures itineris sui comites habuisse.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Secundùm dignitatem comitatus seruorum tibi licitus.

216. DEdit *aquam ad lauandos pedes eius, & virorum qui cum eo erant*, quinam sunt illi viri qui erant in Eliezer comitatu? sine dubio ipsius Patriarchæ domestici: nonne superbiam sapit, humilitatemque non redolet, tot seruos secum habere? nõ equidem, nam secundùm dignitatem & hominis anctoritatem numerus seruorum licitus est, consentit Abulens. *cùm ipse Eliezer deberet ex apparatu suo indicare diuitias Abrahæ, decebat vt alij viri irent cum eo ad honorandum.*

Abulens.

Indecens maxime solam cum solo iter facere.

217. *Dedi aquam ad lauandos pedes eius & virorum qui cum eo erant*, cur tot viros tecũ adducis? hospitibus enim præ multitudine erunt onerosi, tũ etiã quia non exigua in his alendis consumetur pecunia, quæ in alios vsus vtilius erogari posset, aduerte quod Eliezer secum sponsam futuram Isaac ducere intẽdebat, merito igitur tot comitatur famulis, quia indecens fuisset nec non absque mali suspicione, solã cum solo iter multorum dierum facere.

In hospitalitate præstanda nihil desit quod possit reprehendi.

218. *Dedit aquam ad lauandos pedes eius*, non sufficiebat domum pernoctandi gratia concessisse, pabulum copiosissimum dedisse, cur ergo ita te dimittis, vt aquam lauandis pedibus tribuas? certum est ex lautione pedum vires recreari, & puluerem siccitate sua pedum humiditatem consumentem excuti, quod nõ exiguum est erga iter facientem beneficiũ, quid mirum igitur si aquam ad abluendos pedes dederit? quia in hospitalitate præstanda nihil debet deesse, quod dignum sit reprehensione; reprehendi autem debet qui aquam dandam omiserit, vt constat ex Luc. 7. vbi legimus Christum Dominum obiurgasse Pharisæũ, quod pedibus suis aquã nõ dederit.

Luc. 7.

Hospitalis personarum non sit acceptor.

219 *Dedit aquam ad lauandos pedes eius & virorum qui cum eo venerant*, nemini dubium est viros illos qui erant in comitatu Eliezer longè eo inferiores fuisse siquidem Eliezer totius familiæ Patriarchæ curam gerebat, vnusquisque autem aliorum varijs erat destinatus munijs obeundis: quo posito, cur sine personarũ discrimine æqualiter omnibus aquã ipsemet tribuit? imperet seruis suis vt comitibus Eliezer lauandis aquam effundant? prudenter omnium æque pedes Laban abluit, quia exercẽs hospitalitatem, personarum acceptor nõ debet iudicari.

Hospitalem decet esse humilem.

220. *Dedit aquam ac destrauit camelos deditque paleas & fœnum*, hæc munia viliora domus, mancipia debẽt obire, scilicet equis vel camelis pabulũ præbere, sellas eorũ deponere, nec nõ onera subleuare, cur igitur Laban ex nobili & opulenta familia natus cui plures non deerant famuli, ipsemet manibus ea exequitur? sine dubio vt hoc exemplo summissionis pateat, hospitalem colere debere humilitatem, nec se arrogantem peregrinis præbere.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIII.

VVLG. Et appositus est in conspectu eius panis, qui ait non comedam, donec loquar sermones meos, respondit ei loquere.

Sep. Et apposuit eis panes ad manducandum.

Cald. Posuerunt coram eo cibum.

Pag. Positum est coram eo vt comederet.

CONCOR-

CONCORDIA.

Licet panis nomine in scriptura omnis cibus significetur, nihilominus cum Hebraicè scriptum sit לאכל לפניו ויושם Veiusam, Lephanai, Leechol, rectius vertitur, appositum est coram eo vt comederet, vel vt habet Caldaica lectio, posuerunt coram eo cibum, nam quod Latinus interpres panem dixerit, à 70. desumpsit, tamen vtrobique est sensus, nam panis, vt diximus, pro cibo sumitur.

EXPOSITIO.

Appositus est in conspectu eius panis, Hebraico schemate panis pro omni cibo sumitur, iuxta illud quarti Regum 6. appone eis aquam & panem, & ibidem subditur, appositaque est eis ciborum magna præparatio, qui ait, *non comedam donec loquar sermones meos*, id est quæ præcipit mihi Dominus meus Abraham vt vobis aperirem,

4 Reg. 6.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Serui Dominorum negotia prius curent quàm propria.

221. *Non comedam donec loquar sermones meos*, parumper requiesce, cibum tibi appositum comede, vt ex itinere defatigatus corroboreris, deinde cœna absoluta, quicquid habes dicendum, aperies: prudenter ante cibi sumptionem, quæ sibi iussa fuerant à Patriarcha nota vult facere, quia serui Dominorum negotia suis & suæ vtilitati debent præferre, *vidit*, inquit Oleast. *quales famulos Dominus in-stis concedat, qui i a negotia curant Dominorum, vt prius ea velint expedire, quàm comedant aut bibant.*

Oleaster.

Grauia & seria inter comedendum minimè perficienda.

222. *Non comedam donec loquar sermones meos*, si mensa cibis iam est referta, qui forte non ita gustui grati futuri sunt, si cœna differatur in alteram horã, comede igitur, & si quid habes aperiẽdum & absoluendum, cum Domini tui cognatis in mensa & inter comedendum aperies: ante cibi sumptionem & non in ea quæ sibi iussa fuerant (quæ quidem erunt grauia) absoluere desiderat, quia seria inter comedendum minimè perficienda vel tractanda.

Ante potum negotia maturius & facilius absoluuntur.

223. *Non comedam donec loquar sermones meos*, tempus tibi per noctem integram sufficit, vt in coniugem Isaac Rebeccam postules, & quicquid tibi contigerit, tum in signo à Deo petito, tam in illius exhibitione aperias, cibum igitur nunc præparatum comede, vt inurbanus non censearis: optime satisfacit Tostat. *Noluit comedere & bibere antè, quia magis prompti sunt homines ad loquendum, & intelligendum ante potum quàm post potum.*

Tostat.

Iustis concionator nisi spiritualia præbuerit, alimenta non recipit.

224. *Non comedam donec loquar sermones meos*, si pluries præconem verbi diuini Eliezer significari diximus, cur ait non comedã donec loquar sermones meos? nam ante concionem ex his quæ apponuntur, licet comedere: prudenter tamen ait, non comedã &c. quia vt inquit gloss. interl. *non vult metere carnalia nisi prius seminauerit spiritualia*, quod habet D. Greg. *quia sunt qui doctores ex temporalibus stipendiis retinere parati sunt, sed illi nisi prius abstineant, externa recipere nolunt: si enim in animabus fructum non inueniunt, stipendia corporibus contemnunt.*

Gloss. interl.

Homo prius satisfacere curet officio quàm ventri vt belluis non sit similis.

225. *Non comedam donec loquar sermones meos*, comede, cùm tibi sint appositi cibi, ecce paleæ & fœnũ datum camelis, & auidè feruntur in pabulum: cur tu similiter in cibum? sane homo in hoc à camelis, à belluis discernitur, quod belluæ nil aliud prius curãt quam appositum cibum sumere, hic verò priùs curat officio suo & muneri satisfacere.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIV.

Vulg. At ille, seruus inquit Abraham sum.

Sep. Puer Abraham ego sum.

EXPOSITIO.

Seruus Abraham sum, hoc primo aperit, vt scirent Rebeccæ parentes, vices agere Domini sui in hoc coniugii negotio, ne si incognitus, ab illis non audiretur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Oportunitas Dei beneplaciti sumẽda ne elabatur.

226. *Seruus Abraham sum*, cur post cibum distulisti testificari te seruum Abrahæ esse? nam etiã tunc fidẽ tibi adhibuissent: dices quia serui maturè & citò Dominorũ iussa debent exequi, admitto: sed quod inconueniẽs, quamuis paulisper hoc negotium distulisset, non enim ei iusserat Abraham, vt cũ peruenisset ad cognationẽ suã, illico & omnib' postpositis suum declararet desideriũ, ait Lip. nõ deferẽdũ est negotium, tunc cũ prouidente Deo successus cernitur, & beneplacitũ Dei sentitur, sed cur Lipp. cũ

agnoscitur Dei voluntas, aliquid non est differendum, inquit, *ne neglecta opportunitas à Domino concessa subtrahatur cessantibus nobis, cùm velle & aduiri cœperimus.*

Serui iustorum nomen magnam præ se fert dignitatem.

227. *Seruus Abrahæ sum*, si nihil serui nomine vilius & abiectius, cur Eliezer se seruum hominis dicit in negotio tanti ponderis, non autem procuratorem totius domus Patriarchæ, vel ipsius nuntium? sic enim haberetur in honore ab Abrahæ parentibus & facilius Rebeccam traderent: non ignoras Abrahā virum fuisse iustissimum: meritò non alio titulo sublimiori sed serui nomine se nuncupat, quia serui iustorum appellatio maximam præ se fert dignitatem & excellentiam, quod confirmatur ex bullis summorum Pontificum, qui cum tot clarissimis splendeant titulis, in eis tamen se seruos seruorum Dei prædicant, & nihil honorabilius eo nomine arbitrantur.

Legati non propter se, sed propter eos à quibus mittuntur audiuntur.

Seruus sum Abrahæ, cur nomen Abrahæ retulit? nonne ex orationis suæ stilo in negotii cognitionem ab eo intenti deuenisset cognatio Patriarchæ? meritò se seruum Abrahæ professus, quia legatus propter eum cuius virtus vel nominis splendor innotescit, à quo mittitur, admittitur; ita Hug. Card. *seruus sum Abrahæ, commendatio mittentis vt propter mittentem missus audiatur.* Hug. Card.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXV.

VVLG. Et Dominus benedixit Domino meo valde, magnificatusque est & dedit ei boues, oues, argentum, & aurum, seruos, & ancillas, camelos & asinos.

Sep. Et exaltatus est.

Pag. Et dedit ei pecudes & boues.

CONCORDIA.

צאן Pecudes & oues significat גדל Gadal non solùm magnificare, sed exaltare dicit.

EXPOSITIO.

D*ominus benedixit Domino meo*, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, *& magnificatus est*, in sūmo enim honore apud omnes habebatur, *dedit ei oues, &c.* maximas illius diuitias declarat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deo omnia tribuenda.

228. D*ominus benedixit Domino meo & dedit ei boues*, cur exordiū suæ narrationis incipit hoc modo loquendi? potuit enim dicere, Dominus meus opulentus est, & plura pecudum armenta possidet, cur igitur ait Domin⁹ dedit ei boues? quia Deo non nobis nec nostris meritis omnia tribuenda sūt, *fidelis seruus*, inquit Lipp. *qui omnia bona Domini sui Deo accepta refert.* Lipporman.

Deus etiam in hoc sæculo diuitias suis præbet.

229. *Dominus dedit ei boues, oues &c.* cur antequam diuitias Domini sui aperiret, eum benedictiones non exiguas à Deo consecutum fuisse pronuntiat? certè vt Deum iustis in hoc sæculo diuitias etiam tribuere significaret, *latenter*, inquit Oleaster, *Dominum commendat qui suos ditescere nouit*, Deus enim à diuitiis in hoc sæculo possidendis suos non excludit. Oleaster.

Bona non ad superfluitatem, sed solùm ad necessitatem requiran tur.

230. *Dominus dedit ei boues, oues &c.* cur non ait Dominus meus agrorum fertilissimorum, plurium castellorum &c. possessor est, non autem ouium aliarumque pecudum quæ facile pereunt? aduerte boues & oues requiri ad vitæ conseruationem, non autem alia bona immobilia: non igitur mirum referre solū ea quæ diximus, quia bona non ad superfluitatē, sed solū ad necessitatē requirūtur, mēs est D. Chrysost. opulentos huius sæculi alloquentis, *audite diuites*, inquit, *qui tot & tot quotidie emitis prædia, & balnea, ac deambulacra, & splendidas domos ædificatis, videtis in quib⁹ diuitiæ iusti fuerūt constitutæ, nusquā ager, nusquā dom⁹, & superuacanea sūptuositas, sed oues & boues &c.* S. Chrysost.

A laudibus Dei incipiendum.

231. *Dominus benedixit Domino meo*, nōne aliud sermonis tui occurrit exordiū, quā enuntiare Deū Patriarchæ benedictionē impertitū fuisse? victoriam enim quam à tot regibus retulerat, ante oculos totius cognationis suæ propone, vt eius fortitudinem in arte militari prædicet &c. optimè suam ordiutur narrationem à Dei benedictione, quia à Dei laudibus in sermone nostro incipiendum. sic Rupertus *sermonem* inquit, *ingressus est à veris incipiens laudibus Dei.* Rupertus.

Deus pater Christo Domino cuiuscunque generis homines subiecit.

232. *Dominus dedit ei boues, oues & c. argentum & aurū*, si Eliezer cōcionatoris, Abrahā Christi D. sit symbolū, quomodo vt ad cultum illius, vniuersum genus humanum inducat, testatur illi Deū oues, boues, aurumque dedisse? quamuis enim Deus omnia sub potestate eius subdiderit, iuxta illud Psal. *omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues & c.* tamē minimè annuntiamus Christū D. boues & aurū possidentē: aduerte quod huiusmodi animalia, & alia quæ asserebat Abrahā habere, diuersas hominū cōditiones denotare, vt oues simplices, boues labori addictos, aurū & argētū virtutibus claros: quā pulchrè igitur Eliezer refert Deum, hæc omnia Patriarchæ dedisse, vt sciremus Psalm. 8.

terrus Patrē æternū Christo D. cuiuscunque generis homines in suam redegisse potestatem, *quid est autem,* inquit interl. *quod dedit ei boues, oues &c. nisi quod fidei Christi subiecit omnipotens pater cuiusque generis homines simplices, prudētes, eloquentes, sapiente seruiliter pro temporalibus, feruētes & in tribulatione patientes.*

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXVI.

VVLG. Et peperit Sara vxor Domini mei filium Domino meo in senectute sua, deditque illi omnia.

Sep. Et peperit filium vnum Domino meo postquā ipse senuit.

EXPOSITIO.

Peperit *Sara vxor Domini mei filium &c.* incipit natiuitatem Isaac aperire, qui ex matre sterili, & patre centenario natus est *dedit illi omnia sua*, hæredem bonorum suorum constituit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Citius filias suas parentes matrimonio iungunt vnigenito filio patris familias, quàm si plures essent filii.

233. Peperit *Sara vxor Domini mei filiū Domino meo,* Septuag. habent filium vnum, cur vnum addiderunt? vt non plures esse declararent: sed quid refert, vt in narratione sua Eliezer dicat tantum vnicū esse filium Abrahæ? subtiliter satisfacit Caiet. *retulit hæc seruus, ne crederent parentes Rebeccæ, quod diuitiæ Abrahæ hereditandæ essent à multis filiis.* en quomodo citius parentes filias suas matrimonio iungere exoptant vnigenito patris familias filio?

Card. Caiet.

Diuitiæ magnum incitamentum ad contrahendū.

234. *Peperit Sara filium Domino meo, deditque illi omnia,* cui Eliezer recensitis omnibus bonis quorum possessor erat Abraham, dixit filium suum eorū hæredem constitutum fuisse? videtur enim iactantia, imo nulla sed maxima prudentia, sciebat enim diuitias in viro maximum incitamentum esse ad contrahendum cum qualibet nobilissima virgine, *filium senectutis,* inquit Lipp. *hæredem omnium bonorum commemorat, ne virgo consanguinei causentur de danda filia sponso non satis diuiti.*

Lippom.

Qui benedictionem à Deo accepit, probabile est in reliquo vitæ suæ curriculo a Deo adiuuandum.

235. *Peperit Sara vxor Domini mei filium in senectute sua,* tacerem hanc natiuitatis Isaac circumstantiam, quia proles in senectute suscepta tenuiū virīū est, & vitæ exiguæ, sicque minus idonea matrimonio contrahendo, ideo dixit Eliezer Saram in senectute sua suscepisse Isaac, vt insinuaret Rebeccæ parentibus, quod quia benedictionem à Deo in natiuitate acceperat, in reliquo vitæ curriculo, ab ipsomet adiuuandum. Fauet Abulensis, *hoc ponitur inquit ad suadendum, quia parere in senectute miraculum est, verisimile ergo est, quod Deus benefacturus sit valde ei quem in senectute parentum nasci fecit, propter quod qualibet mulier desiderare deberet tali viro copulari.*

Abulens.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXVII. & XXXVIII.

VVLG. Et adiurauit me Dominus meus dicens, nō accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum in quorum terra habito.

Pag. Et iurare me fecit Dominus dicendo.

VVLG. Sed ad domum patris mei perges & de cognatione mea accipies vxorem filio meo.

Sep. Perges ad tribum meam.

Pag. Ad familiam meam.

CONCORDIA.

משפחה Mischpacha genus, familiam, tribum, nec non cognationem significat, imo pro tota gente interdum sumitur.

EXPOSITIO.

Adiurauit *me Dominus*, de hac adiuratione diximus vers. 3. huius cap. *Sed ad domum patris mei*, id est ad domum quæ fuit patris mei, *& de cognatione mea*, &c. scilicet vxorem filio meo sumes.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Amor legitimus in adolescente commouet parentes puellæ quam diligit, vt sibi eam matrimonio iungant.

236. **D**E *cognatione mea accipies vxorem filio meo,* cur Eliezer aperit amorem Abrahæ, nec non latenter ipsius Isaac, quo cognationem suam prosequebatur? & quo modo eam omnibus nobilissimis & opulentissimis Chananæorum præferebat? quia dilectio cognita in aliquo, commouet parentes puellæ, quam adamat, vt sibi eam matrimonio iungant, *nunc institutum,* inquit Lippom. *de amicitia formanda magis proponit, cùm non aliam vult filio vxorem quàm filiam illorum.*

Lippom.

Vt Veritas scripturæ constet, non requiruntur eadem verba, sed idem sensus.

237. *Ad Dominum patris mei perges,* hoc tibi non præcepit Abraham, sed dixit ad terram meam proficiscaris, cur ergo hoc refers tanquam tibi iussum? falsitatis & mendacii arguetis, vel saltem Moyses, qui hanc ante oculos ponit narrationē: aduerte eundem esse sensum eorundem verborum, ad domum patris mei perges, & vade in terram meam, neuter igitur, scilicet Moyses, vel Eliezer mendax accusabitur, quia veritas propositionis vel scripturæ non exigit eadem prorsus verba, sed eorum eundem sensum, sic Aug. *sententia est eadem, verba non omnia vel ipsa, vel ita dicta sunt quod propter eos dicendum, qui Euangelistis calumniantur, quod in aliquibus verbis non omnino conueniunt, cùm res & sententia sit eadem, hunc enim librum vnus scripsit qui ea quæ supradixit cū mandaret Abraham, reliqua ponere potuit si ad rem pertinere iudicaret, cùm veritas narrationis non exigit nisi vt rerū sententiarumque veritas quibus voluntas (propter quam intimandam verba fiunt) satis appareat.*

D. August.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIX. & XL.

VVLG. Ego vero respondi Domino meo, quid si noluent venire mecum mulier?
Sep. Dixi ne forte non erat mulier mecum.
Pag. Forsitan, non perget mulier mecum.

VVLG. Dominus ait, in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum, & diriget viā tuam accipiesque vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei,
Sept. Et dixit mihi Dominus Deus, cui placui ante ipsum, ipse mittet Angelum suum tecum, & prosperabit viam tuam.
Cald. Dominus in cuius conspectu seruio.
Pag. In cuius conspectu ambulaui.

CONCORDIA.

VErbum Hebraicum יתהללכתי Italacti quod ambulo vertit interpres, vel quod parum refert alii dixere ambulaui, rectè declarauit Chaldæus, in cuius conspectu ego seruio, & Septuaginta, cui placui ante ipsum.

EXPOSITIO.

IN *cuius conspectu ambulo,* ambulare coram Deo, placere ipsi nec non seruire & mandata ipsius exequi importat, *mittet Angelum &c.* quia coram Deo ambulo & summo amore eum diligo, hinc vicissim Deus mittet Angelum suum, vt me meaque per te dirigat, & prosperet, quanquam autem hic sit diuersitas vtriusque narrationis, scilicet serui Abrahæ, ab iis quas supra posuerat Moyses, tamen nulla est contrarietas, quæso consule doctissimum Pererium exactè assignantem regulas, quibus discerni possit quādo diuersæ narrationes eiusdem rei inter se non repugnent.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Coram Deo ambulat qui eius voluntatem exequitur.

238. **I**N *cuius conspectu ambulo,* quid dignum laude profers in Abraham? nihil equidem, nam vniuersum hominum genus in conspectu Dei ambulat, cùm enim omnia scientiæ Dei aperta, potestne eum latere quomodo vnusquisque ambulet? sed falleris, nam nihil excellentius in Patriarchæ laudem cedere potest, quàm de eo asserere quod in conspectu Dei ambulet, quia qui sic ambulat Dei præcepta exequitur, sic Tost. *in cuius conspectu ambulo, id est cuius voluntatem facio.*

Tostat.

Si Dei voluntatem sequimur Angeli nobis erunt præsentes.

239. *In cuius conspectu ambulo mittet Angelum suum,* vndenam colligis Angelū Dei tibi adfuturum? an reuelatione Deique promissione præsentiā illius cōpertā habes? non legimus, inspice quæso, quid antea dixerit in cuius cōspectu ambulo: optime igitur colligit mittet Angelū suū, quia qui voluntatē Dei exequitur, qui illius præceptis obtēperat, Angelus Dei ei in omnibus præsens aderit, quā veritatē Blos. Ab. aperiēs c. 6. in dict. pat. *nocte enī & die omni loco & tēpore cūctis causis & necessitatibus tuis sūma cū fidelitate tibi adest, & ne ad momentum quidē vnquā à te recedit.*

Blos. Abbas

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERS. XLI.

VVLG. Innocens eris à maledictione mea, cùm veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi.

Sep. Eris innocens à maledicto meo, quandocumque enim veneris ad tribum meam, & tibi non dederit & eris innocens à iuramento.

Pag. Tunc eris mundus à iuramento meo, si veneris ad familiam meam, & non dederint, tunc eris mundus à iuramento.

Arias. Tunc eris immunis à iuramento.

Vat. Absolutus eris ab abiuratione mea.

CONCORDIA.

Eruditè more suo summauit interpres verba Hebraica repetitionem effugiens, quæ in Chaldęo etiam & apud Septuag. reperies, אלה Ala cùm maledictionem & iuramentum significet, hinc est quod alii dixére iuramentum, alii autem vel maledictum, vel maledictionem.

EXPOSITIO.

Innocens eris à maledictione mea, id est à iuramento facto per modum maledictionis, vel imprecationis mali, si noluerint tibi concedere aliquam ex cognatione mea in coniugem filii mei, vel si ipsa noluerit venire.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui iuramentum violat maledictionem incurrit.

240. *Innocens eris à maledictione mea*, à te iuramentum accepisse Abraham lego, non autem maledictionem tibi imprecatum fuisse: quomodo ergo ais te innocentem à maledicto futurum, si non adimpleueris quæ promisisti? quia qui iuramentum violat, maledictionem Dei incurrit, *oritur quæstio*, inquit Lipp. *quomodo ista iuratio maledictum posset intelligi, nisi quia maledictus est qui contra iurationem feceris.*

Lippom.

Apud sanctos Dei dispensatione matrimonia geruntur.

241. *Innocens eris à maledictione si non dederint tibi*, cur interuenit iuramentum? cur promittitur Angelus eius viam dirigens, adhoc vt matrimonium inter Isaacum & Rebeccam adimpleatur? nonne sufficit humanam diligentiam adhibere, vt prosperè succedat? non equidem, apud sanctos enim connubia dispensatione diuina non solùm humana perficiuntur, testis est Lipp. *matrimonia Dei tantum dispensatione geruntur & Angelorum ministerio non humano consilio apud sanctos, vt sciant conditionem suam omnem pendere à Domino, cuius nutu coniuges facti pacifice, amanter & fideliter cohabitent, & in omnibus circa se Dei dispensationem agnoscant.*

Auctor cit.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XLII. & XLIII.

VVLG. Veni hodie ad fontem aquę & dixi, Domine Deus Domini mei Abraham si direxisti viam meam in qua nunc ambulo.

Sep. Si tu prosperas viam meam.

Chald. Si est voluntas coram te vt dirigas viam meam.

Pag. Si tunc secundas.

VVLG. Ecce sto iuxta fontem aquæ, & virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierat à me, da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua.

Sep. Ecce ego steti iuxta fontem aquæ, & filiæ hominum ciuitatis egrediuntur ad hauriēdam aquam, & erit virgo cui dixero &c.

CONCORDIA.

צלח Tsalah prosperare, dirigere, prosperè secundare &c. significat: plura apud Septuaginta leguntur nempe filiæ hominum ciuitatis egrediuntur ad hauriendam aquam, quæ nec in Hebræo, nec in Chaldæo, nec alibi reperiuntur, quæ forte addidere enarrationis clarius aperiendæ gratia.

EXPOSITIO.

Veni ego hodie ad fontem aquæ, nōn quod die vno à domo Abrahæ vsque ad puteum illum peruenerit, sed quod hodie viā suā continuādo vsque ad terminū illū perduxerit, *vel veni hodie*, id est accessi hodie, *si direxisti viā meā*, nō ratione itineris, sed potiùs conseruationis spōsæ pro Isaac, *& virgo quæ egredietur*, quæcūque egressa fuerit in Hebræo est עלמה quæ dictio secundum D. Hieron. nunquam nisi de virgine scribitur & habet ethymologiam ἀπόκρυφος abscondita dicitur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Si oratio præcesserit, tibi succedent prospera.

243. DIxi *Domine Deus &c.* cur preces coram Deo fundis? cur ais te Deum deprecatum fuisse, vt viam tuam dirigeret? quia si oratio interuenerit securus esto tibi omnia prosperè euentura: *orandi diligentia tibi imprimis est necessaria*, inquit Blosius Abb. c. 17. canonis vitæ spiritualis, *certum est perfugium, securus portus, tutissimumque asylum est oratio, precando imprecabis quicquid tibi vtile fuerit.*

Blosius Abb.

De nullo temerè iudicandum.

244. *Virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam*, in Hebræo diximus esse alma, quæ dictio non quamlibet virginem, sed absconditam, id est nimia diligentia custoditam significat, inquit D. Hieron. in tradit. Heb. sed non exigua restat dubitatio discutienda, si enim alma quæ hoc loco dicitur de Rebecca, denotat virginem occultam & absconditam viris, quomodo id conuenire potuit Rebeccæ quæ quotidie ciuitatem egrediebatur hauriendæ aquæ gratia, & cum seruo tam familiariter sermocinata est, quin etiam eius admisit munera? dices virginem quidem esse, sed solùm corpore non autem mente; sed obserua quæso quid dicat Thom. Anglicus, *potest dici*, inquit, *sub tali circumstantia iuxta morem illius terræ hoc esse factum, nempe quod quotidie ad hauriendam aquā egrederetur, vt inde nullum periculum nullaque suspicio mala exoriretur, quo posito rectè Rebeccam possumus dicere alma, id est virginem absconditam, id est corpore & spiritu, quia terræ consuetudo sine scandalo egredi permittebat*, en quomodo iudicium minimè ferendū in aliquem quamuis eius moribus aliquid aduersari videatur?

Tho. Angl.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XLIV.

VVLG Et dixerit mihi, & tu bibe, & camelis tuis hauriam, ipsa est mulier quam præparauit Dominus filio Domini mei.

Sep. Hæc est mulier quam parauit Dominus famulo suo Isaac, & in hoc cognoscam, quia fecisti misericordiam Domino meo Abraham.

Pag. Ipsa est vxor quam præparauit Dominus.

CONCORDIA.

PLura addidere Septuaginta, nempe *in hoc cognoscam*, &c. quæ aliæ versiones omisere, quamuis ab ipso Eliezer primo prolata fuere, quia ea iterum repetere non eis visum est necessarium.

EXPOSITIO.

DIxerit &c. *ipsa est mulier*, his verbis inquit D. Aug. satis euidenter expressum est etiam mulieres appellatas locutione Hebraica quæ virgines essent, existimo tamen nomine mulieris significare voluisse sponsam; vnde optimè vertit Pag. ipsa est vxor, *quam præparauit filio Domini mei.*

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Voluntati Dei non resistendum.

245. ET *dixerit mihi & tu bibe*, cur quod in mente conceperat, petiit vt ita contingeret ad explorandum futuram coniugem Isaac? vt ostendat irrefragabili voluntate Dei ordinatum videri & obtentum precibus Abrahæ, vt omnia sibi prosperè cessérint, sed cur hæc ita manifestari voluit? *ne quis* inquit Lipp. *audeat Dei resistere ordinationi.*

Lippom.

Deum summo cum honore alloquamur.

246. *Et dixerit mihi &c. ipsa est mulier quam præparauit Dominus filio Domini mei*, nonne deberes dicere ipsa est mulier quam præparasti Domine? nam Deum deprecaris, quomodo igitur hunc loquendi modum vsurpas, quasi tertiæ personæ faciens mentionem? aduerte quod cùm principes & alios clarissimos viros alloquimur, non ad eos maioris honoris gratia in secunda persona sermonem dirigere, sed in tertia, dicentes dominatio tua vel celsitudo hoc præcepit: non mirum igitur Eliezer, quamuis cum Deo loqueretur, eum in tertia persona nominasse: hoc enim modo loquendi vsus est, vt Deum maiori reuerentia & honore veneraretur: subiiciam quæso verba Tostati, *loquitur in tertia cum deberet dicere, ipsa est mulier quam præparasti, sed fit talis mutatio ad honorem, quia magnis dominis non consueuimus loqui in 2. persona, dicentes vos Domine mandastis hoc, sed dominatio vestra mandauit hoc, vel cùm magis volumus exaltare dicimus, dominus præcepit hoc, & loquimur ad ipsum præsertim tanquam de ipso ad alterum loqueretur.*

Tostat.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XLV. & XLVI.

VVLG Dumque hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula, descenditque ad fontem & hausit aquam, & aio ad eam da mihi paululum bibere.

Sep. Factum est priusquam consummarem loqui in mente mea.

Cald. Antequam cessarem loqui cum corde meo.

Caiet. Ego adhuc non fineram loqui in corde meo.

VVLG. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi & tu bibe, & camelis tuis tribuam potum, bibi & adaquauit camelos.

Sep. Deposuit hydriam super brachium suum à seipsa.

Pag. Descendere fecit hydriam desuper se.

EXPOSITIO.

D*Vmque hæc tacitus mecum voluerem*, cum hæc cogitabam, *apparuit Rebecca*, scilicet egrediens de ciuitate: cætera expositione non indigent, *festinans deposuit hydriam de humero*, non distulit petitis meis acquiescere, sed ilico potum ex propria hydria præbuit, *nec non & camelis meis*, non eo ordine singula hoc loco prosequitur Moyses quo descripta fuerant prius, vt discamus sensum & quæ ad rem pertinent potius expendere quàm verba.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Oratio non semper vocaliter, sed mentaliter facienda.

247. D*Vmque hæc tacitus mecum voluerem*, Cald. antequã cessarem loqui cum corde meo, dixisti te coram Deo preces fudisse, quis eas audiuit? ais enim in corde tuo eum deprecatum fuisse, verum equidem; oratio enim etiam mentaliter facienda: *discamus hinc* (inquit Procop.) *quando oramus non sensilem solummodo edere vocem, sed mente adorare illum qui explorat corda & renes, nam in præsenti relatione scribitur & antequam cessarent loqui in animo meo.*

Vrbani simus etiam erga ignotos.

248. *Festinans deposuit hydriam de humero*, cur cum festinatione? sufficiebat enim petenti potum præbuisse: celeriter hydriam deponit vt quantæ vrbanitatis esset etiam erga ignotum ostenderet, in hoc, inquit Abulensis, *magna Rebeccæ vrbanitas notatur & assuefactio in bonis, quia promptè & delectabiliter benefaciebat.* Tostatus.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS. XLVII.

VVLG. Interrogauique eam & dixi cuius es filia? quæ respondit, filia Bathuelis sum filii Nachor, quem peperit ei Melcha, suspendi itaque inaures ad ornandam faciem eius, & armillas posui in manibus eius.

Sep. Circumposui ei inaures, & virias circa manus eius.

Cald. Posui inaurem super faciem eius; sic & Pagn.

CONCORDIA.

DIctio על Al etiam in significat, vt ibi viues in gladio, vnde recte transtulit in manibus interpres, potuerunt enim esse & manus ornamenta, quæ vulgo monilia appellantur, quicquid autem supra caput ornamenti apponitur, ad faciei decorem pertinet, ideo dicit inaures ad ornandam faciem Rebeccæ dedisse.

EXPOSITIO.

F*Ilia Bathuelis sum filii Nachor quem peperit Melcha*, sic respondisse ex diuino instinctu existimo, & nominasse Melcham, vt certior fieret Eliezer quod Rebecca esset de cognatione Abrahę, cùm enim Patriarcha sæpe sermonem haberet de cognatis suis, dicebat se fratrem nomine Nachor habere, cuius Melcha consobrina sua coniux erat, sicque eos ex nomine agnoscebat, Eliezer. *suspendi itaque inaures*, id est dedi inaures vt suspenderet eas in auribus, *& armillas posui*, vt poneret in manibus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus non diu patitur nos anxios esse.

249. F*Ilia Bathuelis sum filii Nachor quem peperit Melcha*, quare nominatur hic Melcha, cum mos sacrę paginæ non sit in genealogiis mulieres inserere? vel si Melcham, quæ auia erat, nominare voluit, quare silentio prætermisit propriam matrem Bathuelis coniugem propinquiorem auia? iam diximus nomen Melchæ sibi cognitum fore, non autem nomen matris illius, dico igitur nomen non

matris suæ, sed animæ ei diuino instinctu aperuisse, ne diutius anxius hæreret in cognoscenda Abrahæ cognatione: fauet Abul. *Deus monebat sic Rebeccam ad respondendum, vt certificaretur Eliezer quod esset Rebecca de cognatione Abrahæ vt sic iret ad petendum eam.*

Abulensis.

Virginem non decet munera accipere ab ignoto.

250. *Suspendi inaures ad ornandam faciem eius,* quandonam hæc munera ei obtulit, & ea admisit? an postquam agnouit esse seruum Abrahæ? scio me dixisse cum aliis quibusdam, ea ipsum Eliezer obtulisse non cognito nomine patris sui, & ea admisisse, quamuis ignoraret quinam esset Eliezer: sed supposito, quod est opinio probabilis, ea munera admisisse postquam quis ille esset agnouerit: cur necessarium fuit vt hæc iocalia sibi oblata reciperet, notum habere sibi ea offerentem? quia virginem non decet, ab ignoto dona admittere: sic noster Lyranus, *omnia quæ audierat nuntiauit Rebecca matri suæ, inter quæ continebatur quod ille homo qui dederat sibi iocalia erat de domo Abrahæ auunculi sui, aliter non est verisimile quod accepisset ab eo, cum esset puella honesta & verecunda.*

Noster Lyranus.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XLVIII.

VVLG. Pronusque adoraui Dominum benedicens Domino Deo Domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, vt sumerem filiam fratris Domini mei filio eius.

Sep. Et benedicens adoraui Dominum, qui prosperauit me per viam veritatis.

Cald. Et flexi genua & adoraui coram Domino.

Pag. Et inclinaui me & incuruaui me corã Domino.

CONCORDIA.

IAm diximus, קדד Kadad incuruare verticem, honoris exhibendi causa, & inclinare, significare, quod tamen sine improprietate dixit noster interpres, adorare Dominum, quia inclinare verticem coram eo nihil aliud est quam illum adorare, vbi legimus per viam rectam in Hebræo est בדרךאמת Bederexemet per viam veritatis, sic etiam legunt 70. idem tamen est sensus.

EXPOSITIO.

PRonusque adoraui Dominum, ei gratias agens, *qui perduxit me itinere recto,* id est taliter me dirigens, vt consequerer quod intendebam, *vt sumerem filiam fratris Domini mei,* nota hoc loco Rebeccam dici filiam fratris Abrahæ, cùm antea filia dicta fuerit Bathuelis filii Nachor fratris Abrahæ, vt modum loquendi veterum discamus, quo proxime cognati fratres appellabantur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Fideliter agentem Deus non deserit.

251. ADoraui *Dominum qui perduxit me recto itinere,* in Hebr. in via veritatis, quomodo tantum à Deo fauorem consecutus es, vt gressus tuos prosperè direxerit? obteiua quam fideliter omnia executioni mandauit, quæ Abraham ei præceperat, non inquiras igitur quomodo Deus prosperam viã eius effecerit? quomodo finem intentum consecutus fuerit? quia vt optime Lipp. *fideliter agentem Deus non deserit, affuit in principio, medio & fine, non errare permisit in opere, differrique noluit quod moliebatur.*

Lippom.

Ita Deo confidere debemus, vt existimemus iam consecutos esse quæ postulemus.

252. *Adoraui Dominum qui perduxit me recto itinere, vt sumerem filiam fratris Domini mei filio eius,* quid ais Eliezer? an tibi concessa est Rebecca in coniugem Isaac à parentibus eius, vt asseras eam esse futuram illius vxorem? minime equidem, nondum enim tibi hoc postulanti annuerunt, non quidem tunc illi promissa fuerat, sed quia in Deo confidit, existimat iam se cõsecutũ quod postulat, fauere videtur Abul. cùm ait, *Eliezer demonstrabat se quasi credere, quod ĩã puella danda erat ei tanquam Deo ad hoc stimulante.*

Abulensis.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XLIX.

VVLG. Quamobrem si facitis misericordiam & veritatem cum Domino meo, indicate mihi, sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, vt vadam ad dexteram siue ad sinistram.

Sed. Si ergo facias misericordiam & iustitiam ad Dominum meum, sin autem renuntiate mihi, vt redeam ad dexteram vel sinistram.

EXPOSITIO.

SI *facitis misericordiam,* si hanc gratiam præstatis, *& veritatem cum Domino meo,* id est tot signorum diuinæ voluntatis verificatione ostensam, indicate mihi mentem vestram, aperite, *sin autem*

autem aliud placet & hoc dicite mihi, si mihi vestram tradere negatis, significate quæso, *vt vadam ad dexteram siue ad sinist. am*, id est vt alibi quæram puellam, quæ sit futura coniux filii Domini mei.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Syncerè negotia tractanda.

253. **S**In autem aliud placet hoc dicite mihi, cur non alia circumlocutione vteris? cur verba ita profers inornata? cùm omni elegantia & verborum selectu soleant homines puellam alicui matrimonio iungendam deprecari? non alio verborum ornatu vtitur in petenda Rebecca, nec variis sermonis ambagibus, syncerè enim negotia sunt tractanda, *simplicitas quidem*, inquit Ambros. *hoc in loco moralis exprimitur, quod nullus fuerit in coniugis petitione locus ambitioni.*

Amb lib de Abrah.

Cito exitus negotii intendendus est, non differendus.

254. *Sin autem aliud placet hoc dicite*, quâ de causa? vt vadam ad dexteram siue ad sinistram, nonne si renuerint, potes adhuc precibus insistere vel saltem fatigatus, ex itinere paululum ibi requiescere? vel cur saltem non ais, inter vos consulite, vtrum votis meis acquiescendum sit vel petitio mea non admittenda? nihil tale cogitat, sed vltimam exposcit petitionis suæ solutionem, quia cito exitus negotii intendendus, non autē differēdus; mens est Lipp. *si honesto illius desiderio inquit acquiescere placet, pro amicitia quam de vobis pollicetur, acquiescite, sin minus negate vt sciam quid facto sit opus.*

Lippom.

Qui aliquod etiam cum suo prouentu alteri beneficium præstat, ei tamen misericordiam tribuere videtur.

255. *Si facitis misericordiam cum Domino meo*, quid ais Eliezer? deberes enim dicere vobiscum facite misericordiam, nam maius commodum consequentur ex hoc connubio, quàm ipse Patriarcha; qui cùm sit opulentissimus filio vnigenito omnium bonorum suorum hæredi filiam non ita diuitem accipit, hanc tamen misericordiam nominat Eliezer, quia qui etiam cum prouentu & vtilitate sua aliquod beneficium alteri confert, gratiam maximam tribuere videtur, obseruat sic Oleaster, *licet enim ex illa maxime puella lucraretur & parentes, eos tamen cum Domino suo misericordia vsuros prædicit.*

Oleast.

Misericordiam alteri confert, qui eum consolatur in piis desideriis.

256. *Si facitis misericordiam cum Domino meo*, si in ordine ad miseriam subleuandam, quis dicitur misericors, an Patriarcha miser est, vt ei Rebeccæ parentes misericordiam præstare valeant? nota summopere hoc connubium exoptasse Abraham, & mœrore maximo correptum Isaac ex morte matris dilectissimæ suæ Sarræ: non incongruè igitur loquitur cùm ait, si facitis misericordiam cum Domino meo, quia eam præstare videtur qui piis alicuius desiderii satisfacit, & aliquem à mœrore subleuat: nobiscum est Dion. Carthus. *si facitis misericordiam sicut pium, quia pro consolatione Abrahæ est & pro releuamine doloris Isaac filii sui de suæ matris morte grauiter contristati.*

Dion. Carthus.

Petitioni piæ iustum est acquiescere.

257. *Si facitis misericordiā cum Domino meo*, Septuag. *si facitis iustitiam*, quid, an iniustitiæ arguentur, si Rebeccam denegauerint? qua lege quæso tenentur eam tibi tradere? aduerte piam & legitimam petitionem Eliezer fuisse, tunc enim licitè cōsanguinei matrimonium inuicem contrahebant: rectè igitur dixit si facitis iustitiam cum Domino meo, quia petitionibus iustis acquiescere tenemur: *iustitia erat* (inquit Tho. Angl.) *pro quanto fratri vel propinquo suo & sic sanctè & ex tali causa filiam eorum expetenti, erat iustum & debitum eam dare.*

Thom. Anglic.

Qui voluntati Dei resistit iniustus est.

258. *Si facitis misericordiam*, Sept. *iustitiam*, quid iniustum committent, si petitioni tuæ non acquieuerint? sed qua de causa iniusti dicentur? non dubitas ex exhibitione signi à Deo ab Eliezer petiti potuisse parentes Rebeccæ in cognitionem venire quod placitum Dei erat vt Rebecca coniux futura ipsi traderetur: iustos igitur eos meritò appellat, si annuerint, iniustos autem si renuerint, quia iniustus ille censendus est qui Dei voluntati resistit.

VARIETAS LECTIONVM VERS. L.

VVLG. Responderuntque Laban & Bathuel, à Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius, quidquam aliud loqui tecum.

Sep. Dixerunt à Domino exiit res hæc, non poterimus tibi contradicere bonum & malum.

Cald. Non possumus loqui ad te bonum vel malum, ita Pagn.

CONCORDIA.

QVamuis verba Hebraica non reddiderit interpres, sensum tamen expressit, Hebraismus enim ille non possumus ad te loqui bonum vel malum, significat diuino placito non posse reluctari.

EXPOSITIO.

REsponderuntque Laban, nēpe frater Rebeccæ & Bathuel nēpe pater eius *à Domino egressus est sermo*, hoc negotium diuino nutu geritur, hæc est voluntas Dei vt Rebeccam tradamus tibi, *non possumus extra placitum eius*, &c. scilicet licitè aliquid aliud decernere, quod eius voluntati contrarietur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Aliquando adolescentiores citius diuinam voluntatem agnoscunt.

259. *Responderunt Laban & Bathuel, à Domino egressus est sermo*, nonne Laban longe iunior est Bathuele, cùm frater sit Rebeccæ cuius vtriusque Bathuel est genitor? quomodo igitur in responsione diuinum placitum annuente, Laban præfertur Bathueli? quia aliquando ætate inferiores, citius diuinam agnoscunt voluntatem: fatetur Caiet. *quod nominetur prius filius quàm pater, promptitudinis filii signum est, promptior enim iuuenis animus praeueniens patris responsionem, suggerendo hoc diuinũ esse opus insinuatur.*

Card. Caiet.

Qui idololatriæ seruit indignus est nomine.

260. *Responderunt Laban & Bathuel*, cùm consensum matrimonio prolis suæ futuro etiam præbere debeat mater sicut pater, cur non nominatur respondens, nec in toto hoc capite illius fit mentio nominis? dices quia in Genealogiis non nominantur, hoc in vniuersum non sapit veritatem, cum etiam in hoc capite nomen auiæ Rebeccæ referatur: accipe quid de matre Rebeccæ dicat Abulens. *mater illius forte non erat de cognatione Abrahæ, sed de gentibus terræ illius, hi autem populi idolis seruiebant:* ne inquiras igitur cur illius nomen silentio obnoluitur, quia qui idololatriam colit indignus est nominari.

Abulens.

Maxima religione diuinam voluntatem amplectamur.

261. *Responderunt Laban &c. extra placitum eius non possumus quidquam aliud loqui tecum*, id est tibi contradicere non valemus, nonne libero præditi estis arbitrio? ergo voluntati eius resistere in vestra situm est libertate, quomodo ergo contrarium asseritis? quia maximo cultu & summo honore diuinæ placitum voluntatis amplecti debemus: *tanta fuerunt Religionis* (inquit Lipp.) *vt enemus istius ordinem diuina prouidentia non casui aut fortunæ adscripserunt, & Domini voluntatem agnitam infringere timuerint.*

Lippom.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS 51.

VVLG. En Rebecca coram te est? tolle eam, & proficiscere, & sit vxor filii Domini tui, sicut locutus est Dominus.

Sep. Ecce Rebecca in conspectu tuo accipiens, recurre, & sit vxor &c.

EXPOSITIO.

EN *Rebecca coram te est*, id est in potestate tua, *tolle eam*, ex nostro consensu, *& proficiscere simul cum ea* & sit vxor nempe Isaac, *sicut locutus est Dominus*, signi exhibiti manifestatione.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Maiori animi candore apud veteres matrimonia celebrabantur quam nunc temporis.

262. EN *Rebecca coram te, tolle eam, sit vxor filii Domini tui*, quid? sic puella nobilis traditur in coniugem? vbi nam contractus sponsalium, in quo dos ei assignatur? quid si è viuis excedit Isaac, sine liberis? redibit ne Rebecca vacuè? nullumne rescriptum remanebit, quo apud omnes innotescat quid Rebeccæ in dotem conceditur? cùm nunc temporis omnes hæ in matrimoniis celebrandis obseruantur cæremoniæ; nihilominus nil tale exigunt parentes Rebeccæ ab Eliezer vices Abraham gerente: quia apud priscos maiori cum animi candore, & confidentius matrimonium celebrabatur quàm in hoc corruptissimo sæculo: sic D. Chrys. *vide quomodo solebant olim filiis suis vxores ducere, quomodò magis animæ generositatem quàm opum abundantiam inquirebant, nusquam instrumenta, nusquam pacta, & alia ridicula quæ nunc apud nos fiunt, & verba illa quæ in litteris continentur, si absque liberis inquit moritur, si hoc & hoc contingat, verum apud illos nihil tale, sed maxima & securissima litteræ erant virginis mores.*

S. Chrysost.

Quæ Propheta loquitur, Dei sermones sunt.

263. *En Rebecca coram te, sit vxor filii Domini sicut loquutus est Dominus*, quandonam Deus verbũ aliquod protulit? in hoc enim capite non constat, quod Deus Abrahæ locutus fuerit aut Eliezer. D. Aug. in quæst. ait, quæritur quando locutus est Dominus, nisi quia Prophetam esse nouerat & propheticè à Domino dictum quod per illum dictum fuerat agnoscebant: sed cur non dixerunt Abraham Propheta sic loquutus est, sed ipse Dominus? quia quæ à Prophetis dicuntur Dei sunt sermones: sic habetur 2. Pet. c. 1. *non tam voluntate humana aliquando allata est Prophetia, sed Spiritu sancto dictante locuti sunt sancti*, & Luc. 10. *qui locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius.*

2 Pet. 1. Luc. 1.

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LII.

VVLG. Quod cum audisset puer Abraham, procidens in terra adorauit Dominum.

Pag. Et fuit quando audiuit seruus Abraham verba eorum, incuruauit se super terram.

EXPOSITIO.

Quod cùm audisset puer, id est seruus Abrahæ, quod suis votis acquiescerent de danda Rebecca in coniugem Isaac, *procidens adorauit in terra Dominum*, gratias ei referens pro prospero euentu connubii.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

In omnibus gratiarum actio Deo referenda.

264. *Quod cùm audisset adorauit in terram Dominum*, cur toties genibus flexis Deum veneratis? nonne sufficiebat eum cultu latriæ coluisse, cùm Rebeccam ex Abrahæ cognatione esse didicisti? cur hunc etiam nunc cultum repetis? quia semper & in omnibus Deo immortales gratiæ sunt referendæ, *vide* (inquit Chrys.) *in omnibus quæ fiebant, vniuersorum Domino gratias offert.* (Chrysost.)

A gratiarum actionibus Deo reddendis incipiendum est.

265. *Quod cùm audisset adorauit* Dominum, laudabile est pro beneficiis acceptis Deo gratias referre, sed cùm Laban & Bathuel gratum ei responsum dedere, munera priùs in animi grati symbolum offerre deberet? merito prius Deum adorat quàm alteri rei studeat, quia à gratiarum actionibus Deo reddendis incipiendum est, testis est D. Cyrill. Alex. hic, *quia in omni tempore Deo laudes & gratiarum actiones priùs referendæ sunt, seruus Abraham prius Deo gratias egit, postmodum dona amicis dedit.* (Cyrill. Alex.)

Aliis bonorum operum præbeamus exemplum.

266. *Quod cum audisset adorauit in terra Dominum*, si Deo gratias referre debuisti, cur non in corde tuo pro tantis acceptis beneficiis ei non benedixisti, non autem ante omnium oculos genua coram eo flexisti? ne seruum arguas, quod in conspectu eorum gratias agens genua flexerit, quia aliis operum pietatis & religionis exemplum præbere debemus: *serui sapientiam*, inquit Lipp., *& pietatem cognosce, qui vt & alios adorare doceret, in eorum conspectu genua sua flexit.* (Lippom.)

Concionator si animam Deo lucretur, non sibi tribuat, sed Deo.

267. *Quod cùm audisset adorauit Dominum*, Eliezer concionator, Rebeccam Isaac nempe animam Christo Domino acquisiuit, cur si maximo cum labore hoc adeptus, non sibi huius animæ tribuat cõuersionem, sed Deo gratias refert? prudentissimè quidem, quia prædicatores, inquit D. Greg. citat. à Lipp. *cum prædicando vitam audientium obtinent, illi mox gratias reddant, de cuius hoc munere perceperunt, & sibi in ea operatione nihil tribuunt, sed auctori.* (Lippom.)

VARIETAS LECTIONVM VERS. LIII.

VVLG. Prolatisque vasis argenteis & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque eius & matri dona obtulit.

Pag. Et protulit seruus vasa argentea, & aurea vasa, & vestes, & dedit ipsi Rebekah, & pretiosa dedit fratri eius, & matri eius, sic Sept. & Cald. legentes in singulari & fratri eius.

Caiet. Et poma dedit fratri & matri eius.

CONCORDIA.

Abundant apud nostrum interpretem illæ duæ dictiones *pro munere*, sed eas posuit quia necessario subintelligebantur, dictio מגדנות Migdanot proprie significat fructus vel poma, vnde Caiet. strictam huius nominis significationem retinens vertit poma, existimans ea dici pretiosa quia eis Mesopotamia carebat: sed postmodum huiusmodi dictio posita est pro optimo seu electo cuiuscumque rei. noster vulgatus legit in plurali *fratribus*, cum omnes aliæ lectiones solum habeant in singulari, sed nulla est discordia, nam noster interpres loquitur de aliis à Laban, & aliæ lectiones de Laban non alios vel alium fratrem illius excludendo.

EXPOSITIO.

Prolatisque id est eductis *vasis* muliebribus scilicet ornamentis tam ex auro quam ex argento, *ac vestibus* nimirum pretiosis *dedit Rebeccæ pro munere* Hebraismus est, id est munera dedit, munera quippe quæ nouis sponsis offeruntur *fratribus eius & matri dona obtulit* etiam pretiosa.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Erga omnes gratos nos exhibeamus.

268. *Fratribus eius & matri dona obtulit*, nõne ea dedi Rebeccæ futuræ Isaaci coniugi? sufficit? cur igitur ita prodig⁹, vt munera etiã parẽtib⁹ ei⁹ offeras? reuoca in memoriã Labã & Bathuelẽ simulque vxorem eius consensum præbuisse, vt Rebeccam acciperet in Isaaci sponsam, quod maximum

arbitratus est sibi conferri beneficium: merito igitur eis etiam dona exhibet, vt non solum erga Deum, sed etiam erga alios grati animi specimen præbeat: sic Abul. *secundo ponitur gratitudo quantum ad parentes & cognatos, qui libenter consenserunt & hoc suis in dando eis munera.*

Abulen.

Prudenter quæcunque sunt agenda.

269. *Fratribus eius dona dedit & matri*, quænam? an aurea? an argentea? textus non exprimit, certũ est non ita pretiosa fuisse ac illa quę Rebeccæ obtulit, sed cum mater sit filiæ præferenda, cur pretiosiora munera matri quàm filiæ nẽpe Rebeccæ exhibuit? optime satisfacit Oleaster dicens, *hic relucet prudentia serui, nam Rebecca dedit vasa aurea & argentea, & vestes, matri vero & fratribus dedit donaria, quoniam ille principalis erat in negotio ex cuius consensu res præcipue pendebat*, quasi diceret, cum aliquod negotium fœlici exitu concludere desideras, prudenter semper inspice, quæ tibi in eo maxime possunt prodesse.

Oleaster.

Seruus inuigilet ne iacturam aliquam in bonis suis patiatur Dominus.

260. *Dedit Rebeccæ vasa argentea & aurea*, cur munera tanti pretii Rebeccæ obtulit, cum exigui forte fratribus eius dederit? nonne æmulationis inuidia inter eos propter munerum discrimen orietur? tum prodigalitatis argueris, quod bona Domini tui ita facile dissipes & consumas? imo maxime in hoc inuigilat ne aliquam in bonis suis Dominus patiatur iniuriam, quia vt subtiliter animaduertit cit. Lusitanus, *quęcunque illi pretiosa dedisset, illa erat secum in domum matris allatura, & sic nihil in re illa perderet Abraham.*

Cit. Oleast.

Qui prioribus gratiis bene vtitur abundantiores recipit.

271. *Dedit Rebeccæ vasa aurea & argentea*, quomodo cum primum eam intuita est, solum ei inaures vnius sicli & armillas decem siclorum muneris obtulit, nunc autem pretiosissima pro illis munera, nẽpe plurima ex auro & argento vasa elaborata? nota per inaures donũ obedientiæ, vel gratiã ad audiendũ verbũ Dei, per armillas autem donum ad bene operandum designari, quibus bene vsa est Rebecca, cum parentibus ea ostendit, & tanquam talentum à Deo acceptum non abscondit: quis dubitat autem per vasa aurea & argentea superiores primis gratias intelligi? quam bene igitur Eliezer post datas Rebeccæ animæ fideli inaures, & armillas, dona longe pretiosiora, nempe vasa aurea & argentea obtulit, quia qui priores gratias à Deo acceptas recte dispensat, certum est longe excellentiores ab eo esse accepturum: hoc confirmat D. Greg. Mag. *quæ prius, inquit, inaures & armillas acceperat, iam nunc vasa aurea & argentea & vestes accepit, quia sancta Ecclesia quæ ante per fidem, operationem & obedientiam percepit, excrescens postmodum etiam ad spiritualia dona conualescit, vt prophetico spiritu repleta, & virtutum gratia amplиatis iam muneribus crescat.*

D. Greg. Mag. Cu. Lipp.

Christus Dominus non solum affectu, sed & effectu Ecclesiam suam diligit.

272. *Dedit Rebeccæ vasa aurea*, &c. cur nuptiarum paranimphus, inter Isaac & Rebeccam inito fœdere nuptiali exultabundus, statim munera nouæ sponsæ exhibet? hæc donatio nil aliud significat nisi quod D. Amb. lib. 1. de Abr. c. 9. expressit, *vbi inquit, sponsa est Ecclesia, accepit vasa aurea & argentea in quibus est thesaurus fidei*, quasi suam sibi Ecclesiam non videretur Christus Dominus amare, nisi pariter locupletaret eam.

D. Amb. lib. 1. de Abrah. c. 9.

VARIETAS LECTIONVM VERS. LIV.

VULG. Inito conuiuio, vescentes pariter & bibentes manserunt ibi, surgens autem mane locutus est puer, dimittite me, vt vadam ad Dominum meum.

Sep. Et manducauerunt & biberunt ipse & viri qui erant cum eo, & dormierunt &c. *Cald.* addit, & surrexerunt mane, Pag. & dormitauerunt.

CONCORDIA.

NOster vulgatus addidit inito conuiuio, dico addidisse, quia nec in Hebræo Cald. vel Septuag. reperitur, subiunxit autem vt magis exprimeret, quod splendide exceptus fuerit.

EXPOSITIO.

INito id est incœpto conuiuio, non enim comedit quousque mentẽ suam aperuerit, & sibi promissa est Rebecca in coniugem Isaac, *manserunt ibi* noctẽ trãsigẽtes vt optime vertit Pagnin' pernoctarũt *surgẽs mane locutus est puer*, nẽpe Eliezer: per nomẽ pueri exprimit conditionem non ætatẽ, sic enim à sacra scriptura serui dicuntur pueri, *dimittite* permittite quæso vt redeam ad Dominum meum Abraham.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nulli molestiam inferamus.

273. *Surgens mane locutus est puer dimittite me*, cur aliquorum dierum spatio ab itinere non recrearis? cõmorare cum parẽtibus Rebeccæ, qui te tã benigne exceperũt, heri accessisti & hodie eorũ societati renuntias, quid de te suspicabuntur, nisi quod indigne ab eis susceptus fueris? aduerte quasi impatienter Abraham regressum serui sui expectasse: merito igitur cito regredi desiderat, ne Abrahamo molestiam inferret, si diutius commoraretur: hoc ostendit Abul. *si magis moratus fuisset, anxiaretur Abraham, ideo noluit expectare per aliquot dies.*

Abul.

Omnes

Omnes præter veros fideles à possessione gloriæ excluduntur.

274. *Dimittite me*, scilicet cum Rebecca quæ futura est simul cùm Isaac bonorum Patriarchæ Abrahã hæres, & in suis posteris terræ à Deo promissæ, sed ò Eliezer, cur etiam tecũ matrem & fratres Rebeccæ nõ deducis, vt bonis ipsius Abrahæ fruatur cũ tam illius munera acceperint? nomine enim illius ea obtulisti: D. Greg. per fratres & matrem Rebeccæ intelligit eos qui verbotenus fidem tenent, sed tamẽ professionem suam moribus non tenẽtes carnaliter viuunt, qui eo quod fideles sunt, à fidelibus solẽt honorari, quid mirum igitur non matrem, non fratres Rebeccæ secum Eliezer deduxisse bonis Abrahæ fruituros: sed solam Rebeccam fide & operibus ornatam, animam designantem, quia omnes alii præter veros fideles à possessione bonorum veri Abrahę nempe Dei excluduntur: ita eit. Greg. *mater & fratres eius dona percipiunt, quia benigne à fidelibus honorari solent, pro eo quod fideles esse merentur, à sorte tamen hæreditatis alieni, quia siue infideles siue carnales, qui intra fidei professionem tenentur, ad hæreditatis æternæ sortem non veniunt, sed tamen supernæ largitatis gloriã temporalem consequuntur.*

D. Greg. Cit. à Lip.

Coniugium cito perficiendum ne impediatur.

275. *Dimittite me ad Dominum meum*, tibi promissa est Rebecca in vxorẽ futuram Isaac, quid igitur tibi restat agendum, nisi quieti vacare & conuiuiis cum illius parentibus? ne ergo ita celeriter regressum tuũ desideres, nihil conuiuia æstimat, nihil facit quietẽ, quia sicut inquit Oleaster, *festinanter agenda sunt negotia quæ impediri possunt qualia sunt matrimonia.*

Cõcionatores, auditores suos non solũ ad mãdatorũ Dei, sed etiã consiliorũ custodiã cõmonere debẽt.

276. *Dimittite me*, scilicet cum Rebecca, quomodo eã à patre, matre, nec nõ à charissimis fratribus cito separari satagis? sufficit quod ineat cum Isaac cõnubiũ eiusque præcepta custodiat, eã igitur domi cum parentibus cõmorantẽ relinque: consiliũ est Christi Domini vt relinquamus patrẽ & matrẽ &c. vt vtilius & perfectius eius obsequio vacemus, non mirũ sit tibi igitur, si Eliezer concionatorẽ denotans, cito Rebeccã in cõiugẽ Isaac, Christi Domini figuræ, separare satagit, quia verbi diuini præco nõ solũ auditores suos ad veri Dei spõsi sui cõnubiũ, & sic mandatorũ suorum obseruantiã, sed etiam ad consiliorũ Euãgelii custodiam debet commouere: hoc accipe à Dio. Cart. dicẽte, *sancti Apostoli & cooperatores eorũ iugiter conabantur in anteriora seipsos extendere, & ad cœlestia properare, imo & quosdam à se conuersos non solũ ad obseruantiam mãdatorum, sed ad Euãgelicorum quoque impletionem consiliorum traxerunt vt parentes, fratres & omnia quæ sunt mundi, relinquendo separatam & quasi monasticam vitam assumpserint.*

Dion. Cartu.

Concionator ne diu inter carnales cõmoretur, sed animas conuersas ab eorum societate separet.

277. *Dimittite me vt vadam ad Dominum meum*, nonne omni cum honore, imo & maxima liberalitate, nec non charitate te tuosque admiserunt parentes Rebeccæ? cur ergo quasi ab eis aliquod susceptisses opprobrium eorum hospitalitati renuis? diximus ex D. Greg. per Laban & matrem eius carnales designari: ne inurbanitatis igitur Eliezer arguas, quia concionator eo designatus, inter carnales diu commorari non debet, vt animas ad Deum conuersas ab eorum societate abducat; sic Gloss. Interl. *studiosus prædicator non vult diu inter carnales manere, quia animas à gentilitate conuersas ad societatem spiritualium nititur velocissime perducere.*

Glossa Mor.

VARIETAS LECTIONVM VERS. LV.

VLG. Responderunt fratres eius, & mater, maneat puella decem dies apud nos, & postea proficiscetur.

Cald. Et dixit frater eius & mater, maneat puella nobiscum aliquo tempore, aut decem dies & postea abibit.

CONCORDIA.

IAm diximus qua ratione vulgatus interpres legit fratres in plurali, cùm alię lectiones solùm habeant in singulari *frater*, Chaldæus addidit aliquo tempore, sed in Hebræo non habetur.

EXPOSITIO.

REsponderũt *fratres eius & mater*, scio nostrũ Lyranum cum Abulensi dicere errorem esse in vulgato propter nomen plurale *fratres*, sed salua pace, nam in recentioribus bibliis sic legimus, imo in præcedenti versu 53. habemus quod fratribus quoque eius & matri munera obtulit, responderunt igitur fratres eius nempe Laban cum aliis, *maneat puella saltem decem dies*, vt aliquam ex eius societate consolationem acciperent qua priuarentur, si adeo celeriter ab eis abducerentur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iuniores ad respondendum promiores quàm senes.

278. REsponderunt *fratres eius & mater*, si pater, filiam suam detinere deberet, & persuadere Eliezer, vt adeo festinãter non proficisceretur, cur non respondet, sed eius filii? quia iuniores ad loquendum proniores sunt quàm ætatis maturæ viri: sic Caiet. *præuenitur semper Bathuel pater à Laban filio, vt pote iuuene prono ad respondendum.*

Card. Caiet.

Prudens iuuenis aliis senioribus anteponitur.

279. *Responderunt fratres eius & mater*, in Hebræo

est frater, loquatur Pater, taceat filius, nam maxima sane inurbanitas est, quod in negotio maximi ponderis, patre præsente, solum loquatur filius, & illud absoluat, obserua quid dicat Abul. ex sententia Rab. Abraham, Aben Esra, Laban excedere in prudentia Bathuelem: merito igitur prius Laban loquitur, & quid agendum sit absoluit, quia prudens etiam si sit iuuenis, senioribus præferendus est.

Sententiam in rebus seriis mutans, indignus est nomine.

280. *Responderunt fratres eius & mater*, cur pater Rebeccæ non nominatur respondes? cū vxor eius, imo & filii Eliezeri satisfaciant, & tamē non ita precipui in connubio Rebeccæ: noster Lyranus ait, *licet Bathuel primo consensisset in matrimonium Puellæ, tamen postea voluit impedire*, quid igitur mirum silentio eius nomen obuolui? sententiam enim in rebus seriis & consideratis attente, facile mutans, indignus est nomine.

Lyranus.

Amore maximo feruntur erga sobolem parentes.

281. *Responderunt maneat puella saltem decem dies &c.* si Eliezer dixistis vt Rebeccā tolleret in vxorem Isaac, quomodo nunc quasi vestrum consensum præbuisse pœniteret, eam detinere nitimini? non detinere conantur nisi propter amorē quo anxie eam prosequebātur, *ex naturali*, inquit Lipp. *hoc liquet dictum amore, ne tam cito, & quodammodo inopinate à Rebecca separarentur, quam bene coniiciebant se postea aut raro aut nunquam visuros.*

Lippom.

Vnus quisque suæ studet vtilitati.

282. *Responderunt maneat puella saltem decem dies*, si forte nunquā Rebeccā estis visuri, cur solum spatiū decem dierum requiritis, vt vobiscū maneat? quid tam breui amplexibus charissimæ matris carebit, vt adhuc saltē mediū vobiscū transeat annū petite? cōsidera plures secū itineris comites habuisse Eliezer, nec non decem camelos, in quorū cibum & alias necessitates plura quotidie consumerentur: sagaciter igitur nō plures quā decē dies vt secum remaneret puella, petiere: quia vnusquisque suæ studet vtilitati & cōmodo: *non competebat* (ait Abul.) *maiori tempore prastolari, maxime quia non videbatur rationabile, quod Eliezer & alii serui Abrahæ & cameli decem manerent tanto tempore apud Bathuel, quia magni valde sumptus accrescerent Bathueli.*

Abulens.

Mundani si in totum non possunt obsequium Dei impedire, saltem aliquomodo reuocare conātur.

283. *Responderunt maneat puella saltem dies decem*, cur omnino eā apud vos non retinetis, mittentes in domū Abrahæ pro Isaac adducēdo? dices quia consensum iam præbuerunt, vt cū Eliezer proficisceretur; cur igitur adhuc saltem decem dies detinere conantur? aduerte per Laban parentesque illius, huius sæculi homines intelligi posse: quid mirum igitur si aliquod tempus detentionis Rebeccæ, scilicet animę fidelis exigunt? quia mundani si in totū non possunt, obsequium Dei cui anima sancta se deuouet, impedire, saltem aliquo modo reuocare conantur, ita Hugo Carens. *sic sæculares ita faciunt, si ex toto retinere non possunt, saltem procrastinabunt bonum propositum filiorum.*

Hugo à sancto Char.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LVI.

VVLG. Nolite ait me retinere, quia direxit Dominus viam meam, dimittite me, vt pergam ad Dominum meum.

Sep. Et ait ipse ad eos, ne retineatis me, & Dominus prosperauit viam meam.

Pag. Dominus secundauit viam meam.

Caiet. Fecit proficere viam meam.

CONCORDIA.

Verbum צלח Tsalah has omnes quæ in variis lectionibus continentur habet significationes, si autem legit Caiet. fecit proficere, ideo est quia huiusmodi verbum est in hiphil.

EXPOSITIO.

Nolite me retinere, id est remorari, *quia direxit Dominus viam meam*, id est postquam iter meū prosperauit, *dimittite me*, permittite me vt pergam, vt redeam ad Abraham solicitum de euentu coniugii filiæ vestræ cum Isaac.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Diuinæ voluntati ne contradicamus.

284. Nolite me retinere, qua de causa, cùm hanc gratiam à te enixè petierint? quia inquit direxit Dominus viam meam, quamuis prosperum Deus iter tuum direxerit, quid refert vt per aliquot dies adhuc cum eis permaneas? audiamus Caiet. *suadere nititur ex parte diuinæ voluntatis conforment velle suum summæ Dei prouidentiæ*, quasi diceret qui viam meam retardaret, diuinæ voluntati contradiceret, quod scelus est non exiguum.

Card. Caiet.

Serui sint diligentißimi.

285. *Nolite me retinere vt pergam ad Dominum meū*, quamuis aliquot adhuc dies detinearis, occasio legitima excusatum te habebit apud sanctum Patriarcham, dices enim hoc precibus eorum concessisse, nec potuisse consolationi eorum hanc moram detrahere, nil tale meditatur, serui enim omnibus postpositis esse debent diligentissimi serui, inquit Lipp. *hoc loco docentur non nectere moraram causas citius redire expletis negotiis.*

Lippom.

Cum

Cùm Dei auxilium sentimus, ne à nobis retrahatur efficiamus.

286. *Nolite me retinere quia direxit Dominus viam meam*, si iam direxit, quid ergo tibi curæ cito regredi? quod enim precibus à Deo enixe petieras, obtinuisti, eumque tibi adiutorem expertus es, aduerte quod nondũ absolutũ erat negotium, quousque rediret cũ puella; Abrahã enim dixerat, caue ne quãdo reducas filiũ meum illuc: prudẽter igitur diu immorari non desiderat, sed celeriter ad dominũ suum redire, ne auxilium quod iam in aduentu suo senserat sibi in regressu deficeret: adest Oleaster, *vtendum est bona fortuna & Dei beneficio, cum adest ne minus contingat.* Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERS. LVII.

S. *V L G.* Et dixerunt vocemus puellam & quæramus ipsius voluntatem.

Sep. Vocemus puellam & interrogemus os eius.

Cald. Audiamus quid ipsa dicat.

CONCORDIA.

IN Hebræo est פיה Pia os eius, sed Hebraismus est significans audiamus verbum eius, vel sciscitemur cõsensum eius, & ex consequenti quæramus ipsius voluntatem.

EXPOSITIO.

DIxerunt *vocemus puellam*, huic enim colloquio non aderat, *quæramus eius voluntatem*, id est consensum de profectione ita accelerata, nec non vtrum sponsum velit habere Isaac.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Virgines conspectum hominum fugiant suisque vacent officiis.

287. **V**Ocemus puellam, si illius res agebatur, cur eorum colloquiis præsens non adest, vt inspiciat quid sibi foret agendum? abest equidem & iure merito, quia virgines conspectum hominum fugere debent, suisque vacare muneribus: mihi fauere videtur Abul. cum ait, *vocemus puellam, quia ipsa non aderat, vacans circa aliqua negotia domestica.* Abul.

Puellæ non quærant, sed accipiant à parentibus maritum.

288. *Vocemus puellam, quæramus voluntatem eius*, existimat D. Amb. non requiri consensum eius, nisi ad profectionem cum Eliezer, sed o Amb. nõne inquirendũ est ab ea, vtrum sibi eligere velit maritum? nã cùm toto vitæ decursu cũ eo vitæ societatẽ habere debeat, suæ electioni relinquatur: illa tanquã prudens puella maritũ non postulat, aut quærit, sed à parentibus sibi traditum accipit: sic egregie annotat D. Amb. lib. 1. de Abr. c. vltimo, *consulitur puella non de sponsalibus (illa enim iudicium spectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum) sed iam desponsata viro de profectionis consulitur die*, expende illa verba, *non est enim virginalis pudoris eligere maritum*, indecens enim ac inuerecundum, vti puella de nuptiis, de marito, de filiis loquatur, status matrimonii quidem sanctus, sed non temere deligendus; temere autem eligitur cùm à filia non à parentibus decernitur, sed audiant puellæ de hac re verissimè & grauissime disserentem eundem doctorem, *adolescentula nuba, sed vt electionem mariti parentibus deferat, ne appetentia procacioris æstimetur auctor, si ipsa de nuptiis suis electionem sibi vendicet: expetita enim magis debet videri à viro quam ipsa virum expetisse, verecundiam præmittat antequam nubat, quo ipsum coniugium plus commendet verecundia.* D Amb. lib. 1. de Abrah.

Consensus puellæ in matrimonium requiratur.

289. *Vocemus puellam, inquiramus voluntatẽ eius*, id est cõsensum (vt plures volũt doctores) de suscipiẽdo in spõsum Isaaco, cur consensus ab ea exigitur? nõne etiã si nolit, eã parentes ad contrahendũ cogere possunt, eisque obedire tenetur præcipientibus, vt quẽ elegerunt, admittat? prudenter consensum eius requirunt, matrimoniũ enim non habita mulierum voluntate haud licite fieri potest, hic primum legitur cõsensus mulieris in matrimonium requisitus, & deinceps pro iure habitũ, vt semper habeatur, vnde in decretalibus l. 4. de spõsalibus & matrimoniis tit. 1. c. quaito sic legiĩ, *est textus multũ allegatus, verũ locũ nõ habeat cõsensus, vbi metus vel coactio intercedit, necesse est vt vbi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur, matrimonii autẽ solo consensu cõtrahitur, & vbi de ipso quæritur plena debet securitate ille gaudere, cuius animus est indagandus, ne per timorẽ dicat sibi placere, quod odit & sequatur exitus, qui de inuitis solet nuptiis prouenire.* Decret lib 4. de sponsal. Consensus requiritur & testium nec non Parochi præsentia.

Non requiritur cõsensus voce expressus in puella, dummodo taceat, & non contradicat parentibus annuentibus.

290. *Vocemus puellam, inquiramus volũtatem eius*, cũ D. Amb. sentiamus, si velis solũ esse sermonẽ de profectione cũ Isaac, nõ autẽ de cõsẽsu in matrimoniũ, nã antea simul cũ parẽtibus assensũ prębuerat, atque adeo munera pro arrhabone acceperat; sed cũ assensũ antea illius non audiuerint, sed solum parentũ, cũ dixere Eliezer, en Rebecca corã te est, tolle eam & proficiscere & sit vxor filii Domini tui: sciscitemur quomodo validũ huiusmodi matrimoniũ, cũ cõsensũ puellæ nõ audierint? nõ requiritur assensus voce expressus in puella; dũmodo præsẽs taceat, & nõ cõtradicat annuẽtibus parẽtib', hoc docet Azorius. l. 1. instit. Mor. c. 4. vbi postquã quęsiuit, quãdo iure ciuili vel canonico cõmuniis qui tacet eo ipso quod Azorius.

tacet consentire creditur, respondet, *filii puberes vel impuberes si præsentes fuerint, nec contradixerint suis parentibus in sponsalibus, vel coniugio consensum præstantibus contrahere dicuntur, cap. 1. §. porro de desponsat. impuberum in 6. tametsi in lege sed quæ patris ff. de sponsalibus id solum de filia statuatur*, sciendum tamen est in coniugiis contrahendis seruandum esse decretum Concilii Tridentini quod habetur sessione 24. cap. 10. de reformatione matrimonii, vbi statuitur qui aliter quàm præsente Parocho vel alio sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit & huiusmodi contractus irritos ac nullos esse decernit: quod igitur in hoc conceptu dicimus de illis in matrimonio contrahendo consensum tacitum præstantibus, intelligendum est locum habere seruato in omnibus prædicti Concilii decreto.

Concil. Triden.

VARIETAS LECTIONUM VERS. LVIII.

VULG. Cùm vocata venisset, sciscitati sunt, vis ire cum homine isto? quæ ait, vadam.

Sep. Et vocauerunt Rebeccam & dixerunt, ibis cum homine hoc? at illa dixit, ibo.

EXPOSITIO.

CUmque venisset, Rebecca *sciscitati sunt parentes eius, vis ire*, vis cito proficisci, patriamque relinquere, *cum homine isto*, nempe Eliezer, *quæ ait vadam*, quasi diceret, diuinæ voluntati resistere non audeo, ideo libenter aggrediar iter, nec illius difficultates timeo.

CONCEPTUS IN HUNC VERSUM.

Virgines quæ nolunt se continere non erubescant nuptias.

192. QUæ ait vadam, quomodo virgo modestissima ita liberè fatetur se cum homine profecturum ad celebrandas cum Isaac nuptias? nam verecundæ puellæ difficile consensum exprimunt, dicat igitur si vobis videatur, ego proficiscar: si autem id gratum non habetis, manebo: liberè dixit vadam, quia puellæ quæ nolunt continere, nuptias non debent erubescere, inquit Lippom. *sed vt honestum statum eligisse amplectantur à parentibus inuitatæ, non tamen pro ancitatr ambiant, ne voluptatis & petulantiæ veneris labe notentur.*

Lippom.

Constitutis sponsalibus non differendum matrimonium.

193. *Quæ ait vadam*, forte alicui indecorum videbitur, quod puella vbi de sponsa, de nuptiis, de profectione interrogatur, vno statim verbo respondit, vadã, & quidẽ exul à paterna domo, à patria, relinquens patrem, matrem, in longinquam regionẽ abducta à seruo quem semel vidit, ad maritum, de ingenio, de habitu, de facie prorsus ignota, quod plane arguit immoderatam nubendi cupiditatem: non immoderatæ nubendi cupiditatis argumentum est, sed potius prudentiæ, constitutis enim sponsalibus (sicut constituta erant inter Isaac & Rebeccã hoc Eliezer procurante) statim contrahendum ne interim periculũ incontinentiæ adeant sponsi, quod quidem & certum est & quotidianis infamiis comprobatur, hoc agnouit Amb. lib. 1. de Abr. c. vlt. *nec immerito* inquit, *illa dilationem non attulit, inire enim debuit properare ad maritum.*

Ambrosius.

De nullo temere iudicandum.

194. *Quæ ait vadam*, dices inuerecundam esse & procacem, quæ ita liberè nuptiis præbet consensum, sed de ea temerario ausu minime iudicium feras, quia vt optime obseruat Carthus. *hoc non dixit ex carnalitate aut inuerecundia, sed ex diuino instinctu, quoniam totum hoc opus fuit diuinæ prouidentiæ.*

Dion Cart.

Gentilitas ideo acceptior Iudæis, quia vocata venire non distulit.

195. *Quæ ait vadam*, non est dubium apud Patres, Rebeccam, gentium congregationem designare, quomodo igitur vocata nullo modo venire renuit, imo libenter accedit, cùm pluries Deus conqueratur se Iudæos vocasse & noluisse venire? merito igitur præferenda gentium congregatio Synagogæ, *Rebecca* (inquit Procop.) *interrogata an parata esset ad iter capessendum, haud grauiter annuit, sic quoque Ecclesia ex gentibus conflata promptissime ad Christum profluxit, de qua David Psal. 22. promptitudinem cordis eorum audiuit auris tua*, & D. Amb. clarius, *vocata non fecit moram, & ideo acceptior Domino, quia congregatio gentium simul vt accersita se vidit, occurrit.*

Procopius Plauti.

VARIETAS LECTIONUM VERS. LIX.

VULG. Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius, seruum Abraham & comites illius.

Sep. Et dimiserunt Rebeccam sororem suam, & substantiam eius, & seruum Abraham, & eos qui cum eo.

CONCOR-

CONCORDIA.

Dictionem Hebræam מניקתה Menikta nutricem suam 70. καὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτῆς, & substantiam eius, hoc est dotem interpretati sunt, sine qua verissimile non est eam abscessisse, attamen & in Hebræo & in Chaldæo nutrix legitur, omiserunt igitur nutricem, & addiderunt dotem.

EXPOSITIO.

Dimiserunt ergo eam, id est permiserunt ire, & nutricem ei comitem dederunt, nec non puellas ei associauerunt, vt paulo inferius dicitur, *& seruum Abraham*, nempe Eliezer, *& comites eius*, qui cum eo ad Abraham missi fuerunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Solis muneribus honor tribuitur.

265. *Dimiserunt ergo eam*, quomodo Laban & Bathuel non coegerunt seruum Abrahæ seruire pro Rebecca, cùm idemmet Laban coegerit Iacob seruire pro Rachele? vnde quæso hæc diuersitas? cùm tamen maior honor consanguineo nempe Iacobo, quàm seruo Abrahæ tanquam alieno deberetur: rationem facile colliges ex littera, nã seruus Abrahæ valde diues ex opibus Domini sui munera pretiosa aurea & argentea vt diximus, dedit Rebeccæ, at vero Iacob vacuis manibus accesserat, nihilque dedit Racheli, quid igitur mirum si munera offerenti honor defertur, non offerenti denegatur?

Non est decens virginem sine comite in virorum comitatu inueniri.

266. *Dimiserunt eam & nutricem eius*, cùm nutrix illa nempe Delbora iam prouectæ esset ætatis, cur itineri arduo eam committunt parentes Rebeccæ? nonne satius fuisset vt vitam tranquillam finiret cũ Laban & matre illius, quàm tot labores in via tolerare? sola ergo puella cum Eliezer viro honesto iter faciat: prudenti consilio etiam nutrix mittitur cum ea, indecens enim est virginem sine fœmina in virorum comitatu inueniri; imo honestati consentaneum est, vt illa ætatis maturæ sit ad mores illius cõponendos.

Virgo quæ à paterna domo longè recedit, solatiô non destituatur.

267. *Dimiserunt eam & nutricem eius*, sola proficiscatur Rebecca, cum sola matrimonium contrahere debeat, & sola profectioni ita liberè consensum præbuerit: sola sine nutrice iter non aggrediatur, quia puella quæ à paterna domo longe recedit, omni solatio non debet destitui, *decens quippe erat*, ait Hieronym. in qq. Hebr. in Genes. *vt ad nuptias absque parentibus virgo proficiscens, nutricis solatio frueretur.*

S. Hieron.

Spes præmii suauem reddit laborem.

268. *Dimiserunt eam & nutricem*, cuius nomen est Delbora cur Delbora eius comes in arduo itinere efficitur? aduerte Delboram interpretari apem quæ pungit & mel facit, symbolum spei in tribulatione: merito igitur datur pro socia Rebeccæ Delbora nutrix, quia quilibet labor suauis redditur spe præmii assequendi: sic Hugo Card. *spes præmii dulcorat pœnitentiæ laborem.* Gregor. *consideratio magnitudo præmii minuit vim flagelli.*

Hug. Card.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LX.

VVLG. Imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes, soror nostra es crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorũ suorum.

Sep. Et benedixerunt Rebeccæ, & dixerunt ei, soror nostra es, & esto in millia decem millium, & hereditatem obtineat semen tuum ciuitates aduersariorum.

Cald. Possideant filii tui ciuitates.

Pag. Et hæreditet semen tuum portam odio habentium eum.

CONCORDIA.

Imprecari prospera idem est quod benedicere, dictionem שער Saar significantem portam, clariùs interpretati sunt 70. hæreditet semen tuum ciuitates inimicorum.

EXPOSITIO.

Imprecantes prospera, plures cognati puellæ, tempore recessus sui à domo paterna, conuenerunt, qui omnes more Hebræo sororem eam vocantes, id est consanguineam, bona imprecabantur & fausta futura omnia conclamabant, *crescas in mille millia*, id est in multas generationes, ponitur numerus determinatus pro indeterminato, *possideat semen tuũ &c.* possidere portas inimicorum, est Hebraismus id est posteri tui sint inimicis suis superiores, ciuitates eorum armis ingrediantur, fiantque illis subditi.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Apud veteres posteritas pro benedictione maxima censebatur.

269. SOror nostra crescas in mille millia, hæc prospera imprecantes benedicunt sorori? cur potius omnium bonorum copia, vita fœlicissima & longissima ei à vobis non desideratur? quia apud veteres nihil fœlicius censebatur, quam filiorum multitudo, quæ omnibus alijs bonis facilè anteponebatur: vnde optime aduertit Procop. in lib. numer. *veteribus tam durum & graue erat sine liberis excedere, quam nobis vita excedere æterna.*

Procop.

Mortales vindictam ex inimicis maximè cupiũt.

270. *Soror nostra, possideat semen tuum portas inimicorum tuorum*, cur cùm indulgere inimicis sit gloriosissimum, potius non imprecantur sorori, vt filii eius iniuriarum sint condonatores, quam aduersariorum deuictores & ciuitatum eorum possessores? *quia*, inquit Oleast. *cupiunt homines maxime inimicorũ suorum vindictam*, quibus tamen longè gloriosius est condonare.

Oleaster.

Gratiæ gratuitæ etiam indignis tribuuntur.

271. *Soror nostra crescas in millia millium, & possideat semen tuum portas inimicorum tuorum*, D. Chrys. hæc verba exponens ait, vide quomodo & illa ignorantes, virgini futura dixerunt, Deo mentem eorũ ad hoc dirigente & excitante, vtraque enim ei prædicta sunt, tum quod in mille myriades fieret, tum quod semen eius hereditate possessurum esset portas inimicorum, nonne Prophetia gratiæ donum est? quomodo igitur infidelibus (ex mente enim citati doctoris loquor, qui cognatos Rebeccæ tales esse arbitrabatur) illud ô Deus concesisti? quia gratiæ gratuitæ etiam indignis tribuuntur, *vidisti*, prosequitur Chrys. *per omnia euidentem Dei prouidentiam relucere, quomodo per infideles futura vt prædicũtur dispensat omnium Dominus.*

Chrysost.

Portæ inimicorum spiritualium quibus ad nos ingrediuntur, sunt tentationes.

272. *Soror nostra crescas in millia millium & possideat semen tuum portas inimicorum tuorum*, sæpe contingit, vt quis viam perfectionis aggrediens, personam aliquam sibi familiarem, vt Rebecca, nutricem sibi dilectam alliciat, & secum perducat, quibus propinqui eorum prospera imprecantes, eorum spiritualem profectum anxiè exoptant, vt crescat in millia millium, exercentes opera virtutis innumera: sed quænam sunt portæ inimicorum, quas possidere deprecantur? sunt tentationes, quibus inimici nostri spirituales nempe dæmones ad nos ingrediuntur: *rogant*, inquit Carth. *vt sint praualeant hostibus & eorum possideant portas, id est tentationum introitus atque suggestionum prauarum initia vincant.*

Dionys. Carth.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LXI.

VVLG. Igitur Rebecca & puellæ illius, ascensis camelis secutæ sunt virum, qui festinus reuertebatur ad Dominum suum.

Sep. Surgens Rebecca & ancillæ eius, ascenderũt super camelos, & ierunt cum homine, & accipiẽs puer Rebeccam abiit.

Pag. Et surrexerunt Rebecca & puellæ eius, & perrexerunt post virum.

Procop. Igitur puella & ascensis asinis.

CONCORDIA.

HÆc verba quæ sunt in nostro vulgato, *qui festinus reuertebatur ad Dominum*, in Hebræo non reperiuntur nec in Chaldaica lectione, imo nec apud 70. sed solum, & tulit seruus Rebeccam, & abijt, nescio quid cũ commouere potuit nisi vt exprimeret Eliezer diligentiam, si Procop. legit asinos, in eo non est immorandum, vbique enim habemus camelos.

EXPOSITIO.

IGitur Rebecca & puellæ eius, scilicet ancillæ in obsequium illius datæ, *ascensis camelis*, ascendentes camelos, *secutæ sunt virum*, nempe Eliezer, *qui festinus*, magna scilicet cum diligentia *reuertebantur ad Dominum*, nempe Abraham.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui diuino se beneplacito conformat nihil sibi molestum est.

273. IGitur Rebecca & puellæ illius secutæ sunt virũ, miror Moysẽ ita cõpendiosè discessum Rebeccæ à domo paterna referre, cur parẽtũ dolorẽ ex charissimæ filiæ quasi amissione, cur filiæ lachrymas ex parentum absentia, cognatorumque separatione non aperit? aduerte omnes tam Rebeccã quã patrẽ genitricẽq; eius agnouisse diuinum in hoc esse beneplacitũ: dixerunt enim, sit vxor filii Domini tui, sicut locutus est Dominus: merito igitur in hac separatione filiæ à parentibus, non dolorem, non lachrymas proponit in me sium Moyses, quia qui se diuinæ conformat voluntati, nihil sibi molestum est & onerosum. Fauet Lipp. *vides quomodo hic nullus describitur fletus, nulla que cũ battore, edebant omnes verbo Dei & adhærebant alacriter.*

Lippoman.

Virgi-

Virginibus omnis absit mollities.

274. *Igitur Rebecca & puellæ eius, ascensis camelis secutæ sunt virum*, quid? nonne Rebecca nobilissimis est orta natalibus? cur ergo curru non vehitur, vel lectica, sicut claram decet virginem, non autem camelis, qui nimium grauiter incedunt? camelū ascendit sicut ipsa antequam desponsaretur, aquam ipsamet hauriebat, à virginibus enim omnis abesse debet mollities, *vide qualem sponsam*, inquit Chrys. *ducat Patriarcha aquantem & hydriam super humeros ferentem, & nunc iterum ascendentem super camelos? nusquam mula argento fulgentibus ceruicibus, neque famulorum turba, neque magna mollities, qua nunc fieri solent, sed tantum erat prisca, um mulierum robur, vt & camelos ascendere possent, & sic iter facerent.*

S.Chrysost.

Naturalis pulchritudo non fucata à viris iustis admittitur.

295. *Igitur Rebecca & puellæ ascensis camelis secutæ sunt Dominum*, quomodo ita negligentes in ordinanda Rebecca, parentes? nonne capilli lapidibus pretiosis, aureis inauribus, collum margaritis, annulis digiti, armillis brachia, totum corpus pretiosis vestibus ornari, & vultus gratiosis coloribus debuit depingi, vt pulchrior Isaaci oculis appareret? quia naturalis si adsit, non fucata à viris prudentibus admittitur pulchritudo: hoc agnouit Procopius, *virgo vehitur asino, nullas expetens more delicatarum, delicias molles, corpore solido & bene composito prædita, portatur, naturalem habens non fucatam pulchritudinem*, hæc vltima preme verba.

Procop.

Cum negotium committitur, ex nimia mora committentem non torqueat.

276. *Igitur Rebecca & puellæ secutæ sunt virum, qui festinus reuertebatur ad Dominum*, cur tanta cum festinatione & celeritate? imprudentiæ tuæ argumētum non est exiguum, nam cum in tuo comitatu Rebeccam, nec non puellas eius tecum ducis, lento gradu progredi debes, ne ex itinere sibi insolito nimium defatigentur, & infirmentur: festinus tamen regreditur ad Patriarcham anxium de prospero matrimonii filii Isaac euentu, quia cui negotium committitur, ex nimia mora committentem torquere fugiat. *festinus reuertebatur*, inquit Abul. *vt Dominus suus non suspicaretur aliquid mali de contracta mora.*

Abulens.

Concionator quicquid habeat perfectionis Deo, non sibi tribuat.

277. *Igitur Rebecca & puellæ secutæ sunt virum, qui festinus reuertebatur ad Dominum suum*, nonne à Domino secedicet, cum ad quærendam vxorem Isaac proficiscitur? quomodo igitur completo quod optabat, negotio ad eundem Dominum regredi dicitur? alio enim modo loquendi vtatur Moyses; pluries diximus Eliezer symbolum esse perfecti & absoluti concionatoris: iure merito igitur ad Dominum suum reuertitur, quia præco diuini verbi, quicquid habet perfectionis in Deum refundere debet, & ad eum regredi, tanquam virtutum, quas possidet, auctorem, audiamus Hug. Carr. id asserentem, cum expositione verborum Iob. 38. nunquid mittes fulgura & ibunt & reuertentur dicent assumus? *fulgura prædicatores, nunc minis feruentes, nunc miraculis coruscantes, qui dicunt assumus, cum non suis viribus sed Deo attribuunt, quæ fortiter se egisse cognoscunt, vnde* Zach. 6. *coronæ facta de auro & argento in capite Iesu, magni sacerdotis ponuntur, quia quicquid eloquentia vel sapientia in sanctis reperitur, totum in laudem Dei cedit, nihil sanctorū viribus, sed Dei virtuti adscribitur.*

Hug. Carr. Iob. 38.

Zach. 6.

Ex peccatis quæ subiicimus, ad altiorem statum ascendimus.

278. *Igitur Rebecca & puellæ eius ascensis camelis secutæ sunt virum*, non est dubium quin per camelos gibbosos, peccata designētur, sed quomodo Rebecca in camelo, matrimoniū inire potest, cum Isaac sit figura Christi? quid enim habet cōmune anima peccatrix cum Isaac mystico vt inuicem coniungantur? nota quod insidens camelo, cum sibi subiicit eique dominatur: quid mirum igitur Rebeccam camelo insidentem, iter facere, vt consequatur statum coniugii Isaac? quia ex peccatis, quæ per contemptū subiicimus, ad altiorem statum ascendimus, ita eit. auctor. *per gibbosos camelos accipe peccata, quæ ascendimus, quando vitia nobis subiicimus, & tunc super camelos eleuamur*, Euseb. *de peccatis faciendi sunt gradus, quibus ad altiora conscendamus.*

Euseb.

Non omnes sunt æqualis meriti.

279. *Igitur Rebecca & puellæ eius secutæ sunt virum*, vir ille nonne est concionator, cuius eloquentia & veritate allectę eum sequuntur? nonne hæ virgines, fideles repræsentant? quarum vna eligitur coniux non autem aliæ: quomodo vna Domina & aliæ ancillæ? est-ne Dominus acceptor personarum? non equidē, sed meriti, & quia non omnes habent æquale, ideo inæqualitas personarum exprimitur: sic obseruat D. Greg. Mag. in Hom. sup. Ezech. *Rebecca cum puellis suis secuta est puerum, quia sancta Ecclesia habet secum minoris meriti animas sodales, nam & si in quibusdam per sensum mentis in eo contemplationem nō habet, tamen tales animæ, quasi puellæ Rebeccæ sunt, quia sequuntur eam moribus: sed tamen ad contemplationis thorum minimè ascendunt: nam & idem puer quosdā barbatos in comitatu, quia & cum sanctis Prophetis fuerunt quidā, qui bene viuerent & Spiritū Propheticę non haberent, & cū sanctis Apostolis & Doctoribus fuerūt plerīq; qui vitam moribus tenerent, sed prędicationis verba non promerent.*

D. Gregor.

Ecclesia gentilitatis à Christo in vitiis reperitur.

280. *Igitur Rebecca & puellæ eius ascensis camelis secutę sunt virum*, cur Rebecca ad Isaac veniens, dorso cameli deducitur? si enim Rebecca & puellæ eius designant Ecclesiam gentium, quomodo camelis propter corporis altitudinem significantibus superbiam, feruntur? nonne conuenientius fuisset vt summa cū humilitate eum adirent: rectè Rebecca cum puellis suis in camelis deducitur, quia Ecclesia gentium à Christo in gibbosis vitiis reperitur: vnde S. Odo l. 1. in Mor. Iob. *Rebecca*, inquit, *ad Isaac veniēs typum Ecclesię pręferens dorso cameli deducitur, quia ad plenitudinem fidei veniens tota gentilium vitiositas onusta idolorum cultibus designatur*, & D. Greg. codē l. c. 6. *ad Christum ex gentilitate Ecclesia properans, intortis vitiosisque vitę veteris conuersationibus inuenitur.*

S. Odo.

D. Gregor.

Volūtariè & nō coactè fides Christi amplectēda.

281. Igitur *Rebecca & puellę eius secutę sunt virum*, an coactè, vel libenter? textū inspiciamus, interrogatur Rebecca, vtrū velit ire cū Eliezer quæ ait, vadā: cur cōsēsus eius requiritur? cur etiā renuēs non trahitur ad Isaac cōnubiū? quia anima significata per Rebeccā ad spirituale matrimoniū cū Chr. per Isaac denotato, non inuitatur nisi libentimè & volūtariè: sic D. Aug. Ser. 75. de tēpore, *quod interrogata puella à parētibus virum vellet ire cum puero, respondit vadam, apertè hoc in Ecclesia videmus impleri, ibi interrogatur voluntas Rebeccę, hic requiritur voluntas Ecclesię, Rebecca dicitur vis ire cum homine isto & respondet vado: Ecclesię dicitur credis in Christum & respondet credo, Rebecca non duceretur ad Isaac nisi diceret volo, nec Ecclesia Christo iungeretur, nisi diceret volo.*

S. Augustin.

VARIETAS LECTIONVM VERS. LXII.

VVLG. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad puteum, cuius nomen est viuentis, & videntis, habitabat enim in terra australi.

Sep. Isaac autem deambulabat per desertum, iuxta puteum visionis, & ipse habitabat in terra, quæ ad Affricum.

Cald. Isaac veniebat de puteo super quo Angelus vitæ apparuit.

Pag. Et Isaac veniebat à veniendo de puteo videntis me, & ipse manebat in terra Meridiana.

Ar. Veniebat à veniendo beer Lachai roi.

CONCORDIA.

LEgit Vulgatus per viam quæ ducit ad puteum, quæ cùm esset solitaria, rectè verterunt 70. per desertum si Chaldæus habet de puteo super quo vitæ Angelus appparuit, & nos cuius nomen est viuentis & videntis, non tamen à nobis discrepat, quia ab apparitione Angeli, qui visus est Agar, & eam cum filio, quasi à morte reuocauit, dictus est puteus viuentis & videntis me.

EXPOSITIO.

EO *tempore*, scilicet cum Eliezer & Rebecca cũ suis ancillis Bersabee appropinquabant, *deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad puteum cuius est nomen videntis me & viuentis*, propter Angelum viuentem & videntem, qui Agar apparuit, eamque consolatus est, *habitabat enim in terra Australi*, respectu Palestinæ ad Austrum habitabat Isaac, non tamen longè à Bersabee.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Viris sanctis congruit solitudo quæ ad Deũ ducit.

281. I*Saac deambulabat per viam quæ ducit ad puteum, cuius nomen est viuentis & videntis*, 70. legunt deambulabat per desertum, & cur per viam arboribus opacam, hominibusque communem, vel vt dicimus regiam viam non incedis? cur viam solitariam animalibus gratam inquiris? merito nõ alia via quam solitudinis incedit, quæ ad puteum viuentis & videntis conducit, quia viris sanctis (qualis est Isaac) desertum congruit quod ad Deum videndum ducit, ita Cyrill. cit. à Lipp. *congruus atque cõueniens iter viro sancto Isaac, qui vt ab aliis secederet, in solitudine ambulabat: & quia Deum contemplabatur deambulabat per viam quæ ducit ad puteum viuentis & videntis.*

Cyrill Alex.

Viri sancti loca religioni dicata venerantur.

283. *Isaac deambulabat per viam quæ ducit ad puteum viuentis & videntis*, cur obseruat Moyses per hanc viã, quæ ducebat ad hũc puteum, potius quã per aliã deambulasse? quid enim ad historiæ narrationẽ, nostramque confert doctrinam? pluries diximus hunc puteum viuentis, sortitum fuisse ob Angeli apparitionem Agar, filiique Ismael morientis necessitatẽ subleuãtis, & ideo Patribus illis sacrum habitum: nõ sine mysterio igitur existimandum est per hanc viã ducentem ad puteum viuentis & videntis deambulasse, *sed ob loci religionem*, inquit Lipp. *vbi bis Agar ab Angelo consolata legitur frequentabat illum Isaac.*

Lippom.

Sancti Patriarchæ summopere Christi natiuitatem exoptant.

284. *Isaac deambulabat per viam quæ ducit ad puteum viuentis & videntis*, sine dubio non erat ei insolitum hac viã incedere, sed ea sæpius ire consueuerat: cur toties hanc viam deserti frequentat, quæ ad puteum viuentis & videntis ducit? gloss. interl. per hunc puteum hoc nomine significatum, intelligit Christum, *qui de seipso loquens ait, viuo ego dicit Dominus, qui nimia charitate qua dilexit nos visus est incarnatus*, vt igitur suũ sanctus Patriarcha in Christi natiuitatem desiderium exprimeret, pedibus quidẽ incedit ad puteum, sed affectibus ad Christũ euolat, hunc oculis, illum præ se fert desideriis.

Gloss interl.

Idem conceptus confirmatur.

285. *Isaac deambulabat &c. habitabat in terra Australi*, cur obseruat Moyses hac in terra habitasse, cũ per viam qua itur ad puteum viuentis & videntis incedebat? nonne Abacuc c. 3. ait de Messia venturo Deus ab Austro veniet: sic eum locum interpretantur Doctus Ribera, Ioann. Max. l. 1. Dialog. contra Nestorianos, paulo post medium, & D. Hier. in hũc versum Psal. 106. *A solis ortu & occasu*, ait, *legimus in Abacuc, Deus ab Austro veniet, de Saluatore dicitur, quoniam Deus natus est in Austro, à situ enim Ierusalem in Austro posita est*, & ante eos Tertul. in l. de Trinitate interpretatus est: merito igitur Isaac in terra Australi in qua Christus nasceretur, habitat, vt cuius præsentia frui nõ poterat saltem locũ habitationis eius frequentaret.

Ad sacrificium quod Christus pro nobis obtulit meditandum, inuitamur.

286. *Isaac deambulabat &c. habitabat in terra Australi*, quam D. Hier. in tradit. Hebr. in Gen. ait fuisse illam, vnde Isaac à patre ad immolandũ quondã fuerat adductus: cur hanc terram habitare voluit, in qua pœne interiit, & vita in ætatis flore fere adepta est: horror enim quidem nos concutit, cùm locũ extremi nostri periculi conspicimus, imo ab aliis referri audimus: hanc terram nihilominus nõ horruit, sed habitare voluit vt posset illius sacrificii, quod in ea parauerat, perpetuo reminisci: & ex suo sacrificio tanquam ex signo frequenter admoneretur illius sacrificii quod Christus Dominus acturus erat, & ad illud ardentius considerandum, & ardentius diligendum incitaretur.

Christus Dominus in passione non solum aliqua suffert, sed iterum atque iterum plures ærumnas tolerat.

287. *Isaac deambulabat per viam quę ducit ad puteum &c.* D. Gregor. hoc exponens mysticè ait, quæ est via quæ ducit ad puteum viuentis & videntis, nisi humilitas passionis vnigeniti? hoc posito, cur ait Moyses Isaac deambulasse per hanc viam non autem ambulasse? nota quod qui deambulat, viam quā ambulat, eundo & redeundo pluries calcat, non autem semel per eam incedit: dicitur ergo Isaac per viam deambulasse non ambulasse, quia Christus in via passionis suæ non semel, sed iterū & plures plura sustinuit opprobria & ærumnas tolerauit; ita cit. Greg. in Hom. super Ezech. *in humilitate passionis Dominus deambulans quando à Iudæis, modò verborum contumelias, modo contra se falsum testimonium, modò alapas, modò sputa, modò coronam spineam, modò crucem tolerando sustinuit, deambulasse igitur in humilitate passionis est tot aduersitates & probra diuersis modis iterando pertulisse.*

S. Greg.

Passio Christi exhibita sacram aperuit scripturā.

288. *Isaac deambulabat per viam quæ ducit ad puteum, cuius est nomen viuentis & videntis*, quis est viuens & videns, nisi omnipotens Deus, de quo scriptum est, viuo ego in æternum dicit Dominus, de quo iterum dicitur, omnia nuda & aperta sunt oculis eius, puteus vero viuentis & videntis est sacræ scripturæ profunditas, quam nobis ad irrigationem mētis præbuit omnipotens Deus: sed quæ est via quæ ducit ad puteum videntis? in antecedenti conceptu diximus ex D. Greg. esse humilitatem passionis Saluatoris nostri: cur humilitas huiusmodi passionis ducit nos in huiusmodi puteū? quia passio Christi nobis aperuit, quod prius latenter scripturæ sacræ fluēta loquebantur, *nisi enim*, inquit cit. Greg. *vnigenitus Dei filius incarnatus, tentatus, apprehensus, colaphis cæsus, sputis illitus, crucifixus ac mortuus fuisset, nobis huius putei id est scripturæ sacræ profunditas non pateret; quid ergo humilitas passionis facta est fidelibus, nisi clauus apertionis per quam mysteriorum Dei puteum inuenimus, vt aquam scientiæ de profundis biberemus? incarnationem quippe, passionem, mortem, resurrectionem, atque ascensionem eius sacri eloquii pagina testatur, quā quia facta cognouimus, iam nunc intelligimus audita; hæc autem legi poterant, sed quia necdum euenerant, intelligi non valebant.*

Gregor.

Idem est in Deo aliquem miserum intueri & eius calamitati subuenire.

289. *Isaac deambulabat per viam quæ ducit ad puteum viuentis & videntis*, diximus hanc appellationem sortitum fuisse, quia Angelus ibi Agar apparuit, eius & filii sui necessitati subueniens, si igitur miseriæ eorū succurrit, cur solum dictus est huiusmodi puteus Dei viuentis & videntis me, non autem mihi subuenientis? sufficit dixisse Deum videntem, quia idem est aliquem, Deum oculis misericordiæ suæ intueri, ac eius miseriis & calamitatibus subuenire, sicut è contra cum aliquem non respicit, is miserrimus est, vnde Psal. 113. Deum deprecabatur, dicens, *ne auertas faciē tuā à me*, quæ verba exponens D. Prosper. ait *auerso à me vultu tuo conturbatus sū & factus sum sicut terra sine aqua, quia excitasti desideriū, redde cōspectum.*

Prosper. Psal. 113.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LXIII.

VVLG. Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die, cumque eleuasset oculos, vidit venientes camelos procul.

Sep. Et egressus est Isaac exerceri in campo ad vesperam, & respexit oculis suis.

Cald. Egressus est Isaac ad orandum in agro in tempore vespertino.

Pag. Dum declinauit vespera.

Caiet. Et egressus est Isaac ad loquendum.

Rabi Abraham egressus est ad deambulandum inter virgulta.

Amb. Exiit se exercere in campum ad meridiem.

CONCORDIA.

VErbum שוח Suah est loqui ore & corde, id est meditari, aut orare & loqui & confabulari, narrare afflictiones suas & labores, quidam longius petunt huius verbi significationem conferentes שחה Sachah natare quasi sit natare & versari in re ampla & spatiosa, vel in mente vel sermone secum aut cum altero: vnde שוח Suah generaliter quicquid è corde vel ore emanat exponunt, vt sunt meditationes, colloquia, disputationes, preces, deducunt & alteram significationem nominis שיח Suah, frutex arbustum è terra recens natum aut super terram, & iuxta hanc significationem, vertit Rabi Abraham ad deambulandum inter virgulta, si autem Septuaginta dixere egressus est exerceri, intelligendi sunt de exercitatione in oratione vel meditatione.

EXPOSITIO.

EGressus fuerat ad meditandum, cum meditatio nō solum respiciat res diuinas & supernaturales, sed etiam naturales, hinc dupliciter intelligi potest egressus Isaac ad meditandum, vel enim meditabatur motus & virtutes syderum, vt aliqui arbitrantur, vel beneficium creationis Dei, prouidentiam eiusque æquitatem in reddendis præmiis, & iustitiā in puniendis prauis, & sic communiter doctores sētiunt, cum quibus concordat Paraph. Caldaica plurimorum difficultatū enodatrix, secedit igitur Isaac in agrum, ipsius quærens solitudinem orandi & meditandi gratia, *inclinata iam die*, cum solis occasus immineret, cumque oculos eleuasset in illam partem qua veniebat Eliezer cum Rebecca, *vidit camelos venientes*, quibus ducebantur cum ancillis & aliis Abraham famulis, sed quia alii sunt auctorum sensus circa verbum Suah, variis conceptibus eos aperiemus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

In præſulibus Eccleſiæ non tam otium contemplationis quàm negotium pro ſalute ſubditorum eminere debet.

290. *Iſaac egreſſus fuerat ad meditandum in agro,* dum coniugem ſuam expectabat: ſed non ſe confert in huiuſmodi agrum vt cum coleret, arbores plantaret, ſentes eradicaret, ſed vt in eo meditaretur Hieremiæ autem cap. 1. dicitur, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes, Hieremiæ datur ager, nam dicitur ei vt plantet, Iſaac vt meditetur tantum, & cur Hieremiæ nō præcipitur meditatio, ſed plantatio? cauſam oſtendit textus dicens, conſtitui te ſuper gentes & regna, vbi enim quis populis præficitur, hoc præcipuum habeat vt nunquam ab operibus ceſſet pro ſubditis iuuandis, ex quo monebat D. Bern. Eugenium Pontif. l. 2. de conſid. ſatus, *In hunc agrum Iſaac exierat cū primum Rebecca occurrit ei, & vt ſcriptura habet, exierat ad meditandum, ille ad meditandum, tu ad extirpandum egrediaris neceſſe eſt, tibi iam præceſſiſſe meditatio debet tempus faciendi præ manibus,* itaque Prælaturæ tempus, non tam meditandi eſt quam tempus faciendi, tempus operandi, nec traditur Eccleſiæ ager ſolum ad meditandum, ſed ad plantandum, ad extirpandum, ad ædificandum, quod D. Damianus egregiè confirmat lib. 2. Epiſt. 2 ex duobus Magdalenæ facinoribus, nempe & quod pedes Ieſu vnguento vnxerit, & quod pedes eiuſdem vnguento perfuderit, cur prima mulieri fuit cura circa pedes Ieſu, non autem circa caput? vt oſtendatur prima etiam in Eccleſiæ Prælatis nimirum circa pedes Domini, hoc eſt circa ſubditos fouendos, lauandos, inungendos, ſic autem ait Damian. *beata illa peccatrix prius pedes Domini vnguento perunxit, poſtmodum alabaſtrum vnguento pretioſi ſuper caput recumbentis effudit, caput Chriſti, Deus, pedes homo iſti ſunt Dei; ſicut enim illis dum humanitatis Chriſti obſequium impendit, ad diuinitatis attingere meruit intellectum, ſic Doctor Eccleſiæ Chriſti membra cuſtodit contemplandæ diuinitatis gratiam percipit,* nihil prius in prælato quam ſubditorum negotium, huic prius impendat operam, ex quo veniet ad altiora diuinæ contemplationis ſecreta.

Hieremiæ 1. — *D. Bernard.* — *Petrus Damian*

Sancti Patriarchæ ita Chriſti incarnationem exoptant vt in eius deſiderio animam effundant.

291. *Iſaac egreſſus fuerat ad meditandum in agro,* ſed quid meditabatur? an coniugium Rebeccæ? non arbitror, cuius igitur rei vacabat meditationi? forte meditabatur ſacramentum magnum in Chriſto & Eccl. Eph. 5. n. 32. hoc eſt myſterium incarnationis, cuius ſpe ac deſiderio iucundiſſimè paſcebatur, ſic exponit D. Ambroſ. ſerm. 4 in Pſal. 118. vbi loquutus de Rebecca ait, *typus in ea figurabatur Eccleſia, parabantur nuptiæ in quibus ſacramentum fieret magnum, videns igitur Patriarcha iſta myſteria, exiuit in campum diffundens acrimoniam ſuæ mentis, & deambulans innocentia cordis ſui: diuerſis itaque cogitationibus exercebat animum, & in mirabilibus myſteriis delectabatur,* en vides quomodo ſanctiſſimus Patriarcha incarnationis myſterium, præ mentis oculis ferebat? illud que ſeparatus à turbis hominum & libero campo ſpatiatus, non ſolum attentiſſimè, ſed etiam ſuauiſſimè contemplabatur? nam verbum illud meditandi vt obſeruat D. Aug. q. 60. in Geneſ. videtur ſignificare animi affectum ſtudioſiſſimè aliquid cogitantis cum delectatione, quaſi Iſaac in huius contemplatione myſterii, & totam animam effunderet, & mira dulcedine perfunderetur.

Eph 5. — *D. Ambr.* — *D. Auguſt.*

Magna cum conſideratione aliquis ſtatus ſuſcipiendus.

292. *Iſaac egreſſus fuerat ad meditandum in agro,* huc voco ſapientiſſimam ſponſæ vocem cant. 7. veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruerit vinea noſtra, ſi flores fructus parturiunt, componamus nunc ſponſam & Iſaacum, illa in agrum exit, tota intenta in floribus legendis & fructibus metendis, Iſaac vero in agrum recedit, ſoli intentus meditationi: cur Chriſti ſponſa nihil de meditatione, ſed de fructibus capiendis in agro ſollicita eſt? & Iſaac fructus nihil curans, ſed ſolum meditationi totus occupatur? ſponſa iam ſecum ſponſum habebat, eius amplexibus fruebatur, dicens; ego dilecto meo & ad me conuerſio eius, ideo nihil tam curat quā ſuſcepti ſtatus fructus metere, verum Iſaac adhuc ſponſam ſperabat, vnde merito totus cernitur meditabundus, & vt imprudens eſt & temerarius qui poſt ſuſceptum munus & ſtatum eius, indagationē & notitiam aggreditur, ſic prudentiſſimus qui ante omnia cum ſumma cum animi meditatione conſiderat & perpendit: ex his monebat Cit. Bern. Eug. Pontif lib. 2. de conſid. *Ibi meditatio præceſſiſſe debet tempus faciendi præ manibus, ſi nunc hæſitare incipias, id quidem ſero,* ante iuxta conſilium Saluatoris ſediſſe debueras, ante æſtimaſſe opus, metiri vires, ponderaſſe ſapientiam, merita comparaſſe, ſumptus computaſſe virtutum, quam hæc ſapienter dicta ſunt, nūquam enim periculoſa non eſt ſera conſideratio, & meditatio muneris ſuſcepti.

Bernard.

In præceptis Dei meditandum.

293. *Egreſſus eſt Iſaac ad meditandum in agro,* cur ſicut eius meditationem nobis proponit Moyſes, etſi cuius rei eſſet non aperit, ne in ea inquirenda laboraremus? quinam fuit Iſaac quæſo? qualem ducebat vitam, niſi religioſā? non inquiramus igitur quid meditabatur, nam ſine dubio meditationis ſuæ materia erat præceptorum Dei obſeruatio, ita Rupert. *ſtudium boni viri prædicatur meditantis in teſtamento Dei Abraham patris ſui, & ob ſolitudinem amantis, qualem ſcriptura commendat cùm ait, bonum erit homini cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit quia leuauit ſe ſupra.*

Rupertus.

Ex creaturarum conſideratione in Dei amorem accendimur.

294. *Egreſſus eſt Iſaac ad meditandum in agro, inclinata iam die,* cur cum ſolis occaſus accederet, ad meditandum egreditur? ait Abulenſis, quia cū eſſet Iſaac peritiſſimus Aſtronomiæ, quam à patre didicerat, tunc tēporis egrediebatur, vt videret cœli diſpoſitionē, vel vt acciperet ortum Chronicum, vel Heliacū alicuius ſtellæ, ſtellæ enim declinante iam ſole, ortu Chronico oriuntur, & illud eſt tēpus Mathematicū ad inquirēdū in cœlo &c. ſed ſi ad conſiderandū huiuſmodi ſtellarū ortū, cœliq; diſpoſitionē egrediebatur, cur exiſſe ad meditandum vel potius ad orandū dicitur? qui enim vacat creaturarū conſiderationi, preces nō effundit quæ in Deū diriguntur. creaturas conſiderat, & tamen orat, quia ex earū pulchritudine, virtute, varietate &c. in Dei earū auctoris

amorem (qui etiam finis est orationis) accenditur, obseruat o est Lipp. *dicamus*, inquit, *exercitasse Isaac spiritum suum, & in Deum eleuasse mentem, quia est sanctorum oratio, ad quod stellarum contemplatio & Dei opus excelsum non modice potuit illum excitasse, sic etiam viri sancti assurgunt ex creaturis per fidem in amorem conditoris.*

Lippo.

Cõtẽplatio diuinorũ vtilius in solitudine peragitur.

295 *Egressus est Isaac ad meditandum in agro*, scilicet vt plures arbitrantur Patres, vt diuinorum contemplationi vacaret; sed cur agrum seligit, potius quàm domum paternã in qua vigebat religio & pietas? verũ est pietatem in domo Abrahæ viguisse, nihilominus tumultu non carebat ex tot famulorum concursu: prudenter igitur agri solitudinem seligit, quia vtilius in ea diuinorum contemplatio habetur: sic Abul. *ibat ad contemplandum circa Deum & de beneficiis eius, & vita æterna, quæ valde lætificant animũ & confortant, ista autem in agro melius quàm in domo fiunt, quia requirunt liberam mentem.*

Abulens.

Sacræ scripturæ meditatio ad omnia nobis vtilissima.

296 *Egressus est Isaac ad meditandum in agro inclinata iam die*, cur meditatur in agro cũ occumberet dies, non autem tempore meridiano? non est dubium per agrum sacram designari scripturam, per diem autem inclinatam, aduersas huius vitæ ærũnas, & quicquid nobis molestum contingere potest: quàm recto cõsilio igitur inclinata iam die exiit ad meditandum in agro, quia sacræ scripturæ per agrũ designatæ meditatio, ad molesta & aduersa patienter toleranda vtilissima est, hoc annuit Ailredus in alleg. Tilmani, *quæcumque scripta sunt inquit, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, dico vobis fratres: nihil potest mihi aduersi contingere, nihil tam triste & amarũ emergere, quod non mox vt pagina nos sacra exceperit, aut euanescat citius, aut facilius toleretur. Hic est ager in quem sanctus Isaac inclinata iam die pergit ad meditandum, vbi et occurrens Rebecca, illum qui acciderat sua lenis suauitate dolorem, quoties mihi Iesu bone dies vergit in vesperam? quoties paruæ alicui consolationi quasi diurnæ lux intolerabilis dolor velut nocturna caligo succedit, quid tunc? Exeo certe ad meditandum in agrum, sacrum reuoluo codicem, meditationes meas ceris imprimo, tũc subito mihi occurrens Rebecca, scilicet tua gratia Iesu bone sua luce tenebras discutit, infœlices quos cum tristia quæque perturbat, non hunc agrum ingrediuntur vt gaudeant.*

Ailredus.

Verbũ naturam sumit humanã vt incarnatũ annuntiet regnũ Dei, oret & armis debellet dæmonẽ.

297 *Egressus est Isaac ad meditandum in agro inclinata iam die*, hebræus vt oraret, Caiet. vt loqueretur, sept. vt se exerceret, per Isaac Christũ Dominũ intelligi quis potest in dubium reuocare? sed si res ita se habet, quomodo percipi potest quod egressus fuerit in agrum aliquem, non solũ ad meditãdum, sed & ad loquendum, orandi nec non se exercendi gratia? hũc enim agrũ non conspicio, in quo hæc omnia fuerit operatus. Sed si mundũ agro designari dicamus, quis prohibet asserere verbũ Dei è sinu patris egressum, vt nostram sibi naturã assumens, in hoc mundo nobis loqueretur regnũ cœlorum, oraret solus vt nos deprecari doceret, meditaretur nostrarum cõuersionem animarum, & armis suis se exercens, hostẽ debellaret aduersariũ? hæc omnia cõprehendit Steph. Cantuar à Tilmano citatus, *sicut egressus est Isaac, inquit, similiter Christus egressus est de sinu patris, vnde exiuit à patre & venit in mũdum, tunc egressus est, cum incarnatus est, vt loqueretur, id est annuntiaret regnũ Dei, vel vt oraret, quia solus ascẽdit in montẽ orare, & vt meditaretur sicut dicit Hieremias: dicit Dominus ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, scilicet vt pacẽ reformem omnimodam inter Deum & hominem, inter hominem & Angelum, & excogitauit nouas & admirabiles adinuentiones, sicut legitur: notas facite in populis adinuentiones eius: hæ sunt adinuẽtiones inauditæ, quod mortem moriendo destruxit & vitã resurgendo reparauit, deniq; ad exercitandũ egressus est: ipse enim exercitatus fuit in armis quibus diabolum expugnauit & in agro, id est in mundo, inclinata iam die, id est in vespera mundi.*

Steph. Cantu.

Ierem. 29.

1. Paral. 16.

Meditatio, medium ad fructus eximios Ecclesiæ recipiendos.

298 *Egressus est Isaac ad meditandum in agro*, expectans sponsam suã Rebeccã, quæ variis condecorata ornamentis, tã aureis quàm argenteis accedebat, cur vt eã recipiat, meditationi vacat? nõne magis rationi consentaneum, vt omnia ad eius receptionem necessaria domi paternæ manens, præpararet, conuiuium nuptiarũ, thalamũque disponeret? per Rebeccã pluries diximus venire intelligendã Ecclesiam, & sicut inauribus aureis, armillisq;, nec nõ pretiosissima alia supellectili instructa erat sic Ecclesia variis Dei muneribus & donis condecorata est; quid nurũ igitur si meditationi vacãs, in occursum Rebeccæ egreditur? quia meditatio mediũ est ad fructus eximios Ecclesiæ recipiendos: quod eleganter prosequitur D. Am. lib. de Isaac & anima c. 3. dũ ex prospectu Rebeccæ inflãmatus Isaac, totus in eius admirationẽ pulchritudinis absorptus, terrena iã despiciens, cœlestia appetiit diuina: *talis erat Isaac autem Rebeccã aduenientem expectare, præparans se copulæ spiritualis, veniebat enim cœlestibus dotata mysteriis, veniebat magna secum ornamenta aurium, & manuum ferens, eo quod auditu & operibus emineat Ecclesiæ pulchritudo; cuius anima videns mysteriũ Christi, videns Rebeccam venien cum vasis aureis & argenteis, tanquam Ecclesiam cum populo nationum mirata pulchritudinem verbi & sacramentorũ eius, dicit, osculetur me osculo oris sui.*

D. Ambr.

Cant. 1.

Oratio præponenda præcipue operibus seriis.

299 *Egressus est Isaac ad meditandum in agro*, hebræi ad orandũ, certum, est pluries Deũ orasse Isaac, cum esset religiosissimus, cur igitur nunc orationis illius mentionẽ facit Moyses? nõne sibi maximũ onus imponere debebat, quale est matrimonii, & de re grauissima agebatur? merito igitur nunc à Moyse illius orationis fit mentio, quia præcipue præponenda est seriis operibus, accipe doctissimũ ex nostris Discipulum ser. 64. *sciendum, inquit, quia orationi præcipue intendendum est, vel cum est maior necessitas, vel maior tẽporis opportunitas: maior necessitas orandi est cum aliqua opera facturi sumus*, vnde Hieron. ad Paulin. *in principio cuiuslibet operis præmitte Dominicam orationem, & signũ crucis in fronte, & sic cõmitte te diuino auxilio* &c. sicut militẽ sine armis exire ad bellũ non cõuenit, ita homini Christiano procedere ad quæcunq; opera sine oratione, nõ licet: ergo opera nostra oratio debet præuenire, vt Deus det nobis effectũ & prosperitatẽ.

Discipulus.

D. Hieron.

Omni tempore orandum.

300 *Egressus est Isaac ad meditãdũ in agro*, hebr. ad orandũ, *inclinata iam die*, legimus Abr. mane corã Deo preces fudisse, c. antẽ 28. nocturno tẽpore Dominũ deprecatum fuisse, quomodo nunc annotatur, quod

Isaac vespertino, etiam orationi indulgeat, certum est matutinum, vespertinum, & nocturnum tempus quodlibet aliud comprehendere: his ergo temporibus dicitur quod Patriarchæ Deum orauerunt, vt sciamus omni tempore coram Deo preces esse fundendas, testatur ipsemet Christus Dominus Luc. 18. oportet semper orare, & non deficere, sed cum alijs operibus ab oratione etiam iusti intendant, optime hanc sententiam Christi Domini explicat Ioann. Soares Episc. Conimbricensis tract. 199. in Luc. *ille semper o. at qui semper bene operatur, hoc autem Dei gratia, si volumus, facere possumus, & sic sæpe orabimus dicente beato Ap. stolo 1. Corinth. 10. siue ergo manducatis siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Episc. Conimb Ioannes Soares. 1. Corinth. 10.

In oratione soli Deo colloquendum.

301 *Egressus est Isaac ad meditandum in agro*, alii habent ad loquendum, cui vel quibus? locutio enim siue sermo est ad alterum, cur igitur hoc Moyses non aperit? nonne per hanc locutionem intelligitur oratio ex Hebræis legentibus ad orandū? considera igitur, nō dixisse Moysē cui vel quib⁹ loquebatur, quia in oratione non aliis quā soli Deo colloquēdum est. Fauet Procop. *meritò non adiectum est cui rei intentus fuerit, si quidem nec cum homine, vel cum alia terrena re colloquium habuit, sed totus speculationi numinis fuit deditus, non enim* inquit D. Hildeb. ep. 31. *fieri potest vt aliquando loquatur cum Deo, qui etiam silens cum toto mundo loquitur.*

Procop. D. Hildebert.

Si in iuuentute pœnitentiam delictorum non egerimus, in senectute eam non negligamus.

302 *Egressus est Isaac ad meditandum in agro, inclinata iam die*, Hugo Card. ait in agro pœnitentiæ, sed si egressus, vt in huiusmodi agro meditaretur, cur expectauit solis occasum, diemque inclinatam, per quā senectus hominis intelligitur & vitæ illius fere terminus? nā potius egredi deberet ad meditationē in agro pœnitētiæ crepusculo matutino, siue ortu solis: dicit tamen Moyses egressum fuisse ad meditandū in huiusmodi cāpo iam die inclinata, vt si in iuuentute pœnitentiā delictorū non egerimus, eam saltē in senectute, & inclinata iā die vitæ nostræ eā meditemur: ita mystice citatus auctor, *cùm mors appropinquat, egrediendum est in agrum pœnitentiæ vel religionis, vnde cœlestia contemplentur, aliter enim quomodo perueniet ad vitam æternam nisi in præsenti vita fuerit contemplatus?* Iob 39. *dicitur in prærupis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus vnde contemplatur escam, & de longe oculi eius prospiciunt,* Hierem. 6. *consurgite & ascendamus in meridie, væ nobis quia inclinata est dies & longiores factæ sunt vmbræ vesperi, surgite & ascendamus in nocte, quia dicitur qui non fecerit in iuuentute saltem faciat in senectute, Dominus enim nullum respuit nec senem nec puerum.* Matth. 20. *pater familias mittit operarios in vineam suam, mane, & hora tertia, & sexta, & nona, & vndecima, id est infantes, pueros, adolescentes, iuuenes, senes & decrepitos vocat.*

Hugo. Card. Iob 39. Hierem 6. Matth 25.

Scientiæ abusu fiunt peruersæ.

303 *Egressus est Isaac ad meditandum*, noster Lyranus ait, forte egressus fuerat ad videndum dispositionem cœli & aliquarum stellarum, quæ incipiebant apparere, quia edoctus erat in Astronomia à Patre, qui primus eam docuit Ægyptios, id nullomodo ferre potest Burgensis dicens, id rationi contrarium, eique non cōformē, quod astronomiā vir religiosus aliquādo docuerit, ait enim quod Apostoli qui à Spiritu sācto illuminati fuere, in tantū quod eis dicitur Ioann. 16. docebit vos omnē veritatē, & tamen non exponitur hæc auctoritas, quod fuerint illuminati de veritatibus Mathematicis & astronomicis, sed de his quæ sunt ad salutē necessaria, multo minus hoc dicendū est de Abrahā, quem scriptura cōmendat de timore, & fide Dei, nunquā tamen de scientia vel aliqua arte, quæ humanitus potest acquiri, tū quia scientia Ægyptiorū in scriptura reprobatur, tanquā diuinatio superstitiosa, vnde Isai. 29. dicitur Ægyptiis, cū obiurgatione, vbi sunt nunc sapientes tui, annūcient tibi & indicent &c. ne dicat igitur, concludit Burgensis, ne dicat Lyranus astronomiā calluisse Patriarchas: sed toto cœlo aberrat Burgēsis, nam astronomia non cōdemnatur præcise, sed in quantū ars iudiciaria superstitiosa est, cui nec Abrahā nec Isaac studuere, sed audiamus Matt. Thoringiū in replica: *nō videtur verū* (inquit) *quod astronomia diuersa à virtute, fide, & timore Dei, sed dicitur in singularē commendationem, quod Abraham fuerit Astronomus, nec est detestanda in quo Ægyptios artē bonam docuerit, quam per Abraham abusum verterant in superstitionem, & Astronomiam in Astrologiā, sæpe enim bonarum scientiarum fit abusus.*

Burgens. Noster Matth Thuring.

Non omnibus contemplationis donum conceditur.

304 *Egressus est Isaac ad meditandū in agro*, D. Amb. legit exiit in campū abalienare, quod hunc sensum reddere potest, vt se totū dederet contēplationi rerū diuinarū, mentē adduceret à sensibus: sed cū tot pietate viros insignes in sacris litteris reperiamus, quomodo paucos legimus contēplationi ita vacare, vt mentem à sensibus abducerent? Noe profecto iustus erat in generationibus suis, deditū contēplationi nō video, & ecce Isaac exiit ad cāpum ad meditandum siue contemplandū: ne mireris aliquos iustos contēplationi vacare, nō autem alios, quia cōtemplationis donū non omnibus conceditur; huius veritatis testis est Blosius Abbas in farragine vtilissima instit. epist. ad quendā deuotū conscripta, *non omnes* (inquit) *ad hæc idonei sunt vt se in illis plenius exerceant: quā quæso absurdum foret, si is cui rex demandauit officium standi ante mensam suam, & seruiendi, iniussus se se impudenter mensæ regiæ insideret ac resideret? atqui non minus improbe facit, qui se totum otio contemplationis tradere, quū tamen ad illud singulariter à Deo non vocetur, in regno cœlesti omnes beati mensæ summi regis assistunt, omnes per amorem Deo perfecte vniti sunt, omnes suauiter in Deo requiescunt, & torrente diuinæ voluptatis assidue potantur: at hic non omnibus electis illud conceditur, sed nec expedit quidem vt omnibus concedatur, quapropter illi qui indiscreta vehementia seipsos importune perurgent, & impellunt ad ea quæ mensuram gratiæ ipsis datæ excedunt, vt plurimum, & quo tendunt non perueniunt, & insuper naturam suam p. agrauant ac destruunt.*

Blosius Abb.

In contemplatione ita homo abducitur à sensibus vt fiat quasi spiritualis.

305 *Egressus est Isaac ad meditandum*, D. Amb. exiit in campum abalienare, mentem Ambrosij non capio, qui enim à se alienus est, stultitiæ arguitur, Isaac autem prudentia in omnibus operibus suis viguit; quomodo igitur ait Ambrosius Isaacum abalienatū fuisse? non quidem à mente sed à sensibus, à quibus ita in contemplatione abducebatur, vt non esset Isaac terrestris, sed spiritualis: hoc officium contemplationis hauriamus ex contemplatiuo Bernardo de scala claustrali seu de modo orandi cap. 4. *his & huiusmodi ignitis*, nempe contemplatiuus, *eloquijs suum inflammat desiderium, sic ostendit suum affectum*

Bernard.

Eum his incantationibus aduocat Sponsum: Dominus autem, cuius oculi super iustos & aures eius non solum ad preces, sed ipsas preces eorum non expectat, donec sermonem finierint: sed medium orationis cursum interrumpens, festinus ingerit se, animæ desideranti festinus occurrit, cœlestis rore dulcedinis circumfusus, vnguentis optimis delibutus animam fatigatam recreat, esurientem reficit, aridam impinguat, & facit eam terrenorum obliuisci, memoria sui eam mirabiliter fortificando, viuificando, & inebriando, ac sobriam reddendo & sicut in quibusdam carnalibus officiis anima adeo vincitur carnea concupiscentia, quod omnem vsum rationis amittit, & fit homo quasi totus carnalis, ita merito in hac superna contemplatione ita consumuntur & absorbentur carnales motus ab anima, vt in nullo caro spiritui contradicat, & fiat homo quasi totus spiritualis.

Meditatio sine oratione infructuosa.

306 *Egressus Isaac ad meditandum*, Cald. ad orandum, nõne sufficiebat nos habere testimonium meditationis Isaac vt eum imitaremur? cur igitur Cald. etiam exprimit orasse? forte vt significaret meditationem sine oratione infructuosam esse. Fauet. cit. Bern. lib. cit. ca. 8. dicens, *lectio sine meditatione arida est, meditatio sine lectione erronea, oratio sine meditatione tepida, meditatio sine oratione infructuosa.*

Cit Bern.

Qui orationi vacat sibi ipsi renuntiare debet.

307 *Egressus Isaac ad meditandum in agro*, sed versiones Pagnini & Vatab. habent, egressus erat Isaac ad orandum; quo animaduerso, cur vt oraret egreditur foras? nonne conuenientius fuisset domi manere ad vacandum orationi? satisfacit Phil. lib. 2. alleg. *meditaturus & priuatim acturus cum Deo, egreditur relicto se ipso menteque propria.*

Philo Alex.

Sanitati conseruandæ inuigilare possumus.

308 *Egressus est Isaac ad meditandum*, sept. legunt vt se exerceret in agro, sed cui exercitationi in agro potuit indulgere? consulamus versionem Rabi Salomonis, egressus est vt ambularet inter virgulta, ambulabat igitur: sed cur deambulat? tuendæ forte sanitatis gratia: sic Patr. Palud. *egressus fuerat*, inquit, *ad exercendum corpus suum pro conseruanda sanitate ipsius.*

Patr. Palud.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LXIV.

VVLG, Rebecca quoque conspecto Isaac descendit de camelo.
Sept. Respiciens Rebecca vidit oculis suis Isaac, & desiliit de camelo.
Cald. Inclinauit se super camelum.
Pag. Iactauit se de camelo.
Arr. Et cecidit desuper camelo.
Vatab. Et decidit desuper camelum.

CONCORDIA.

נפל naphal non solùm descendere, sed demittere, seu cadere, deiicere, iactare se significat: si autem Caldæus legit inclinauit se super camelum, non ita intellige quod non descenderit inclinatione facta, sed quod postquam inclinauerit se, quod [illegible] è camelo desiliit.

EXPOSITIO.

Rebecca conspecto Isaac descendit, forte hæc per anticipationem dicta sunt, nam verisimile est solum descendisse, postquam ab Eliezer edocta fuit quod Isaac erat ille, qui in occursum suum venerat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Virgines sint maxime humiles.

308 *Conspecto Isaac descendit de camelo*, cur descendit? nam secundùm vrbanitatem prior ab Isaac salutari debuit, deinde è camelo desilire? prior salutari non expectat, sed protinus agnito Isaac descendit, quia maxime virgini decens humilitas; addit Lipp. *huius igitur exemplo scriptura commendat mulieribus humilitatem.*

Lippo.

Fœminæ viros revereantur.

309 *Conspecto Isaac descendit*, si ex itinere lassa, viribusque quasi destituta, cur non expectato ancillarum aut seruorum officio, ex camelo desiliit ac pedes constitit? nonne Isaac quem conspexerat, futurus maritus suus erat? merito igitur quasi virili animo cùm ad conspectum sponsi peruenit descendit, vt illi deferret honorem & reuerentiam, *debent*, inquit, Oleaster *fœminæ viros revereri*, & Tho. Angl. *descendit ex reuerentia viri quem videbat in occursum venire.*

Oleast. Tho. Angl.

Virgines non decet esse molles, sed generoso animo præditas.

310 *Conspecto Isaac descendit de camelo*, in Hebræo iactauit se de camelo, Caiet. iuxta Hebræum, promptitudo ac celeritas quædam significatur tanquam iactantis se seu cadentis de camelo: quomodo ita alacris & impigra vt tanta cum promptitudine, nulla sibi auxilium præbente ancilla, ex camelo proceræ altitudinis descendit? vt ostenderet virgines decere non mollitiē sed generositatem, *vide*, inquit Chrys. *puellæ generositatem, descendit pedes.*

S. Chrys.

Anima peccatrix siue gentilitas cognito redemptore sua crimina agnoscit vt ea abiiciat.

310 *Conspecto Isaac descendit de camelo*, diximus quod Rebecca camelo insidens, Isaacque conspiciens, erat Ecclesia ex gentibus ad redemptorē suum veniens dum adhuc esset vitiis obscura & necdum spiritualibus sed animalibus motibus inhærens: sed cur ab huiusmodi camelo, cognito Isaac descendit? quia sancta Ecclesia quanto subtilius redemptorem suum agnoscit, tanto carnalis vitæ studia humili⁹ deserit, atque in semetipsa cū fortitudine vitiis contradicit: sic D. Isid. Hisp. in hoc cap. *Rebecca Isaac viso descendit, quia Deo agnito, vitia sua gentilitas deseruit, & ab elatione celsitudinis, viam veræ humilitatis petiuit.*

Isid. Hisp.

Licet concionatores sint iusti carnis contradictionem sentiunt.

311 *Conspecto Isaac descendit de camelo*, cui insidentem diximus esse gentium Ecclesiam, adhuc variis criminibus pollutam: sed si Rebecca camelo insidens, habet significationem propter camelum hæc repræsentantem, nonne etiam Eliezer camelo vehebatur? concionator igitur Eliezer denotatur, & si iustus an variis criminibus fœdatus dicetur? non hāc difficultatē vidit D. Greg. in hom. in Ezech. cui subtiliter satisfacit dicens, *nec mouere debet* (inquit) *quod puer cum camelis veniret, in quibus diuitias Domini sui ferebat, quia ipsi quoque prædicatores sancti, quamuis iam ad superiora intelligenda atque præferenda intellectu, & vita emicent, adhuc tamen in semetipsis contradictionem sentiunt: nam vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, se seducentem in lege peccati, & diuitias in camelis portant: quia ne magnitudo reuelationē extollat eos datur stimul⁹ carnis suæ, habēt enim thesaurū illum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, non ex ipsis, qui enim per carnem cœlestia loquuntur, & tamen adhuc in carne contradictionem de vitio sentiunt, quid aliud quam super tortuosa cameloum dorsa insidens?*

D. Greg in ho.

Passione Christi D. considerata ea quæ toleramus & agimus paruipendimus.

312 *Conspecto Isaac descendit de camelo*, qui camelo insidet, carnem suam mortificat, subiicit enim vitia & ea frœnat, non sine labore: cur igitur Rebecca signum animæ fidelis, ab huiusmodi camelo, viso Isaac Christi Domini symbolo, descendit? nam potius ei semper insidere deberet, nam descendere ab eo, à mortificatione cessare est, sed vere satisfacit Steph. Cantu. in alleg. Til. *Camelum ascendit qui carnem affligit, sed viso Isaac descendere est, considerata passione Christi sua bona paruipendere.*

Steph.

Christus primo nos oculo misericordiæ intuetur, quàm à miseriis & peccatis resipiscamus.

313 *Conspecto Isaac descendit*, certum est Isaac etiam vidisse Rebeccam & prius ab eo visa est quàm ab illa conspiceretur; nam versu antecedenti dictum est, quod Isaac vidit camelos procul venientes, & certum est vidisse eos, in quorum numero erat Rebecca quæ illis vehebatur: dubiū igitur est, si in æquali distantia erant Isaac & Rebecca, cur Isaac prius vidit Rebeccam quàm ab ea conspiceretur? quia nisi prius Isaac mysticus, nempe Christus Dominus oculis misericordiæ suæ nos intueretur, nūquam ad eum oculos miseriæ nostræ à qua subleuaremur, dirigeremus, hæc expositio mystica est Card. Hug. *prius vidit Isaac* (inquit) *postea videt Rebecca, quia Christus primo videt nos oculo misericordiæ suæ vt nos postea videamus ipsum, non quoniam nos dilexerimus ipsum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Ioannis 4.*

Hug. Card.

Ioan. 4.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LXV.

VVLG. Et ait ad puerum, quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? dixitque ipse est Dominus meus: at illa cito tollens pallium suum, cooperuit se.
Sep. At illa sumens theristum, operuit se.
Pag. Et accepit operimentum, & operuit se.
Ari Et accepit velamentum, Caiet velamen.
Oleas. Accepit velum.
Vatab. Accipiens peplum.
Amb. Accepit pallium suum, & caput suum obnubere cœpit.

CONCORDIA.

צעיף Staiph operimentum denotat, sed quod illud sit, ignoratur, aliqui enim velum, quo caput solum obtegitur existimant, vt Amb. & Sep. alij autem pallium, quo mulier tota tegitur, vt in Hispania, theristum autem ait D. Hiero. esse genus Arabici vestimenti, quo suo tempore mulieres prouinciæ illius velabantur.

EXPOSITIO.

Ait ad puerum, nēpe Eliezer, quis est ille homo? scilicet in occursum nostrum veniens, dixit ipse est Dominus meus Isaac, *at illa cito tollens pallium suum* existimo quod eo integrum corpus eius obtegebatur, *& cooperuit se*, propter calorē, ex motu cameli cui insidebat, excitatum, pallium circa humeros demissum tenebat: licet autē apud veteres obtegēdi caput propter varias rationes mos fuerit solitus, vt in signum luctus li. 2. Reg. c. 19. aut in argumentū maximæ reuerentiæ, 3. Re. c. 19. aliquādo etiam in signū auersantis & aliquē abiicientis, vt cū operuerunt faciem illius Amā, quem rex Assuerus ferre non potuit Esther 7. hic tamen huiusmodi opertio significationem habet erubescentis, aut verecundantis, quamuis aliud Iosephus asserat quod in conceptu aperiemus.

2 Re ca 19.
3 Reg c. 19.
Esther 7.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Modestia nuptias præcedat.

314 Illa *cito tollens pallium suum cooperuit se*, imo si pallio cooperta esset faciem detegere deberet, vt ab Isaac sponso suo conspiceretur nonne caput operire signum est modestiæ? merito igitur antequam Isaac matrimonio iungatur, pallio se obtegit, quia modestia nuptias præcedere

præcedere debet: *non otiosum est* (inquit Amb. li. 1. de Abr. ca. vltimo) *quod cùm veniret Rebecca, & cognito quod ipse esset Isaaccus ducereturque vxor, descendit, & caput suum pallio obnubere cœpit, docens verecundiã nuptias præire debere: inde enim & nuptiæ dictæ quod pudoris gratia puellæ obnuberent se, discite ergo virgines quemadmodum seruetis verecundiam, ne intecto capite prodeatis ante extraneos, cùm Rebecca iam desponsata designatum maritum aperto capite non putauerit videndum.*

Amb. lib. 1. de Abr.

Virgo pudorem curet, non decorem.

315 *Illa cooperuit se tollens pallium* an speciosæ mulieres conspici renuunt? imo ab omnibus videri summopere cupiunt: cur igitur quæ decora aspectu à Moyse dicitur, venustatem suam pallio contegit? egregie D. Ambr. lib. 3. de virgin. *vtique* inquit *pulchra virgo non decorem timuit, sed pudorem*, quasi diceret pudorem & verecundiam curauit, nihil curans venustatem & decorem suum æstimari.

Cit. Amb. 3. de virg.

Virgo nuptias appetens iam virginitatem mente amisit.

316 *Illa cooperuit se tollens palliũ*, si discooperta in itinere mansit, cur nunc viso sponso velamento se contegit? aduerte quod puellæ cum sponsis tradebantur, in testimonium suæ virginitatis custoditæ, velabantur: forte igitur in via mansit discooperta Rebecca, vt se virginem quoad mentem non esse significaret, cùm autem in conspectum Isaac venit pallio se contegit vt virginitatẽ corporis integrãlem per seruasse denotaret, hoc asserere mihi videtur Tertull. in lib. de velandis virginibus, *confessa*, (inquit) *quod senserat, id est spiritu nuptam negauit virginem velata, ibidem; ostendit enim etiam nuptias de aspectu & animo fieri quemadmodum & stuprum.*

Tertull.

Virgines sponsæ futuræ nimijs blanditijs ne capiantur.

317 *Illa cooperuit se tollens pallium*, nonne ab Eliezer didicerat Isaac sponsum suum esse? quomodo igitur non ruit in illius oscula & amplexus? sed potius quasi eum despectui habere videtur, cũ vultum velo contegit, vt suo doceret exemplo virginis, sponsas futuras, nimias non appetere blanditias, ita cit. Tertull. *desponsatæ fœminæ* (inquit) *habent exemplum Rebeccæ, quæ cum ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur simul ipsum cognouit esse quem de longinquo perspexerat, non sustinuit dexteræ collucitationem, vel osculi congressionem, vel salutationis communicationem.*

Cit. Tertul.

Omnes in fœminis periclitantur & ideo se cooperiant.

318 *Illa cooperuit se tollens pallium* verecundiæ demus, quod Rebecca viso sponso cooperuerit se velamento, sed si sunt domi solum filij, an mater eorum velamen accipere debet? si solum sunt fratres, an soror? si solum est pater, an filia pallio se cooperire debet? quia in quibuscumque fœminis omnes periclitantes *orote*, inquit citatus Presbyter Carthaginensis, *siue mater, siue soror, siue filia virgo secundum annos non nomina dixerim, vela caput, si mater es propter filios, si soror propter fratres, si filia propter patrem, omnes in te ætates periclitantur.*

Cit. Tertul.

Non quocumque velamine sed quo nec videre nec videri possint, mulieres se cooperiant.

319 *Illa cooperuit se pallio*, si necessarium erat velamen, vt morem sponsarum obseruaret, caput non autem vultum contegat, & si necessarium est quod vtrumque velet, pallio non vtatur nimis opaco, sed linteolo tenui, vt omnes conspicere possit, à nullo cõspecta: recte pallio vtitur Rebecca opaco & protento, quia non quocumque velamine, sed quo nec videre nisi ad suos gressus dirigẽdos, nec videri possint, debent vti mulieres: sed attente hoc audiamus à cit. Tertull. *mitris & lanis quædam non velant caput, sed colligant à fronte quidem protectæ, qua proprie autem caput est, nudæ, aliæ modice linteolis credo ne caput premant, nec ad aures vsque demissis cerebro tenus operiuntur, misereor si tam non auditu sint vt per tegmen audire non possint, sciat fœmina quia totum caput mulier est, limites & fines eius eo vsque pertingunt, vnde incipit vestis quantum resolutus crines occupare possunt; tanta est velaminis regio vt ceruices quoque ambiantur: ipsæ enim sunt quæ subiectas esse oportet propter quas potestas super caput haberi debet velamen, iugum illarum est, iudicabunt vos Arabiæ fœminæ Ethnicæ quæ non caput sed faciem etiam ita totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ sint dimidia frui luce potius quàm totam faciem prostituere*, & paulo antea, *indue armaturam, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo struens, qui nec tuos emittat oculos nec admittat alienos.*

Cit. Tertul.

Virginem non pulchritudo, sed mores denotant.

321 *Illa operuit se tollens pallium*, profecto nullam puellæ, quæ ad nuptias ducitur maius studium est, quàm vt viro suo placeat, & quidem placituram se putat, si pulchra censeatur, ad pulchritudinem verò ostendendam post mille conexendi, ornandi, & colorandi artificia, prodit in publicum sponso suo visenda velut elaborati quoddam decoris spectaculum: quomodo igitur Rebecca contegens se pallio, non vult pulchra, sed potius pudica, modesta, verecunda videri? non ostentat decorem, sed pudorem exhibet, nihilominus non timet despici, sed magis commendari, & sponso placere, quia non pulchritudo & venustas virginẽ sed mores bene cõpositi denotant, sic D. Amb. lib. 3. de virg. *virginem grauitas sua nuntiat, pudore obuio, gradu sobrio, vultu modesto & prænuntia integritatis anteeunt signa virtutis.*

D. Ambr.

Virgo non se pretiose ostentet indutam.

322 *Illa operuit se tollens pallium*, cur virgo nuptura coram sponso non splendide aut pretiose se induit: aut si vestibus pretiosis est induta, cur pallio eas cooperit? videantur à sponso, vt eam pluris faciat, prudenter pretiosis vestibus non se induit, quia ex vestimentis quæ sit mens virginis, intelligitur, *cum nitor*, inquit Petr. Dam. Apol. 15. *ad intuendum se oculos prouocat, linguas etiam ad carpendum hunc qui induitur derogationum spiculis armat, quæ enim sit mens ex veste colligitur, & iuxta exteriorem cultum, quæ sit interioris species indicatur.*

Petrus Damian.

Quam primum in oculis apparet quod amatur.

323 *Illa operuit se pallio*, postquam inquisiuit quisnam esset ille, qui in occursum suum veniret, cur prima interrogat Rebecca? cur muti silent serui? quia Dominum prius non viderant, quomodo non videntibus seruis, illa prior intuita est eum? non miror primam conspexisse, quia vt sponsa eum in spõ-

D Ambr. ſum tenere diligebat, & animo infixũ tenebat? quod autem amatur non poteſt in oculis nõ eſſe primum, *morale eſt* (inquit D. Ambr. lib. de Ioſeph. ca. 10.) *vt quos diligimus eos vius animis præ cæteris, & quos animi intentione tenet, priores eos obtutus offerunt oculorum.*

Anima confeßionis tegumento ſe operiens, digna fit ſponſa Iſaac myſtico, nempe Chriſto redemptore.

324 *Illa operuit ſe tollens palliũ* vt hoc ſigno verecundiæ & pudoris, digna ſponſa Iſaac inueniretur: ſed myſticè, quomodo anima fidelis pallio ſe obtegens digna poteſt inueniri ſponſa Chriſti Domini? nota pallio rectè poſſe confeſſionem intelligi, qui enim ritè ſua confitetur delicta dum illa miniſtro Chriſti aperit, omnino operit ac ſepelit: quo poſito dico animam dignam inueniri, vt in connubiũ Chriſti Domini euehatur, ſi pallio confeſſionis ſe operuerit? ita D. Greg. Mag. lib. 1. moral. cap. 14. *pallio ſe operire curauit, dum confeßionis tegumento peccata ſua cooperuit ac abſtulit, vt ſponſo celeſti præſentaretur purgata.*

D Gregor. Mag.

Pulchritudo omnium oculis patens quaſi vendenda cenſetur.

325 *Illa operuit ſe tollens palliũ*, maneas diſcooperta, vt tua pulchritudo oculis omnium pateat, ſicque ad laudem Dei pulcherrimi conditoris prouocemur: aduerte quod quando à mercatoribus merces omnium oculis exhibentur, vendendæ & alienandæ cenſentur: prudenter igitur pulcherrima Rebecca pallio venuſtatem ſuam obnubilat, quia pulchritudo omnium oculis patens, quaſi vendenda iudicatur. Fauere videtur D. Bernardinus Senenſis ſerm. 47. cuius titulus eſt contra fardantes ſe & capillos adulterinos portantes cap. 2. vbi loquens in ornamenta mulierum quibus vtuntur vt pulchriores appareant ait. *quid enim noſtris temporibus aliud clamant tanta capitum mulierum in ornatibus inflatura & multiplicatio veſicarum, niſi quæ in cordibus carnem carnalitatis & luxuriæ magna vigeat ardor? hæ tamen luxuriæ flammæ maximè in oculis comprehenduntur:* ſic Eccleſ. 25. ca. *ait fornicatio mulieris in excellentia oculorum & in palpebris eius agnoſcitur: ſed forte diceret quædam. Non eſt ſic, ſed cum his omnibus intendimus honeſtatem & caſtitatem, quibus mero reſpondemus, ſi honeſtæ & caſtæ concupiſcitis eſſe, cur indicia carnalitatis & luxuriæ præmonſtratis? amouete luxuriæ ſignum, & ceſſabit carnalitatis indicium, maiora & efficaciora ſigna ſunt exempla quàm verba, verba fatentur caſtitatem, & opera prætendunt carnalitatem, ſi in domo tua non venditur vinum cur ibi oſtendis circulum, qui eſt tabernarij ſignum:*

Bernardin.

Eccleſ. 25.

Quod amas ſemper illud velles lingua verſare.

326 *Illa operuit ſe tollens pallium*, iam enim ſciſcitata fuerat, quiſnam eſſet in occurſum ſuum veniens, nonne plurimos in tam longo itinere è regione venientes viderat? quomodo de nullo eorum interrogatæcur nunc inquirit anxia? ſciebat ſe eſſe in terra, quam habitabat ſponſus, credens poſſe fieri quod ille eſſet, qui occurrebat, quem animo voluebat, voluit de illo etiam ſermonem tenere, neſcit enim affectus in lingua non verſare, quem tenet in animo: *habet quippe hoc familiare* (inquit Philip. Abb. l. b. 2. in cant. cap. 15.) *vis amoris vt cùm aliquem illexerit affectus vinculo charitoris illum excitet, vt de eo quem diligit loquatur gratioſa et niſi repetantur non ſibi videantur ſatis eadem fructuoſa.*

Ornamentum mulieris vanæ, omnium malorum fons.

327 *Illa operuit ſe tollens palliũ*, imo ſuum variis venuſtet capus ornamentis, vt pulchritudini naturali coniungat artificialem: imo detrahat, ornamentũ enim præcipue vanæ mulieris, omnium malorum fons eſt & ſentina; teſtem adhibeo cit. Bernardin. art. 3. *quid eſt*, inquit, *in capite ornamẽtũ mulieris vanæ? reſponderi poteſt quod tumor ſuperbiæ, Babylonica turris, vexillum diaboli, deriſio Chriſti, luxuriæ ſignum, duplicitas cordis, ſanctificatio criminum, bubo ſine lucifuga animarum, laquei dæmonum, diabolicum monſtrum, ſedes Sathanæ & remuneratio paſsionum.*

Cit Bern.

Cognita Chriſti Domini ſanctitate, de noſtris erubeſcere debemus criminibus.

328 *Illa operuit ſe tollens palliũ*, quandonam ſe contegit? poſtquam audiuit ab Eliezer hominem, de quo ſciſcitabatur, quiſnam eſſet, Dominum ſuum Iſaac eſſe: ſed cur ante notitiam, quod eſſet ille Iſaac, velamine non ſe contegit, ſed ſolum poſtea? quia cognita Chriſti Domini per Iſaac deſignati, ſanctitate, tunc de tot criminibus à nobis commiſſis erubeſcimus & ſic quaſi luce eſſemus indigni nos cooperimus, ita D. Greg. Mag. citat. *Rebecca viſo Iſaac quis ille homo ſit requiſito puero, cognoſcit, quia quotidie ſancta Eccleſia adhuc per Prophetarum atque Apoſtolorum dicta quid de redemptore ſuo debeat, intelligit, quæ ſe ſe mox pallio operuit, quia quanto ſubtilius ſaluatoris ſui myſteria penetrat, tanto altius de anteacta vita confunditur & quia peruerſe egerit verecundatur.*

D. Greg.

Aliquando poteſt mulier pulchritudini ſuæ aliam adhibere vt virum in amorem ſui inciter.

329 *Illa operuit ſe tollens palliũ*, cur non dicemus ideo velamine quodam ſe contexiſſe in maius capitis ornamentum: at nonne illud cum D. Bernardino, omnium malorum fontem eſſe aſſeruimus? verùm ſi vanitatis gratia ornamenta requirantur, ſecus autem ſi ad conciliandum ſponſi amorem. Fauet Carth. *operuit ſe caput ſuum decenter ornando, vt coram ſponſo ſuo mox futuro appareret honeſtior.*

Dion. Cart.

In conſpectu Dei nihil ſumus.

330 *Illa operauit ſe tollens pallium*, cur tanto deſiderio tenebatur ſuum Iſaac ſponſum intueri? quomodo in conſpectu illius apparẽs ſe cooperit? quid Rebecca ſignificat niſi animam? Iſaac Dominum animæ noſtræ ſponſum? optime ergo dicitur ſe ſe cooperuiſſe in conſpectu illius, quia omnis natura non debet apparere tanquam nihilum ſit ante ipſum Deum: ita D. Greg. lib. 1. moral. cap. 14. *pallio ſe operire curauit, quia viſo Domino infirmitatis ſuæ actiones erubuit.*

D. Gregor.

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LXVI.

VVLG. Seruus autem cuncta quæ gesserat, narrauit Isaac.

Sep. Narrauit puer ipsi Isaac omnia verba quæ fecerat.

EXPOSITIO.

SEruus autem Eliezer cuncta quæ gesserat narrauit, nempe signum futuræ sponsæ à Domino petitum & exhibitum, & cætera quæ in hoc capite continentur aperuit Isaac.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Seruus sibi negotij commissi reddat rationem.

331 SEruus cuncta quæ gesserat narrauit Isaac, si sponsam non ex Chananæis, sed ex cognatione Abrahæ filio eius adduxerat, cur quæ gesserat, nuntiat? id enim mihi superfluum videtur, cùm id quod ab Abraham iussum fuerat, omnino adimpleuit: verba enim necessaria minime sunt cùm opera patent: nihilominus cuncta quæ sibi in via contigerant aperit, quia nuntius vel seruus sibi commissi negotij tenetur reddere rationem, *Eliezer*, inquit Abulens. *de prosperitate vitæ, & de signo dato ad fontem narrans, dando rationem legationis suæ, ne in vacuum missus videretur.*

Abulens.

Deo omnia non viribus nostris tribuamus.

332 *Seruus cuncta quæ gesserat narrauit Isaac*, cur non ait Moyses ea quæ à Deo gesta erant? cum omnia singulari eius prouidentia contigerant, narrauit, non vero quæ gesserat ipse Eliezer: quia ita prudens Eliezer vt non suæ industriæ aut viribus, sed Dei prouidentiæ omnia tribueret; auctor est Rupertus lib. 6. in Genes. ca. 45. *verè prudens & fidelis seruus pro magno fidei suæ testimonio narrauit cuncta quæ gesserat, ad laudem & gloriam Dei, qui propter eundem Isaac viam ipsius direxerat.*

Rupertus.

Vnicuique quod suum est, tribuatur.

333 *Seruus cuncta quæ gesserat narrauit Isaac*, mirū est quod nulla mentio fit Abrahæ in hoc Rebeccæ aduentu, & cùm debuisset subiungi, seruum retulisse omnia Abrahæ à quo missus fuerat, posuit Moyses omnia nuntiasse Isaac, nulla ipsius Abrahæ facta mentione: scio Lipp. respondere, humiliantes nosmetipsos sacræ scripturæ maiestati, secretum hoc diuinæ sapientiæ reseruemus, de his quæ supra vires nostras sunt subtilius non indagantes: iuxta illud, altiora te non quæsieris: nihilominus cum humilitate rationem omnium si possumus, præbere debemus & ideo responsionem Thō. Anglici subiicio *prima tractatio* (inquit) *vxorationis filii magis spectabat ad patrem, sed eius consummatio potius ad filium*, en quomodo vnicuique quod suum est, tribuitur?

Thom. Anglicus.

Quædam per appropriationem diuinis tribuuntur personis.

334 *Seruus cuncta quæ gesserat narrauit Isaac*, nonne ab Abraham missus fuerat Eliezer, non autem ab Isaac? accedat igitur non ad Isaac, sed ad Abraham vt an suæ sit cognationis certioretur; diximus Abraham Deum Patrem, Isaac autem eius filium denotare; merito igitur non sistit Rebeccam coram Abraham, quamuis ab eo missus sed coram Isaac, eique quæ gesta fuerant, retulit, quia quædam per appropriationem vni ex diuinis personis quod non alteri tribuitur, ita cit. Thom. *prima origo bonorum & missio prima nuntiorum plus appropriatur Deo Patri, desponsatio vero Ecclesiæ plus Filio, cui rex fecit nuptias, sicut Christus ait, amor verò quo dilecta est sponsa, plus Spiritui sancto.*

Cit. Thom.

Concionator non se populo prædicet, sed Iesum Christum.

335 *Seruus cuncta quæ gesserat narrauit Isaac*: scilicet quomodo persuaserat Rebeccæ parentibus, vt sibi eam matrimonio coniungerent, quomodo eam non absque labore quæsierat? sed ô Eliezer, cur tibi vxorem etiam non quæsiisti, sed soli Isaaco? cum dictum à nobis pluries sit Eliezer præconem verbi diuini denotari: quid mirum si non sibi sed solum domino suo quærit vxorem, quia concionator non se sed Iesum Christum & quæ illius sunt annuntiare oportet: ita citat Ruper. *seruus qui non sibi sed Domino suo quæsiuit & inuenit vxorem, ipsi sunt qui veraciter dicunt non prædicamus nosmetipsos vobis, sed Dominum Iesum Christum, non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei.*

Rupert.

Christus Dominus prior occurrit vt nos attrahat.

336 *Seruus cuncta quæ gesserat narrauit Isaac*, qui egressus fuerat in agrum, cur non domi Rebeccam expectauit, sed in occursū eius egreditur? quia Christus Dominus per Isaac designatus prior nobis occurrit ex nimia qua diligit nos charitate, Fauet Carthus. *edocta nempe Rebecca qualiter Christus venit per agrum huius mundi in occursum suis electis, vt eos constringeret brachiis charitatis in patibulo crucis, vlnas suas extendens in eorum amplexus, ornauit se intus per virtutem & dona Spiritus sancti.*

Dionis. Cart.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LXVII.

VVLG. Qui introduxit eam in tabernaculum matris suæ Saræ, & accepit eam vxorem, & intantum dilexit eam, vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.

Sep. Intrauit Isaac in domum matris suæ, & accepit Rebeccam; & facta est eius vxor, & dilexit eam, & consolatus est se Isaac de matre sua.

Cald. Et ecce opera eius recta erant sicut opera Saræ matris suæ, & accepit Rebeccam, & fuit ei vxor & dilexit eam, consolatus est Isaac postquam mortua est mater eius.

Pag. Et consolatus se Isachac post matrem suam.

Caiet. Amauit ipsam & consolationem accepit post matrem suam.

Oleaster. Pœnituerat Isaac post mortem suam.

Aliucodem teste. Consolatus est se Isaac hoc coniugio post mortem matris suæ.

CONCORDIA.

VErbum נחם naham quod consolari seu consolationem accipere denotat, interpres secundùm significationem non transtulit, sed secundùm sensum: doluerat siquidem Isaac obitum matris suæ, quem dolorem ex dilectæ Rebeccæ vxoris suæ societate leniuit: alia verba quæ in Caldæo sunt, ab eo addita forte ad exprimendam virtutem sponsæ Isaac.

EXPOSITIO.

IN*troduxit eam in tabernaculum matris suæ*, nam tabernaculum quod fuerat Saræ, dedit Abraham filio ad consummationem matrimonij cum Rebecca, *& intantum dilexit eam* amore scilicet casto qui inter honestos coniuges reperitur, *vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret*, id est itaut amor quo coniugem suam eximiæ virtutis prosequebatur, dolorem quo ex interitu charissimæ matris suæ afficiebatur, leniret atque minueret.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nuptiæ omni cum honestate celebrentur.

337. INtroduxit eam & accepit in vxorē, miror quomodo Moyses qui in hac historia referēda diligentissimus fuit, nec non illius circumstantias retulit: quomodo nec aliquam nuptiarum facit mentionem, cùm Isaac in coniugem accepit Rebeccam, nam hæc consuetudo viguit, vt cum gaudio varijs musicorum instrumentis, splendidissimo conuiuio, saltationibus &c. nuptiæ celebrentur, nihilominus cum Isaac opulentissimus matrimonio Rebeccæ clarissimæ puellæ coniungitur, nuptias aliquas non commemorat factas, vt significaret saltem in nostris quas vsus obtinuit vt fierent, omnia superflua & obscœna vitentur, & cum omni pudicitia & honestate celebrentur: sic D. Chrys. *hic considera oro quomodo nusquam superflua illa & inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbala & tibiæ, & choreæ & satanica illa conuiuia, & scommata omni obscœnitate plena, sed omnis honestas, omnis sapientia, omnis modestia.* S. Chrysost.

Honestatis gratia fœminæ à viris separentur.

338 *Introduxit eam in tabernaculum matris suæ*, cur non ait in domum patris sui, cùm sine dubio eam benignissime excepeit Abraham, sed in tabernaculum matris suæ? vt nobis denotaret Moyses fœminas & viros seorsim habitasse & vnumquemque seiunctum ab alio cubiculum vel habitaculum habuisse, sed qua de causa cum animo separari non debeat vir & mulier, cubiculis seiunguntur? vt maior honestas inter eos obseruetur: sic Lipp. *mulieres separatim à viris habitabant cum filiabus suis honestatis gratia & maritorum consortia tempore atque ipsi requirebant.* Lippom.

Inter socrum & nurum in optimis moribus similitudo fœlix efficit coniugium.

339 *Introduxit eam in tabernaculum matris suæ & accepit in vxorem*, cur obseruat Moyses eam in tabernaculum matris suæ Rebeccam induxisse, cum eam sibi dedicat in coniugem? vt non antea duceret quàm nouerit, nec minime à socrus optimis moribus deflectere, quod spectans Chaldæus fatur, *introduxit eam Isaac in tabernaculum, & vidit & ecce opera eius recta sicut opera matris suæ Saræ & accepit Rebeccam & fuit ei in vxorem*, ecce vobis trutina per quam Isaac coniugij fœlicitatem trutinabat, an scilicet Rebeccæ mores socrui Saræ essent similes, & tunc accepit eam coniugem, quando vidit esse talem quæ à socru nec apice discordaret. Chaldæus.

Mores vxoris futuræ diligenter considerandi sunt.

340 *Introduxit eam in tabernaculū matris suæ*, Chaldæus addit, & ecce opera eius recta erant, & accepit Rebeccam, & fuit ei in vxorem, sicque colligitur quod aliquo tempore mansit Rebecca in tabernaculo Saræ, quo cognita est eius virtus, & optimi mores, & sic eam in vxorem sibi iunxerit Isaac, cur ilico, vt in tabernaculum matris suæ eam introduxit simul in vxorem non accepit, sed aliquot dies matrimonium distulit? quia maxima cum diligentia mores puellæ in coniugem ducendæ indagandi sunt, vt si optimi, recipiatur, si autem praui nulla ratione admittatur.

Nurus optimos mores socrus imitetur.

341 *Introduxit eam in tabernaculum matris suæ Saræ*, myste-

ræ, mysterione caret quod potius in hoc tabernaculum admissa fuerit, quàm in aliud? non equidem, sed vt virtutem moruinque probitatem, hospitalitatem illius cuius tabernaculum possidebat, quotidie imitandas sibi proponeret, hæc est ratio Oleas. *introduxit eam in tabernaculum matris, vt vxor memor probitatis socrus suæ mores illius disceret.*

Vxores tanquam matres honeste diligendæ.

342 *Intantum dilexit eam vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret*, cur amor optimi sponsi erga optimam sponsam amori optimi filii erga optimam matrem comparatur? vt sicut castus hic & honestus esse solet, ita & ille fuisse censeatur: si enim cōiugalis affectus ab eo ordine quam honestas præcipit deflectatur, nihilo differt ab adulterino, imo Clem. Alex. lib. 2. pædag ca. 10. recte monet coniugalem amorem si nimius sit in odium degenerare, nam loquutus de coniugum inter se beneuolentiâ præcipiti, hoc est nimia & effrenata, *exiguo*, inquit, *flores tempore, & cum corpore consenescit, nunquam autem præsens fuit, flaccescente iam & marcescente libidine, quando matrimonialem moderationem ac temperantiam meretricia voluptatis iniuria affecerint, amantium enim corda sunt volucria amor sque irritantia extinguntur, sæpeque pœnitentia amorque sæpe vertitur in odium quando reprehensionem sentiat satietas.*

Clement Alex.

Incitamentum amoris in coniuge sit virtus.

343 *Intantum dilexit eam &c.* cur tanto eam amore prosequeretur? an pulchritudinis eius gratia? erat enim virgo speciosissima, an nobilitatis ergo? claris enim erat orta natalibus, si quæ in paraphrasi Caldaica habentur, legimus nēpe quod opera eius erant recta, dicemus fundamentum cui eximius Isaaci nitebatur amor in Rebeccam, erat ipsius virtus, *non abs re* (inquit) Procop. *Isaacus eam summo amore complexus est, afferebat enim potentissimum Philtrum quo amor cōciliatur, nempe virtutem.*

Procop.

Filii parentes maximo prosequantur amore.

344 *Intantum dilexit eam vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret*, cur non ait Moyses vt omnino aboleret, cum jam à tribus annis è viuis excesserat? quis enim dolorem non comprimit ex tot annis insitum? hic vero non comprimit, sed solum lenit & temperat: ad commendandum filiis amorem erga parentes, & perstringendam illorum duritiem & barbariem, qui vbi primum ducunt vxores, velut ab omni prorsus humanitate alieni, atque è syluis & cautibus orti, parentes obliuiscuntur & nesciunt, viuis honorē denegant, imo mortuis Christianam pietatem, at Isaac tribus annis mortem suæ matris defleuit, & pulcherrimæ sponsæ nuptiis potitus, non aboleuit quidem sed temperauit tantummodo mœrorem ac dolorem, de matris obitu, sic obseruat noster Lyran. *temperaret* inquit *non totaliter auferret, ex quo patet magna affectio ipsius Isaac ad matrem suam quæ obierit tribus annis ante.*

Noster Lyran.

Tanto amore Christus Dominus Ecclesiam diligit sponsam, vt quasi synagogæ perditæ tristitiam in obliuionem adduxerit.

345 *Intantum dilexit illam, vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret*, Sara synagogam designari certum est, sicut Rebecca gentium Ecclesiam, & Isaaco Christum Dominum, quid igitur sibi vult, quod in tantum Rebeccam Isaac dilexit vt dolorem quem ex morte matris suæ cōceperat, temperaret, nisi quod tanto amore Christus Dominus Ecclesiam diligit, vt synagogæ perditæ tristitiam in obliuionem adduxerit, sic Rupert cap. 45. lib. 6. in Genes. *quod magni erat secundum corticem litteræ quod iuuenis intantum dilexerit adolescentulam coniugem, vt dolorem qui ex morte matris acciderat, temperaret? ergo medulla sensus spiritualis carere non debet, quia reuera Christus Dominus secundum humanum affectum doluit super matre sua synagoga: quippe qui & ciuitatem videns fleuit super eam: sed accepta nouam reginam, de qua sibi nonagenaria nascitura esset, recte dolorem temperauit & delectabiliter consolatus est.*

Rup. li. 6. c. 45.

Mediante sacra scriptura coniugium fit animæ cum Christo.

346 *Intantum dilexit illam*, nempe Rebeccam quæ iuxta puteum eum inuenit, nusquam à puteis receditur, nusquam relinquuntur aquæ, Rebecca inuenitur prope puteum, rursum Rebecca prope puteum inuenit Isaac, ibi primos eius contemplatur aspectus, ibi desilit à camelo, ibi ab Eliezer sibi demonstratum vidit Isaac, hæc putasne sola referri de puteis, & Iacob ad puteum venit, & ibi inuenit Rachelem, an putas semper casu contingere vt Patriarchæ ad puteos veniant, & ad aquas coniugia sortiantur? non equidem; quidnam igitur nobis denotatur? diximus pluries sacram scripturam nomine puteorum significari; singulari igitur prouidentia Puellæ coniugia sortiuntur in puteis, cum Patriarchis, ad declarandum quod mediante sacra scriptura, coniugium fit animæ cum Patriarcharū Domino, nempe Christo Redemptore: sic Orig. hom. 10. in Genes. *ego Paulum inquit sequens dico sanctorum nuptias esse coniunctionem animæ cum Verbo, certum est non aliter fieri posse, nisi per instructionem diuinorum librorum qui figuraliter putei appellantur, ad quos si quis veniat & hauriat ex his aquas, id est meditando, in his sensum intellectum percipiet, altiorem inueniet nuptias Deo dignas, coniungitur enim anima eius Deo.*

Orig.

De virtute in virtutem progredi debemus.

347 *Introduxit eam in tabernaculum Saræ & accepit eam in vxorem*, quomodo qui filius est Saræ, deinde Rebeccæ coniungitur? vel mysterione caret, quod qui Saram habuit matrem, nunc Rebeccam habeat vxorem? Ethymologiam nominis Rebeccæ inspiciamus, significat patientiam quæ est eximia virt*: mysteriū dicimus esse in hoc quod qui filius est Saræ mulieris virtute præditæ, Rebeccam sibi copulat sponsam, scilicet quia de virtute in virtutem progredi debemus, idest à matre Sara transire in Rebeccam, nempe patientiam, ita citat Orig. *dignum est vt Isaac transeat de virtute in virtutem qui virtutis filius est Saræ nunc coniungitur & sociatur patientia quæ est Rebecca, & hoc est transire de virtute in virtutem de fide in fidem.*

Orig.

Anima fidelis licet gaudio cœlesti propter superna afficiatur, tamen adhuc aduersa in carne sua tolerat.

348 *Introduxit &c. & accepit eam in vxorem*, quid commune habet risus cum patientia, vt simul societatem coniugalem Ineant Isaac, qui risus interpretatur & patientia? nota quod risus ex lætitia est, patientia autem ex tribulatione, concipe igitur mysterium expressum à Rabano *quamuis sancta Ecclesia* (vel anima fidelis) *cœlestis sit gaudii contemplatione suspensa,*

Rab. Maur.

habet tamen adhuc quod triste de mortalis corporis pondere toleret, Isaac vero & Rebecca coniungitur, id est: ipsus & patientia permiscetur, quia fit in sancta Ecclesia hoc quod est scriptum, spe autem gaudentes in tribulatione patientes, vt hanc & prospera de contemplatione lætificent, & adhuc aduersa de tribulatione perturbent.

Rom 12.

Christus dolore eximio afficitur ex alicuius animæ facta iactura.

349 *Intantum dilexit eam vt dolorem qui ex morte matris suæ euenerat temperaret*, vt mysticus formetur conceptus, sciendum est qui Dei præcepta exequitur, matrem esse Christi Domini, iuxta testimonium eiusdem, quicumque inquit fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror & mater mea est, & Innoc. 3. ser. 3. *Christus per affectum concipitur, per effectum nascitur, per profectum nutritur*, en quomodo anima mystice mater est Christi? si quidem eum concipit. Sed cur tantopere mœrore afficitur Isaac ex morte matris suæ, si quidem iam senio confecta erat, debitumque persoluere naturæ tenebatur? non dubitas peccatum mortale, animæ etiam omnibus virtutibus ornatæ, mortem inferre, ne miremur igitur tanto angi dolore Isaac ex morte matris suæ? hic enim dolor eum denotat, quo Christus afficitur, ex morte nempe ex peccato, quo anima, quæ sua mater fuerat, perit, & moritur.

Innoc. 3.

Bonorum spiritualium synagogæ translatio in Ecclesiam.

350 *Introduxit eam in tabernaculum Saræ*, quod equidem Rebeccæ datum est in possessionem, cur quod Sara genitrix Isaac possidebat, datũ est in dominium alterius? diximus per Saram synagogam intelligi, tabernaculum eius optima quæcunque denotat: merito igitur Saræ tabernaculum Rebecca possidet, quia bona spiritualia Synagogæ in Ecclesiam sunt translata. Sic D. Amb. libr. de interpellatione in Iob c. 5. qui illud exponens Iob 9. num. 3. qui transtulit montes, & nescierunt, seu vt habent Septuag. qui vetustatem perducit, montes & nesciunt: per hos montes quos Deus in vetustatem perducit, seu vt ipse legit, quos facit inueterascere, intelligit veteres Patriarchas, & Prophetas, apud quos Mosaica lex summa in obseruantia vernabat, & florescebat, quæ tamen modò pœnitus exarescit, nouam se in amœnitatem Christi Domini Ecclesia induente: *Venit*, inquit, *Dominus Iesus, innouatus est Christianus: inueterauit Iudæus: renouata est gratia, inueterauit littera, euertit montes, & conuertit; euertit enim & subruit intellectum secundùm litteram, & vt statuit intelligentiam spiritualem. Centurio agnoscit alienum. Leuita non recognoscit suum, Gentilis veneratur, Iudæus abiurat*, en mira bonorum spiritualium à Synagoga in Ecclesiã translatio! emarcuit in Synagoga omnis illa pristinæ sanctitatis pulchritudo, quæ in Ecclesia perfectior germinauit.

S Ambr.

Iob. 9.

Modus in lachrymis tenendus.

351 *In tantum dilexit eam vt dolorem qui ex morte matris eius euenerat temperaret*, cur dolorem conceptum reprimis? cur lachrymas ex interitu amantissimæ matris tuæ, cui nulla alia potest conferri iactura, temperas? quia in fletu & lachrymis tenendus est modus, *discretionem*, inquit Dacianus Abbas in speculo monachi, apud Blosium, *& modum vbique serues, ne per excessum in defectum corruat, bonus & dulcis est panis lachrymarum, aliqui tamen eo pane nonnunquã mentem obruunt, magis quàm reficiunt, fletibus enim tamdiu & in tanta confractione atque agitatione insistũt, donec & spiritu & corpore sub exercitio nimis extenso aut intenso succumbant.*

DaciãAbb.

In iactura rei dilectæ, dolore secundùm amoris gradum afficimur.

352 *In tantũ dilexit eam vt dolorem qui ex morte matris eius euenerat tẽperaret*, eximius igitur dolor Isaac, qui solum eum post annorum trium curriculum non extinxit, sed solùm leniuit ac tẽperauit, cur tanto dolore consumitur? nonne mater eius sibi amantissima erat? quid mirum igitur solum eum lenire & temperare dolorem, non extinguere? quia in iactura rei dilectæ mœrore secundùm amoris gradum afficimur, ita fere Simon de Cassia lib. 10. de sermone montano ca. 6. *dolere flere & perdi is similib⁹ in natura ipsa natura sanet, quoniam ex ipsa similia libenter & apte similibus sociantur, & amor insitus à natura sic agitat, quamobrem dissociatio habet ex natura dolorem, si ex natura sociatio sociauit amorem.*

Simon de Cassia.

Vtiles nobis in virtute deflendi sunt.

353 *Intantum dilexit eam vt dolorem qui ex morte matris eius euenerat temperaret*, cur tantum dolorem ex interitu matris concipis? cur tot lachrymarum copia consumeris? imo gaudio affici deberes, cum in sanctorum Patrum lymbo, requie frui, ab omnibus huius vitæ miserrimæ calamitatibus liberam, non ignores? non dubitas Saram Isaaco fuisse vtilissimam, in moribus suis recte componendis? lachrymas igitur eius ne cõpescamus, quia nobis vtiles in virtute deflere debemus. Sic Simon de Cassia cit. *addita specie pietatis defleamus quosdam choros vtiles ad virtutem, ad documenta cælestia, & ad capienda diuina.*

Simon de Cassia.

Tolerantiam risus comitatur.

354 *Introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam in vxorem*, quid significat Isaac? risum; quid Rebecca? tolerantiam; optime ergo connubio iungitur Isaac cum Rebecca; quia vbi tolerantia est, ibi risus efflorescit, ita Clem. Alexand. lib. 1. ca. 5. qui addit, *risus à tolerantia adiunatur.*

Clemens Alex.

SYNOPSIS

SYNOPSIS CAPITIS VIGESIMI QVINTI.

ABRAHAM DVXIT CETHVRAM IN vxorem, ex qua ſuſceptis filiis mortuus eſt. Iſmaël quoque poſtquam genuit duces, mortuus eſt. Iſaac pro vxore ſua precatus, genuit geminos Eſau & Iacob, quorum maior, nempe Eſau, vendidit minori primogenita.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS I.

VVLG. Abraham verò aliam duxit vxorem nomine Cethuram.

Sep. Abraham ſumpſit vxorem cui nomen Cethura.

Cald. Et addidit Abraham, & accepit vxorem.

EXPOSITIO.

A*braham aliam duxit vxorem* ſcilicet poſt mortem Saræ, quamuis hoc coniugium aliqui antea factum eſſe arbitrentur, tamen ordo Moſaicæ narrationis, quæ id narrat poſt mortem Saræ & poſt nuptias Rebeccæ atque Iſaac, conuincit hoc matrimonium non eſſe abſolutum ante Saræ diſceſſum ex hac vita, *nomine Cethuram*, quam Hebræi arbitrantur eſſe Agar, ſed probabilior eſt opinio aliam ab ea fuiſſe, ex gente Chananæa, nam Agar ſuo proprio nomine eius in hoc capite fit mentio.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ad ſecundas tranſuolare nuptias licitum.

1. A*liam duxit vxorem*, quomodo in tanta ſenectute nouam ducit Abraham coniugem? laſciuiæ debet accuſari, qui à venere, ætatis iam decrepitæ non abſtinuit, vel ſaltem ſilentio hoc coniugium obuoluere debuit Moyſes: aduerte non defuiſſe hæreticos aſſerentes, ſecundas nuptias illicitas eſſe: merito igitur ſanctiſſimum Patriarcham, aliam poſt mortem Saræ duxiſſe vxorem proponit Moyſes, vt ad ſecundas tranſuolare nuptias non eſſe illicitum diſceremus; ſic D. Aug. 16. de ciu. Dei cap. 34. (D. Aug.) *abſit vt incontinentiam ſuſpicemur præſertim in illa iam ætate & in illa fidei ſanctitate, an adhuc procreandi filii quærebantur cum iam Deo promittente tanta multiplicatio filiorum ex Iſaac per ſtellas cœli & arenam terræ fide probatiſſima teneretur? ſed quid? ſi & hoc prouiſum eſt contra hæreticos, futuros ſecundarum aduerſarios nuptiarum, vt in ipſo patre multarum gentium, poſt obitum coniugis iterùm coniugari demonſtraretur, non eſſe peccatum.*

Satagendum vt promiſſa per nos exequenda adimpleantur.

Abraham duxit aliam vxorem, mirum quod agens centeſimum quadrageſimũ annum, vel circa, filioſque habens adultos, Iſmaëlem & Iſaac, acceperit puellam, vt generationi vacaret, reuoca in memoriam pœne infinitum ſemen à Deo promiſſum fuiſſe Abrahę: quid mirum igitur ſi ſolum duos habens filios, mortua iam vxore, aliam ducit coniugem, vt promiſſionem per eum exequendam adimpleret? (Lippo.) Fauet Lipp. *poſt fœcunditatis donum à Deo acceptum licuit Abrahæ ſancto cui infinita à Deo proles promiſſa fuerat, vxorem ſuſcipere.*

Deus curat vt cum populo suo electo nulla fiat idololatrarum commixtio.

3 *Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram,* quam plures Chananæam esse dixerunt, sed cum Patriarcha adeo abhorreret à coniugiis mulierum Chananæarũ, vt filium suum Isaac accipere ex ea gẽte nullomodo voluerit vxorẽ, sed in Mesopotamiã vsque miserit, qui mulierem suæ gentis & cognationis inde duceret in coniugium: cur igitur ipse similia non est aduersatus? aduerte populum Dei originem tracturum esse ex Isaac non autem ex alio Abrahæ filio: prudenter igitur prohibet ne filius Isaac ex Chananæis vxorem ducat, ne cum populo Dei electo aliqua fiat idololatrarum commixtio, quod inconueniens in Abraham coniugem Chananæam sumente non reperitur: sed hoc audiamus ab Abul. *hoc fiebat,* inquit, *propter electionem populi Dei, vt totus descenderet de stirpe Abrahæ & non commisceretur gentibus idololatrarum, & quia totus Dei populus deriuandus erat per Isaac, si assumpsisset Isaac vxorem de Chananæis, populus Dei totaliter esset coniunctus Chananæis, decuit ergo accipere de cognatione Abrahæ scilicet de filiabus Nachor, Abraham autem assumens Cethuram in vxorem, non intendebat augere populum Dei, quia sciebat quod benedictiones complendæ essent in Isaac, & non in Ismaele,* vt patet supr. 17. & 21. ca. *cum ergo filij postea nascituri, nullo modo pertinebant ad populum Dei, non referebat magis sic quam aliter agere, vel de stirpe sua accipere vxorem, vel de Chananæis.*

Abulens.

Iustus odorem bonæ conuersationis sibi conciliet.

4 *Aliam sibi duxit uxorem nomine Cethuram;* quæ thymiama quod est bonus odor, interpretatur, cur nunc huiusmodi vxorem in matrimonium sortitur quæ bonum denotat odorem? *quia quilibet iustus,* inquit Pepinus, *in sua senectute maxime debet redolere per bona n fama n & honestam conuersationem, & eam tanquam vxorem inseparabiliter copulare, sicut fertur de coccino quod quanto magis antiquatur tanto plus redolet, vnde tales boni senes rectè possunt dicere cum tamen sanctis illud* 2. ad Corinth. 2. *Christi bonus odor sumus.*

Doctor Pepi.

2. Corint. 2.

Oratio inseparabilis sit iustorum sponsa.

5 *Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram,* quæ thymiama quod incensum dicitur, interpretatur: certum est autem orationem appellari incensum iuxta illud, dirigatur oratio mea sicut incensum: cur Abraham sibi copulat Cethuram, à qua separari non potest? quia oratio inseparabilis est iustorum sponsa: quod obseruat Orig. *Si quis sine intermissione orando offert Domino semper incensum, & dicit dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum, hic Cethuram duxit vxorem.*

Orig.

Iusti filios curent habere Deum timentes.

6 *Abraham duxit uxorem,* quomodo sanctissimus vir cum Deo familiariter agens, coniugalium negotiorum æstu agitatur? tum etiam vt ait Tertull. lib. de Virg. senex morti vicinus, de profectione ad Deum non de nuptiis contrahendis, captandaque voluptate carnis curam habere debet, perstrinxit voluptatẽ quia quicquid isti dicunt hanc vnam ob causam effœminati homines in ætate senili de nuptiis agunt sanctũ est matrimoniũ (inquiunt) bene, sed vos sanctitatis vmbram male prætenditis non nobis sanctitas, sed voluptas matrimoniũ commendat, cur igitur senex Abr. non de profectione ad Deum, sed de nuptiis celebrandis cogitat? falleris, vtrũque cogitat, imo plurimos habere filios qui Deum timeant & venerentur satagit, & ideo iterum matrimonium contrahit, ita sentit Oleaster, *elaborant sancti vt filios qui Deũ indesinenter colant multiplicent, gaudet enim Deus iustorum semen multiplicari.*

Oleast.

Aliquãdo à pœna cessandũ & non sẽper infligẽda.

7 *Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram,* plures arbitrantur hanc esse Agar, hoc non improbat D. Hier. in tradit. Heb. in Genes. noster Lyranus, non dissentit: soluit enim rationes prædictæ opinioni contrarias, nam cùm dicitur quod infra scriptum est Abraham filiis concubinarum suarum largitum esse munera, habuit igitur ille præter Agar, alias concubinas: ad hoc inquit respõderi potest, positum esse ibi plurale pro singulari, quãquam & alia ratio esse possit cur de vna Agar pluraliter dictum sit nomen concubinarum quod ea bis fuerit longo interuallo temporis Abrahæ coniuncta, & quasi vicem duarum tenuerit, hanc demque sententiam tenet Thomas Angli. sed cur Agar à se thoro separatam, tum ob superbiam suam, tum Ismaelis filii sui peruersam indolem, ad se iterum reuocat? quia pœna alicui inflicta non semper est infligenda, hanc rationem inter alias præbet cit. Thom. Anglicus, *cũ Agar adhuc viueret, & legitima esset Abrahæ uxor, conueniens fuit & condecens tam veritati coniugii quàm mariti erga eam pietati, vt post mortem Saræ reduceretur in domum Abrahæ, siquidem præcedens eiectio eius & Ismaelis & tam longa eorum à contubernio separatio satis superque fuerat ad vitandum dissidium inter Agar & Saram, & ad declarandum primatum hæreditarium Isaac super Ismaelem & ad correctionem prioris superbiæ Agar,* hæc vltima preme verba, & ad correctionem prioris superbiæ, quasi diceret non fuit rationi consentaneum, vt superba Agar vsque in finem vitæ pœnas lueret.

Tho Ang.

Mulier quæ sunt carnis non cogitans, digna est vt tanquam numen colatur.

8 *Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram,* quam diximus ex aliquorum patrũ auctoritate fuisse Agar, sed cùm Agar & Cethura diuersæ sint appellationes, quomodo potest fieri quod Cethura eadem sit quod Agar? aduerte quod Cethura secundũ etymologiam nominis hebræi, idem est quod aromatizans siue thurificata, cùm thus Deo offeratur secundum illud Iuuenc. Presb. (cit. à D. Hier. lib. 1. in c. 2. Matth.) aurum, thus, myrrham, regique, hominique, Deoque dona ferunt: cur Agar dicitur thurificata siue cui thus offertur? inspice quid asserit noster Lyran. ex sent. Hebræorum, *dicũt quod ista fuit Agar, quæ nominata est Cetura, quæ in Hebræo sonat thurificata, cuius ratio est quia ita se munde custodiuit, postquam cũ filio de domo Abrahæ recessit, ac si esset Deo oblata vel conseruata;* quid mirum igitur Agar dici thurificatam vel cui thus quod Deo consecratum est, offertur? quia mulier quæ sunt carnis non cogitans, & ab omni voluptate abstinens, digna est vt quasi numen colatur.

Iuuenc. Presb.

Lyranus.

Hæretici quamuis Ecclesiæ esse videantur, tamen non sunt.

9 *Abraham aliam duxit uxorẽ nomine Cethurã,* nõne in vltima iam ætate & defectu, cõnubia non satis approbãtur? cur igitur Abrahã in extrema fore senectute

tute ducat coniugem? huius coniugii ineundi fuisse causam mysticam & allegoricam plures arbitrantur Patres, sed quam quæso in eo indagare voluit Spiritus sanctus? audiamus D. Isid. Hispal. c. 20. in Genes. & D. August. q. 70. in Genes. factum illud Abrahæ, inquit August. qui post mortem Saræ uxorem duxit, & ex eo filios procreauit non sic accipiendum est, quasi humana consuetudine & cogitatione tantummodo subsituendo numerosioris prolis hoc factum sit, sic enim possent accipere homines etiam quod de Agar & Ismaele factum est, nisi Apostolus admoneret illa esse facta prophetice, vt in vtrisque personis mulierum earumque filiorum duo testamenta ad futurorum prænuntiationem allegorica significatione figurarentur, vnde in isto quoque Abrahæ facto, tale aliquid quærendum est. sed quid in eo quæremus? respondet cit. Isid. *sicut Agar & Ismael significauerunt carnales veteris testamenti, sic Cethura & filii eius significabant hæreticos, qui se existimāt pertinere ad nouum testamentum*, quasi diceret Isidor. in illis vltimis verbis plures in Ecclesia regenerantur, qui tamen postea in hęresim labuntur, fidelium numero computari non debent.

Isid. Hispal. D. August.

Indecens est senes nouis vacare nuptiis.

9. *Abraham aliam duxit uxorem*, quam dicunt Hebræi eandem fuisse cum Agar, sed nonne alteram potuit sibi matrimonio iungere vt ex ea suscipere posset filios? Agar enim senilem ætatem attigerat, cùm notum sit omnibus annum ferme centesimum quadragesimum attigisse Abraham: rationi consentaneum videtur asseruisse Hebræos non aliam duxisse uxorem quàm Agar, indecens est enim senem nouis vacare nuptiis, tauet D. Hier. in tradit. Heb. super Genes. *videtur decrepiti Abrahæ iam excusari gratia, ne senex post mortem uxoris suæ vetulæ nouis arguatur lasciuisse nuptiis.*

S. Hieron.

Heretici maxime inter se vniuntur in malum.

10. *Abraham aliam duxit uxorem, nomine Cethuram*, quam diximus allegoricè hæreticos designare, sed si Cethura interpretatur copulata, secundùm Hier. quomodo Cethura denotare poterit hæreticos inter se omnino diuisos? hæresis enim diuisionum mater est, inter se quidem diuisi sunt variis æstuantes affectibus, sed maximè inter se concordes ratione impietatis & erroris: sic animaduertit Hug. Card. *hæretici omnes copulati sunt in unum: vinculo erroris. Iudicum 15. cœpit Sanson trecentas vulpeculas, caudasque earum iunxit, & faces ligauit in medio: quas igne succēdens dimisit, vt huc illucque discurrerent. Iob. 41. corpus eius quasi scuta fusilia, & compactum squamis se se prementibus vna vni coniungitur, & nec spiraculum quidem incedit per eas. Eccli 21. stupa collecta synagoga peccantium: & consumatio illorum flamma ignis.*

Hug. Card. Iudic. 15. Iob 4. Eccl. 21.

Qui in virtute maximè profecit sapientiam sibi copulat.

11. *Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram*, quid? existimamusne quod in tanto Patriarcha & tantæ ætatis incitamenta carnis viguerint? & qui o im à naturalibus motibus emortuus dicebatur, nūc à libidine rediuiuus putabitur, ita vt nouā sibi ducat coniugem? mysticè loquimur notantes per Cethuram posse intelligi sapientiam, iuxta illud Sapientis, qui de ea loquens ait, hanc ego cogitaui adducere mihi coniugem: dicamus igitur Abraham virtutum amantissimum, uxorem accepisse, non libidinis gratia, sed vt significaret quod qui virtutibus maximè studet sapientiam sibi debet vnire: sed hanc veritatem depromamus ab Orig. Hom. 11. in Genes. *Patriarcharum coniugia mysticum aliquid indicant, & sacratum sicut ille qui dicebat de sapientia, hanc ego cogitaui uxorē adducere mihi: fortassis ergo iam tunc & Abraham simile aliquid cogitauit, qui enim consueuit eo modo sortiri matrimonium, id est qui virtutem in coniugio habere solet, quando potest ab huiusmodi cessare coniugio, Saræ namque dormitio virtutis intelligenda est consummatio qui vero consūmatæ, & perfectæ virtutis est, semper necesse est vt in aliqua eruditione versetur, quam eruditione coniugem eius sermo diuinus appellat.*

Origen.

Sapientiæ non est terminus.

12. *Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram*, quam diximus posse intelligi sapientiam, quam sibi copulauit Abraham, postquam in virtute maximos progressus fecerat: sed nonne ante obitum Saræ sapientissimus erat? cur ergo dicimus Cethuram sibi duxisse coniugem? vt denotaret, quod etiam maximo virtutis habito fructu sapientiam copulandam esse, quia quamuis quis sapientia polleat, adhuc sapientiam addiscere potest. ita cit. Orig. *quamuis Abraham esset sapiens, hoc ipso tamen sciebat quod sapientiæ nullus est finis, nec discendi terminum senectus imponit.*

Origen.

Senes sapientiæ habendæ aptiores.

13. *Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram*, si per Cethuram ex Orig. sapientia venit intelligēda, cur eam non sibi copulauit in ætate tenera? cur expectauit quousque iam viribus destitueretur, & senectutem pertingeret? quia senes aptiores & magis idonei sunt sapientiæ acquirendæ, sic Gloss. Moral. *ad tales nuptias talemque sobolem aptiores sunt senes, quando enim qui est carne fessus, tanto spiritu robustius, & sapientiæ amplexibus. vnustus.*

Gloss. Moral.

Qui mortificationi student, sapientiæ diuinæ maximè sunt idonei.

14. *Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram*, cui iam quasi emortuis corporis membris, matrimonio sibi copulat Cethuram: nam qui languentis est corporis, minimè coniugio censetur idoneus: per mēbra pœne emortua, mortificata intelligi possunt, sicut per Cethuram sapientia: meritò igitur pœne emortuus & languens Abraham, Cethuram duxit uxorem, quia qui mortificationi studet, sapientiæ habendæ maximè est idoneus, *accepit senex*, inquit citatus Orig. *mortuis iam corporis Abraham Cethuram coniugem, ego puto quod melius tunc uxor accipitur, quādo emortuum corpus est, quando mortificata sunt membra; maior enim ad sapientiam sensibus nostris capacitas inest, quando mortificatio Christi circumfertur in corpore nostro.*

Origen.

VARIETAS LECTIONVM VERS. II.

VVLG. Quæ peperit ei Zamram & Iecsan & Madan, & Madian, & Iesboc, & Sue.

Sep. Peperit autem Zombram, & Iezan, & Madal, & Madian, & Iesboc, & Sore.

EXPOSITIO.

Qvæ peperit ei, erat enim fœcunda propter naturalem vigorem, solitisque mulierũ profluuiis abundans, non autem Sara, ex qua nonnisi ex speciali Dei beneficio Isaac suscepit, *Zamram & Iecsan, &c.* qui diuersarum fuere duces nationum, quas autem regiones incoluere, non satis cognitum; tamen de iis quorum in sacra scriptura fit mentio, aliqua breuiter dicemus; Madian, ab eo vrbs sic vocata, quæ est trans Arabiam ad meridiem in deserto Saracenorum contra orientem maris rubri, vnde vocantur Madianæi, & Madianæa regio.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Donum quod Deus largitur non cito retrahit, sed diu permanet.

Qvam peperit ei, Zamram, & Iecsam, & alios filios, nonne est ille Abraham qui ex nimia ætate impotens erat generationi, etiam cum nondum esset centenarius? quomodo igitur nunc cùm ferme centesimum & quadragesimum annum attigerit ita fœcundus est? reuoca in memoriam donum tunc fœcunditatis Deum concessisse Abrahæ, cùm suscepit Isaac: ne mireris igitur nunc non dono fœcunditatis carere, imo possidere, nam dona à Deo concessa non cito retrahuntur, sed diu permanent; *nonnulli enim*, inquit D. August. q. 70. *donum quod accepit Abraham velut reuiuiscentis corporis ad filios procreãdos diu permansisse asserunt, ita vt & posset alios procreare*

D. August.

Nihil superfluum in sacra pagina.

16. *Peperit ei Zamram, Iecsan, Madiam &c.* quid refert distinctè nomina filiorum habere cognita? hoc enim superfluè dictũ mihi videtur sufficiebat nam dixisse filios Abraham ex Cethura suscepisse: imo vtiliter quemlibet proprio expressit nomine, vt in cognitionem plurium quæ in sacra pagina continẽtur, deueniamus: audiamus quæso Origenem Hom. 11. in Genes. de hac re disserentem, *ne nos quidem latere debet ex his quæ per historiam referuntur, quæ & quales sint generationes quæ ex ipsa propagantur, si enim horum meminerimus facilius de diuersis gentibus quæ in scripturis dicuntur possumus agnoscere; verbi causa vt cùm dicitur quod Moyses accepit vxorem filiam Iethro sacerdotis Madian, qui Madian inuenitur filius fuisse Cethuræ & Abraham, agnoscimus ergo quod vxor Moysi ex semine Abrahæ sit, & non fuerit alienigena &c.*

Origenes.

Plura Deus largitur quàm promiserit.

16. *Peperit ei Zamram, Iecsam*, ô Deus liberalissime, scio te Abrahæ pollicitum ex Sara filium suscepturum, nusquam autem legi quod ex alia vxore prolem habiturus esset, quomodo igitur nunc ita numerosam prolem generat, qui antea summo tenebatur desiderio vnius tantum filii? ne mireris quæso tot liberos habere, quamuis Deus ei vnicum tantũ promiserit, quia plura Deus largitur quam fuerat pollicitus.

Ex bona fama opera misericordiæ procedant.

18. *Peperit ei Zamram, Iecsan*, nẽpe ex Cethura, quomodo sex filios annotat Moyses ex ea suscepisse Abrahamũ? vel cur solum quinque ex ea nõ habuit? diximus Cethuram interpretari thymiama quod bonum odorem siue bonam famam significet: insuper aduerte sex esse opera misericordiæ, quæ continentur versiculo, vestio, poto, cibo, tectum do, visito, solor: bene igitur ex Cethura non quinque, sed sex liberos suscipit quia vt ait Hugo Carens. *quilibet iustus odorem bonæ conuersationis debet sibi assumere in vxorem, & ex illa generare sex filios, id est sex opera misericordiæ.*

Hug. Carr.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS III.

Vvlg. Iecsan genuit Saba, & Dadan, filii Dadan fuerunt Assurim, & Latusim, & Loomin.

Cald. Iecsan autẽ genuit Saba, & Dadã filii autẽ Dadan fuerũt in castris, & in tabernaculis, & in insulis.

CONCORDIA.

Vvlgatus nomina propria filiorum Dadan exprimit, Chaldæus autem diuersas eorum mansiones enuntiat, alii enim castra sequebantur, alii in tabernaculis habitabant & alii insulas incolebant.

EXPOSITIO.

Iecsan, scilicet filius Abrahæ ex Cethura genuit Saba, à quo dicti sunt Sabæi populi fœlicis Arabiæ incolæ, licet Sabæos dictos à Saba filio Cethuræ regionum Indiæ faciant habitatores, & Dadan huius nominis alter fuit Dadan multo antiquior, memoratur enim inter filios Regma filii, Chus, nepotis Noe.

CONCEPTVS

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Alium instituens viuendi modum à priori, alter censetur à seipso.

20. **I**Ecsan genuit Saba, Iecsan inquam filius Cethuræ, quam miror aliam vxorem Abrahæ dictam fuisse, ait enim textus aliam duxit vxorē Abraham nomine Cethuram: ratio admirationis in hoc consistit, quod cum Cethura eadem fuerit secundū aliquos cum Agar, Agar autem fuerit vxor ipsius Abrahæ, quamuis minus principalis quomodo nūc dicitur quod aliam duxerit vxorem? non aliam deberet dicere Moyses sed eodem? sit Cethura cū Agar; Cethura enim nomen appellatiuum est ipsius Agar, reuoca in memoriam sententiam Hebræorum dicentium Agar Cethuram dictam fuisse, id est thurificatam, quia humiliter & mūdè, postquam propter superbiam expulsa fuit à domo Abrahæ, vixit: quid mirum igitur Agar dictam fuisse aliam vxorem, quamuis eadem fuerit ex qua Ismael susceperat? quia alium instituens viuendi modum à priori, alter à seipso censetur: quod confirmari potest authoritate D. Chrys. Ser. 74. qui exponens illud Matt. 28. venit Maria, & altera Maria videre sepulchrū ait, *nō dixit venerunt, sed venit sub vno nomine, venerunt duæ mysterio, non casu, venit Maria, & altera Maria, venit ipsa, sed altera, altera sed ipsa, vt mulier mutaretur, vita non nomine, virtute non sexu, & fieret resurrectionis nuntia, quæ internuntia, & lapsus extiterat & ruinæ*, en quomodo Maria Magdalena altera dicitur à seipsa, quia optimum à priori viuendi modum instituerat.

S. Petrus Chrys.

VARIETAS LECTIONVM VERS. IV. & V.

VVLG. At vero ex Madian ortus est Epha, & Opher, & Enoch, & Abida, & Eldac, omnes hi filii Cethuræ.

Heb. At filii Midian, Hephah, & Hepher, & Canoch, & Abidah, & Eldahah, omnes isti filii Cethurah.

VVLG. Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac.

Sep. Dedit Abraham vniuersa quæ habuit filio suo Isaac.

Pag. Dedit omnia quæ erant sibi ipsi Ischak.

EXPOSITIO.

EX *Madian*, altero Cethuræ filio ortus est Epha, D. Hier. l. 16. comment. in Isaiam ait Madian & Epha regiones sunt trans Arabiam, fertiles camelorum, omnisque prouincia appellatur Saba, hinc fuit & Saba regina quæ venit sapientiam audire Salomonis, *Opher*, siue vt in Hebræo est Epher à quo fortè Aphrica nomen sortita est, hi omnes filii Cethuræ, non quod omnes eos pepererit, sed quod à filiis suis originem traxerint.

Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac, nempe bona quæ vocant mobilia, scilicet plurimum auri & argenti copiam amplam, & pretiosam suppellectilē, ingentem gregum & armentorum numerum, & numerosissimum famulorum & ancillarum famulitiū, si quæ autem bona immobilia, vt agrum Ephron & nemus ab eo plantatum possidebat, non est dubium ei in hereditatem donasse.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filii carnis obuoluuntur silentio.

21. **E**X *Madiā ortus est Epha, & Opher, &c.* quomodo istorum generatio siletur? cur eorū progenies non annumeratur sicut Isaac? posteri filii Cethuræ filios carnales designant: merito igitur eorum posteri à Moyse in mediū non proferuntur, quia filii carnis obuolui debent silentio, sic Oleast. nō magnificat De⁹ filios carnis, ideo nihil curat horū progeniē enumerare, quemadmodū fecit de generatione Isaac.

Oleast.

Primogenitis plura possunt parentes largiri quàm aliis liberis.

22. *Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac*, nonne iniustitiæ accusaberis, imo & inhumanitatis? nam cum tibi sint plures alii filii, cur cuncta quæ possides soli Isaaco tribuis? nō argueretur tāquā iniustus Patriarcha, quia licitum est parentibus plura largiri primogenitis quàm aliis: audi Oleast. *constat ex hoc nullum esse peccatum si homines primogenitis suis plusquam aliis filiis de bonis suis conferant, maximè cū fuerint aliis meliores, alii tamen filii non sunt exheredandi, sed illis elargiendum est quo possint viuere.*

Oleast.

Qui optimos mores paternos non sequitur, filius eius non dicitur.

23. *Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac.* 70. habent filio suo Isaac, sic & in antiquioribus bibliis, in sequenti versu dicitur filiis antea concubinarum largitus est munera, cur sicut Moyses Isaac filium Abrahæ nominat, similiter & alios quos ex Agar vel Cethura suscepit, illius esse non asserit, sed solum filios concubinarum? aduerte paternarum virtutum vere fuisse Isaac imitatorem, non autem alios: merito igitur solus Isaac filius Abrahæ optimi patris dicitur, non autem alii quia qui rectos mores paternos non sequitur, filius eius nuncupari non debet: non dissentit Card. Dam. opus. 18. contra clericos intemperantes, cap. 3. *& quidem dum superesset Abraham, omnes gloriabantur se esse filios Abrahæ, sed cùm in fine totum vni patrimonium contulit qui reuera filii nomen obtinebat, qui concubitali notantur infamia manifestè discreuit*, preme illa verba, *qui reuera nomen filii obtinebat*, quasi diceret alii enim eo indigni nomine censebantur.

Petrus Dam.

Iustis bona æterna, peccatoribus autem sola tribuuntur temporalia.

24. *Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac, filiis autem concubinarum munera*, diximus immobilia quædam data fuisse Isaac, nulla autem filiis Cethuræ & Agar, sed solum mobilia, cur filiis concubinarum aliquid stabile & immobile non confert Abraham, sed soli Isaac tribuit? non est dubium quod sicut Isaac denotat iustos, & filii Cethuræ & Agar peccatores & carnales, ita bonum immobile gloriã cœlestem, iuxta illud Ioann. 16. gaudium vestrũ nemo tollet à vobis, & bona mobilia temporalia quæ cito transeunt ac pereunt: merito igitur bona immobilia patris possidet Isaac, filii autem concubinarum solum munera, quia iustis bona æterna, peccatoribus autem minimè, sed solum bona tribuuntur temporalia. Sic D. Chrys. lib. de prouident: *Deus peccatores non deserit, sed quoniam æternæ vitæ participatione ipsi se sua sponte priuarunt, præsentis vitæ bona illis tribuuntur, solem faciens oriri super bonos & malos, aliaque præstãs quæ ad præsentis vitæ cõstantiã pertinẽt.*

Ioann. 16.

S. Chrysostom.

Iustis non solum bona æterna, sed etiam temporalia tribuuntur.

25. *Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac*, videlicet bona tam immobilia quàm mobilia, sed cum mobilibus significentur temporalia, temporalia autem ita sunt parui momenti, vt cito defluant & pereant, imo possessoribus suis sint nociua, cur ea largitus est filio suo? quia iustis non solum bona æterna, sed etiam temporalia ad suam & aliorum necessitatem subleuandam tribuuntur, quia vt optimè Synesius oratione de regno ait, *quemadmodum magnopere expetendum est vt scelerato homini instrumenta desint*, (loquitur de bonis temporalibus) *quo inessis ax sit illius nequitia, ita ei adesse optandum est qui rectè vsurus sit, à quo omnes tum ciuitates, tum priuati emolumentum percipiant, ne inutilis ac iners virtutis natura in tenebris atque obscuritate marcescat, quin potius in homines beneficiis iuuandos suam facultatem insumat.*

S. Synes. Ep.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VI.

VVLG. Filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dũ adhuc ipse viueret ad plagam orientalem.

Sep. Et dimisit eos ab Isaac filio suo.

Cald. Filius autem concubinæ Abrahæ dedit Abraham munera, & misit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret ad orientem in terram filiorum orientis.

Pag. Et filiis concubinarum quæ erant ipsi Abraham dedit Abraham dona.

Caiet. Et misit eos desuper Isaac filium suum, dum adhuc viueret ad orientem ad terram orientis.

CONCORDIA.

VVlgatus noster aliqua verba nempe, *quæ erant ipsi Abraham*, omisit, vt Latina phrasis elegantius scriberetur, Chaldæus solum vnicam concubinam numerat, sed posuit singulare pro plurali.

EXPOSITIO.

Filiis autem concubinarum, nẽpe Cethuræ & Agar, quæ concubinæ dicuntur, non tamen in malam partem, nam fuerunt vxores Abrahæ minus præcipuæ, quæ more antiquo sic nominatæ ad denotandam scilicet earum differentiam ab vxore principali, *largitus est munera*, scilicet pecuniam, suppellectilem, greges ouium & armentorum, non tamen hæc munera conferenda sunt cum facultatibus Isaaco à patre in hereditatem datis, *& separauit eos ab Isaac dum ipse viueret*, ne scilicet esset inter eos de hereditate contentio eo defuncto, *ad plagam orientalem*, scilicet respectu eius terræ in qua tunc erat Abraham, & mansurus erat Isaac.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filii non conquerantur apud parentes de hereditate ab eis accepta.

26. *Filiis autem concubinarum largitus est munera*, si ingentem auri copiam, innumeros armentorum greges, denique bona immobilia & mobilia accepit à patre Isaacus, quomodo filii Cethuræ & Ismaël solum aliqua munuscula, & dona ab eo accipientes eum non arguunt inhumanitatis, quod vni, aliis neglectis, omnia distribuat? quia filii apud parẽtes minimè debent conqueri de facultatibus ab ipsis derelictis, *docentur filii*, inquit Oleast. *esse contenti distributione parentum suorũ, quemadmodum filii Cethuræ.*

Oleaster.

Pater dum viuit inter filios bona distribuat.

27. *Filiis autem concubinarum largitus est munera*, nec non etiam filio suo Isaac dedit cuncta quæ possidebat, sed quandonam hæc filiis largitus est munera? obseruat Moyses dũ adhuc viueret, sed cur ante migrationẽ ab hac vita facultates suas distribuit liberis? nõne sufficit quod eo defũcto hereditate sua potiãtur? merito antequã orbaretur vita dedit bona sua filiis, quia pater facultates suas distribuẽdas post mortẽ expectare nõ debet: *hinc colligo*, inquit Oleast. *parentes debere disponere ante mortẽ bona sua, vt non sit iurgiũ postea inter filios, si enim diuisionẽ bonorũ in vita facerent, non ita post obitũ illorum filii litigarent.*

Oleaster.

Inuidus alienam fœlicitatem videre non potest.

28. *Filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret, ad plagam orientalem*, cur quæso non permisit Abraham, cum essent omnes fratres, in eadem regione habitare; nonne omnia fere bona sua filio suo dedit Isaac? ne ergo illi inuiderent alii fratres, eos separauit ab inuicem: ita Abul. *putauit Abraham & ia*

Abulens.

& in Suicitu cognouit, quod si Isaac mane, et in eadē terra cum aliis, magna rixæ sequerentur, quia alii inuiderent Isaac, quia plura susceperat, inuidia autem multis malis præbet introitum, cum autem separati se non viderent inuidendi aut malignandi locus non esset.

Peruersa societas iustis etiam maxime nocet.

29. *Separauit eos ab Isaac filio suo*, cur tam sollicitum se præbuit bonus parens in his filiis ab hoc vno separandis? bonum est enim ait Spiritus sanctus teste Psal. *habitare fratres in vnum*: nihilominus prudenter Isaacū ab eis separauit, præsciebat enim illos fore & impios, timebatque ne Isaac, si illorum familiaritati assuesceret, eorum pariter impietatem etiam sequeretur, *Abraham*, inquit Abulens. *Deo reuelante cognouit quod cultus Dei solis successoribus suis per Isaac mansurus erat, ideo dimisit eos ab Isaac, ne posteritas illorum posteritatem Isaac à Dei via disturbaret.*

Abulens.

Impiorum societas Dei impedit familiaritatem.

30. *Separauit eos ab Isaac*, diximus eos ab Isaac dimisisse, ne illorum societas ei noceret peruersa, nonne Deum habiturus esset Isaac familiarem, sicque à nociua eorum societate minimè læderetur? fortè cum fratribus impiis permanens Deum non sentiret familiarem, eorum enim communicatio hoc Dei beneficium impedisset, quod confirmat D. Chrys. Hom. 4. de verbis Isayæ in hæc c. 6. in anno quo mortuus est, ait, *eo quod sub impuro illo non erat gratia, non adueniebat Deus, non apparebat, non visiones adhibebat.*

S. Chrysost.

Malorum cōsortium iustorum orationes impedit.

31. *Separauit eos ab Isaac filio suo*, scilicet ne peruersa eorum societas ei aliquod nocumentum inferret nempe familiaritate Dei priuari: sed quamuis hoc ei beneficium denegaretur, nonne precibus à Deo id exigere poterat? nescio equidem, nam consortium impiorum orationes iustorū impedit: quod D. Hier. Epist. ad Damas. duplici confirmat exemplo, vno filiorum Israel qui viuente Pharaone, nunquam suspirarunt ad Dominum, quamuis iniqua tyrannidē premerentur, postquam autem mortuus est, inquit textus, ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt, quasi ille vnus improbus rex eorum gemitus ad Deum impediret: altero Ezechielis qui post interitum pessimi ducis Pheltræ, dicitur cecidisse in faciem suā, & clamasse voce magna ad Dominum, cum antea non auderet Ezech. 11. n. 13. ac si improbus vir sanctissimi viri orationem retardaret, vnde si malorum hominum commercia attendas, *videbis*, inquit Hieron. *quomodo illis viuentibus nullus nostrum videat, ac suspiret, & in pœnitentiam corruat*, quasi cœlesti fauore destituantur, qui pariter cum improbis versantur.

Hieron. — Ezech 11. — Hieronym.

Amici improbi longe proiiciendi.

32. *Separauit eos ab Isaac filio suo*, nonne filii concubinarum Abrahæ, sanctissimo amicitiæ vinculo nectebātur cum Isaac? cur igitur eos Abraham ab inuicem separat & remotissimè, nempe in plagam orientalem? quia amici si improbi, longè sūt amouendi, quod annuit Christus Matt. 18. si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proiice abs te, nam ibi Chrys. Hom. 60. *non*, inquit, *hæc de membris dicta sunt, sed de amicis ac necessariis, quos quasi membra nobis coniunctas ducimus, nihil enim ita perniciosum ac pestiferum, vt consuetudo prauorum hominum ac conuersatio*, & Hom. 17. recte expendit illud proiice abs te, vt non quilibet recessus, sed maxima à prauo socio separatio exprimatur, quanta vero hæc separatio esse debeat recte explicat Tert. de spect. c. 15. *vtinam*, inquit, *ne in sæculo quidem cum illis commoraremur.*

Matt 18. — Chrysost. — Tertull.

Odoriferi cœlesti hereditate indigni.

33. *Dedit filiis concubinarum*, cur filiis Cethuræ suam non communicat hereditatem sicut filio suo? diximus Cethuram interpretari odoriferam, quo posito ait D. Amb. l. 1. de Cain & Abel c. 6. *odore aspersus non fructu expletur, indigni enim sunt qui ad cœlestem hereditatem admittantur qui deliciosis odoribus perfunduntur* Lact. Firmi. l. 6 diu. institut. c. 12. ait, *turpe est vt o sapiens, si vnguentis delibutus & floribus coronatus incedat, quod qui fati vtique insipiens, ineptus, & nihil est, & quem nec odor quidem virtutis attigerit.*

D. Ambros. — Lact. Firmi.

Non omnes Christiani æternæ hæreditatis erunt participes.

34. *Dedit filiis concubinarum munera*, Isaac autem filio hereditatem, nonne sunt omnes filii Abrahæ, cur igitur ab heredidate excluduntur paterna? obserua filios Cethuræ & Agar Christianos quidem designare, sed prauis studentes operibus peruersisque moribus imbutos; Isaac autem re & nomine Christianum: merito igitur filii concubinarū hereditatem accipiunt quia ab æterna mali excluduntur Christiani, sic Alex. 2. l. 5. Epist. Damian. Epist. 8. *ecce inquit, omnes dicebantur filii sed non omnes paternæ hereditatis sunt iura sortiti: sic profectò fratres plures sunt hodie Christianæ professionis titulo decorati, qui videlicet in Christi hereditate nequaquam merentur adscribi & nunc quidem paterno vocabulo gloriantur: sed nequaquam ad hereditanda paterna bona perueniunt, quia velut spurii, non cœlestia sed terrena ignobiliter concupiscūt.*

Alex 2. — Petrus Dami.

Concordia inter fratres conseruanda.

35. *Dedit filiis concubinarum munera*, scilicet, *dum adhuc viueret*, cur distribuit eis? cur distribuenda filio suo non relinquit? cum enim esset Isaac præcipuus hęres, poterat fratribus suis bona paterna largiri: prudenter dum viuit, facultates suas inter liberos distribuit, vt inter fratres pax & concordia seruaretur, *prouidit*, inquit Lipp. *filiis de concordia & pace pro simul. ate inter tot filios tollenda.*

Lippomanus.

Deus nomen suum vult omnibus notum esse.

Dedit filiis concubinarum munera, & separauit eos à filio suo Isaac ad plagam orientalem, non est dubium in diuersas orientis partes secessisse: cur Deus monuit Abraham à se remouere filios, vt varias mundi partes inhabitarent? vt nomen suum per filios Abrahæ, varias colentes terras pluribus manifestū fieret nationibus, *vidit*, inquit Thom. Angl. *vtilius fore ipsos dispergi, vt plures terras occupando nomen Dei Abrahæ amplius dilataretur aut magnificaretur in eis.*

Thom Angl.

Pater filios suos subleuet.

36. *Dedit filiis concubinarum munera*, nēpe dū viueret, eorū distributorē relinquat Isaacū, & testimonio suo, quid vnicuique eorū dadū est constituat, viuēs portionē bonorū suorū vnicuiq; largitur ne filius suus Isaac in ea distributione laborē impendat, sed eū subleuet, hæc est ratio Caiet. *ideo dona dedit Abraham filiis concubinarū Agar & Cethuræ, & emisit eos à cura sua vt exoneraret Isaac filiū suū ab onere prouidendi illis, incūbebat enim Isaac heredi vniuersali cura prouidendi fratribus suis ab hereditate exclusis.*

Cardin. Caiet.

Bona etiam temporalia Deo oblata maximè multiplicantur.

37. *Dedit filiis concubinarum munera*, filios ergo nō paucos ex vxoribus minus præcipuis suscepit. in cu-

ius mentem hæc veritas deuenire potuit, cùm Abraham contemplatur filium suum immolantem magis quàm centenarius: nonne quilibet potuisset dicere sine posteritate è viuis excedet Patriarcha? imo cum pluribus filiis, quia qui vnicum Deo offert, plures res accipiet, & proles eius in immensum multiplicabitur, *vnius filii*, inquit Basil. Sel. orat. 7. de Abr. *nullam rationem duxisti, orbis terrarum pater esto*, vides infinito interuallo auctum & multiplicatum bonum Deo oblatum, apta id quibusuis bonis externis & si eamet quæ ex se instabilia & fragilia sunt, quæque à fortunæ arbitrio pendent, firmare & constabilire velis, ad pietatis & iustitiæ opera illa transfers, fiet enim vt stabiles diuitias, permanentes honores, lætitiam diu duraturã habeas, non secus ac Abraham filium incolumẽ, & in fœlicissima illius successione æternum duratura, immortalem reddidit, pluresque liberos ei addidit.

D. Basil. Sel.

Impii hîc bona accipiunt in futuro nulla possessuri.

38. *Dedit filiis concubinarum munera*, vel dona & separauit eos ab Isaac, cur acceptis bonis exiguis, expelluntur à domo paterna? si enim exigua accepere, saltem cum Abraham deberent commorari; tum etiam si, filiis concubinarum dedit munera, quomodo in antecedenti versu dictum, quod cuncta dedit filio suo Abraham? aduerte quæso, quod quicquid Deus tum supernè tum infernè creauit, tum terram, tum cœlum, tum bona spiritualia, tum temporalia omnia, substantia Dei sunt, quam in filios communicare statuit, sed cum hoc discrimine, nam alia est substantia quæ dicitur hereditas Dei, & est veluti maioratus eius, alia verò est substantia liberorum, bonorum, quæ non sunt bona maioratus, quæ dare potest cui vult etiam extra mortis tempus, & ea alienare à se, & velut aliena habere, regnum cœlorum & bona quæ in illo sunt, bona maioratus dicuntur & beatitudo hereditas Dei, sic enim appellat D. Paul. ad Ephes. c. 8. dicens, non cesso gratias agere pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, det vobis spiritum gratiæ & reuelationis in agnitione eius, illuminans oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quę diuitiæ gloriæ hereditatis eius in sanctis. hereditas ergo beatitudo est, cætera autem bona extra beatitudinem veluti huius bona vitæ, non tamen sunt bona maioratus vinculata filiis tantum & heredibus, sed bona libera, vnde ea alienare potest & dare cuilibet etiam extra eo, & non futuro heredi, peccatori, quia bona libera sunt. quo posito dicemus dedisse quidẽ Isaaco Abrahamum cuncta quæ possidebat, & nihilominus dedisse filiis concubinarum munera, cum expulsione à domo paterna, quia impii designati per filios concubinarum, hic bona huius sæculi accipiũt in futuro nulla possessuri, & à domo cœlesti omnino excludendi, iustus autem hereditatem capit sẽpiternam, nempe omnia maioratus bona, quæ soli competunt heredi, hoc agnoust Isid. Hispal. *dantur*, inquit, *filiis concubinarum munera, id est carnalium, sed non perueniunt ad regnum promissum, quia carnalia lucra sequuntur, solus Isaac est hæres quia non filii carnis existimantur in semine sed promissionis*, nil melius.

Ephes. c. 8.

Isid. Hisp.

VARIETAS LECTIONVM VERS. VII.

VVLG. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ centum 70. quinque anni.

Pag. Et isti sunt dies annorum vitæ Abraham, quos vixit centum annos & 70. annos, & quinque annos, sic Chald. cum 70.

CONCORDIA.

Plura sunt verba in Hebræo, vt repetitio annorum quos vixit, quæ tamen breuiori phrasi à vulgato exprimuntur.

EXPOSITIO.

F*Verunt dies vitę Abrahæ 175. anni*, Abraham enim natus fuit anno post diluuium ducentesimo 92. post confusionem linguarum anno ferme centesimo nonagesimo, mortuus autem fuerat Noe, anno Abrahæ quinquagesimo octauo, cùm ageret ætatis suæ quinquagesimum quintum, apparuit illi Deus iubens ex Chaldæa discedere, profectusque est in Haran anno deinde 89. duxit Agar, & sequenti nimirum sexto natum suscepit Ismaëlem, nonagesimo fuit circumcisus, atque in eodem contigit excidium Sodomorum, cẽtesimo natus est illi Isaac, quinto deinde ablactatus (simul etiã eiectus Ismaël) quem postea centesimo vigesimo quinto ad immolandum deferre iussus est, centesimo trigesimo quinto Abrahæ pater Thare mortuus est, anno illius cẽtesimo trigesimo septimo, mortua est Sara, centesimo quadragesimo filium Isaac cùm esset hic quadragenarius cùm Rebecca in matrimonium copulauit, centesimo sexagesimo nati sunt illi nepotes Esau & Iacob, cum esset Isaac sexagenarius, demq. Abraham decessit è vita ætatis anno 175. expleto, & inchoato iam sexto, quãdo erat Isaac 70. quinque annorum, & Iacob quindecim, Ismaël vero octoginta nouem, filii Cethuræ annorum plus minus 33.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iusti etiam in hoc sæculo longitudine vitæ præmiantur.

39. F*Verunt dies vitæ 175. anni*, cur ita longæuam Patriarchæ vitam concessit? cur è viuis non eripuit, vt eum in sinu patrum constitueret liberum à curis mortalibus? dies longæuos vitæ concessit, longitudo enim vitæ aliquale etiam erga iustos Dei beneficium, vt testatur Deus Psal. 90 *longitudine dierum replebo illum*, quem Genebrardus exponens ait, *eum longitudine dierum satiabo in hoc sæculo, & ostendã illi salutem meam in futuro.*

Genebrard. Psalm. 90.

Iustus

Iustus aliquando à communibus vitæ ærumnis liberatur.

40. *Fuerunt dies Abrahæ 175. anni*, nonne testatur regius psaltes Psal. 89. longe breuiorem vitam promitti cùm ait, *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*, quia scilicet ad illud tempus fortitudo hominis perseuerare potest, quo transacto, vt communiter ista & alia ad vitæ conseruationem necessaria in hominibus deficiunt, & quia aliqui aliis melioris sunt complexionis, ideo tales aliquando, sed raro, vigentvsque ad octogesimum annum, quo trãsacto vita hominis miserrima est: ait enim idem psalmista, *si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor*, si labor & dolor, cùm quis ad annos octoginta peruenerit, quomodo non legimus labore & dolore correptum Abraham, qui non semel octogesimum annum attigit, sed iterum eum excessit & superauit? dices robustissimæ fuisse complexionis; scio, sed cur etiam non asseremus cùm fuerit vir iustissimus, singulari Dei beneficio, à pluribus vitæ huius mortalis ærumnis ereptum fuisse?

Psal 89.

Iustis vitam cito Deus non adimit, vt maiorem consequantur iustitiam.

41. *Fuerunt dies Abraham 175. anni*, cùm senectus tot ærumnis conficiatur, tot doloribus prematur, totque afficiatur angustiis, quomodo ita longæuam Deus Abrahæ vitam largitur? vt longiori vita pluribus abundet meritis, *solet Dominus Deus*, inquit, Andr. Nicol. *iustis vitam prolongare vt semper iustiores fiant: hinc promissio illa legalis apud Ezechielem quæ faciens homo viuet in eis.*

Noster Andr.

Eze. h. 20.

VARIETAS LECTIONVM VERS. VIII.

V. L. G. Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum, congregatusque est ad populum suum.

Pag. Et obiit, & mortuus est Abraham in senectute bona, senex & satur, & congregatus est ad populos suos.

Caiet. Finitus est, & mortuus est Abraham.

Vatab. Et expirauit & mortuus est.

Hier. Et mortuus est nutritus in senectute bona.

CONCORDIA.

גוע Gauah licet transferant aliqui per verbũ obire, mihi vero tamen, propter adiunctũ verbũ וימת Vaiamot, quod mori significat, ne inutiliter repetat textus Gauah, significare videtur deficere, quod cõiector ex Psal. 88. vbi dicitur, pauper ego (ve Goueah) id est & deficiens ab adolescentia, vbi 70. vertunt & in laboribus, Hier. in ærumnis: sic ergo optime redditur à nostro vulgato locus iste, & deficiens mortuus est: vbi habemus plenus dierum ושבע Vesabea & satur, proprie enim satietatem significat hæc dictio, eo quod saturata fuit anima eius in diebus suis, nec optabat vt dies eius innouarentur, potest tamen etiam plenum significare, vt in aliis versionibus videre est.

EXPOSITIO.

Deficiens, non morbo, non vi aliqua extrinseca illata, sed præ senio, deficiente humore, naturali calore & viribus, è viuis excessit, *in senectute bona*, in senectute longæua, ac si diceret, senio confectus obiit, *prouectæque ætatis*, attigerat enim 175. annum, *& plenus dierum*, cupiebat enim forte dissolui, satur tot vitæ suæ annorum, *congregatusque est ad populum suum*, scilicet ad Heber, Noe, Abel, Seth, Adam, aliosque in limbo beatitudinem futuram expectantes. *vel congregatus est ad populum suum*, id est ad statum mortuorum, quemadmodum maiores sui.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustus moritur aliquando satiatus omnibus bonis.

42. *Deficiens mortuus est prouectæ ætatis & plenus dierum*, inanis hæc mihi videtur esse repetitio, si enim prouectæ fuit ætatis certum quod plenus dierum fuerit, & non ei dies defecerint, inspice lect. Hebraicam, *satur*, an ita parum sobrius, vt in maxima senectute satur è viuis excederet? Phrasis non ita intelligenda, sed quod in abundantia omnium bonorum sit mortuus, expositio est Card. Caiet. *qualitatem à bonitate commendat, sed etiam à satietate, est enim sensus quod non solum habuit senectutem incolumem & vtilem vsque ad finem, sed etiam quod obiit senex satiatus omnibus bonis, vt nihil desiderandum ei superesset.*

Card. Caiet.

Senes aliqui non ex ætate, sed ex virtute dicuntur.

43. *Deficiens mortuus est in senectute bona*, nonne aut illius maiorem adepti sunt senectutem? quomodo igitur non dicuntur in senectute bona obiisse, sed Abraham non ita ætatis prouectæ sicut illi? quia senes aliqui, è quorum numero præcipuus Abraham, non ex ætate, sed ex virtute tales dicuntur, *senex dicitur*, ait Lipp. *non spatio dierum & temporis, cùm iunior obierit omnibus annis suis, sed quia sensu, fide, sanctimonia vitæ, profecerat in immensum.*

Lippom.

Senes nimium longam non exoptent vitam.

44. *Deficiens mortuus est plenus dierum*, in Hebræo est satur, quis vita satiatur, nisi miser, qui præ nimiis quas patitur, ærumnis, mortem finem malorum exoptat? Abraham autem fœlicissimus, senectute enim bona potiebatur, cur satiatus vita dicitur? quia senes quamuis omnibus abundantes, hic non æternam vitam ducere, nec debent exoptare:

Oleast. sic obseruat Oleast. *debent senes vita saturari neque velle in æternum viuere.*

Senes viribus corporis deficientes animi virtute roborantur.

45. *Deficiens mortuus est*, D. Hier. in trad. Hebraic. in Genes. existimat male fuisse additum à Septuag. illud verbum *deficiens* quia tanto viro non videtur conuenire vllus defectus, cuius anni non possent deficere, vt qui in senectute bona, id est perfecta & completa, defunctus sit, sed cum venia tanti doctoris, crediderim illud *deficiens* fuisse positum tanquam fundamentum sequentis elogii, nimirum quod mortuus sit plenus dierum & in bona senectute, id est plenus bonis operibus & virtutibus, quia iusti quanto viribus corporis deficiunt, tanto animi robore proficiunt: ita Ricard. Vict. de diff. sacrificii Abr. & Mariæ, *senectus bona*, inquit, *quando exterior sensus decrescit, interior vero excrescit: senectus bona quando eo ipso interior homo roboratur, quo exterior homo debilitatur.*

Richard. Vict. Psal. 126.

Suauis mors, Dei non exiguum beneficium.

46. *Deficiens mortuus est*, per hoc verbum *deficiens*, suauitas quædam in obitu Abrahæ significatur, cum sine vlla violentia, sed vltro defecerit, vti lucerna consumpto oleo leniter extinguitur, aut denique vt dulci quispiam somno correptus, caput in lectum molliter inclinat. sed quid refert, spiritum exhalare hoc modo vel alio? cùm mors non vitetur, nec vita, qua nihil charius, conseruetur, multum equidem, hoc enim plerosque seruorum suorum Dominus singulari beneficio etiam in hac vita remunerat, iuxta illud, cum dederit dilectis suis somnum, Psal. 126. quæ verba D. Hiero. de vita potius interpretari videtur, *dilecti* (inquit) *sancti sunt qui post somnum præsentis vitæ, hic dormitare videntur, vt in resurrectione ad vitam æternam mereantur peruenire.*

S. Hieron.

Mors iustorum fælix & ab eis concupita.

47. *Deficiens mortuus in senectute bona, & plenus dierum*, in Hebræo fatur, quod nomen explicans Lipp. vt iam dissolui cupierit, & esse cum Domino, verba autem hæc *in senectute bona*, significant ætatem omnibus bonis refertam, & ideo fœlicem, sed quis ita vitæ tædio mouetur, vt dissolutionem suam cupiat? & quis fœlicem (cùm vita sit omnibus charissima) mortem existimare creditur? iustus, cuius mors beata, & ab illo aliquando concupita: audiamus mellifluum Bernard. Ep. 105. *volo te, mortem & si non effugere certe non timere, iustus quippe mortem & si non caret, tamen non pauet, denique si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit, moritur quidem iustus, sed secure, quippe cuius mors præsentis est exitus vitæ, ita melioris est introitus, non solum autem sed & succedit iucunditas de nouitate, & immortalitate securitas, bona proinde mors iusti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem, o quam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, Psal. 115. quod si consideret mors saccũ corporis tui, dũ te subinde circumdet lætitia, ô quam beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apocal. 14.*

Bernard.

Psal 115.

Apocal 41.

Vita iustorum diebus elucescit, noctibus carens.

48. *Deficiens mortuus est plenus dierum*, si tot sunt noctes vitæ hominum, quot dies, cur postquam Moyses dixit Abraham obiisse plenum dierum, non addidit & noctium? quia vita iustorum ita excellens est, & tot virtutibus micat, vt solis diebus constare, noctibus autem carere videatur, disertis verbis hoc à B. Hier. asseritur in Psal. 91. sic dicente, *diligenter attendo in scripturis vbi 1. legerim senectutem, primus Abrahã senex dicitur, quoniam senectus ipsius inuncta fuit oleo vberi, scriptum est mortuus est Abraham in senectute bona, omne enim tempus ipsius dies fuerunt, & non nox.*

D. Hieron. Psal. 91.

Senex morum grauitate videri debet sacerdos, sacerdos autem iuuenis, licet senex sapientia.

49. *Deficiens mortuus est in senectute bona*, Oleaster, in canitie bona, de qua loquens cit. Hier. in cap. 3. Isaiæ quæ est ista canities, inquit, haud dubium quin sapientia, Sap. 4. cumque nongentos & eo amplius annos vixerint homines ab Adã vsque ad Abraham nullus alius appellatus est presbyter, id est senex, nisi solus Abraham, qui multo paucioribus annis vixisse conuincitur, sed cur nomen presbyteri cum nomine senis confundit? Hieron. *multi enim sunt qui presbyteratus dignitate non gaudent & tamen senilem ætatem attigere, & è contra multi sunt sacerdotes qui ætatis sunt iuuenilis?* rectè tamen Hieron. senes presbyteros dicit, non solum quia pro eodem significato pluries presbyteri & senes in sacra pagina dicuntur, sed quia senex, & si gradu, officio & dignitate presbyter non sit, vita tamen & prudentia & morum grauitate talis videri debet: & etiam presbyter debet dici senex, quia sacerdotem etiam non ætate prouectum, decet sapientia & matura quædam vitæ senectus.

D. Hieron.

Vita quo sanctior, eo diuturnior.

50. *Deficiens mortuus est in senectute bona*, si teste Hieron. plures qui hunc Patriarcham præcesserunt, longiorem vitam adepti sunt, cur præ illis senex dicitur, cum præ illis sit iuuenis? ne dicatur igitur in senectute bona defecisse, sed solum in ætate prouecta obiisse. merito tamen præ illis senex dicitur, quia cum eis iustior fuerit, vita ipsius diuturnior, vita eorum debet censeri, vita enim quo sanctior, eo longior, consulamus Ambr. Ep. 60. de Acholio. dicentem, *vere senectus illa venerabilis quæ non canis sed meritis albescit, ea est enim reuerenda canities, quæ est canities animæ in canis cogitationibus, & operibus effulgens, quæ est enim vera ætas senectutis? nisi vita immaculata, quæ non diebus aut mensibus, sed sæculis propagatur, cuius sine fine est diuturnitas, sine debilitate longæuitas, quo enim diuturnior, eo fortior* (eo quod diutius eam vitam duxerit) *in virum perfectum excrescit.*

D. Ambros.

Vita iustorum plena, peccatorum vacua.

51. *Deficiens mortuus est plenus dierum*, si plenitudo dierum dicit vitæ longæuitatem, plures ante eum peccatores diuturniorem vitam egere, quomodo plenos dierum non lego dictos fuisse? aduerte quod peccatores licet sint ætatis prouectissimæ, quia sola huiusce vitæ bona consectantur, quæ vana, falsa, & nihili sunt, atque (vt S. Greg. Nis. lib. de virg. obseruat) speciem aliquam præbent, vt est videri, sed omnia ex opinionis errore diuersa, ie le nobis ostendunt, spe illudunt, occultant sese specie quadam eorum quæ videntur, aduerte inquam huiusmodi peccatores, vacuos dici debere, cum solis rebus studeant vacuis, iusti autem rebus feriis, vt pote cœlestibus ac diuinis intenti vitam degant, plenam opibus virtutum, refertam diuitiis meritorum: quid mirum igitur iustum Abraham dictum fuisse plenum dierum in obitu quamuis eo antiquiores tales non

S. Greg. Nis.

non dicantur, vita enim iustorum plena est, peccatorum autem inanis, ac rec[illegible]. Ambros. *hanc plenitudinem vitæ iustorum habet, inanes vero sunt dies malorum.*

D Ambros.

Fœlix filius cui patre meritis pleno frui licuit.

52. *Deficiens mortuus est plenus dierum*, fœlicem prædicamus Abrahamum, qui sine ægritudine, sine violentia, omnibus bonis satiatus, vitam cum morte mutauit, sed an infœlicem dicemus Isaacum, qui talis iacturam fecit parentis? non infœlix est, quia diuinæ conformis voluntati fuit, imo non exiguum fuit ei solatium, quod parente sancto & sui peramante, vsque ad extremam senectutem diebus & meritis & omni fœlicitate, vt hic legimus, pleno ac saturo frui licuit, quod S. Hieron. Ep. 27. de nobili sanctaque fœmina Paula ad consolandum luctum illius scripsit, *non mœremus inquiens, quod talem amisimus, sed gratias agimus quod habuimus, imo habemus, Deo enim viuunt omnia.*

S. Hieron.

Tales sunt animæ iustorum vt simul cum Angelis vnum ciuitatis supernæ populum constituant.

53. *Deficiens mortuus est, congregatusque est ad populum suum*, quem populum? licet enim sepultus sit in spelunca duplici, in qua iacebant corpora Adę, Euæ & Sarræ, hi tres cum populum integrum non constituant, plures enim ad eum personæ desiderantur, quomodo asserit Moyses congregatum fuisse Patriarcham ad populum suum? inspiciamus quid dicat glossa interl. ad populum suum, id est ad Angelos quorum erat conciuis: sed cum Angeli & animæ sint diuersæ speciei, quomodo vnum constituere possunt populum? vnum supernaturaliter equidem, virtutes enim eorum & merita ciuitatem sanctam ædificant, quod testatur D. Aug. lib. quæstionum super Genes. q. 168. *an forte populus est non solum sanctorum hominum, verum & Angelorum? populus inquam illius ciuitatis quæ de cœlo est Hierusalem, de qua Paul. ad Heb. 12. accessistis inquit ad montem Sion & ad ciuitatem Dei Hierusalem, & ad millia Angelorum exultantium: huic populo apponuntur, qui post hanc vitam placentes Deo fiunt, tunc enim dicuntur apponi, quando iam nulla remanet sollicitudo tentationum, & periculum peccatorum*, sed si contra hunc conceptum dicas, nullum iustorum ante Christi aduentum post hanc vitam cœlos ascendisse, & per cõsequens nec in societatem Angelorum receptum fuisse? respondeas cum Magistro historiæ scholasticæ, sanctum Abrahamum sicut & reliquos Patres iustos aggregatos fuisse societati sanctorum, nõ secundùm rem, sed secundùm spem certissimam omnem excludentem formidinem.

D. August.
Hebr. 12.
Petrus Comest.

Animæ immortalitas designatur.

54. *Deficiens mortuus est, congregatusque est ad populum suum*, hunc populum non dices fuisse patres suos, qui fuerunt in Caldæa, de quorum ipse familia progenitus erat, quippe cum huiusmodi patres derelinquere, & à cognatis suis paternaque domo discedere, diuino fuerit iussus oraculo? non igitur credibile est eum post mortem reductum fuisse ad loca maiorum suorum, præsertim cum constet sepultum fuisse in spelunca duplici iuxta Hebron, vbi nullus de genere suo proximè præter Saram sepultus fuit: quid significat ergo Moyses, cum ait Patriarcham ad populum suum congregatum fuisse? denotat societati iustorum in limbo degentium non secundum corpus, sed secundùm animam, simul coniunctum: sicque animæ immortalitatem significat sed verba Caiet. proponere licet, *congregatus est ad populum suum ad litteram significatur, quod Abraham congregatus est ad societatem iustorum omnium qui antea mortui fuerant, hic porro locus clare demonstrat, immortalitatem animæ, non solum Abrahæ, sed & aliorum populorum quibus adiunctus est Abraham post hanc vitam: ex hoc igitur loco sumitur argumentum aduersus quorundam hominum imprudentiam & temeritatem, qui audent dicere ne vnum quidem verbum reperiri in libris Moysis de altera vita hominum post mortem.*

Card. Caiet.

Animæ post mortem diuersas secundùm merita sortientur mansiones.

55. *Deficiens mortuus est congregatusque est ad populum suum*, scilicet electorum in limbo requiescentium; sed cùm in populo sint diuersæ familiæ, variisque mansionibus distinguantur, populus ille electorum diuersas sine sortietur, secundum qualitatem vniuscuiusque meriti mansiones? quis dubitet cùm asserat Christus Dominus in domo patris sui diuersas esse mansiones, ita vt anima quæ castitate floruerit, castis associabitur &c. sic teste Hug. Card. Ong. *est quædam familia mitium, cui præest Moyses, quædam patientium, cui præest Iob, quædam continentium, cui præest Daniel, & vnusquisque in morte congregabitur ad familiam suam, mitis cum mitibus, virgo cum virginibus, Leuit. 25. vnusquisque redibit ad familiam suam pristinam, quia iubilæus est, Eccl. 27. volatilia ad sibi similia conueniunt, & veritas ad illos qui illam operantur reuertetur.*

Hugo Card. Ong.
Leuit 25.
Eccl. 27.

Iusti quasi inanimes circa terrena, solis cœlestibus intenti moriuntur.

56. *Et deficiens mortuus est*, si secundùm Hier. non conuenit Abrahæ deficere & minui, intellige de virtutum amore, quomodo altius perscrutantes huius verbi *deficiens* significationem aliquid in maius encomium Patriarchæ indagare possumus? si dicimus defecisse Abraham, hoc est totum animũ in cœlis habuisse deficientem & inanimem circa terrena, sicque defunctum fuisse, hunc sensum depromamus ex eodem Hier. in cap. 1. Soph. cùm exponit illa verba congregans congregabo à facie terræ, vbi Septuaginta habent, defectione deficient à facie terræ, sic vero habet Hiero. *quod si voluerimus aliquid altius intelligere propter quod dicitur apud Septuaginta defectione deficiat à facie terræ, & defectionem in bonam partem accipere, iuxta illud Genes. deficiens mortuus est in senectute bona, & de his quæ de Isaac & Iacob refert scriptura, videbimus quomodo deficiant defectione à facie terræ, qui habentes conuersationem in cœlis, & in carne non secundùm carnem militantes, eo quod sciant illos qui in carne viuunt Deo placere non posse, quantum in se omnia agunt, nec sint in carne sed in spiritu & à terra recedentes aiunt conresuscitare & sedere nos fecit in cœlestibus in Christo, deficit quis vt homo, si contemnat humana & non vltra moriatur vt homo.*

Hieron. Sopho. 1.

Mors vitæ regulariter conformis.

57. *Deficiens mortuus est in senectute bona*, cur bonam addidit Moyses, cùm postea plenum dierum obiisse asserat? qui autem plenus dierum moritur, in senectute bona requiescit, in dubium reuocare non audes iustissimam optimisque virtutibus illustrem Abrahamum vitam degisse: merito igitur vitæ cur-

riculum morte optima cum ait, *mortuus est in senectute bona*, claudit, quia obitus vitæ nostræ regulariter est conformis: audiamus D. Aug. illud Balaam exponentem Num. 23. moriatur anima mea morte iustorum, sic fatur, *viuite ergo bene, vt non moriamini male, quoniam sicut non potest esse mala mors, quam vita bona præcessit, ita non potest esse bona quam mala vita anticipauit: omittamus nunc miracula Dei, tractemus communem ordinem eius, audierunt impii dicere quoniam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, & pessima sit mors peccatoris, vtinam diceres potius viuat anima mea vita iustorum, quoniam naturali ordine sequitur mors bona vitam immaculatam, & qualis quisque viuit, talis regulariter moritur.*

Num. 23. August.

Iustus moritur mortuus, peccator viuus, viusque in infernum descendit.

58. *Deficiens mortuus est.* Pagninus obiit mortuus, si obiit, certum est mortuum esse, quomodo igitur legit mortuum obiisse? vt huic satisfaciamus difficultati consulamus alterum locum Apocal. 14. *beati mortui, qui in Domino moriuntur*, nonne dicere deberet, beati viui? nam qui mortuus est, non moritur sed è viuis excessit: sensus certe legitimus est, si dicamus iustū mortuum mori, quia nullo labore, nulla difficultate è viuis excedit, sed peccator quomodo moritur? viuus equidem, nam viuens vita propriarum passionum, mortuorum numero adscribitur, quoue dolore, quo sensu, qua difficultate? sicque viuens nihilque mortificatus in infernum descendit, iuxta illud, *& descendant in infernum viuentes.*

Apocal. 14.

Ante mortem ne laudaueris.

59. *Deficiens mortuus est in senectute bona*, cur eum solum post mortem bonum prædicat? nonne Deo obedientissimus? nonne eximiæ fidei &c. dum viueret, tunc igitur eum bonum dicere potuit: aduerte bonum significare consummatum, omnibusque suis perfectum & absolutum numeris, ne mireris igitur eum ante mortem, bonum non dixisse, quia solum post mortem quis extollendus, cum tunc sit ab omni periculo liber consummatæque virtutis: sic eruditè Ambro. expressit, *vnusquisque quandiu viuit, obnoxius est lapsui, nec senectus immunis à crimine, ideo legis quia Abraham mortuus est in senectute bona, eo quod in bonitate propositi sui permansit, mors igitur vitæ est testimonium, nam si laudari ante gubernator non potest, quàm in portum nauem deduxerit, quomodo laudabis hominem priusquam in stationem mortis secesserit? & ipse sui est gubernator, & ipse vita huius iactetur profundo, quandiu in sale isto, tandiu inter naufragia.*

Amb. lib. de bono mort. c. 8.

Mors licet aliquod bonum non sit, bonis tamen optima est.

60. *Deficiens mortuus est in senectute bona*, bonam igitur adeptus est mortem, cùm etiam plenus dierum obiit, sed mors nonne aliquid malum, cùm sit vitæ carentia? quomodo igitur mors Abrahæ & iustorum bona nuncupatur? quia eâ mediâ ad præmium vitæ, gaudium salutis æternæ, perpetuamque lætitiam à labore vitæ præsentis transeunt. *Mors* inquit S. Iuli. Archi. Tolet. lib. 1. Prognost. c. 8. *quia separatur corpus ab anima, est plerumque bonis bona, quia per eam transitur ad immortalitatem futuram, non quia mors aliquod bonum facta est, quæ antea malum fuit, sed tantam Deus fidei præstitit gratiam, vt mors quam constat esse vitæ contrariam, instrumentum fieret per quod migraretur ad vitam.*

S. Iulianus.

Senectus annexam semper habet debilitatem.

61. *Deficiens mortuus est in senectute bona, & plenus dierum*, si plenus dierum, si in bona senectute extremum clausit diem, quis dubitat deficientem mortuum fuisse siue debilem? cur igitur eum defecisse dixit Moyses? vt ostenderet senes non sibi adulari debere de virium præstantia; nā omnibus senibus etiā iustis annexa est debilitas: sic Arnulphus Episc. Lexouiens. Ep. 63. ad Alex. Papam loquens de Londiniensi Episcopo ait, *affectabat omni desiderio ad vestram venire præsentiam idque iam secundo an posset expertus est, sed progressum aliquatenus ætas promectior personæ grauitas difficultas itineris & senectuti semper cognata debilitas reduxerunt.*

VARIETAS LECTIONVM VERS. IX.

VVLG. Et sepelierunt eum Isaac & Ismael filii sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron, filii Seor Hetthæi, è regione Mambre.

Sep. Sepelierunt eum in agro Ephron, filii Saar, Chetthæi qui est è regione Mambre agro & spelunca.

Arias. In spelunca duplicitatis, quæ est ante Mambre.

CONCORDIA.

Plura apud 70. reperis, nempe vltima verba, scilicet, *agro & spelunca*, quę nec in Hebræo nec alibi reperies, nec assequor eorum mentem, ad sensum enim versus nihil conducunt.

EXPOSITIO.

Sepelierunt eum, nempe Abrahamum, *Isaac & Ismael*, hi tanquam filii eius præcipui nominantur, credibile enim est etiam filios Cethuræ, audita morte patris sui, ad eum sepeliendum conuenisse, *in spelunca duplici*, quare sic dicta fuerit diximus cap. 23. *quæ sita est in agro Ephron*, id est qui fuit Ephronis *è regione Mambre* id est respiciens vallem Mambre.

CONCE-

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filii de funere parentum maxime sint sollicitì.

62. Sepelierunt eum Ismael & Isaac, nonne sufficiebat dictum fuisse à Moyse quod sepulturæ conditus fuerit Abraham, innominatis qui eum mandassent sepulturæ? non superfluè Ismaelem, & Isaac eum sepelientes nominat, vt denotaret filios parentum funeris maxime sollicitos esse debere, *sepultura enim* (inquit Lipp.) *maiorum pietatis filiorum indicium est & gratitudinis.*

Lippom.

Filii illatæ sibi à Patre iniuriæ non sint memores.

Sepelierunt eum Ismael & Isaac, nonne ille est Ismael, qui cum matre eiectus, qui hæreditatem non accepit paternam, sed solum aliqua munuscula? quomodo igitur illius iniuriæ à Patre illatæ immemor, exit... et ei hoc opus misericordiæ? quia filii obliuione iniurias acceptas à parentibus delere debent, *aduertere* (inquit Oleaster) *Ismaelem iniuriæ sibi illatæ immemorem, cùm opus fuit eum sepelire, licet nosset se cum matre ab eo abiectum, & natu maiorem pulsum hæreditate.*

Oleaster.

Sepultura iustorum sit nobis virtutum eorum ad imitationem memoriale.

63. Sepelierunt eum Isaac & Ismael, tibi sensus historiæ nudus videtur, scilicet quod sepulturæ Abraham conditus fuerit, sed talleris, scatet enim mysterio: quo quæso? scilicet quod huiusmodi viri sepultura sit tibi virtutum eius ad imitationem monumentum: n im fauet Noster Ferus, *sepultura maiorum virtutum suarum memoriale est, quas sedulo sectemur, & non obliuiscamur doctrinarum, nosque morituros semper recordemur.*

Noster Ferus.

Mortuis sepeliendis inuigilemus.

64. Sepelierunt eum Isaac & Ismael, quomodo vir tantæ sanctitatis, & apud omnes tantæ æstimationis, ita vt princeps Dei propter suam virtutem ab Hetthæis diceretur, nunc ita à paucis, nempe à duobus honoratur in funere suo? deciperis equidem, nã licet ipsi duo tanquam præcipui nominentur, non est dubium infinitam prope multitudinem præsentem funeri suo adfuisse: testis est Abul. *multi alii cõuenerunt ad exequias Abrahæ, sed non fit mentio de his, quia Isaac & Ismael erant principales personæ, sic enim ad exequias Saræ tota ciuitas Hebron & vniuersa gens Hetthæorum affuit.*

Abulens.

Bonorum societas alios bonos efficit.

65. Sepelierunt eum Isaac & Ismael filii eius, colligit Honcala ex hoc loco, bonum & iustum fuisse Ismaelem, vnde hoc colligis? dices ex opere misericordiæ ac pietatis erga parẽtem; optime, sed ex quo alio fonte? ex eo quod societatem inierit cum sanctissimo viro fratre suo Isaac, congruè equidem, nam societas bonorum bonos reddit, vnde Isidor. lib. 2. Soliloq. *bona multa habet communis vita sanctorum.*

Isidorus.

Mors sanctorum non deflenda.

66. Sepelierunt eum Isaac & Ismael, miror ne verbum quidem vnum fecisse Moysem de planctu quo mortem Patris sui defleuerunt Ismael & Isaac nec alii, nam plures legimus in obitu suo lachrymis aliorum honoratos, imo ipsemet Abraham vita comite, transitum planxit Saræ suę coniugis, Iacob patrem suum animam exhalasse conspiciens, irruit super faciem eius flens & deosculãs eum, imo legimus quod ipse cum vniuersis fratribus suis, maioribusque natu totius Ægypti, celebrasse exequias ipsius Iacob septem diebus cum fletu magno &c. cur ergo in obitu viri celeberrimi, non funduntur lachrymę? possumus dicere auctoritatem negatiuam non valere, Moyses non dixit planctum factum non fuisse ergo eum filii non luxere, sed cur omisit? vt eo silentio doceremur mortem iustorum, quorum nobis certa est in altero sæculo requies, potius gaudio & spiritali lætitia quàm lachrymis celebrandam esse, vnde piè Steph. Epis. Tornacensis Epist. 196. cuidam Hugoni de morte nepotis viri iusti afflicto scribens ait, *obitum nepotis tui ne plangas, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, quem vt credimus immaculatum corpore, sic & immaculatum mente, non tam ætate recessisse quàm te ad Dominum præcessisse.*

Stephanus Tornacensis.

Minor ætate maiorem natu præcedat si iustior fuerit.

67. Sepelierunt eum Isaac & Ismael, cur præfert Isaacum Ismaeli, cum Ismael sit longe maior natu Isaac? in dubium reuocare non debes Isaac virtute præstantiorem Ismaele: cõsulto igitur Moyses præeminentiam Isaaco concedit, quia minor ætate si iustior fuerit maiorem natu præcedere debet non tamen è contra.

VARIETAS LECTIONVM VERS. X.

VVLG. Quem emerat à filiis Heth, ibi sepultus est ipse & Sara vxor eius.

Sep. Quam acquisiuit Abraham, ibi sepelierunt Abraham & vxorem eius,

Pagn. Agro quem emit à filiis Ceth.

CONCORDIA.

Acquisitio de qua loquuntur 70. facta fuit pecunia, agrum enim hunc in quo erat spelunca, emerat à filiis Heth, & sic idem est hîc acquirere, quàm emere & sic nulla est discordia.

EXPOSITIO.

Quem emit à filiis Heth, id est Hetthæis, si autem arguas quod in præcedenti versu dictum fuerat Abraham hunc agrum emisse ab Hebron filio Seor, dicas hæc eadem esse, Ephron enim Hetthæus erat, quia erat filius Seor Hetthæi, emendo ergo ab eo dicitur emisse ab Hetthæis, licet enim ager ille Ephronis esset, quia tamen Abraham erat alienigena, ille ager omnium Hetthæorum videbatur esse; prout Hetthæi distincti sunt populi ab Hebræis, ex quibus erat Abraham, *ibi sepultus est & uxor eius:* mos enim erat Patriarcharum cum uxoribus sepeliri.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Spes promissionum à Deo implendarum certissima habenda est.

67. Ibi sepultus est ipse, cur in hac terra voluit sepeliri, non autem in Caldæa, cum desiderio feramur sepulturæ maiorum mandari, nondum tibi è memoria excidit, hanc terram in qua erat spelunca duplex, locus sepulturæ Abraham, ei & posteris suis promissam fuisse; in ea igitur vult sepeliri, vt quanta certitudine teneretur, quod illius possessor futurus esset, declararet: sic fere Lipp. *sepultura huiusmodi in Mambre testimonium erat complendarum promissionum de illius terræ possessione, vnde Dei magnalia futura, quasi in vmbilico terræ quaquaversum in Dei gloriam diuulganda erant.*

Lipp.

Vir sicut dignitate, sic & honore mulierem præcedat.

68. *Ibi sepultus est ipse & Sara uxor eius,* si prior sepulturæ mandata fuit Sara quàm Abraham, cur nunc priori loco nominat Moyses quàm illam? deberet enim dicere, ibi sepulta est Sara, & vir eius: recte prius Abrahamum nominat (quamuis vltimo sepultus fuerit), quàm Saram, quia sicut vir dignitate, sic & in aliis mulierem præcedere debet.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI.

Vvlg. Et post obitum illius, benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine viuentis & videntis.

Sep. Factum est autem postquam mortuus est Abraham benedixit Isaac filium eius, & habitauit Isaac apud puteum visionis.

Cald. Et habitauit Isaac iuxta puteum super quo apparuit Angelus vitæ.

Pag. Habitauit Isaac apud puteum viuentis videntis me.

Arias. Et sedit Isaac cum beer lachai roi.

CONCORDIA.

Quod in Hebræo est, *puteum viuentis videntis me,* seu vt habet Arias *cum beer lachairoi*, Septuaginta φρέαρ τῆς ὁράσεως hoc est puteum visionis, Caldaica puteum super quo apparuit Angelus vitæ dixerunt, sed idem est, nam ab Angelo qui ibi apparuit, & vidit Agar, & Ismael, necessitatem, dictus est puteus nomine videntis & visionis.

EXPOSITIO.

Post obitum illius, nempe Abrahæ, *benedixit Deus Isaac*, tam in spiritualibus quàm temporalibus, licet etiam adhuc viuente patre ei benedixerit, & *habitauit iuxta puteum &c.* iuxta quem in solitudine Agar errabat, cum siti premeretur Ismael, cum à domo Abrahæ vterque fuit eiectus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iusti non solùm Deo curæ sunt, sed etiam filii eorum.

69. Post obitum illius benedixit Deus Isaac, ô Deus liberalissime, nonne sufficiebat Abraham tot immensis cumulasse beneficiis, dum viueret? cur igitur post decessum illius, etiam diuinæ tuæ benedictionis dona Isaac filio eius largiris? quia iusti non solum cum degunt in terris magnæ sunt Deo curæ, sed etiam eorum liberi post mortem eorum, *admirabilis est Dei bonitas erga iustos,* inquit Oleaster, *vt non solum illorum dum viuunt curam gerere videatur, sed filiorum & nepotum, vt verificetur illud, & faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me.*

Oleaster.

Benedictio non solùm bona temporalia, sed etiam spiritualia continet.

70. *Post obitum illius benedixit Deus Isaac,* miror sub breuitate præcurrere in quo Deus benedixerit Isaac, desine mirari, nam Dei benedictio non solùm temporalia, sed etiam spiritalia importat, ita Lipp. *Benedicitur igitur Isaac etiam post obitum patris, non solum diuitiis, honore & gloria, sed multo magis fidei ac virtutum omnium charismatibus,* Deus enim suis pauca nescit largiri.

Lippom.

Virtus

Virtus à parentibus amplectenda, vt etiam prosit eorum posteritati.

71. *Post obitum illius benedixit Deus Isaac*, videtur superfluū post obitum Abrahæ, additum fuisse, quod à Deo benedictionem acceperit Isaac, nam si iam sepultus fuerat Patriarcha, certū est quod post mortem illius nouas acceperit à Deo benedictiones filius eius, ne tamen superfluè additum existimes, nã significat tantam fuisse virtutem Abrahæ, vt etiam filio suo profuerit, cùm intuitu illius, Deus ei plurima beneficia contulerit, *docentur*, inquit Oleaster, *parentes colere iustitiam, non solum vt illis bene in vita sit, sed & filiis eorum post mortem suam, nam bona & mala parentum filios & posteros tenere solent.*

Oleaster.

Maxima Dei benedictio orationi vacare.

72. *Habitauit iuxta puteum viuentis*, 70. visionis; si immediate dixerat Moyses Deum Isaac benedixisse, cur aliquos illius benedictionis effectus non numerat? & nō habitasse iuxta puteum? quænam enim est hæc benedictio? nota ex Orig. per hunc puteum visionis, in quo habitabat Isaac, denotari locum orationis cui vacabat assiduè: attentè igitur considera, postquam Moyses ait Deum Isaac benedixisse, addidisse, quod habitauerit iuxta puteum visionis, quia maxima Dei benedictio est orationi vacare: sic ait Orig. *grandis est ista benedictio, vtinam & mihi Deus daret hanc benedictionem vt habitare merear ad puteum visionis, cùm assiduè in scripturis diuinis & in lege Domini meditor, inquirendo, discutiendo, tractando, & ante (quod maximum est) orando Deum qui docet hominem scientiam.*

Orig. hom. 13 in Genes.

Dei memoria semper in nobis vigeat.

73. *Habitauit iuxta puteum viuentis & videntis*; pium Isaac ingenium ostenditur, nimirum quod in eo loco habitationem elegerit, vbi Deus semel atque iterum ipsi Agar apparuit: sed qua de causa hunc locum in quo Deus pluries apparuit aliis prætulit? dices vt ex his quæ ibidem euenerant, fidem suam corroboraret, sed id tibi non displiceat vt semper Dei memoria ante oculos obuersaretur.

Locum pium in quo viuamus anxiè quæramus.

74. *Habitauit iuxta puteum viuentis*, quid refert nostrum habere vtrum remotè, vel proximè ab huiusmodi puteo commoratus fuerit: non dubitas propter Dei apparitionem locum pietati exercendæ idoneū fuisse; merito igitur Moyses prætermittere non debuit, iuxta puteum visionis habitasse, locum enim pium in quo degamus, seligere debemus, quod testatur regius vates Psal. 83. dicens, *elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*, quod exponens Lombard. Episcopus Paris. ait, *ideo in domo Dei malo esse quàm alibi, quia in ea dat misericordiam, qua iustificat postea verit et impremissis præmiis.*

Psal. 83. Lombardus.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XI.

VVLG. Hæ sunt generationes Ismael, filii Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia famula Saræ.

Pag. Et istæ generationes Ismael filii Abraham, quem peperit Agar Ægyptia, ancilla Sarah, ipsi Abraham.

CONCORDIA.

VVlgatus non addidit hæc duo vltima *ipsi Abraham*, quæ tamen sunt in Hebræo, quia phrasis latina elegantior est his non additis.

EXPOSITIO.

HÆ *sunt generationes Ismael*, paulo ante Ismaelis mentionem fecerat, ideo eius genealogiam breuiter exprimit, quosque genuerit declarat & aperit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Honor patri delatus à filio, meretur vt memoria eius non deleatur.

75. *Istæ sunt generationes Ismaelis*, si ad populum Dei nō pertinet Ismael, cur in medium Moyses generationes eius proponit? non tibi excidit è memoria Ismaelem simul conuenisse cum Isaac, vt patris cum honore debito cadauer terræ mandarent: non inconsulto igitur Moyses genealogiam Ismaelis refert, nam honor patri à filio delatus meretur vt memoria eius apud posteros vigeat, mens est nostri Lyr. *quia scriptura fecerat mentionem de honore quem detulit Ismael patri suo, ideo breuiter eius describitur generatio.*

Lyran.

Ancillæ potius dominæ ministrant quàm viro.

76. *Quem peperit ei Agar ancilla Saræ*, cur ancillam Saræ nominat, potius quàm Abrahæ? cùm enim Abraham totius familiæ fuerit Dominus, potius illius esset dicenda quàm suæ coniugis: bene tamen Saræ dicit famulam; quia ancillæ potius dominæ ministrãt quàm patrifamilias, *sicut serui*, inquit Oleaster, *præcipue dominos potius quàm dominas suas colunt & illis ministrant, sic ancillarum est dominas reuereri, oculosque suos in manibus earum habere, ideo dicitur ancilla Saræ potiusquàm Isaac.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septem, deficiensque mortuus est, & appositus ad populum suum.

Sep. Et appositus est ad genus suum.

Pag. Et obiit & mortuus est, & congregatus est ad populos suos.

Caiet. Et finitus est, & mortuus est.

Vatab. Expirauit, & mortuus est.

CONCORDIA.

QVæso consule concordiam versus octaui, nam eadem lectionibus huius versus adhiberi debet, eadem enim est phrasis Hebraica.

EXPOSITIO.

F*Acti sunt anni vitæ Ismaelis* 137. hanc enim cum esset robustissimus attigit ætatem, *deficiensque* senectute grauante, *mortuus est* diem vltimum claudens, vt volunt Iudæi ex dysenteria, *& appositus est ad populum suum*, peculiaris linguæ Hebraicæ phrasis, qua significatur transisse quempiam ex viuentium statu ad mortuorum conditionem, id autem est desiisse viuere, sicut alii ante ipsum mortui sunt, & sic opponi ad populum suum, idem est ac desinere esse de cōgregatione viuentiū, & pertinere ad numerum mortuorum, licet autem sit hic modus loquēdi, propria atque elegās Hebræo linguæ phrasis, tamen istiusmodi locutione velatū & abditū cōtinetur mysterium, vt videbimus in conceptibus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non facile de animæ alicuius condemnatione iudicium ferendum.

82. *Mortuus est & appositus ad populum suum*, nōne cùm sermonem Moyses instituisset de obitu Abrahæ, eodem modo loquendi vsus est, quo significare voluisse diximus animam eius in limbo, æternam expectare fœlicitatem de sua iam salute certissimum; quid igitur? dicemusne etiam Ismaelis animam in huiusmodi sanctorum Patrum limbum delatam fuisse, cum eadem phrasi loquitur Moyses de eius obitu ac de transitu Patriarchæ? & tamen Ismaelis bona non referuntur opera, sed potius aliqua peccata, nam de eo prædictum est per Angelum, futurum hominem ferum, manusque eius contra omnes, quæ verba aliquid mali connotare videntur: nonne de eo dictum voluisse fratrem Isaac inducere ad idololatriam, itemque eum occultè voluisse occidere, vt totius hæreditatis paternæ hæres esset futurus &c? hæc autem sunt delicta grauissima, quorum egisse pœnitentiam non legimus, dicemusne igitur animam illius ad inferos descendisse? minime, de animæ enim alicuius condemnatione non facile iudicandum, præcipue cum plures opinentur salutem adeptum fuisse, plures autem existimant hac phrasi, congregatus est ad populum suum, voluisse significare Moysem in limbum sanctorum Patrum descendisse, æternam expectantem beatitudinem: sic omnes Hebræi quibus plures consentiunt auctores, *dicunt* (inquit Lyranus) *quod decessit in gratia, ex hoc quod subditur appositus est ad populum suum*, *id est*, inquit Abul. *ductus ad limbum Abraha, in quo erat totus populus ciuitatis Dei, qui tunc erat cunctus in expectatione futuræ salutis.*

Lyran. Abulen.

Animæ iustorum ex omnibus mundi partibus in vnum conueniunt locum.

83. *Mortuus est & appositus est ad populum suum*, in Hebræo est ad populos suos, si nondum filii illius, ex quibus diuersi originem traxere populi, dicuntur obiisse, quomodo Moyses asserit ad populos suos Ismaelem post mortem congregatum fuisse? si diximus hac phrasi *congregatus est ad populum suum*, secundum plures significari, quod anima eius iustorum requie in limbo frueretur: cur nō asseremus hac locutione, *congregatus est ad populos suos*, denotatum esse animas iustorum ex pluribus terræ partibus in vnum requiei locum conuenire? (purgatorium non excludo) sic Caiet. *Dixit in numero plurali populos, ad significandum quod ex quibuscumque mundi nationibus iusti simul in alia vita conueniebant, & vndecumque essent conueniebant cum quocumque iusto mortuo aduenience, tanquam populus proprius illius esset.*

Card. Caiet.

Afflictio ad pœnitentiam peccatorū nos inducit.

84. *Appositus est ad populū suum*, si ex hoc Hebraismo deduxere plures viam salutis adeptū fuisse, pœnitentiā ergo delictorum, quæ in primo cōceptu retulimus, egit: sed quomodo homo Ferus cuius manus contra omnes, meliori frugi se dederit, & vitiis vale dixerit? reuoca in memoriam non leuē sensisse afflictionem cùm à domo paterna simul cum matre expulsus fuerit, quid mirum igitur si præteritæ vitæ pœnitentiam egerit? afflictio enim ad eam nos inducit, & ad fœlicitatem adducit: Fauet D. Pacian. in parænesi ad pœnitentiam, *quem horrebant homines (manus enim eius contra eos) Deus recipiebat, ipsa illa malæ tractationis calamitate fœlicem.*

D. Pacian.

Tanta est Dei promissionum certitudo, vt de his quæ adimplenda sunt tanquam si iam adimpleta fuissent fit sermo.

85. *Appositus est ad populum suum*, cum eadem phrasi vtatur Moyses in obitu Patriarchæ, inquit re licet, si Abraham auctor & pater Iudæorum fuit, hi enim maxime gloriantur se talem habuisse parentem, quomodo dicitur quod congregatus fuerit ad populū suum, cùm nondum huiusmodi populus in re-

in rerum natura? sed quæso, nonne Deus Abrahæ pollicitus fuerat quod in gentem magnam futurus esset, & in numerū stellarum multiplicandus? dicamus igitur asseruisse Moysem Patriarcham congregatum fuisse ad populū suum, quamuis adhuc non esset in rerū natura populus, quia tanta est diuinarū Dei promissionum certitudo, vt quamuis adimplendæ sint, tamē de eis tanquam si iam adimpletæ fuissent fit sermo. fauet Procop. *Abrahamus adiunctus est populo, qui nondum erat, ipse siquidem Iudaici populi auctor & Patriarcha agnoscitur; populum igitur ex ipso proditurum, quasi iam existentem Deus ei assignat, idque ob virtutis claritatem qua mirum in modum in hac vita coruscauerat.*

Procop.

Prædestinati tanta certitudine fœlicitatem æternā consequentur, vt iā eā cōsecuti videantur.

86. *Appositus est ad populum suum*, & vt etiam de Abraham dictum est, congregatus est ad populum suū, seu vt est in Hebræo, ad populos suos, si à nobis dictū est ex Procopio per populū suum vel populos animas iustorum populi sui Iudaici, qui nondū erat, intelligendas, quomodo hoc concipi potest? nam ante cum iusti ex populo suo futuri nondum in sanctorum Patrū limbo requie fruebantur, male igitur asserit Moyses congregatū fuisse ad populos suos: imo recte asserit, quia iusti tanta certitudine æternā possidebunt requiem, vt eam iam consecuti videantur, quod obseruat D. Fulgentius lib. 1. ad Moni. cap. 12. qui executionem futuram effectuū prædestinationis ab Apostolo significatam fuisse per verbū præteriti temporis ait, vt indicaret Paulus non minus certos futuros esse effectus prædestinationis, quàm certū sit præteriisse ea quæ iam præterierunt: verba Fulgentii sunt, *dicens Paulus Roman. 8. quia quos Deus iustificauit, illos & glorificauit, non vtrumque præsenti vitæ deputat, sed ea fide quod futurum est velut factum firmat, qua fide Propheta de eo dicit, qui fecit quæ futura sunt, in illa quippe immobilitate consilii sui secundum bonum placitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt in ipso ex æternitate dispositionis suæ in prædestinatione, iam fecit quæcumque effectu operis suis tempore congruo facienda disposuit.*

D. Fulgent.

Rom. 8.

Animæ iustorum veteris testamenti æterna fœlicitate non fruebantur, secus autem in nouo.

87. *Appositus est ad populum suum*, si dictum manet hoc modo loquendi significatum fuisse in gratia Dei obiisse Ismaelem, sed si aliquod dubium esset, minime potest interuenire in Abraham, de quo etiā Moyses asseruit congregatū fuisse ad populū suum, sed cum meritis plenus, & in gratia maiori, quam plures ex nouo testamento ex hac vita migrarit, cur de eo non dicitur, quod obdormiuit in Domino, sicut de iustis noui testamenti asseritur? vt hoc modo loquendi diuerso de iustorum veteris & noui testamenti morte, nobis significaretur Patres ante incarnationem verbi diuini, post mortem ad beatificam Dei visionem admissos non fuisse, quemadmodum sancti post aduentum Christi Domini, obseruatio est Paul. Burgensis, *non modicum attendendum esse videtur quod de nonnullis antiquis noui testamenti cum de hac vita migrauerunt scriptura dicit ipsos congregari ad populum suum, vt hic de Abraham & 35. c. de Isaac & Genes. penult de Iacob, similiter de Moyse, & Aaron in suis locis, nunquam tamen de aliquo eorum dicitur quod obdormiuit in Domino, sicut de quibusdam sanctis noui testamenti vt Actorum 7. de Stephano dicitur, & cum hoc dixisset obdormiuit in Domino, & sic de quibusdam aliis, quod catholicæ veritati valde consonat, secundum quam antiqui iusti ante passionem Christi discedentes in hoc discernebantur ab iniustis, quia iusti congregabantur ad populum suum scilicet ad limbum sanctorum non tamen dormiebant in Domino, cuius facie nondum fruebantur: de iniustis vero dicitur: peribit anima eius &c. vt Sapientiæ 16. & in multis locis, quia talis congregatione sanctorum carebant. De iustis vero post passionem Christi decedentibus proprie dicitur, dormierunt in Domino &c. quia post hanc vitam in Domino per beatam fruitionem requiescunt.*

Paul Burgens.

Actor. 7.

Sapientiæ 16.

Vita peccatorum quamuis longæua, inanis & deficiens, iustorum autem cōsummata & plena.

88. *Deficiensque mortuus est*, sed diuersus est loquēdi modus scripturæ quo tempus vitæ Isaaci describit, sic enim ait, cōpleti sunt dies Isaac, 180. annorū consumptusque ætate mortuus est, & appositus populo suo, senex & plenus dierum, cur diuersa locutione in obitu duorum fratrum vtitur Moyses? nam de Ismaele dicit, *deficiens mortuus est*, de Isaac autem quod completi sunt dies, & quod non deficiēs, sed quod ætate consumptus senex & plenus dierum mortuus est, quid per hoc aliud in hoc diuerso nos docere vult modo scriptura, nisi quod cum in Ismaele peccator, in Isaac iustus significetur, peccatoris tempus est tempus deficiens, tempus vacuum, tempus amissum, tempus quod ad occasum omnium bonorum vergit, at verò tempus iustorum tempus est completum, tempus quod ætatem vitæ tantum consumpsit, sed non animum, & tandem tempus plenum & non vacuum mercede, & præmio, prima pars huius cōceptus est D. Greg. in lib. 5. in c. 15. primi lib. Reg. *tempora quæ in seculi vanitate & fluxa carnis vita consumpsimus, quasi perdita minime memorantur*, en quomodo anni peccatorum vacui & inanes, & quasi pro nihilo æstimati! si autem vrgeas quod etiam Abraham dictus est deficiens mortuus, respondeo me non dixisse Ismaelem peccatorem obiisse, sed eo peccatores designari, tum quod plura adduntur Abraham, nempe quod mortuus fuerit in senectute bona plenus dierum.

S. Gregor.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XVIII.

VVLG. Habitauit autem ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Ægyptum, introeuntibus Assyrios coram cunctis fratribus suis obiit.

Sep. Habitauit autem ab Euilat vsque Sur, quia est ad faciem Ægypti, donec veniatur ad Assirios ad faciem omnium fratrum suorum habitauit.

Cald. Habitauit ab Euila vsque Agara, quæ est è regione Ægypti, pertingens vsque ad Assyrios, è regione omnium fratrum suorum habitauit.

Pag. Et habitauerunt à Chauilah vsque ad Sur, quæ est ante Ægyptum ingrediente te in Assur coram omnibus fratribus suis mortuus est.

Oleast. Super faciem omniū fratrum suorū cecidit.

Lipp. In conspectu omnium fratrum suorū corruit.

Oleast. sic obseruat Oleast. *debent senes vita saturari neque velle in æternum viuere.*

A

Senes viribus corporis deficientes animi virtute roborantur.

45. *Deficiens mortuus est*, D. Hier. in trad. Hebraic. in Genes. existimat male fuisse additum à Septuag. illud verbum *deficiens* quia tanto viro non videtur conuenire vllus defectus, cuius anni non poterant deficere, vt qui in senectute bona, id est perfecta & completa, defunctus sit, sed cum venia tanti doctoris, crediderim illud *deficiens* fuisse positum tanquam fundamentum sequentis elogii, nimirum quod mortuus sit plenus dierum & in bona senectute, id est plenus bonis operibus & virtutibus, quia iusti quanto viribus corporis deficiunt, tanto animi robore proficiunt: ita Ricard. Vict. de diff. sacrificii Abr. & Mariæ, *senectus bona*, inquit, *quando exterior sensus decrescit, interior vero excrescit: senectus bona quando eo ipso interior homo roboratur, quo exterior homo debilitatur.*

Richard. Vict. Psal. 126.

Suauis mors, Dei non exiguum beneficium.

46. *Deficiens mortuus est*, per hoc verbum *deficiens*, suauitas quædam in obitu Abrahæ significatur, cum sine vlla violentia, sed vltro defecerit, vti lucerna consumpto oleo leniter extinguitur, aut denique vt dulci quispiam somno correptus, caput in lectum molliter inclinat. sed quid refert, spiritum exhalare hoc modo vel alio? cùm mors non vitetur, nec vita, qua nihil charius, conseruetur, multum equidem, hoc enim plerosque seruorum suorum Dominus singulari beneficio etiam in hac vita remunerat, iuxta illud, cum dederit dilectis suis somnum, Psal. 126. quæ verba D. Hiero. de vita potius interpretari videtur, *dilecti* (inquit) *sancti sunt qui post somnum præsentis vitæ, hic dormitare videntur, vt in resurrectione ad vitam æternam mereantur peruenire.*

S. Hieron.

Mors iustorum fœlix & ab eis concupita.

47. *Deficiens mortuus in senectute bona, & plenus dierum*, in Hebræo satur, quod nomen explicans Lipp. vt iam dissolui cupierit, & esse cum Domino, verba autem hæc *in senectute bona*, significant ætatem omnibus bonis refertam, & ideo fœlicem, sed quis ita vitæ tædio mouetur, vt dissolutionem suam cupiat? & quis fœlicem (cùm vita sit omnibus charissima) mortem existimare creditur? iustus, cuius mors beata, & ab illo aliquando concupita: audiamus mellifluum Bernard. Ep. 105. *volo te, mortem & si non effugere certe non timere, iustus quippe mortem & si non tanet, tamen non pauet, denique si morte præoccupatus fueris in refrigerio erit, moritur quidem iustus, sed secure, quippe cuius mors præsentis est exitus vitæ, ita melioris est introitus, non solum autem sed & succedit iucunditas de nouitate, & immortalitate securitas, bona proinde mors iusti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem, ô quam pretiosa in conspectu Domini mors sancto um eius, Psal. 115. quod si consi derit mors facien corporis tui, dũ te subinde circumdet lætitia, ô quam beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apocal. 14.*

Bernard.

Psal. 115.

Apocal. 41.

E

Vita iustorum diebus elucescit, noctibus carens.

48. *Deficiens mortuus est plenus dierum*, si tot sunt noctes vitæ hominum, quot dies, cur postquam Moyses dixit Abraham obiisse plenum dierum, non addidit & noctium? quia vita iustorum ita excellens est, & tot virtutibus micat, vt solis diebus constare, noctibus autem carere videatur, disertis verbis hoc à B. Hier. asseritur in Psal. 91. sic dicente, *diligenter attendo in scripturis vbi i. legerim senectutem, primus Abrahā senex dicitur, quoniam senectus ipsius inuncta fuit oleo vberi, scriptum est mortuus est Abraham in senectute bona, omne enim tempus ipsius dies fuerunt, & non nox.*

D. Hieron. Psal. 91.

Senex morum grauitate videri debet sacerdos, sacerdos autem iuuenis, licet senex sapientia.

49. *Deficiens mortuus est in senectute bona*, Oleaster, in canitie bona, de qua loquens cit. Hier. in cap. 3. Isaiæ quæ est illa canities, inquit, haud dubium quin sapientia, Sap. 4. cumque nongentos & eo amplius annos vixerint homines ab Adā vsque ad Abraham nullus alius appellatus est presbyter, id est senex, nisi solus Abraham, qui multo paucioribus annis vixisse conuincitur, sed cur nomen presbyteri cum nomine senis confundit? Hieron. *multi enim sunt qui presbyteratus dignitate non gaudent & tamen senilem ætatem attigere, & è contra multi sunt sacerdotes qui ætatis sunt iuuenilis*? recte tamen Hieron. senes presbyteros dicit, non solum quia pro eodem significato plures presbyteri & senes in sacra pagina dicuntur, sed quia senex, & si gradu, officio & dignitate presbyter non sit, vita tamen & prudentia & morum grauitate talis videri debet: & etiam presbyter debet dici senex, quia sacerdotem etiam non ætate prouectum, decet sapientia & matura quædam vitæ senectus.

B

D. Hieron.

C

Vita quo sanctior, eo diuturnior.

50. *Deficiens mortuus est in senectute bona*, si teste Hieron. plures qui hunc Patriarcham præcesserunt, longiorem vitam adepti sunt, cur præ illis senex dicitur, cum præ illis sit iuuenis? ne dicatur igitur in senectute bona defecisse, sed solum in ætate prouecta obiisse. merito tamen præ illis senex dicitur, quia cum eis iustior fuerit, vita ipsius diuturnior, vita eorum debet censeri, vita enim quo sanctior, eo longior, consulamus Ambr. Ep. 60. de Acholio. dicentem, *vere senectus illa venerabilis quæ non canis sed meritis albescit, ea est enim reuerenda canities, quæ est canities animæ in canis cogitationibus, & operibus effulgens, quæ est enim vera ætas senectutis? nisi vita immaculata, quæ non diebus aut mensibus, sed sæculis propagatur, cuius sine fine est diuturnitas, sine debilitate longæuitas, quo enim diutur nior, eo fortior* (eo quod diutius eam vitam duxerit) *in virum perfectum excrescit.*

D

D. Ambrof.

Vita iustorum plena, peccatorum vacua.

51. *Deficiens mortuus est plenus dierum*, si plenitudo dierum dicit vitæ longæuitatem, plures ante eum peccatores diuturniorem vitam egere, quomodo plenos dierum non lego dictos fuisse? aduerte quod peccatores licet sint ætatis prouectissimæ, quia sola huiusce vitæ bona consectantur, quæ vana, falsa, & nihili sunt, atque (vt S. Greg. Nis. lib. de virg. obseruat) speciem aliquam præbent, vt est videri, sed omnia ex opinionis errore diuersa, se ie nobis ostendunt, spe illudunt, occultant sese specie quadam eorum quæ videntur, aduerte inquam huiusmodi peccatores, vacuos dici debere, cum solis rebus studeant vacuis, iusti autem rebus seriis, vt potè cœlestibus ac diuinis intenti vitam degunt, plenam opibus virtutum, refertam diuitiis meritorum: quid mirum igitur iustum Abraham dictum fuisse plenum dierum in obitu quamuis eo antiquiores tales non

S. Greg. Nis.

F

non dicantur, vita enim iustorum plena est, peccatorum autem inanis, accipe cit. Ambros. *hanc plenitudinem vita iustorum habet, inanes vero sunt dies malorum.*

D. Ambros.

Fœlix filius cui patre meritis pleno frui licuit.

52. *Deficiens mortuus est plenus dierum*, fœlicem prædicamus Abrahamum, qui sine ægritudine, sine violentia, omnibus bonis satiatus, vitam cum morte mutauit, sed an infœlicem dicemus Isaacum, qui talis iacturam fecit parentis? non infœlix est, quia diuinæ conformis voluntati fuit, imo non exiguum fuit ei solatium, quod parente sancto & sui peramante, vsque ad extremam senectutem diebus & meritis & omni fœlicitate, vt hic legimus, pleno ac saturo frui licuit, quod S. Hieron. Ep. 27. de nobili sanctaque fœmina Paula ad consolandum luctum illius scripsit, *non mæremus* inquiens, *quod talem amisimus, sed gratias agimus quod habuimus, imo habemus, Deo enim viuunt omnia.*

S. Hieron.

Tales sunt animæ iustorum vt simul cum Angelis vnum ciuitatis supernæ populum constituant.

53. *Deficiens mortuus est, congregatusque est ad populum suum*, quem populum? licet enim sepultus sit in spelunca duplici, in qua iacebant corpora Adæ, Euæ & Sarræ, hi tres cum populum integrum non constituant, plures enim ad eum personæ desiderantur, quomodo asserit Moyses congregatum fuisse Patriarcham ad populum suum? inspiciamus quid dicat glossa interl. ad populum suum, id est ad Angelos quorum erat conciuis: sed cum Angeli & animæ sint diuersæ speciei, quomodo vnum constituere possunt populum? vnum supernaturaliter equidem, virtutes enim eorum & merita ciuitatem sanctam ædificant, quod testatur D. Aug. lib. quæstionum super Genes. q. 268. *an forte populus est non solum sanctorum hominum, verùm & Angelorum? populus inquam illius ciuitatis quæ d. cælo est Hierusalem, de qua Paul. ad Heb. 12. accessistis inquit ad montem Sion & ad ciuitatem Dei Hierusalem, & ad millia Angelorum exultantium: huic populo apponuntur, qui post hanc vitam placentes Deo fiunt, tunc enim dicuntur apponi, quando iam nulla remanet solicitudo tentationum, & periculum peccatorum*, sed si contra hunc conceptum dicas, nullum iustorum ante Christi aduentum post hanc vitam cœlos ascendisse, & per consequens nec in societatem Angelorum receptum fuisse? respondeas cum Magistro historiæ scholasticæ, sanctum Abrahamum sicut & reliquos Patres iustos aggregatos fuisse societati sanctorum, nõ secundùm rem, sed secundùm spem certissimam omnem excludentem formidinem.

D. August.
Hebr. 12.
Petrus Comest.

Animæ immortalitas designatur.

54. *Deficiens mortuus est, congregatusque est ad populum suum*, hunc populum non dices fuisse patres suos, qui fuerunt in Caldæa, de quorum ipse familia progenitus erat, quippe cum huiusmodi patres derelinquere, & à cognatis suis paternaque domo discedere, diuino fuerit iussus oraculo? non igitur credibile est eum post mortem reductum fuisse ad loca maiorum suorum, præsertim cum constet sepultum fuisse in spelunca duplici iuxta Hebron, vbi nullus de genere suo proximus præter Saram sepultus fuit: quid significat ergo Moyses, cum ait Patriarcham ad populum suum congregatum fuisse? denotat societati iustorum in limbo degentium non secundum corpus, sed secundùm animam tunc coniunctum: sicque animæ immortalitatem significat sed verba Caiet. proponere licet, *congregatus est ad populum suum ad litteram significatur, quod Abraham congregatus est ad societatem iustorum omnium qui antea mortui fuerant, hic porro locus clare demonstrat, immortalitatem animæ, non solum Abrahæ, sed omnium populorum quibus adiunctus est Abraham post hanc vitam: ex hoc igitur loco firmum ducitur argumentum aduersus quorundam hominum imprudentiam & temeritatem, qui audent dicere ne vnum quidem verbum reperiri in libris Moysis de altera vita hominum post mortem.*

Card. Caiet.

Animæ post mortem diuersas secundùm merita sortientur mansiones.

55. *Deficiens mortuus est congregatusque est ad populum suum*, scilicet electorum in limbo requiescentium; sed cùm in populo sint diuersæ familiæ, variisque mansionibus distinguantur, populus ille electorum diuersas sine sortietur, secundum qualitatem vniuscuiusque meriti mansiones? quis dubitet cùm asserat Christus Dominus in domo patris sui diuersas esse mansiones, ita vt anima quæ castitate floruerit, castis associabitur &c. sic teste Hug. Card. Ong. *est quædam familia mitium, cui præest Moyses, quædam patientium, cui præest Iob, quædam continentium, cui præest Daniel, & vnusquisque in morte congregabitur ad familiam suam, mitis cum mitibus, virgo cum virginibus, Leuit 25. vnusquisque redibit ad familiam suam pristinam, quia suauis est, Eccl. 27. volatilia ad sibi similia conueniunt, & veritas ad illos qui illam operantur reuertetur.*

Hugo Card. Ong.
Leuit. 25.
Eccl. 27.

Iusti quasi inanimes circa terrena, solis cœlestibus intenti moriuntur.

56. *Et deficiens mortuus est*, si secundùm Hier. non conuenit Abrahæ deficere & minui, intellige de virtutum amore, quomodo altius perscrutantes huius verbi *deficiens* significationem aliquid in maius encomium Patriarchæ indagare possumus? si dicimus defecisse Abraham, hoc est totum animũ in cœlis habuisse deficientem & inanimem circa terrena, sicque defunctum fuisse, hunc sensum depromamus ex eodem Hier. in cap. 1. Soph. cùm exponit illa verba congregans congregabo à facie terræ, vbi Septuaginta habent, defectione deficient à facie terræ, sic verò habet Hiero. *quod si voluerimus aliquid altius intelligere propter quod dicitur apud Septuaginta defectione deficiat à facie terræ, & defectionem in bonam partem accipere, iuxta illud Genes: deficiens mortuus est in senectute bona, & de his quæ de Isaac & Iacob refert scriptura, videbimus quomodo deficiant defectione à facie terræ, qui habentes conuersationem in cœlis, & in carne non secundum carnem militantes, eo quod sciant illos qui in carne viuunt Deo placere non posse, quando omnia in se omnia agunt, nec sint in carne sed in spiritu & à terra recedentes aiunt conresuscitare & sedere nos fecit in cœlestibus in Christo, deficit quis vt homo, si contemnat humana & non vltra mo. iatur vt homo.*

Hieron.
Sopho. 1.

Mors vitæ regulariter conformis.

57. *Deficiens mortuus est in senectute bona*, cur bonam addidit Moyses, cum postea plenum dierum obiisse asserat? qui autem plenus dierum moritur, in senectute bona requiescit, in dubium reuocare non audes iustissimam optimisque virtutibus illustrem Abrahamum vitam degisse: merito igitur vitæ cur-

riculum morte optima cum ait; *mortuus est in senectute bona*, claudit, quia obitus vitæ nostræ regulariter est conformis: audiamus D. Aug. illud Balaam exponentem Num. 13. moriatur anima mea morte iustorum, sic fatur, *viuite ergo bene, vt non moriamini male, quoniam sicut non potest esse mala mors, quam vita bona præcessit, ita non potest esse bona quam mala vita anticipauit: omittamus nunc miracula Dei, tractemus communem ordinem eius, audierunt impii dicere quoniam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, & pessima sit mors peccatoris, vtinam diceres potius viuat anima mea vita iustorum, quoniam naturali ordine sequitur mors bona vitam immaculatam, & qualis quisque viuit, talis regulariter moritur.*

Num. 13. August.

Iustus moritur mortuus, peccator viuus, viuusque in infernum descendit.

58. *Deficiens mortuus est.* Pagninus obiit mortuus, si obiit, certum est mortuum esse, quomodo igitur legit mortuum obiisse? vt huic satisfaciamus difficultati consulamus alterum locum Apocal. 14. *beati mortui, qui in Domino moriuntur*, nonne dicere deberet, beati viui? nam qui mortuus est, non moritur sed è viuis excessit: sensus certe legitimus est, si dicamus iustũ mortuum mori, quia nullo labore, nulla difficultate è viuis excedit, sed peccator quomodo moritur? viuus equidem, nam viuens vita propriarum passionum, mortuorum numero adscribitur, quoue dolore, quo sensu, qua difficultate? sicque viuens nihilque mortificatus in infernum descendit, iuxta illud, *& descendant in infernum viuentes.*

Apocal. 14.

Ante mortem ne laudaueris.

59. *Deficiens mortuus est in senectute bona*, cur eum solum post mortem bonum prædicat? nonne Deo obedientissimus? nonne eximiæ fidei &c. dum viueret, tunc igitur eum bonum dicere potuit: aduerte bonum significare consummatum, omnibusque suis perfectum & absolutum numeris, ne mireris igitur eum ante mortem, bonum non dixisse, quia solum post mortem quis extollendus, cum tunc sit ab omni periculo liber consummatæque virtutis sic eruditè Ambro. expressit, *vnusquisque quandiu viuit, obnoxius est lapsui, nec senectus immunis à crimine, ideo legis quia Abraham mortuus est in senectute bona, eo quod in bonitate propositi sui permansit, mors igitur vitæ est testimonium, nam si laudari ante gubernator non potest, quàm in portum nauem deduxerit, quomodo laudabis hominem priusquam in stationem mortis secesserit? & ipse sui est gubernator, & ipse vitæ huius iactetur profundo, quandiu in sale isto, tandiu inter naufragia.*

Amb. lib. de bono mortis c. 8.

Mors licet aliquod bonum non sit, bonis tamen optima est.

60. *Deficiens mortuus est in senectute bona*, bonam igitur adeptus est mortem, cùm etiam plenus dierum obiit, sed mors nonne aliquid malum, cùm sit vitæ carentia? quomodo igitur mors Abrahæ & iustorum bona nuncupatur? quia eâ mediâ ad præmium vitæ, gaudium salutis æternæ, perpetuamque lætitiam à labore vitæ præsentis transeunt. *Mors* inquit S. Iuli. Archi. Tolet. lib. 1. Prognost. c. 8. *qua separatur corpus ab anima, est plerumque bonis bona, quia per eam transitur ad immortalitatem futuram, non quia mors aliquod bonum facta est, quæ antea malum fuit, sed tantam Deus fidei præstitit gratiam, vt mors quam constat esse vitæ contrariam, instrumentum fieret per quod migraretur ad vitam.*

S. Iulianus.

Senectus annexam semper habet debilitatem.

61. *Deficiens mortuus est in senectute bona, & plenus dierum*, si plenus dierum, si in bona senectute extremum clausit diem, quis dubitat deficientem mortuum fuisse siue debilem? cur igitur eum defecisse dixit Moyses? vt ostenderet senes non sibi adulari debere de virium præstantia; nã omnibus senibus etiã iustis annexa est debilitas: sic Arnulphus Episc. Lexouiens. Ep. 63. ad Alex. Papam loquens de Londiniensi Episcopo ait, *affectabat omni desiderio ad vestram venire præsentiam idque iam secundo an post et expertus est, sed progressum aliquatenus ætas prouectior personæ grauitas difficultas itineris & senectuti semper cognata debilitas reduxerunt.*

VARIETAS LECTIONVM VERS. IX.

VVLG. Et sepelierunt eum Isaac & Ismael filii sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron, filii Seor Hetthæi, è regione Mambre.

Sep. Sepelierunt eum in agro Ephron, filii Saar, Chetthæi qui est è regione Mambre agro & spelunca.

Arias. In spelunca duplicitatis, quæ est ante Mambre.

CONCORDIA.

PLura apud 70. reperis, nempe vltima verba, scilicet, *agro & spelunca*, quę nec in Hebræo nec alibi reperies, nec assequor eorum mentem, ad sensum enim versus nihil conducunt.

EXPOSITIO.

SEpelierunt eum, nempe Abrahamum, *Isaac & Ismael*, hi tanquam filii eius præcipui nominantur, credibile enim est etiam filios Cethuræ, audita morte patris sui, ad eum sepeliendum conuenisse, *in spelunca duplici*, quare sic dicta fuerit diximus cap. 23. *quæ sita est in agro Ephron*, id est qui fuit Ephronis è *regione Mambre* id est respiciens vallem Mambre.

CONCE-

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filii de funere parentum maxime sint solliciti.

62. *Sepelierunt eum Ismael & Isaac*, nonne sufficiebat dictum fuisse à Moyse quod sepulturæ conditus fuerit Abraham, innominatis qui eum mandassent sepulturæ? non superfluè Ismaelem, & Isaac cum sepelientes nominat, vt denotaret filios parentum funeris maximè sollicitos esse debere, *sepultura enim* (inquit Lipp.) *maiorum pietatis filiorum indicium est & gratitudinis.*

Lippom.

Filii illatæ sibi à Patre iniuriæ non sint memores.

Sepelierunt eum Ismael & Isaac, nonne ille est Ismael, qui cum matre eiectus, qui hæreditatem non accepit paternam, sed solum aliqua munuscula? quomodo igitur illius iniuriæ à Patre illatæ immemor, exhibet ei hoc opus misericordiæ? quia filii obliuione iniurias acceptas à parentibus delere debent, *aduertere* (inquit Oleaster) *Ismaelem iniuriæ sibi illatæ immemorem, cùm opus fuit eum sepelire, licet nosset se cum matre ab eo abiectum, & natu maiorem pulsum hæreditate.*

Oleaster.

Sepultura iustorum sit nobis virtutum eorum ad imitationem memoriale.

63. *Sepelierunt eum Isaac & Ismael*, tibi sensus historiæ nudus videtur, scilicet quod sepulturæ Abraham conditus fuerit, sed falleris, latet enim mysterio: quo quæso? scilicet quod huiusmodi viri sepultura sit tibi virtutum eius ad imitationem monumentum: in hoc fauet Noster Ferus, *sepultura maiorum virtutum suarum memoriale est, quas sedulo sectemur, & non obliuiscamur doctrinarum, nosque morituros semper recordemur.*

Noster Ferus.

Mortuis sepeliendis inuigilemus.

64. *Sepelierunt eum Isaac & Ismael*, quomodo vir tantæ sanctitatis, & apud omnes tantæ æstimationis, ita vt princeps Dei propter suam virtutem ab Hethæis diceretur, nunc ita à paucis, nempe à duobus honoratur in funere suo? deciperis equidem, nã licet ipsi duo tanquam præcipui nominentur, non est dubium infinitam prope multitudinem præsentem funeri suo adfuisse: testis est Abul. *multi alii cõuenerunt ad exequias Abrahæ, sed non fit mentio de his, quia Isaac & Ismael erant principales personæ, sic enim ad exequias Saræ tota ciuitas Hebron & vniuersa gens Hethæorum affuit.*

Abulens.

Bonorum societas alios bonos efficit.

65. *Sepelierunt eum Isaac & Ismael filii eius*, colligit Honcala ex hoc loco, bonum & iustum fuisse Ismaelem, vnde hoc colligis? dices ex opere misericordiæ ac pietatis erga parẽtem; optime, sed ex quo alio fonte? ex eo quod societatem inierit cum sanctissimo viro fratre suo Isaac, congruè equidem, nam societas bonorum bonos reddit, vnde Isidor. lib. 2. Soliloq. *bona multa habet communis vita sanctorum.*

Isidorus.

Mors sanctorum non deflenda.

66. *Sepelierunt eum Isaac & Ismael*, miror ne verbum quidem vnum fecisse Moysem de planctu quo mortem Patris sui defleuerunt Ismael & Isaac nec alii, nam plures legimus in obitu suo lachrymis aliorum honoratos, imo ipsemet Abraham vita comite, transitum planxit Saræ suę coniugis, Iacob patrem suum animam exhalasse conspiciens, irruit super faciem eius flens & deosculãs eum, imo legimus quod ipse cum vniuersis fratribus suis, maioribusque natu totius Ægypti, celebrasse exequias ipsius Iacob septem diebus cum fletu magno &c. cur ergo in obitu viri celeberrimi, non funduntur lachrymę? possumus dicere auctoritatem negatiuam non valere, Moyses non dixit planctum, factum non fuisse ergo eum filii non luxere, sed cur omisit? vt eo silentio doceremur mortem iustorum, quorum nobis certa est in altero sæculo requies, potius gaudio & spiritali lætitia quàm lachrymis celebrandam esse, vnde piè Steph. Episc. Tornacensis Epist. 196. cuidam Hugoni de morte nepotis viri iusti afflicto scribens ait, *obitum nepotis tui ne plangas, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, quem vt credimus immaculatum corpore, sic & immaculatum mente, non iam ætate recessisse quàm te ad Dominum præcessisse.*

Stephanus Tornacensis.

Minor ætate maiorem natu præcedat si iustior fuerit.

67. *Sepelierunt eum Isaac & Ismael*, cur præfert Isaacum Ismaeli, cum Ismael sit longe maior natu Isaac? in dubium reuocare non debes Isaac virtute præstantiorem Ismaele: cõsulto igitur Moyses pręeminentiam Isaaco concedit, quia minor ætate si iustior fuerit maiorem natu præcedere debet non tamen è contra.

VARIETAS LECTIONVM VERS. x.

VVLG. Quem emerat à filiis Heth, ibi sepultus est ipse & Sara vxor eius.

Sep. Quam acquisiuit Abraham, ibi sepelierunt Abraham & vxorem eius.

Pagn. Agro quem emit à filiis Ceth.

CONCORDIA.

Acquisitio de qua loquuntur 70. facta fuit pecunia, agrum enim hunc in quo erat spelunca, emerat à filiis Heth, & sic idem est hic acquirere, quàm emere & sic nulla est discordia.

EXPOSITIO.

Quem emit à filiis Heth, id est Hetthæis, si autem arguas quod in præcedenti versu dictum fuerat Abraham hunc agrum emisse ab Hebron filio Seor, dicas hæc eadem esse, Ephron enim Hetthæus erat, quia erat filius Seor Hetthæi, emendo ergo ab eo dicitur emisse ab Hetthæis, licet enim ager ille Ephronis esset, quia tamen Abraham erat alienigena, ille ager omnium Hetthæorum videbatur esse; prout Hetthæi disthncti sunt populi ab Hebræis, ex quibus erat Abraham, *ibi sepultus est & vxor eius*: mos enim erat Patriarcharum cum vxoribus sepeliri.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Spes promißionum à Deo implendarum certißima habenda est.

67. *Ibi sepultus est ipse*, cur in hac terra voluit sepeliri, non autem in Caldæa, cum desiderio feramur sepulturæ maiorum mandari, nondum tibi è memoria excidit, hanc terram in qua erat spelunca duplex, locus sepulturæ Abraham, ei & posteris suis promissam fuisse; in ea igitur vult sepeliri, vt quanta certitudine teneretur, quod illius possessor futurus esset, declararet: sic fere Lipp. *sepultura huiusmodi in Mambre testimonium erat complendarum promißionum de illius terræ possessione, vnde Dei magnalia futura, quasi in vmbilico terræ quaquaversum in Dei gloriam diuulganda erant.*

Lipp.

Vir sicut dignitate, sic & honore mulierem præcedat.

68. *Ibi sepultus est ipse & Sara vxor eius*, si prior sepulturæ mandata fuit Sara quàm Abraham, cur nunc priori loco nominat Moyses quàm illam? deberet enim dicere, ibi sepulta est Sara, & vir eius: recte prius Abrahamum nominat, (quamuis vltimo sepultus fuerit), quàm Saram, quia sicut vir dignitate, sic & in aliis mulierem præcedere debet.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI.

VVLG. Et post obitum illius, benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine viuentis & videntis.

Sep. Factum est autem postquam mortuus est Abraham benedixit Isaac filium eius, & habitauit Isaac apud puteum visionis.

Cald. Et habitauit Isaac iuxta puteum super quo apparuit Angelus vitæ.

Pag. Habitauit Isaac apud puteum viuentis videntis me.

Arias. Et sedit Isaac cum beer lachai roi.

CONCORDIA.

Quod in Hebræo est, *puteum viuentis videntis me*, seu vt habet Arias *cum beer lachairoi*, Septuaginta φρέαρ τῆς ὁράσεως hoc est puteum visionis, Caldaica puteum super quo apparuit Angelus vitæ dixerunt, sed idem est, nam ab Angelo qui ibi apparuit, & vidit Agar, & Ismael, necessitatem, dictus est puteus nomine videntis & visionis.

EXPOSITIO.

Post obitum illius, nempe Abrahæ, *benedixit Deus Isaac*, tam in spiritualibus quàm temporalibus, licet etiam adhuc viuente patre ei benedixerit, & *habitauit iuxta puteum &c.* iuxta quem in solitudine Agar errabat, cum siti premeretur Ismael, cum à domo Abrahæ vterque fuit eiectus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iusti non solùm Deo curæ sunt, sed etiam filii eorum.

69. *Post obitum illius benedixit Deus Isaac*, ô Deus liberalissime, nonne sufficiebat Abraham tot immensis cumulasse beneficiis, dum viueret? cur igitur post decessum illius, etiam diuinæ tuæ benedictionis dona Isaac filio eius largiris? quia iusti non solum cum degunt in terris magnæ sunt Deo curæ, sed etiam eorum liberi post mortem eorum, *admirabilis est Dei bonitas erga iustos*, inquit Oleaster, *vt non solum illorum dum viuunt curam gerere videatur, sed filiorum & nepotum, vt verificetur illud, & faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me.*

Oleaster.

Benedictio non solùm bona temporalia, sed etiam spiritualia continet.

70. *Post obitum illius benedixit Deus Isaac*, miror sub breuitate præcurrere in quo Deus benedixerit Isaac, desine mirari, nam Dei benedictio non solùm temporalia, sed etiam spiritualia importat, ita Lipp. *Benedicitur igitur Isaac etiam post obitum patris, non solum diuitiis, honore & gloria, sed multo magis fidei ac virtutum omnium charismatibus*, Deus enim suis pauca nescit largiri.

Lippom.

Virtus à parentibus amplectenda, vt etiam prosit eorum posteritati.

71. *Post obitum illius benedixit Deus Isaac*, videtur superfluũ post obitum Abrahæ, additum fuisse, quod à Deo benedictionem acceperit Isaac, nam si iam sepultus fuerat Patriarcha, certũ est quod post mortem illius nouas acceperit à Deo benedictiones filius eius, ne tamen superfluè additum existimes, nã significat tantam fuisse virtutem Abrahæ, vt etiam filio suo profuerit, cùm intuitu illius, Deus ei plurima beneficia contulerit, *docentur*, inquit Oleaster, *parẽtes colere iustitiam, non solum vt illis bene in vita sit, sed & filiis eorum post mortem suam, nam bona & mala parentum filios & posteros tenere solent.*

Oleaster.

Maxima Dei benedictio orationi vacare.

72. *Habitauit iuxta puteum viuentis*, 70. visionis; si immediate dixerat Moyses Deum Isaac benedixisse, cur aliquos illius benedictionis effectus non numerat? & nõ habitasse iuxta puteum? quænam enim est hæc benedictio? nota ex Orig. per hunc puteum visionis, in quo habitabat Isaac, denotari locum orationis cui vacabat assiduè: attentè igitur considera, postquam Moyses ait Deum Isaac benedixisse, addidisse, quod habitauerit iuxta puteum visionis, quia maxima Dei benedictio est orationi vacare: sic ait Orig. *grandis est ista benedictio, vtinam & mihi Deus daret hanc benedictionem vt habitare merear ad puteum visionis, cùm assiduè in scripturis diuinis & in lege Domini meditor, inquirendo, discutiendo, tractando, & ante (quod maximum est) orando Deum qui docet hominem scientiam.*

Orig. hom. 9 in Genes.

Dei memoria semper in nobis vigeat.

73. *Habitauit iuxta puteum viuentis & videntis*; pium Isaac ingenium ostenditur, nimirum quod in eo loco habitationem elegerit, vbi Deus semel atque iterum ipsi Agar apparuit: sed qua de causa hunc locum in quo Deus pluries apparuit aliis prætulit? dices vt ex his quæ ibidem euenerant, fidem suam corroboraret, sed id tibi non displiceat vt semper Dei memoria ante oculos obuersetur.

Locum pium in quo viuamus anxiè quæramus.

74. *Habitauit iuxta puteum viuentis*, quid refert notum habere vtrum remotè, vel proximè ab huiusmodi puteo commoratus fuerit? non dubitas propter Dei apparitionem locum pietati exercendæ idoneũ fuisse; merito igitur Moyses prætermittere non debuit, iuxta puteum visionis habitasse, locum enim pium in quo degamus, seligere debemus, quod testatur regius vates Psal. 83. dicens, *elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*, quod exponens Lombard. Episcopus Paris. ait, *ideo in domo Dei malo esse quàm alibi, quia in ea dat misericordiam, qua iustificat postea veritatem promissi præmii.*

Psal. 83.

Lombardus.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XI.

VVLG. Hæ sunt generationes Ismael, filii Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia famula Saræ.

Pag. Et istæ generationes Ismael filii Abraham, quem peperit Agar Ægyptia, ancilla Sarah, ipsi Abraham.

CONCORDIA.

Vulgatus non addidit hæc duo vltima *ipsi Abraham*, quæ tamen sunt in Hebræo, quia phrasis latina elegantior est his non additis.

EXPOSITIO.

HÆ *sunt generationes Ismael*, paulo ante Ismaelis mentionem fecerat, ideo eius genealogiam breuiter exprimit, quosque genuerit declarat & aperit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Honor patri delatus à filio, meretur vt memoria eius non deleatur.

75. ISta *sunt generationes Ismaelis*, si ad populum Dei nõ pertinet Ismael, cur in medium Moyses generationes eius proponit? non tibi excidit è memoria Ismaelem simul conuenisse cum Isaac, vt patris cum honore debito cadauer terræ mandarent: non inconsulto igitur Moyses genealogiam Ismaelis refert, nam honor patri à filio delatus meretur vt memoria eius apud posteros vigeat, mens est nostri Lyr. *quia scriptura fecerat mentionem de honore quem detulit Ismael patri suo, ideo breuiter eius describitur generatio.*

Lyran.

Ancillæ potius dominæ ministrant quàm viro.

76. *Quem peperit ei Agar ancilla Saræ*, cur ancillam Saræ nominat, potius quàm Abrahæ? cùm enim Abraham totius familiæ fuerit Dominus, potius illius esset dicenda quàm suæ coniugis: bene tamen Saræ dicit famulam, quia ancillæ potius dominæ ministrãt quàm patrifamilias, *sicut serui*, inquit Oleaster, *præcipue dominos potius quàm dominas suas colunt & illis ministrant, sic ancillarum est dominas reuereri, oculosque suos in manibus earum habere, ideo dicitur ancilla Saræ potiusquàm Isaac.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIII.

VVLG. Et hæc nomina filiorum eius, in vocabulis & in generationibus suis, primogenitus Ismaelis Nabaioth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabsam.

Sep. Et hæc sunt nomina filiorum Ismael secundum nomina generationum eius.

Pag. Per nomina sua per generationes suas.

Cald. Per nomina sua sub generationibus suis.

CONCORDIA.

QVid sibi velit hæc locutio, *hæc sunt nomina filiorum eius, in vocabulis, in generationibus suis*, non satis distincte apparet, cur enim additum est in vocabulis in generationibus suis, cùm ii soli nominentur quos ille genuit, non etiam qui ab ipsis geniti sunt, nisi forte quia nationes ex illis propagatæ eorum nominibus appellentur, quod clarius significatum est in aliis lectionibus, secundum nomina generationum eius.

EXPOSITIO.

HÆc *nomina filiorum eius*, nẽpe Ismaelis *in vocabulis suis*, filii enim Ismael varias gentes constituentes, diuerso vsi sunt idiomate, *& in generationibus suis*, non enim vnum populum, sicut filii Iacob, sed varios effecerunt, *primogenitus Nabajot*, à quo dicta est Arabia Nabathæa quàm Geographi duplicem assignant, alteram circa oppidum Chesbon, alteram circa fœlicem Arabiam, Nabathæa autem quæ à Nabaioth dicta, pars Arabiæ est, ab Euphrate vsque ad mare rubrum Cedar, à quo Arabes Ezech 26. qui fere omnes armentorum & pecudum pastores, vt plurimum morantur in campis sub tentoriis, iuxta illud Cant. 1. sicut tabernacula Cedar, hi Cedareni qui modo Saraceni dicuntur.

Ezech. 16.
Cant. 1.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus promissa sua adimplet punctuatim.

77. HÆc *nomina filiorum Ismaelis*, qui numero duodecim fuere, cùm Dei populo non fuere coniuncti huiusmodi Ismaelitæ imo illi aduersarii, cur illorum nomina, imo cur eorum numerus recensetur? quid enim scire refert, vtrum duodecim vel vndecim fuere? reuoca in memoriam Deum Abrahæ promisisse ex eo duodecim duces processuros: optime igitur & non superfluè filiorum duodecim Ismaelis recẽset Moyses, vt sciremus quæ Deus pollicetur, punctuatim adimplere.

Quod animale est spiritali præponitur.

78. *Hæc sunt nomina filiorum Ismaelis*, &c. si dignitate præcellit Isaac Ismaelem, qua de causa priorem locum non obtinet enumeratio generationum Isaac? aduerte Ismaelis generationem denotare eos qui sunt carnales, & Isaac generationem, spiritui deditos: quo posito rectè Moyses Ismaelis genealogiam potiusquam Isaaci numerat, quia quod animale est, prius est quam spiritale, *notandum*, inquit Orig. *quod hi populi ante filios Israel computantur, qui cum sint de semine Abrahæ, non tamen computantur in semine, quia prius est quod animale, & deinde quod spirituale, vnde post computationem carnalium, ponitur genealogia Isaac de qua facta est promissio, & electorum propaganda successio.*

Orig.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIV. & XV.

VVLG. Masma quoque, & Duma, & Massa,

In Hebræo. Mismah, Dumah, & Massa, 70. Masse.

VVLG. Hadar, & Thema, & Iethur, & Naphis, & Cedma.

Sep. Et Choddan, & Thema, &c.

Cald. Adad, &c.

CONCORDIA.

Hadar, Choddan, & Adad, omnino differre videntur, quoad appellationes, non autem quoad personas.

EXPOSITIO.

Isai. 21.

DVma, Isai. 21. mentio fit, onus Duma ad me clamat è Seir, vnde prope Seir hi habitarunt, vbi & Idumæi, *Thema* ab hoc Theman ciuitas ad meridiem in Idumæa, de qua erat Eliman Thebanites amicus Iob. Cedma à quo nominatur Cethuna regio, quæ est ad orientem, quas autem alii Ismaelis filii regiones coluere, incertum est.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Impii præ iustis in hoc sæculo cum prosperitate multiplicantur.

79. Masma & Duma &c. quomodo Ismaelis duodecim filii nominantur, antequam ne vnus quidem ex Isaac recenseatur? imo non solum nominantur, sed omnes geniti sunt antequam vnum suscepisset Isaacus, diximus Ismaelem peccatores denotare: ne miremur igitur tot filios Ismaelem habuisse antequam vnum suscepisset Isaac, impii enim in hoc sæculo communiter præ iustis crescunt, augentur, & bonis temporalibus & cum prosperitate multiplicantur, sed *hæreditas*, inquit Sapiens prouer. 20. *ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit*, & Dauid Psal. 36. *vidi impium superexaltatum, sicut cedros libani, transiui & ecce non erat.*

Prouerb. 20. Psal. 36.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XVI.

VVLG. Isti sunt filii Ismaelis, & hæc nomina per castella, & oppida, eorum duodecim principes tribuum suarum.

Sep. Hæc nomina eorum in tabernaculis eorum, & in mansionibus eorum, duodecim principes secundum gentes eorum.

Cald. Hæc nomina eorum in villis suis, & in ciuitatibus suis, duodecim principes per nationes eorum.

Pag. Ista nomina eorum per villas, & per palatia sua, duodecim principes per familias suas.

Oleast. Nomina eorum per atria sua, aut per prata & per ordines suos.

Cant. Hæc nomina eorum in curiis suis, & in palatiis suis.

Arias. In oppidis suis, & in palatiis.

CONCORDIA.

VBi legimus per castella & oppida eorum, Hebraicè habemus בחצריהם ובטירתם Bechazrehem vbtirotham, significat autem Hazerim, siue Hazerot, atria, sed ponuntur etiam pro villa, oppido, castello, tiroth autem habitationem vel palatium denotat, & dicunt esse propriè castra vel magna ædificia, potest ergo verti locus, in villis seu oppidis suis, & in palatiis vel in mansionibus, difficultas autem est in concordia versionis Oleastri cum aliis, sed si Chater quod ab aliis villa, & ab Hebræis Atrium vertitur, consideremus, significat Atrium sub dio, in quo sunt herbæ, & quandoque est circundatum muro, vel vallo, quia Chasir herbam significat 1. Reg. 18. si forte inueniatur Chasir, id est herba aut pratum virens, vnde optime etiam verti potest, per atria aut per prata sua; cum enim hi fuere Arabes, morantur per prata seu campos, vbi copiã herbarum pro pecoribus alendis inueniunt, tirath quod alii palatium dixere, Oleaster dicit sumi à tur quod ordinem dicit, quasi sensus esset, hi filii Ismael in campis sua tentoria ordinate disposuere, quemadmodum domus in ciuitatibus ordinantur.

1. Reg. 18.

EXPOSITIO.

ISti sunt filii Ismael, nempe qui antea nominati fuere, *& hæc nomina per castella & oppida eorum*, id est huiusmodi villæ seu castella & alia huiusmodi dicta sunt vel appellata sunt eorum nominibus, *duodecim principes tribuum suarum*, id est hi duodecim filii diuersarum gentium auctores & capita fuere, quamuis autem filiæ Ismaelis non numerentur, certum est eas habuisse, nam cap. 28. huius libri dicitur, quod Esau duxit in vxorem Mahelet, filiam Ismaelis sororem Nabaioth.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Cognatio eadem non infert eandem virtutem.

80 ISti sunt filii Ismael, &c. quorum posteros scimus fuisse idololatras, Isaaci autem viri Dei cultores: nonne omnes cognationes vinculo tenebantur, cùm ab eodem Abraham patre, Isaac & Ismael, originem ducerent? quomodo igitur diuersis animi studiis distracti, varium amplexati sunt cultum religionis? quia eadem cognatio, imo eadem fraternitas eundem non infert virtutis amorem aut studium: fauere videtur Lipp. cùm ait, *Ismaelis filii fuerunt populi magni & nobiles, quorum cum Israele cognatio amicitiam fouere debuerat, & eiusdem parentes fidem & opera certatim sectari, pariter æquumeras, amborum sobolem:* adde & tamen minime sectati sunt.

Lippom.

Carnales vacant generationi, non autem virtuti.

81. Isti sunt filii Ismael, scilicet duodecim principes diuersarum gentium, quomodo Isaac cui Deus benedictionem copiosissimam largitus est, ita paucos suscepit filios, scilicet Iacob & Esau, Ismael autem tantam filiorum multitudinem: diximus Ismaelem carnales homines denotare: ne miremur igitur tantos procreasse filios, Isaac autem paucos, quia Isaac totus spiritualis & contemplatiuus, parum vacabat generationi, nam illi sufficiebat habere hæredem vnum aut duos, Ismael verò carnalis, nihil aliud nisi generationem cogitabat.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septem, deficiensque mortuus est, & appositus ad populum suum.

Sep. Et appositus est ad genus suum.

Pag. Et obiit & mortuus est, & congregatus est ad populos suos.

Caiet. Et finitus est, & mortuus est.

Vatab. Expirauit, & mortuus est.

CONCORDIA.

QVæso consule concordiam versus octaui, nam eadem lectionibus huius versus adhiberi debet, eadem enim est phrasis Hebraica.

EXPOSITIO.

F*Acti sunt anni vitæ Ismaelis* 137. hanc enim cum esset robustissimus attigit ætatem, *deficiensque* senectute grauante, *mortuus est* diem vltimum claudens, vt volunt Iudæi ex dysenteria, *& appositus est ad populum suum*, peculiaris linguæ Hebraicæ phrasis, qua significatur transisse quempiam ex viuentium statu ad mortuorum conditionem, id autem est desiisse viuere, sicut alii ante ipsum mortui sunt, & sic opponi ad populum suum, idem est ac desinere esse de cōgregatione viuentiū, & pertinere ad numerum mortuorum, licet autem sit hic modus loquēdi, propria atque elegās Hebræo linguæ phrasis, tamen istiusmodi locutione velatū & abditū cōtinetur mysterium, vt videbimus in conceptibus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non facile de animæ alicuius condemnatione iudicium ferendum.

82. *Mortuus est & appositus ad populum suum*, nōne cùm sermonem Moyses instituisset de obitu Abrahæ, eodem modo loquendi vsus est, quo significare voluisse diximus animam eius in limbo, æternam expectare fœlicitatem de sua iam salute certissimum; quid igitur? dicemusne etiam Ismaelis animam in huiusmodi sanctorum Patrum limbum delatam fuisse, cum eadem phrasi loquitur Moyses de eius obitu ac de transitu Patriarchæ? & tamen Ismaelis bona non referuntur opera, sed potius aliqua peccata, nam de eo prædictum est per Angelum, futurum hominem ferum, manusque eius contra omnes, quæ verba aliquid mali connotare videntur: nonne de eo dictum voluisse fratrem Isaac inducere ad idololatriam, itemque eum occultè voluisse occidere, vt totius hæreditatis paternæ hæres esset futurus &c? hæc autem sunt delicta grauissima, quorum egisse pœnitentiam non legimus, dicemusne igitur animam illius ad inferos descendisse? minime, de animæ enim alicuius condemnatione non facile iudicandum, præcipue cum plures opinentur salutem adeptum fuisse, plures autem existimant hac phrasi, congregatus est ad populum suum, voluisse significare Moysem in limbum sanctorum Patrum descendisse, æternam expectantem beatitudinem: sic omnes Hebræi quibus plures consentiunt anctores, *dicunt* (inquit Lyranus) *quod decessit in gratia, ex hoc quod subditur appositus est ad populum suum, id est*, inquit Abul. *ductus ad limbum Abrahæ, in quo erat totus populus ciuitatis Dei, qui tunc erat cunctis in expectatione futuræ salutis.*

Lyran. Abulen.

Animæ iustorum ex omnibus mundi partibus in vnum conueniunt locum.

83. *Mortuus est & appositus est ad populum suum*, in Hebræo est ad populos suos, si nondum filii illius, ex quibus diuersi originem traxere populi, dicuntur obiisse, quomodo Moyses asserit ad populos suos Ismaelem post mortem congregatum fuisse? si diximus hac phrasi *congregatus est ad populum suum*, secundum plures significari, quod anima eius iustorum requie in limbo frueretur: cur nō asseremus hac locutione, *congregatus est ad populos suos*, denotatum esse animas iustorum ex pluribus terræ partibus in vnum requiei locum conuenire? (purgatorium non excludo) sic Caiet. *Dixit in numero plurali populos, ad significandum quod ex quibuscumque mundi nationibus iusti simul in alia vita conueniebant, & vndecumque essent conueniebant cum quocumque iusto mortuo aduenienti, tanquam populus proprius illius esset.*

Card. Caiet.

Afflictio ad pœnitentiam peccatorū nos inducit.

84. *Appositus est ad populū suum*, si ex hoc Hebraismo deduxere plures viam salutis adeptū fuisse, pœnitentiā ergo delictorum quæ in primo cōceptu retulimus, egit: sed quomodo homo Ferus cuius manus contra omnes, meliori frugi se dederit, & vitiis vale dixerit? reuoca in memoriam non leuē sensisse afflictionem cùm à domo paterna simul cum matre expulsus fuerit. quid mirum igitur si præteritæ vitæ pœnitentiam egerit? afflictio enim ad eam nos inducit, & ad fœlicitatem adducit: Fauet D. Pacian. in parænesi ad pœnitentiam, *quem horrebant homines (manus enim eius contra eos) Deus recipiebat, ipsa illa malæ tractationis calamitate fœlicem.*

D. Pacian.

Tanta est Dei promissionum certitudo, vt de his quæ adimplenda sunt tanquam si iam adimpleta fuissent fit sermo.

85. *Appositus est ad populum suum*, cum eadem phrasi vtatur Moyses in obitu Patriarchæ, inquirere licet, si Abraham auctor & pater Iudæorum fuit, hi enim maxime gloriantur se talem habuisse parentem, quomodo dicitur quod congregatus fuerit ad populū suum, cùm nondum huiusmodi populus in re-

in rerum natura? sed quæso, nonne Deus Abrahæ pollicitus fuerat quod in gentem magnam futurus esset, & in numerū stellarum multiplicandus? dicamus igitur asseruisse Moysem Patriarcham congregatum fuisse ad populū suum, quamuis adhuc non esset in rerū natura populus, quia tanta est diuinarū Dei promissionum certitudo, vt quamuis adimplendæ sint, tamē de eis tanquam si iam adimpletæ fuissent fit sermo. fauet Procop. *Abrahamus adiunctus est populo, qui nondum erat, ipse siquidem Iudaici populi auctor & Patriarcha agnoscitur, populum igitur ex ipso proditurum, quasi iam existentem Deus ei assignat, idque ob virtutis claritatem qua mirum in modum in hac vita coruscauerat.*

Procop.

Prædestinati tanta certitudine fœlicitatem æternā consequentur, vt iā eā cōsecuti videantur.

86. *Appositus est ad populum suum*, & vt etiam de Abraham dictum est, congregatus est ad populum suū, seu vt est in Hebræo, ad populos suos, si à nobis dictū est ex Procopio per populū suum vel populos animas iustorum populi sui Iudaici, qui nondū erat, intelligendas, quomodo hoc concipi potest? nam ante cum iusti ex populo suo futuri nondum in sanctorum Patrū limbo requie fruebantur, male igitur asserit Moyses congregatū fuisse ad populos suos: imo recte asserit, quia iusti tanta certitudine æternā possidebunt requiem, vt eam iam consecuti videantur, quod obseruat D. Fulgentius lib. 1. ad Moni. cap. 12. qui executionem futuram effectuū prædestinationis ab Apostolo significatam fuisse per verbū præteriti temporis ait, vt indicaret Paulus non minus certos futuros esse effectus prædestinationis, quàm certū sit præteriisse ea quæ iam præterierunt; verba Fulgentii sunt, *dicens Paulus Roman. 8. quia quos Deus iustificauit, illos & glorificauit, non vtrumque præsenti vitæ deputat, sed ea fide quod futurum est velut factum firmat, qua fide Propheta de eo dicit, qui fecit quæ futura sunt, in illa quippe immobilitate consilii sui secundum bonum placitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt in ipso ex æternitate dispositionis suæ in prædestinatione, iam fecit quæcumque effectu operis suis tempore congruo facienda disposuit.*

D. Fulgent.

Rom. 8.

Animæ iustorum veteris testamenti æterna fœlicitate non fruebantur, secus autem in nouo.

87. *Appositus est ad populum suum*, si dictum manet hoc modo loquendi significatum fuisse in gratia Dei obiisse Ismaelem, sed si aliquod dubium esset, minime potest interuenire in Abraham, de quo etiā Moyses asseruit congregatū fuisse ad populū suum, sed cum meritis plenus, & in gratia maiori, quam plures ex nouo testamento ex hac vita migrarit, cur de eo non dicitur, quod obdormiuit in Domino, sicut de iustis noui testamenti asseritur? vt hoc modo loquendi diuerso de iustorum veteris & noui testamenti morte, nobis significaretur Patres ante incarnationem verbi diuini, post mortem ad beatificam Dei visionem admissos non fuisse, quemadmodum sancti post aduentum Christi Domini, obseruatio est Paul. Burgensis; *non modicum attendendum esse videtur quod de nonnullis antiquis noui testamenti cum de hac vita migrauerunt, scriptura dicit ipsos congregari ad populum suum, vt hic de Abraham & 35. c. de Isaac & Genes. penult de Iacob, similiter de Moyse, & Aaron in suis locis, nunquam tamen de aliquo eorum dicitur quod obdormiuit in Domino, sicut de quibusdam sanctis noui testamenti vt Actorum 7. de Stephano dicitur, & cum hoc dixisset obdormiuit in Domino, & sic de quibusdam aliis, quod catholicæ veritati valde consonat, secundum quam antiqui iusti ante passionem Christi discedentes in hoc discernebantur ab iniustis, quia iusti congregabantur ad populum suum scilicet ad limbum sanctorum non tamen dormiebant in Domino, cuius facie nondum fruebantur: de iniustis vero dicitur: peribit anima eius &c. vt Sapientiæ 16. & in multis locis, quia tali congregatione sanctorum carebant. De iustis vero post passionem Christi decedentibus proprie dicitur, dormierunt in Domino &c. quia post hanc vitam in Domino per beatam fruitionem requiescunt.*

Paul Burgens.

Actor. 7.

Sapientiæ 16.

Vita peccatorum quamuis longæua, inanis & deficiens, iustorum autem cōsummata & plena.

88. *Deficiensque mortuus est*, sed diuersus est loquēdi modus scripturæ quo tempus vitæ Isaaci describit, sic enim ait, cōpleti sunt dies Isaac, 180. annorū consumptusque ætate mortuus est, & appositus populo suo, senex & plenus dierum, cur diuersa locutione in obitu duorum fratrum vtitur Moyses? nam de Ismaele dicit, *deficiens mortuus est*, de Isaac autem quod completi sunt dies, & quod non deficiēs, sed quod ætate consumptus senex & plenus dierum mortuus est, quid per hoc aliud in hoc diuerso nos docere vult modo scriptura, nisi quod cum in Ismaele peccator, in Isaac iustus significetur, peccatoris tempus est tempus deficiens, tempus vacuum, tempus amissum, tempus quod ad occasum omnium bonorum vergit, at verò tempus iustorum tempus est completum, tempus quod ætatem vitæ tantum consumpsit, sed non animum, & tandem tempus plenum & non vacuum mercede, & præmio, prima pars huius cōceptus est D. Greg. in lib. 5. in c. 15. primi lib. Reg. *tempora quæ in sæculi vanitate & fluxa carnis vita consumpsimus, quasi per dita minime memorantur*, en quomodo anni peccatorum vacui & inanes, & quasi pro nihilo æstimati! si autem vrgeas quod etiam Abraham dictus est deficiens mortuus, respondeo me non dixisse Ismaelem peccatorem obiisse, sed eo peccatores designari, tum quod plura adduntur Abraham, nempe quod mortuus fuerit in senectute bona plenus dierum.

S. Gregor.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XVIII.

VVLG. Habitauit autem ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Ægyptum, introeuntibus Assyrios coram cunctis fratribus suis obiit.

Sep. Habitauit autem ab Euilat vsque Sur, quia est ad faciem Ægypti, donec veniatur ad Assirios ad faciem omnium fratrum suorum habitauit.

Cald. Habitauit ab Euila vsque Agara, quæ est è regione Ægypti, pertingens vsque ad Assyrios, è regione omnium fratrum suorum habitauit.

Pag. Et habitauerunt à Chauilah vsque ad Sur, quæ est ante Ægyptum ingrediente te in Assur coram omnibus fratribus suis mortuus est.

Oleast. Super faciem omniū fratrum suorū cecidit.

Lipp. In conspectu omnium fratrum suorū corruit.

CONCORDIA.

Hebraica lectio sic habet וישכנו Vaiſcinu & habitauerunt, licet in ſingulari numero vulgatus habeat & *habitauit*, ſed Heb. de omnibus filiis Iſmaelis loquitur, vulgatus autem de ſolo Iſmaele, vel de omnibus filiis eius congregatim, ita vt ſit ſenſus multitudo filiorum Iſmaelis habitauit, &c. legimus ab Heuila vſque Sur, at Caldæus vſque Agar, quia ſub alio nomine ſcilicet Syriaco nominatur Agara ab Agar matre Iſmaelis. extrema verſus huius ſcilicet, *coram fratribus ſuis obiit*, difficiliora ſunt, nam Caldæus & 70. legunt habitauit, & Hebraiſantes cecidit, ſic autem eſt in Hebræo על פני כל-אחיו נפל Al pene colechaf naphal & noſter vulgatus mortuus eſt, dicamus tamen in Caldæo non eſſe Naphal ſed שרא quod manere ſiue habitare ſignificat, cum quo conſenſere Septuaginta: alii autem qui verterunt, cecidit, ideo eſt quia exiſtimant hoc non de morte Iſmaelis intelligendum eſſe, cum ſuperiori verſu dictum fuerit, quod deficiens mortuus ſit, ſed de ſorte vel portione quæ ei contigit, ita vt ſit ſenſus, ſors terræ illi è regione Iſmaelitarum fratrum ſuorum obtigit.

EXPOSITIO.

Habitauit ab Heuila vſque Sur, id eſt Iſmael & poſteritas eius, terras illas incoluit ab India, quæ ab Euilat nepote Noemi vocata eſt Euila, vſque ad ſolitudinem quæ eſt inter Cades & Barad, quæ ſolitudo Sur appellatur, & extenditur vſque ad mare rubrum & Ægypti confinia, quæ ſcilicet ſolitudo, *reſpicit Ægyptum, introeuntibus*, ſcilicet per iter illud, *coram cunctis fratribus ſuis mortuus eſt*, varie hoc exponitur, nempe vel quod primus ex omnibus fratribus ſuis animam exhalauerit, vel in manibus filiorum ſuorum occubuerit, præſentibus liberis, & nullo prorſus morte perempto, fratres autem pro filiis appellari Iacob, quoque ad Laban demonſtrat, dicēs quod eſt peccatum meum &c. ponatur coram fratribus meis, & fratribus tuis, & diiudicent inter nos, nec enim poſſumus credere quod ſcriptura cōmemorat, quod Iacob exceptis liberis ſecum aliquos fratres habuerit, ita Hiero.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Fratris nomen dulciſſimum.

89. *Coram cunctis fratribus ſuis mortuus eſt*, diximus ex mente Hiero. per fratres hic filios intelligi, ſed qua de cauſa ſub nomine fratrum filios intelligit: nonne nomen filii excellentius fratris appellatione? excellēs quidē nomen filii, ſed ſuauiſſima, amabilis & dulciſſima fratris appellatio, illa ætate extitit, cum ea etiam filius, quo parentibus nihil & propinquius & charius, nominari conſueuit.

Fratres inuicem ſibi auxilia ferunt.

90. *Coram cunctis fratribus mortuus eſt*, ſi fratres varie diſperſi erant, quomodo ait aut cur conuenerunt audita Iſmaelis infirmitate? dyſēteriæ enim morbo laborabat, quia frater impigre accedere debet, vt fratri aliqua neceſſitate laboranti præſtet auxilium, non diſſentit. Abul. *fratres ſui omnes venerunt ad mortem ſuam, vt eum honorarent addè & iuuarēt, & ibi eis præſentibus mortuus eſt.*

Abul.

Deus punit corpus & animam ſaluat.

91. *Coram cunctis fratribus ſuis mortuus*, in gratia ſecundum probabiliorem ſententiam, ſed nonne ille eſt Iſmael, qui eiectus exul per ſolitudinem cum matre errabundus vagabatur? quippe in periculum adductus ex nimiæ ſitis ardore, eum propter quædam quæ in Iſaac commiſerat, Deo puniente, quomodo igitur nunc dicimus in gratia Dei obiiſſe? quia diuina bonitas corpus in hoc ſæculo punire ſolet, vt animam in alio, præmio donet ſempiterno, quod quidem in Anania & Saphira ſubito peremptis factum ita conſiderat D. Dami. Apologi. c. 3. *illi quidem vt pote rudes & ad fidem paulo ante adducti, necdum forſaſſe ad plenum Euangelica præcepta didicerant, necdum ſacri nouæ doctrinæ codices ad publicum in commune proceſſerant, attamen qui in ipſo fidei tyrocinio quodammodo ſimpliciter peccauerunt, diſtricto quidem ſed pro iudicio ſolo, vt credimus, ſunt corporis morte mulctati.*

Petrus Damian.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIX.

VVL G. Hæ quoque ſunt generationes Iſaac filii Abraham, Abraham genuit Iſaac.

Heb. Et iſtæ ſunt generationes.

EXPOSITIO.

Hæ ſunt generationes, hîc incipit Iſaaci multiplicatio, quæ præcipue intenditur, *Iſaac filii Abrahæ*, dicitur filius Abrahæ, quia licet alios habuerit liberos, tamen non ita ſpecialiter erant ei ſicut Iſaac, quod in eo Dei promiſſiones erant adimplendæ, vt patet cùm dicitur, in Iſaac vocabitur tibi ſemen, dicuntur tamen generationes, quia duos filios habuit, licet vnico conceptu.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus à nobis erroris suspicionem amouet.

92. HÆ *sunt generationes Isaac filii Abraham*, nonne notum erat omnibus Isaac Patriarchæ filiũ esse? superfluè igitur additum est, *filius Abrahæ*, aduerte aliquos suspicari potuisse, propter nimiam Abrahæ senectutem, Isaac ab eo non fuisse susceptum, sed regem Abimelech cum Sara dormisse, & ex ea suscepisse: prudenter igitur additum est à Moyse, quod Isaac erat filius Abrahæ vt erroris suspicionẽ amoueret, sic Hebr. teste Abul. *dicũt*, inquit, *Iudæi quod vocatur hic Isaac filiʰ Abrahæ, quia valde fuit similis, & hoc Deus fecit ad tollendam suspicionem, aliqui enim suspicabantur Abraham quia senex erat non potuisses generare, sed quod aliquis concubuerit cum Sara in domo Abimelech in Gerara, & inde genitus fuisse, magna autem similitudo Isaac ad Abraham tulit istam præsumptionem.*

Abulens.

Non solum Deus erroris suspicionem minuit, sed eam omnino tollit.

93. *Istæ sunt generationes Isaac filii Abrahã, Abraham genuit Isaac*, si Isaacum dixerat filium Abrahæ Moyses, omnino superfluè additum videtur, quod subiungit Abraham genuit Isaac, si enim filius eius est, certo certius est ab eo genitum fuisse: aduerte aliquem existimare potuisse Isaac filium quidem Abrahæ fuisse, sed adoptiuum & non naturalem: vt igitur erroris suspicio omnino adimatur, rectè dixit non solum Isaac filium Abrahæ, sed Abraham illius progenitorem fuisse.

Filius patris iusti dicendus qui ei in virtute similis est.

94. *Hæ sunt generationes Isaac filii Abraham*, cur Abrahæ filium nominat Isaac, cum Cethuræ filios, quamuis etiam essent Abrahæ, illius non dixit esse liberos? in dubium renocare non debes omnium virtutum genus coluisse Isaac, secus autem filios Cethuræ: merito igitur dicitur Isaac filius Abrahæ, nõ autem alii, quia qui similis est Patri in virtute, filius eius vere dicendus est: fauere videtur Chrysost. *sicut videmus Patriarchæ virtutem in omnibus relucentem aque, & quæ de Isaac dicta sunt hodie in medium afferentes videamus, quomodo & ipse piam & religiosam mentem præ omnibus ipse tulerit.*

S. Chrysost.

Peccatores obliuioni tradendi, cùm de iustis sermonem habere tot se offerant occasiones.

95. *Hæ autem sunt generationes Isaac*, cur annumerata generatione filiorũ Ismaelis, initium ducit generationis Isaac, ab hac particula hæ? nam aliud exordium habere potuit, dicens Abraham genuit Isaac, Isaac autem Iacob, & Esau, ne tibi displiceat, si dicamus emphasim habere articulũ hæ: quasi dicat Moyses, quid opus est impiorum generationes describere, cùm præsto sit generatio iustorum? huc verte oculos, hæc linea sanctos tibi ostendet.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XX.

VVLG. Qui cùm quadraginta esset annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri, de Mesopotamia, sororem Laban.

Pagn. Et erat Ischah quadragenarius, quando accepit Ribchah filiam Bethuel, Aramati de Padam Aram, sororem Labam, Aram ei sibi in vxorem.

CONCORDIA.

HViusmodi lectiones inter se differre videntur, nam Vulgata habet de Mesopotamia, Hebræa autem minimè, sed מפדן ארם Mipadan Aram, tamen nulla est dissentio, quia Syria diuiditur in duas partes, scilicet in Syriam Soba, & in Syriam Nechorim, quæ huic copulabatur, quando dicitur de Padam Aram, id est Syriæ, perinde ac si diceretur, de Mesopotamia quæ Syriæ Soba confinis est, & Syrorum lingua ita dicitur, hoc est plana vel campestris Syria, vnde rectissimè vertit interpres, filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia.

EXPOSITIO.

QVi cùm *quadraginta esset annorum*, cur ætatem illius referat Moyses in conceptibus aperiemus, *duxit vxorem Rebeccam*, ex quo liquet, triennio post mortem Saræ factum esse hoc matrimonium, nam Sara nonagenaria genuit Isaac Genes. 21. & mortua centesimo vigesimo quinto ætatis suæ anno Genes. vigesimo tertio, id est anno ætatis Isaac trigesimo septimo, *filiam Bathuelis*, diximus in præcedenti capite quis esset, *Syri de Mesopotamia*, vide concordiam lectionum, *Sororem Laban*, quæ nominatur, vt sciamus eam fuisse, de cuius filiabus vxores accepit postea Iacob.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iuuenes maxime castos decet esse.

96. *CVm esset quadraginta annorum duxit vxorem*, cur ætatem illius obseruat Moyses? sufficiebat enim dixisse, quod vxorem duxerat: vt continentiam iuuenis Isaaci mirarentur & imitarētur alii, qui in tam feruida & ad libidinem ætate procliui ad quadragesimum vsque annum virginalem continentiā pure conseruauit: non enim fas est putare sanctissimum iuuenem vllam illicitæ voluptati operam dedisse ante coniugium: *in hoc paret*, inquit Abulens. *Isaac continentia quia non festinauit ducere vxorem in parua ætate, vt carnis illecebris frueretur.*

Abulens.

Vxores ætate matura ducendæ.

97. *Cùm esset 40. annorum duxit vxorem*, quis non mirabitur iuuenem fortissimū, ante hanc ætatē matrimonio non fuisse coniunctum? ratio admirationis est, quia pater illius fere ætatis decrepitæ erat, & ideo vt suscitaret illius semen, antea vxorem ducere debuerat: falleris, quia matrimonia non decet esse præcocia, sed matura ætate conficienda, vnde optimè Oleaster, *non possum non taxare inquit nostri temporis homines, qui filios suos vix annorū 20. vxoribus coniungunt, qui non solum domum suam regere nesciunt, sed neque seipsos, propter hoc filios immaturos gignunt, & ante maturum tempus senescunt.*

Oleaster.

Non decet filios ilico mortuis parentibus vxores ducere.

98. *Cum esset quadraginta annorum duxit vxorem*, & vt diximus, tribus annis elapsis post Saræ obitum, cur cum matrem è viuis discessisse conspexerit, ilico vxorem non duxit? timens ne etiam Abraham ea longæuior moreretur, sicque connubio suo neuter parens præsens adesset: non inconsulto distulit aliquot post obitum charæ parentis annos, vxorem ducere, non enim decet filios illico mortuis parentibus matrimoniū inire, ne ex eorum obitu, nullo dolore correpti videātur & nullo amore eos prosecuti.

Virginitatis thesaurum custodire ne dicas impossibile.

99. *Cùm esset quadraginta annorum duxit vxorem*, superfluè hîc à Moyse obseruatam illius ætatem esse existimo, quid enim ad historicæ veritatis narrationem refert cognitum habere vtrum hos attigerit annos vel plures? imo ad virtutem amplectendam hoc scire expedit, si enim vsque ad annos quadraginta in qua ætate maiores sunt carnis pruritus, virginitatem illæsam & incontaminatam custodiuit, cur vsque ad reliquum vitæ tempus in quo non sunt tot carnis irritamenta, eandem seruare dicemus impossibile? audiamus Thom. Anglic. *nota quod qui quadraginta annis in virginitate vixerat, satis patet quod de facili residuum tempus sine concubitu transegisset, nisi Deus & ratio illius temporis aliud suasisset.*

Tho. Angl.

Vxor prolis vel adiutorii causa ducenda.

100. *Cum esset quadraginta annorum duxit vxorem*, cur si vsque ad hanc ætatem vitam transegisti castè, & cum virgineo pudore, cur matrimonium contrahis? incontinentiæ vel impudicitiæ argueris: non defuere heretici, nempe Vualdenses, qui nubere prohiberent sub obtentu vanæ religionis, arguētesq; effrœnatæ libidinis, qui nuptias appeterent: sed ne incontinentem dicamus Isaacum vxorem ducentem, ducitur enim prolis vel adiutorii etiam gratia, *tribus de causis*, inquit Ebrardus cap. 7. contra cit. hæret, *vxor ducitur, primo causa prolis, de qua Genes. 1. benedixit eis dicens crescite & multiplicamini, secunda causa adiutorii, vt in Genesi, non est bonum hominem esse solum faciamus ei adiutorium simile sibi, tertio causa incontinentia vnde Apostolus* ? qui se non continet, nubat 1. Corinth. 7 Matt. 19.

Ebrardus.

1. Corint. 7. Matth. 19.

Tribulatio patientiam operatur.

Cùm esset 40. annorum duxit vxorem Rebeccam de Mesopotamia, cur obseruatur, quod venit à Mesopotamia? quid enim refert, si aliunde adducta fuerit? aduerte ex pluribus Rebeccam interpretari patientiam, Mesopotamiam autem medium aquarū, aquas autem tribulationes denotare, nemini dubium est: rectè ergo Rebecca de Mesopotamia venit, quia ex tribulatione in iustis patientia oritur, ad Rom. 5. *scientes quod tribulatio patientiam operatur, in tribulatione enim*, addit. Primas. *apparet patientia, fide augetur, optant fideles aliquid pati pro nomine Domini vt acquirant de tribulatione finienda præmia sine fine mansura.*

Rom. 5. Primasius.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXI.

VVLG. Deprecatusque est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.

Sep. Rogauit Dominum Isaac &c. & concepit in vtero Rebecca vxor eius.

Cald. Orauitque Isaac coram Domino pro vxore sua, quoniam sterilis erat & suscepit Dominus orationem eius, & concepit Rebecca vxor eius.

Pag. Et complacuit ei Dominus, & concepit Rebchah vxor eius.

Caiet. Et multiplicauit Isaac Iehoua è regione vxoris suæ, eo quod esset sterilis, & fuit exoratus ei Iehoua, & dedit conceptum Rebeccæ.

Oleast. Et multiplicauit Isaac Domino contra vxorem suam, quoniam eradicata ipsa & exoratus ei.

Arias. Et exorabilis ei fuit Dominus.

CONCORDIA.

CONCORDIA.

Verbum עתר Hatar quod plures vertere, orauit, rogauit, vel deprecatus est, etiam significat multiplicare, siue verba siue preces, siue quodcumque aliud, vnde fit quod satis aptè alii dixere & multiplicauit, hac versione intelligentes, quod preces pluries iterauerit ad obtinendam fœcunditatem Rebeccæ. dictio נכח Nochah, quam omisit noster interpres, in multis scripturæ locis, significat contra vel è regione: sensus igitur eorum qui verterunt multiplicauit è regione vxoris, vel contra vxorem, erit quod preces ad Deũ fudit: eradicatam dixit Oleast. quia erat sine filiis, qui sunt radices parentum, hæc verba autem exaudiuit eũ complacuit ei Deus, vel exorabilis ei fuit, eundem prorsus sensum habent.

EXPOSITIO.

Deprecatus est Dominum, cùm enim annorum viginti spatio, cum Rebecca cohabitasset, ex ea non suscipiens liberos, vt fœcunditatem ei largiri dignaretur, coram eo preces fudit, & licet de Rebecca non dixerit Moyses Dominum deprecatam, facile tamen subintelligitur, quod etiam preces fuderit *qui exaudiuit eum*, satisfaciens nempe vtriusque votis & desideriis, tandem enim concepit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

De nullo temere iudicandum, nec peccatis alicuius tribuendum quod ignoramus.

101. *Deprecatus est Dominum pro vxore sua sterili*, ii steriles à Deo maledictæ dicuntur, & earum peccatis tribuitur infœcunditas; dices non exigua Rebeccam admisisse crimina, quæ tot annorum spatio sterilis & infœcunda permansit, sed ne temere iudices, nec temere illius peccatis tribuas quod in diuinam refundendum prouidentiam, hauriamus hanc doctrinam ex D. Chrysostom. Hom. 49. *vnum hoc in primis operaprecium, vt quaramus quare cum & ipsa & vir eius vita fuerint eximia, & ambo continentiæ studiosi, sterilis fuit? non possumus carpere eorum vitam, & dicere quod sterilitatem illam peccata fuerint operata: & vt discas rem miram, non solum ipsa sterilis fuit, sed & mater iusti Sarra: neque mater eius sola sed & nurus, Rachel vxor Iacob quid sibi vult ille sterilium chorus? omnes iusti, omnes virtute prædíti, omnes à Deo testimonium habentes, nam de ipsis dicebat, ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, beatus autem Paulus, ideo non confunditur Deus vt inuocetur eorum Deus, multa ipsorum laudes in nouo, multa in veteri, vndique clari & nobiles, & omnes steriles habuerunt vxores, multoque tempore caruerunt liberis: quando igitur videris virum & mulierem virtute deditos, carereque pueris: quando videris pios & religionis studiosos non habere liberos: ne tribuas hoc peccatis, multi enim diuinæ dispensationis sermones nobis sunt arcani, & pro omnibus gratias agere oportet, & solos illos miseros dicere, qui in peccato viuunt, non eos quibus filii desunt, quippe sæpe numero multa Deus vtiliter dispensat, quorum, nos causam nescimus, eapropter vndequaque sapientiam eius admirari oportet, ac glorificare ineffabilem misericordiam.*

S. Chrysost.

Exod. 4.
Hebr. 11.

Precibus obtinendum quod Deus prædestinauit.

102. *Deprecatus est Dominum pro vxore eo quod esset sterilis*, si futura proles à Deo promissa Abrahæ, omnino igitur futura erat, si quidem Deus est fidelis in promissis suis, & impossibile est Deum mentiri, cur igitur Isaac gnarus diuinæ illius promissionis, tantopere sollicitus & anxius & quasi dubius de futura prole? non tanquam dubius, sed tanquã prudentissimus Deum deprecatur pro prole suscipienda, licet Deus ei futuram promisisset, precibus enim obtinendum quod Deus prędestinauit, non enim Deus prædestinat aliquid in intentione sine orationum præuisione, in executione enim sine precibus non vult id nos consequi, quod confirmari potest ex l. 1. Dialog. D. Greg. Magni cap. 8. *notandum*, inquit, *quod obtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerunt, sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur, nam ipsa quoque cœlestis regni prædestinatio, ita est ab omnipotente Deo disposita, vt ad hanc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula donare disposuerat, Abrahæ namque Dominus ait, in Isaac vocabitur tibi semen, cui etiam dixerat, patrem multarum gentium constituit te, & rursum, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris, ex qua re aperte constat, quod omnipotens Deus semen Abrahæ per Isaac multiplicari prædestinauerat. & tamen scriptum est; deprecatus est Dominum Isaac pro vxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit cõceptũ Rebeccæ, si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur sterilem accepit? sed nimirum constat, quia prædestinatio precibus impletur quando is in quo Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, oratione obtinuit, vt filios habere potuisset.*

D. Greg. Mag.

Oratio debet esse diuturna.

103. *Deprecatus est Dominum pro vxore sua*, quot annorum spatio in oratione permansit vt finem suum assequeretur? ait D. Chrysost. quod annos viginti in precibus fundendis consumpsit, cur ô Deus liberalissime, fidelem seruum pro fœcunditate Rebeccæ cito non admisisti? cur tot annos exaudire distulisti? vt disceremus orationem, non qualemcũque esse debere, sed diuturnam & perseuerantem, subscribit D. Chrys. Hom. 49. in Genes. *non statim*, inquit, *exauditus est, nec assecutus quod optabat, sed viginti annos perseuerauit orans & deprecans Deũ, & tũc deniq; assecutus est quod desiderabat. si enim 40. annorũ erat cum duxit Rebeccam, 60. vero quando illa peperit, manifestum est quod viginti annis perseuerauit orãs Deũ & sic vterũ Rebeccæ inhabilem generationi, fecit idoneũ.*

S. Chrysostom.

Plus tibi prodest aliquando aliorum oratio quàm propria.

104. *Deprecatus est Dominum pro vxore & exauditus est:* certum est etiam pro fœcunditate obtinenda Rebeccã coram Deo preces fudisse, cur ergo nõ ait Moyses, ipsam à Deo exauditam fuisse, sed solum ipsum Isaacum? fortè ad innuendum quod nobis plus prosunt aliquando preces aliorum quàm propriæ, mens est Oleastri, *aduerte plus tibi prodesse alienas orationes quàm tuas, vnde mos exoleuit, vt instos pro nobis orare precemur.*

Oleaster.

Propter Christum Dominum genus Hebræorum ex diuina gratia propagatur.

105. *Deprecatus est Dominum pro vxore sua sterili,* si Deus statuerat nasci Iacob ex Rebecca, cur tamdiu illa sterilis permansit? scio sic respondentem D. Theodot. q. 29. volens Deus, inquit componere genus Israeliticum, ostendit illud non naturali successione, sed gratia & fauore multiplicandum, sterilitas igitur debuit interuenire, vt Dei potentia & misericordia ostenderetur, ad illustriorem Hebrææ gentis gloriam, quæ licet non tam à natura quam à Dei gratia propagari censeretur, sed cur hoc fauore populum ingratum prosequitur? non propter ipsum equidem sed propter Christum secundùm carnem ex eo nasciturum, ita cit. D. Theodor. *hanc prouidentiam adeptum est genus illud, quia Christus vnigenitus Dei filius inde secundùm carnem nasci debebat.*

S. Theodor.

Steriles pariunt vt Virginem parere credamus.

106. *Deprecatus est Dominum pro vxore sterili, & exaudiuit eum,* non mirarer si solum Rebecca sterilis peperisset, sed Saram vulua iam emortua concepisse scio, imo etiam pulcherrimam Rachelem infœcundam, tandem ex Dei dono liberos habuisse, non ignoro, qua de causa Deus populum, qui ad instar syderum & arenæ maris erat multiplicandus, ex sterilibus ortum habere voluit & originem ducere? sine dubio vt cùm videris virginem Christum parientem, ne sis incredulus, & exerceas tuos sensus in vulua sterilium, vt cùm videris ligatam & emortuã diuina virtute ad procreationem aperiri, inde copiosis argumentis acceptis, non admireris audiens quod virgo peperit, imo admirare & obstupesce, sed ne sis incredulus. Fauet D. Amb. l. de Isaac c. 1. *sterilis peperit, inquit vt crederemus quod potẽs est Deus facere vt possit virgo generare.*

S. Ambros.

Coniuges simul orationi inuigilent.

107. *Deprecatus est Dominum pro vxore sterili,* in Hebræo est è regione vxoris suæ, siue vt alii legũt, vxore præsente, nonne conuenientius fuisset vt solus Deum deprecaretur? in hoc enim Christi consilium fidelibus datum præueniret, dicentis, clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, cur igitur coram vxore orationem effundit? aduerte quod etiam simul illa deprecabatur coram eo, cur vterque ab inuicem separatus orationi non indulget? quia optimi coniuges pia quadam æmulatione in studium orandi se se prouocantes ante Deum procumbere debent.

Lippom.

Dei beneficio & liberi dantur & negantur.

108. *Deprecatus est Dominum pro vxore sterili & exauditus est,* concepit enim Rebecca, si summa pietate & summo cultu Deum venerabatur Rebecca, cur sterilem, & liberis orbatam tot annos degere Deus voluit? si dixeris vituperandam non esse sterilitatem, & in pœnam peccati non ei contigisse, cur igitur ei concessit liberos tantarum precum intuitu, & sterilem & infœcundam esse voluit sine vllis illius demeritis? vt ex illius beneficio, & liberos dari & negari cognosceremus, & sterilitatem & fœcunditatem non exiguum illius donum esse: prima pars est D. Hildebert. Epist. 66. *cæterum multis coniugibus sterilitas carnis, animæ quæstus est non dispendium, gloria non confusio, beneficium non flagitium,* secunda pars probatione non indiget.

Hildebert.

Iustus alteri non præferendus, quia eum in aliquo virtutis exercitio superat.

109. *Deprecatus est Dominum pro vxore sterili,* cur tot tempora in oratione consumis, pro fœcunditate cõiugi obtinenda? si eam non consequeris, aliam ducas vxorem, exemplo patris tui Abraham, qui propter sterilitatem Saræ, Agar duxit, vt ex ea prolem susciperet, dices in hoc Isaac amantissimum castitatis & pudicitiæ, certissimamque spem & fiduciam habuisse se non cariturum prole, confirmatum maximè matris suæ exemplo, quæ præter sterilitatem, etiam senio grauata nihilominus tamen Dei munere prolem genuerat. si igitur amantissimus fuit Isaac castitatis, in hoc quod vxorem non acceperit præter Rebeccam, & si monogamia præstabilior videtur esse polygamia, Abraham autem vir fuerit plurium vxorum, Isaac autem vnius, dices Isaac præferendum esse in sanctitate patri suo Abraham: minimè, nam virtutis & sanctimoniæ præstantia nõ ex vna perfectione desumenda est, sed ex pluribus, quæ in excellentiori gradu in Abraham inueniuntur quam in Isaac, audias D. Aug. l. 16. de Dei ciuit. c. 36. ea de re præclare differentem, *non ideo præferre Isaac debemus Abrahæ, quia ille nullam fœminam præter vnam coniugem nouit, erant enim proculdubio Abrahæ fides & obedientiæ merita potiora quàm Isaac, in tantum, vt propter Abraham dixerit Deus se benefacturum ipsi Isaac Genes. 26. ex quo licet intelligere, quã castè Abraham fecerit, quod hominibus impudicis, & nequitiæ suæ patrocinia de sacra scriptura requirentibus videtur fecisse libidinosè, deinde etiam hoc nouerimus nõ ex bonis singulis, inter se homines comparari debere. sed in vnoquoque consideranda esse vniuersa, fieri enim potest vt habeat aliquid in vita & moribus, quispiam quo superet alium, idque sit longè præstabilius, quam est illud vnde ab alio superatur, ac per hoc sano veroque iudicio quod cõtinentia coniugio præferatur, melior tamen est homo fidelis coniugatus quàm continens infidelis, sed constituamus ambos fideles & bonos etiam, sic profectò melior est coniugatus fidelissimus & obedientissimus Dei, quàm continens minoris fidei minorisque obedientiæ, si vero paria sint cætera, continentem coniugato præferre quis ambigat?*

S. August.

Genes. 26.

Orationis maxima est efficacia præ naturæ virtute.

110. *Deprecatus est pro vxore sterili & exaudiuit eum,* si vterque adhuc iuuenis, & Rebecca speciosissima, quomodo natura in ea minimè viget, nec potens est generationi idoneam reddere, in tot annorum curriculo, preces autem id assecutę sunt? quia orationis maior est efficacia, & virtus quam ipsius naturæ, *vterum,* inquit D. Chrysost. *Rebeccę habilem generationi orans Isaac idoneum reddidit,* vides orationis vim quod & naturam ipsam superat?

S. Chrysost.

Oratio pluries iteranda.

111. *Deprecatus est Dominum pro vxore sterili,* in Hebræo est, multiplicauit Isaac Domino, quid o Moyses, multiplicauit Isaac coram Domino? sine dubio preces, cur toties Deum precum iteratione interpellat,

lat, cùm oratio sit efficacissima, & dixerit David *cum inuocarem exaudiuit me Deus:* quasi diceret nondum in necessitatibus meis Deum deprecatus sum, & mihi subuenientem sentio, nihilominus rectè multiplicat Isaac coram Deo preces, quia pluries oratio iteranda, nec de Dei bonitate & misericordia diffidendum, audiamus D. Cyrill. Alex. citatum capite 11. vers. 8 Luc. in cat. 65. Græcorum patrum, *assiduus precationi insistas, accede ad bonum Deum, & quidem frequenter, & si videris differri gratiæ largitionem, ne putes idcirco te frustratum expectationibus tuis, neque propositam spem deponas, insulse aliquid istiusmodi animo pertractans: en sæpe numero iam accessi, lachrymatus sum, obtestatus sum nec exauditus sum: nã nihil eorum quæ petii vnquam hactenus consequutus sum, sed illud potius tecum cogita, vniuersorum Dominum, qui supra nos est, quid è re nostra sit probe nosse: adde te ea frequenter petere, quæ modulum tuum excedunt, nouit autem qui dat largitioni tempus oportunum, nobis igitur orationi impigre incumbendum, in eaque constanter perseuerandum, etiam petitionibus iteratis, quid enim citra sudorem obtingit, vel ex parato subministratur, id vt non contemnatur, certe minoris plerumque fit.*

D. Cyrill. Alex. in catena Græcorum Patrum super caput 11. vers. 8 Lucæ.

Materia orationis afflictio.

113. *Deprecatus est Dominum*, in Hebræo multiplicauit, siue vt habet Vatab. iterauit, qui toties alium interpellat, illi molestus censetur esse, iuxta illud parabolæ Lucæ 11. vers. 5. vbi Christus ait, quis vestrũ habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet, amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit ad me de via, & non habeo quod ponam ante illum, & ille deintus respondens dicat, noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, certum est autẽ quod hæc parabola quomodo orationi apud Deum insistendum, docet: quomodo igitur Deus cui preces fundebantur, dicit molestum sibi esse, qui deprecabatur? iteratis ergo precibus tuis ô Isaac Deo molestiam inferes, ab eis ergo abstine: animaduerte non exigua affectum afflictione, liberis orbatum Isaac: pluries igitur iteret preces, & multiplicet, oratio enim Deo importuna & molesta nõ est, cum materia illius est, afflictio, *quomodo*, inquit Orig. cit. in illa cat. in Lucam, *dicens noli mihi molestus esse, non quod petitiones precesque nostræ vnquam Deo molestæ accidant, quo iescunque laboribus, difficultatibusque grauati, eas saluatori exhibemus, quia ipse fert infirmitates nostras & dolores nostros portat.*

Luc. 11.

Origenes.

Coniuges adinuicem precibus se adiuuent.

114. *Deprecatus est Dominum pro vxore sterili*, cum non dubitaret Isaac se prolem habiturum, saltem ex alia vxore, cum sciret impedimentum generationis ex sua sterilitate non prouenire, quia ex promissione facta parenti suo Abraham, certo certius tenebat futurum semen non sibi defuturum: cur ipse pro sterilitate coniugis suæ amouenda deprecatur, non autem Rebecca sterilis quæ exploratam & compertam habebat suam infœcunditatem: merito Isaac quamuis non sterilis pro vxore Deum deprecatur, coniugis enim precibus adinuicem debent sibi subuenire, *admonentur*, inquit Hieronym. ab Oleast. *pro se inuicem Dominum deprecari.*

Oleaster.

Filii sancti precibus obtinendi.

115. *Deprecatus est Dominum pro vxore sterili*, nescio qua de causa, cùm Deus statuerit Isaacum, patrem futurum, precibus tamen sobolem obtinere voluerit, inspice quem filium habere deberet, Iacob, virum pium, & iustum, ne mireris ergo Deum precibus Isaac talem filium dare voluisse, liberi enim sancti & iusti orationibus tribuuntur, fauet Lipp. *filii*, inquit, *sancti non nisi precibus & fide à Domino impetrantur.*

Matt. 6.

Deus à nobis exigit gratitudinem.

116. *Deprecatus est Dominum pro vxore sterili*, cur fœcundam seruo tuo fideli coniugem non præparasti, cum te disponente vxorem acceperit? aduerte quæso quod si fœcundam habuisset, ex qua plures suscepisset filios, in naturam non in Deum hoc beneficium potuisset refundere: Deus ergo illi sterilem præparat, vt cum ab ea filios habuerit, gratias immortales ei referat, seque ab eo hoc accepisse beneficium agnoscat: Fauet Rupert. lib. 7. in Gen. c. 3. *quia donum Dei erat, vt in semine Abrahæ omnes gentes benedicerentur, decebat sic ad dandum extendi manum Dei, vt ad cognoscendum non dormitaret ingratitudo hominis.*

Rupert.

Licet Deus aliquod beneficium conferat nobis, vult etiam illud à nobis esse.

117. *Deprecatus est Dominum pro vxore sterili & exaudiuit eum*, cur hoc medio, nempe precibus filios eum consequi voluisti? cur hoc ei beneficium non contulisti, independenter ab oratione? quia Deus cum aliquod nobis donum largitur, vult etiam à nobis vel cooperantibus vel postulantibus esse, quod confirmat D. Chrys. Hom. in Matt. inquirenti cur Deus non dimisit ei, qui centum talentis tenebatur obstrictus, nisi id ab eo humiliter dimitti postulasset, respondet: *vt donum non modo suum sed etiam petitionis illius videretur esse.*

S. Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXII.

VLG. Sed collidebantur in vtero paruuli eius, quæ ait, si sic mihi futurum erat, quid mihi necesse fuit concipere? perrexitque, vt consuleret Dominum.

Sep. Exultabant autem infantes in ea, dixit autem, si sic mihi futurum est vt quid mihi hoc? iuit autem interrogare à Domino.

Cald. Et abiit vt quæreret oraculum à facie Domini.

Pag. Et collidebant se filii in vtero eius, & dixit, si ita vt quid ego? & iuit ad interrogandum Dominum.

Chrysostom. Postquam Deus exaudiuit orationem iusti, & vterum gessit Rebecca collidebant pueri in eo, & magno eam dolore affecerunt, dixit, si sic mihi futurum, cur hoc &c.

D. Hieron. Sed ludebant siue calcitrabant in vtero pueri.

Symmach. Colluctabant siue fluctuabant in

similitudinem nauis in superficiem ferebantur.
Aquila. Constringebantur filii in vtero.
Alias. & collidebant se filii in interiori eius.
Aug. Et gestiebant.
Alia paraph. Cald. abiit vt peteret doctrinam à facie Domini.
Parap. Hierosol. Abiit vt peteret misericordiam à Domino in domo vbi concionabatur Sem.

CONCORDIA.

HEbræus codex sic habet ויתרצצו Vaitrotsesu à radice רצץ Ratsas, quod in ampla significatione confringere, conquassare, conterere denotat, tamen peritiores in Hebræo asserunt quod significat quassare, non omnino tamen vt confringatur, est enim discrimen, inter ratsas & שבר Sabar, quod ratsas est quidem non pœnitus frangere & contere re, at Sabar est prorsus confringere, id colligitur apertè ex quadragesimo secundo Isaiæ, vbi vertimus calamum quassatum, non confringere, ratsuclo isboor, hinc fit varietas lectionum, vt calcitrabant, colluctabant, constringebantur, qui autem dixerunt ludebant, vel exultabant, inde est, quod in Græco est ἐσκίρτων quod etiam hanc habet significationem ludendi, gestiendi, &c. si autem D. Chrysostom. addidit, & magno dolore eam affecerunt, inde euenit quod motus puerorum quicumque fuerit erat ei molestissimus, hanc orationem mutilatam, quæ est in Hebręo, si ita vt quid ego? integram addidit paraphrasis Hierosolomi ideo hunc paraphrasticè sic locum explicat, quia existimat cum pluribus Hebræis perrexisse ad consulendum hunc seruum Dei, nempe Sem quem arbitrabatur Prophetam & tunc adhuc in viuis degere.

EXPOSITIO.

SEd collidebantur pueri in vtero eius, non omnino certus est motus commotionis, an scilicet esset motus tanquam currentium contra se inuicem, an in modum pugnantium, an in similitudinem inuicē se collidentium? certum tamen eum motum qualiscumque fuerit grauissimum fuisse & molestissimum matri, motus autem ille pręter modum & ordinem naturæ fuit, *si sic mihi fu urum erat, quid mihi necesse fuit concipere?* timuit aborsum, & in partu periclitari, ex tali enim geminorum collisione in vtero, mulieres grauidæ in hæc incidunt pericula, ideo infructuosè concepisse arbitrabatur, nisi aliunde, sibi Deus subueniret, *perrexitque vt consuleret Dominum*, Rebecca enim consternata erat, in quemdam locum secessit vbi in lachrymas & preces effusa, diuinum responsum de ea colluctatione puerorū studiosissimè expetiit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Gaudium conceptum dolor præsens adimit.

119. COllidebātur in vtero pueri, ex qua colluctatione, maximis ait Chr. mater afficiebatur doloribus, ita vt in hæc verba proruperit, si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? quid ais Rebecca? nonne enixè à Deo petiisti, vt fieres fœcunda? nonne cum desideriis tuis annuit inenarrabili perfusa es gaudio, teque grauidam sentiens, mentem, lætitia quæ exprimi nō potest, tenuit? quomodo nunc igitur ita animo cōsternata es, vt non concepisse exoptares? aduerte quod maximis premebatur doloribus, vt diximus in illa infantium colluctatione: quid mirum igitur si animo consternata, si mœrore confecta? præsens enim dolor, gaudium conceptum adimit, Sic Rupert. l. 7. in Genes. c. 3. *conceptus erat materia gaudii, sed gaudium conceptionis conturbabat dolor materni vteri.*

Rupert.

Ita discordes & inter se rixantes, Ecclesiæ sunt molesti vt Christo Domino eos peperisse quasi moleste ferat.

120. *Si sic mihi futurum erat quid necesse fuit concipere?* cur conceptum ita fers moleste, cùm à Deo acceperis? inquit textus, collidebantur in vtero pueri eius, rixabantur, decertabant, pugnabant ad inuicem, quia collidebantur infantes, videtur quod eligibilius sibi fuisset non concipere: perscrutemur quid Rebecca denotat, sane Ecclesiam, quæ Isaac nempe Christo Domino fideles peperit, sed cur concepisse fert moleste? quia ita discordes rixantes, Ecclesiæ sunt molesti, vt Christo Domino concepisse siue peperisse ægerrimè ferat, sic hunc locum intellexit Vuarr. Abb. Serm. 3. de Annunt. *sed cum se se colliderent paruuli discordes*, inquit, *in vtero Rebeccæ, quia prius orauerat vt conciperet dolensque sic inquit futurum mihi erat quid necesse erat concipere? si de aliquo nostrum fratres sic conqueri contigerit viscera matris nostræ timeo, ne melius fuisset si conceptus non fuisset homo ille.*

Vuarr Abb

Ex connubio non exiguæ calamitates.

121. *Si sic mihi futurum erat quid necesse fuit concipere?* nonne conceptum vehementer expetiisti? cum incredibili gaudio impetrasti? mira alacritate partum tuæ prolis expectasti? cur igitur nunc concepisse fers molestissimè, ita vt te infœlicem & miseram arbitraris? sine dubio forte ita hoc contigit vt ex connubiis etiam beatis, non exiguas inde euenire sciamus miserias & calamitates, *ex coniugio*, inquit D. Gregor. Niss. lib. de virg. c. 13. *proficiscuntur omnium calamitatum nomina.*

S. Gregor. Niss.

Gaudia huius mundi diuturna esse non possunt.

122. *Si sic mihi futurum erat quid necesse fuit concipere,*

Gaudia huius mundi diuturna esse non possunt.

122. *Si sic mihi futurum erat quid necesse fuit concipere?* quasi diceret, si mihi abortiendum, atque vnà cum fœtu moriendum, vtinam sterilis mansissem: vipereus mihi sicut & aliis continget partus, quomodo tot angustiis premeris? cur ita mœrore confectus, quæ iamiam inenarrabili afficiebaris gaudio ex votorum tuorum desiderio adimpleto? quia gaudia huius sæculi cito abeunt & pertranseunt. Fauet D. Ambr. in cap. 15. Luc cum ait. *diuturna oblectamenta esse non possunt.*

Ambrosius

In necessitatibus ad Deum confugiendum.

123 *Perrexit Rebecca vt consuleret Dominum*, qua de causa? collidebantur in vtero pueri, ex qua collisione non leuiter angebatur, anceps de vita futura: sed cur non obstetrices consulit? cur non ad medicos vel chirurgos conuolat, vt dolorem ex conceptu puerorum leniant? prudentissima equidem, non homines sed Deum consulit, in necessitatibus enim ad Deum confugiendum, *vide*, inquit, D. Chrysost. *obsecro mulieris pietatem ac religionem, non enim fecit sicut mulieres multæ quæ negligenter viuunt, facere consueuerunt, non ad humanum confugit subsidium, neque se exposuit deceptioni cursitorum aut ariolorum vanitati, & eorum qui polliceri audent, quæ sunt supra humanam naturam, sed abiit vt consuleret Dominum, hoc est, recurrit ad veram scientiam.*

S. Chrysost.

In necessitate constituti ab imperfectiori statu, ad perfectiorem transeant, vt facilius remedium à Deo consequantur.

124 *Perrexit Rebecca vt consuleret Dominum*, quò perrexit? nonne vbique locorum præsens est Dominus? aduerte ex doctrina Origenis hom. 12. in Genes. quod pergere & transire ad Dominum, est depositis, si quæ habes, vitiis mentem purgare, vel à minus perfecto ad perfectiorem statum virtutis assurgere; quod probat Exodi. 3. Moyses inquit cùm vidisset rubum ardere, & non comburi, admiratus visu, dixit, transeam, & videbo visum hoc, non vtique & ipse significabat se aliquod terra spatium transiturum, prope cum erat visio in ore & in oculis eius, sed dicit, transeam, vt ostendat se commonente visione cœlesti, ad superiorem vitam debere conscendere, ab his in quibus erat, ad meliora transire: igitur sancti non de loco ad locum, sed de vita ad vitam, de institutis primis abeunt ad instituta potiora. quo posito dicimus meritò transisse Rebeccam, vt consuleret Dominum, ad obtinendum quod in votis habebat, quia in necessitate constituti, ab imperfectiori statu ad perfectiorem transire debent, vt facilius remedium à Deo consequantur, ita est. Orig. *quò abiit Rebecca? nonne vbique est Deus? quò ergo abiit, vnde non esset ad locum vbi esset Dominus? ego puto quod non de loco ad locum abierit, sed de vita ad vitam, de actu ad actum, de bonis ad meliora transierit, de vtilibus ad vtiliora perrexerit, de sanctis ad sanctiora properauerit.*

Origenes.

Vbi obedientia præstatur, ibi diuina panduntur oracula.

125 *Perrexit Rebecca vt consuleret Dominum*, sed quò perrexit, cum nondum essent aut Prophetæ à Deo constituti, vt darent responsa, quoque consuleret? respondet D. August. q. 72. in Genes. *forsitan ad locum vbi aram constituit Abraham in monte Moria.* quasi locus ille in quo Patriarcha diuinum præceptum, cæca quidem obedientia impleuerat, aptissimus maneret, in qua diuina panderentur oracula.

D. Augustin.

Sacerdotes consulendi tanquam Dei organa.

126 *Perrexit Rebecca vt consuleret Dominum*, sed an immediatè Dominum consuluisti? non equidem, sed medio Sacerdote, vt plures autumant. Sed cur non immediate Deum interrogat, sed medio Sacerdote? quia tanta est Sacerdotum dignitas, vt ipsius Dei mereantur esse organa, quod animaduertit Chrysost. *quo perrexit Rebecca?* inquit, *festinanit ad Sacerdotem Dei ministrum, per quem latentium scientiam volebat discere, & enarrans omnia quæ sibi contigerant didicit, diligenter omnia misericorde Deo per Sacerdotis linguam dirigente, & omnia manifeste & alacriorem eam reddente*, vide quanta & tunc erat sacerdotum dignitas, cum Dominus per eos loqueretur Sacerdotem.

Chrysost.

Cùm oramus à tumultu recedendum.

127. *Perrexit Rebecca vt consuleret Dominũ*, consule Dominum domi tuæ, indecẽs est enim mulierem vagari, ne ergo in alium locum proficiscaris, in quo preces tuas coram Deo effundas: imo pergat in aliquem locum ab aliis separatũ, vt orationi inuigilet. cum oramus enim ab aliorum tumultu recedendum sic Genn. in cat. *cautè fit hoc à muliere, nam qui Deum exorare volunt, procul ab aliis secedunt quo se melius colligentes mentem intendant in Deum.*

Gennad in c. Græcorum.

Deus facilius orando inuenitur, quàm cum in hominibus consulendo.

128 *Perrexit Rebecca vt consuleret Dominum*, scilicet eum deprecatura, sed cur cum hominibus hoc negotium non confers? cur incommodum quod ex collisione puerorum pateris, non aperis? quia facilius à Deo orando aliquid consequimur, quàm si cum hominibus illud consulamus. sic scriptum reliquit Diuus Bernardus libro quinto de consid. capite decimo quarto *Deus orando*, inquit, *potius quàm disputando dignius quæritur, & inuenitur facilius.*

S. Bernardus.

In oratione quæ nobis futura sunt agnoscimus.

129 *Perrexit Rebecca vt consuleret Dominum*, plurium est sententia apud se quoddam oratorium habuisse, in quod secessit, vt Deum deprecaretur sibi aperire quid illæ collisiones puerorum in vtero denotabant. Deum exora vt te à doloribus partus futuri liberet, & eum tibi fœlicem tribuat, arbitrarisne enim Deum quæ ventura sunt, prædicturum? quid ni? nonne preces fundit? oratione autẽ ea quæ nobis futura sunt aliquãdo cognoscimus, fauet Theodoret. *cum Patriarchæ consueuissent in locis in quibus habitabant construere Deo altaria quædam, verisimile est illam, ad vnum ex his ingressam supplicasse Deo, & ita nouisse quæ futura erant.*

Theodor.

Deus medicus noster.

130 *Perrexit Rebecca vt consuleret Dominum*, si medicorum est mederi doloribus, & corporis infirmitatibus, eos consule, vt dolori ex puerorum in vtero tuo collisione, remedium salutare præbeant, ne ergo ad Deum consulendum proficiscaris;

imo proficiſcere, Deus enim tanquam verus medicus in incommodis corporis, etiam oratione noſtra, conſulendus *quia pugna* (inquit Thomas Anglicus) *ſeu mutua colliſio puerorum apparebat, tam matri quam proli mortifera, videbaturque hoc prodigioſum potius quam naturale, decreuit ad conſulendum medicum ſcilicet ſolum Dominum.*

Thom. Angl.

Dolor verba præſcindit & obtruncat.

150. *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe mihi fuit concipere?* ſed in Hebræo illa verba non inueniuntur, ſed hæc, ſi ſic, cur iſtud ego? quæſo quis ſenſus horum verborum? nullus equidem, nonne rationis particeps es ô Rebecca? cur igitur integram non proferes orationem? non dubitas maximo dolore correptam ex puerorum pugna, quid mirum igitur integram non protuliſſe orationem, ſed eam mutilaſſe? dolor enim eam præſcindit & obtruncat.

Nec etiam ſanctæ mulieres eximuntur à maledictione Euæ.

151. *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe mihi fuit concipere?* nonne ſanctiſſima fuit Rebecca? quomodo igitur tantis afficitur doloribus partumque infœlicem & moleſtum formidat? nonne dictum eſt Euæ, multiplicabo ærumnas & cóceptus tuos, in dolore paries filios tuos? quid mirum igitur in magno timore & dolore fuiſſe? quia licet ſanctiſſima fuerit, tamen à maledictione Euæ non eximitur. Sic D. Thom. 22. q. 164. art. 2. *in ſtatu innocentiæ fuiſſet partus abſque dolore, tunc enim ad pariendum non doloris genitus, ſed maturitatis impulſus fœminea viſcera relaxaſſet, pœna autem, ſcilicet multiplica io conceptuum, & dolor in pariendo, aliqualiter ad omnes pertinent, quæcunque enim mulier concipit, neceſſe eſt quod ærumnas patiatur, & cum dolore pariat, præter beatam Virginem quæ ſine corruptione concepit, & ſine dolore peperit.*

S. Thom.

Filij parentibus moleſtiſſimi.

152 *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* cui nos dicere poſſumus, ſi antequam nati ſint filii, ita parentem diſtorquent, & diſcruciant, quid facient nati? ſed addamus quod ſeptuaginta ponunt, non verbum ſignificans colliſionem, ſed colluſionem, *& exultabant*, inquiunt, quod idem verbum poſitum eſt Luc 1. vbi dicitur exultauit infans in vtero meo, quid ergo moleſtiæ inferent filii, ſi exultantes & colludentes ſic commouent? neſcio ſi ad id reſpiciens dicebat. D. Chryſoſt. ſer. de Iacob & Eſau, *certantes filios mater ante ſentit quàm nouit, ante patitur quàm videt, ante ſuſtinet quàm agnoſcit, materna viſcera quatiuntur, nec ad ortus principia properatur, ſed ante certamina, noua principia celebrantur.*

S. Chryſoſt.

In Eccleſia iuſti laborant vt Chriſto malos acquirant, mali autem vt iuſtos extinguant.

153 *Si ſic mihi futurum erat, &c, Collidebantur in vtero eius paruuli*, certum eſt hos duos paruulos ſymbolum fuiſſe duorum populorum in Eccleſia, nempe malorum & bonorum, teſte D. Aug. ſerm. 78. de temp. concepit inquit corporaliter de beato Iſaac Rebecca, quia cóceptura erat ſpiritualiter de Chriſto Eccleſia, & ſicut duo paruuli in vtero Rebeccæ collidebantur, ſic in vtero Eccleſiæ duo ſibi iugiter aduerſantur. Si enim ſoli boni, aut ſi ſoli mali eſſent, vnus populus eſſet, quia vero in Eccleſia boni inueniuntur & mali, tanquam in vtero ſpiritalis Rebeccæ duo populi colliduntur; ſed ſi boni ſunt in Eccleſia, cùm ſint pacis & concordiæ amantiſſimi, cur colluctantur cum malis, & eos collidunt? potius enim opprobria vel alia quæuis aduerſa patienter deberent ſuſtinere? dico bonos collidere quidem iniuſtos, non vt eos opprimant, ſed vt eos compellant virtutem ſectari, obſequium Dei amplecti, impietatemque colere, ſed ſi inuicem collidebantur, quomodo mali contra iuſtos colluctabant? ſine dubio vt eos opprimerent & extinguerent: *duo populi colliduntur*, inquit cit. Aug. *boni enim lucrari volunt malos, mali vero extinguere cupiunt bonos, bonorum deſiderium eſt, vt qui mali ſunt, corrigantur; ſtudium malorum eſt vt qui boni ſunt conſumantur.*

S. Auguſt.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIII.

VVLG. Qui reſpondens ait, duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.

Sep. Et duo populi de ventre tuo ſeparabuntur.

Cald. Et ait ei Dominus, duo populi ſunt in viſceribus tuis & duo regna de tuo vtero diuidentur, & regnum regno fortius erit, & maior ſeruiet minori.

Pag. Duo populi à viſceribus tuis ſeparabunt ſe, & populus populo robuſtior erit, & maior ſeruiet minori.

Caiet. Dixit Iehoua ipſi duo regna de viſceribus tuis ſeparabuntur, & regnum pluſquam regnum erit forte, & multum ſeruiet pauco.

Oleaſt. Amplior aut melius ſeruiet pauciori.

CONCORDIA.

Dictio pluralis לאמים leumim populos denotat. ex vna quaſi matre propagatos, vel nationes, licet autem hoc nomen transferre ad regna, quamuis vero aliqua ſit in verbis diſtinctio, tamen idem eſt omnium lectionum ſenſus.

EXPOSITIO.

EXPOSITIO.

Qui respondens ait, cum in Hebræo sit Iehoua dicendum est Deum ei locutum fuisse, vel saltem Angelum, *duæ gentes sunt in vtero &c.* id est duo capita gentium & populorum, qui ab inuicem diuersi erant, Iudæorum scilicet & Idumæorum *& maior seruiet minori*, id est populus Idumæorum ex Esau primogenito Isaac natus, qui longe fuit maior numero in populo, in Iudæorum seruitutem redactus fuit 2. Regum 8. qui & tributum ei exsoluit vsque ad tempus Ioram, & impletum fuit illud, populus populum superabit, & in Iudæis tamẽ conuenientius creditur hoc Deum prædixisse de populo antiquiori Iudæorum populo Christiano minori, id est posteriori seruiente, quod adimpletum fuisse videmus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Prior imperaturus, prior obediat.

134. *Maior seruiet minori*, si de hoc populo Idumæorum & Iudæorum intelligendum venit, quo posito, nõne prius reges de stirpe Esau in Idumæa quam reges de stirpe Iacob commemorantur à Moyse in Iudæa? sic enim ait Genes. 36. reges regnauerunt in terra Edom antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi: sed dicet aliquis, cur prius filii Esau quàm filii Iacob ad regnum euaserunt, cum potius vice versa, hi prius quam illi regnare debuissent? si quidem Iacob paternam benedictionem fratri præripuerat, illoque expulso in paternam hæreditatem fuerat cooptatus: forte ideo hoc ita contigit quia Esau prius obedientiam præstare, & seruitutem subire à parente suo iubetur, iuxta illud Gen. 28. fratri tuo seruies, qui prius autem se exhibet seruum & obedientem, dignus est qui prior tanquam Dominus salutetur *bene enim* inquit Lyranus in lib. 1. reg. cap. 9. *ducit regendos, qui primo sunt ductibiles de obediendo.*

Genes. 36.
Genes. 28.
Lyran.

Longe plura Deus tribuit quam ab eo postulentur.

135. *Duæ sunt gentes in vtero tuo*, quid a te petiit Isaac, pro vxore nisi fœcunditatem, & forte vt filii vnius heret mater? quomodo igitur non solum duos vno conceptu suscipit liberos, sed duas gentes quæ pluribus constant hominibus in vtero eius esse annuntias? quia Deus ita liberalis, vt longe plura tribuere soleat, quàm ab ipso exigantur: fauere videtur Chrysost. dicens, *nunc dicit mulie. quod non solum duos parere: filios, sed quod illi in gentes essent propagandi,* quasi diceret non solum mysterium collisionis puerorum agnouit, sed etiam Dei eximiam liberalitatẽ.

Deus prouidentiam habet etiam circa singulares actiones & motus.

136. *Duæ sunt gentes in vtero tuo*, quid tibi sunt curæ motus puerorum in vtero mulieris, vt ei respondeas? quid denotent? merito etiam eos intuetur, vt discamus nec etiam motus vel actiones etiam singularissimas eius prouidentiam fugere, sic Caiet. *obseruat primum essendi principiũ, alloquitur Rebeccã declarando illi mysterium esse motum illum infantium in vtero, ad insinuandam sæpe dictam fidem quod ipse prouidentiam habet istorum singulatim, etiam secundum singularissimos motus.*

Malorum præ bonis maximus est numerus.

137. *Maior seruiet minori*, in Hebræo, amplior aut multus seruiet pauciori, si maiori venit intelligendus Esau, sicut minori Iacob, certe secundum Hebræum non conuenienter videtur amplior aut multus, sicut nec alter paucus, persona enim singularis non potest dici multa præ alia, sicut nec alia pauca; multitudo enim pluralitatem denotat: nemini dubium sit nomine Esau, malos denotari, sicut Iacob bonos; mirum igitur si Esau multus siue amplior nominetur, & Iacob paucior; longe enim maior est malorum numerus, quàm iustorum, *populus quidem improborum*, ait D. Aug ser. 78. de tempore *recte dici potest maior, quia semper maior est numerus malorum, & vt scriptura inquit stultorum infinitus est numerus.*

D. Aug. ser. 78 de tempore.

In regno Dei magni non ex clarissimorum nominum hæreditate, sed ex vero virtutum effectu censentur.

138. *Duæ sunt gentes in vtero tuo populi ex ventre tuo diuidentur*, audiit Deum respondentem magni Isaaci vxor illustris Rebecca. expende nunc qui vocentur Rebeccæ filii, nimirum duæ gentes, concedo quidem quod illorum alter dicatur vna gens: nonne alter Israel ipse erat Abraham idum primogenius clarus? cur igitur hic qui Israel est, etiam subgẽtis agnomine obscuratur? designabat ibi etiam Dominus electos suos ad cœlestem principatum, & ideo Israelis nomen dissimulauit & omnes conclusit sub gentis vocabulo, ne quis in hæreditatis agnominibus illustribus fundaret spem cum Deo regnandi. Accipite Tertull. lib. aduersus Iudæos *habemus inquit ipsum Deum idoneũ pollicitatorem & fidelem sponsorem, qui Abrahæ promisit, quod ex vtero Rebeccæ duo populi & duæ gentes essent processuræ: vtique Iudæorum, id est Israelis & gentium, id est noster, vterque ergo, & populus & gens appellatur, ne de nominis appellatione priuilegium gratiæ sibi quis audeat defendere,* nullum tibi diuinæ gratiæ, nec cœlestis gloriæ priuilegium dabit agnomen; sed verum virtutis opus; nunquam enim vllus censetur apud Deum ex hæreditatis agnominibus, sed ex veris virtutibus ostensis.

Tertullianus

Iudæi vbique terrarum etiam nolentes Christianis seruiunt.

139. *Et maior seruiet minori*, si minor est Iacob, maior autem Esau, hoc autem adimpletum esse non legimus, non enim corporaliter beato Iacob seruisse Esau commemorat scriptura, id igitur factum & adimpletum esse cognoscimus in Christianis & Iudæis, ita vt maiores, id est antiquiores Iudæi, minoribus, id est posterioribus Christicolis seruiant, sed quomodo eis seruiunt? cum nec ab eis bello victi, nec pecunia coẽmpti, nec in eorum seruitutem se

tradiderunt? seruus autem vno ex his tribus modis efficitur? cap. 25. *maior enim* inquit, *& senior populus Iudaeorum, minori & iuniori, id est populo Christiano seruire probatur, dum per totum mundum libros diuinæ legis ad instructionem omnium gentium portare cognoscitur: ideo enim per omnem terram Iudæi dispersi sunt, vt cum aliquem Paganum ad fidem Christi volumus inuitare, Christum Dominum ab omnibus Prophetis prænuntiatum esse testantes & ille resistens dixerit à nobis potius quàm à Spiritu sancto libros diuinæ legis & propheticos; nos habemus vnde eum redarguere certa ratione possimus, dicentes: si de meis libris tibi dubitatio nascitur, ecce Iudæorum libros vtique inimicorum nostrorum, quos certum est si ego conscribere vellem, mutare non potui: ipsos relege, & cum in ipsis hoc ipsum quod in meis libris inueneris, noli esse incredulus, sed fidelis: hoc igitur ordine maior populus minori seruire cogitur, dum etiam per illorum libros ad credendum in Christum gentium populus inuitatur.*

Omnes facile in malum, in bonum autem difficile propendunt.

140. *Maior seruiet minori*, diximus ideo maiorem, siue vt est in Hebræo, multum, Esau nominari præ Iacob, quia Esau nomine intelligendi veniunt mali quorum maximus numerus est præ iustis: sed quomodo maior est, cum minor esse deberet? si quidem Deus vult omnes saluos fieri, & auxilia sufficientia ad virtutem obtinendam & salutem consequendam præbet, ita se res habet, maior tamen est numerus malorum, quia omnes facile in malum ex naturæ corruptione, in bonum autem difficile propendunt, hanc rationem assignat Diuus Gregorius Nazianzenus in apolo. *desiderabile quid & promptum est malitia; & nihil adeo facile & prochue existit, vt facere malum, etiam si nemo sit qui nos id facere doceat vel cogat, contra vero res admodum rara & molesta est boni acquisitio, etiam si permulta sint quæ nos ad illam prouocent & trahant, bonum humanæ naturæ difficile acquisitu est, similiter vt ignem inhærere humidiori materiæ plurimi ad communicationem mali parati & apti sunt, velut calamus quidam, qui scintilla & vento correptus facile propter ariditatem accenditur & consumitur. enim citius quis modicam malitiam vbertim in se recipit, quam copiosam virtutem paula iminam & modicum absintium, amaritudinem suam multo etiam melli celerrime indit, mel vero dulcedinem suam absinthio non ita facile ingerit, etiam si duplo maius adhibeatur & modicus calculus subtractus, totum flumium in decima distrahit: è contra vero vix illum robustissimum munimentum coercet, vel ne exorbitet impedit.*

D. Greg. Naz. in apolo.

Mali etiam potentissimi & liberi, serui sunt bonorum etiam pauperum, ad maius enim meritum consequendum eis inseruiunt.

141. *Maior seruiet minori*, si nomine Esau mali veniunt intelligendi, quomodo mali minori seruiunt nempe bonis, cum dominari eis videantur iniqueque eis inseruire? non sane aliquo vili & humili obsequio sed quia eorum maiori merito acquirendo, eos persequendo, & opprimendo etiam nescientes cooperantur, *ad eum modum*, inquit eit Aug. ser. 78. de temp. *mali seruiunt bonis, quo lima & malleus seruiunt auro, & molæ seruiunt tritico & panibus coquendis & conficiendis furnalia, & quemadmodum in fornace aurificis palea seruit auro vbi sine dubio palea consumitur & aurum probatur. non ergo glorientur nec se extollant mali quando bonis aliquas tribulationes immiserint, quia cum illos persequuntur in corpore seipsos occidere probantur in mente, & quibus nocere volunt, prosunt plurimum, sibi autem ipsi maxime nocent.*

D. Aug. ser. 17. de temp.

Virtutes vitia superabunt si patientes fuerimus.

142. *Maior seruiet minori, duo sunt populi in vtero tuo, populus populum superabit*, Orig. hom. 12. in Genes. ait, ego puto quod etiam in singulis nobis hoc dici possit sed quomodo vere potest enuntiari; nam sicut Rebecca non concipimus? pergit dicens; nam & virtutum populus & vitiorum intra nos est. sed quomodo potest fieri ô Origenes, quod intra nos vitiorum & virtutum sit populus, cum virtutes & vitia adinuicem sibi aduersentur? ait tamen de corde enim nostro prodeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, homicidia, hæreses, & his similia. vides quantus malorum populus intra nos est, si vero mereantur illam vocem dicere sanctorum, a timore tuo Domine concepimus & peperimus, & spiritum salutis tuæ fecimus super terram Isa. vigesimo quinto tunc & alter intra nos populus inuenietur per spiritum Dei generatus, quem designauit Apost. dicens ad Galat quinto, fructus spiritus, est charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, bonitas, mansuetudo, continentia, castitas & his similia: vides & hunc alterum populum qui intra nos est, sed hic minor est, ille vero maior; semper enim vitia virtutibus numerosiora, sed si vitia virtutibus sunt numerosiora, quomodo verum censebitur, quod populus superabit populum, scilicet virtutes vitia cum in maiore sint numero? audite citatum Orig. *si tales nos simus quales Rebecca cuius nomen latinis interpretatum significat patientiam, & meremur de Isaac, id est de verbo Dei habere conceptum, etiam in nobis populus populum superabit & major seruiet minori, seruiet enim caro spiritui & vitia cedent virtutibus.*

Isa. 25.

Ad Galat. 5.

Origen.

Diabolus etiam nolens justos persequendo eis præstat obsequium.

314 *Maior seruiet minori*, scilicet vt diximus impii iustis, sed cum per maiorem possimus intelligere dæmonem caput impiorum, & per minorem hominem, minor enim est eo in natura, imo & in scientia: nam vt optime seraphicus noster Patriarcha in admonitionibus suis ad monit. quarta, si ita esses inquit subtilis & sapiens, quod omnem scientiam haberes & scires interpretari omnia genera linguarũ, & subtiliter de cœlestibus rebus perscrutari, in omnibus his non potes gloriari, quia vnus dæmon sciuit de cœlestibus magis, & scit de terrenis plusquam omnes homines sciunt. minor est etiam in viribus & potentia; non est enim potestas in terra teste Iob similis diaboli potestati: si igitur maior est dæmon in pluribus homine, quomodo ei seruire tanquam vile mancipium dicemus? quia cum eum persequitur & tentationibus appetit, non exiguum ei præstat obsequium, siquidem excellentiori eius coronæ & mercedi cooperatur, sic deuote Ioannes Iustus Lanspergius Carthusianus in Dominica Reminiscere, *certe si diaboli inquit spectanda est intentio, tunc omnes male vexat*

S. Francisc.

Iob. 41.

Lansper gius.

hoc est

hoc est, id est vexat, vt ad malum ducat eum, quem tentat: at laudanda est prouidentia diuina, tantoque magis prædicanda, tanto amanda feruentius, quia malum, quod nobis aut à diabolo, aut ab aliquo membrorum eius paratur, semper si volumus, præsto nobis est vertere in bonum: nonne omnes fatigauit suis vexationibus sanctos diabolus? quid autem obtinuit? nihil profectò nisi quod gloriosiores, pulchriores & rutilantiores fecit eos vt aurum fabricauit enim eis coronas inuitus, quia Deus quod ille nitebatur eis inferre ad malum, vertit in bonum.

Superbus in pœnam arrogantiæ humili subycietur.

144 *Maior seruiet minori*, nonne Esau ille maior est? si igitur seruiet, minori subiicietur, qui enim in alterius venit potestatem ei subditur, nonne Esau potentissimus, imo arrogantissimus, qui mortem fratri minatus fuerat? quomodo igitur fratri minori subiicietur? quia pœna superborum est humilibus subiici. Sic Procop. *qui affectat maior esse, & se maiorem esse iactat, subiicietur illi, qui humilia de se sentiendo minor habetur.*

Procop.

Qui non proprium sed Dei consilium sequitur, cuncta ei prosperè contingunt.

145. *Duæ gentes in vtero tuo*, dixit ei Angelus, & quod populus populum superaturus esset, & quod maior seruiet minori, cur cuncta ei ita fœliciter contingunt, vt etiam quæ futura sunt posteris, agnoscat? in memoriam reuoca, quod cum colliderentur infantes in vtero suo, non hominum nec proprium sequuta est consilium, vt sibi opem requireret, sed ait textus, perrexit vt consuleret Dominum: quid mirum igitur ita fœlicem euentum habuisse? Deum enim consulenti & non proprio adhærenti consilio, ita contingit. Fauet Amb. lib. de Isaac & Abraham ca. 4. *eo quod nihil sponte præsumat, summum Deum præsulem poscat suorum consiliorum, simul plena pacis ac pietatis, duos populos sua fide & prædicatione connectit, & suo vtero claudit.*

D.Ambr.

Ita certa quæ Deus prædicit euentura, vt iam de eis sit sermo tanquam essent in rerum natura.

145 *Duæ gentes in vtero tuo & duo populi*, si solum sunt duo pueri, quomodo sunt duæ gentes & duo populi? vnicus enim populus non duobus sed pluribus constat hominibus: si nondum autem sunt nati Iacob & Esau, quomodo iam plurium progenitores dicuntur? inspice quid Deus prædixerat Abraham, quod semen suum multiplicandum maximè foret; meritò igitur duo pueri, duæ gentes & duo populi nominantur quia ita certa sunt quæ Deus prædicit euentura, vt de eis sit sermo tanquam essent in rerum natura audiamus D. Chrysost. ser. de Iacob & Esau *ô veneranda Dei præscientia*, inquit, *designantur in vtrisque fratribus gentes, in singulis populi declarantur, imo ipsi gentes & populi nuncupantur futurarum sobolum nomina in natos conferuntur, & adhuc innatorum nomina ignorantur, dicuntur enim parentes qui necdum filij nomen acceperant, appellantur patres qui nati non fuerant, vt fierent genitores antequam filij fierent patres antequam nati.*

S.Chrys.

Quæ hominibus in vita contingunt diuersæ eorum natiuitati non tribuendum.

146 *Duæ gentes in vtero tuo & duo populi*, in vtero tamen eius solus erat Esau & Iacob, de quibus loquens D. Paul. 9. ad Rom. ait, cum nondum nati fuissent, dictum est, quia maior seruiet minori, nonne seruitus est in hominum vita aliquid maximè infœlix? quomodo igitur ante eorum natiuitatem prædicitur vnius seruitus, & alterius dominium, cũ dicant Priscilliani diuersitatem eorum quæ cuique hominum tota vita contingunt, natiuitati eorum adscribendam? sed toto aberrant cœlo dicentes cuiusque hominis vitam, & quicquid graue in ea contigerit, nec non etiam mortem in constellationem sub qua quisque nascitur, refundendam, cum asserat Paulus quod antequam nati fuissent Iacob & Esau dictum fuisse, maior seruiet minori: quem etiam Concilium primum Bracharense cap. 1. errorem damnauit dicens, *si quis animas & humana corpora fatali signo credit astringi, sicut Pagani & Priscilianus dixerunt, anathema sit*, idem paulo inferius repetit, *si quis animas & corpora humana fatalibus stellis credit astringi, anathema sit.*

Rom. 9.

Conc. I. Brach.

Homines à Deo non prædestinantur propter antecedentia eorum merita.

147 *Duæ gentes in vtero tuo & duo populi*, nondum igitur nati, si adhuc in vtero, de quibus loquens citatus Paulus, cum nondum nati fuissent aut aliquid boni vel mali egissent, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, quid ais Paule? nonne animæ hominum simul cum Angelis creatæ, ante eorum corpora, plura bona vel mala perpetrarunt opera, ac pro meritis vel demeritis quæ tunc egerunt, priusquam includerentur corporibus, diuersitatem vitæ & conditionis sortitæ fuere in corporibus? cur igitur ait Paulus antequam boni vel aliquid mali fecissent, dictum est maior seruiet minori, & Esau odio habui, Iacob autem dilexi? quia verissimè Paulus, alii autem falsissimè, nec enim animæ ante corpora creatæ fuere & ita non propter hominum opera antecedentia, Deus aliquem reprobat vel prædestinat, quod eruditissimè demonstrat Imperator Iustinianus in tractatu quodam qui in quinta Synodo generali Constantinopolitana reperitur, & approbatus fuit à Vigilio, Summo Pontifice, sic autem habet, *cum dixerit Deus inquit faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: ex eius vanis sermonibus inuenitur, solum corpus absque anima ad imaginem & similitudinem Dei factum esse, si omnino præexistebat anima & facto corpore in id iniecta est, aut in id tanquam in vas immissa ac necesse erit omnino dicere, ipsum Deum opificem hominis, corpus esse, vt pote qui corpus ad imaginem & similitudinem suam fecerit quomodo autem corpus imago incorporei esse possit? quamobrem absit, vt his Christiani assentiatur: si verò iuxta Origenis blasphemiam animæ præexistebant, ac in pœnam peccatorum suorum in corpora demissæ sunt, vt emendatæ resipiscerent, eas oportebat amplius non peccare, nam si corpus datum est animæ in supplicium propter peccata, vt doloribus emendaretur ad honorificandum Deum, quomodo corpus eam adiuuat & corroborat ad peccandum, quod iis, qui pœna afficiuntur non euenit? vincula enim, carceres, compedes, ac vt breuiter dicam omnia, eiusmodi inquinitates & peccata eorum cohibent qui iam pœnas luunt, nec vt qui peccauit amplius peccet, vincula ei adduntur, quæ ad peccandum adiuuent: sed vt vinculorum cruciatu peccare desistat, quare perspicuum est non ad superiorum peccatorum castigationem, vt illi nugantur, corporibus im-*

Rom. 9.

Iustini. Imper. Vigil. Papa, Conc. 5 consent.

missas esse animas: sed simul Deum & corpus, & animam, id est perfectum hominem fabricatum esse, itaque eorum quæ per corpus à nobis gesta sunt, siue bonorum, siue malorum retributionem expectamus, hoc enim nobis tradit & diuinus Apostolus dicens: omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque ea quæ per corpus, prout gessit, siue bonum siue malum: attendenda ergo sunt Apostoli verba; nec enim dixit oportere recipere eum qui iudicatur, prout gessit ante corpus: si vero ob ea quæ per corpus homo gessit ab eo qui terram iudicat, vel pœna afficitur vel merito præmio: nullaque mentio fit ante admissorũ peccatorũ: perspicuũ est animas ante corpora non esse, si enim præexisterent dixisset Apostolus, gesta tum per corpus, tum ante corpus. Animas vero hominũ intelligentia & ratione vti in confesso est quod ne eos quidem negare putamus qui tuentur Origenem.

2 Cotin 5.

Ignorantiæ vel stultitiæ socia est seruitus.

149 *Duæ gentes in vtero tuo, &c. Maior seruiet minori*, si maior, quomodo minori seruiet? nam minores natu obsequium quodcunque præstant primogenitis, præsertim si sunt nobiles, vt ab eis accepti habeantur, & ab eis quæ sunt nobilitatis suæ cõseruandæ necessaria facilius obtineant, dicat igitur minor seruiet maiori, non autem è contra: aduerte quod ille maior Esau, cuius etymon ex Philone Iudæo, nihil aliud sonat quàm ignorantem & stultum: merito igitur dictum est, quod maior seruiet, non autem minor, quia ignorans & stultus vere seruus censendus est. Fauet Diodor. in catena Græca, *qui prior gloriabatur, minor factus seruit posteriori iuniorique, nec mirum seruit stultus sapienti*, quasi diceret, Esau qui stultus & ignorans est, factus est seruus fratris sui Iacob, qui sapiens potest dici ex ipsa nominis etymologia, Iacob enim à verbo Iachab, quod astute siue prudenter agere significat, deducunt Hebræi.

Diodorus.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIV.

VVLG. Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt.

Sep. Et impleti sunt dies ei vt pareret, & erant ei gemini in vtero. *sic Cald. & Heb.*

CONCORDIA.

IN nostro Vulgato abundat verbum *inueniri* quod tamen prudenter additum, tum elegantiæ tum maioris claritatis gratia.

EXPOSITIO.

I*Am tempus pariendi aduenerat*, nouem enim menses à conceptu iam erant elapsi, & *gemini* nempe duo pueri, ab obstetrice reperti sunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Scriptura sacra in sua etiam phrasi mysteriis non caret.

150 I*Am tempus pariendi aduenerat*, in Hebræo *impleti sunt dies, vt pareret*, cur alio modo loquendi tempus parturitionis eius non aperuit? potuisset enim dicere, iam iam tempus pariendi imminebat, ne hanc phrasim Hebraicam, *impleti sunt dies eius vt pareret*, arguas, non enim caret mysterio, sed quodnam includere posset? scilicet quod sancta fuerit Rebecca, & quod eius parturitio aliquid eximium portendebat, audias Orig. hom. 12. in Genes. *sermo hic impleti sunt dies vt pareret, numquam fere nisi de sanctis mulieribus scribitur sicut de hac Rebecca & Elisabeth matre Ioannis, & Maria matre Domini nostri Iesu Christi, vnde eximium aliquid præter cæteros homines huiusmodi partus ostendit, & impletio dierum ortum perfectæ sobolis indicat.*

Origen.

Dei prædictio adimplenda.

151 *Et ecce gemini in vtero eius reperti sunt*, nonnè prædixerat Deus duas gentes, & duos populos, id est duorum populorum capita esse in eius vtero? ad quid igitur duos fuisse geminos repertos declarat? potuisset enim dicere tempus pariendi aduenerat, & ecce Esau egreditur &c. recte tamen dixit geminos in vtero eius repertos, vt prædictionis adimpletæ veritas innueretur.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXV.

VVLG. Qui prior egressus, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, vocatúmque est nomen eius Esau: protinus alter egrediens, tenebat plantam fratris manu, & idcirco appellauit eum Iacob.

Sept. Exiit autem primogenitus rubeus totus, sicut pellis pilosus, cognominauit autem nomen eius Esau, & postea exiit frater eius, & manu eius tenebat calcaneum Esau.

Cald. Egressus est primus rufus totus, quasi pallium hispidum.

Pagn. Sicut pallium pilosum.

Oleaster. Sicut extensio pili.
Arias. Sicut pallium capilli.
Vatab. Et totus villosus.

CONCORDIA.

Verbum אדר adar à quo אדרת adereth id est vestis, significat proprie extendere, vt Psal. 8. Domine Dominus noster quam ader, id est extensum nomen tuum, nomen vero adereth Ezech. 17. extensionem significat, vbi dicitur vt sit in vitem aderet id est extensam, significatiuum est etiam pallii, Iosue 7. & Ionæ 3. idque videlicet sit extentum, & sic optime versum est sicut pallium, siue vestis, vel etiam extensio pili.

EXPOSITIO.

Qvi prior egressus, nempe qui dictus est Esau, *rufus erat*, color non plane rubeus, sed ad flauū non nihil declinans, & *totus in morem pellis hirsutus*, qui ita hirsutus siue hispidus crassis & asperis pilis obtusus est, nec non horridus, sic autem nasci Esau prodigiosum & quasi monstruosum, nam præter hominis naturā est nasci totum pilosum; *vocatum est autem nomen eius Esau*, D. Hier. ait sic dictum esse à rubore, Esau enim rubrum interpretatur, dicit etiam facturam siue factum denotare, forte quia quasi factus & adultus homo ex vtero matris egressus sit, ferens secum pilos, qui in aliis pueris successu temporis nascuntur, *protinus alter egrediens*, nempe minor natu *tenebat plantam fratris* quasi de primogenitura volens cum eo contendere, *& idcirco appellauit* nempe pater eius Isaac *nomine Iacob*: vnde autem huius nominis etymologia deducta sit, breuiter aperio, significat igitur Iacob supplantatorem, supplantare autem proprie (non enim loquor de metaphorica & impropria significatione, quæ eadem est ac decipere doloque ac fraude aliquem circumuenire) significat plantam alicuius tenere impediendo ne quid agat aut ne alio procedat, & sic appellatus est Iacob, quia tenebat plantam Esau, quasi obstans ne prior egrederetur ex vtero.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus humilia & infima extollit.

152. Qvi prior egressus est rufus erat &c. hic est Esau, Isaaci primogenitus, sed cum Iacob ad eam dignitatem extollere voluit Deus, vt esset populi sui amantissimus progenitor (non enim ab Esau, sed à Iacob originem trahit populus Israel,) cur eum primogenitum Isaaci non constituit, sed ætate minorem? quia Deus minores & præ aliis infimos extollit & exaltat: stupenda valde sunt iudicia Dei vt Israel magis Deo gratus esset, noluit eum primogenitum facere, sed eum extollere ad primogenituram, non solet Dominus alta eleuare sed infima.

Deus gaudet infecta perficere, non autem effectis laborare.

153. *Qui prior egressus est fuit Esau*, qui primogenituræ dignitate honoratur, sed si iam in primogenitura Esau Iacobum superat, cur Deus eum in aliis donis fratri suo non præponit? aduerte nomen Esau, (vt diximus in expositione) factum seu facturam denotare, non sic autem Iacob, quid mirum igitur, Deum Esau non assumpsisse in aliquid eximium? gaudet enim infecta perficere, non autem iam factis laborare, *non gaudet* inquit Oleaster, *facta facere sed infecta, Esau ex vtero factus exiit, ideo Deus in eo nihil amplius voluit facere, non sic frater eius ideo à Domino factus est magnus.* Oleaster.

Ille verus triumphator qui vsque ad pedes omnium humiliatur.

154. *Qui prior egressus est rufus erat*, cuius planta à fratre tenebatur; qui victoriam referre desiderant non pedes tenent, sed caput: ille enim qui Matth. vigesimo octauo vincere curabat debitorem; *tenens suffocabat eum*, hic ad fauces vel ad caput extendit manum, vt aduersarium superet, & vniuersi pugiles tunc se putant vincere, si caput hostis petant ictibus; quomodo ergo Iacob vt superet fratrem, non ad caput sed ad pedes se deiicit, & plantam pedis Esau, tenet? quia figurabat athletam Christianum, qui quo demissius ad aliorum pedes se deiiciet, clariores referet victorias. Matt. 18.

Mali iustos omni persequuntur contentione, boni autem eis leniter resistunt.

155. *Qui prior egressus est rufus erat &c.* quid denotat, quod ille rufus prior ex vtero matris egrediatur, & quod Iacob solum fratris plantam tenuerit? cur caput illius non comprimit, vt prior egrediatur? aduerte quod Esau vt prior exiret, cum aliqua vi fratrem collisit; tenere autem solum plantam, lenitatem in resistendo dicit; quid mirum igitur si solum plantam fratris tenebat Iacob, Esau autem vt prior esset in egressu vteri materni, fratrem cum violentia collserit? quia mali Esau denotati omni contentione iustos persequuntur, boni autem eis leuiter resistunt: hoc significare videtur Rupert. lib. 7. in Genes. cap. 5. *vtriusque schema vel habitus prodidit quis & in vtero princeps fuisset duelli, & post iterum intentator futurus esset inimicitiarum vel odii quisue & in vtero superasset, & post vterum victoriæ palmā repetiturus fuerit; nam sicut ille rufus & hispidus prior egressus est, sic & in vtero prior cum fratre collisus est, &c. post vterum fratri quietio mortem machinaturus erat, & sicut iste lenis erat ab vtero posterius sequens plantam fratris, sic erat cum lenitate & modestia, nulla vi sine iniustitia scilicet futurus.* Rupert.

Iusti de bonis terrenis parũ sollicíti mali autẽ è cõtra

155 *Qui prior egressus rufus erat*, cur fratrem ô Esau in vtero collidebas? dices, quia primogenituram obtinere volo, & sic mihi cedet hæreditas paterna, & bonorum possessio: sed cur Iacob fratrem non collidit, vt prior egrediens bonorum patris hæres euadat? quia iusti de rebus terrenis parum solliciti, mali autem etiam cum aliorum oppressione totis viribus contendunt vt ea consequantur. Sic Stephan. Cant. in alleg. Tilm. *Spirituales sicut carnales non egrediuntur primi, nec festinant ad hæreditatem terrenam, sed expectans cœlestem.*

Stephanus Cantuari.

Populus fidelis Iudæum crudelem in lenitate & Dei amore superaturus figuratur.

156 *Qui prior egressus est, rufus erat*, & totus in morem pellis hispidus, secundus autem plantam prioris tenuit, cur prior sic horridus, pilisque ad modum ferocis animalis plenus? & cur secundus plantam alterius apprehendit, & non hirsutus egreditur sicut Esau, cum essent ambo gemelli? non est dubiũ Esau natu maiorem denotasse populũ Iudæorũ in electionẽ priorem, Iacob autẽ ætate minorẽ, populum fidẽlẽ Christicolã: non mirũ igitur Esau totum in more pellis hispidum, ad modum ferocis animalis egressũ, & Iacob, solum fratris manu tenertẽ calcaneũ, quia his signis denotabatur, quod populus Iudæorũ sanguineus, & asperis moribus esset, & à Iacob superandus in lenitate, humanitate, & aliis virtutibus eximiis, hoc animaduertit D. Euch. *cum omnia quæ ante scripta sunt (inquit) vt nos doceremur scripta sunt, & figuræ nostræ fuerint & in vmbra illis contingerunt, scripta sint autem propter nos, in quos finis sæculorum obuenit, locum hunc quem Paulus timendum esse hominis & cum reuerentia tractandum, magnum que intelligi vult in eo gratiæ documentum iam spiritualiter & ex profundiori sensu enodemus; cur ille qui prior egressus est, rufus & totus in morem pellis hispidus, nisi quia populus Iudæorum qui de primatu contendebat, & cui primum Dei verbum prædicari oportebat, sanguinum vir, & asperis moribus intractabilis, prophetarum & Christi fuit cruore pollutus, peccatis & nequitiæ squalore circumdatus, & literam legis sequens occidentem solis exterioribus affectus: & hic quidem non bene, sed male egressus est, iuxta quod in psalmo scriptum, alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa. Sequens verò gentium populus, egressus quidem est, de credulitate cordis, ad confessione oris, corde enim creditur ad iustitiam, ore etiam confitetur ad salutem, qui etiam maioris plantam tenuit, quia mystice maior minorem superaturus erat, planta enim siue calcaneus Esau nouissimum præsignabat Israelitici populi tempus, in quo Dominus noster aduenire dignatus est vt eis conferret salutem, sed in typo Niniuitarum gentium populus vt Iacob Esau, Israelem incredulum condemnauit, vnde & Iacob à luctando vel supplantando nomen accepit.*

Euch. in Genes.

Psal. 57.

Aliquando priores, dummodo fuerint diuites, beneficiis Ecclesiasticis præferuntur.

157 *Qui prior egressus est totus in morem pellis hirsutus*, cur Esau qui fuit pilosus primo egreditur? vt huic dubio satisfaciamus, animaduertẽdum quod ait Petrus Berthot. lib. 1. tropol. in Genes. ca. 8. scilicet quod Isaac est Prælatus, mater vero Ecclesia vxor sua, quæ in vtero suo vel in collegio, vel in claustro, plures concipit filios, id est plures subditos, quosdam scilicet similes Esau, id est malos quosdam vero similes Iacob, id est bonos: si ergo fit quod quando tempus appropinquat, vt potè quando vacat aliquando beneficium, ita quod aliquis promoueatur & exterius pariatur, & per promotionem ad exterius beneficium emittatur, incipiunt in lucem isti pueri, scilicet isti subditi collidere, & parentes impugnare, quia quilibet primus ad promotionem vult exire. Sed cur Esau pilosus prior egreditur? per pilosum diuites intellige; quid mirum igitur si prior Esau in lucem ab vtero egreditur? quia aliquando priores dummodo fuerint diuites, beneficiis potiuntur, ita citatus Berth. *pro certo Esau qui fuit pilosus, primus exisse dicitur, quia scilicet illi qui priores exeunt dum tamen sint pilosi, id est diuites, primi ad beneficia promouentur.*

Petrus Berth.

Impij primi esse in honore summopere exoptant.

158 *Qui prior egressus est fuit Esau*, cur vsque ad collisionem cum fratre decertasti in vtero materno, vt ab eo exires? si Esau typus malorum est, hoc minime inquirendum, nam primi esse & aliis præferri totis viribus contendunt, *amant enim*, inquit D. Lucas, *primos accubitus in cœnis, primas cathedras in synagogis & salutationes in foro.*

Luc. 14.

Frater cum fratre decertans in bono, est sterilis.

159 *Qui prior egressus est & vocatum est nomen eius Esau*, Hugo Card. ait, quod interpretatur quercinus, à quercu, quæ sterilis arbor est, nec fert fructum nisi porcis idoneum, cur cum plures habuerit filios Esau, denominatur quercinus, id est sterilis? aduerte quod licet dictum sit quod collidebantur in vtero pueri, tamen hoc præcipue intelligendum est de Esau, qui contendebat cum fratre, vt prior egrederetur, merito igitur Esau dicitur quercinus, id est sterilis, non ex defectu prolis, sed ex bonorum inopia. Fauet cit. auctor, *Esau interpretatur quercinus & significat steriles in bono Isa. 1. erubescetis semper hortos quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus foliis.*

Hugo. Card.

Isai 1.

Nomina non casu vel fortuito pueris ab antiquis imponebantur.

161. *Vocatumque nomen eius Esau*, quia scilicet totus in morem pellis hispidus, sicut etiam minor natu, nomen Iacobi accepit, quia egrediens tenebat plantam fratris manu: sed cur nomina natis suis non imposuere Isaac & Rebecca, sicut nunc pueris à parentibus induntur, non eorum actionibus inspectis vel moribus consideratis? quia antiqui non casu vel fortuito sicut nunc, pueros nominabant, quod obseruat D. Chrysost. *quia omnia antea à Deo promissa erant, ideo & Rebecca appellatione eo indita, Iacob eum vocauit, quod scilicet supplantationem interpretari potest. Sicut & Esau post fratris benedictiones, eiulans dicebat, rectè vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me iam secundò, & primogenita mea accepit, & nunc tulit benedictionem meam: vide quantus erat priscorum intellectus, vt & mulieres natis nomina non temere nec fortuito imponerent, sed appellarent filios iuxta futurorum prædictionem, & raro inuenies aliquos eodem nomine appellantes filios, vel forte nunquam, sed siue mater siue pater nomen filio impositurus erat, rationem quondam & nomini imponebat, ita & Lamech filium vocauit Noe, dicens, hic nos requiescere faciet, ita si singula nomina scruteris, omnino in omnibus inuenies aliquid insinuari, non sicut nunc facimus simpliciter, & vt forte euenit*

S Chrisost.

euenit à parentibus agnominare solent, sed omnino illuc spectabant, vt perpetuam memoriam filii inderent.

Qui eligitur à Deo in aliquem primatum, nequit in donis superari ab aliis respectu quorum primus est.

163. *Alter egrediens plantam fratris tenebat manu*, compara Iacobi dexteram cum cæteris membris, nonne manus hæc dextera fortior & præstantior cæteris apparet? manentibus adhuc in vtero cæteris membris, manus vna exiuit foras in certamen, manus vna fratrem supplantat, & nomen puero nondum nato acquirit, ideo enim vocatus est Iacob, ergo manus præstantior cæteris? absit, quod manus licet perficiat tot facinora, præstantior sit vbi est caput, licet videatur adhuc in vtero matris inclusum, nunquam enim manus in præstantia & excellētia à capite non vincitur: pulchre D. Eucher. lib. 2. in Genes. *alter egrediens plantam fratris tenebat manu. Iacob manum prius, dum nasceretur emisit ex vtero, qua etiam pedem prænascentis fratris tenebat, deinde vtique secutum est caput, sed tamen caput non tantum ea membra quæ secuta sunt, sed etiam ipsam manum quæ nascendo præcessit, dignitate ac potestate præcedit*, nulla facinora manus pertingunt virtutem capitis, nulla posteriorum magnalia non vincuntur ab eo, qui primus illorum à Deo electus est, & cui tradidit Dominus principatum.

D. Eucherius.

Iusti satagunt prauos à malis operibus retrahere.

164. *Alter plantam fratris manu tenebat*, cur fratrem detines ò Iacob? desine, vt pulchritudine cælorum fruatur, & à carcere vteri materni, liber huius mundi incola fiat: aduerte per Esau qui prior egreditur, cum collisione fratris vt hæreditatis paternæ & terrenæ iure primogenituræ debitæ fiat possessor, intelligi malos qui cum aliorum detrimento bona terrena possident, quod equidem a ratione alienum & omnino peruersum, tenere autem alicuius plantam est eum detinere, ne aliquid perficiat: merito igitur plantam fratris Esau tenet Iacob, quia iusti quos ille denotat, prauos à malis operibus retrahere satagunt; *ipsi spirituales*, inquit cit. Steph. Cant. *tenens plantam malorum, ne pes eorum ad malum currat, & semper à malo nos volunt retrahere.*

Stephanus Cant.

Mali bona iustorum opera eo modo quo possunt, conculcant.

165. *Alter plantam fratris manu tenebat*, cur addidit *manu* Moyses? quomodo enim eam alio modo tenere potuisset? non equidem ore, hoc enim creditu difficile fuisset puerulum ore plantam tenuisse; aduerte quod per manum iusti, qualis fuit Iacob, designantur bona illius opera, quod autem est sub alicuius planta, hoc ab eo conculcatur: dicamus igitur manum Iacob sub planta fratris fuisse, in signum quod impii bona iustorum opera quasi pedibus conterere deberent, fauet cit. Steph. *illud quod sub planta est*, inquit, *conculcatur, & quod boni perpetrant & eligunt in opere, mali illud conculcant & abiiciunt.*

Stephanus Cant.

Beneficia Dei in patrem collata in medium proferuntur, vt filii peruersi, Dei misericordiam & suam duritiem agnoscant.

166. *Alter plantam fratris manu tenebat*, vnde dictus est Iacob, id est supplantator, quam supplātationem commemorat Oseas 12. cum ait in vtero supplantauit fratrem suum, sed cur Oseas huius supplantationis factæ à Iacob non viribus naturalibus, sed virtute diuina filiis suis nempe Israeli meminit? vt beneficio in patrem collato agnito & Deum misericordem venerentur, & suam deponant prauitatem. sic Hier. in cap. 12. Oseæ exponit (inquit) *quanta bona Iudas hoc est Iacob accepit, & in patre filius nominatur, veterisque recordatur historiæ, vt ex Dei misericordia erga Iacob & illius contra Dominum duritia cognoscatur, dum adhuc esset in vtero supplantauit fratrem, non vtique fortitudine propria quæ sentire non poterat, sed misericordia Dei, qui cognoscit & diligit eos quos prædestinauit.*

Oseas 12. Beatus Hiero.

Ita primogenitura in pretio ab hominibus habetur vt de ea nondum nati contendant.

167. *Alter plantam fratris manu tenebat*, scilicet volens impedire, ne frater suus prior vterum egrederetur, sicque primogenitura priuaretur, Esau autem fratrem in vtero materno collisit, vt possiet prior exire, sicque primogenitus esse, cur sic contendunt pueri? de quo est certamen & disceptatio? sane de primogenitura, quæ ab hominibus in tanto habetur pretio, vt de ea nondum nati decertent. *non mirum* (inquit Oleast.) *si tanta primogenitura inter fratres sit disceptatio, post quam videmus quid propter hanc faciant pueri.*

Oleaster.

Boni Angeli à malo nos retrahunt.

168. *Alter egressus tenebat plantam fratris manu*, si natura hoc ei conferit beneficium, vt prior lucem intueatur, cur hoc ei demere niteris per Iacob cur Angelū non intelligemus? cum aliquando visiones Angelorum habere meruerit, imo ab vno victoriam retulerit: quo posito recte Esau fratris plantam tenere dicitur, ne egrediatur, quia boni Angeli à malo cui consensum præbere volumus, retrahunt: hoc moraliter ita dictum est à Guill. Pep. *per Iacob qui tenebat plantam fratris designatur bonus Angelus, qui videns hominem cuius custodiam gerit volentem exire ad peccandum ipsum quantum potest citra tamen coactionem retrahit, ne peccet: in cuius rei signum legitur Num. 22. quod cum Balaam iret ad maledicendum populum Domini occurrit ei in via Angelus Domini, tenens gladium in manu sua fecitque diuertere asinam illius.*

Guill. Pepinus. Num. 22.

Tot miseriis & calamitatibus mundus abundat, vt quasi eligibilius foret non nasci quam eum colere.

168. *Alter tenebat plantam fratris sui*, ne scilicet egrederetur ex vtero materno, quo ductus impulsu satagis, vt frater hac luce non potiatur? cur detines, ne mundi huius fiat incola? quia tantis miseriis & calamitatibus abundat, vt quasi eligibilius foret non nasci, quam in eo commorari, nescio si ad hoc respiciens dixit Iob cap. 10. vers. 18. *quare de vulua eduxisti me? qui vtinam consumptus essem ne oculus me videret, fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum*, quæ verba exponens D. Thomas ait. *præstaret non nasci aut expirasse, vita malis caruissem.*

Iob. 10. D. Thom.

Prædictio Dei cito suum sortitur effectum.

169. *Alter egrediens plantam fratris tenebat manu*, si fortior & robustior erat Esau, siquidem iam pilis obtusus erat, qui autem pilis abundat, robur corporis habere denotat: quomodo à fratre suo premitur,

vt planta pedis sui ab eo teneatur, & quasi iam ei subiiciatur tanquam inferior? nonne dixerat Deus, maior seruiet minori? bene igitur iam tenere calcaneum fratris tanquam eum comprimens & subiiciēs dicitur, quia prædictio Dei ilico fere suum sortitur effectum: sic Chrysost. *quasi iam ab initio monstret Deus quod prædicebatur maior seruiet minori, dicit enim tenebat manu calcaneum eius, id quod erat signum defatigantis eum qui fortis videbatur.*

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVI.

VVLG. Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt paruuli.

Sep. Isaac autem erat sexaginta annorum, quando peperit eos Rebecca.

Heb. Quando genuit.

Arias, Et Ischah filius sexaginta annorum in gignendo ipsos.

CONCORDIA.

FAcilis quidē est, nam si noster vulgatus hoc nomen *paruuli*, addidit, quod in nulla alia lectione reperitur, non superflue quidem, sed maioris claritatis gratia.

EXPOSITIO.

SExagenarius erat Isaac, ex quo cōstat quod viginti annorū spatiō cum vxore sua Rebecca absque liberis permansit, annos enim natus quadraginta eam in coniugem accepit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Quod vir vnicam solū vxorem habere debeat, præsignatur.

170. SExagenarius erat quando nati sunt ei paruuli, cur Isaac infra tot annos infœcunditatis suæ, aliam non cepit vxorem, vt ex ea filios suscipe-ret? in illis enim temporibus plures habere licitum erat, tum etiam patrem suum, Sara etiam viuente, sciebat aliam duxisse coniugem, nempe Agar: aduerte Hieremiam & Eliam castitatis Euangelicæ seruādæ typum exstitisse; restat vt foret aliquis, qui coniugalem continentiam designaret, dicamus igitur forte aliam præter Rebeccam vxorem non accepisse, ad significandum quod vir vnius vxoris esse deberet: nobis adstipulatur Dionys. Chartus. *Isaac* (inquit) *specialiter commendatur de continentia coniugali & castitatis amore non duxit secundam, ita quod sicut Elias ac Hieremias sua cōtinentia virginali Euangelicæ castitatis Typū gesserunt perfecte, sic Isaac præsignauit continentiam quæ in Euangelica lege est, coniugalem, in qua vnus vniu s est compar.*

Chrysostomus Cartusianus.

Qui Deo consecratus, continentiæ sit custos.

171. *Sexagenarius erat quando nati sunt ei paruuli*, vxorem aliam ducere quis vetuit, vel saltem concubinam minus præcipuam coniugem sumere, nullam enim Rebeccæ iniuriam irrogasset, tum quia erat sterilis, tum quia lex id non prohibebat, cur ergo continentiam seruat coniugalem? obserua quod ex quo Isaac in holocaustum oblatus est, Deo consecratus censetur: quid mirum igitur vnicam solum voxrem habuisse? qui enim Deo consecratus, continentiam profiteatur, sic apud. Lipp. *Hebræi dicunt* (inquit) *quod non licuit Isaac plures habere vxores, ex eo quod sponte accessit vt Deo in holocaustum immolaretur, quia ex tunc Domino extitit consecratus.*

Lippomanus.

Postulata Deus differt, vt postulantium virtus manifestetur.

172 *Sexagenarius erat quando nati sunt ei paruuli*, in quanam ætate duxit vxorem? ait textus, qui cum 40. annorum duxit vxorem, quomodo Deus permisit dilectum suum Isaac, tot annos intermedios sine liberis esse? nonne plurimas orationes apud eum fudit, vt sterilitas vxoris suæ auferretur? quomodo ergo per viginti annos integros hoc distulit: ideo quidē distulit vt animos postulantium patientia & aliis virtutibus exscultos declararet: ita D. Chrysost. hom. 44. in Genes. *vult docere nos Deus magnitudinem patientiæ Isaac, & clare indicare quanto tempore liberis caruerit, vt & nos æmulantes iustum, assidui simus in Dei precibus si quando aliquid à Deo petierimus.*

D. Chriso.

Laudabile est post susceptos liberos ab actu coniugii abstinere.

173. *Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei paruuli*, diximus miræ fuisse præditum continentiæ, qui existente vxore infœcunda, aliam ducere noluit, sed post susceptos hos geminos, à coniugali commercio abstinuisse vsque ad mortem, est ne credendum? sic tenet Gregorius Nissl. sed cum duos solum liberos haberet, cur adhuc generationi non indulget, vt plures nominis sui & bonorum relinqueret hæredes? recte ab vsu matrimonii post prolem abstinet, hoc enim maxime laude dignum est, fauet cit. doctor libro de virginit. capite octauo *Isaac non florescente ætate vt affectioni coniugium seruiret, sed exhausta iam adolescentia ob Dei in semine benedictionem Rebeccam in matrimonium duxit, cui cum vsque ad partum operam duxisset, rursus iis quibus quæ oculis non cernuntur, totus fuit clausis corporis sensibus, id autem mihi significare videtur historia quæ grauem illius patriarchæ obitum denotat.*

S. Greg. Nissen.

Pudore confundantur qui matrimonii leges violant.

174. *Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei paruuli,*

Pudore confundantur qui matrimonii leges violant.

174. *Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei paruuli.* mirabilis sane in Isaac continentia, qui cum vir diues ac nobilis esset, & cum pluribus coniungi vxoribus ei licitum fuisset, vna tamen cõtentus, post longam ætatem coniugio dat operam, susceptoque vno geminorum partu, ab vxore deinceps abstinet, vt expeditius diuinarum rerum studio & contemplationi vacaret. sed nonne plures in lege gratiæ diuites & nobiles, non solum vna vxore contenti, imo nec pluribus concubinis satiati, voluptatibus illicitis vbique indulgent? quomodo igitur in lege naturæ, qua pluribus vti licitum erat vxoribus, ab eis abstinet, vnius vir? vt pudore afficiantur & confundantur legem Euangelicam amplectentes, cùm ab antiquis in virtute superentur, imo omnibus vitiis se ingurgitent, & præcipue libidinibus etiam coniugati indulgeant. *quotus enim* (inquit Saluian. lib. 4 de prouident.) *quisque est diuitum connubii Sacramenta obseruans, quem non libidinis furor rapiat in præceps? cui non domus, non familia sua fit scortum? & qui non in quamcunque personam cupiditatis improba calor traxerit mentis sequatur insania? de talibus dicitur Hierem. 5. equi insanientes in fœminas facti sunt, quid enim aliud quàm de se hoc dictum probat, qui totum hoc peruadere vult concubitu quicquid conceperit aspectu?* Saluian. Hierem. 5.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVII.

VVLG. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola, Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.

Sept. Creuerunt autem iuuenes, & erat Esau homo sciẽs venari, agrestis, Iacob autem simplex habitans domum.

Cald. Et creuerunt pueri, & fuit Esau vir pugnator, vir egrediens in agrum, Iacob autem erat vir perfectus minister domus doctrinæ.

Pagn. Esau vir sciens venationem, vir agricola, & Iahacob vir perfectus manens in tabernaculis.

Aliq. Iacob vero sine dolo.

CONCORDIA.

DIctio תם tam à verbo תמם thamam venit, quod est consummare, complere, perficere, consummatum, simplicem, perfectum, integrum, immaculatum, innocentem, significat, vnde varie ab auctoribus versa est prætata dictio, si Caldæus habet, minister domus doctrinæ, ideo est quia secundum Hebræos in spiritalibus formabatur à Melchisedech & Heber.

EXPOSITIO.

175 QVibus adultis, cùm peruenissent scilicet ad annum 15. vel 20. in qua ætate quis vocatur adultus, *Factus est Esau vir gnarus venandi,* hanc artem perfectissimè calluit, & multos modos, quibus aues & feræ caperentur, adinuenit, *& agricola* agriculturæ etiam vacans, *Iacob autem erat simplex,* scilicet simplicitate columbina, quæ dolum & fictionem excludit, veramque includit prudentiam, qua simplicitate præditus fuit Iob sanctus, non simplicitate asinina, quæ industria caret atque discretione, *habitabat in tabernaculis,* domi quietus & pacificus manebat, nisi eum negotia compellerent foras abire.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Matris disciplina salutaris adolescentibus.

176 F*Actus est Esau vir gnarus venandi, Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis,* ecce equidem duo gemelli, diuersissimis tamen moribus, Iacob omni virtute ornatus, Esau autem agrestis, sanguineus, vt qui crudelitatem didicerit, vnde tanta morum diuersitas? attentè consideremus quid dicat textus, habitabat in tabernaculis, & diligebat eum Rebecca mater sua: quid autem de Esau dicitur? Isaac eum amabat, eo quod de venationibus eius vesceretur, ecce igitur cur mores diuersi Esau, vt patris morem gereret, venationi vacans, ferus cum feris fiebat, Iacob autem domi sedens totus matris eius disciplinam referebat, in morum simplicitate & facilitate, & de matris consiliis viuebat. Sciens ad omne infortunium ad vbera eius confugere, sic hortatur pueros vt hæreant maternæ disciplinæ, hortatur inquam Petr. Abb. Cell. lib. de panibus cap. 5. *assuescat paruulus matris collo pendere, brachiolis vultum pendulum & pauidum ab omni malo occursu, retorquere in faciem parentis, omnes tanquam inimicos, præter alumnos, fugere, aduersus omnes infortunium ad vbera reuolare, & in gremio matris assidue cubitare.* Petrus Cell.

Vana Astrologorum obseruatio circa natiuitates deridenda.

177. *Factus est Esau vir gnarus venandi & agricola, Iacob autem simplex & habitans in tabernaculis,* nonne hi duo iuuenes, eisdem parentibus, vnoque statu atque conceptu procreati? quomodo igitur diuersissimis fuere ingeniis, studiis, moribus, casibus, & fortunis? vt sciremus stultissimam esse & vanissimam genethliacorum prædictionem, qui ex natalitiis hominum eorum vitam futuram præsagiunt, quos acutissime redarguit D. Aug. libro 5. de Dei ciuit. cap. 4. *nati sunt duo gemini antiqua Patrum memoria Iacob & Esau, vt de insignibus tantum loquar, sic alter post alterum, vt posterior plan-* August.

tam prioris teneret, tanta in eorum vita fuit, moribusque diuersitas, tanta in actibus disparilitas, tanta in parentum amore dissimilitudo, vt etiam inimicos, eos inter se faceret ipsa distantia, vnus duxit mercenariam seruitutem, alius non seruiuit, vnus à matre diligebatur, alter non diligebatur, vnus honorem qui magnus apud eos habebatur, amisit, alter adeptus est, quid de vxoribus, quid de filiis? quid rebus aliis compluribus, quanta diuersitas? idem argumentum prosequitur lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 22. *fieri potest* (inquit) *vt aliqui gemini tam se quaciter fundantur ex vtero vt internallum temporis inter eos nullum possit apprehendi, constellationũ numeris annotari; vnde & necesse est non nullos geminos easdem habere constellationes, cum paria rerum vel quas agunt vel quas patiuntur euenta non habeant, sed plerumque ita dispa ia, vt alius fœlicissimus, alius infœlicissimus viuat, sicut Esau & Iacob geminos accipimus natos, ita vt Iacob, qui postea nascebatur, manu plantam fratris praecedentis tenens inueniretur. horum certe dies, atque hora nascentium aliter notari non posset, nisi vt amborum constellatio esset vna, quantum autẽ interfit inter amborũ mores, facta, labores; atque successus scriptura testis est, iam ore omnium gentium peruagata.* certe ita ex hac historia possumus arguere vanitatem huiusmodi astrologorum, vel enim illi duo gemini nati sunt sub eadem constellatione, vel sub diuersis; si sub eadem, atqui diuersis longe fuere moribus, & institutis, vt ex scriptura docet hic Augustinus: si verò sub diuersis constellationibus, quod non simul sint nati, sed vnus post alterum; certe vt argumentatur Diuus Gregorius homilia decima in Euangelium, ob eandem causam iudicandum esset nullum hominem sub eadem constellatione totum nasci, quia non totus simul ex vtero procedit: erunt igitur tot hominis facta quot membra corporis, Iacob enim proxime natus est post Esau, perinde quasi vnus infans instar duorum vel duplo longior nasceretur, vt loquitur Augustinus libro secundo de Genesi ad litterã capite decimo septimo, vbi eodem argumento vtitur ad confundendos Mathematicos.

D. Gregorius.

Studio sacræ scripturæ perfecti euadimus.

178 *Esau factus est gnarus venandi & Iacob vir simplex*, legimus Deum dixisse Malach 1. Iacob dilexi, Esau autem odio habui, vnde quæso erupere illa vitia, quæ Deus odit in Esau? vnde floruerunt illæ virtutes, quas dilexit in Iacob? nisi quod Esau potius venationi quam lectioni vacabat, Iacob vero habitabat in tabernaculis idest, vt Hebræi apud Lyranum interpretantur, in gymnasiis litterariis, vbi de diuinis mysteriis & oraculis à duobus magistris Melchisedech, & Heber instruebatur. Sic enim ex sententia Hebræorum loquitur Abulensis, *vocantur hic scholarum loca, in quibus manebat Iacob addiscens sapientiam, & Dei timorem, erat autem vnum tabernaculum Melchisedech, qui erat sapiens & sacerdos Dei excelsi, erat aliud tabernaculum Heber, qui propheta erat, & docebat de rebus diuinis.*

Abulens.

A puero consuetudo peccandi comparata, in senectute difficillimè auellitur.

179 *Esau factus est gnarus venandi*, quandonam? cùm adoleuerat, Esau nunc in vitæ suæ termino, abstinuit à ferinis moribus, & à praua vitæ consuetudine? non legimus, quomodo à sanctissimis parentibus Rebecca & Iacob trahens originem, tandem ad meliorem frugem non rediit? nota quod per hominem venationi deditum, quia feras quadam immanitate sequitur, & opprimit, sanguineque eorum delectatur, hominem prauis moribus & peccatorem intelligimus: vnde in hæc verba prorumpit D. Ambr. serm. 8. in Psal. 118. nullum inuenimus in serie scripturarum de venationibus iustum, Esau ergo per gnauiam venandi, significatur Esau peccatis deditus, quo tempore, cum adoleuerat, inquit textus, id est ab adolescentia: quid mirum igitur, si nec in fine resipuerit, quia à puero peccandi consuetudo acquisita, difficillime deinde auellitur, recte philosophatur in hanc rem D. Chrysost. hõ. 11. in 1. Corinth. 4. *& mala*, inquit, *& bona quanto diutius in nobis immorantur, eo vehementiora fiunt, igitur qui nondum vitiis se subdiderunt, his ne capiantur suadeo, facilius enim cauere casum possumus, quàm post casum resurgere.*

S. Chryso.

Homo terrenis deditus, tanquam pecus in terram semper demittitur.

180 *Esau factus est gnarus venandi & vir agricola*, alii vir agri, vir terræ, cur vir terræ dicitur, cum hoc sit omnibus hominibus commune? sine dubio emphaticè sic dicitur, quasi significare vellet Moyses, ita terrenis deditum, vt nihil aliud nisi terram saperet, & ad instar pecudis semper in terram vultũ haberet demissum, cui rectè adaptari potest sententia D. Greg. Nyss. lib. de virginit. cap. 5. dicentis *vt porcorum oculi natura in terram conuersi rerum cælestium aspectum non habeant, sic animus luxu*, adde rerum terrenarum, *perditus, cum ad ea quæ sunt pecudum inclinatus sit, non cælum amplius, neque reliquarum rerum conuenientiam & decorem cernere poterit.*

S Greg. Nyss.

Deus non hominem sed peccatorem odio habet.

181 *Esau factus est gnarus venandi*, miror quod de hoc homine dicat Deus Malach. 1. Esau odio habui, nam audi: scimus dictum, nihil eorum quæ fecerit, odisse, aut igitur Esau non formauit, aut certe odio habere non potest: odio quidem non habet inquantum hominem, nam illius conditor est, sed inquantum peccatorem & sceleribus contaminatum. Sic Hieron. ad locum Malach. *porro*, inquit, *odium Dei vel ex operibus nascitur, vel ex præscientia, alioquin nouimus quod omnia diligit Deus, nec quicquam eorum odérit quæ condidit, sed propriè suæ eos vindicet charitati qui vitiorum hostes sunt & rebelles, & è contrario illos odit, qui à Deo destructa cupiunt iterum exstruere.*

Malach. 1.

Hiero.

Qui negotiis exterioribus deditus est, ab iis difficile se eximit.

182 *Esau factus est gnarus venandi, & homo agricola*, non est dubium per hominem deditum venationi, variis abstractum curis, & negotiis sæcularibus designari, quo posito, cur Esau vltra venationem, cui vacabat, se confert etiam ad agriculturam, cui non exiguus labor impenditur, & non parum mentem distrahit? vt nobis denotetur, quod qui semel se exterioribus implicat negotiis, ab iis vacare non potest, sed semper eis absorbetur, hoc innuere videtur D. Greg. lib. 5. moral. cap. 7. *quid per venationem Esau nisi eorum vita significatur, qui amatores huius sæculi, tanto magis exteriora colunt, quanto interiora sua inculta relinquunt?*

Gregorius Magnus.

Pecca-

Peccatorum vita laboriosissima, licet eis iucunda maximè videatur.

183. *Esau vir gnarus venandi*, quis non dicet vitam Esau deliciosam? quis enim voluptatem quæ ex venatione percipitur, ignorare potest? hac enim etiam reges summopere delectantur, quid enim iucundius aspectu, quam canibus ceruum fugientem prosequi, leporem assequi, aprum syluestrem retibus implicare, & liberum venabulo opprimere? sed inferius, quid ipsemet fateatur audiamus, oppido lassus sum, da mihi de coctione hac russa, dixit Iacobo, cui dixit, vende mihi primogenita tua, ille respondit, en morior! quid mihi proderunt primogenita? quid? nonne diximus vitam Esau deliciis plenam? quomodo nunc ita miseram reperimus vt eum quasi ad interitum deducat? vt cæcitatem eorum attendamus, qui ita decipiuntur, vt quod laboriosissimum est, iucundum eis tamen summopere videatur. quod eleganter exprimit D. August. lib. de patientia, (D. August.) *mirueamini charissimi*, inquit, *quanta in laboribus, & doloribus homines dura sustineant, pro rebus quas vitiosè diligunt, & quanto se his fœliciores fieri putant, tanto eas infœlicius concupiscunt, quanta pro falsis diuitiis, quanta pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus periculosissima, & molestissima patientissimè tolerantur, pecuniæ & gloriæ cupidos videmus, vt ad desidera peruenerint, adeptisque non careant, soles, imbres, glacies, fluctus, & procellosissimas tempestates, aspera & incerta bellorum, immanium plagarum ictus, & vulnera horrenda, non ineuitabili necessitate, sed culpabili voluntate perferre, quid de latronibus dicam? quorum omnes, cùm insidiantur viatoribus, noctesque perpetrantur insomnes, atque vt transeuntes excipiant innocentes, sub qualibet cœli asperitate nocentem animum corpusque desigunt, quidam vero eorum inuicem torqueri perhibentur, ita vt exercitatio contra pœnas nihil distet à pœnis, non enim tantum fortasse excruciantur à iudice, vt à dolentibus veritas inquiratur, quantum à suis sociis, vt à patientibus non prodantur; egestate & fame steriles, vt inquit sanctus Iob, qui rodunt in solitudine squallentes calamitate, & miseria, mandunt herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum est cibus eorum: qui de conuallibus ista rapientes, cum singula reperiant, ad ea cum clamore currunt, in desertis habitant torrentium, & in cauernis terræ, vel super glaream, & tamen cum talem vitam agerent, lætantur; & esse sub sentibus delitias putant.* en tibi ad vnguem malorum, pessimorumque vita? en tibi deceptio eorum, quæ quidem non solum latronum tantum, sed, & omnium est peccatorum, qui esse sub peccatorum sentibus, delicias putant, & labores non labores, sed requiem, etiamsi deficiant, etiam si vsque ad mortem defatigentur, & hoc vt egregie dicit Augustinus, non ineuitabili necessitate, sed culpabili voluntate, quod valde notandum, nam si necessitas vrgeret si aliud facere non possent, si coacti talia sustinerent, aliquam haberent excusationem: at voluntarie talia pati, & sustinere, sic viuere, seu potius sic viuendo mori, hoc mirum, hoc mirandum.

Iusti licet imprudentes videantur hominum oculis, sunt tamen singularis prudentiæ, è contra impii.

184. *Esau vir gnarus venandi, Iacob autem simplex*, propter gnauiam & industriam in venatione & in agricultura solertiam, & ingenium prudentissimum arbitraberis, Iacob è contra, quia simplex dicitur, & domi manens, hominem imprudentem censebis: sed nonne Iacob primogenita fratris sui Esau sibi comparauit? quisnam è duobus prudentior, vel qui iacturam fecit primogenituræ, vel qui eam consequutus est? certè secundus iudicio bene sensatorum, & ipsiusmet Dei talis existimabitur, alter autem nempe Esau imprudentissimus, quod D. Petrus Damian. in Apologetico de contempt. sæculi cap. 20. primo fatetur. (Petrus Damian.) *iste prudenter simplex fratris primogenita & benedictionem patris pronectus sui cautus executor accepit, ille fatuitate gnarus, quia in gladio vineret & fratri suo velut Domino famulus seruiturus esset audiuit.*

Deus iustorum famæ consulit.

186. *Iacob autem vir simplex*, nonne materno consilio inductus fratri suo seniori paternam benedictionem præripuit? quis non credet hoc audiens, Iacobum peruersa fuisse calliditate, & contra fas ac ius fraternam benedictionem præoccupasse? certe videtur ita censuisse, vel ipse pater Isaac dicens, venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam Genes. vigesimo septimo, ita & frater eius iustè est suspicatus, iuste inquit vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me en altera vice, primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam: vbi Iacobi fraudes duplici nomine accusat, & quod modò benedictionem, & paulò ante primogenita surripuerit, necesse est ergo, vt Iacob & paterno & materno testimonio conuictus, in manifestam apud omnes infamiam deueniret, callidusque ac fraudulentus ab omnibus haberetur. quomodo igitur Deus eum simplicem, vel vt habent alii, perfectum nominat? imo vt eum ab omni infamiæ periculo liberaret, eius simplicitatem anteà prædixit, vt sic alienus ab omni fraude & calliditate probaretur, cum simplicitatem à pueritia coluisse diuino testimonio diceretur, quod egregie expendit D. August. (D. August.) lib. decimo sexto de Dei ciuit. cap. trigesimo septimo, *iste dolus*, inquit, *Iacob ne putaretur fraudulentus dolus, & non in eo magnæ rei mysterium quæreretur; superiùs dixit scriptura, erat autem Iacob vir simplex, hoc est sine dolo, quis est dolus sine dolo? quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis?* consuluit ergo Deus Iacobi nomini, ne qua fraudis & calliditatis inuidia, princeps & caput illius populi apud posteros laboraret.

Qui à negotiis secularibus abstractus est, conscientiæ puritatem retinet.

187. *Iacob vir simplex habitabat in tabernaculis*; siue vt alii, habitabat domi, quis nexus inter hæc verba, scilicet quod domi manebat, & erat vir simplex, vel vt minus obscurè Chaldæus, vir perfectus? nam quid ad vitę perfectionem confert domi manere? aduerte per domi manentem intelligi à negotiis sæcularibus abstractum hominem, cui curæ est tranquillitas? merito igitur hæc duo connectuntur, *in tabernaculis siue domi manebat & erat simplex*, id est perfectus, quia qui à curis huius sæculi se eximit, simplicitatis columbinæ & conscientiæ puritatem retinet: hoc præstat

Ec

S.Gregor.Mag. audire à D. Gregor.Mag.lib.5.Moral.c.7.*Iacob vir simplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur quia nimirum omnes qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cogitatione atque in conscientia suæ habitatione consistunt, in tabernaculis enim aut in domo habitare est se intra mentis secreta restringere, & nequaquam exterius per desideria dispare, ne dum ad multa foris inhiant à semetipsis alienati, cogitationibus recedant.*

Qui ab adolescentia virtutem amplectitur, eam nec in fine vitæ dimittit.

188. *Iacob vir simplex habitabat in tabernaculis,* B alia littera, Iacob vir perfectus, æquitatem morumque bonitatem & virtutem vnquamne deseruisse non legimus, quamuis pluribus abundaret diuitiis, peccatorum illecebris: anne etiam vitæ terminum claudens, à priori vitæ instituto cessauit? non equidem, vnde in eo continuata pietas virtus nec non perseuerans? inspice quid de eo dicat textus, vir simplex, quandonam? cum adolescebat, id est ab adolescentia pietati studuit: merito igitur nec ab ea in fine vitæ deflectentem vidimus, quia qui à primæuis annis viam virtutis sequitur, nec in vltimo vitæ termino deseret. hoc attendens D. Paschas. Ratber. lib. 5. lament. Hierem. lit. Teth, & exponens hunc versum, bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia, ait, *qui à primæuis portauerit iugum Dei, iugum autem illius quid est? nisi semitis mandatorum eius inhærere, viamque virtutis amplectens sedebit donec plena se perfectione virtutis erudiat,* præme hæc vltima verba, significant enim in virtutis amore permansurum.

S.Paschas. Hierem.3.

Simplicitas cum prudentia coniungatur.

189. *Iacob vir simplex,* ne quæso simplicem dixeris, ò Moyses, sed astutum, cùm benedictionem paternam à fratre in suam vtilitatem transtulerit, imo simplicem, sed etiam prudentem fatearis; cùm enim esset candore & morum syncerit ate prædictus, prudenter tamen se gessit in consequenda paterna benedictione. *simplex Iacob,* inquit Procop. *id est nullo laborabat vel proprio vel aliunde ascitio malo pectore, aperta omnia nec quicquam simulatione faciebat, non vult Moyses vt intelligamus Iacobum fuisse stultum dum simplicitatem ei tribuit, quo ore enim illum stultum dices, qui tanta solertia paternam benedictionem sibi procurauit?*

Procop.

A Deo sapientiæ luce illustrantur, qui morum simplicitatem amplectuntur.

190. *Iacob vir simplex,* tantumne laudis encomiũ, vt hominem tantum nominet Moyses simplicem? alus virtutibus dicat prædictum, hūc illustrem, ipse constantem, charitate feruidum, sed obserua quæso quid Prouerb. cap. 3. dicitur & cum simplicibus sermocinatio eius scilicet Dei, quæ verba exponens Venerab. Beda ait, *sermocinatio Domini cum simplicibus est, quia illos cælestis sapientiæ secretis illustrat: quos nec tenui fastus ac duplicitatis nihil habere consideras,* en quomodo qui morum simplicitatem amplectitur, à Deo sapientiæ luce illustrari meretur.

Prouerb 3. Venerab Beda.

Familiaritas siue societas exterorum declinanda.

191. *Iacob vir simplex & habitans in tabernaculis,* vel domum inhabitans, quid refert vt simplicitatem A acquireret siue conseruaret, domi manere, foras non vagari? multum equidem, qui enim domi se continet, suorum societate contentus, externam non quærens nec familiaritatem cum exteris, non contrahere, morum candorem retinebit, ita ad hunc modum colligit Procop. dicens, *causam probitatis quæ in illo reluxit, imputat viri sinceris & incorruptis moribus, non enim externas quærebat amicitias, intra suam se continebat domum, proinde nihil inquinabatur contagiosa reliquorum familiaritate, quæ plurimos etiam generosos mores inficere solet.*

Procop.

Religiosus extra claustrum discurrens bonorum maximam facit iacturam.

192. *Iacob vir simplex & habitans in tabernaculis,* & vt alii, habitans domum, sine dubio typus quidam religiosorum hominum, Iacob habitans in tabernaculis, qui non vago progressu, per fora, & mortalium consessus percurrens, sed in quo Iacob domi manens, religiosum designare potest? aduerte quod Iacob ex eo quod domi manserit, paternam benedictionem consequutus est, & illius, vagus Esau, iacturam fecerit, sic enim ait D. Damian. Apol. de contemp. sæculi cap. 20. Iacob nisi in tabernaculis C resedisset, procul dubio primitiuæ benedictionis munimis exueret, Esau nisi peruagus se in exteriora proiceret, primatus sui priuilegio non careret, optimè igitur diximus Iacob typum religiosorum, quia sicut domi manens paternam benedictionem adeptus est, quam vagus consequutus non fuisset; ita religiosus in claustro sedens solitarius plurimorũ fit bonorum animæ possessor, qui autem vago progressu foras discurrit, illaqueatur, polluitur, & vitæ religiosæ opes facto naufragio dissipat, nescio si ad id respiciens Ioannes Geometra in paradiso tetrastichorum moralium & piorum 1. tetrasticho, cecinit.

Ioannes Geometra.

D

Cammarus haud ædes proprias, patriamque relinquit,
Nec mutis pisces littora prætereunt,
Et Monachus sua vult tamen extra claustra morari,
Cum Monachis in foribus multaque vincla sient,

sic etiam Damian. in Apol. de cont. sæculi c. vigesimo, *tu si vis animam tuam in suæ virginitatis integritate persistere, si abominandum dutis fœdis & violentis corruptoribus subiacere, secretum appete, recessum singularitatis inquire, aures & oculos à negotiorum sæcularium vanitate firmiter obstrue, carnalium hominum colloquia destructionis magis quàm* E *ædificationis profutura contemne, nam iuxta Salomonem: qui tangit picem inquinabitur ab ea, intra conscientiæ ergo tuæ te cubiculum collige: cunctis domus tuæ foribus, cunctis videlicet sensibus censoria disciplinæ repagula, ne quis ingrediatur, appone, fons enim, cui circumquaque, ne effundatur occluditur, vndis ad alta profluentibus eleuatur. è contra qui per plures riuos hinc inde deducitur, mox vt super eum æstus feruentior incubuerit, exsiccatur, denique si deambulanti Dauid in solario domus regiæ clausæ fores obstitissent, in lauantis se Bersabeæ concupiscentiam nullatenus exarsisset: sed quia oculum sub* F *custodia disciplinæ non tenuit, ipse quoque post eum in immane hiantis ruinæ barathrum totus in præceps ruit. lubricatis enim gressibus, totus fuit expertus est lapsum, dum solius fræna relaxauit obtutus: cui videlicet illud Hier. aptissimè congruit: deprædatus est inquit oculus meus animã meã, si ergo tam sublimi cæli colũna,* propter

Petrus Damian. Eccl 13. 2. Reg 11. Hierem 3.

propter solam oculorum vagationem grauissimè corruit, quid de nobis infirmis & paruulis sentiendum, qui per saeculum discurrentes nos extra nosmetipsos prorsus educimus? & visum atque auditum, omnesque sensus nostros hauriendis mundi vanitatibus occupamus. en quomodo vagatio multis fuit occasio pereundi.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVIII.

VVLG. Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur, &, Rebecca diligebat Iacob.

Sep. Dilexit autem Isaac Esau, quoniam venatio eius erat cibus ipsi.

Pagnin. Quia venatio in ore eius, sic etiam *Oleaster.*

CONCORDIA.

QVod Hebraicè satis obscurè dictum est, venatio in ore eius, clariùs exprimitur ab aliis lectionibus, scilicet quod de venationibus illius vesceretur, sensus enim Hebraicæ linguæ est, Isaac quotidie carnem ferinam habebat, qua libenter vescebatur, & quam Esau venabatur portans ad os patris.

EXPOSITIO.

ISaac amabat Esau, non simpliciter & absolutè, *sed quia de venationibus eius vescebatur,* non enim persona Esau erat amabilis, nec aliud in eo dignum amore patris erat, præter cibum eius venatione comparatum, *& Rebecca diligebat Iacob,* absolutè scilicet & simpliciter, plura enim erant in Iacob, quæ Rebeccam ad eius amorem alliciebant, atque incendebant, tum etiam quia oraculo diuino edocta erat, Iacob præpositum iri Esau, & huius progeniem illius posteritati seruituram.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iusti aliquando non recti virtutum ponderatores.

194. ISaac diligebat Esau, in eo enim tanquam in primogenito, existimat adimplendas esse promissiones diuinas, sed cur etiam non dicitur, quod Iacob amore prosequutus fuerit, cùm in eo tot virtutes elucerent, nullæ autem in Esau? quia iusti aliquando non sunt recti virtutum ponderatores. Fauet Thom. Angl. *non fine causa scriptura carnale obsequium & edulium dicit esse motiuum huius prædilectionis, vt innuat quod etiam in sanctis viris est plerumque aliquid affectionis carnalis, quo ad aliquid obscurantis iudicium rationis saltem pro quanto homo plus debito bonum sentit de sibi magis obsequiosis.*

Tho. Angl.

Dignus præmio qui ex certamine victoriam refert, sicut dignus commiseratione qui victus succumbit.

195. *Isaac diligebat Esau,* non absolutè vti diximus, Rebecca autem diligebat Iacob simpliciter, amor Rebeccæ in Isaac in præmium & mercedem, illi cedit; amor vero Isaac in Esau, ex commiseratione in eum prouenit, cur solum ex commiseratione pater diligit Esau, mater autem in præmium amat Iacobum? aduerte quod Iacob, in hoc quod tenuit plantam fratris, victorem se designauit, qui enim in calcaneum alterius in certamine apprehendit, victor censendus est, bene igitur à nobis dictum est Isaac dilexisse Esau ex commiseratione, hac enim dignus est, qui victus succumbit, Rebeccam autem Isaac in præmium, eo enim dignus est qui ex certamine refert victoriam, mens est D. Chrysost. Serm. de Iacob & Esau, *diuidit enim amorem vterque parens, vtrumque nascentem, sic pater maiorem, sic mater minorem assumit, pater in vtero victum amore solatur, mater vero victorem diligit quem pugnantē non videt.*

S Chrysost.

Virtus æquales nos efficit.

196. *Isaac diligebat Esau,* si nulla est in eo morum simplicitas, si nullum virtutum studium in eo elucet, cur à patre diligitur? imo cur non habetur odio, cū vitium nil aliud mereatur? audiamus citatum Chrysostom. optat pater victori victum æquari, si victi mores possent à malitia immutari; expende quæso hæc verba, *optat pater victori victum æquari,* victus est Esau, victor autem Iacob, cupit autem Isaac medio amore quo in Esau fertur, æqualem reddere victori, nempe Iacobo: sed ô Patriarcha, si nihil dissimilius quā vir iustus & improbus, quomodo æquales constituentur filii tui, quorum vnus virtutem amplectitur, alter autem vitium diligit? respondet, *si victi mores possent à malitia immutari,* quasi diceret, æquales erunt, dummodo Esau qui est improbus vitiis valedicat, virtutisque viam sequatur.

Cir. Chrys.

Parentes laborent vt filium alteri non præferant.

197. *Isaac amabat Esau, Rebecca autem Iacob,* cerneres vtrumque parentem in suo quemque dilecto, magis honorando contendentē, sed qua de causa in hoc contendunt? nonne Esau erat primogenitus? amor igitur illorum in eum feratur tanquā futurorum bonorum hęredem, imo nec in eum solum feratur, sed in vtrumque, vt vnus alteri non præ-

feratur, quod rectè obseruat D. Ambros. lib. secundo de Iacob & vita beata cap. secundo, *pio, inquit, affectu Isaac de Patriarcha & sancta Rebecca certabant, vt neutrum inferiorem facerent, sed vtrumque æqualem.*

Munera tantæ sunt efficaciæ, vt amorem patris erga filium minimè diligendum concilient.

198. *Isaac autem diligebat Esau*, si nihil erat in Esau dignum amore, quantum enim ad corpus, erat vir agrestis, totus pilosus, & horridus, quantum ad animam, prauis erat moribus, quomodo igitur eum amore prosequitur & forte maiori quā Iacob amabilem? inspice quid dicat textus, de venationibus eius vescebatur, offerebat illi carnes venatione cōprehensas non autem Iacob: quid mirum igitur Isaac diligere Esau, & fratri suo præferre? quia plus valent apud patrem filii improbi munera, quā probi mores ad amorem conciliandum, Fauet Oleast. *mirum valde est quod etiam inter parentes & filios munera amorem gignant & augmentent*, sed mirabilius est, quod cum nihil sit bonis moribus amabilius, leuia quædam munera tamen maiorem improbo filio quàm probo amorem conciliasse.

Oleast.

Religiosus extra claustrum discurrens etiam ex superioris obedientia, non leuem in anima iacturam patitur.

199. *Isaac diligebat Esau, eo quod de venationibus eius vescebatur*, si diximus versu præcedenti, amisisse paternam benedictionem, ex eo quod vagus per syluas & agros discurrebat, vacans venationi, Iacob autem eam consequutum fuisse, quia quietus domi manebat, quam tamen nisi in tabernaculis resedisset, proculdubio non conseruasset, in typum religiosi qui vagationi se dederit, non solum perfectionis culmen non attinget, imo si quam adeptus fuerit, illius facilè iacturam faciet: sed insto, si Esau venationibus Isaacus delectabatur, imo vt credibile est, si à patre præceptum accipiebat, vt feras venaretur, cur benedictione paterna priuatur? nam è contra aliquod præmium ex labore suo mereri videbatur: fortè vt nobis innueretur quod Religiosus vagationes extra claustrum perquirens, etiamsi ex alia parte hoc sibi ex præcepto obedientiæ iniungatur, non leuem bonorum spiritualium iacturam faciet, nobis adstipulatur D. Damian. in Apolog. de contemp. sæculi cap. 21. *vt autem sibi sedeant*, inquit, *scutum excusationis opponere, qui sæculum perlustrantes, iactant se obedientiæ legibus deseruire, non ignorent, quia & Esau venatum prodiens, paternis iussionibus paruit, & tamen nec patri cibos offerre, nec optatæ benedictionis meruit primitias obtinere, quisquis enim rem, quæ ad vitium pertinet, consuetudine ductus, propriæ voluntatis instinctu libenter exequitur, peccat etiam si alienis imperiis speciotenus obtemperare videatur, nam cum dicitur: quia Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur, constat nimirum quia Esau vt patri cibos studio venationis acquireret, non magis paternæ iussioni per obedientiam paruit, quam inolitæ consuetudini quodammodo tributa persoluit, qui ergo discurrendo per sæculum propriæ libidini satisfacit, & tamen obedire se maiorum iussionibus asserit, nouerit Deum non tam coloratis verbositatibus credere, quam de oculis hominum iuxta conscientiam iudicare.*

Petrus Damian. in Apol.

Nulla familia melius gubernatur, quàm vbi fauores à Patre vni exhibiti filio, aliis etiam datur, vel domesticis aliqua compensatio.

200. *Isaac diligebat Esau, Rebecca diligebat Iacob*, cur vterque in eundem vel Iacob, quia maximè amabilis erat, vel Esau, quia primogenituræ iure gaudebat, amore fertur? merito vt eorum familia rectè gubernetur, parentum fauor in duos distribuitur filios, vt quandoquidem pater maiori & fortiori omnia sua parabat, minor gauderet inter matris amplexus, vnde D. Ambrosius lib. 2. de Iacob cap. 2. *accipite* inquit, *bonum certamen inter parentes, mater deferat affectum, pater iudicium, mater circa iuniorem teneræ pietatis protendat, pater circa seniorem naturam honorificentiæ seruat, hic magis honores, illa plus diligat dum singuli singulos foueant non in vnum vterque conspiret*, hæc sit patrum familias, & aliorum qui aliquod habent regimen disciplina & prudentia, vt non omnia in vnum glomerent, non affectus, honores, & fauores, substantiam vni asseruent, vbi manus vni tenditur, pateant aliis amoris & beneuolentiæ vbera.

S. Ambros.

Virtus iustorum Deo debetur.

201. *Isaac autem diligebat Esau*, sed cur Isaac Iacobum tam egregiis splendentem moribus non præcipuè adamauit? cur eum in dilectione Esau homini prauis moribus dedito, non prætulit? certè vel iniustitiæ arguendus, vel non satis exactæ meritorum filii sui cognitionis, respondet per quam appositè nostro instituto Procop. *vt Iacob*, inquit, *emicans probitas non educationi patris accepta ferretur, sed appareat eum sua sponte æqui iustique fuisse amantem*, hæc accidere voluit Deus vt cognosceretur tandem etiam ipsam benedictionem non paternæ educationis sed diuinæ prouidentię fuisse opus.

Procopius.

Bonus per se amatur, malus autem propter commodum vel vtilitatem, vel quodlibet aliud.

202. *Isaac autem diligebat Esau*, qua de causa? quia vescebatur ex venatione eius, emolumentum hoc ab eo percipiebat vt delicatis cibis labore filii conquisitis, frueretur, Rebecca Iacob amore prosequebatur, ait textus, Rebecca diligebat Iacob, causamne huius dilectionis subnecit? minimè, cur differt vtriusque dilectionis enuntiatio, ita vt vna absolutè & simpliciter proferatur, altera autem cum additione? cur nulla dilectionis causa adhibita Iacob à matre adamatur, Esau autem ab Isaac, eo quod venationibus eius vescebatur? aduerte Esau peruersum fuisse, Iacob autem virtutum cultorem & virum probæ vitæ: quid mirum igitur, si nullo dilectionis fundamento Iacob amatur, non autem Esau, sed præsupposito commodo quia nullus per se diligitur, malus autem propter aliud, nempe vel propter vtilitatem quæ ex

ea

Procop. ea percipitur, obseruatio est Procopii, *bonus per se expetitur, sed malus ob commoda quæ ab ipso proueniūt amatur, sic Isaac amauit Esau non ipsum per se, sed propter venationem: quia pascebat & oblectabat grandæuum patrem.*

Hominis obsequio pascitur Deus.

203. *Isaac autem diligebat Esau*, non dicitur autem quod Iacob dilexerit, sed si amore paterno priuatur, diuino etiamne carebit? minime, ait enim Deus per Malachiam, Iacob dilexi, an ad similitudinem Isaac qui filium diligebat, quia cibis illius vtebatur, dilexitne Deus Iacobum? sic equidem, hominis enim obsequio tanquam cibis delicatissimis pascitur, sicque amore prosequitur, ita D. Cyrill. Alex. lib. 9. in Genes. *Israel nempe qui & Iacob, superna diuinaque dilectione dignus habitus est, cum legis obseruantiā veluti quendam cibum Deo offerret.*

Malach. 1. — S. Cyrill. Alex.

Non tanquam gulæ deditus iudicandus, qui delicatis cibis vtitur.

204. *Isaac autem diligebat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur*, in Hebræo est, quoniam venatio in ore eius, ac si dicat, quotidie Isaac carnes ferinas habebat delicatissimas, quibus libenter vescebatur & quas Esau venabatur, portans ad os patris: forte non modò carnes captabat venando, sed eas quoque vel sua vel aliena cura paratas in cibos in patris ora inferebat, sed quod obseruatione dignum est, & inquisitione, cur Isaac vir sanctissimus, ita delicatis cibis, quales sunt venatione comprehensi, delectatur? nam viri sancti non ita sunt corporis sui soliciti, vt cibos nimium suaues sibi requirant, dico tamen nullum gulæ deditum censendum, qui cibis delicatis, dummodo moderatè, vescitur, sic Lipp. *potest vir bonus & sobrius moderatè cibis vti delicatis: sicut & pulchra vxore.*

Lippom.

Virtus sit amoris nostri fundamentum.

205. *Rebecca diligebat Iacob*, scio matrem amore naturali in filios ferri, nihil inauditum igitur Moyses proponit, imo quod profert superfluum; non sine speciali ratione ait Rebeccam amore Iacob prosequutam, sed qua de causa? inspice quid paulo ante de eo dixerit textus, Iacob erat vir simplex, id est optimis moribus prædiĉtus, virtutum amator, conscientiæ nitens puritate: merito igitur post virtutem eius patefactam, dicitur quod eum diligebat Rebecca, virtus enim nostri debet esse amoris fundamentum, sic obseruat Henricus Helmetius minor Serm. 1. de sanct. cum loqueretur enim de amore Christi Domini in Ioannem ait, *charitatem Spiritus sancti in cor eius effudit, in qua iuit de virtute in virtutem, charitas assiduum meruit incrementum, & Iesu singularem dilectionem & familiaritatem.*

Noster Henricus Helmetius.

Verus fidelis, Deo propter seipsum, & non propter aliquod commodum temporale, debet obsequium præstare.

206. *Rebecca diligebat Iacob*, non miror equidem Isaac dilexisse Esau, venatione enim eius vescebatur, qui autem alienis cibis alitur, maximum ingratitudinis suæ specimen præberet, si saltem amore non compensaret: sed non video cur Rebecca tanto amore Iacobum prosequatur, nullo autem vel saltem exiguo Esau: obseruemus obsecro quod Esau typus erat populi Hebraici, sicut enim dicitur de Esau, quod erat vir agricola, sic Iudæorum populus, inquit D. Ambr. pro terrenis commodis Deo seruiebat, non enim dictum est eis, si pauperes fueritis spiritu, si mites, si pacifici &c. beati eritis, & merces vestra copiosa est in cœlis, sed eis dicitur, si custodieritis mandata mea, & iudicia mea seruaueritis, dabo vobis pluuiam temporibus suis, & terra proferet germen suum, & pomis arbores replebuntur, & cætera quæ ad delitias sæculi pertinent. Iacob autem erat typus populi, qui ex gentili fidelis factus est, sicut enim Iacob dicitur simplex, sicut columba, nobis Christus Dominus præcipit dicens, estote simplices sicut columbæ, Rebecca autem, inquit citatus Ambrosius, Dei præscientiam designat. quid mirum igitur si Rebecca non videatur diligere Esau, sed solum fratrem eius Iacob? quia Deus siue præscientia illius, in eos qui sibi obsequium non præstāt nisi propter terrena commoda amore non fertur, sed in eos qui virtutem simplicitatemque morum colentes sibi propter suam bonitatē seruiunt, Fauet cit. Episc. Mediolanensis in caput 6. Apocalypsis, *elegerunt enim, inquit, ex gentibus soli fide bonaque voluntate Deo placere studuerunt*, quasi diceret, quid mirum igitur si eos dilexerit, cum non propter commoda terrena, vt populus Hebræorum, obsequium præstare nituntur.

D. Ambr. — S. Ambr.

Virgo sanctissima maxime in omnibus, filiis suis proficit.

207. *Isaac autem Esau diligebat*, Iacob autem Rebecca, quæro vtrum è duobus filiis plus profecerit: Esau ex fauore & dilectione patris, an Iacob ex amore matris? litem dirimit D. Ambr. l. 2. de Iacob & vita beata cap. secundo, *vicit tamen ille, qui preferebatur, oraculo vicit, impigritia tarditatem, mansuetudo duritiam, dum alter venatu aspero prædam quærit agrestem: hic mitium cibos morum, hic domesticam gratiam, hic pio patri onera mansuetudinis, atque pietatis dulces epulas ministrauit.* quasi diceret, vicit Iacob à matre dilectus, fratrem suum Esau, dilectum à patre: & plus amor matris Iacobo, quàm amor patris profuit Esau, nam hic tam multis à patre beneficiis cumulatus, tandem & paternam benedictionem, & auitam hereditatem, & cognationem cum Christo, & amicitiam cum Deo, & æternam denique gloriam amisit: ille vero singulari studio à matre dilectus, & temporalibus & spiritualibus bonis redundauit, si igitur illa mater filio tantum profuit, quantum gratiæ, quantum gloriæ ex tuo materno affectu ô mater viuentium, quisquis ad te confugerit, & sub tuo patrocinio vixerit, consequetur? quid mater à natura filio Deo non obtineat? quid in adoptiuos filios peccatores non refundet?

S. Ambros.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIX.

VVLG. Coxit autem Iacob pulmentum, ad quem cùm venisset Esau, de agro lassus.

Sept. Coxit autem Iacob coctionem, venit autem Esau ex agro deficiens.

Pag. Et coxit Iacob coctum, & venit Esau ex agro & erat lassus.

CONCORDIA.

QVod in communi Hebræus cum Septuaginta dixit *coctum* vel *coctionem*, interpres expressit in particulari dicens pulmentum, quod est cibarium ad modum pultis factum, puls autem, inquit Ambros. Calep. cibi antiquissimi genus ex farina, & aqua constans, additis interdum ouis, melle, vel caseo, adde nec non etiam lenticulis.

EXPOSITIO.

COxit autem Iacob pulmentum, quod lentis fuisse infra dicitur, crediturque fuisse lentis Ægyptiacæ cuius maximus erat in Ægypto prouentus, & propter eius præcipuam commendationem, ab exteris expetebatur, *ad quem cum venisset Esau de agro lassus*, scilicet ex nimio venationis exercitio, cui coniuncta est lassitudo corporis.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Quod iustis est vtile, in detrimentum suum improbi conuertunt.

208. AD *quem cum venisset ex agro lassus*, seu vt habent 70. ex agro deficiens, Procop. in hoc cap. ait, *bonis huiusceemodi defectus lucro est, nam morientes in æternas subuolant sedes, malo autem defectio illa noxia est*, sed cur defectus vel lassitudo iustis proficit, impio autem est noxia? si enim est eadem, cur diuersos sortietur effectus? quia improbus se gerit impatienter, dum vel tantulam corporis molestiam ferre non vult, sed vt illam defugiat, nihil pensi habet, quodcumque aliud licet honoris, & virtutis dispendium subire, contra vero iusti in fame, & siti, & in frigore, & nuditate constantes ac læti vitam trahunt, vt in sua patientia possideant animas suas.

Procop.

Inopia virtutum, maxima necessitas est.

209. *Ad quem cum venisset ex agro lassus*, vel vt habent 70. deficiens, scilicet ex nimia fame, ex nimio in venatione exercitio, orta; quod equidem miror, nam cum esset ditissimus Esau, cibos, per famulos quibus reficeretur potuit deferre, quomodo igitur ita nunc deficiens & inops, vt præ fame moriatur? aduerte virtutibus caruisse, dicamus igitur mysticè, non mirum si pœne mortuus deficiat, virtutum enim indigentia maxima necessitas est, *incidit*, inquit Procop. *in famem virtutis, quæ multo intolerabilior est, quamsi quis vel panis vel vini torqueatur inopia.*

Procop.

Victus simplicitas priscis temporibus maximè culta.

210. *Coxit Iacob pulmentum*, nonne filius hominis erat opulentissimi & ditissimi, cui omnia volatilium genera, & delicatissimæ carnes aderant? quomodo ergo tanta victus parcimonia, vt solo lentium vtatur pulmento? cum nunc tot edendi illecebræ & irritationes sint, & quotidie reperiantur, nō ob vsum vitę necessarium, sed per luxum animi parata propter improbam satietatis lasciuiam obtoma, quia victus parcimonia & simplicitas ciborum priscis temporibus maximè culta, & laudata, in confusionem eorum qui se Christi imitatores inaniter iactant & gloriantur, sic obseruat Procop. *vide frugalitatem victus priscorum illorum, in domo Isaac licet opulentissima atque copiosissima, filius eius Iacob pro lauto atque delicato cibo pulmentum lentis parauerat.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXX.

VVLG. Ait, da mihi de coctione hac ruffa, quia oppido lassus sum, quam ob causam vocatum est nomen eius Edom.

Sep. Et dixit Esau ipsi Iacob, da mihi gustum de coctione rubea ista, quia deficio.

Pag. Fac me comedere nunc de rufo isto, quia lassus sum.

Oleast. Ciba me nunc de ruffo hoc.

Caiet. Fac me nunc multum comedere de rufo hoc quia lassus ego.

Lipp. Fac me nunc vorare de ruffo isto, propterea vocauit nomen eius Edom.

CONCORDIA.

CONCORDIA.

לעט laat quod cibare hic interpretatur, non est certum hoc significare, neque est coniectura alia, præter contextum aliqua ad cognoscendam proprie illius significationem, cum hoc in loco solum verbum inueniatur, & ex textu hoc videatur significare, licet non minus apte deuorare, alii interpretentur.

EXPOSITIO.

Ait nempe Esau Iacobo, *da mihi de coctione hac rufa*, quam ita appellat, aut quia lenticulæ Ægyptiæ erant rubicundæ, aut quia pulmentum illud rubro pigmento conditum erat, in Hebræo est de ruffo hoc, quæ iteratio vehementem insinuat appetentiam, *quia oppido lassus sum*, id est vehementissime defatigatus, *quam ob causam vocatum est nomen eius Edom*, id est ruffus siue rubeus, licet secundum Hier. significet rubeum & sanguineum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

In humana abundantia, est inopia.

211 *Da mihi de coctione hac ruffa*, in Hebræo fac me comedere; obseruauimus in concordia, Laat quod ibi ponitur significare non tam humanam comestionem, quàm ferinam, scilicet deuorare, quasi Esau non tam ad manducandum, vt homo temperans, quàm ad deuorandum vt lupus auidus inhiaret, nonne dapibus abundabat, quas & ex venatu, & ex iure primogenituræ, iucundiores ac potiores in paterna domo obtinebat? cur igitur ad fraternum pulmentum, multo vilius & abiectius, tanquam indigens & famelicus ferebatur? vt exprimeret miseram hominum diuitum conditionem, qui in omnium abundãtia, inopiam adhuc sustinent, quod D. Amb. apte confirmat exemplo regis ditissimi Achab petentis vineam Naboth, ait ergo lib. de Naboth. c. 2. *quæ alia vox egentis est*, dixerat enim Achab da mihi vineam tuam, sicut nunc Esau da mihi de coctione tua, *quæ vox alia stipem publicam postulantis, nisi da mihi quia egeo, da mihi quia aliud viuendi subsidium non habere possum, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia, da mihi quia tibi Dominus dedit, vnde largiri debeas, mihi non*, dedit & cap. 12. *pauperiorem se iudicat omnis abundans, quia sibi deesse arbitratur, quicquid ab aliis possidetur, toto mundo eget, cuius non capit mundus cupiditates.*

S. Ambr.

In delitiis labor.

212. *Da mihi de coctione hac ruffa, quia oppido lassus*, vel vt habent Septuaginta, deficiens, quid ais Esau? si in venandi arte pœne sunt innumeræ voluptates, quomodo te lassum & pœne deficientem fateris? vbi enim voluptas, quomodo ibi labor & lassitudo, quæ in operibus inuoluntariis & non spontaneis reperitur? merito se dixit lassum, fatigatum & deficientem in mediis ipsius venationis voluptatibus, quia etiam impii fateri coguntur, in ipsis met delitiis non exiguum esse laborem, vt ex eorum verbis constat Sap. 5. vers. 7. lassati sumus in via iniquitatis, si ergo tanti sunt labores, tantæ afflictiones & lassitudines, imo corporis defectus in voluptatibus & in delitiis huius sæculi, quomodo pro eis habendis depereunt mortales? quomodo ita æstuant? quomodo insatiabiliter eas expetunt? quia eorum amor & desiderium quoddam absinthium est, non sinens percipere, quomodo eis decipiuntur, quod Ierem. cap. 3. generis sui calamitatem deplorans ait, absinthio inebriabitur, quæ verba sic exponit D. Greg. 2. moralium c. 16. *absinthio inebriabitur*, inquit, *dum hoc quod assumpsit amarum est, & tamen non intelligit eandem amaritudinem qua repletur, mundi gloriam sitiens. Cum multas pro ea tribulationes reperit, amarum est quod bibit: sed quia hoc nimis inhianter sumpsit, eiusdem amaritudinis malum discernere iam præ ipsa ebrietate non sufficit.*

Sap. 5.

Ierem. 3.

Etiam gulæ vitium in vilibus cibis inuenitur.

213. *Da mihi de coctione hac ruffa*, Esau accusatur tanquam ingluuiei deditus, quod hunc cibum nimis ardenter appetierit, si coctio illa ruffa lenticularum erat, lenticulæ autem sunt cibi communes & viles, quomodo gulæ arguitur? nam gula in cibos suauissimos fertur & opiparos. quia gulæ vitium non in cibis delicatioribus committitur, sed etiam in appetitu immoderato, qui etiam in vilioribus cibis reperitur, textus est D. Greg. Mag. lib. 3. moralium cap. 2. *sciendum*, inquit, *quia nos quinque modis, gula vitium tentat, aliquando namque indigentiæ tempora præuenit, aliquando vero tempus non præuenit, sed cibos lautiores quærit: aliquando quælibet sumenda sint præparari accuratius expetit: aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit: sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit, nonnunquam vero & abiectius est quod desiderat: & tamen ipso æstu immensi desiderii deterius peccat, mortis quippe sententiam patris ore Ionathas meruit: quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit & ex Ægypto populus eductus in eremo occubuit: quia despecto manna cibos carnium petiit, quos lautiores putauit, & prima filiorum Heli culpa suborta est, quod ex eorum voto sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet, & cum ad Hierusalem dicitur, hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia: aperte ostenditur quod idcirco salutem perdidit: quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit & primogenitorum gloriam Esau amisit: quia magno æstu desiderii vilem cibum, scilicet lenticulam concupiuit, quam dum vendendis etiam primogenitis prætulit, quo illam in appetitu anhelaret indicauit, neque enim cibus, sed appetitus in vitio est, vnde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abiectiores non sine reatu conscientiæ degustamus: hic quippe quem diximus, Esau primatum per lenticulam perdidit: & Elias in eremo per virtutem spiritus carnes edendo seruauit, vnde & antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis*

S. Greg. Mag.

intelligit? & primùm sibi hominem non carne, sed pomo subdidit, & secundum non carne, sed pane tentauit; hinc est quod plerumque Adam culpa committitur, etiam cum abiecta & vilia sumuntur, neque enim Adam solus vt à vetito se pomo suspenderet præceptum prohibitionis accepit, nam cum alimenta quædam saluti nostræ Deus contraria indicat: ab his nos quasi per sententiam vetat, & dum concupiscentes noxia attingimus, profecto quid aliud quàm vetita degustamus? ea itaque sumenda sunt, quæ naturæ necessitas quærit, & non quæ edendi libido suggerit.

Impii intractabiles & duræ ceruicis.

214. *Vocatum est nomen eius Edom*, Procopius tenet, hoc nomen significare quercum, cur nomine quercus appellatur? aduerte inter arbores quercum maxime duram & intractabilem: merito igitur hoc nomen possidet peruersus Esau, quia impii intractabiles sunt & duræ ceruicis, ita citat. Gazæus, *Esau nomen designat quercum, quo nomine illius durities rigidum quoque & intractabile eius significatum est ingenium.*

Procop.

Iudæorum crudelitas & ferocia significatur.

215 *Vocatū est nomē eius Edom*, quod interpretatur ab Hier. sanguineus, erat etiam hirsutus & hispidus, quo referebat imaginem belluæ: sed cum fuerit Esau exemplar Iudaici populi, quomodo sanguineus & ad modum belluæ hirsutus? populus enim hebraicus non tanquam bellua, sed tanquam rationalis creatura habens Dei imaginem, vnum Deum colebat & reuerebatur: merito tamen sanguineus Esau & hirsutus, deuotat populum Iudæorum, fuit enim immanissimus, & omnes ferocitate & immanitate belluas quantumuis crudelissimas superans, creatorem enim suum & redemptorem ligno crucis suspendit, *Iudaicus populus* ait cit. Procop. *erat ferocia & truculentiæ deditus, qua impulsus, sanctos & prophetas violauit, postremo contrucidauit quoque vitæ auctorem.*

cit. Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXI.

VVLG. Cui dixit Iacob, vende mihi primogenita tua.

Sep. Dixit autem Iacob ad Esau, vende hodie mihi primogenita tua.

Pag. Vende hoc tempore primogenituram tuam mihi.

Alii. Iuxta hunc diem, vende mihi primogenita tua.

CONCORDIA.

NEscio qua de causa omisit noster vulgatus יום iom hodie siue hoc tempore, nisi forte quod facile subintelligi posset, cæterum aliæ versiones quæ habent vel iuxta hunc diem, siue hodie, vel hoc tempore, eundem sensum habent, scilicet quod nunc, & absque vlla dilatione, primogenituram tuam mihi vendes.

EXPOSITIO.

CVi nempe Esau *dixit Iacob*, minor natu *vende mihi primogenita tua*, vt quid Esau vendiderit, quidue Iacob emerit: sciendum est, quid sit ius primogenituræ, & quæ illius priuilegia, in lege naturæ primum in mensa locus dignior, vt constat ex cap. 43. Genesis: 2. ciuilis principatus in fratres, & successio in patriam, dignitatem, qua primogenitus cæteris erat loco patris, ita vt coram eo se inclinarent infra cap. 27. & eum vocarent dominum, quo nomine Iacob fratrem suum maiorem natu Esau nominabat, qua prærogatiua spoliatur Ruben; & transfertur in Iudam: tertium vt vult Theod. q. 77. in patris hæreditate primogeniti primam & duplicem portionem capiebant: 4. pater moriturus primogenito benedictionem impendebat.

Difficultas est vtrum cum primogenitura sacerdotium connexum inueniretur, nam grauissimi ex vtraque parte tam affirmatiua quam negatiua contendunt auctores, ego vtramque partem probabilem esse teneo, nam negatiua confirmari potest, ex eo quod Abel & Abrahamus sacerdotes fuerint & Deo sacrificarent, cùm tamen primogeniti non fuerint, deinde Manue iubetur ab Angelo sacrificare sacerdotis ritu, cum tamen esset de tribu Dan, non autem ex Iuda, in quo residebat ius primogenituræ: pro affirmatiua etiam sententia non deest fundamentum, nam Exodi 19. sic scriptum est, sacerdotes quoque qui accedūt ad Dominum sanctificentur. sed qui erant tunc illi sacerdotes, cum nōdum institutum esset sacerdotium legale? non alii sane nisi primogeniti & principes singularum tribuum, quos paulò infra in cap. 24. eiusdem libri proditum est obtulisse victimas & sacrificia Deo, tum etiam quia D. Paulus 12. ad Hebr. ait, ne quis sibi fornicator, aut prophanus, qui propter vnam escam vendidit primogenita: Prophanus autem appellatur nempe quia vendidit primogenituram quadam ex parte sacram & spiritualem, cui videlicet adiunctum erat sacerdotium; si enim primogenitura res fuisset omnino corporalis & sæcularis, propter eius venditionem non debuisset appellari Prophanus, sed vel prodigus, vel intemperans, his itaque fundamentis vtraque redditur probabilis, quam & in conceptibus adhuc aperiam.

Hebr. 12.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Prudentis hominis est suum ab alio detentum aliqua via consequi.

215. Dixit Iacob *vende mihi primogenita*, ô Iacob omnino inexcusabilis es, maximæ enim inhumanitatis argumentum est negare fratri lasso paratum pulmentum, quod enim tibi fieri nolles alteri non est faciendum, noluisset autem Iacob sibi à fratre negari pulmentum, ad id eum compellente necessitate: aduerte quod cum Deus reuelasset Rebeccæ maiorem filium eius minori seruiturum, minime dubitandum est, quin ipsa hoc Iacob aperuerit, vt quem vnicè diligebat, sicque Iacob certus redditur ius primogenituræ ex diuina electione, sibi deberi. ne dicamus igitur inhumanum Iacob, imo prudentem, cum quod erat suum à fratre detentum, sine violencia optimo modo consequutus fuerit, hæc doctrina desumpta est ex Cardin. Caiet. exponente art. quartum quæst. 100. 2. 2. sic autem ait, *excusatur Iacob ab inhumanitate, tum quia Esau non necessitatis sed delectationis causa mouebatur, tum quia prudentis est negare aliquid occupatori iuris sui, quando sperat per huiusmodi negationem, quod suum est recuperare posse.*

Card. Cai.

Deus in omnibus æquissimus est, & conquerendi de se occasionem adimit.

216. *Vende mihi primogenita tua*, si ex diuina electione tibi iam cognita, tua est fratris primogenitura, cur eam tibi vis pretio comparare? cur vexationem tuam pulmento vis redimere? eam ab eo tanquam iniusto possessore vindica, & accipe, nullo etiã dato pretio. æquissimè voluit Deus vt Iacob primogenituram licet sibi iustè debitam, à fratre sibi compararet emptione, vt omnis querimoniæ Esau occasio adimeretur, si iniuste sibi ademptam fuisse diceret, cum ipse sponte eam vendidisset, obseruatio est Hieron. ab Oleast. *aduerte iustitiam Domini, licet enim primogenituram iuste posset ab Esau auferre, & dare illam Iacob, ne postea de eo posset Esau conqueri, voluit eam sua sponte fratri vendere, vt sibi imputaret quod eam à se abiecerit.*

Oleaster.

Maximum à Deo beneficium collatum censendum ei, cùm quis spoliatur diuitiis, quibus debet abuti.

217. *Vende mihi primogenita tua*, Procopius non solum existimat nullam fratri suo iniuriam intulisse Iacob, in hoc quod pulmento vili primogenituram emere voluerit, imo non exiguum ei contulisse beneficium, illum honorem ei adimendo, quid ais Procop. beneficium arbitraris diuiti collatum, cum diuitiis spoliatur, gratiam factam in dignitate aliqua constituto, si honore priuatur, imo non leuis offensa eis irrogatur. optime tamen id Procopius asserit, quia maximum Deus diuiti confert beneficium, si diuitias quibus male vsurus est, adimit: audiamus verba Gazæi, *non vt malus inquit & fraudulentus quispiam Iacob primogenituræ priuilegia mercatur, nouerat enim fratrem illo priuilegio esse indignum, quod adeo despexit & vilipendit, vt illi præferret pultem lenticulum: deinde subnectit, sciendum est diuitias maximum esse momentum malo ad peccata committenda, maxime igitur necessarium arbitratus est Iacob illum bonis exuere, vitiorumque materiam & fomenta subtrahere, animumque ferocem & intractabile ingenium corrigere. & ad meliores reducere mores, non igitur obfuit fratri, sed magis profuit.*

Procop.

Licet redimere vexationem ab iniusto possessore.

218. *Vende mihi primogenita tua*, quomodo Iacob conscientiæ timorato, fratri ausus est persuadere, vt sibi primogenituram venderet, cui eo tempore annexum erat sacerdotium, sicque res spiritualis, quam sicut non licet vendere (nam ex illius venditione simoniæ crimen committitur) sic etiam non licet emere, sic enim alium induceres ad peccandum? præsuppone quod diximus Iacob ex matris reuelatione, sciuisse ius primogenituræ sibi debitum esse, per diuinam reuelationem: ne dicamus igitur vllomodo in hac emptione primogenituræ fratris sui peccasse, quia cùm suam esse sciebat, ab eam detinente, voluit suam vexationem redimere, paucis verbis hoc insinuat Oleaster, *si sacerdotium primogenituræ esset adiunctum intelligendum est suam iniustam oppressionem redemisse*, idem habet noster Nicolaus Grandis in cap. 12. Epistolę ad Hebræos, sed Lipp. clarius hanc veritatem aperit, *quomodo Iacob inquit petiit primogenita sibi vendi, cùm hoc esse simoniacum videatur? ad hoc patet responsio, primogenitura iure & præordinatione diuina erat ipsius Iacob, quod ex matris reuelatione creditur cognouisse, vnde suam intelligitur vexationem redemisse, reuocando prudenter ad se, quod sibi ex gratia Dei competebat, licet reuera ab altero occuparetur: dicunt nonnulli, quod sicut ius patronatus partim est spirituale, partim temporale, propter quod per se vendi non potest, sed cum fundo vendito potest transferri, ita primogenituræ ius, cum reditibus ad se pertinentibus transferri poterat per venditionem.*

Oleaster.

Noster Nicol. Grandis doct. Paris.

Lippom.

Quod intemperantia amittit, hoc abstinentia consequitur.

219. *Vende mihi primogenita tua*, cui annuit Esau, ô Esau iacturam facies, exiguo pulmento, maximæ dignitatis & honoris? nihil enim in maiori pretio censetur, quàm ius primogenituræ, sed tu o Iacob, cur edulium quod tuæ necessitati occurrendo habes paratum, vis dimittere? cur a dapibus tuis abstinere? vt primogenituram sibi consequatur, sicque nobis sit apertum, dignitatem, cuius iacturam facit intemperantia, qualis fuit illa Esau, eam obtinere abstinentiam, fauet Chrysost. *hanc igitur dignitatem quam à natura habebat Esau propter intemperantiam suam transtulit in fratrem, & ille quidem perdidit quod à natura habebat, hic autem & quod non habebat à natura accepit.*

S. Chrysost.

Iusti facile quæcumque temporalia pro spiritualibus comparandis largiuntur, impii autem e contra.

220. *Vende mihi primogenita tua*, scilicet dando illi pulmentum ex lenticulis, cur quod gustui tuo præparatum est, pro primogenitura commutare statuis? cùm ipse Esau libenter pro hoc edulio ius primogenituræ tibi tribuat: per huiusmodi ius aliud ad hæreditatem æternam venit intelligendum, per edulium autem vile lenticularum, temporalia abie-

ctissima denotantur, quid mirum igitur libenter primogenituram pro pulmento Esau commutare, & Iacob illud libentius pro ea tribuere? quia iusti facile quæcumque temporalia pro spiritualibus sibi comparandis largiuntur, impii autem è contra, fauet Hugo Card. *in hoc contractu*, inquit, *significatur quod reprobi propter lenticulam, id est temporalia, vendunt æternam hæreditatem.*

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXII.

VVLG. At ille respondit, en morior quid mihi proderunt primogenita?

Sep. Et dixit Esau, ecce ego vado mori, vt quid mihi hæc primogenita?

Cald. Ecce ego vado ad mortem, & ad quid mihi primogenita?

Ars. Ecce ego vadens ad moriendum, & ad quid hæc mihi primogenitura.

CONCORDIA.

NVlla est in sensu, sed in aliquorum verborum mutatione discordia, nam hæc phrasis Hebraica, ego vadens ad moriendum, cùm indicatiuo careant Hebræi, rectè effertur per hoc verbum en morior.

EXPOSITIO.

AT ille, nempe Esau *respondit*, scilicet Iacobo, *en morior*, quasi diceret præ fame ac lassitudine, ac desiderio huius cibi deficio, ita vt mihi primogenitura non proderit,

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mors adeo certa est, vt nihil ea sit certius.

221. EN *morior*? cur verbo de præsenti mortem futuram significat sacra scriptura, non solum hîc, sed etiam alibi pluries, vt Reg. 2. cap. 14. dicebat Thocuitis omnes morimur, & D. Paul. 1. Corinth. 15. quotidie morior, vt intelligeremus quod sicut nihil certius nobis est, quàm quod præsens cernimus & experimur, ita nihil certius morte intelligatur, nescio si ad hanc veritatem respiciens D. Greg. lib. 24. Moral. cap. 27. dixit loquens de aliquibus qui se puluerem & terram fatebantur, vt Dauid Psal. 102. recordatus est quoniam puluis sumus, ait inquam, *etsi viuentem carnem nec dum in terram mors soluerat, hoc tamen apud se erant quod se futuros absque dubitatione prævidebant.*

2. Reg. c. 14.
1. Corint. 15.
D Greg. Mag.
Psal 102.

Intemperantia animum maxime conturbat.

222. *En morio*? quid? viso pulmento fratris tui moreris? an in eo venenum ita lethiferum, vt tibi mortem inferat? minimè, cur igitur vltimum efflare spiritum asseris? considera ex nimia huius cibi appetentia verba præfata protulisse, quid mirum igitur si ea quasi à sensu alienus protulit? intemperantia enim maxime animum conturbat: sic Caiet. *verba sunt turbati vehementi illius concupiscentia cibi.*

Card. Caiet.

Odium & contemptus bonorum cælestium in peccatoribus.

223. *En morior? quid mihi proderunt primogenita?* Septuag. vt quid mihi hæc primogenita, vel vt alii, quid mihi cum primogenitura hac? cur hoc pronomen hîc demonstratiuum adiungitur? sine dubio non sine emphasi, sed quæ emphasis potest huic pronomini inesse? consulamus Procopium sic respondentem, *non simpliciter*, inquit, *dicit quid mihi cum primogenitura hac: scilicet quod ad virtutem ducit & beatitudinem elargitur, sunt mihi alia his multo, quasi diceret, excellentiora bona, voluptas, cupiditas, mala intemperantia, auaritia, & quæcumque his sunt affinia.*

Procopius.

Delitiarum finis, interitus.

224. *En morior*? nonne ex venatione, in qua non exigua carpitur volupras, regrederis? nonne quasi delitiis dissolutus, hæc verba profers? quod equidem miror, nam mors vel ex infirmitate vel violētia prouenit, quis hunc diceret esse voluptatis terminum? sapiens sic arbitrabitur, delitiarum enim finis est interitus, in hanc veritatem hæc scribit D. Greg. Nazianz. dum in Iulianum inuehitur, *quoniam difficile est te qui semel iam spiritui insultasti in medio cursu impetum ve tenere, imo vero veluti ferociores sues solent obniti, & in ipsum venabulum incurrere, non ante desinis quam ferrum totum in eo recipias,* preme hæc vltima verba, quasi diceret, suum, quæ in cœno volutántur, finis, interitus; sic & eorum qui delitiis & voluptate affluunt, finis mors est.

D. Greg. Naz.

Mali, si sibi deficiant aliqua temporalia, mortem arbitrantur.

225. *En morior*? quia tibi deest fratris pulmentum, mortem imminere asseris, nonne plurima maioris pretii tibi sunt, quibus frueris? cur igitur ob carentiam rei exiguæ, vitam cum morte mutare intonas? nonne impius erat Esau? non miror igitur si ob rei minimæ inopiam dicit se morti vicinum, quia vt optime Hugo Cardin. *mali se mori existimant si temporalibus non abundant.*

Hugo Card.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXIII.

VVLG. Ait Iacob, iura ergo mihi, & iurauit Esau, & vendidit primogenita.

Sep. Iura mihi hodie, & iurauit ei Esau; vendidit autem Esau primogenita ipsi Iacob.

Pagn. Iura mihi hoc tempore, & iurauit ei, & vendidit primogenituram.

A ias. Iura mihi sicut hodie.

Oleaster. Iura secundum præsentem diem.

CONCORDIA.

Consule concordiam versus 31. huius capitis, quæ enim à nobis ibi dicta sunt, hîc sunt adaptanda.

EXPOSITIO.

A*it Iacob iura ergo mihi*, vt contractus validior esset, exegit ab eo iuramentum, & vt iuri primogenituræ omnino renuntiaret, *& iurauit ei* scilicet Esau nullas in iure primogenituræ vendito molestias fratri suo allaturum, *& vendidit primogenita*: mutatur hic ordo, quia præsupponitur venditio iuramento, nam ad roborandum contractum apponitur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Promissionis ita infractores homines, vt ab eis iuramentum accipere prudenter censeatur.

226. *I*Vra ergo mihi, si frater tuus est Esau, cur ab eo iuramentum exigis? confide promissis eius, fidem illi adhibe, quod primogenita tibi vendita non repetet: prudenter ab eo, quamuis fraternitatis vinculo constricto iuramentum exigit, quia ita suæ promissionis immemores homines, imo suæ fidei infractores, vt necessarium sit eos iureiurando constringere, obseruatio est Oleast. *tam facile homines* inquit *etiam fratribus pacta frangunt, vt consulte faciant qui eos iurare compellunt.*

Hier. ab Oleaster.

Peccatores sibi ipsis supplicium inferunt dum cupiditates adimplent.

227. *Vendidit primogenita Esau*, cupit sibi habere Iacobi edulium, & ideo in pretium illius primogenita vendidit, cur permissus est à Deo in tantam deuenire stultitiam, vt pretio vilis edulii primogenituram vendiderit? sane decreta est hæc pœna à Deo peccatoribus, quod in adimpletione suarum cupiditatum, debitum in mundo peccatis supplicium sibi inferant, aiebat D. Isid. Pelus. lib. 2. Ep. 47. *quoniam primogenito & regnum & sacerdotium debebatur, porro iste virtute vacans erat, idcirco in eam necessitatem redactus est, vt etiam sua sponte id venderet quo etiam inuitus spoliari merebatur*, quod merebatur supplicium nimirum spoliationis, pœnam hanc ipse intulit, dum nititur suas cupiditates adimplere, sic multi peccatores durissimè se castigant dum suas cupiditates exercent, alius in ludo se se bonis spoliat, alius in venere salutem dilapidat, alius in duello vitæ facit iacturam &c.

Isid Pelus.

Peccator temporalia præfert spiritualibus.

228. *Vendidit primogenita*, nonne secundum plurimos Hiero. Epist. 126. ad Euag. D. Aug in Psal. 46. sacerdotium, quod spirituale est connexum erat primogenituræ? quomodo ergo illud pretio vendidit? per edulium siue pulmentum quod res vilis & exigua est, intelligendæ veniunt res temporales, quæ sunt abiectissimæ respectu spiritalium: quid mirum igitur Esau primogenita pro pulmento vendidisse? quia peccator temporalia facile præfert spiritualibus, sic exponit Eucherius, *Esau qui primogenita sua propter escam fratri suo iuniori vendidit, ac postmodum paterna benedictione eundem Israeliticum populum significat, à Deo primogenitum filium nuncupatum, qui propter præsentis sæculi lucra & animalem legis intellectum, quod est lenticula, non solum primatus sui honorem amisit, verum etiam regni cœlestis præmium præparatum adipisci non meruit, Domino quodammodo ei exprobrante cum dicit, auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructum eius.*

Hiero. August.

Eucherius.

Ingratus dona ipsius Dei negligit.

229. *Vendidit primogenita*, si maximum à Deo concessum est ei beneficium, nempe primogenituram, cui tot sunt bona connexa, possidere & nihil in hoc sæculo possit ei comparari, quomodo pretio eam Esau vendidit? quia ingratus Dei beneficia in pretio non habet, sed potius ea negligit, *ingratus erat* (inquit Chrysost.) *atque indignus ea quam sibi natura dederat, dignitate, abiit paruipendens quod primogenita vendidisset, hoc factum est, vt demonstraretur illius ingratitudo.*

S. Chrysost.

Gula cum libidine coniuncta.

230. *Vendidit primogenita*, scilicet propter edulium, quod considerans D. Paul. ad Rom. 12. versu 16. dixit, vt nos ab illius imitatione auerteret, ne quis fornicator, aut prophanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita, quo in loco non leue facescit negotium, interpretibus, appellari ab Apostolo Esau fornicatorem, cum de ipsius intemperantia atque libidine nihil nobis notum sit, vbi enim fornicator Esau? inquit Chrysost. ipse respondet nec non cum eo Oecumenius, illud, *vt Esau*, non esse referendum ad vtrumque præcedens membrum, fornicator aut prophanus, sed commate post illa verba, ne quis fornicator, affixo, sermonem de Esau inde incipere, aut prophanus vt Esau, alii vero nodum sic soluunt, vt fornicatoris nota qua illum Paulus inurit, ad nefarium matrimo-

Rom. 12.

Oecumen.

nium cum alienigenis contractum pertineat, ego vero patente via nolo semitam quærere, & cum Esau helluonem, voracem & gastrimargum à Paulo appellatum videam, sic enim ipsemet Chrysost. & Theophil. explicant vocem *prophanus*, quod & sequentia verba, qui propter vnam escam vendidit primitiua, satis manifeste indicant, fornicatorem etiam illum fuisse, minime coniectare verebor: ac proinde verba Pauli simplicissimè esse sumenda, multo probabilius censeo, monstrum videlicet haberetur gula sine libidine, *corpus enim abunde saginatum*, inquit Basilius homil. de paradiso, *& anima illi immersa, & ad peccandum procliuis facta, compendium quoddam est ad lasciuiam, & procacitatem, ac simul omnia ea quæ vetita sunt*, ita quidem dicebat S. Cyrill. Alexand. lib. 10. in Leuiticum ad finem, *nam quomodo apud eos castitas incorrupta seruatur, nisi arctioribus continentiæ fulta subsidiis? quomodo quis seipsum castrat propter regnum cœlorum, nisi ciborum affluentiam resecet? nisi abstinentia vtatur omnino?* ita ille; at enim vero opportunius huic de Esau ratiocinationi, Tertull. lib. de ieiuniis cap. vltimo sic loquitur: *vera si velimus dicere, tu qui tantum gulæ indulges, & merito te primatus tuos vendere Esau venatorem ferarum, ita passim indagandis turdis studes, ita de campo laxissimæ disciplinæ venis, ita spiritu deficis, si tibi lenticulam defrutò infusatam obtulero statim primatus tuos vendes: apud te agape, charitas, in cacabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet, sed maior his est agape, quia per hanc adolescentes tui cum sororibus dormiunt, appendices scilicet gulæ, lasciuia, atque luxuria est.*

Basil.

S. Cyrill.

Tertull.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXIV.

VULG. Et sic accepto pane, & lentis edulio comedit & bibit, & abiit paruipendens, quod primogenita vendidit.

Sep. Iacob dedit Esau panem & coctionem lentis & comedit & bibit, & surgens abiit, & contempsit Esau primogenita.

Cald. Iacob dedit Esau panem & edulium lentiũ.

Pag. Dedit Esau panem & coctum lenticularum, & comedit atque bibit, & abiit, contempsitque Esau primogenituram.

Oleast. Dedit Esau panem & lentes decoctas.

Targ. Hieros. Abiit & contempsit Esau primogenituram & floccipendit partem futuri sæculi, negauitque resurrectionem mortuorum.

CONCORDIA.

ADuerte non esse omnino perspicuum, quid significet dictio עדשים hadasim, quam lentes siue lenticulas auctores dixerunt, ponitur autem dictio 2. Sam. 17. & Ezech. 4. coniectura tamen est ex citatis locis lentes significare.

EXPOSITIO.

ET *sic accepto pane & lentis edulio*, scilicet pulmento ex lenticulis, *comedit*, præ fame enim pene deficiebat, *& abiit paruipendens quod primogenita vendidisset*, ideo paruipendit se ius hoc vendidisse, quia non habebat in animo suum contractum hic iuramento firmatum seruare, vnde de facto sine vllo scrupulo, ius hoc sibi reipsa vendicare voluit, perinde ac si illud nõ alienasset nec cessisset Iacobo.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Maxima est in hominibus explendi appetitum auiditas.

231. A*ccepto pane & lentis edulio comedit, paruipendens, quod primogenita vendidisset*, quid? primogenita paruipendis vendidisse pro cibo abiecto & vilissimo? ne miretis, tam præceps enim ad suum appetitum explendum auiditas est in hominibus, vt pro tantulo victu tantum à se patrimonium alienare contemnant, certe hæc vna cupiditas eum fecit indignum primogenitura, vt obseruat Procop. dicens, *quod cessit iure primogeniture ob lectatus lentium esca, satis magnum argumentum est ipsum merito vt indignum excidisse primogenitura beneficiis*, qui enim tam vili appetitui seruiebat, dignus non erat, qui sublimiori vteretur fortuna.

Procop.

Gulæ deditus periurio proximus.

232. *Accepto pane & lentis edulio, paruipendens quod primogenita vendidisset*, quis ita mentis hebes, quis ita à sensibus alienus, vt tot bonorum, qualia erant quæ primogenituræ coniungebantur, iacturam vilipendat & contemnat? ne dicamus tot bona parui æstimasse, & ea solum vili edulio prætulisse, sed quia gulæ deditus perfidiam & periurium meditatus est, & ideo ius primogenituræ paruipendit se vendidisse, quia non habebat in animo suum contractum hic iuramento firmatum seruare: fauet Lipp. dicens, *meditabatur via facti retinendum quod tunc vendiderat.*

Lipp.

Virtutis exercitium maxima consequitur, quæ ignauus amittit.

233. *Accepto pane & lentis edulio abiit, paruipendens, quod primogenita vendidisset*, quæ Iacob obtinuit, quomodo qui minor ætate primogenituram obtinuit, cuius natu maximus fecit iacturam? aduerte disparitatem morũ in Esau & Iacob, ille enim socordiæ & ignauiæ deditus erat, quantum ad virtutes consequendas, iste autẽ, vt ait Proc. erat ciuilioris vitæ studiosus, aditu facilis, amicus & beneuolus omnibus, sincerus, insatiabilis amator ipsius boni, & ea quibus quotidie euaderet melior summo inquirebat studio: quid mirum igitur Iacob

Procop.

quamuis

quamuis minorem; primogenituram obtinuisse? quia in virtutibus, exercitium maxima consequitur, quæ ignauus amittit, docet inquit D. Ambr. lib. 1. de Abel. c. 4. *scriptura Esau cognomine stultitia virum cessisse patienter primatus suos fratri suo Iacob, vt diceret vt quid mihi primatus? sed quos iste posthabuit, hos vir cognomento exercitationis prudentia meruit.*

D. Ambr.

Maximæ animi dementiæ est præferre gloriæ quaslibet terrenas diuitias.

234. *Accepto pane & lentis edulio paruipendens quod primogenita vendidisset*, ò mortalium dedecus, ac laudem, tantum bonum nihili pendit, amplissimam dignitatem, simul cum opum exuberantia, vno vtique cibo vilipendit: sed cum arguimus Esau, eo quod tantæ dignitati, qualis erat primogenitura, edulium lenticulorum antepofuerit, eumque maximo dignum iudicamus supplicio censemus, quid de eo dicemus, qui proposito regno cœlorum, bonisque ineffabilibus, quæ sunt ei in æternum coniuncta, caducas antepponit diuitias: certe dicendus est amentissimis quibuscumque insanior, sed aurea Chrysost. verba præstat audire, *quare dic mihi proposito regno cœlorum bonisque illis ineffabilibus, ita in diuitiarum cupiditatem insanimus, & momentanea, & quæ sæpe vsque ad vesperam perueniunt, perpetuis semper duraturis præferimus? & quid hac amentia deterius fieret? quando ex illis priuamur ob nimium in ea amorem, & nunquam his frui possumus: quæ enim vtilitas magnarum facultatum? an nescis, quod accessio multarum pecuniarum nihil aliud nobis affert, quam curarum incrementa, occupationes mentis, & vigilias? non vides, quod hi potissimum serui sunt, quibus plura affluunt, & quotidie vmbras ipsas timent? inde enim nascuntur insidiæ, inuidentia, odium graue & innumera alia mala, & sæpe vides eum qui habet decem millia talenta auri recondita beatum vocare eum qui in officina operatur, & ex labore manuum cibum acquirit, qualis igitur voluptas & quale lucrum, quando ne sic his fruimur? & propter hanc concupiscentiam etiam maioribus priuamur: quid autem dico maioribus, cum post mala quæ hic non apprehendunt, & à bonis quæ alibi sunt, excidimus, & ad gehennam ipsam mittimur: & nondum dico innumera peccata, quæ his colliguntur, dolos, calumnias, apinas & fraudes, verum se momenti de eo est, quia omnibus illis liber, id non per qua difficile est ratum, qui autem opibus abundat, & ipsis solus vtitur, & his qui opus habent non communicat, gehennæ ignem expectabit.*

S. Chrysost.

Honor studiosus non contemnendus.

235. *Accepto pane &c. abiit paruipendens quod primogenita vendidisset*, nescio, cur tanquam prophanus, intemperans, & ingluuiei deditus accusatur, eo quod pretio alicuius edulii primogenituram vendiderit, nam cum primogenitura sit quidẽ honor & dignitas, & nihil aliud nobis consulant Patres, nisi vt honores contemptui habeamus, cur Esau laudibus non extollemus qui primogenituræ honores paruipendit? quia honorem licitum, quem tamen forte solum propter solam vanitatem & vanam gloriam appetierat, contempsit, vnde Oleaster, *non est bonor paruipendendus, sed est expendendum quid à te abiicias, ne postea abiecisse pœniteas.*

Oleaster.

Peccator cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.

236. *Accepto pane &c. abiit paruipendens quod primogenita vendidisset*, si bonorum patris, si sacerdotii dignitatis tantam facis iacturam, nec non etiã benedictionis paternæ, quomodo paruipendis? per Esau peccatorem, per bona quæ negligit ea quæ sunt spiritualia intellige, quid igitur miraris Esau primogenita & bona quæ sunt eis coniuncta vendidisse? quia peccator, inquit Sapiens Prouerb. 18. cùm in profundum peccatorum venerit, negligit, quæ verba Imperfectus hom. 40. in Matt. exponens ait, *bomo qui aliquod graue fecit peccatum vt Esau vendens primogenituram*, quasi amplius non habeat, quod iam speret in Deum, alia committit, dicente Salomone, cum venerit impius in profundum malorum contemnit, sicut enim infirmus donec mediocriter habet aliquam passionem, & sperat se posse curari, seruat se à nociuis escis, si autem intellexerit insanabilem se esse, iam non sibi parcit: sic & homo donec mediocriter peccat, & sperat salutem quantumcumque potest obseruat se à malo, si autem grauiter peccando cœperit desperare, iam nihil dubitat facere, quasi qui iam peccatis suis vicit iudicium Dei.

Prouerb. 18.

Imperfectus

Insensibilis quem mala conscientia non cruciat.

237. *Abiit paruipendens quod primogenita vendidisset*, nonne aliquo teneris scrupulo, quod primogenituram vendideris? nonne te mala cõscientia cruciat, quod tantum scelus admiseris? inspice quid dicatur textus, abiit paruipendens, insensibilem igitur prædicemus, cum nullus eum peruersæ conscientiæ viget stimulus, profecto de illorum numero est qui vt docet D. Paul. 1. Timoth. 4. num. 2. cauteriatam habent conscientiam, hoc est interprete Theod. extremum mentis stuporem, quem ipsemet peccator confitens ait, verberauerunt me, sed non dolui, traxerunt me & ego non sensi, Prouerb. 23. vers. 35. sed audiendus in hac verba D. Greg. Mag. 3. parte curæ pastor. admo. 35. *per Salomonem vox percussi & dormientis exprimitur qui ait, verberauerunt me, sed non dolui, mens quippe à cura suæ sollicitudinis dormiens verberatur, & non dolet, quia sicut imminentia mala non prospicit, sic neque quæ perpetrauerit agnoscit.*

1 Timoth. 4.

Theodor.

Greg. Mag. 3. parte curæ pastor. admo. 35.

Vera pœnitentia debet esse de peccato commisso, non autem de damno aliquo temporali consecuto.

238. *Abiit paruipendens quod primogenita vendidisset*, in quem excandescens D. Paulus ad Hebr. 11. ait, ne quis prophanus, sicut Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua, deinde subiungit, scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, non enim inuenit locum pœnitẽtiæ, quamuis cum lachrymis exquisiisset eam, quid ais Paule? cui ne denegatur locus & tempus pœnitentiæ, si præcipue cum fletu eam exquisierit? minime, ait enim Deus, nolo mortem peccatoris, sed vt magis cõuertatur & viuat, in quacumque hora ingemuerit peccator, saluus erit, quomodo ergo ais quod Esau non inuenit locum pœnitentiæ, quamuis cum lachrymis eam exquisiisset? optima est D. Thomæ in Paulum responsio, *quia non, inquit, dolebat de peccato venditionis, sed de damno perditionis.*

Hebræo. 11.

D. Thomas.

Nimia ingluuies virtutem vilipendit, religionem negat.

239. *Abiit paruipendens quod primogenita ven-*

dedisset, quandonam hoc paruipendit ? accepto pane & lentis edulio, quod ad satietatem vsque comedit, sed quid dixerit secundum Targū Hierosol. audiamus, contempsit primogenituram, & flocci-pendit partem futuri sæculi, negauitque resurrectionem mortuorum; itane à sensu alienus, vt cibo ingurgitatus, diuina, & futuram contempserit requiem, fidem negauerit, nempe mortuorum resurrectionem ? id facile crediderim de homine cibis ingurgitato, nimia enim ciborum ingluuies quidquid virtutis & cultus Dei, & religionis est cōtēnit, hinc Dominus populum suum sic composuit, vt à ciborum multorum copia illum abstinere iusserit, vt per gulæ temperantiam magis hæreret religioni à qua facit decidere luxurians escarum appetitus: quippe, ait Tertul. lib. de ieiunio : *accesserunt & aliæ causæ, quibus multa à Iudæis ciborum genera tollerentur, non vt illa damnarentur sed vt isti coercerentur seruiturs vni Deo, quia ad hoc assumptos singalitas docebat, & gulæ temperantia, quæ semper religioni deprehenditur esse vicina, imo (vt ita dixerim) consanguinea, atque cognata : sanitati enim inimica ciborum luxuria est, quomodo enim per illam parcetur religioni, cùm non parcatur pudori? non recipit luxuria Dei timorem, dum præcipitantibus illam voluptatibus in solam fertur cupiditas temeritatem : effusis enim habenis, sine modo admotis sumptibus, quasi pabulis crescit accedens patrimonium cum pudore; aut vt torrens aliquis è montiū iugis cadens non tantum opposita transcendit, sed & illa ipsa in alterum ruinam rapit.*

SYNOPSIS CAPITIS VIGESIMI SEXTI.

ISAAC OB FAMEM IN GERARIS peregrinatus, post acceptam terræ promissionem & seminis benedictionem, reprehenditur ab Abimelech quod Rebeccam dixerit suam esse sororem, & pastoribus ipsorum pro puteis contendentibus, & iurgantibus, Abimelech cum Isaac fœdus percussit.

VARIETAS LECTIONVM VERS. 1.

VLG. Orta autem fame super terram, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara.

Sep. Facta est autem fames super terram præter famem priorem quæ facta est in tempore Abrahæ; iuit autem Isaac ad Abimelech regem Philistiim in Geraris.

Alii. Excepta vel absque fame priore.

CONCORDIA.

Dictio מלבד milcuad non solum præter, sed post significat, vnde idem est sensus vulgati dicentis post eam sterilitatem, ac aliorum vertentium, præter famem priorem.

EXPOSITIO.

ORta autem fame super terram, per terram intelligenda est illa Chanaan, quam vniuersam, fames ob frumenti penuriam, inualerat, *post eam sterilitatem*, id est præter priorem famem quæ acciderat in diebus Abraham, scilicet cum primum venit Chananitidem, annos natus quinquaginta quinque, vt traditur Genes. 12. *abiit Isaac ad Abimelech*, non illum qui tempore Abrahæ vitam degebat, vt volunt aliqui, sed ad aliū, vel forte eius filium, ille enim fuit centum annis ante hunc, nam regnauit antequam nasceretur Isaac, qui iam erat fere cētum annorum, vt colligitur ex versu 34. huius capitis, videtur ergo Abimelech fuisse nomen commune regum Palæstinæ, vti Pharao & postea Ptolemæus, fuit regum commune Ægypti & Cæsar Romanorum Imperatorum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Dei prouidentia in omnibus conspicitur.

1. *Orta autem fame super terram*, certe Deus arguendus incuriæ & quasi torporis, cur enim non satagit, vt terra germinet triticumque vt mortalibus præbeat, alimentum vitæ cōseruandæ necessarium, sed quod me in maiorem rapit admirationem, cur eam, in qua sanctissimus Isaac commorabatur, terram fame opprimit? signum est nec eos qui sibi obsequuntur, curare: ne dicas quæso hæc casu vel fortuito contingere, sed ex dispositione & ordine prouidentiæ Dei, qui tanquā sapientissimus rector, semper mūdo inuigilat, vel beneficiis eum cumulās, vel flagellis puniēs, *sicut enim nauigans gubernator*, inquit

S. Saluian. lib. 10. de prouid. *nunquam manum suam à gubernando, sic nunquam pœnitus suam curam Deus tollit à mundo: at sicut ille & auras captans & saxa vitans, & astra suspiciens, totus est simul tam corporis quam cordis officio operi suo deditus: ita Deus noster ab vniuersitate omnium rerum nec munus dignantissimæ visionis auertit, nec regimen prouidentiæ suæ tollit, nec indulgentiam benignissimæ pietatis aufert.*

S. Saluian.

Iustus non conqueritur de tribulatione sed soli insensati.

2. *Orta fame super terram abiit Isaac*, quomodo non legimus grauiter & impatienter conquestum fuisse, quod fame afflictus cogeretur antiquum mutare solum, & subiatis cum immenso labore tentoriis, asportataque omni familia, per alienas regiones emendicando peruagari? quomodo inquam non legimus grauiter hanc mediam tolerasse, cum mortales soleant immisso à Deo etiam leuissimo flagello de Deo inconsideratè conqueri? quia iustus, qualis erat Isaac, de tribulatione querimonias non excitat, sed soli conqueruntur insensati, quod eleganter ita effatur D. Saluian. lib. de prouid. *sunt qui etiam [illegible] Deus noster esse præcipit* ad Ephes. 2. *quando [illegible] in humano genere non fuit, si æstus est de caliditate causamur, si pluuia de inundatione conquerimur, si infœcundior est annus accusamus sterilitatem*, preme hæc vltima verba, *si infœcundior est annus, accusamus sterilitatem*, quasi diceret, si aliqua vrgemur media querimonias excitamus, non sic autem iustus Isaac, qui cum in terra in qua commorabatur fame premeretur, nec leuiter indignatus legitur.

Cit Episcop. Massilieus. Ephes. 2.

Mendicitas non est viris iustis & nobilibus indigna.

3. *Orta fame super terram abiit Isaac ad Abimelech*, cur? sane vt ab eo frumenti copiam, qua sua aleretur familia emendicaret à rege, quid? nonne iustus erat, nec non nobilissimus Isaac: quomodo igitur quasi ad extremam redactus necessitatem, cogitur mendicare? non tamen renuit, quia mendicitas non est viris iustis nec nobilibus indigna, quod confirmare videtur Oleaster cùm ait, *illud valde notandum est non murmurasse Isaac sicut neque Abraham, quod cùm essent sancti & iusti, cogerentur extra propriam terram emendicare.*

Oleaster.

Tribulatio iustos corroborat, malos conterit.

4. *Orta fame super terram abiit Isaac &c.* nescio qua de causa hominem iustum de pietate & virtute bene meritum vrges tantæ mediæ tribulatione? impios corripe Chananæos, hoc flagello castiga Deus, vt ad mentem & ad meliorem frugem redeant, sed hominem iustum, in præmium virtutis suæ beneficiis cumula, & ab eo flagellum iracundiæ tuæ remoue: ne remoueat, non enim in damnum, sed in maximum cedet prouentum, cum enim vehementius corroborabit, hoc animaduertit Hugo de Prato florido Dominic. 4. post Trinit. qui tribulationis bona enumerans ait, *vnum est quod corroborat homines sicut ignis laterem, quem tamen videtur comburere*; Romanorum 5. *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem: & nota quòd ignis laterem corroborat & lapidem vertit in calcem, sic tribulatio bonos humiles qui se lutum reputant fortificat & roborat, exemplum habemus in Iob,*

Hugo à Prato florido.

Roman 5.

obstinatos vero & superbos qui de se magna sentiunt terit & destruit patet in Pharaone, nam ille cadit in aqua qua fuerunt promoti à dextris & à sinistris filiis Israel, suffocauerunt viros Ægyptios.

Magna in aduersis constantia tenenda.

5. *Orta fame super terram abiit Isaac*, &c. diximus hac inopia superueniente, Isaac eam grauiter non tulisse, non impatienter conquestum, quod fame afflictus antiquum solum mutaret, sed quare saltem pro depellenda famis illius calamitate, Deum impensius non inuocauit precibus, sed inclinato capite ad Dei iudicia veneranda, & quicquid aduersi accideret subeundum, ad regem Palæstinæ abierit? sine dubio vt discamus læto & constanti animo infausta tolerare, *considera*, inquit Oleaster, *quàm æquo animo iusti Dei flagella sustineant, non est Isaac Deum suum deprecatus pro depellenda fame, sed regnum regis idololatræ quo pascitur intrauit.*

Oleaster.

Dei benignitas erga suos manifestatur.

7. *Orta fame abiit Isaac ad regem Palæstinorum in Gerara*, si terram Chanaam fames ob frumenti penuriam inuaserat, certe etiam in Geraris & in regione Palæstinorum fames erat: si igitur ibi nulla erat copia frumenti, cur Isaac illuc proficiscatur? dices vt illac transiret in Ægyptum, sed qua de causa iussus est à Deo in ea commorari? optime satisfacit Pererius, *vt illustrior*, inquit, *fieret Dei erga ipsum benignitas, quem in tanta sterilitate non modo sustentauerit, sed etiam frumenti abundantissimum, nec non ditissimum fecerit.*

Bened. Perer.

Diuitibus Deus consulit, vt facultates suas pauperibus distribuant.

8. *Orta fame super terram abiit Isaac*, videtur quidem fames & sterilitas naturalibus mediis prouenire, vt pote nimia siccitate vel nimia intemperie aeris, verùm pius homo non secundis id adscribit causis, sed primæ, nempe Deo: sed cur famem, quæ magis pauperes premit, qui innoxii sunt aliquando magis quam diuites, qui vt plurimum sunt nocentes, super terram immittit? sine dubio vt opulentis consulat, facultatibus enim suis distributis subleuandæ pauperum indigentiæ gratia, peccata sua possunt redimere: si sapis ò diues aliorum miseriis condole, & si habes vnde famem non timeas, cura vt aliorum famem releues, ideo enim Deus plerumque famem mittit, vt habeas diues occasionem miserendi.

Deus verbum suum contemni dissimulare non potest, sicque grauiter castigat.

9. *Orta fame super terram abiit Isaac*, obserua Moysem nedum huius famis meminisse, sed etiam eius quæ temporibus Abrahæ contigerat, cur vtriusque meminit? potius enim prospera omnia euenire debuerant, quid enim boni sperandum non erat, cum hi Patriarchæ in terram illam venissent, verbumque Dei annuntiare cœpissent? cur igitur statim oboritur fames, & tanta omnium penuria? cur flagello ita duro genus hominum corripit, cum potius innumeris cumulare deberet beneficiis? verbum enim suum annuntiatur, imo quia annuntiatur & contemni-

temnitur fa[illegible] immittit, variisque calamitatibus afficit, vt sui contemptores verbi grauiter puniantur, sic arbitratur noster Ferus, *causam assignare possumus*, inquit, *cur Deus tunc vel maxime immittit mala cum verbum suum sinit prædicare, quia cum prædicatione Euangelii & verbi Dei, peccata horrenda veniunt, quæ prius non erant, alii enim fiunt ingrati, alii contemnunt, alii persequuntur, & blasphemant, alii segniores fiunt ad omnia bona, & qui prius ignorantia peccabant, nunc malitia peccant, quod Deus dissimulare non potest, ideoque plerumque tunc vel maxime incipit punire cum verbum suum emittit.*

Noster Ferus.

Miraculum non quærendum vbi humana suppetunt auxilia.

11. *Orta fame super terram Isaac abiit*, &c. si Deus non deficit in necessariis, nihil autem æque necessarium vitæ conseruationi quam alimentum, cur cito in alienam terram proficisceris, subleuandæ tuæ necessitatis gratia? in tua remane, Deus aliquod perpetrabit miraculum, quo tua tuorumque vita conseruabitur: prudenter agit Isaac regem ignotæ gentis adire, apud quem facilius vitam sustentet; non est enim expectandum miraculum, vbi humana suppetunt auxilia, fauet nobis Etherius Episc. Vxamēsis l. 2. de Christo & eius corpore, quod est Ecclesia, qui postquam dixit, non semper necessaria esse miracula, præcipue cum humana suppetunt, subiungit, *Paulus sanctæ prædicationis suæ adiutorem suum Timotheum ex infirmitate stomachi laborantem non verbo curat, sed medicinali arte mederi parat, dicens modico vino vtere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates* 1. *ad Timoth.* 5. 23.

Etherius Episcop.

1. Ad Timot 5.

Qui regii diadematis dignitate clarus est, sit pater subditorum.

12. *Abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum*, communior sententia Abimelech regum Palæstinæ fuisse communem nomenclaturam, vt quisque eo nomine rex illius diceretur, sed quid hæc Hebræa compositio significat? Abi pater meus, melech rex interpretatur, sed qua de causa reges sibi nomen nō Domini sed patris assumunt & sortiuntur? quia qui regii diadematis dignitate clari sunt, subditorum suorum debent patres esse, sic enim qui populis præficiuntur, primo patres, deinde reges debent esse, vt regiam dignitatem mansuetudine & beneuolentia temperent paterna, & subditi patris nomine inuitati regem subinde imperantem filiali quodam amore prosequantur, nobis fauet Lipp. dicens, *Abimelech non personæ nomen est sed regiæ dignitatis nomenclatura apud Palæstinos, quasi pater sit & rex; sic enim esse debent qui populis præficiuntur.*

Lipp.

Reges extraneos fouere & protegere debent.

13. *Abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum*, cur ad regem alienigenam & incognitum subleuandæ necessitatis tuæ gratia progrederis? si te in carcerem conicere iubet dicens, te sui regni exploratorem esse, hoc non formidat, scit enim quod regii animi est exteros fouere, & protegere, necessitate id exigente: nobiscum sentit Oleaster, cum ait, *docentur hic reges auxilio esse peregrinis & extraneis.*

Oleaster.

Christus Dominus cumulum inquitatum nostrarum venit soluere.

14. *Abiit Isaac in Gerara*, non est dubium Isaac Christi Domini typum fuisse, sed quomodo conueniet Christo redemptori, quod in Gerarā profectus fuerit? aduerte quod Gerara interpretatur, maceria & paries, & significat, inquit Hugo Card. cumulum iniquitatum, quæ diuidunt inter nos & Deum nostrum, quo posito recte dicitur Isaac venisse in Gerarā, *quia Christus Dominus*, inquit cit. auctor. *hunc cumulum venit dissoluere, vnde Ephes. ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua: ecce Christus in Geraris.*

Hugo Card.

Ephes.

Pauper religiosus aptissimus ad seminandum verbum vbique.

15. *Abiit Isaac in Gerara*, noster Nicolaus de Lyra, per famem ortam intelligit moraliter non famem panis materialis, sed spiritualis, videlicet audiendi verbum Dei, per Isaac autem qui abiit, pauperem religiosum, qui ad prædicandum, quocumque discurrit, sed cur per huiusmodi Isaac non intelligit Antistites, quorum munus est Dei verbum annuntiandi, quique sunt clari in omnibus scientiis? optime satisfacit prædictus auctor, *licet multi Prælati, Curati, Clerici & Religiosi possessiones habentes sint bene literati, & ad prædicandum apti, quia tamen sunt negotiis aliis multipliciter occupati, ideo non possunt hoc facere quantum expedit fidelium saluti, dicente Domino Luc.* 10. *messis quidem multa, operarii autem pauci, rogate igitur dominum messis vt mittat operarios in messem suam, propter quod Dominus misit pauperes religiosos à terrenis expeditos & per consequens quantum ad hoc ad discurrendum pro prædicatione magis aptos, & isti significantur per Isaac.*

Noster Lyran.

Luc. 10.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS 11.

VLG. Apparuitque ei Dominus, & ait, ne descendas in Ægyptum, sed quiescas in terra quam dixero tibi.

Sept. Habita in terra.

Cald. Morare in terra.

Pagn. Visus est ei Dominus.

Arias. Et visus est ad eum Dominus.

CONCORDIA.

VErbum שכן Sacam significat non solum quiescere, sed degere, morari, inhabitare, & manere, & construitur cum accusatiuo, nec non præpositionibus, [illegible] vt hic,

EXPOSITIO.

APparuit ei Dominus, scilicet primo, nam non legimus Deum ei antea apparuisse, visionem autem hanc factam fuisse in vigilia existimo, *ne descendas in Ægyptum*, cùm enim ibi esset maxima frumenti copia in Ægyptum proficisci statuerat, cur autem noluerit Deus illuc ire, nempe in Ægyptum in conceptibus aperiemus, *sed quiesce in terra quam dixero tibi*, hæc fuit terra Philistinorum, cuius metropolis erat vrbs Gerara.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus adiutor in tribulationibus & afflictis præsens.

16. APparuit ei Dominus, quo nam tempore hæc visio diuina facta est? ait textus, orta fame super terram, cur potius tempore famis Deus apparet Isaac, quàm alio? hæc est enim prima apparitio facta Isaac, vt sciremus Deum maxime in tribulatione præsentem esse, nec non adiutorem, vnde optime noster Titelma. in hæc verba Psal. 9. adiutor in tribulationibus, ait, *nunquam Domine inuentus es derelinquere eos qui te ex animo quæsierunt, tibique placere studuerunt, sed asistis eis præsentia tua, nonnunquam quidem temporali adiutorio, & gratia tua interna consolatione.*

Psal. 9. *Titelm.*

Deus nomen conueniens liberalitati suæ habet.

17. *Apparuit ei Dominus*, in Hebræo est Iehoua, cur hoc nomen sibi assumit, cùm Isaac primum apparet? aduerte visum ei fuisse, vt benedictionem infunderet, nec non promissionem terræ Palæstinorum iterum renouaret: bene igitur nomen proprium sibi assumit, quia illius propria est liberalitas, quod obseruat Caiet. dicens, *nomen est tetra grammaton apte congruens largitati diuinæ erga Isaac.*

Card. Caiet.

Vera obedientia opum & opulentiæ contemptrix.

18. *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi*, fame valida vrgente, descendere volebat in Ægyptum, vt sibi suæque familiæ, quæ magna erat, consuleret, cur ergo à Deo retinetur, ne in terram Ægyptiorum proficiscatur? vt obedientia Isaac ostenderetur, qui potius diuinis præceptis audiendis, quàm opibus etiam necessariis comparandis studebat, malebatque cum obedientia esurire, quàm sine obedientia epulari, meminerat parentem suum Abrahamum in terra Chanaan non mediocriter eguisse, Genes. 12. in Ægypto vero non vulgariter abundasse, Genes. 13. idem sibi euenturum non dubitabat, vt inter Chananæos penuria laboraret, inter Ægyptios opulentia frueretur, & nihilominus diuinum præceptum proprio commodo præferendum ratus, maluit mendicare in terra Chanaan, quam in terra Ægypti locupletari, quare inquit noster Lyranus, *confidens de Deo & volens illi obedire remansit?*

Genes. 12. *Genes. 13.* *Noster Lyran.*

Obedientia à periculis nos liberat.

19. *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi*, hæc autē terra erat Philistinorum, cuius metropolis erat vrbs Gerara: inuestigemus quæso, quomodo Sara breui tempore in Geraris peregrinata, statim passa est insidias incolarum, eam viro suo auferentium, deferentiumque ad regem Abimelech, Genes. 20. at vero Rebecca in eadem regione diutissime commorata, nullas ab incolis insidias, nullum pudicitiæ suæ periculum incurrit, cur Sara & non Rebecca periculum violandæ pudicitiæ patitur? aduerte quod Sara cum viro suo Abraham, non quidem Deo imperante, sed sponte sua illuc descenderat, at vero Rebecca cum viro suo Isaac, præceptum à Deo acceperat illic quiescendi, vt ex textu patet. ne mireris igitur diuino præcepto innixam periculo suo non timuisse, imo liberam ab eo euasisse, imo quod maiori admiratione dignum est, quod ipse rex Abimelech securitatē contulit, & in ipsos Rebeccę insidiatores, si qui forent, capitale supplicium minatur, dicens qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur, sic enim oportebat vt coniuges Deo obtemperantes diuina prouidentia tueretur vt notat D. Chrysost. ho. 51. in Genes. *qui dixerat inquit ei ne descendas in Ægyptum, ille erat qui iustum in tanta constituebat securitate.*

S. Chrysost.

Suppliciis emendamur.

20. *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi*, nempe in Gerara, sed ô Deus misericors, si Geraritæ Saram ab Abraham viro suo tulerunt, visa illius eximia pulchritudine, nonne eandem vim inferent Rebeccæ, cùm non sit in venustate corporis Sara inferior? aduerte Geraritas, cùm Saram rapuerunt, meritas dedisse pœnas: in terram igitur Geraritarum proficiscatur Rebecca, nullam ab eis patietur iniuriam, quia ex præteritis suppliciis propter Saram iam à suis resipuere flagitiis, *punitio enim*, inquit Hugo à Prato Dominica 4. post Trinit. *purgat animam à peccatis, nam est flagellum grano quod lima ferro, quod fornax auro, sed de quibusdam potest dici illud Hierem. 6. frustra conflauit conflator, malitiæ eorum non sunt consumptæ, argentum reprobum vocate eos, maledictum scrinium, quod ex lima trahit originem.*

Hugo Prat. *Hierem. 6.*

Imperscrutabilis est Dei prouidentia, varios erga suos, effectus producens.

21. *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi*, cur Deus noluit in Ægyptum ire, vbi maxima frumenti copia ad famem suam, & familiæ suæ subleuandam, quò tamen Abraham pater illius fame oppressus, est profectus? sine dubio vt imperscrutabilem suam miraremur prouidentiam, Abraham enim in Ægyptum descendere permisit, vt viri virtus manifestaretur, Isaac autem iussit in Gerara manere, vt in media inopia, omnibus vitæ conseruandæ necessariis, repleretur: sed hoc accipiamus à D. Theod. q. 76. in Genes. *per omnia Deus demonstrat sapientiam ac prudentiam suam, etenim permittit Abraham ex Chananæa propter famem ire in Ægyptum, non quod eum illic non*

S. Theod.

possit alere, sed vt Ægyptiis ostenderet viri pietatem & religionem, eosque prouocaret ad imitandam eius virtutem, filium autem eius illuc ire prohibuit, eique rerum necessariarum copiam in terra sterili suppeditauit, demonstrans vtique quod hæc patri largiri potuisset quæ filio abunde præbuit, cum enim omnes regionis illius incolæ in summa inopia & rerum necessariarum penuria versarentur & terra nihil produceret, multiplicem ille fructum accepit. voluit igitur Deus in illis duobus Patriarchis ostendere varios modos & rationes prouidentiæ, quibus mirabiliter vtitur in seruis suis, variè liberandis, tuendis, & magnificandis.

A

Exempla virtutū præbet Deus vt eas imitemur. B

22. *Ne descendas in Ægyptum*, imo descendat, pater enim eius in eam descendit vt suam subleuaret necessitatem, quod illi prosperè contigit, ibi enim ditissimus euasit, sed quia Deo obediendum, Ægyptum non petat, inquiramus tamen cur inter Ægyptios commorari voluit Deus iustum Patriarcham Abrahamum: optimè satisfacit Genn. in cat. Græc. *nullibi cessat, inquit, diuina sapiētia, concessū fuit Abrahæ vrgente fame secedere in Ægyptum, haud equidem annonæ charitate, vbique Deus præsto esse poterat, sed vt Ægyptij cognita religione ad æmulationem eius virtutis concitarentur.*

Gennad.

C

Si Deus erga aliquos non ita liberalis est, ac erga alios, non ex defectu suæ liberalitatis contingit, sed quia ita conuenit.

23. *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi*, si in Gerara, in qua Isaac commoratus est, omnibus abundabat in media illius prouinciæ inopia, cur Deus similiter in ea permanere non iussit Abraham? nonne eādem illi ac filio conferre poterat abundantiam? videtur quod non valuerit, sed falleris, si enim Deus erga aliquos non ita liberalis est, ac erga alios, non ex defectu suæ liberalitatis, ita contingit, sed quia ita expedit, ita cit. Gennad. *Isaac esse voluit Deus in Gerara, vt multiplici prouentu contra terræ malignitatem ditatus palam facere potuisset quoque parentes eadem prosequi liberalitate, nisi aliter exegisset œconomiæ ratio.*

Cit Genn.

D

Feruorem fidei vult Deus in nobis conseruari.

24. *Ne descendas in Ægyptum*, si vbique terrarum es ô Deus, nonne eum conseruare illæsum poteris, sicut & in Gerara? permitte igitur vt in Ægyptum descendat: aduerte Isaaco non incognitam fuisse promissionem, qua Deus patri suo Abrahæ pollicitus fuerat terram Chanaan possessurum, voluit igitur Deus forte in ea manere, & non in aliam proficisci, vt feruor fidei suæ nō diminueretur, Fauet Lip. *prohibet*, inquit *Dominus iustum excedere è terra promissionis, ne fides feruor decrescat.*

Lippom.

E

Deus vult iustos ad superiora tendere.

25. *Ne descendas in Ægyptum*, si terra Ægypti omnibus diuitiis copiosissima & in frumenti copia abundantissima, cur Isaacum in eam descendere & commorari non permittis? aduerte Ægyptum inferiorem esse respectu terræ Palestinæ, merito igitur hoc impositum præceptum Isaac ne descenderet, *non enim patitur Deus*, inquit Lipp. *descendere sanctos, sed vult semper illos ad superiora proficere.*

Lippom.

F

Deus suarum obseruantissimus promissionum.

26. *Ne descendas in Ægyptum*, quid in te commisit terra Ægypti, quæ cum sit opulentissima, tamen à sanctis suis honorari non permittis, sed iubes non solum in ea non commorari, sed nec eam inuisere, vt suæ consulant inopiæ & necessitati? nonne Deus hanc terram Chanaan, in qua erat Gerara, Isaaco Deus pollicitus fuerat? quo posito ad rem respondet Hieron. Oleast. *nolebat Dominus patri et relinquere promissa, ne mendacii eum arguerent, quod videlicet promissis non steterit.*

Oleast.

Deus occasionem res terrenas concupiscendi amouet.

27. *Ne descendas in Ægyptum*, Ægyptus à te conditore sicut aliæ nationes originem traxit, & benedictione temporali, nec non omnium abundantia diuitiarumque copia à te cumulata, cur ergo ei indignatus, in eam descendere prohibes Isaacum? ne pulchritudine terræ Ægypti & illius auri argentiue copia alliceretur. Fauet cit. Oleaster, *noluit*, inquit *eum in Ægyptum descendere ne locus placeret, & amplius non reuerteretur, timet enim Deus suis loca amœna & abundantiam, quoniam nouit homines etiam iustos facile amœnitate loci delectari, erat enim terra Ægypti fertilis & quæ sua abundantia & copia posset allicere Isaac, ideo noluit eum illuc descendere.*

Oleast.

Deus ita suorum amator, vt suæ quieti consulat.

28. *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi*, nonne premitur necessitate? cur igitur quiescet? laboret vt fami suæ suorumque consulat, vel saltem in Ægyptum proficiscatur, vt ibi frumentum congreget: imo quiescat, vt præcipit Deus, quia ita suorum amator est, vt laborem ab eis nimium nō exigat, sed potius quieti consulat, *nolo, ait Dominus*, vt commentatur Chrysost. *te longam viam proficisci, sed hic manere volo, nec permitto vt angustiam experiaris, sed promissionem patri tuo factam implebo.*

Chrysost.

Pudicitia inter impudicos sūmopere periclitatur.

29. *Ne descendas in Ægyptum*, quamuis in eam descendere non statuisset vt suæ consuleret necessitati, quia tamen erat terra amœnissima & pulcherrima, deberet eam peragrare, mos est enim plurimorum nobilium, diuersas prouincias inuisere, vt earum amœnitate & pulchritudine recreentur; aduerte inter alios populos, laborasse impudicitiā maxime Ægyptios; prudenter igitur prohibet Deus ne Isaac in Ægyptum se conferat, patris secutus exemplum, procuidubio enim maxime periclitaretur pudicitia Rebeccæ inter impudicam & libidinosam Ægyptiorum nationem.

Impudico nihil fœdum apparet.

30. *Ne descendas in Ægyptum*, diximus Deum hoc præcepisse Isaac quia inter Ægyptios viros impudicitiæ deditos, pudicitia Rebeccæ periculum incurrisset. Sed quomodo dicimus Ægyptios hac infamia laborasse? nam eorum fœminæ non formæ splendore conspicuæ habentur, imo deformes. deformitas autem nullomodo concupiscibilis: ne mireris tamen impudicos fuisse, quamuis, mulieres illius terræ deformes essent, quia impudico nihil fœdum apparet, quocirca prudenter D. Cyprian. l. de sing. Cleri. monet viros Ecclesiast. vt fugiant consortium quarumlibet fœminarum, à quibus æquale intentatur periculum, sic autem ait, *cum clerico fœmina nulla commaneat, non despecta, non vetula, sine affinitate peculiariter suscipienda ad domesticum obsequium, quia magis cito illic delinquitur, vbi sine suspicione securum potest esse delictum, maxime quia cupidinis nulla deformitas, nulla despectio fastidij, vel vilis existit, diabolus pingens speciosum efficit quidquid*

S. Cyprian.

fœdum vel horridum fuerit.

Non humano fidendum est auxilio, sed diuino.

31. *Ne descendas in Ægyptum*, si in Ægypto quicquid futurum sibi necessarium est, nullo labore conquiret, cur in eam descensum prohibes? quia Deus non humano sed suo vult Deus nos confidere auxilio: vnde optime Anselm. Laud. in glossa interl. ait, *væ qui descendunt in Ægyptum propter auxilium*, & Isaiæ. 30. *væ filii desertores qui ambulatis vt descendatis in Ægyptum & os meum non interrogastis sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis & habentes fiduciam in vmbra Ægypti.*

Anselm. Laud.

Isaiæ. 30.

Deus reuocat à peccato, consulens vt in statu gratiæ permaneamus.

32. *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi*, si longè abundantior & fœcundior est terra Ægypti quàm Gerarorum regio, cur è contra non præcipit Deus vt in Ægypto quiescat & fugiat à Gerara? certum est per Ægyptum quæ interpretatur tenebræ siue angustia, designari statum peccati, quia peccatum mentem caligine replet, iuxta illud Sapientiæ 3. excæcauit illos à malitia eorum, item angustiat & excruciat animam: vnde August. l. 11. de confes. *iussisti Domine, & ita est, vt pœna sibi sit omnis inordinatus animus*, item aduerte quod Gerara quæ in terra promissionis erat, denotat statum gratiæ & virtutum, quæ est quasi terra promissa, respectu status peccati, status enim peccati est tanquam terra à Deo maledicta, quæ spinas producit & tribulos, status verò gratiæ est tanquam terra promissionis benedicta producens lac & mel, id est bona opera meritoria: iure igitur Isaac prohibetur in Ægyptum descendere, & iubetur quiescere in Geraris, quia cùm Deus nolit mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, à peccatis nos semper reuocat, & consulit vt in statu gratiæ permaneamus.

Sapient. 3.
August.

Religiosus ad sæculum redire non debet.

33. *Ne descendas in Ægyptum*, imo in eam descendat, vt virtute sua Ægyptios ad tui cognitionem deducat, aduerte Hebræos referente Tostato dicere idcirco non debuisse Isaac egredi terram promissionis, quod esset ipse Deo consecratus cum eum pater iussu Dei immolare voluit: en quomodo typus est religiosi, qui Deo dicatus & consecratus est; Ægyptus autem sæculum & mundum denotat, rectè igitur Isaac iubetur in terra promissionis manere, & in Ægyptum non descendere, quia religiosus qui sæculo valedixit, non debet illud iterum colere, sed in terra promissionis, nempe religionis, manere.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS III.

VVLG. Et peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi, tibi enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramētum quod spopondi Abraham patri tuo.

Sep. Incole in terra hac & statuam iuramentum meum, quod iuraui ad Abraham patrem tuum.

Cald. Habita in terra hac, & erit verbum meum in adiutorium tibi, & benedicam tibi, quia tibi & filiis tuis dabo terras vniuersas has, & confirmabo iuramentum.

Pag. Inhabita terram hanc semini tuo dabo omnes terras has, & statuam iuramentum quod iuraui ad Abraham patrem tuum.

Oleast. Stare faciam aut surgere faciam iuramentum.

CONCORDIA.

גור Cur nullam difficultatem ingerit, peregrinari, incolere, inhabitare, cōmorari, diuersari denotat, quamuis melius vertit interpres peregrinare, id enim principaliter illud verbum significat, hæ autem versiones, complens iuramentum, aut statuam, nec non confirmabo, vel stare faciam, eundem sensum habent, significant enim complebo quod iuraui patri tuo.

EXPOSITIO.

PEregrinare in ea, manè nunc in ea vt peregrinus, *ero tecum*, tibi in omnibus auxilium præbens, *benedicam tibi*, benedictione spirituali & temporali, *tibi enim & semini tuo*, id est tibi & posteris tuis, *dabo vniuersas regiones has*, id est omnem terram Chanaan, *complens iuramentum quod spopondi*, Abrahæ patri tuo, de quo iuramento diximus superius Genes. 22.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vbi Deus præsens est nihil formidandum.

34. PEregrinare in ea eroque tecum, Isaac vetatur deserere terram Gerara, & prohibetur in Ægyptum descendere, vbi erat frumenti abundantia, cur iubetur in Ægyptum descendere ad omnium rerum abundantiam, & manere inter famem & inopiam? volebatne Deus seruum suum fame affligere? cur ergo nō statuit exire à terra famis? inspice quod dicat ipsemet Deus, *ero tecum*, vbi enim cui Deus præsens est, & quis Deo adhæret, nihil habet formidandum, iam habet qua fami & omnibus malis medeatur, non est cur timeat inter ipsam famis necessitatem, viuere tenuat, quod obseruat D. Chrys. Hom. 51. in Genes. *vt ne putet iustus quod hoc imperet quasi volens eum famis angustiam experiri, & non permittere ei transitum in Ægyptum, inquit ne sis anxius neque curam habe, sed hic mane, ego enim ero tecum, cum igitur suppeditatorem omnium bonorum habeas, ne sis solicitus, ego enim Dominus omnium ero tecum, deinde hoc te declarabit omnibus fœliciorem, hoc te affluentem rebus omnibus faciet, hac est summa gloria, hac est vera securitas, hac est summa & caput bonorum quia ego tecum sum.* haud dubium quin fœlicissimus sit inter mala

D. Chrysost.

mala, qui non adhæret vni ciuium regionis famescentis, se adhæret, & secum habet Deum suppeditatorem omnis abundantiæ.

Boni in pœnis peregrinantur, vt postea quiescant, mali autem è contra.

35. *Peregrinare in ea*, laudatur Abraham, extollitur Isaac, eo quod in hoc sæculo fuere peregrini, vnde in laudem Abrahæ dixit Paulus ad Hebr. 11. fide Abraham demoratus est in terra promissionis, quasi in aliena in casulis habitans cum Isaac, & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem, expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus: sed nescio qua de causa huiusmodi Patriarchæ laudibus extolluntur, eo quod fuerint peregrini in hoc mundo? omne enim genus hominum peregrinum est, nam etiam impii in hoc sæculo peregrinantur, sicut & iusti, sed equidem diuersimode, *nam boni* (inquit Hugo Carensis) *peregrinantur in pœnis, tendentes in requiem, sed mali peregrinantur in delitiis tendentes in pœnas, Isaye 28. audite verbum Domini viri illusores qui dominamini super populum meum, qui est in Israel, flagellum abundans cum transierit à bonis, scilicet eritis, & in conculcationem.*

Hebr. 11. Hug. caren. Isaiæ. 28.

Absentia Dei malorum origo.

36 *Peregrinare in ea, & ero tecũ, & benedicam tibi*, sed cur antequam benedictionem suam polliceretur, dixi. *ero tecũ*? nam si benedicit certè cum eo est: merito tamen præmisit *ero tecum*, quia nihil boni potest contingere, si Deus non præsens, sed absens est, illius enim absentia omnium calamitatum origo est, *sicut enim*, ait Oleast. *omnia bona ex eius præsentia proueniunt, ita mala nobis occurrunt ex eius absentia Deuter 31. habes furo. meus irascetur contra eum in die ipsa & derelinquam eum, & abscondam contra eum faciem meam ab eis, & erit in consumptionem, & inuenient eum multa mala, & dicent in illa die, nonne quia non est Deus mecus in medio mei inuenerunt me mala hæc?*

Oleast. Deuter. 31.

Præsentia Dei omnium bonorum origo.

37. *Peregrinare in ea, & ero tecum, & benedicam tibi, & dabo regiones has &c.* cur postquam proposuit *ero tecum*, subiungit benedictionem Isaac concessurum, posterisque suis terram promissionis daturum, et sicut stellas cœli multiplicaturum? nam hoc silentio facilè prætermittere potuit: merito præponit, *ero tecum*, antequam tot beneficia conferat, tamque largiatur benedictionem, &c. quia ex præsentia Dei, designata per hæc verba, omnia bona proueniunt tanquam ex suo fonte & principio, nobis Fauet cit. Oleast. *vnde homini sit copia & rerum abundantia, pulchre docet locus iste quod scilicet ex præsentia Dei.*

Oleaster.

Fidem nostram exercet Deus.

38. *Tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has*, cur si eandem pollicitus fueras Abrahæ terram, eam talem filio eius non tribuisti, sed solum ei, & posteritati suæ promittis? vt fidem illius in adimpletione promissi sui exerceret, *nec Isaac*, inquit Lipp. *nec pater eius habuit passum pedis in terra promissionis, sed in posteris suis illam possederunt, semper autem in futurum promittit Deus, fidem suspendit ac exercet.*

Lippomani.

Quamdiu in æquitate permanemus, Deus stat suis promissis.

39. *Tibi & semini tuo dabo regiones has complens iuramentum quod spopõdi*, secundũ Hebr. quod stare faciam, quis modus loquendi ipsius Dei dicentis, quod stare faciet iuramentum suum? optimus equidem, indicat enim quod quamdiu Isaac, nec non illius posteri, virtutem colent & æquitatem, promissis stabit, & iuramento, in maiorem eorum certitudinẽ, quamdiu enim in nobis manet iustitia, permanet Dominus in pacto & iuramento, & tam misericors est, vt etiam fidefragis pacta teneat.

Intuitu meritorum iusti multa aliis tribuit Deus.

40. *Tibi & semini tuo dabo regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo*, cur nomen patris Isaac voluit interuenire Deus in hac promissionum confirmatione? nonne sufficiebat dicere, dabo tibi & semini tuo terram hanc? sius enim etiam Deus sic stetisset promissis: rectè nomen Abrahæ interposuit, cum terram Palestinæ pollicetur Isaac, vt nobis fieret manifestum quod interuentu sanctorum, & ex illorum meritis, quamuis etiam nos iusti fuerimus, multa consequimur, sic Tostat. *licet Isaac vir sanctus esset, tamen non dixit ei Deus quod dabat ei terras illas propter eum, sed propter iuramentum factum ad Abraham, quia in hoc maioris meriti credidit esse Abraham.*

Tostat.

Deus nostræ se attemperat imbecillitati.

41. *Dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo*, aliquidne diuinis promissis certius & infallibilius? iuramentumne eis maiorem præbet certitudinem & firmitatem? minimè, cur igitur promissa sua Deus iuramento confirmat? vt nostræ imbecillitati & infirmitati se attemperet, cum maiorem fidem adhibeamus iis quæ iuramento sunt stabilita, *vides*, inquit D. Chrysost. Hom. 51. *Dei misericordiam non ad propriam dignitatem respiciens loquitur, sed ad nostram descendens infirmitatem, nam quia homines illa perficere student non quæ simplici er promiserunt aliquando, sed quæ cum iuramento promiserunt, simili modo Deus iusto plenam fidem faciens iurauit*, quasi diceret, eodem modo voluit Deus hominibus persuadere, quæ homo homini persuadet, nempe iurando, vt humanæ se imbecillitati magis se accommodaret.

VARIETAS LECTIONVM VERS. IV.

VVLG Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, daboque posteris tuis vniuersas regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.

Cald. Et multiplicabo filios tuos sicut stellas cœli, & dabo filiis tuis vniuersas terras tuas, & benedicentur propter filios tuos omnes populi tui.

Pag. Et multiplicare faciam semen tuum sicut stellas cœli, & benedicent sibi in semine tuo omnes gentes terræ.

CONCORDIA.

QVamuis lectio Pagnini (nam de paraphrasi Caldaica non est curandum) habeat *benedicent sibi omnes gentes terræ*, quasi sensus sit quod in semine Abrahæ omnes gentes benedicent sibi, sic etiam explicant Iudæi, sed omnino retinenda est nostra lectio, quia non videmus omnes gentes sese benedicere in semine Abrahæ, sed potius in Christo, qui est verum semen Abrahæ,

EXPOSITIO.

MVltiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, id est innumerabile erit, sicut numerari non possũt stellæ, sic enim dicitur sup. 15. si quis stellas cœli numerare potest, & semen tuum poterit numerare, dabo posteris tuis descendentibus per lineam Iacob *vniuersas regiones has*, id est terram Chanaam, & *benedicentur in semine tuo*, id est in Christo de te nasciturо omnes gentes, quia omnes susceperunt benedictionem in eo cum per eum salutem consequutæ fuerint, vel sufficienter vel efficaciter.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus in benefaciendo nescit limites.

42. M*Vltiplicabo semen tuum sicut stellas cœli*, si solum Deus in tantum posteros Isaac augeret, vt cum stellis in numero conferri possent, tacerem equidem hoc beneficium, illius enim est, benefacere, nec inquirerem, cur se ei benedicturum, omnem terram Chanaã daturũ, & quod dictu ineffabile, & conceptu incomprehensibile, est progenitorem Christi secundum carnem futurum ei pollicetur? nonne ad suæ liberalitatis argumentum erga hominem quamuis iustum, sufficiebat benedictione & maxima posteritate cohonestasse? ad quid igitur tot se ei collaturum alia beneficia promittit? quia Deus in benefaciendo nescit limites, sed innumeris cumulat iustum beneficiis, imo etiam peccatorem ad se reuertentem. vt annotat Ruric. Episc. l. 1. Epist. 2. qui beneficia à Deo in filium suum prodigum collata considerans ait, *ea misericordia sufficiebat heredi, quin etiam paternæ clementiæ venia sola non sufficit quod vlnis fouet, quod gratia permulcet, nisi & munera largæ multiplicet, dat annulum nerui sus à Patre, perfidia duce discedat, calceamenta dat pedibus, quo facilius ardui itineris aspera & dura contemnat, dat & ipsam primam stolam &c. nec vllum ponit finem largiendo liberalissimus pater.*

Ruricius Episc.

Talis est Deus in benefaciendo, vt quamuis priora beneficia quæ confert, sint maxima, tamen posteriora priora obscurant.

43. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli*, egregium Dei donum, *dabo posteris tuis omnes regiones has*, non contemnendum beneficium, *benedicam tibi*, diuinæ liberalitatis apparens argumentum, sed vltimo subiungit, *in semine tuo omnes gentes benedicentur*, non est dubium illud vltimum & posterius, scilicet titulo progenitoris Christi decorari, omnia excedere priora beneficia, cur igitur hoc vltimo loco constituit? quia talis est Deus vt quamuis priora beneficia, quæ confert non sint exigua, tamen posteriora priora obnubilant, *diuinæ bonitatis*, inquit D. Basil. Seleu. Episc. orat. 2. *imber delatus posterioribus donis obscurat priora.*

Basil. Seleu.

Deus nescit paucis sua dona largiri.

44. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli*, quid tibi ô Deus curæ est semen siue posteritas Isaac, vt eã in numerum stellarum velis multiplicare? nonne sufficit ipsi Isaac benedixisse, & ne inopia & fame periret, ditasse & subuenisse? non equidem, hoc Deo sufficit, nam vni nescit aut paucis sua dona largiri, sed omnibus ea conferre satagit, eo spectat Cassiod. 3. Var. 29. dicens, *hæc sunt regia dona quod seminæ sparsa in segetem coalescunt, in vnum coacta depereunt, optemus ergo munera multis collata diuidere, vt possint vbique nostra beneficia pullulare.*

Cassiodor.

Deus è donis suis neminem excludit.

45. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, daboque posteris tuis omnes regiones has*, cur non ais, ô Deus dabo posteris tuis qui fuerint iusti, hanc terram, non autem omnibus? nam cùm futuri sint plures ex semine Isaac peruersi & impii, eos excludere deberes à possessione terræ Palestinæ. ita Deus in omnes liberalis, vt nullum à suis donis excludat, sed omnes in eis includat, quod Arnob. l. 1. contra Gent. rectè animaduertens dixit, *hoc est proprium veri Dei potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare quis mereatur aut minimè*, & D. Chrysost. explicans illud Pauli ad Rom. 10. idem Deus omnium diues in omnes, ait, *ista sunt Dei diuitiæ quod donum suum in omnes effundit.*

Arnobius.

Chrysost. Rom. 10.

Expedit vt iusti de se minora sentiant.

48. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli*, &c. diximus hoc interuentu meritorum patris sui obtinuisse, quod ipsemet Deus testatur, dicens eo quod Abraham voci meæ obedierit: sed cum Isaac sit etiam iustus cur ei patrem suum anteponit? cur non ait, quod quia tibi obtemperaueris, ideò tot beneficia cõfero? ne iustus Isaac superbiret, sed vt de se minima sentiret, hanc rationem præbet Thom. Anglic. *sancti*, inquit, *dum viuunt nondum compleuerunt veritatem suã, nec peruenerunt ad statum immobilis securitatis, & expedit eis semper minora sentire de se, propter quod Deus eis quodammodo præfert merita præcedentium patrum.*

Tho. Angl.

Per fidem in Christum venturum veteres salui facti sunt.

49. *Multiplicabo semen tuum &c. in semine tuo benedicentur omnes gentes; in semine*, id est in Christo, sed cur toties hanc benedictionem repetit? nam Abrahæ idem dictum est, sufficiebat autem patri suo hoc pollicitum fuisse, nihilominus toties eandem promissionem de Messia venturo repetit, quia per fidem in eum venturum, patres antiqui etiam salui facti sũt,

sic

S. Ignatius. sic D. Ignat. Epist. ad Philadelphienses, *omnes sancti, inquit, saluandi sunt per Christum, in ipso sperantes atque ipsum sperantes, & per ipsum salutem consecuti sunt; vnus Deus veteris & noui testamenti, vnus mediator Dei & hominum*, consule nostrum Corduba inquæstionario, l. 2. q. 5. ad 2.

Seuerè castigat Deus suis promissis contra dicentes.

50. *Multiplicabo semen tuū sicut stellas cæli*, quæ sine dubio numerari non possunt, consulamus quæso, ca. 24. 2. Reg. in eo dicitur, percussit cor Dauid, postquam numeratus est populus, & dixit Dauid ad Dominum, peccaui valde, in hoc facto, sed precor Domine vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis, & ob hanc populi numerationem Dauid in suis grauiter punitur, D. Theod. q. 47. in l. Regū, ad modum sollicitus inquirit rationē supplicij à Deo illati populo enumerato à Dauide cur pœnas exigit à populo, qui à Dauid numeratus fuerat: quia videbatur detraxisse eiusmæ promissioni, dum redigere ad numerū voluit Dauid, quod Deus absque numero promiserat, tum Abrahæ tum etiam Isaaco, sic prædictus auctor, *quoniam e[illegible] promissionibus erat contraria [illegible] numerare. Abrahamo enim dixerat Deus vniuersum Gen. 15. & 26. faciam semen tuum sicut arenam quæ est in littore maris, quæ non numerabatur propter multitudinem, ea de causa nominauit eam Sathanæ cogitationem vt [illegible] sit contraria promissioni.*

2. Reg. c. 24 — D. Theod.

VARIETAS LECTIONVM VERS. V.

VVLG. Eo quod obedierit Abrahā voci meæ, & custodierit præcepta & mādata mea,& ceremonias legesque seruauerit.

Sep. Pro eo quod obaudiuit Abraham pater tuus vocem meam & custodiuit præcepta mea, & mandata mea, & iustificationes meas, & legitima mea.

Cald. Eo quod obediuit Abraham verbo meo, & custodiuit custodiam verbi mei, præcepta mea, pacta mea, & leges meas.

Pag. Et custodiuit custodiam meam, præcepta mea, statuta mea, & leges meas

Caiet. Doctrinas meas.

CONCORDIA.

Licet in Hebræo sit verbum, שמע Samaa quod propriè audire significat, tamen Hebræi vtuntur verbo audire, pro obedire; vnde rectè interpretes transtulerunt obedierit, licet autem in aliis videantur discordes versiones, intelligendum est quoad verba, non quoad sensum, quamuis enim Vulgatus habeat præcepta, & Heb. custodiam, [illegible] tenet, nam præcepta custodia dicuntur, in quantum nos custodiunt, & nos custodire debemus, reliqua aperiemus in expositione.

EXPOSITIO.

EO quod obedierit Abraham voci meæ, quasi diceret, plurima ei præcepi, licet difficillima, vt terram, parentes, relinquere, circumcisionē subire, filium vnigenitum offerre mihi in holocaustum, & tamen libenter iussis meis annuit, *& custodierit præcepta & mandata mea*, licet idem sint, tamen aliqui per mandata accipiunt aliqua moralia, quæ pertinent ad ius naturæ, quæ tamen reducuntur ad decē præcepta decalogi, quæ dicunt significari per aliā particulam, præcepta, *& ceremonias*, tum propria circumcisionis, tum alias omnibus communes, quas Deus in lege naturæ instituit, quibusque coli voluit, habuit enim lex naturæ vti Moysis & Christi suos ritus, sua sacra & sacramenta. ne audias autē Hebræos qui ex hoc loco probare voluerunt Abrahā seruasse præcepta omnia, quæ postea per legem Moysis præscripta populo Heb. fuerunt, sed falsū est, nam neque Sabbatum obseruauit, nec ritum edendi agni Paschalis, nec plura alia quæ erant in lege Moysis, *& leges*, id est doctrinas & traditiones diuinitus illi traditas, vnde & tota lex Mosaica dicitur תורה torot, id est doctrina & instructio, aptè Caietanus vertit & doctrinas meas.

CONCEPTVS IN HVNC VERSNM.

Deus ad imitationem virtutum sanctorum nos excitat.

51. *EO quod obedierit Abrahā voci meæ &c.* cur ante oculos Isaac obedientiam patris sui proponit, nec nō quomodo præcepta sua seruauerit, legesque suas custodierit, post quam promissiones ei factas aperuit: non sine ratione id effecit, sed vt eum ad patris virtutes imitandas incitaret & adimpletione promissionis diuinæ dignus efficeretur, *vide Dei sapientiam*, inquit D. Chrysost. *quomodo erigit mentem iusti, & alacriorem reddit, & vt patris imitator fiat, efficit.*

S. Chryso.

Eo quod obedierit Abraham voci meæ, cur postquā te Isaaco benedicturum, suam posteritatem sicut stellas cæli multiplicaturum, nec non omnem regionē Chananæorū pollicitus est, addidit eo quod pater tuus mihi obtemperauerit: deberes enim potius dicere, si iussis meis obedieris, benedicā tibi, &c. rectè dixit eo quod obedierit Abraham voci meæ, ad innuendum talem esse virtutem obedientiæ, vt intuitu à patre præstitæ, filius maxima adeo consequatur & obtineat, ita cit. Chrys. *cap. propter quia magnam in omnibus declarauit obedientiam, propterea te ex illo natum, promissionum quæ illi factæ sunt, facio inhæredem.*

Cit. Chrysost.

Filius etiam ex patris obedientia, maxima consequitur.

Talis est virtus obedientiæ, vt ei de congruo debeatur Messiæ generatio.

52. *Eo quod obedierit Abraham voci meæ*, verba antecedentia hæc sunt, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quæ significant futurũ progenitorem Christi Domini, qui omnium benedictio & sanctificatio est, cur ad ea, immediate obediẽtiam Abrahami subiungit? vt denotaret talis efficaciæ & virtutis eam esse, vt ex congruo debeatur illi incarnatio verbi diuini, nobiscum est Caiet. dicens, *ecce promissio Messiæ olim facta Abrahæ reperitur ad Isaac, nontamen sine commemoratione meriti Abrahæ, cuius obedientia manifeste offertur probatione.*

Card. Caiet.

Qui in vno offenderit, factus est omnium reus.

53. *Eo quod obedierit Abraham voci meæ*, deinde subiungit, & custodierit præcepta mea, & leges meas nonne satis erat dixisse, eo quod pater tuus mihi obtẽperauerit? ad quid igitur addidit, & præcepta mea custodierit? dices, quia mandatorũ Dei obseruatio necessaria est ad vitam æternam consequendam: sed cur etiã subiungit, & ceremonias & leges meas seruauerit? aduerte per hęc omnia intelligi quæ tenetur homo præstare, vt Deo sit gratus: merito igitur nihil ex eis adempsit Deus vt Abrahamum tanquam virum iustum commendaret, quia omnia obseruanda sunt, quæ ad perfectionẽ sunt necessaria, qui enim in vno offenderit, non iustus dicendus, imo omnium factus est reus, Iacob c. secundo, quæ verba quomodo à D. Hieron. prætermissis aliis pluribus exponendi modis, intelligãtur subiicio, ait igitur lib. 6. in Isaiã, *quod qui vnũ aliquod præceptum infringit fit omnium aliorum reus, quod sic prosequitur David Psal. 102. benedic anima mea Domino & omnia interiora nomen sanctum eius, quomodo enim cithara non emittit vocalem sonum atque compositum, si saltem vna chorda rupta fuerit, sic Spiritualis venter Prophetæ, si vna in eo virtutum chorda defuerit, nõ poterit melos dulcere sonare*, & D. Basil. in tract. de operi. infruct. non cõmunic. ait, *iniquus est omnis qui legẽ ex parte seruat, vel qui vnũ tantum neglexerit mandatum, vnum inquam quamuis minimum, si desideratur in lege, tota excidis lege.*

S. Hieron. Iacobi 2. Psal. 102. S. Basil.

Nomina iustorum ita Deo sunt grata, vt eorum pronuntiationem nolit prætermittere.

54. *Eo quod obedierit Abraham voci meæ*, si filio Abrahã loquebatur Deus, cur non ei dixit eo quod obedierit pater tuus voci meæ? cur Abrahami nomẽ expressit? quia Deo nomina iustorum ita sunt grata & iucunda, vt eorũ pronuntiationem nolit prætermittere, sed ea proferre delectetur, sicut è cõtra nomina peccatorum ita sibi inuisa, vt ea non memoret, quod recte obseruauit Anonym. cit. in cat. super Lucam explicans vers. 19. & 20. c. 16. Luc. scilicet homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & erat quidã mendicus nomine Lazarus, ait autem, *considera & aduerte diligenter Saluatoris verba in quibus summa relucet sapiẽtia, neminem enim, nominatum recenset dicendo verbi causa homo quidam diues vti Iob, sed in genere tantum hominem diuitem nominat: pauperis vero è cõtra nominatim meminit, quid hic itaque obseruandum? quod videlicet hunc tanquam durum & in pauperes inhumanum*, adde & per consequẽs peccatorem, *Dominus Anonymum inducet vti per Prophetam de Deum non timentibus pronuntiarat dicens Psalm. 15. non memor ero nominum illorũ per labia mea; at pauperem vero nomine designat, si quidem tales*, adde & iusti, *in Dei lingua & ore obuersantur.*

Anonym. Luc. cap. 16.

Obseruationis mandatorum, vita æterna præmium est.

55. *Eo quod præcepta & mandata mea custodierit*, scilicet tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has, nempe terrã Chanaan, quæ est terra promissionis; cur hanc terram intuitu obseruationis mandatorũ suorum tribuit? per terram promissionis non est dubiũ intelligi terram viuentium, nempe æternã: merito igitur promisit terram Chanaã, quia custodit Dei præcepta, obseruat omnium enim mandatorum eius vita æterna est præmium, ita noster Lyranus, prolo. in decalog. *sciendum quod quicũque diuina præcepta opere viriliter adimpleuerit, talis sine dubio æternaliter fœlix erit, propter quod signanter ait Deus Deut. 6. audi Israel præcepta mea & ea in corde tuo, quasi in libro scribe, & dabo tibi terram fluentem lac & mel: per terram, æterna beatitudo intelligitur propter stabilitatem & permanentiã æternæ fœlicitatis, quæ quidem terra fluit lacte id est claritate diuinæ cognitionis & melle suauitatis diuinæ fruitionis.*

Noster Lyranus. Deut. 6.

Præceptum Dei nostra est custodia.

56. *Eo quod præcepta mea custodierit*, in Heb. est, *& custodiuit custodiam meam*, quid inter se habent commune præceptum & custodia? hoc equidem, quod Dei præceptũ nos custodiat, ne in diuersa labamur crimina, quod obseruat cit. Lyran. in codẽ prol. *præcepta Domini sunt libenter & hilariter audienda, quia naturam lapsam releuant, & omne vulnus peccati curant*, adde & ab eo præseruant.

Cit. Lyra.

Qui ex alienis meritis aliqua adipiscitur, ex propriis longe maiora consequitur.

57. *Eo quod obedierit Abraham voci meæ*, diximus ideo ante oculos Isaac obedientiam & virtutem patris sui proposuisse, vt ad eum inuitaret imitandum, sed nonne aliud innuere videtur Deus? quis dubitat? quid ergo declarare intitur? sine dubio quod si ex intuitu meritorum patris tanta consequutus est, scilicet benedictionem suam &c. multa maiora ex propriis & ex virtute non aliena sed propria adipisceretur, hoc animaduertit D. Chrysost. *si ille qui meæ obediuit voci tanta pollicitatione dignus habitus est, & propter illius virtutem, tu te qui ex eo natus es sim impleturus, si & ipse illius imitator fueris, & eadem qua ille via incesseris, cogita quantam apud me beneuolentiam habiturus sim, & quanta mea cura te dignaturus sim, nam si enim ob alterius virtutem benefacturum est, si & ipse virtute præditus sit, multo maiore habebitur dignus cura, imitare igitur & illius obedientiam, & his quæ à me dicta sunt, crede, vt multo pluribus remunerari dignus habearis.*

Chrysost.

Non fides sola, sed & opera à Deo remunerantur.

58. *Eo quod obedierit Abraham voci meæ & custodierit præcepta mea*, ideo tot tibi beneficia confeream, sed cur non ait Deus, eo quod Abraham crediderit voci meæ? cur ait quia fideliter mãdata mea custodierit? vt sciremus apud Deum bona opera æstimari, nec non remunerari, vnde monemur non solũ rectè credere sed bene operari & beatus Paulus 1. Corinth. 7. ait *circumcisio nihil est, nec præputiũ, sed obseruatio mandatorũ Dei*, quæ exponẽs Oecumenius ait, *hoc vno opus est, vt cõpleantur Dei præcepta*, ita prompta

1 Corint.

Ita prompta debet esse obedientia, vt exequi id quod præcipitur sit idem quod illud audire.

58 *Eo quod obedierit Abraham voci meæ.* Sept. eo quod audiuit pater tuus vocem meam, si aliud est audire, & aliud obedire, plures enim vocē superiorum audiunt, & nihilominus eis non obtēperant, quomodo Septuaginta verterunt, audire vocem Dei pro obedire illius mandatis? doctè equidem, quia obedientia debet esse ita prompta, alacris, & expedita, vt sit obtemperanti idem obedire, quod vel semel præceptum Domini aut simplicem illius vocem audire.

Apud Deum iustorum non est obliuio.

59 *Eo quod obedierit Abraham voci meæ.* Sept. eo quod audiuit pater tuus vocem meam, tot ab annis iam è viuis excessit Abraham, cur illius à te fit mentio? silentio prætermittatur & solum Isaac, nomina, imo Abraham nominet, vt indicet piorum nullam haberi obliuionem, sed in æternum memoriam eorum retineri. Vnde regius Vates psal. 111. ait in memoria æterna erit iustus, quod exponens Raynerius ait. *in memoria æterna coram Deo erit iustus pius & misericors quia scriptus in libro vitæ.*

Psalm. 111.

Raynerius.

Cæremoniæ sacræ ab hæreticis immeritò irridentur.

60 *Et custodierit præcepta mea & ceremonias,* cur ceremonias addidisti? nonne sufficiebat ad commendandam illius virtutem dixisse, quod mandata tua sollicite custodierit? merito ceremonias addidit, vt hæreticorum oblatrantium in eas os obtunderetur, cùm à Deo nihil vanum approbante, confirmentur, & eas custodiens, ab eo commendetur, *ceremoniæ enim,* inquit Abulensis, *sunt quædam speciales obseruationes circa cultum Dei in sacrificiis & in aliis, &c.*

Abulens.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VI.

VVLG. Mansit itaque in Geraris.
Sept. Habitauit autem Isaac in Geraris, in Hebræo est Gherar.

EXPOSITIO.

Mansit itaque, nempe Isaac *in Geraris*, siue Gerara quæ erat metropolis Palæstinorum, in qua ex Dei iussu permansit, licet apud se statuerat in Ægyptum descendere, subleuandæ suæ & suorum necessitatis gratia.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peccatorum probata pœnitentia est, si in ea iterum non labamur.

61 Mansit itaque Isaac in Geraris, nempe cum vxore sua, quomodo manserunt? cur non discesserunt? nam Geraritæ Saram ibi peregrinantem abstulerunt viro suo, & regi obtulerunt: similiter ô Isaac, si diu ibi manseris, vxorem tuam à te auferent; nihilominus ibi permansit, & tamen vxori nulla vis illata: sed vtrumque patienter & amicè commorantem sustinuere, quomodo qui aliàs ita inurbani, imo & impudici, vt Saram à viro suo diuellerent, nunc autem ita fideles & honesti, vt benignè Rebeccam recipiant? aduerte quod Geraritæ grauiter à Deo flagellati, propter illam priorem iniustitiam: dico igitur non mirum iniuste & impudenter erga Rebeccam non se gessisse, quia ita à primo crimine resipuerant, vt castigati in simile relabi non auderent, & hæc est vera pœnitentia quæ sic præteritas culpas detestatur, vt in illas incidere perhorrescat, nam vt Guerricus Abbas serm. 2. de resurr. *Christus moriens delictorum nostrorum perdidit pœnam, & resurgens nobis resurrectionis perpetuæ nobis condidit formam, vt quomodo Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, sic Christianus consurgens Christo iam non peccet ad mortem*, puram semper seruet à peccati sordibus animam, qui semel eam per pœnitentiam emaculauerit.

Guerricus Abb.

Obedientia debet esse sine contradictione.

62 *Mansit itaque Isaac in Geraris*, si frumenti inopia Geraritas opprimebat, sicut & Chananæos, cur Deo præcipienti, vt Geraris maneret, & in Ægyptum non descenderet, non dixit, in Ægypto abundant omnia? maxima est tritici abundantia, in Geraris autem omnes tenet fames difficile quæ sunt vitæ conseruationi necessaria, reperiuntur? nihil tale dixisse reperimus, sed vt Deus præceperat, apud Geraritas permansit libere: obedientia enim vera debet esse sine contradictione, etiam in dubiis, vt optimè aduertit Episcopus Ianuensis Iacob. de Vorag. serm. 290. de sanctis, qui assignans quadruplex genus obedientiæ ait, *quartum est in dubiis obedire, sunt autem dubia, quando nescitur quid est melius hoc vel illud, & tale quid nihil debet habere de suo, scilicet vt paratus sit illa facere, vel non facere prout diuinæ placuerit voluntati.*

Iacobus de Vorag.

VARIETAS LECTIONVM VERS: VII.

VVLG. Qui cùm interrogaretur à viris loci illius, super vxore sua, respondit soror mea est, timuerat enim confiteri, quod sibi esset sociata coniugio, reputans ne forte interficerent eum, propter illius pulchritudinem.

Sept. Interrogauerunt autem viri loci de Rebecca vxore eius, & dixit soror mea est, timuit enim dicere quod vxor mea est, ne forte interficerẽt eum viri loci propter Rebeccam, quoniam speciosa aspectu erat.

Alias. Quia bona aspectu ipsa.

CONCORDIA.

HÆc verba non sunt in Hebræo, quod sibi esset sociata coniugio, sed אשתי ischti vxor mea, verũ maioris elegãtiæ gratia, & ne bis paucis interiectis nomen vxoris poneret, adiũgitur: pluries diximus quod טוב tof pulchram, siue bonam aspectu significat.

EXPOSITIO.

QVi cum interrogaretur, nempe Isaac à *viris loci illius* Geraræ metropolis in regno Abimelech Regis Palæstinorum, *super vxore sua*, an scilicet coniux sua esset, vel aliquo affinitatis vinculo sibi sociata, *respondit soror mea est*, sicut Abraham tacuit Saram vxorem suam esse; sororem autem suam vere esse dixit, Hebræorum more, quo cognati fratres & sorores dicuntur, ita & Isaac similiter respõdit, quare non fuit mentitus, licet Abimelech postea mendacium ei obiecerit, *timuerat enim confiteri*, hæc est ratio quare Rebeccam dixit suam sororem & non vxorem, *reputans ne forte interficerent eum*: sciebat enim quod adulterium erat longe grauius crimen apud Geraritas quàm homicidium & morte plectendum, ideo leuius existimabant virum occidere, deinde eius vxorem assumere vel in coniugẽ, vel ea abutendi gratia.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Aliquem mendacem esse ne facile iudicemus.

63 R*Espondit soror mea est*, sine dubio eorum intentio est, notum habere an Rebecca sit tibi matrimonij vinculo ligata, & hoc à te sciscitantur; cur igitur eam esse vxorem non asseris, sed solum sororem? mendax censeberis, sed immerito, mendacij enim non est facile arguendus, cùm veritas aliquando possit celari, quod D. August. lib. 22. cap. 36. in Faustum ostendit dicens, *mirabili sane impudentia Faustus Isaac criminatus est*, (scilicet quod dixerit mendacium) *quod Rebeccam quæ vxor erat, sororem finxit, genus enim Rebeccæ tacitum non est, & eã pernotissimam propinquitatem sororem eius fuisse manifestum est: vt autem taceret esse vxorem, quid mirum aut quid prauum si imitatus est patrem, cùm eius eadem iustitia defendatur qua pater eius de simili obiectu inculpatus est?*

D. August.

Maximum crimen est adulterium.

64 *Respondit soror mea est, timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata coniugio ne forte occiderent eum*, si grauius crimen est homicidium adulterio, & te viuente rem habere cum vxore tua maxime timent, etiam tibi mortem inferre renuent, non est cur timeas, dicere Rebeccam tuam esse coniugem: certe maius censetur scelus homicidium quàm adulterium à nobis, tamen hoc secundum ita detestabantur & odio ab eis habebatur, vt nullomodo illud cõmitterent, imo potius vitam viro adimerent, vt deinde vxore sua abuterentur, vnde optime exclamat Oleaster *vtinam tanti Christianis esset adulterium quanti Ethnicis.*

Oleast.

Pulchritudo hamus Diaboli.

65 *Respondit soror mea est, ne forte occiderent eum propter illius pulchritudinem*, cur non ait propter illorum incontinentiam, & effrenatam libidinem? luxuria enim sua prouocati, mortem Isaac inferre non timuissent. optime dixit propter illius pulchritudinem, venustas enim mulieris est hamus quo ad quodlibet audendum scelus præcipue iuuenes trahuntur: sic D. Greg. Nissen. de vita Moys. qui postquam disseruit de pulchritudine Moabitarum ait, *fœdissimus actus veneris libidinosos præsertim iuniorum animos adunco tenentes hamo attrahit.*

Greg. Niss.

Pius iustus non in vnius solùm, sed plurimorum vtilitatem est.

66 *Respondit soror mea est*, D. Ambr. libro de Isaac & anima, per Rebeccam intelligit animam piam & iustam: sed, ô Ambrosi, cur non dixit Isaac, Rebeccam coniugem suam esse, non autem sororem? coniux enim intimior est quàm soror: aduerte sororem plurium esse, vxorem autem vnius: prudenter igitur dixit Isaac quod Rebecca soror sua esset, nam anima iusta non in vnius solum, sed plurium vtilitate nitescere debet. verba Ambr. subiicio. *Rebecca non immerito soror magis quàm vxor appellatur, eo quod pacifica anima communis magis pietatis quàm specialis copulæ nomen accepit, & quia vniuersis magis quam vni se existimet alligatam.*

S. Ambr.

Nullus iactet se ex suo habere sapientiam.

67. *Respondit soror mea est*, per Rebeccam sponsam Isaac intelligit noster Lyrannus in glossa morali, sapientiam, de qua dicitur Sap. 8. hanc mihi quæsiui sponsam assumere. Sed si Rebecca nomine sapientiæ intelligitur, cur non sponsam suam fatetur esse? sponsam sine dubio non à nobis habemus, sed alterius adminiculo: merito igitur non dixit Rebeccam suam coniugem esse, quia sapientia non à nobis est, nec enim à nobis habere gloriam possumus: accipe prædictum Doctorem *respondit soror mea est, quia nullus debet iactare se sapientiam habere, propter quod Pythagoras non dixit se esse sapientem, sed philosophum id est sapientiæ amatorem, à philos quod est amor & sophos sapientia, quod significatur nomine sororis quæ amabilis est non tamen sponsa.*

Sap. 8.

Noster. Lyran.

Iusti variis tentationibus probantur.

68. *Respondit soror mea*, interrogantibus viris, quænam esset Rebecca, timebat enim propter eximiam illius pulchritudinem interfici, nonne compulsus famis necessitate, coactus est solum quod incolebat relinquere, & ad incognitos proficisci? cur nunc adhuc in periculum perdendæ castitatis vxor eius adducitur, ipse autem in vitæ discrimen? nonne fame tentatus, eam libentissimè & patienter sustinuit? cur igitur aliam, imo duplicatam adhuc tentationē superuenire permittitur? nam & castitatis perdēdæ vxor, & ille vitæ discrimen incurrit, ne mireris ita tentari iustum Isaac, variis enim virtutem sectantes tentationibus probatur, sic pius Thom. à Kempis lib. 18. de imit. Christi cap. 13. qui postquam dixit, sunt tentationes homini sæpe valde vtiles, licet molestæ sint & graues, quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur, subiungit *omnes sancti per multas tribulationes & tentationes transierunt, non est aliquis ordo tam sanctus, nec locus tam secretus vbi non sint tentationes & aduersitates.*

Thomas à Kemp.

Castitas venustiores efficit.

69. *Respondit soror mea est reputans ne forte interficerent eum propter illius pulchritudinem*, vel vt est in Hebræo, aspectu speciosa, quomodo tanta venustate prædita, quæ forte iam sexagenarium annum attingebat? tunc enim deformes redduntur mulieres, rugisque earum species deturpantur, aduerte castissimam fuisse Rebeccam: quid mirum igitur, si in illa ætate ita venusta & speciosa? quia castitas addit pulchritudinem & conseruat, *verisimile est*, inquit Lippom. *Saram & Rebeccam fuisse non solum probitatis moribus gratiosas, sed etiam insolita forma & pulchritudine, castitatis enim gratia viuaciorem formam ac perseuerantiam accommodabat.*

Lippom.

Impudicitia ad effundendum sanguinem promptissima.

70 *Respondit vxor mea est, timuit enim ne forte occiderent eum*. Si peregrini & alienigenæ amicè à quacunque natione debent admitti, quomodo Geraritæ ita inurbani, imo & inhumani Isaaco manus violentas inferent? nonne impudici? quid mirum igitur si crudeles? impudicitia enim ad effundendum sanguinem promptissima, testis sit nobis D. Cyprian. de bono pudicit. *impudicitia semper est detestanda, obscœnum ludibrium, reddens ministris suis nec corporibus parcens nec animis, debellatis enim propriis moribus, totum hominem suum sub triumphum libidinis facit, blanda prius vt plus noceat, cum placeat, exhauriens rem cum pudore, frequenter perueniens ad sanguinem.*

Vbi cognitio Dei deficit, ibi quodlibet formidandum.

71 *Timuit enim ne forte occiderent eum*, quid times, cum dixerit tibi Deus ero tecum? qui autem Deum habet præsentem, certe nihil sibi formidandum est, aduerte Geraritis Dei cognitionem defuisse: non mirum igitur si timore corripitur Isaac, quia vbi Deus non agnoscitur, ibi quodlibet est timendū, quamuis enim etiam ipsi interdum iustitiæ nonnihil præ se ferant, non tamen est constans & vera iustitia.

Deo obedienti nihil mali contingere potest.

72 *Timuit ne forte occiderent eum*, propter illius pulchritudinem, tamen neque mortem ei intulerunt Geraritæ, imo ditissimus euasit cum eis habitans, cùm enim semina terræ tradidisset inuenit hoc anno centuplum, quomodo non solum incolumis euasit, imo fame omnes alios vrgente, ipse omnibus abundat, ab omni timore liber? nonne præceperat Deus vt apud Geraritas maneret? quid mirum igitur nihil aduersi ei contigisse, obedienti enim Deo omnia prosperè eueniēt, *vbi quis* (inquit Gennad. in cat. græc.) *iubente Deo manserit, illuc bona omnia fluunt.*

Gennad.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VIII.

VVLG. Cumque pertransissent plurimi dies, & ibidē moraretur, prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum iocantē cum Rebecca vxore sua.

Sep. Fuit autem multo tempore ibi vidit Isaac ludentem.

Pag. Et fuit cum prolongati essent dies, & ibi aspexit Rex Abimelech Philisthim per fenestram, & vidit & ecce Ischah ludebat, &c. sic *Cald.*

Caiet. Fecit inspicere rex Abimelech.

Arias. Et ecce Ischah ridens cum vxore.

Vatab. Et ecce iocabatur Isaac.

CONCORDIA.

VErbum Hebraicum prīt Zahah ridere & ludere, vel iocari significat, idem verbum est hîc quod supra cum Sara rideret, audiens se parituram filium, quod factum est, vt Arias verterit ridens. Si Caiet. vertit *fecit inspicere*, ne intelligas quod præceperit domesticis vt inspicerent, sed ipsemet explicat dicens sensum esse quod fixit oculos ad inspiciendum, vel effecit vt oculi inspicerent.

EXPOSITIO.

Cumque pertransissent dies plurimi, pluribꝰ diebus elapsis quibus credebatur Rebecca soror sua non coniux, *prospiciens rex Palæstinorum per fenestram*, forte enim domus vel cubiculum in quo degebat Isaac in domo regia, & sic ex atrio suo rex videre potuit, per fenestram Isaac, quid ageret: *vidit enim iocantem cum Rebecca, vxore sua*, aliqui existimant hoc verbo iocari, honeste significatam esse copulam carnalem, sed non est verissimile, Isaac prudentissimum, nec non castissimum, tam apertè & tam incautè rem habuisse cum vxore, vt id per fenestram prospicere posset rex Abimelech: sensus igitur est quod luserit, vel riserit cum Rebecca eo modo, quo castus maritus & grauis cum vxore iocari, ridere & ludere solet, quod quia indecens esset, id cum alia intentare non auderet.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non est indecens viros coniugatos etiam grauissimos, aliquando risui & ludo cum vxoribus vacare.

73. *Vidit Isaac iocantem cum vxore*, nonne reprehensione dignus censeberis Isaac? cum enim sis grauis moribus, ab omni ludo & ioco cessare deberes, nec cum quæso censura dignum iudicemus, non enim est indecens viros coniugatos etiam grauissimos, aliquando risui & ludo cum vxoribus vacare, sic obseruat D. August. 22. lib. contra Faustum, *cum sancti coniuges faciunt* nempe ludere cum vxore, *non inaniter faciunt, sed prudenter, descendunt enim quodammodo ad fœminei sexus infirmitatem, vt aliquid blanda hilaritate vel dicant vel faciant, non eneruantes, sed temperantes virilem rigorem, quod tamen si quæ vxor non est quis dixerit aut fecerit turpe est, nec quisquam durus homo & sine affectu idem ipsum pro crimine obiiciat sancto viro, quod cum coniuge sua luserit, tales enim homines inhumani si aliquem grauem virum ludicrum aliquid garrientem cum paruulis etiam pueris viderint quo eorum lacteum sensum affabili & nutritoria facilitate permulceat, tanquam deliranter reprehendunt, obliti vnde creuerint ipsi, aut ingrati quod creuerint.*

S. August.

Coniuges inter se honestè versentur.

74. *Vidit Isaac iocantem cum vxore sua*, cur hoc modo loquendi vsus est sacer textus, vt eos solùm iocari vel ludere asserat? non est dubium ludum vel risum aliquando nihil turpe denotare, imo plures aliquid honestum sapere: prudenter igitur dixit Moyses Isaac cum vxore Rebecca iocantem, quia coniuges inter se non obscœnè aut lasciuè, sed honestè & decore se gerere debent, *docentur hic*, inquit Oleaster, *coniugati honestè & in absconditо tractare vxores suas*, quas in concubinas non habent.

Oleaster.

Reges suis inuigilent subditis.

75 *Vidit Isaac iocantem cum Rebecca*, cur aliis non vacas grauioribus negotiis? indecens est enim regem sicut vulgares homines prospicere per fenestram, vt inuestigent quid alii agant & quibus occupentur: imò laudandus est Abimelech quod per fenestram aspiciens scrutatus fuerit quid Isaac ageret, reges enim suorum inuigilare tenentur subditorum actionibus, *debent reges*, inquit cit. Oleaster, *explorare gesta suorum, maxime cum suspicantur eos mentem veritatem tacere, sic Salomonem Prouerb. 7. fecisse legimus, qui de fenestra vidit iuuenem corde deficientem.*

Oleaster.

Prouer. 7.

Graue periculum ex societate fœminarum.

76 *Vidit Isaac iocantem cum vxore*, nonne illi duo coniuges ad honorem salutemque tuendam omni opera contendere debebant, vt coniugium celarent, ne Philistæis aliquam præberent occasionem de illis male suspicandi? quomodo igitur non se potuerunt continere, quin communi appetitu instigati, licentiores illos iocos exercerent, & alienis obtutibus vel inuiti proderent? quid mirum? nam periculosum est maxime in eodem domicilio, virum cum fœmina cohabitare: pulcherrimè in hoc argumento D. Cypri. ita disserit lib. de singul. cleric. *si singulares penè omnes vix durant carnales insidias sustinere, quid faciunt illi qui ex vtroque latere gladiis impendentibus non cunctantur incumbere? si mariti & vxores desideria coniugalia quotidie gerentes, sibi non sufficiunt, quid agunt illi qui ad augendas impugnationes, fœminis sociantur? ex improuiso vel transeunter ad horam fœmineus aspectus occurrens velut sagittas alienis oculis iactat, omnis inconueniens sodalitas mulierum gluten est delictorum, & viscus toxicatum, quo diabolus aucupatur.*

S. Cypr.

Verbum quasi impatiens, quod naturam humanam non sibi vniret vt eam redimeret, quasi ad fallenda tempora, ludere videtur diuersas accipiens imagines futuræ suæ incarnationis.

77 *Vidit Isaac iocantem cum Rebecca*, Sept. vidit ludentem, Thomas Anglicus in hunc locum sic ait, *significatur ludus filij Dei, qui est sapientia Patris, de quo dicitur Prou. 8. ludens in orbe terrarum.* Sed distinctiùs hunc ludum assignatum à Tho. Anglico Filio Dei aperiamus, quomodo verbum Dei siue sapientiam increatam lusisse dicemus in orbe? ludere enim filium Dei non decet: aduerte cùm artifex ea quæ deinde serio acturus est, & magnis impensis, in rudiori aliqua materia periclitatur, tunc quidem ludere aut præludere dicitur, verbi gratia domum lusisse dicitur opifex, cùm eam in charta delineat, & exercitia militum quibus antequam cum hoste congrediantur, se comparant, acies efformando, irruptiones faciendo &c. præludia militaria nuncupãtur, & torneamẽta quibꝰ equites exercitationis gratia in se se incurrunt, vt ad hostem excipiendum se componant, hastiludia nominantur. quo posito dicamus sapientiam & verbum Dei ab exordio orbis conditi, incarnationem, vitam, & mortem quam cum serio apud nos acturus erat, ludere cœpisse, imagines plures, vmbras & figuras tanquam prælusiones quasdam iam inde prænat-

Prouer. 8.

Tho. Angl.

præmittentem, sed quæso perscrutemur cur bis lusisse repetitur à Salomone? ait enim delectabar per singulos dies, *ludens coram eo omni tempore*, deinde subiungit, *ludens in orbe terrarum*, cur repetit lusisse? de primo ludo iam disseruimus, nunc de secundo addamus iteratione hac, voluptatem significasse, quam ex dictis præludiis capiebat, & quod velut impatiens morarum filius & sapientia Dei hæc præstabat, nam ludi ad eludenda, & fallenda tempora inuenti sunt, nam longa interualla temporum ludentibus sine sensu abeunt; filius igitur Dei cum carnem nostram suscipere impensius optaret, voluit longas scilicet moras (si licet dicere) ab exordio mundi ludendo fallere.

Christus Dominus ita Cruci delectabatur, vt ludum crucifixionem arbitraretur.

77 *Vidit Isaac iocantem cum Rebecca*, Isaac sine dubio Christi domini typus est, sicut Rebecca Ecclesiæ, quæ dicitur sponsa, propter nimiam charitatem, qua eam dilexit, & soror propter naturalem conformitatem, sed quisnam est ille iocus, quo coniugalem affectum exprimere potuit? dicat Hugo Carens, *ludibria crucis* inquit *de quo ludo. 2. Reg. 6. dicitur, ludam & vilior fiam, lusit Christus quando illusus fuit à Iudæis, & vilior factus est, quando in cruce suspensus est.*

Hugo Carens. 2. Reg 6.

Sacra scriptura honestissima est.

78 *Vidit Isaac iocantem cum Rebecca*, grauissimi doctores, inter quos est noster Lyranus, hunc iocum coitum denotare existimant, dicunt enim quod dictio Hebraica, quæ hîc ponitur, est æquiuoca ad ludum & coitum, & quod in sensu secundo debet accipi, colligunt ex illo Abimelechis dicto, perspicuum est quod vxor tua sit, sed cur non expressit coitum venereum? cur non dixit, vidit Abimelech Isaac coeuntem cum Rebecca? *quia sacra scriptura*, inquit Abulensis, *volens carnalem copulam honestius nominare, appellatione ioci eam nuncupauit.*

Abul. Lyran.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Et accersito eo ait, perspicuum est quod vxor tua sit, cur mentitus es eam tuam sororem esse? respondit timui, ne morerer propter eam.

Sep. Vocauit autem Abimelech Isaac, & dixit ei, vtique vxor tua est, cur dixisti autem ei Isaac, dixi ne forte Moriar propter eam, *ita Calda.*

Pag. Et dixit, vere vxor tua est, & quomodo dixisti, soror mea est?

CONCORDIA.

IN Hebræo, *non est mentitus es* sed cur dixisti, tamen interpres noster sensum Abimelech posuit, qui arbitrabatur Isaac mentitum fuisse, incerta est significatio aduerbij אך ach, ideo aliquando interpretes vertunt, vere, nonnunquam tantum, vel vtique, quandoque, profecto.

EXPOSITIO.

ET *accersito eo*, nempe Isaaco, *ait*, scilicet Abimelech, *perspicuum est quod vxor tua sit*, quasi diceret, negare non potes, eam, cum qua te vidi iocantem, tuam coniugem esse, *cur ergo mentitus es dicens tuam sororem esse?* prout Abimelech sororis nomen sumpserat, falsum erat Rebeccam ipsius Isaac sororem esse, prout autem sumpserat Isaac, videlicet pro cognata, verum erat, dicit ergo secundum mentem suam Abimelech, cur dixisti sororem tuam esse, *respondit Isaac timui, ne propter eam morerer:* ex timore, hoc dixi, verebar enim ne me interficerent subditi tui, vt liberius vxore mea vterentur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Bona fama liberat à suspicione.

79. PErspicuum est quod vxor tua sit, imo manifestũ quod sua sit soror, si enim viris interrogantibus, quænam esset Rebecca, respondit sororem suam esse, ita existimare debes, & si eum cum ea iocantem vidisti, nomina eam impudicam, non enim insuetum est fratres cum sororibus etiam impudice iocari: aduerte Isaac à tempore quo peruenit Geraram probæ vitæ specimen dedisse, ita vt ab omnibus vir iustus haberetur. merito igitur Abimelech nihil impudicum de eo suspicatur, bona enim fama liberat à suspicione, *integra fama illorum* (inquit Lippo.) *& honesta maturitas, non sinebat turpiora in suspicionem assumere.*

Cum sororibus vel aliis parentibus non est familiarius agendum.

80 *Perspicuum est quod vxor tua sit*, manifestum dices ex eo quod cum Rebecca videris eum iocantem vel ludentem, sed si fuerit ille ludus vel iocus osculum vel aliquis amplexus, non debebas colligere allius vxorem esse, quia beneuolentiæ nec non mutui amoris gratia licet sorores deosculari & amplecti, nihilominus Rex ethnicus ex osculo vel amplexu colligit Rebeccam non esse sororem Isaac, sed vxorem, vt denotaret quod non licet cum sororibus familiarius agere, *vidit eum*, ait Lyranus, *amplexantem vel osculantem Rebeccam, quod non faciebant viri nisi cum vxoribus propriis.*

Animi regii & magnanimi est, de omnibus optimam opinionem concipere.

81 *Perspicuum est quod vxor tua sit*, cur manifestum? imo contrarium censeo, sicut enim hamo pisces capiuntur, sic verbo suo mortales, Isaac autem dixit Rebeccam esse suam sororem, si igitur aliquid in eis impudicum perspexisti, dicas eos incestuosos, non autem maritali affectu id perpetrasse: inspiciamus, quis ille fuerit, qui dixerit, manifestũ est quod vxor tua sit, nonne erat rex? ne mireris igitur nihil mali suspicatum, quia animi regii & magnanimi est, de omnibus optimam opinionẽ cõcipere, *reges notatur probitas*, inquit Lipp. *qui non indicabat in eos iam*.

Lipp.

Indignum est omnino viro pio mendacium.

82 *Cur mentitus es dicens sororem tuam esse?* si libenter Principes veritatem non audiunt, vt Stephanus Cantua. in alleg. Tit. super cap 6. Iudith testatur dicens, *qui fastu mundi superbiunt, praeconia veritatis audire non possunt*, cur igitur miraris mendacem fuisse Isaacum: aduerte tanquam hominem iustum & pium, apud regem habitum fuisse: non mirum igitur quasi ex practice prolatum ab Abimelech, cur mentitus es? quasi diceret cum in ore viri pii & iusti semper debeat esse veritas, quomodo tamen intantum tui oblitus, vt mendacium coram me protuleris?

Steph. Cantua.

Cum veritas celari non potest, aperienda est ingenue.

83. *Timui ne morerer propter ipsam*, respõdit Isaac Abimelech interoganti cur dixerat Rebeccam suam esse vxorem, sed cur veritatem aperuisti, quam antea celaueras? cur vxorem fassus es, cum eam sororem antea asserueris? aduerte ex locis qui praecesserant inter eum & Rebeccam, suum cum ea coniugium occultare non potuisse: recte igitur fatetur Rebeccam suam esse coniugem, cum enim veritas celari non potest, ingenuè est aperienda. Sic Chrysost. *postquam ex coniecturis deprehensus est iustus, non vltra negat, sed fatetur, & causam manifestam affert quare sororem vocandam censuerit.*

S.Chrisost.

Nihil vita pretiosius esse iudicamus.

84 *Timui ne morerer propter eam*, nonne potuit tibi dicere Rex Abimelech, cùm dixeris Rebeccam tuam sororem esse, potuit quilibet eam coniugio sibi sociare, eamque tibi auferre, quomodo ergo ex timore mortis veritatem aperire renuisti? exiguus est certe tuus erga Rebeccam pulcherrimam amor, vt tuam anteponas eius honori & tuo nomini vitam. Scio Isaac potuisse respondere, quod a diuina specialiter regebatur prouidentia, nihilque sibi aduersi contingere potuisse, dicamus tamen nihil Abimelech hæc obiicienti forte responsurum, quia omnibus vitam anteponimus, nihil ea pretiosius esse iudicantes, quid enim non impendimus pro illius conseruatione? quibus periculis non nos obiicimus vt eam tueamur? nullum non lapidem mouemus, nec nihil intentatum relinquimus vt eam nobis seruemus?

VARIETAS LECTIONVM VERSVS X.

VVLG. Dixitque Abimelech quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum, præcepitque omni populo dicens.

Sep. Quid hoc fecisti nobis? fere dormiuit quis de genere meo cum vxore tua, & induxisses super nos ignorantiam.

Cald. Quid est hoc quod fecisti nobis? parum abfuit quin dormisset vnus de populo cum vxore tua, & induxisses super nos peccatum.

Pag. Et venire fecisses super nos delictum.

Olcast. Sicut parum aut quasi parum coiuit vnus populi cum vxore tua.

Caiet. Sicut parum cubuit quispiam de populo cum vxore tua.

CONCORDIA.

שכב Sacac dormire, coire & concumbere significat, Septuaginta honestiori verbo, quod turpe est expresserunt, quamuis in verbis differant, lectiones tamen eundem sensum retinent, nisi quod Septuaginta variant in hoc quod habent, *vnus de genere meo*, noster autem vnus de populo; non plane constat autem quid proprie significet אשם asam, quod vertit interpres peccatum, Septuaginta ignorantiam, tamen quantum ex coniecturis nobis datur, videtur significare ignoranter peccare, aut solitarie vel occulte, quod coniicitur ex eo quod dicitur Psal. 69. vbi veasmothai id est delicta mea à te non sunt abscondita, ac si dicat non solum peccata quæ sciens & volens operor, cognouisti, sed etiam quæ peccata esse ignoro aut solitarius tego, nota sunt tibi, & locus præsens hoc etiam significare videtur, abundat *grande*, non enim in Hebræo habetur.

EXPOSITIO.

Dixitque Abimelech Isaaco quare imposuisti nobis? scilicet tam graue periculum, vel quare decepisti nos, *imponere* enim potest hic significare impostituram, seu fraudem, hinc impostor dicitur deceptor, *potuit coire quispiam de populo cum vxore tua*, deceptus ex verbis tuis, dixisti enim tuam esse sororem, *& induxeras super nos peccatum grande*, peccatum hic sumi potest vel pro culpa vel pro pœna, & desolatione ob talem culpam infligenda, vtroque modo hic accipi potest, & tunc sensus erit, dedisses nobis occasionem peccati, vel tui causa grauissimas dedissemus pœnas.

CONCEPTVS

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Obiurgatio lenis proficit, aſpera nocet.

85 QVare impoſuiſti nobis? vel cur hoc feciſti nobis? cur Iſaacum opprobriis non ſatias? cur iniuriis non afficis? cur imprudentem vel impudentem non nominas? qui in tantum te tuumque regnum adduxit diſcrimen, præbens occaſionem ſibi auferri coniugem? non opprobriis afficit, non nimium ſeuere reprehendit, ſed cum manſuetudine, manſueta enim obiurgatio proficit vt objurgatus emendetur. Sicut è contra nocet aſpera, ſic in hoc argumento loquitur D. Proſper libro ſecundo de vita contemp. cap. tertio *docet Apoſt. Actorum 20. vt ipſi qui docentur ſapiant: qui increpantur vt ſaltem obiurgati proficiant, qui ſuſtinentur, vt de ſuis aliquando criminibus erubeſcant, & gaudium ſuis doctoribus quorum patientia blande tractantur, de vtili ate ſua correctionis exhibeant*, & cap. 4. expendens hæc verba D. Pauli 2. ad Timot. 4. argue, increpa in omni patientia ait, *in omni patientia, qui a leniter caſtigatus exhibet reuerentiam caſtiganti, aſperitate autem nimia increpationis offenſus nec increpationem recipit nec ſalutem.*

Proſper.

2. ad Tim. 4

Arguendi qui aliis Deum offendendi præbent occaſionem.

86 *Quare impoſuiſti nobis?* vel vt alii, quare hoc feciſti nobis? nonne diſſimulare potuit Abimelech, cum regnare neſciat princeps niſi ſciat diſſimulare, nec non iocum quem viderat inter Rebeccam & Iſaac, interceſſiſſe, ſilentio prætermittere? cur ergo obiurgat? quia qui aliis Deum offendendi præbet occaſionem, grauiter increpandus eſt, *arguendi me ito ſunt*, inquit, Oleaſter *qui aliis occaſionem peccandi præſtant.*

Oleaſter.

Sapiamus alieno periculo docti.

87 *Potuit coire quiſpiam de populo*, ſeptuag. *potuit coire quiſpiam de genere meo*, nempe cum vxore tua, aliqui credunt per hæc verba regis *quiſpiam de genere meo*, ipſummet regem in aliena loquentem perſona intelligi: quaſi diceret, minimum abfuit, quin Rebeccam quam dixiſti ſororem in genialem lectum iure matrimonij mihi in coniugem ſumerē, ſed quomodo rex inter delitias aulæ regiæ enutritus, ſuæ cupiditati temperare potuerit, quin pulcherrimam illam fœminam non ſibi matrimonio copularit? aduerte quod iſte rex Patris cui ſucceſſerat, exemplum meminerat, qui Abrahæ Saram ſub eodem ſororis velamento ignotam ducens vxorem, multis præterea & grauibus fuerit à Deo calamitatibus flagellatus: ne ſcruteris igitur cur cupiditatem ſuam frenarit à non accipienda ſpecioſiſſima Rebecca? quia eum alienus docuit caſus, & alieno periculo cautus ſapuit, quod etiam imitari debemus vt nobis conſulit D. Cypr. de ſingul. clerico, *nolumus vos experiri præcipitia minarum, metite quantum poteſtis eiuſmodi caſus, extra & in ſtacta ſubuerſione labentium vos experimenta perterreant: nimium præceps eſt qui tranſire contendit vbi alium cecidiſſe conſpexerit, & vehementer infrenis eſt, cui non incutitur timor alio pereunte. amor vero ſalutis ſuæ eſt qui cauet mortes iacentium & ipſe eſt promotus qui factus eſt cladibus cæterorum.*

D. Cypr.

Quæ aduerſus peregrinos committuntur, Deus grauiter punit.

88. *Induxeras ſuper nos peccatum grande*, per peccatum poteſt intelligi graue ſupplicium à Deo infligendum, cur Abimelech ait quod induxerat ſuper eos ſeueram punitionem, ſi quiſpiam cum vxore ſua dormiſſet? nonne peregrinus erat vterque? merito igitur cōteſtus eſt grauiſſimas daturum pœnas, quia quæ aduerſus peregrinos committuntur, grauiter à Deo puniuntur, ita Oleaſt. *nouerat iſte Deum caſtigare grauia peccata, maxime quæ aduerſus peregrinos committuntur.*

Oleaſter.

Ignorantiæ peccatum etiam imputatur.

89 *Induxeras ſuper nos peccatum grande*, ſeptuaginta *ignorantiam* legere, ſi ignoranter eam aliquis de populo vel ipſemet rex exiſtimans ſolum eſſe ſororem Iſaac, eam ſibi in vxorem ſociaſſet; cur peccatum grande ſuper eos induxiſſet? ignorans enim à peccato excuſatur, aduerte non quemlibet excuſari à peccato, ſed quæ diligentia debita adhibita auferri non poteſt: bene igitur dixit inducturum ſuper eos grande peccatum, nempe grauem pœnam, quod tamen contigiſſet ex ignorantia, vt non dubitaremus ignorantiæ peccatum coram Deo imputari, & à Deo puniri: *docemur*, inquit Lipp. *peccatum ignorantiæ coram Deo imputari, & lege iudicari, vt inde intelligamus quam Deo diſplicet quod per contemptum committitur & deliberate contra Deum & proximum.*

Lippomanus.

Adulterium grauiſſima culpa.

90 *Induxeras ſuper nos peccatum grande*, nempe adulterium, ſed qua de cauſa cùm in Hebræo, nec apud ſeptuaginta ſit hoc epithetum, *grande*, noſter vulgatus illud addidit? non enim primum eſt inter ea quæ proximum reſpiciunt. recte tamen & ob culpam, *grande* dicit, quia ex peccatis quæ in proximum committuntur, primum poſt homicidium tenet locum, & ob pœnam *grande* vocat; ex Dei enim præcepto & ex hominum legibus grauiter punitur, vt optime animaduertit noſter Matth. Feliſius in elucidatione Decalogi in expoſitione 6. præcepti titul de adult. *genus mortis* inquit, *quo ſolet animaduerti adulterium, habetur* Leuit. 20. & Ioann. 8. *vbi lapidari iubetur in deteſtationem peccati, & adulteros etiamnum populus Turcarum ſecuti, capitis ſupplicio plectendos obſeruant Arabes eandem conſuetudinē vt reperire eſt apud D. Hier. epiſt. ad Innocentium de muliere ſepties icta &c.*

Feliſius noſter.

Leuit 20.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI.

VVLG. Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur.

Sept. Omnis qui tetigerit hominem hunc, & vxorem eius, morti obnoxius erit.

Cald. Qui nocuerit huic viro, & vxori ſuæ, morte morietur.

Pag. Moriendo morietur.

Caiet. Qui tangens in homine isto, & in vxore eius, moriendo morietur.

CONCORDIA.

CAldæus clarius expressit quid verterat Vulgatus, cum ait qui tetigerit; in hebræo plura sunt quàm in nostro interprete, habes enim qui tetigerit virum & vxorem, ille autem solum mulieris fecit mentionem, forte in nocumento mulieris, nolens includere damnum quod in virum refundendum erat: moriendo morietur, Hebraismus est significans quod confestim occidetur: vel quod morti adiudicabitur.

EXPOSITIO.

QVi tetigerit hominis huius vxorem, scilicet inferens illi iniuriam velqui inurere maculam pudicitiæ eius voluerit, *morte morietur* pœnam mortis luet.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Obedictia inter media pericula liberos nos reddit.

90 *OMnis qui tetigerit vxorem viri huius morte morietur*, nonne obiurgaueras Isaacum, quod induxerat super te grande peccatum, quodque tibi imposuerat, & tibi mentitus fuerat? quomodo solum secundum crimen quod in te & regnum tuum censebas commissum, pœnas ab eo non exigis, imo præcipis vt nullus ei iniuriam inferat? nonne Deo præcipiente, manserunt Isaac & Rebecca Geraris? quid mirum igitur in eos non esse animaduersum, imo regis edicto ab omni periculo liberos fuisse? obedientia enim inter media discrimina reddit securos. Sic notat D. Chrys. *qui dixerat ei ne descendas in Ægyptum, ille erat, qui iustum in tanta constituebat securitate, considera regem procurantem vt impauide sibi agat liberque sit ab omni cura, mortem enim interminatus est omnibus quicunque tetigerint aut eum aut vxorem eius.*

S. Chrysost.

Reges protegant peregrinos.

91 *Omnis qui tetigerit vxorem viri huius morte morietur*, si Isaac & Rebecca sunt peregrini, cur ita grauem fers sententiam in eos, qui illis aliquam iniuriam inferent? imo quia peregrini sunt, speciali cum sollicitudine debet eos protegere, *tenentur reges* (inquit Oleaster) *prohibere iniurias omnium maxime peregrinorum, neque quacumque pœna sed maxima.*

Oleaster.

Iniuria illata vxori redundat in virum.

92 *Omnis qui tetigerit vxorem viri*, in Hebræo est virum & vxorem eius, in Cald. qui nocuerit viro & vxori eius, cur additum est *viro*, cum vulgatus solam posuerit mulierem? rectè equidem virum & mulierem comprehenderunt, nam violatio vxoris seu ei illata iniuria, virum illius lædit & dehonestat & in eum refunditur.

Quod barbari crimen, nos decus arbitramur.

93 *Omnis qui tetigerit vxorem viri huius morte morietur*, itane graue crimen est tangere coniugem viri incogniti, vel cum ea impudice agere, vt in huiusmodi hominem feras sententiam mortis? nonne plures gloriantur, cum etiam mulieris coniugatæ societatem habuerint, & magnum honorem sibi acquisiuisse arbitrantur, cum thorum alterius violauerint? ita equidem, sed pudore confundamur quæso, quod enim ipsi ethnici & barbari crimen arbitrantur, nos decus & gloriam existimamus; quod eleganter & vere expendit D. Saluia. lib. 7. de prouidentia, vbi postquam copiose disseruit de extrema vastitate Romani Imperij ob luxuriam à Gotthis, Vuandalis, aliisque barbaris inducta, inter alia concludit, *ecce inter Gotthos non licet scortatorem Gotthum, fornicatio apud illos crimen, atque discrimen, apud nos est decus.*

Saluian. li. 7. de prou.

Reges seuerè puniant adulteria.

94 *Omnis qui tetigerit vxorem viri huius morte morietur*, si per hunc tactum, aliqui vel osculum, vel amplexum impudicum intelligunt, tanquam dispositiones ad adulterium, quomodo rex ita seuerus vt in eum qui id auserint, ferat mortis sententiam? statuat pœnam leuiorem iuxta delicti exigentiam, imo seuerissimus existat, reges enim cum seueritate punire debent adulteria, vnde optimè Dionys. Carth. *siue hoc exponatur* (inquit) *de tactu etiam osculi & amplexus, siue de tactu concubitus, patet quantum illi Gentiles adulterium abhorrebant, quantum ergo Christiani id merito abhorrerent.*

Dionys. Carth.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XII.

VVLG. Seuit autem Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum, benedixitque ei Dominus.

Sept. Seminauit autem Isaac in terra illa, & inuenit in anno illo centuplicans hordeum, benedixit autem eum Dominus:

Cald. Et inuenit in anno illo centuplum quam æstimauerat.

Pag. Reperit in anno ipso centum modios.

Caiet. Reperit centum æstimationes.

Vatab. Inuenit centum mensuras.

CONCORDIA

CONCORDIA.

D. Hier. in traditionibus Hebraicis considerans lectionem septuaginta, à nostra nec non ab Hebr. & Caldai. differre ait, licet in aliena terra seminauerit Isaac, non puto quod tanta ei fertilitas hordei fuerit, vnde melius puto esse quod habetur in Hebræo, & Aquila quoque transtulit & inuenit in anno illo centuplum æstimatum, licet enim Hebraicè eisdem litteris scribatur æstimatio & hordeum, tamen æstimationes שערים leguntur, hordea vero שערים seorim leguntur, hæc Hiero. addam tamen saar dictionem esse ignotæ significationis; portam enim præcipue significat, vnde fit quod mensura de qua hîc est sermo traxerit originem à porta, forte enim erat aperta ad modum portæ, vel formam portæ habens.

EXPOSITIO.

Seuit autem Isaac, nempe semina quæ à Gerariis emerat, *inuenit in ipso anno* scilicet in eodem quo seminauit *inuenit centuplum* nempe centuplo plus quàm seminauerat, scilicet pro vno modio sementis, centum modios messis reperit *Benedixitque ei Deus*, quasi diceret ex speciali benedictione hoc ei contigit, talis enim prouentus naturaliter in terra illa insolitus erat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Obedienti etiam temporalium abundantia.

95. *Seuit autem in terra illa & in illo anno inuenit centuplum*, cur dicitur quod in terra illa, non enim in alia esse potuit, cum nondum ab ea discessisset? cur etiam & in illo anno additur? hoc enim intellectu erat facile, cùm nihil admiratione dignum esset quod in pluribus annis pro modio sementis, centum messis modios adinuenerit. non inquiras cur hæc addita fuere, nam cum emphasi posita sunt, quia quo loco & quo tempore erat aliis sterilitas, eodem summa fœcunditas, cui? obedienti sane Isaac proueniebat, æquum enim erat vt sicut Isaac Deo obedierat, ita & ipsi elementa obedirent, vt insinuat D. Chrys. *elementa* inquit *ipsa obedientia conseruis monstrabant, quàm beneuolè Dominus erga illos se monstrabat.*

S. Chrys.

Qui paupertatem libenti animo tolerat, etiam in præsenti diues euadit.

96 *Seuit in terra illa & inuenit centuplum*, vnde hæc tanta abundantia, vt inuenerit centuplo plus quàm alii eiusdem terræ indigenæ? vel centuplo plusquam solebat ea terra reddere, vel centuplo plusquam ipse seminauerat? an audisti eum impatienter ferentem famem & inopiam frumenti, qua ipse & familia sua opprimebantur? nequaquã merito igitur tantam copiam messis accipit, quia qui paupertatẽ libẽti animo tolerat, etiam in præsenti diues euadit, *quid prosit animo*, inquit Oleast. *inopiam ferre ostendit locus iste, quia enim Isaac tam libenter paupertatem tulit, benedixit illi Deus & multiplicauit illum.*

Oleast.

Multiplicata recipiunt pauperes præmia.

97. *Seuit in terra illa & inuenit centuplum*, cum ad præsentem necessitatem subleuãdam sufficiens erat collectio grani duplo maior quàm ea quam seminauerat, quomodo in tantum excreuit, vt centuplo plus recipiat quàm seuerit? nonne diximus Isaacum pauperem saltem spiritu & voluntarium? ne mireris igitur multiplicatum & abundãs accepisse præmium, quod D. Hier. ep. 26. ad Pammach. obseruat, vbi postquam eum laudibus extulit, eo quod paupertatem libenter ferebat, concludit, *plus ergo accipimus quàm dedimus, parua dimisimus & grandia possidemus, centuplicato fœnore Christi promissa redduntur in tali, & Isaac quõdam agros seuerat qui paratus ad mortem ante Euangelium Euangelicam portauit crucem.*

a Hiero Epist. 26

A Deo bona temporalia sperari petique debent.

98 *Seuit in terra illa & inuenit centuplum*, deinde subiungit Moyses, benedixitque ei Dominus, quamuis præposterè posuerit hanc benedictionem Moyses, tamen antecedentem frugem copiosam quam collegit Isaac hoc anno intellige; cur accepta à Deo benedictione seuit & in tanta copia messem inuenit? vt intelligeremus bonorum etiam temporalium abundantiam à Deo prouenire, & ab eo sperandam, & si necesse fuerit, petendam, quod annotatur à D. August. q. 76. in Genes. *vt sana fide intelligamus etiam ista temporalia dona nec dari posse nec sperari debere, etiam cum ab infirmioribus appetuntur, nisi ab vno Deo, vt qui in minimis fidelis est, etiam in magnis fidelis sit: præmiserat autem hæc verba quanquam centupla messis Isaac in tempore famis aliquid spirituale significat, attamen secundum id quod ita contingit vtile habet documentum, ideirco enim præmissum est, benedixit ei Dominus.*

Augustinus.

Quæ hominibus difficillima, Deo sunt facillima.

99 *Seuit in terra illa & inuenit centuplum*, quomodo de solo Isaac hoc dicitur? nàm alii, nonne potuerunt illud solum ita excolere, vt ex sterili fieret fœcundum, & ex ingrato beneficum? quomodo igitur ex labore illi terræ impenso, non dicitur quod plus centuplo quàm seminauerint, acceperint? quia eis impossibile fuit ex sterili fœcundam reddere terram; si eis fuit impossibile, quomodo non eandem reperit Isaac difficultatem? *vt ostendat se Deus*, inquit Chrysost. hom. 52. *conditorem esse naturæ, & quæ difficillima sunt hominibus, facilia posse facere, & qui ab initio terræ virtutem dedit procreandi fruges, idem possit quouis tempore efficere, vt illa centuplices reddat pro iis quæ sata sunt, manipulos.*

D. Chrysost.

Deus cùm suis benefacit, alios ab aliquo non excludit beneficio.

100 *Seuit Isaac & inuenit centuplum*, nõ exiguum contulit Deus Isaac beneficium, cùm omnibus abundaret bonis, sed itane solitarium hoc Dei be-

neficium vt solum Isaac pertingat, non autem illius terræ habitatores? imo omnes, quamuis diuerso modo, nam ex eo in Isaac dono collato, omnes alii potuerunt excitari ad diuinam erga seruum suum admirandam prouidentiam, sicque derelictis Diis, eum solum colere & adorare docuit eit. Chrysost. *tanta in affluentia constituit iustum Isaac, vt nullius indigeret, quin etiam abundaret bonis, quorum alii penuria & egestate premebantur, vt inde omnes intelligerent quanta Dei gratia iustus ille frueretur, omnipotens enim & sapiens Deus ita benefacit suis vt etiam adhuc ij qui in gentilium errore versantur potentiam ipsius & prouidentiam agnoscere ac demirari cogantur.*

S. Chrysost.

Iusto omnia obsequuntur, sicut è contra impio aduersantur.

103. *Seuit in terra illa & inuenit centuplum*, terrà semen ab Isaac sibi creditum, intantum multiplicat, vt centuplam messem restituat, nonne etiam aliqui ex Geraritis semen suum terræ credidere? quomodo non legimus abundantem messem collegisse? nonne peccatores erant Geraritæ? quid mirum igitur si terra illa cẽtuplo plusquam seminauerit reddidit, nihil autem Geraritis? quia iusto omnia obsequuntur, sicut è contra impio aduersantur, *ostendere voluit Deus* inquit Ferus *quod omnes creaturæ piis ad nutum deseruiant, quemadmodum è contra impiis omnes creaturæ aduersantur, si peccauerint: Deut 28. dabo cælum desuper æneum & terram ferream.*

Noster Ferus.

Deut. 28.

Cùm affligimur, tunc in virtutibus maximè proficimus.

104. *Seuit in terra illa & inuenit centuplum*, D. Hier. ait, tacens scriptura genus frugum, quod centuplicauerit, videtur cunctarum in illo virtutum ostendisse multiplicationem, quomodo virtutes Isaac ita multiplicantur, vt ad earum summam nunc peruenire videatur? non ignoras tunc tempus afflictions & famis fuisse: quid mirum igitur tãtam fuisse virtutum perfectionem consequutum? quia in eis, cùm affligimur, proficimus: vnde D. Bernardus ser. 8. post cineres ait, *conseruantur in iustis gratiæ virtutes, & merita acquisita per aduersa, adde & acquiruntur.*

S. Bernard.

Qui verbum Dei in eo confidens seminat, maxima consequitur bona.

105. *Seuit in terra illa*, Hugo Carens. ait semen quod seminauit, est verbum Dei, iuxta illud Matt. 13. exiit qui seminat seminare semen suum; ita se res habeat, quomodo centuplum adinuenerit, cùm maxima pars illius seminis, quod ille diuinus agricola seminauerat, inutilis fuerit? quomodo Isaac centuplum adinuenire potuit? quia qui verbum Dei in eo confidens annuntiat, maxima consequitur bona: vnde noster Lyran. *pauper prædicator serit semen verbi diuini, fructum multiplicem animarum inuenit*, & Hugo cit. *patriæ cælestis lucem reperit, quæ per centum significatur.*

Matth 13.

Noster Lyr.

Hugo. Car.

Maximum est Eleemosynæ præmium.

106. *Seuit in terra illa & inuenit centuplum*, quis fœlicius seminare potest? quis abundantiorem messem colligere? nullus tibi videtur, quia maxima est seges pro vno grano tritici centum alia recipere, fallimur tamen, si ita esse arbitramur: quia longe abundantior messis ex seminata eleemosyna exigua, in manibus pauperum colligetur. ita D. Pet. Dam. opus 9. de eleemo. cap. 2. qui postquam prædictam authoritatem retulit, subiungit, *sed quam fœlicius seminat, qui dum subsidia indigentibus subministrat, pro auena triticum, pro pugillo cornum, pro grano metit aceruum, terrenis plane cælestia, transitoriis mercatur æterna.*

S. Petr. Damia.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIII.

VVLG. Et locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.

Sep. Et exaltatus est homo, & procedens maior effectus est, quoad vsque magnus factus est valde.

Cald. Et creuit vir, & ibat multiplicans & crescens donec creuit vehementer.

Pag. Et creuit vir & perrexit pergendo.

Ibid. Antiq. Et promouit promouendo, & crescendo, donec creuerit valde.

CONCORDIA.

גדל Gadal in stricta significatione denotat magnum esse, sed quia hæc magnitudo potest esse, vel respectu diuitiarum, vel honoris; ideo aliqui verterunt locupletatus est, alii exaltatus, alii creuit.

EXPOSITIO.

ET *locupletatus est*, in omni bonorum genere, & *ibat proficiens* bona enim eius in dies augebãtur, *atque succrescens* in æstimatione & honore apud Geraritas, *donec magnus vehementer effectus est*, id est antonomasticè magnus, in diuitiis etiam habitatores Geraræ superabat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Opes ex diuina præsentia multiplicantur.

108. LOcupletatus est homo, hanc bonorum abundantiam considerantes Abimelech & principes eius, eum aggrediuntur, & cum eo fœdus inire summopere exoptant, sui desiderii cautam assignant, dicentes, vidimus tecum esse Dominum, vnde quæso Deum cum Isaac eisque præsentẽ adesse collige-

colligebant? vere satisfacit Lyranus, *per hoc* inquit, *quod Deus eum multiplicauit illum in bonis*, quasi non posset illa diuitiarum vbertas, nisi ex diuina præsentia prouenire.

Non fortunæ vel fato, sed Dei gratiæ tribuendæ sunt etiam terrenæ facultates.

109 *Locupletatus est homo*, cuinam tot diuitiarum copiam, tot bonorum abundantiam, totque facultates tribuemus? inspice quid dicat textus, *benedixit Deus*, sed cur antequam locupletatum diceret, asseruit benedictionem à Deo accepisse? vt sine dubio denotaret, non fortunæ aut fato, sed Dei prouidentiæ tribuendas esse etiam terrenas facultates, *non ergo cœlum*, inquit Lippo. *sed Dei gratia ditabat hominem, non tantum tunc, sed subinde magnificauit diuitiis, honore, fama, virtute.*

Pietas diuites, impietas miseros efficit.

110 *Locupletatus est homo*, quia seminauerat, centuplamque messem collegerat, nō est dubium etiam Geraritas semina sua terræ mandasse, quomodo diuites igitur non euasere sicut Isaacus? non ignoras pietati studuisse Isaacum, impietati autem deditos Geraræ habitatores: quid mirum si etiam terræ suis seminibus credulis miseri, & sine vlla messe manserc? impietas enim miseros efficit, sicut è contra pietas diuites & opulentos: quod annuit D. Cyrill. Alexandr. explicans illud cap. primi Aggæi, Seminastis multum & intulistis parum, comedistis & non estis satiati, ait enim, *melius erat Deo benedicente seminare pauca & colligere multa, sed quia defuit quod necessarium erat* (nempe pietas) *multi quidem labores, perexigui autem fructus inanis cogitatio eorum, studium, labor; quoniam non potius ad diuinam voluntatem exequendam se dediderunt, & rerum inhonestarum ac terrenarum curam ac sollicitudinem studio sanctius viuendi potiorem duxerunt.*

Iusti diuites non sibi, sed aliis sunt diuites.

111. *Locupletatus est homo*, tamen iustus permansit, quomodo in tanta diuitiarum abundantia quanta hic describitur, sanctitatem retinuit? cùm diuina scriptura dicat Ecclesiastici 10. si fueris diues, non eris immunis à peccato, & cap. 31. eiusdem libri, beatus vir qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris, quis est hic & laudabimus eum? tamen ne mireris Isaacum in maxima diuitiarum copia suam retinuisse sanctitatem, non enim sibi sed aliis diues fuit, qui autem sic opulentus fuerit, à sacro textu non vituperatur. Sed audiamus D. Hieron. in lib. 1. aduersus Pelagianos sic scribentem, *nec mihi Abraham & cæteros, vt Isaac, quos in veteri testamento diuites legimus in exemplum proponas, qui diuites ingressi sunt regnum cœlorum, cum ipsis diuitiis ad bona viventes opera diuites esse desierint, imo cùm non sibi, sed aliis diuites fuerint, & dispensatores magis Dei quàm diuites appellandi sunt.*

Iustus diues, diuitias quidem habet, non autem diligit.

112. *Locupletatus est homo*, nescio cur in encomium iusti Isaac, dixit Moyses locupletem factum fuisse, qui enim vult diues fieri, incidit in laqueum diaboli 1. Timoth. 9. deinde in sacra pagina, toties pauper extollitur, & beatus prædicatur: vituperetur igitur è contra Isaac, cùm locupletem esse asserat; imo laudibus extollatur, nam si diuitias habuit, non tamen eas amore prosequutus est, nec in eis superbè sapuit, quod annotet D. Ælredus libro primo speculi Char. cap. 24. *notandum sane* inquit, *quod non ait Salomon, qui habet diuitias, sed qui amat, inquit, diuitias, fructum non capiet ex eis, nam profectò electi quique, & si forte diuitias habeant, non tamen eas amant, proinde nec in his requiem quærunt, sed audientes præcipientem Apostolum diuitibus non superbè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum, vt apprehendant veram vitam; ex suis diuitiis non modicum fructum accipiunt, audituri nimirum à Domino, venite benedicti patris mei, esuriui enim & dedistis mihi manducare, & cetera, hi sane non laborant in diuitiis acquirendis, timentes illud Apostoli, quia qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli: hos in conseruandis cassa sollicitudo non cruciat, sponsionem Domini altius recitantes, qui & sollicitudinem prohibet & necessaria spondet, nolite, inquiens, solliciti esse dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus? & paulo post, quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.*

Opulentia festinata non inculpata esse solet.

113 *Locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens*, quomodo si Deus vnico momento eum locupletissimum reddere potuit, cur paulatim facultates tribuit, ita vt gradatim proficeret & succresceret? potuit equidem Deus, sed noluit, & ita Moyses narrat, non repente ac subito Isaac fuisse ditatum, sed quasi per gradus quosdam & processu temporis, quia festinata opulentia, saltem in oculis hominum, non inculpata solet esse, *nec aliud certius est*, inquit vere Pererius, *diuitiarum iniuste partarum signum, quàm si præpropera sit ac nimis festina earum copia, præsertim si inquilinum & peregrinum in alieno solo præter cæteros breui contingat locupletari.*

Verbum Dei abundantissimum est in lege gratiæ.

114. *Locupletatus est homo ille, quoadusque magnus factus est valde.* Si tunc magnus euasit, paruus ergo antea fuerat, nam correlatiua sunt; quid est quod Isaac postquam seminauit magnus efficitur? itane tam exigui temporis spatio hanc magnitudinem attingere potuit? nam eodem anno quo seminauit, dicitur quod messem collegerit, & quod magnus factus fuerit, aduerte ex Orig. hom. 11. in Genes. quid allegoricè denotet Isaac, sermonem inquit siue verbum Dei significat, quo posito sic respondet cit. Orig. *paruus erat Isaac, idest sermo Dei ante legem, & in ipsa lege, sed processu temporis magnus deinde factus est in Prophetis, creuit etiam per Prophetas Dei notitia, & rerum diuinarum doctrina, cùm vero perueneris ad hoc vsque, vt velamen legis abstrahatur, tunc erit sermo Dei magnus valde, cùm enim cœperit littera legis velut palea hordei eius secerni, & apparuerit quod lex spiritalis est, quod per doctrinam Euangelicam est patefactum, tunc Isaac magnificabitur, id est sermo Dei maiorem in modum excrescet & exuperabit.*

Ex bonis temporalibus iustus occasionem maioris in virtute profectus sumit.

115 *Locupletatus est homo*, deinde subiungit Moy-

Lyran. — Lippom. — Cyrill. Alexand. Aggæi 1. — Eccles. 10. & 31. — S. Hier. — 1. Tim. 9. — D. Ælredus. — 1. Timot. 6. — Matthæi. — 1. Timot. 6. — Matth. 6. — Pererius. — Origenes.

ses, *ibat proficiens atque succrescens*, qua de causa hæc addidit? si enim ex paupere diues, ex inope locuples factus, non est dubium quin profecerit, & excreuerit, superfluè ergo hæc videntur addita, imo emphaticè; sensus enim potest esse postquam diues factus est, non in superbiam elatus, sed ex bonis temporalibus, quæ ex Dei benedictione consequutus est, maioris in virtutibus profectus & augmēti sumpsit occasionem. Fauere videtur Car-tus. dicens, *per hoc potissimum designatur in spiritualibus profecisse*.

Dionysius Cartus.

VARIETAS LECTIONVM VERSV XIV.

VVLG. Habuit quoque possessiones ouium, & iumentorum, & familiæ plurimum, ob hoc inuidentes ei Palæstini.

Sept. Facta autem sunt ei pecora ouium, & pecora boum, & agricolationes multæ.

Cald. Et fuerunt ei greges ouium, & greges boum, & familia magna. *Pag.* Et fuit ei possessio pecudum, & possessio bonorū, & famulatus multus.

Arias. Et prouentus multus;

CONCORDIA.

צאן Oues & pecora significat, famulatus autem & familia eumdem sensum habere videntur: si autem Arias dixit prouentum, ideo est quia עבדה auda significat etiam quicquid ex agrorum cultura prouenit.

EXPOSITIO.

Habuit autem possessiones ouium, per oues intelligendæ sunt pecudes, vt capræ, nec non alia parua animalia, quæ gregem constituunt, *per iumenta* intellige armenta videlicet boum, equorum &c. in quibus etiam locupletatus est Isaac, *per familiam* plures serui & ancillæ intelliguntur, *ob hoc inuidentes ei Palæstini*, fœlicitatis enim & prosperitatis aliorum semper pedissequa est inuidia.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus nescit pauca largiri.

116 *Habuit quoque possessiones ouium & iumentorum & familiæ plurimum*, nonne tempore famis & inopiæ, qua premebatur Isaac, sufficiebat à Deo accepisse, ad subleuandam præsentem necessitatem, messem centuplam, plusquam seminauerat? ad quid igitur ouium greges, iumentorum armenta, nec non maximam famulorum copiam tribuit? quia ita Deus in suos liberalis, vt nesciat pauca largiri, sed abundantissimis bonis cumulet.

Deus non solum necessitati suorum, sed etiam voluptati consulit.

117 *Habuit possessiones ouium & iumentorum*, per oues non solum hæ intelligendæ veniunt, sed quælibet animalia parua, cibis iucunda, ô Deus optime si vt famem depelleret Isaac, concessisti maximam frumenti copiam, plus enim centuplo quàm seminauit collegit, ad quid alia quibus plurimi carent, vitam tamen non miseram degentes, tribuis? pecora enim quamuis non haberet, vitam fœlicissimè in alieno solo, & in tempore famis facillime transigere posset, nam hæc potius ad delectationem quàm ad necessitatem pertinere videntur: nihilominus Deus non solum ingentem frumenti copiam Isaaco tribuit, sed etiam greges ouium, & iumentorum, quibus non egebat, cocedit quia non solùm necessitati suorum, sed etiam voluptati consulit.

Inuidi miserrimi.

118 *Ob hoc inuidentes ei Palæstini*, scilicet ob bonorum abundantiam, quæ ex Dei benedictione contigerat, miror quomodo inuidiæ zelo moueantur aduersus hominem iustum, cùm potius eum amore prosequi tenerentur, eum à Deo benedici non ignorantes: in hoc miserorum inuida sors agnoscitur, qui in quo delectari deberent, miserè torquentur inuidi, inquit S. Prosper, *de bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, ad gaudendum anxii, ad plangenda læti.*

D. Prosp. cap. 9. de vita contemplatiua.

Inuidus aliorum merita in propria conuertit scelera.

119 *Ob hoc inuidentes ei Palæstini*, inuidēt fœlicitati Isaac tam magnificè augescere vidētes, quid mali fecit Isaac domus Dei ampliari? imo eum laudibus extollere & admirari debe[r]ent, quod tanti meriti fuerit, vt à Deo tot bona consequutus fuerit, eius merita minime mirantur, imo inuidiæ crimine fœdantur, inuidis enim merita in propria conuertit scelera, ita cit. Prosper. *inuidi sua de viuentium merita, sua faciunt inuidendo peccata.*

Inuidia doloris initium.

120 *Ob hoc inuidentes ei Palæstini*, non est dubium tanta prosperitate Isaaci conspecta vehementer excruciatos, nec non animos eorum ex bonis fortunæ quæ Patriarchæ contigerant, exulceratos: cur tanto cor eorum premitur dolore? cur eorum anima ita angitur? inspice quid dicat textus, *inuidentes ei Palæstini*, ne cruciatus eorum originem ignoraremus, inuidia enim eorum doloris est initium, quod obseruat S. Greg. Niss. de vita Moysis. describens liuorem, *inuidia malorum princeps*, inquit, *mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix, doloris initium.*

Greg. Nis.

Inuidia

Inuidia aliorum fœlicitatem existimat suam infœlicitatem.

120. *Ob hoc inuidentes ei Palæstini*, si Deus tanto fauore prosequutus est Isaacum, ita vt eum omni bonorum copia abundantissimè locupletarit, cur Dei liberalitatem vel saltem amorem non imitantur, ita vt Patriarcham beneuole amplexentur, non autem inuidiæ liuore aduersus eum commoueantur? si enim omnia fœliciter illi contigere, quid aduersi vobis ex eo euenit? nihil equidem, nihilominus illius prosperitatem suam arbitrantur infœlicitatem, *hoc facit agere inuidentia*, inquit Chrysostom. *non potest benigne videre aliorum fœlicitatem, sed fœlicitatem proximi putat esse suam infœlicitatem, & tabescit bonis proximi.*

S Chrys.

Inuidia ex aliorum magnitudine, in quocumque genere sit, nascitur.

121. *Ob hoc inuidentes ei Palæstini*, quid est ob hoc? an quia ex semine suo terræ credito centuplam messem collegit? an quia plures sunt ei ouium greges? vel quia prudentia vos superat, vrbanitate vos excellit &c. propter hæc omnia ei inuidere? liuor enim ex aliorum magnitudine, & excellentia in quocunque genere sit, nascitur, *magnitudo*, inquit Abulens. *causat inuidiam de se, quia parui magnis inuident secundum quodcumque genus magnitudinis sua propter sapientiam, siue propter potentiam, siue propter honores, diuitias, & alia quæcumque bona extollunt hominem ad aliquem gradum magnitudinis super alios.*

Abulens.

Quanto quis maior est, tanto plures suæ fœlicitatis patitur inuidos.

122. *Ob hoc inuidentes ei Palæstini*, quotnam Palæstini? an ex omni conditione & genere? innuit textus omnes Palæstinos inuidisse, cur tot habet æmulos, cur omnes inuidos experitur? nonne dixerat Moyses, quod magnus vehementer effectus est? quid mirum igitur omnes æmulos? quia quo quis maior est, tanto plures suæ fœlicitatis patitur inuidos. Fauet D. Laurent. Iustin. lib. de discip. & perfect. Monast. conuersationis cap. 11. *in vniuerso terrarum orbe diaboli suadente malitia hoc spirituale inoleuit vitium, vt quanto quis amplius temporalibus floret honoribus, pecuniis, ditescit, prosperitatum successibus pollet, hominumque opinione extollitur, tanto plures fœlicitatis suæ æmulos patitur.*

S. Laurent. Iustin.

Inuidiæ liuor insanabilis videtur infirmitas.

125. *Ob hoc inuidentes Palæstini*, si virtutum corona clarus est Isaac, cur ei inuident? imo ait textus, ob hoc inuidia tabescunt, si ex Dei benedictione tot bona consequutus est, cur æmulantur? imo hac de causa ait Moyses liuore mouentur, si pluribus affluit diuitiis, cur in eum incitantur? quia diues, quomodo igitur eorum curabitur liuor, si qualibet de causa eo agitantur? incurabilem certè existimo, testis est Sanctus Laurent. lib. cit. cap. 13. *insanabilis prorsus est illorum liuor, non enim placantur blanditiis, non mulcentur obsequiis, non rationibus acquiescunt, quin potius quemadmodum ignis accenditur additione lignorum, ita & horum passio augetur multiplicatione virtutum.*

Sanctus Laur.

Impii concordes in malo.

124. *Ob hoc inuidentes Palæstini*, cur non ait Moyses, ob hoc aliquis Palæstinorum ei inuidens, non autem Palæstini? estne verisimile quod omnes vnius ciuitatis homines, eodem inuidiæ liuore moueantur, & nullus ab eo eximatur? ne mireris, impii enim & infideles sunt in vitiis, & in malo concordes.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Omnes puteos quos foderant serui patris illius Abraham illo tempore obstruxerũt, implentes humo.

Sep. Et omnes puteos quos foderant pueri eius in tempore patris eius, obstruxerunt eos Philistum, & impleuerunt eos terra.

Cald. In diebus Abrahæ patris sui obturauerunt Palæstini, & impleuerunt eos puluere, sic Pagni.

Oleast. Clauserunt eos Philistum.

CONCORDIA.

ALiquid amplius habent septuaginta quàm aliæ lectiones, solùm enim denotant tempus fossionis puteorum, non eorum obstrusionis; septuaginta autem vtrumque significant. עפר apar puluerem, humum, terram denotat.

EXPOSITIO.

OMnes puteos quos foderãt serui patris illius Abraham, scilicet quando apud Geraram manebat, vt constat ex cap. 20. huius libri, *obstruxerunt*, antea enim omnes ad libitum eis vtebantur, cum vidissent autem Isaaco eorum aquas proficere, cooperuerunt terra eos implentes.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Inuidus suam non curat vtilitatem, dummodo cui æmulatur, etiam iacturam patiatur.

125. OMnes puteos obstruxerunt implentes humo, scitor à vobis ô Philistæi, nonne in vestrum vsum & vtilitatem huiusmodi cedebant putei, in vestris pecoribus adaquandis? cur igitur eos obturatis implentes puluere? aduerte quod ait textus inuidentes ei Palæstini: ne mireris igitur puteos qui sibi vtiles erant, obstruxisse, quia inuidus suum

non curat commodum, suam negligit vtilitatem, dummodo cui æmulatur, etiam iacturam patiatur, sic Procop. *putei illi etiam patebant haurire volentibus, sed affectibus nimium deditis potius damnum pati volunt, quàm ab iis quos oderant beneficia possideri.*

Procop.

Inuidus nihil cum ratione operatur.

126. *Omnes puteos obstruxerunt*, quid in vos commisere putei, omnibus vtilissimi, vt eos terra adimpleatis? imo quàm vobis intulit iniuriam vel quo vos affecit Isaac opprobrio, vt ei aquam, qua pecora sua adaquantur adimatis? vobis nullum intulit damnum, ne igitur eum afficiatis molestia; imo parcere nolunt, absque ratione enim & iudicio omnia exequitur inuidus, *ita se habet inuidia*, inquit Chrysostom. *nihil cum ratione operatur.*

Chrysostom.

Inuidus timidus.

127. *Omnes puteos obstruxerunt*, ô viros fortissimos, cur si inuidiæ zelo tabescitis aduersus Isaacũ, cur non eum aggredimini, molestiam inferentes non autem suis puteis? puteos obstruunt, Isaacum intactum relinquentes, inuidi enim nimis effœminati & timidi, *occultè*, inquit Lippom. *vindicant liuorem suum, qui coram non audent, perque se nullos persequuntur, qui per se erubescerent.*

Lippomanus.

Inuidus non solum diuitias & honores, sed etiam ipsam inuidet aquam.

128. *Omnes puteos obstruxerunt*, nonne sufficiebat in eum inuidia exarsisse ob diuitiarum abundãtiam, ob famulorum multitudinem, ob plurima boum armenta, plurimosque ouium greges? cur igitur puteos obstruitis? cur aquam ipsam auertitis? quia insignis est inuidorum mania, vt non modò opes, & familiam, sed etiam ipsam ei aquam æmulantur, hoc subnotauit Chrysostom. *considera*, inquit, *quanta illorum malitia qui & aquas ipsis inuident.*

S Chrysost.

Inuidia omnem excedit improbitatem.

129. *Omnes puteos obstruxerunt*, cur vestro etiam bono inuidetis, imo alieno, vestra torquetur anima? improbus certè suo delectatur bono, alieno non inuidet, ita est equidem, sed superat omnem improbitatem inuidia, illa enim in bonum aliquod fertur, ista tantum malo pascitur, quod D. obseruat Amb. l. 2. offic. c. 30. *fugite improbos*, inquit, *cauete inuidos, inter improbum & inuidum hoc interest, improbus suo delectatur bono, inuidus torquetur alieno, ille diligit mala, hic bona odit, vt propè tolerabilior sit qui sibi vult bene, quàm mali omnibus.*

S. Ambros.

Inuidus etiam ipsi Deo contrarius.

130. *Omnes puteos obstruxerunt*, qua de causa? quia ei inuidebant, sed cur liuore tabescunt? quia magnus vehementer effectus est: sed ô Philistæi, an ignoratis è Dei benedictione hanc bonorum copiam emanasse, & ex Dei voluntate ita locupletatum: cur ergo liuore aduersus eum armamini? quia non solum hominibus, sed etiam ipsi Deo contrarius est inuidus, ita D. Basil. Hom. 11. *inuidia est internus vitæ, pestis naturæ, aduersa omnibus bonis ex Deo venientibus, deinum ipsi Deo contraria.*

S. Basil.

Inuidus peior ipsis dæmonibus.

131. *Omnes puteos obstruxerunt*, scilicet ex inuidia, certum est dæmones aduersus nos gerere bellum, nec non odio nos prosequi, sed quæso suæ naturæ Angelis Apostatis insidianturne? bellumne aduersus eos commouent? minime; quomodo ergo homines aduersus eiusdem naturæ participes odio, zelo, liuore concitãtur? quales sunt inuidi: sine dubio, quia sunt ipsis dæmonibus peiores, audiatur D. Chrys. Hom. 44. ad pop. Antioch. hoc testificantem, *inuidi feris sunt peiores, dæmonibus autem peiores & ferè deteriores, nam feræ escæ indigentes vel à nobis irritatæ aduersus nos armantur, inuidi etiam beneficiis allectis bene meritos maleficiis prosecuti sunt: dæmones quoque licet contra nos bellum exerceant, impacatum, consortibus tamen generis sui nõ insidiãtur, vnde Iudæis Christus os occlusit cum eum in Beelzebub eiicere dæmonia calumniarentur, inuidi vero neque naturæ communionem reueriti sunt, neque sibi pepercerunt.*

Chrysost.

Diuitiæ pariunt odium & bellum.

132. *Omnes puteos obstruxerunt*, quamuis bellum aduersus hostes vobis infensissimos gereretis, ciuitatesque eorum obsidione cingeretis, quid aliud in eos nisi aquam adimere puteosque occludere tentaretis? quomodo igitur in hominem qui vos maxima amplectitur beneuolẽtia nitimini? aduerte Isaac diuitiis potentem euasisse, non mirum igitur si tanquã hostes infensissimos aduersus Isaac se gesserũt, nam diuitiæ bellum concitant, Fauet Lipp. *diuitiæ* inquit *pariunt odium.*

Lippom.

Iudæi spiritalem intelligentiam à sacris scripturis adimunt vt siti pereamus.

133. *Omnes puteos obstruxerunt*, supponamus per inuidos Philistæos, intelligi Iudæos, qui in Christianos liuore tabescunt, cur quæso puteos obstruunt, eos terra replentes? quid enim eorum vtilitati conferet eorum obstructio? non est dubium nomine puteorum sacram denotari scripturam, terra, terrenã intelligentiam, aquis veritatem: quid mirum igitur puteos obstruere, eos terra replentes? quia Iudæos significant adempturos spiritalem intelligentiam à sacris scripturis, vt siti periremus, sic Orig. Hom. 13. in Genes. *aquas oderunt terram diligunt, qui in lege terrenam & carnalem intelligentiam ponunt: & spiritalem ac mysticam excludunt, vt neque ipsi bibant, neque alios bibere permittant.*

Origen.

Quod dæmones non possunt id exequũtur hæretici.

134. *Omnes puteos obstruxerunt*, per hos Philistæos intelligit Rupertus hæreticos, & vt diximus putei nomine intelligenda venit sacra scriptura, sed cum infensissimus sit hominum hostis Diabolus, cur per suos id efficit? quia quod dæmones non possunt, id per hæreticos exequuntur, ita est, Rupert. *per quos*, inquit, *diabolus quia non poterat vi persecutionum extirpare euangelium, veritatem corrumpere conatus est scripturarum, puteos enim, hoc est scripturas quantum in ipsis fuit, hæretici obturauerunt, vt non facilè inuenire posset vbinam esset doctrina veritatis.*

Rupert.

Nihil ita obstruit religionem quàm diuitiæ.

135. *Omnes puteos obstruxerunt, quos foderant serui Abraham.* puteis religiones denotantur, à quibus aquæ salutares pro animarum salute hauriuntur, serui autem Abrahæ, qui eos foderunt, sine dubio sunt famuli Dei, Basilius, Benedictus, Seraphicus Franciscus, & alii, sed quomodo potest intelligi, quod eos replentes terra, obturauerunt Philistæi: nam quamuis terra religiõ impleatur, non obstruitur: sed deciperis, si per terram diuitias

diuitias intelligas, nihil enim ita tam funditus euertit, ac terrenæ facultates & opes, hoc à primo Cardinali ordinis D. Dominici nempe Hugone Carenti, audiamus, *puteus*, inquit, *est religio quem foderunt serui Abrahæ, id est serui Christi, qui omnes diuitias à religione pœnitus abiecerint, sed hunc implent Allophili, nēpe dæmones humo, id est diuitiis temporalibus. Hieron. religio peperit diuitias quæ simul exortæ suffocauerunt matrem.*

Hug. Car.

Terrenorum affectio, lachrymas nostræ deuotionis impedit.

136. *Omnes puteos obstruxerunt*, puteo cor nostrum intelligitur, quod verbo Dei foditur, aquæ illius lachrymæ deuotionis & contritionis, sed vndenam ita siccatur, fitque aridum, vt nec minimus humor reperiatur in eo, nec minima aquæ gutta ex eo distillans? inspice quid dicat textus, repleuerunt eos humo, sed quamuis terra repleuerint, nonne aqua simul terræ compatitur, & simul inueniuntur? aduerte per terram, terrenarum rerum affectionem intelligi: benè igitur puteus obturatur, & obstruitur, ne ab eo emanent aquæ, cum terra repletur, quia à corde nostro terrenorum affectione præpedito, non profluunt lachrymæ deuotionis, nec aquæ salutares contritionis, sic noster Bonn. in lib. dietarum salutis tit. 7. de beatitudinibus cap. tertio de fletu, vbi assignans varia fletus impedimenta, ait, *secundum est terrenorum affectio, ideo dicitur in figura huius in Genesi, quod omnes puteos quos fecerant serui Isaac obstruxerunt Philisthim, implentes terrenorum affectione puteos deuotionis.*

Noster Bonna.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XVI.

VVLG. Intantum vt ipse Abimelech diceret ad Isaac, recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.

Cald. Quoniam fortior nobis factus es valde.

Vatablus. Fortificatus es plusquam nos valde.

Alii validior factus est nobis.

CONCORDIA.

עצם Atsan potentiorem esse, validiorem & fortiorem significat, hunc lectionum varietas.

EXPOSITIO.

IN *tantum*, scilicet creuit eorum inuidia, *vt ipse Abimelech*, nempe rex Geraræ, *diceret ad Isaac, recede à nobis*, quasi diceret, tua bonorum abundantia nobis molesta est, & suspecta; ideo vt ante oculos tuam non habeamus prosperitatem, alias incole terras, *quoniam potentior nobis factus es valde*, hoc dissimulans dixit, non enim credibile est, quod sibi persuaserit Isaac potentia totum regnum excedere, sed supra veritatem potentiam illius exaggerauit, iustam causam demonstrare volens, cur eum iuberet inde discedere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nihil fortius eo qui secum habet Deum.

137. Recede à nobis, repellis à terra & regno tuo Isaacum, quomodo postea eum conuenis cum tuis, pro pace & fœdere ineundo? cum enim sis Monarcha, hominem priuatum adire non deberes, vnde tanta efficacia in Isaac, vt te tuosque attrahat pro pace petenda? inspice quod ipsemet rex fateatur, vidimus tecum esse Dominum, & idcirco, nos diximus sit iuramentū inter nos & ineamus fœdus en quomodo Dei præsentia fortissimos etiam reddit priuatos homines? ita vt ipsosmet reges compellant pro pace obtinenda, vnde Chrys. Hom. 52. ait, *vide quantum mansuetudinis robur, & quanta virtutis potentia, nam qui pridem abegerant, nunc veniunt ad peregrinandum ad virum ciuitate carentem, ad erronem, & non solum satisfaciunt & excusant se de his quæ commiserant, sed & peccatorum veniam petunt & prædicant iustum & indicant, vnde suus metus, & confitentur suam infirmitatem, & iustis magnam fatentur virtutem, quid enim fortius eo qui secum habet Deum?*

S. Chryso.

Inuidia ita deprimit eos quos occupat, vt se inferiores omnibus aliis arbitrentur.

138. *Recede à nobis quoniam potentior nobis factus es valde*, quomodo potest fieri, quod aduena & homo priuatus, dicatur ab ipso rege se potentior, nec non & toto regno fortior? hoc nequaquam credibile, nec ratio potest suadere, vt quantumuis diues ipsum regem potentia & fortitudine superet: sed reuoca in memoriam non solum populū, sed etiam regem inuidia ac liuore aduersus Isaac cōmotū, non mirum igitur ipsum Abimelech dixisse Isaac se potentiorem & fortiorem esse, quia inuidia ita deprimit eos quos possidet, vt se inferiores omnibus aliis arbitrentur, *hoc malum*, inquit Oleast. *inter cætera inuidia habet, vt omnes quos occupat, minimos inter cæteros æstimare se faciat. quare Iob quinto c. dicebat inuidiam paruulum occidisse, erat rex iste Abimelech & tamen tam pusilli animi fuit, vt seruo inuideret vt à se expulerit.*

Oleast.

Inuidus aliorum visa prosperitate cruciatur.

139. *Recede à nobis*, si potentior te factus est, eum ne

à te dimittas, potest enim in te bellum commouere, quia hoc eum affecisti opprobrio: potius in regno tuo custodias, & operibus eius mungi es, ne aliquid in te moliatur: nihilominus vult dimittere, quia cum esset inuidus, illius vita pro petitate summopere cruciabatur, *nec poterat Abimelech rectis oculis*, inquit Abulensis, *tantam videre tamque subitaneam Isaac multiplicationem, ideoque ne ex eius bono magis cruciaretur quæ est conditio inuidorum, dixit ei quod recederet.*

Abulens.

Inuidus nec Dei amicos tolerare potest.

139. *Recede à nobis*, si iustus murus est in regno fortissimus, contra quoscumque hostium incursus, si pro populo Deum, ne propter scelera sua puniatur exorat, cur Isaacum certissimè compertum fidelem Dei famulum, à regno tuo discedere præcipis? quia inuidus nec Dei amicos sibi etiam vtiles potest tolerare, ita Lippom. *creuit eatenus furor gentis, vt ne rex quidem obsistere ausus, sed exire compellat certo agnitum amicum Dei.*

Lippom.

Regum populique fauor instabilis.

140. *Recede à nobis*, nonne tu idem ille rex es, qui præceperas, ne quis tangeret vxorem Isaaci, sub pœna & capitis discrimine? quomodo tantæ erga eum immemor beneuolentiæ, non solum Rebeccam, sed eum cum vniuersa familia, iubes discedere? si autem eum maximo prosequebaris amore, cur odio nunc aduersus eundem concitaris? non enim tu solus, sed etiam tui subditi, eandem excitant tragediam, quia vt optimè cit. Lippom. *regum populique fauor maximè instabilis.*

Lippom.

Reges cùm aliquos in suo regno verè rebellaturos arbitrantur, eos expellere possunt.

141. *Recede à nobis quia potentior es*, potuit verus timor potentiæ Isaac Abimelechem cogere vt illum expelleret, non quod solus Palæstinis maximè formidandus esset, sed si bellum aduersus regnum aliunde ingrueret, Isaac vir prædiues ac præpotens coniunctus hostibus, non leue damnum inferret: sed cum esset aduena & peregrinus, nonne cum eo dissimulare debuit & tolerare? minime, nam vt optimè Oleast. *docemur hic rectores expellere potentes, maximè, si timent eos rebellaturos, aut Rempublicam simultatibus turbaturos.*

Oleast.

Deus suis etiam a Regibus derelictis, suo adest patrocinio.

142. *Recede à nobis quia potentior factus es*, arbitrarisne minus potentem fore, etiam si in abditissimas & remotissimas solitudines ire compellas? sic existimat quod à regno suo expulsus inner euadet, sed toto cœlo aberrat, nam Deus suos etiam à regibus derelictos, in quocumque sint loco, suo fouet patrocinio, quod sic declarat D. Chrysostom. Hom. quinquagesima secunda, *quare iustum abigendo erga Dominum ingratus atque impius es, neque tuam inuidiam tanta viri mansuetudo reprimere ac domare potest? nescis quod licet in abditissimam solitudinem eum fugaueris, habebit tamen sibi potentem Dominum, qui non solum eum iuuare, sed multo clariorem facere possit.*

Chrysostom.

Impii concordes in inferendo iustis damno.

143. *Recede à nobis*, cur non dixit recede à me? sic enim à curia sua, imo à regno teneretur recedere, non ait recede à me, sed à nobis, vt intelligeremus non solùm regem, sed etiam vniuersum populum concordem fuisse in expellendo iusto, & damnum ei inferendo. Fauet citat. Chrysostom. *vidisti*, inquit, *& regis Gerarorum & omnium qui habitabant mentis malitiam*. quasi diceret nullus ex tot hominibus impius, consensum non præbuit, vt iustus expelleretur à regno.

Chrysost.

Inuidus in homine diuinum prosequitur numen.

144. *Recede à nobis*, quia supernum, inquit Chrysostom. loquentem Abimelech inducens, habes præsidium in omnibus, dexteraque Dei munitus es. sed ò rex, nonne hac de causa, debuisti eum maximo apud regnum tuum honore prosequi, fauoreque beneuolo apud Deum fauorem tibi conciliare? ne ergo iubeas eum à te discedere, cum à Deo in omnibus protegatur: imo hac de causa recedere præcipit, quia vt optimè S. Prosper. libr. tertio de vita contemplatiua cap. quinto, *inuidus odio hominis prosequitur diuinum munus in homine, cùm potius amari debeat homo etiam pro meritis sui sanctitate.*

S. Prosper.

Inuidus sua non æstimat videns alia bona.

145. *Recede à nobis quia potentior factus es*, qui fieri potest vt teipso potentiorem reputes hominem peregrinum & agricolam, & fruge sua quam ipse excoluit, & gregibus quos pascit, abunde contentum? vbi fasces regni? vbi corona, sceptrum, aula, regnum, quæ tu omnia possides? ne dicas igitur te potentiorem: imo sic arbitratur, quia talis est infœlicitas inuidentis regis, vt quicquid ille peregrinus habet quod suum rex non iudicat, maius & illustrius quam vniuersa regni censet insignia, vnde ita miser est liuore contaminatus, vt quamuis plurimis abundet bonis, nihil possidere arbitratur, cùm alicuius prosperitatem intuetur.

Inuidus etiam si potentissimus, maximè timidus est.

146. *Recede à nobis quia potentior factus es*, si nullis stipatur militibus, tu autem maximo circumdaris exercitu, si aduena & peregrinus, tu autem Monarcha, quomodo te potentiorem, arbitraris? non equidem eo potentior est, sed quia inuidus eum formidat, seque fortiorem exist. nat, non dissentit Gennad. in catena græca, *quamuis*, inquit, *cum Abraham fœdus percussisset, veretur adhuc ne quid in suam familiam moliretur, nec repugnat, si fuerit hic alter Abimelech, potuit enim omnia hæc à proximis ante illum regibus cognouisse.*

Gennad.

Peccatores iustorum societatem non patiuntur.

147. *Recede à nobis*, cur iusto recessum à regno tuo præcipis, cùm ipsum et vita & omnibus fortunæ bonis chariorem habere deberes? quis præcipit? nonne peccator est? cui iubetur? nonne fideli Dei famulo? quid mirum igitur si Abimelech iubet à regno suo discedere? quia peccatores iustorum societatem

cietatem minimè possunt tolerare, obseruatio est Hug. Carensis, *verum est malorum recede à nobis qui non possunt sustinere consortium bonorum, Eccl. 1. execratio peccatori, cultura Dei.*

Hug. Car. — Eccl. 1

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Et ille discedens, vt veniret ad torrentem Gerarae, habitaretque ibi.

Sept. Et abiit inde Isaac, & diuertit in valle Gerarorum.

Cald. Et habitauit iuxta torrentem Gerarae, & moratus est ibi.

Pag. Mansit in valle Gherar.

Oleast. Et fixit tentoria sua in torrente Gerar.

Ar. Et castrametatus est.

CONCORDIA.

Hieron. ab Oleastro legit fixit tentoria, & Arias castrametatus est, licet alii habeant mansit vel habitauit חנה Chanah tamen propriè significat figere tentorium, siue ad habitandum siue castrametando (vt vertit Arias) dum quis vrbem obsidet, quod autem habeat hanc significationem, patet tum quia nomen Chaiuth lancea interpretatur, sic à figendo dicta, tum quia haec significatio omnibus fere locis, in quibus verbum ponitur, quadrat, vt patet Isaiae 26. vbi dicitur veariel ciuitas in qua fixit Dauid, id est ad quam expugnandam Dauid fixit tentoria, sic illud Zach. 9. Vechanoti, id est & figam domui meae ab exercitu, id est castrametabor seu figam tentoria quemadmodum oppugnans vrbem: נחל Nachal propriè torrentem significat, sed quia torrens per vallem decurrit, ideo alii vallem legere.

EXPOSITIO.

ET ille discedens, non detrectans praeceptum regis, sed ei obtemperans, *vt veniret ad torrentem Gerarae*, non enim rex praeceperat, vt à regno suo discederet, sed à ciuitate Gerarae, & ideo in illius territorrio mansit, circa locum torrentis, qui dicitur vallis Pharan.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Irato non contradicendum.

148. ET *ille discedens*, si rex te potentissimum arbitratur, ita vt ipsemet dicat, recede à nobis, quia potentior factus es nobis, cur non renuisti, dicens da mihi recessus mei causas? nullas mollitus sum insidias; cum hostibus tuis nulla mihi est communicatio, modestè cum tuis semper me gessi, cur ergo à ciuitate discedam? nihil tale respondet, sed praecepto regis inuidi & irati obtemperat, ita enim aestuanti non contradicendum; quod annotauit Chrys. *ad quod discipulis suis omnibus Christus adueniens praecepit dicens Matth. 10. quando vos sequentur vos fugite in alium locum, hoc ille iam ope. ibus declarabat, & sicut Dauid Saulis magnam inuidiam reprimebat secedens & subducens se & illius refrigerabat calorem, eodem sane modo & iustus ille Apostolicum illud implebat, date locum irae.*

S. Chryso Matt 10.

Regibus obtemperandum.

149. *Et ille discedens*, miror hominem potentissimum etiam Abimelech testante, tam facile illius mandatis obtemperasse, si enim nihili conscius, sed innocens & diuitiis praepotens, potuit renuere dicens non discedam, si autem violentiam inferas, vim vi repellam: obmutuit obtemperans, regibus enim obediendum, vt ad Titum scribens, ait Paul. cap. 3. vers. 1. admone illos principibus & potestatibus subditos esse, quae verba exponēs Theop. ait *quid dicunis? ne? etiā si prauus & sceleratus fuerit? quomodo dicis malum si circa fidem, fuge eum etiam si Angelus de caelo fuerit, si autem in moribus malus sit & inui. 4 peruersus, ob. empera ei.*

ad Tit. c. 3 — Theophil

Iustum maximè decet esse humilem & mansuetum.

151. *At ille discedens*, non equidem discederem nisi aliqua excusatione proposita, vel cum renitentia, nam Rex, cum sileas discedēs, existimabit te noxium, & iuste à suis accusatum, quod aliquas posses in regnum vel saltem ciuitatem moliri insidias: nec equidem vllum profert verbum, sed tacens egreditur, iustum enim, qualis erat Isaac, maximè decet esse humilem & mansuetum, *vide iusti magnam mansuetudinem*, inquit Chrysostom. *quomodo non superbiuit, neque videns re ipsa diuinam sibi gratiam assistere, contra regem fr etus commilitantis vi. tute insurrexit, s. d quasi vir omni patrocinio carens, & nullum auxilium aliunde expectans, multa cum mansuetudine ne verbis quidem resistens, fecit quod sibi à rege praeceptum est, & statim illinc discessit.*

S. Chrysost.

Iustus terrenis rebus non inhaereat.

152. *At ille discedens*, scio Philistaeorum inuidiā expulsum fuisse, regisque praecepto, sed cùm Dei iussu in Geraram descendisset, cur ipsemet eius discessum non prohibet, cùm in manu omnipotentiae suae sint hominum regumque corda? dices vt fides Isaac probaretur vel vt ipsemet Deus aliis in locis per eum glorificaretur, optimè; sed dicamus etiam id non prohibuisse, vt doceret sanctos nulli loco, imo nullis terrenis rebus affixos esse debere, sed semper paratos; omnia propter Deum re-

linquere, si casus occurrat.

Assidua mortis cogitatio habenda.

153. *Venit ad torrentem Geraræ & habitauit ibi*, cur iuxta torrentem commoratur? cur potius alium iucundiorem ad habitandum locum non eligit? torrens mortalitatis fluxum designat: merito igitur iuxta torrentem iustus Isaac habitat, quia assidua mortis cogitatio præ oculis habenda, moralitas est Hugonis Carens. *torrens Geraræ decursus mortalitatis est, vbi semper debet habitare quilibet, nam sicut dicit auctoritas, summa prophetia est assidua mortis cogitatio*, qui enim memor est nouissimorum à peccatis retrahitur.

Hug. Car.

VARIETAS LECTIONVM. VERS. XVIII.

VVLG. Rursum fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos illo mortuo olim obstruxerant Philisthiim, appellauitque eos iisdem nominibus, quibus ante pater vocauerat.

Sep. Et cognominauit eis nomina secundum nomina quæ nominauerat pater eius.

Cald. Et reuersus est Isaac, & fodit puteos aquarum quos foderant in diebus Abrahæ patris sui, & obturauerunt Philisthiim postquam mortuus est Abraham, appellauitque eos eisdem nominibus quibus vocabat eos pater eius, sic & Hebraisantes.

CONCORDIA.

VVlg. & Septuaginta eandem habent lectionem, eos enim sequutus, non autem Hebraicum idioma, cum quo concordat Paraphrastis Chaldæa, in vtroque autem est, *& reuersus est*, quod deficit in Latino, omisit autem non tanquam inutile, sed tanquam illud supponens.

EXPOSITIO.

R*Vrsum fodit alios puteos*, quos scilicet cum Abraham in terra Geraræ peregrinabatur, foderat potius autem hos quàm alios de nouo fodit, quia certo credidit quod ibi venarum aquæ erumperent, *quos illo mortuo olim obstruxerant Philisthiim*, non enim cùm in viuis degeret ausi sunt illos obstruere, quia fœdus cum suo rege percusserat, *& appellauit eisdem nominibus quibus pater vocauerat*, vt videretur patris hereditatem tenere, nihilque nouum aggredi, in terra aliena.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Magna reuerentia patribus à filiis exhibenda est.

154. V*Ocauit eisdem nominibus quibus pater vocauerat*, cur eisdem & non aliis? nonne nouam appellationem operi à se elaborato imponere potuisset? potuit quidem sed noluit, vt quanta apud patrē ferretur reuerentia, ostenderet, & quanto eum honore coleret significaret, qui puteis ab eo effossis alia nomina noluit imponere, sed conseruare ob eius memoriam, addit Oleast. *vix inuenies filium qui permittat quæ pater instituit permanere, omnia volunt mutare, vt se patribus prudētiores ostendant.*

Oleast.

Iustorum est pluribus prodesse.

155. *Rursum fodit alios puteos*, cur tantum laborem insumis & consumis in effodiendis puteis? iam effossos inquire, vt tua adaquentur pecora, ne sicut primos obturauerunt Philisthiim liuore tabescentes, eadem commoti inuidia, hos secundos obstruant: aduerte puteos in plurium vtilitatem cedere, prudenter igitur alios de nouo fodiendos curauit, quia vt optime dixit Lippom. *sanctorum sunt puteos effodere, agros seminare, proximis consulere, nihil in thesauris reponere, multis prodesse.*

Lippomanus.

Pacis & concordiæ simus amatores.

156. *Rursum fodit alios puteos*, quis non mirabitur hominem potentissimum, ne verbum quidem protulisse, & vt aiunt, ne mussitasse quidem in aliorum obstructione puteorum, sed quasi nullam ab eis accepisset iniuriam, alios non sine magno labore & non exiguis impensis effodere? nonne iustus erat Isaac? non mirum igitur quod sine vlla contentione primis derelictis, puteos alios curauit fodere, vt quanta cum animi sollicitudine pacem & concordiam coleret, denotaret. Fauet Philo Episcop. in catena Græca *discat*, inquit, *quicumque cupit inter filios Abrahæ annumerari, ingenii esse humani, discat aduersarium suum non contentione rixarum superare, sed benignitate.*

Philo.

A litibus cauendum.

157. *Rursum fodit alios puteos quos foderant serui patris sui*, si adeo potens erat præ maxima diuitiarū multitudine, vt etiam formidini esset ipsi regi Abimelech & Palæstinis, cur alio in loco puteos fodere non est aggressus? aduerte puteos à patre effossos tanquam sibi debitos potuisse repetere sine alicuius offensione: recte ergo non alio in loco nouos quæsiuit & adaperit, vt sic ab omni lite caueret, quod obseruat Abulensis, qui inquirens cur potius hos puteos fodit quā alio in loco, att,

Abulens.

coat, quia illi putei cum ad Abraham patrē suum pertinuerant, ideo nunc ad eum iure veniebant, nec erant litigiosi, quemadmodum si nondum opus fecisset, quia potuisset tunc Philistinis contendere, en quomodo omni quo potest studio cauet à litibus, quæ suborriri potuissent?

Aliorum inuidia non nos à bonis operibus retrahat.

158. *Rursum fodit alios puteos*, si primos obturauere ex nimia qua in te æstuabant, inuidia, arbitraris ne eorum liuorem consopitum vel extinctum? minime quidem, nam si alios aggrederis fodere, sine dubio eodem in te commouebuntur liuore, eosque obstruent, abstine ergo ab eorum effossione, imo non cesset sed aperiat. aliorum enim à labore debito, siue à bonis operibus, inuidia, non debet nos retrahere, quod satis acute obseruat noster Ferus, *quo magis impii aduersabantur, inquit, eo fortius ipse fidebat, nec propter ipsorum ingratitudinem & inuidiam segnior efficiebatur, debet enim pius homo non solum tueri innocentiam, sed & constantiam & fortitudinem & magnanimitatem seruare, vt nunquam cesset propter aliorum inuidiam, sed perseueret ac pergat in promouenda, & afferenda veritate & iustitia, forti animo ferens omnes iniurias, & insultus amore illius summi Dei, cui se totum dedicauit.*

Noster Ferus.

Hæresi suborta ilico adest Deus eam oppugnans.

159. *Rursum fodit alios puteos*, diximus per Philistæos puteos obturantes, & eos replentes, intelligi hæreticos, qui puteum, nempe sacram scripturam, erroribus nituntur deturpare, cur igitur nunc alios Isaac fodere puteos curat? quia teste Rupert. lib. 7. cap. 11. *semper quacumque hæresis exurgat, semper vtique & præsto Christus adest, & de suis aliquos præparat scientia & sermone ornatos munere suo, qui stare valeant aduersus loquaces hæreticos.*

Rupert.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIX.

VVLG. Foderuntque in torrente, & repererunt aquam viuam.

Sep. Et foderunt pueri Isaac in valle Geraroruni, & inuenerunt ibi puteum aquæ viuentis.

Cald. Foderunt filii Isaac in torrente, & inuenerunt ibi puteum aquarum manantium.

CONCORDIA.

Dictio נחל nahal hîc posita tam torrentem significat, quàm vallem; vnde vtroque modo interpretes verterunt, quidam enim in torrente, quidam in valle puteos fodisse dixerunt, Caldaica habet in torrente, septuaginta autem in valle.

EXPOSITIO.

Foderuntque in torrente, non ignoras torrentem aquam esse collectam ex pluuiis, vel ex niuibus resolutis, fluentemque ad tempus, *& in eo foderunt*, vt puteum efficerent qui aquas quibus pecora adaquarentur reciperet, *& inuenerunt aquam viuam*, Hebræi aquas viuas appellant, quæ fluunt, aquas autem mortuas, quæ non scaturiunt, repererunt igitur in torrente vel iuxta eum, aquam scaturientem & iugiter manantem, non sine speciali Dei beneficio.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui vt pax conseruetur aliquorum iacturam facit, à Deo meliora recipit.

160. *Foderunt in torrente & repererunt aquam viuam*, quomodo cùm antea puteos fodissent, non dicitur quod aquas scaturientes repererint, sed solum cùm effodiunt in torrente? reuoca in memoriam se pacificè gessisse Isaacum, cùm ablati sunt ei putei, quid mirum igitur nunc aquam viuam inuenisse? quia qui pacis & concordiæ seruandæ causa, aliquorum iacturam facit, à Deo meliora recipit, obseruatio est Oleastri, *aduerte qualiter Dominus meliora semper tribuit eis qui iuribus suis cedunt vt pacem foueant, nam quia obturarunt puteos mortuæ aquę, concessit Deus puteum aquæ viuæ.*

Oleaster.

Labor impensus pro re iusta non est inanis.

161. *Foderunt in torrente & repererunt aquam viuam*, difficile in torrente aqua scaturiens reperitur, nam torrens solùm est aqua, vel ex pluuiis vel ex niuium resolutione, ad tempus profluens, quomodo igitur aquam viuam inuenere? nonne pro re æquissima laborabant? merito igitur huiusmodi aqua ab eis reperta est, quia labor impensus pro re iusta, non est inanis fauet Lipp. *Dominus ne inaniter conarentur, seruo Isaac prouidit de aquis viuis & salubribus.*

Lippom.

Iniuriæ beneficiis compensandæ.

162. *Foderunt in torrente*, si solum ad familiæ tuæ commodum hos puteos foderes, tacerem equidem, sed in Palæstinorum cedent vtilitatem, qui te non leui affecere iniuria, in aliam igitur proficiscere regionem, & tunc aquam tibi pecoribusque tuis necessariā perquires, sicque Palæstini tuo labore non potientur: non arguendus Isaac sed laudibus extollendus, qui etiam puteos in inuidorum suorum vtilitatem fodit, vt iniurias sibi illatas beneficiis compenset, animaduersio est Procopii, *quidam inquiunt Isaacum vt omnibus esset beneuolus, nec amplius iniuriarum recordaretur, fontes illos obturatos refodisse, & repurgasse, affectans beneficiis illorum iniurias superare.*

Procopius.

Iustus ita generosi sit animi, vt nullis iniuriis arbitretur se offendi.

163. *Foderunt in torrente*, si vt à nobis dictum est in præcedenti conceptu, etiam puteos huiusmodi in vtilitatem inimicorum tuorum cessuros, cur hunc laborem impendis? cur eis hanc præstas gratiam, cum te leuiter non offenderint, sed grauissimis affecerint iniuriis? se offensum non existimat, cum enim sit iustus, ita generosi animi est, vt nullis iniuriis arbitretur se affici, vnde optime S. Paulin. Ep. 28. viro iusto, scribens ait, *confidimus vt pectus vestrum offensam nostri non capiat, etiam si faciamus iniuriam qua mereamur offendere, si vos vnquam à nobis vel merentibus posse is offendi.*

S. Paulinus.

Longe meliora à Deo accipimus quàm sperare possumus.

164. *Foderunt in torrente & repererunt aquam viuam*, ad aquam ex pluuiis descendentem retinendam, vt tempore æstatis & siccitatis ea greges & armenta omnis generis, adaquarentur, quomodo igitur aquã viuam adinuenere? solum enim arbitrabantur aquã ex pluuiis & emortuam habere, quia longe meliora à Deo accipimus quàm sperare possumus, non dissentit Lyranus, *repererunt aquam viuam, id est quid melius quàm intenderent à principio fossionis*, arbitrati enim huiusmodi aquam non reperturos.

Lyranus.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XX.

VVLG. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ, aduersus pastores Isaac dicentium, nostra est aqua, quam ob rem, nomen putei ex eo quod acciderat, vocauit calumniam.

Sep. Et pugnauerunt pastores Gerarorum, cum pastoribus Isaac dicentes esse suam aquam, & vocauerunt nomen putei iniustitia, iniustitiam enim fecerant in eum.

Cald. Et rixati sunt pastores Geraræ, cum pastoribus Isaac, dicentes nostra est aqua, & vocauit nomen putei litigium, eo quod litigauerunt cum eo.

Pag. Et vocauit nomen putei Hesech, quia iurgati sunt cum eo.

Oleaster. Vocauit nomen putei occupationẽ i. seu detentionem.

CONCORDIA.

עשק A sa K hoc verbum si littera schin notatur in dextero cornu puncto, quod dicitur, sebolet, calumniari, vim inferre, per violentiam & fraudẽ extorquere, vel obtinere significat, cum puncto vero in sinistro cornu, iurgari, hinc fit varietas lectionum, in vulgato & in Hebræo: septuaginta autem si dixere iniustitiam, ideo est quia non inspexere verba, sed sensum, vel potius rei euentum, iniuste enim egere Philistæi aquam ab Isaac inuentam accipientes.

EXPOSITIO.

SEd & iurgium fuit ibi pastorum Geraræ, nam videntes Isaacum aquam scaturientem & viuam inuenisse, patienter ferre non potuerunt, sed totis viribus contenderunt eam adimere, *dixerunt enim nostra est aqua, quia eam in agro & fundo nostro inuenisti*, sed hoc iniuste obiiciunt, quia illorum voluntate, scientia, conniuentia, & consensu Isaac hunc foderat puteum, *ideo vocauit puteum calumniam*, quia in illius fossione, hanc ei Geraritæ calumniam intulere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Maxima est mansuetudo cum inferioribus contradicentibus cedimus.

165. *Iurgium fuit pastorum Geraræ dicentium nostra est aqua*, si eam effodisti, propriumque laborem impendisti in ea adinuenienda, cur eis dicentibus suam esse aquam, non contradicis, imo siles? nam cum iubente rege discesseris, non miror, regibus enim obtemperandum est. sed cum sis maximæ potentiæ, pastoribus exiguæ & abiectæ conditionis resistere deberes, imo non contradicit, cùm possit, maxima est enim iustorum mansuetudo, *nihil hic contendit iustus*, inquit Chrysost. *neque obluctatur, sed etiam pastoribus cedit, hæc enim vere mansuetudo est, non quando quis offensus mansuete fert, sed quando quis ab his etiam qui inferiores putantur, offenditur, cedit, sic recte cognoscitur mansuetudo eius qui inuaditur, nam aliàs contradiceret quis quod mansuetudinem simulasset, quia non posset potentiæ offendentis resistere, & vt discas quod regi cesserit non propter potentiam eius, sed suo more: vide quomodo idem apud pastores facit, & sicut ille dicebat recede à nobis & statim accepto mandato recessit, ideo & nunc pastoribus lædere cupientibus, & puteum vendicantibus recedit.*

S. Chrysost.

Iniuriæ patienter ferendæ.

166. *Iurgium fuit pastorum Geraræ dicentium nostra est aqua*, non solùm hoc dixere, sed & cũ violentia aquam abstulere, si pastores sunt qui te hac afficiunt iniuria, imo qui tibi calumniantur, nam dicentes suam esse aquam, te quasi latrocinii & iniustitiæ arguunt, cur plagis & verberibus puniri non præcipis? tua enim potentia id exequi facultate potest, id non attentat, sed iniuriam sibi illatam indicat esse patienter ferendam, *sic iniustitia eum afficiunt* ait Chrys. *patienter tamen iustus sustinuit improbitatem seruorum ad tentationes assuetus, non reddit calumnias, non regi conqueritur, sed persistit in perpetua mentis serenitate.*

Crysost.

Inuidia morbus quasi incurabilis.

167. *Iurgium fuit pastorum Geraræ dicentium nostra est*

est aqua, si Deus optatis Isaac fauet, si cum in omnibus quæ aggreditur, diuina benedictio comitatur, si fœliciter ei aquæ scaturientis contigit effossio, cur in eum zelo inuidiæ tabescitis? si quascumque à vobis illatas iniurias tulit patienter, imo vos beneficiis obstrinxit in puteorum effossione, cur vestra non consumitur inuidia? quia sicut inter morbos corporales quidam sunt incurabiles, ita inter spirituales morbus inuidiæ difficile curatur, quod animaduertit Cassianus collatione. 18. capite 17. *sciendum sane est inuidiæ morbum difficilius ad medelam quàm cætera vitia peruenire, cum blandimentis exasperetur, insectatur obsequiis, muneribus irritetur, quia vt Salomon ait Prouerb. 6. nihil sustinet zelus, quanto enim amplius alius aut humilitatis subiectione aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tanto ille maioribus inuidiæ stimulis incitatur, qui non nisi ruinam aut mortem eius cui inuidet concupiscit.*

Cassianus.

Inuidia plurimorum origo peccatorum.

168. *Nomen putei ex eo quod acciderat vocauit calumniam*, septuaginta vocant iniustitiam, Pag. appellauit iurgium, vnde tot mala pullulauere, ita vt non solum calumniatores, sed etiam iniusti dicantur Philistæi; iniustitia autem omnia comprehendit vitia, sicut è contra iustitia virtutes omnes: aduerte quid antea dixerit Moyses, inuidentes ei Palæstini, quid mirum igitur, si non solum sunt iurgii auctores, sed calumniatores & iniusti? inuidia enim plurimorum origo peccatorum: quod late expendit D. Cypr. de Zelo & liuore, *non est quod aliquis existimet malum istud vna specie contineri, aut breuibus terminis & angusto fine concludi: late patet zeli multiplex & fœcunda perniciies, radix est omnium malorum, inde odium surgit, animositas inde procedit, auaritiam zelus inflammat, dum quis non potest suo esse contentus, videns alterum ditiorem, ambitionem zelus excitat, Dei timor spernitur, inflat superbia, exacerbat sæuitia, perfidia præuaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira feruescit, hinc vinculum pacis rumpitur.*

S. Cyprian.

Impatientiæ non succumbendum exemplo sanctorum.

169. *Ibi iurgium fuit pastorum Geraræ dicentium nostra est aqua*, nonne vobis consentientibus, imo & in vtilitatem vestram, hunc etiam puteum effodit Isaac? cur ergo violentiâ eum adimitis? non ne sufficit alios puteos iam obturasse? & tu ô Isaac, si tot ab eis iniuriis affectus, si tot perpessus calumnias, si iniustè quæ possides auferuntur, quomodo ita patienter damnum temporale toleras? quomodo ita libenter bonorum tuorum rapinam sustines? quia impatientiæ nec pro qualibet bonorum iactura succumbendum, quod Tertull. lib. de patient. laudat in Iob, *ô fœlicissimum illum qui omnem patientiæ speciem aduersus omnem diaboli vim expunxit, quem non abacti greges non illa in pecore diuitiæ, non filii vno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in vulnere cruciatus, à patientia fide Domino dedita exclusit, quem Diabolus totis viribus frustra cecidit, neque enim à respectu Dei tot doloribus auocatus ille est, sed constitit nobis vt exemplum & testimonium tam spiritu quàm carne, quàm corpore patientiæ perpetrandæ, vt neque damnis sæcularium, nec amissione carissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succumbamus.*

Tertullianus.

Alios suorum peccatorum admoneamus.

170. *Nomen putei vocauit calumniam*, si iniuriam tibi illatam, cum violentia tuis pastoribus ablata est aqua, patientissime tulisti, cur quasi vindictam à Palæstinis sumens, nomen infame puteo in quo iurgati sunt imposuisti: cum enim appellatione calumniæ siue iniustitiæ vocasti: non vt vindictam sumeret, hoc ei nomen indidit, sed vt aduersarii eius, per hæc peccati sui admonerentur, & postea eorum à similibus abstinerent.

Virtutem iustorum omnibus sæculis vult Deus fieri manifestam.

171. *Nomen putei vocauit calumniam*, ne memoria iniustitiæ Palæstinorum futuris sæculis derelinquatur, eorumque malitia ante omnium oculos ponatur, ne igitur tale nomen imponas puteo: non sine motione diuina hæc ab eo puteo imposita est appellatio, sed vt mansuetudo illius in contemnendis Palæstinorum iniuriis, omnibus manifesta fieret: fauet D. Chryst. *nomen loci faciebat vt quisque rogaret quare nam sic diceretur, addisceret huius viri virtutem.*

S. Chrysost.

V A R I E T A S   L E C T I O N V M   V E R S V S   XXI.

V*VLG* Foderunt autem & alium, & pro illo quoque rixati sunt, appellauitque eum inimicitias.

Sep. Profectus autem inde fodit alium puteum, & altercati sunt etiam de illo, & cognominauit nomen eius inimicitia.

Cald. Vocauit nomen eius aduersarium.

Pag. Vocauit nomen eius sithnah.

Oleast. Vocauit nomen eius declinationem, aut diuerticulum.

Arias. Vocauit nomen eius odium.

C O N C O R D I A.

VErbum שטן secundùm meliorem partem tam nostrorum quàm Hebræorum, significat odio habere aut aduersari, vnde nomen satan interpretatur aduersarius & sitnah, inimicitia, odium, Oleaster autē existimat significare diuertere, quia Satah & sut quæ videntur esse eiusdem significationis, denotant declinare, vnde vertendum putat & vocauit nomen eius Sitnah, id est declinationem aut diuerticulum, quia diuertebant puteum à Domino suo ad se.

EXPOSITIO.

F*Oderunt autem & alium*, aquam enim illam ſcaturientem & viuam quam adinuenerant, coacti ſunt deſerere, & alium puteum de nouo fodere, *pro illo quoque rixati ſunt*, non enim potuerunt ſuſtinere quod paſtores Iſaac ſua in hoc puteo adaquarent pecora, *appellauitque nomen eius inimicitias*, inſcenſi enim & aduerſarii fuit animi argumentum toties puteos à ſe effoſſos extorquere violentia.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Virtus iuſtorum ex aliorum vitiis magis eluceſcit.

172. F*Oderunt alium puteum pro quo rixati ſunt*, prorſus admiranda eſt Iſaaci virtus, qui eorum impietati non contradicens, ſuo iuri ceſſit, puteos à ſe defoſſos deſerens: ſed quomodo tantis circumſtantibus impiis & quaſi iuſtum opprimere volentibus, tanta præditus virtute reperitur Iſaac? vt ex oppoſito impietatis Palæſtinorum, magis Patriarchæ virtus eluceſceret, quod à ſimili in Chriſto Domino obſeruauit doctiſſimus Simon à Caſſia lib. 8. de vitiis cap. 4. *alta mente, inquit, atque conſideratione tractandum eſt, quod impiorum dus Chriſti naſcentis ex aduerſo deteſtabiles exorti ſunt, imo eorum mala nefanda crudeliter patuerunt, vt vita Ieſu Chriſti ex contrariis coclareſcat, & ſua claritas monſtraret in tenebris peccatores.*

Simon à Caſſia,

Tanta eſt inuidorum malitia, vt iuſtos boni alieni raptores eſſe exiſtiment.

173. *Foderunt & alium puteum pro quo etiam rixati ſunt*, ſine dubio dicentes noſtra eſt aqua, ſi virtus Iſaaci vobis non eſt incognita, ſi Dei benedictionem accepiſſe vobis eſt compertum, cur eum latrocinii occulte arguitis, dicentes veſtram eſſe aquam quam ille iuſto titulo reperit & poſſidet? quia tanta eſt inuidorum malitia, vt iuſtos boni alieni raptores eſſe exiſtiment: fauet citatus auctor eodem loco, *æqualem non patiuntur, inquit, ſuperiorem inſidiis cōprimunt, quemlibet ſtudioſum arte, moribus elegantem à natura dotatum eorum quæ poſſidet ſuſpicantur raptorem, & aliorum bonitatem ſuum æſtimant detrimentum.*

Cit, Simon.

Inuidia nulli parcit.

174. *Foderunt & alium puteum pro quo etiam rixati ſunt*, ſcilicet inuidia tabeſcentes ex bono ſucceſſu famulorum Iſaac, qui aquam inuenerant, ſed cur in æquales liuore tabeſcitis? pares enim ſunt vobis in conditione paſtores Iſaac, dices quia figulus figulo inuidet, paſtor paſtori, ſed Iſaac minime paſtor eſt, imo longe vobis ſuperior, erga eum igitur liuorem veſtrum deponite, imo aduerſus Dominum & eius famulos inuidiam retinent: quia nulli parcit inuidus, *cum ſuperbia ſit*, inquit D. Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad litt. c. 14. *amor excellentiæ propriæ, inuidia vero ſit odium fœlicitatis alienæ, quid inde naſcatur ſatis in promptu eſt, amando enim quiſque excellentiam ſuam vel paribus inuidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus ne ſibi coæquentur, vel ſuperioribus quod eis non coæquentur.*

S. Auguſtinus.

Inuidus à malitia ſua ceſſare neſcit.

175. *Foderunt & alium puteum pro quo etiam rixati ſunt*, nonne vobis ſufficit, tot puteos obturaſſe? aquam ſcaturientem eis ademiſſe? cur denuo alium vi & oppreſſione puteum extorquetis? animo recogitate Dei benedictionem erga Iſaac, qui tot à vobis inuentis impedimentis, imo tot in eum ſtructis inſidiis, ne aquam adinueniat, ſemper tamen de nouo reperit: amore igitur eum & non liuore proſequimini, ceſſet inuidia veſtra, à zelo iam inueterato abſtinete. neſciunt abſtinere, inuidia enim ſemper maiores agit radices, nam vt optime S. Chryſ. hom. 53. ad pop. Antioch. *tam inſanabilis eſt iſte morbus, vt & innumeris medicaminibus ſuperpoſitis propriā ſcaturiat tabem.*

S. Chryſ.

Manſuetudo iuſtorum admiratione digna.

176. *Foderunt & alium puteum pro quo etiam rixati ſunt*, quid agis Iſaac? vbinam fortitudo & potentia tua, vt viles homines tibi aduerſarios, incaſſumque laborem tuum malitia reddentes, conteras? potuiſti enim te continere cum primos ſolum obturauere puteos, ſilentio tuum dolorem premere debuiſti, cùm ſecundos obſtruxere, ſed cur ſiles, cùm non ſolùm ſecundò, ſed etiam tertiò te nimis laceſſunt iniuriis? quod tuum eſt ſurripiunt, & cum paſtoribus tuis rixantur, ſi tibi illatam condonas iniuriam, famulis tuis factam ne diſſimules. imo omnia patienter tolerat, eligens ſuæ potius iacturam vtilitatis facere, quàm & verbis ſolum cum eis contendere, vt manſuetudinem iuſti omni admiratione ſuperiorem attente contemplentur, *animaduertite*, inquit Chryſ. *quomodo hic etiam auget virtutem ſuam per omnia ſuam declarans manſuetudinem, quotidie talia ferens ab his qui regionem incolebant, non grauatus tulit, non abiecto fuit animo, non cogitauit ſecum neque dixit, ecce ne fontis quidem vt ſim dominus mihi datur, an non ſuperna gratia deſtitutus ſum? an non Dominus abiecta cura mei oblitus eſt? nihil talium vel dixit vel cogitauit, ſed magna cum manſuetudine tolerauit.*

S. Chryſ.

Inuidus in maiora ſemper labitur crimina.

177. *Appellauitque eum inimicitias*, ſi alteri quem illi violentia extorſerant, ſolum nomen calumniæ indidit, cur hunc appellat inimicitias? nam eadem ratio in vtroque videtur eſſe, vt eandem ſortiatur appellationem, aduerte ex Abulenſi maius delictum eſſe inimicitiam calumnia, magiſque Iſaac oſtendiſſe in hoc ſurripiendo puteo, quàm alio. merito igitur nomen ſignificans aliquid peruerſius huic ſecundo impoſuit, vt innueret inuidum in maiora ſemper labi crimina: fauet cit. Abul. *inimicitiæ maius malum ſunt quàm calumnia, & quia videbat Iſaac odium & malitiam Gerarītarum, continua ſuſcipere incrementa, ideo impoſuit nomen à maiori malo vocans puteum inimicitias.*

Abulenſ.

Iniuriæ & inimicitiæ nulla insit nobis recordatio.

179. *Appellauitque eum nempe puteum inimicitias*, vel potius aquæ sibi sublatæ hoc nomen inimicitiarum indidit, cur eandem memoriam in ære aut marmore non reliquit incisam, vt sic perpetua apud futura sæcula vigeret iniuria tibi ab eis illata, non autem in aqua, in qua nihil inscribi permanereque potest? sine dubio vt ostenderet nullam nobis inesse debere iniuriarum & inimicitiarum recordationem, scribendasque in aqua iniurias, qua nihil magis delebile, citiusque solitum euanescere.

Inimicitiæ tanquam ab homine alienæ.

180. *Appellauitque eum inimicitias*, cur potius Geraritis nomen inimicorum non imposuit, quàm puteo rationis incapaci, & qui nullam ei intulerat iniuriam? hi enim cum famulis tuis rixati sunt, non puteus, hi tanquam infidi & impii, aquam vi rapuerũt, non autem aqua se subtraxit, qua de causa igitur illa, cum sit innocens, nomen inimicitiarum sortietur non autem noxii & iniqui Geraritæ? nomen inimicorum Geraritis Isaac non imposuit, quia hoc ita alienum esse ab homine existimat vt in eis esse aliquod genus odii non suspicetur, nam vt optime D. Basil. serm. de Institutione Monachi, *si vt Ioannes ait 1.4. Deus charitas est, sine dubio est necesse diabolum esse odium*, cùm autem crederet homines esse Geraritas, non dæmones, in eis aliquod esse odium non est arbitratus, ideoque suos non dixit inimicos.

S. Basilius.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXII.

VVLG. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt, itaque vocauit nomen eius latitudo, dicens, nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.

Cald. Non sunt rixati super eum, & vocauit nomen eius Rooboth, quoniam nunc dilatabit nos Dominus, & crescere nos faciet super terram, *sic fere Pag.*

Oleaster. Vocauit nomen eius dilatationes, & fructificauimus in terra, *sic etiam Caiet.*

CONCORDIA.

רחבות Rebohot dilatationes seu latitudines significat, פרה Phara crescere & fructificare denotat.

EXPOSITIO.

PRofectus inde, scilicet ad locum satis distantem à præcedenti, in quo non possent dicere pastores Geraræ, iste est fundus noster, *fodit alium puteum pro quo non contenderunt*, quia ad hunc locum in quo effossus fuit puteus, non accedebant prædicti pastores, ideo pro eo rixas non mouerunt, *vocauit nomen eius latitudo*, vel propter maximã aquæ abundãtiam, quam in hoc puteo repererat, vel quod latius cum familia sua hic viueret, vnde subdit *nunc dilatauit nos Dominus modo prædicto & fecit cresc. re super terram*, greges enim ouium nec non armenta pecorum, nunc nullis impedimentis obstantibus multiplicabuntur, si autem non tibi arrideat ratio data propter quam pastores Geraræ non contenderunt, pro hoc puteo sicut pro duobus præcedentibus, hanc accipe, nẽpè quod duo illi putei priores parum aquæ continebãt, vnde cũ omnibus non sufficerẽt, necesse erat vt quilibet certatim aquam præoccupare niteretur, tertius vero cum largioribus aquis scaturiret abundantem omnibus hauriendi copiã præbebat, quin opus esset, vt de haurienda aqua certaretur, vnde puteo huic tertio latitudinis nomen indidit, ac si hac appellatione abundantiam huius putei significaret, & discrimen statueret inter illum, & duos priores, qui aquæ penuria laborarent.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Gratus animus in benefactore suo id solum attendit quo beneficium consequitur.

180. FOdit alium puteum pro quo non contenderunt, & vocauit nomen eius latitudo, dicens nunc dilatauit nos Dominus, nonne antea tecum rixati sunt pastores Geraræ? nonne puteos tibi violentia ademerunt? quomodo ergo tot excitatas iniurias, tot opprobria tolerata, non recenses, sed solum beneficium à Deo acceptum, nempe quod te tuamque substantiam dilatauerit? quia gratus animus non meminisse iurgia, non meminisse pressuras debet, sed solum beneficium, Isaac vbi liberè puteum accipit, hunc solũ respicit, illi d le solũ putat esse quod ad gratiã acceptã pertinet, ad omnia alia cæcutiens, quod obseruat D. Chrys. ho. 52. *vidisti piam mentẽ, quomodo non facta mentione tam atrocium difficultatum quæ obstiterant, bonorum tantum meminit, & pro illis gratiam Deo offert*, hoc est vere piæ mentis indicium quod nihil aliud de benefactore suo velit inquirere, velit scire, velit meminisse, nisi illud quod peperit beneficium, quod sibi extitit causa salutis.

S. Chrysost.

Patientiæ magna est victoria.

181. *Fodit alium puteum pro quo non contenderunt*, si toties cum eo rixati sunt pro puteis effossis, quomodo nunc silent, & ab eis victoriam adeptus est Isaac, vt liberè hunc possideret puteum? nonne patientissimum se exhibuit, cum sublati sunt putei quos foderet? non mirum igitur si nunc tanquam trophæum assecutus possidet pacifice quod repererat, quia patientiæ non denegatur victoria, nec corona, vnde Lippom. *quia bis patientia vicit, ideo tertia vice liberatur.*

Lippom.

Omnia bona Deo tribuenda.

182. *Fodit alium puteum & vocauit, nomẽ eius latitu-*

do, dicens nunc dilatauit vos Dominus, nescio qua de causa dicis Deum te dilatasse, si enim teste Moyse, hunc puteum fodisti, in quo aquam abundantissime reperisti, deberes dicere ego me dilataui: merito hanc dilatationem non sibi nec famulorum labori, sed Deo tribuit, quia eum omnium bonorum semper auctorem fateri debemus, *hic quia nulla fuerunt*, inquit D. Chrys. *obstacula, sed absque omni pauore, laboribus suis frui licuit, totum tribuit Deo*: sed clarius Oleaster, *omnem bonorum successum iusti in Deum reducere solent, malum vero in peccata sua aut suorum.*

S. Chrysost.

Oleaster.

Virtus tunc apparet, quanto sunt difficiliora aggredienda.

185. *Fodit alium puteum*, nescio cur hunc in effodiendis puteis laborem impendis, cùm toties irritum senseris: abstinerem à nouo effodiendo, ne inutiliter laborarem, imo iterum conatur aquam scaturientem inuenire, quamuis difficultates non exiguæ appareant, quia virtus tunc maxime elucescit, quando difficiliora sunt tentanda: sic D. Bernardus teste Hugon Cardin. *non est virtus, nisi crescat animus in ipsa difficultate.*

S. Bernardus.

Charitas latissima.

186. *Fodit alium puteum & vocauit nomen eius latitudo*, hoc puteo designari charitatem autumat S. Amb. quia vbi pax, vbi nulla rixa, iurgium aut contentio, ibi charitas: pro hoc autem puteo non contenderunt aut rixati sunt pastores Geraræ: sed si charitas hoc puteo denotatur, cur nomen latitudinis ei imponit? conuenientissime quidem, quia in latitudine omnes virtutes superat charitas: fauet citatus auct. lib. de Isaac & anima c. 4. *si haurire velis affluentiam charitatis quæ maior & vberior est quàm fides & spes, tunc tibi fons est, exuberat enim charitas vt & haurire eam cominus & rigare eius affluentia hortum tuum possis spiritalibus fructibus redundantem, & quia ipse puteus latitudinis est, qui charitatem ideo dixit, quia vbi charitas est, ibi impetus magnus descendit de Libano.*

S. Ambrosius.

Terrenæ voluptatis puteus angustus, diuinæ latus & perennis.

187. *Fodit alium puteum & vocauit nomen eius latitudo*, duos alios iam antea serui Isaac foderant, quomodo nomen eis latitudinis non imposuit, cùm in eis, sicut in hoc tertio aquam repererint, nec minus lati, quam iste tertius fuerint? eandem ergo sortiri deberent appellationem; aduerte hunc tertium diuinæ voluptatis significationem sibi vendicare, & priores humanarum tantum deliciarum indices existere, idque ex eo colligo, quod priores duo non ab Isaac, sed ab eius pastoribus aperti sunt, vt patet ex ipso textu, & optime D. Eucher. lib. 2. in Genes. aduertit, sicut igitur in illis duobus prioribus tenues erant & exiles aquarum venæ, quæ proinde certandi occasiones haurire cupientibus, præbebant: sic in hoc tertio aqua redundabat affluentior, quæ liberalem omnibus potum ministrabat: quo posito: iure merito duo priores putei nomen latitudinis non fuere sortiti, sed solùm hic tertius, quia humanarum deliciarum fontes angusti sunt, diuinarum viui & latissimi: sic Gillebertus in alleg. Tilm. *sæculi oblectamenta vniuersaliter salsam præferunt refrigerii speciem, & similem concupiscentiam, sedant ad horam, sed quasi sub ipso ortu statim arescunt, nec fluunt vena perenni, has aquas assiduè deuita, sectare verò puteos cælestium deliciarum, puteos aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.*

Gillebert.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIII.

VVLG. Ascendit autem ex illo loco in Bersabee.

Sep. Ascendit autem inde ad puteum iuramenti.

Oleaster. Ascendit in puteum septem.

CONCORDIA.

VOx Bersabee composita est ex Ber quod significat puteum, & ex Sabe quod significare potest tam septem quàm iuramentum, quare Bersabee interpretatur, & puteus septem & puteus iuramenti, & fortasse ad vtrumque significandum nomen Bersabee impositum est, quod & septem agnas iuxta hunc puteum statuerit, & quod Abraham & Abimelech iuxta eundem & fœdus iureiurando percusserant.

EXPOSITIO.

ASc*endit autem ex illo loco in Bersabee*, ascendisse in Bersabee Isaac dicitur, quia illa ciuitas, iuxta quam est puteus eiusdem nominis, erat altiori situ quàm vrbs Geraræ, & terra Palæstinorum, à qua ascendebat, ascendit autem quia tempus sterilitatis iam elapsum erat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Pax omnibus modis conseruanda.

188. A*Scendit inde in Bersabee*, si foderat puteum, in quo aquam abundantissimam repererat, cuius gratia non contenderunt Palæstini, cur aliò progrederis? optatis fruere, alibi forte aquam pecoribus tuis necessariam non reperies. aduerte quod licet tunc pastores Geraræ non contenderint pro puteo, timuit tamen ne pro eo rixarentur: prudenter igitur inde secessit ascendens ciuitatem Bersabee, quia omni qua possumus diligentia, pax est conseruanda, ita Lippom. *quod suum*

Lippom.

sumserat vir sanctus exequitur, & ad puteum assequendum a. biratum opportunum secedere in Bersabee.

Mansuetudinis praemium Dei visio.

189. *Ascendit inde Bersabee*, ilico subiungit textus, apparuit ei Dominus in illa nocte, quomodo ilico vt a Geraritis discedit, visionem Dei accipit? qua de causa Deus eum tanto cumulat beneficio, vt eum visione sua fauere dignetur? reuoca in memoriam mansuetissime cum rege Abimelech, & cum eius famulis se gessisse, cum eius imperio & eorum iniustitiae cesserit: iure merito igitur nunc Deus ei apparet, quia mansuetudinis praemium est Dei visio, quod annotat D. Chrysost. dicens, *quoniam condignum sua virtutis specimen exhibuit, & apud Gerarenos, & cum rex eum expelleret, & cum pastores eum auferrent, misericors Dominus velati confirmaturus eius alacritatem, iam ob insignem illam mansuetudinem eum charum habens postquam ascendit ad puteum iuramenti, visus est ei Dominus.*

S. Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXIIII.

VVLG. Apparuit Dominus ei in ipsa nocte, dicens ego sum Deus Abraham, patris tui, noli timere, quia ego tecum sum, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum, propter seruum meum Abraham.

Sep. Propter Abraham patrem tuum.

Cald. Ne timeas, quia in adiutorium tuum erit verbum meum, & multiplicabo filios tuos propter Abraham seruum meum.

Pag. Et visus est ei Dominus nocte ipsa.

EXPOSITIO.

Apparuit Dominus ei, haec est secunda apparitio Dei facta huic Patriarchae, nec aliam ei contigisse legimus, *in ipsa nocte*, qua scilicet in ciuitatem Bersabee peruenit, sed an vigilanti vel dormienti, an per Angelum vel per seipsum immediate apparuerit, sub iudice lis est, *ego sum Abraham patris tui*, quasi diceret ego sum, qui tot beneficiis patrem tuum cumulaui, *noli timere*, sensus est si patrem tuum toties in angustiis constitutum eripui, tibi idem auxilium praestabo, *ego tecum sum*, & ideo inuictus eris, & te infestantibus potentior, *benedicam tibi*, in temporalibus & spiritualibus, *& multiplicabo semen tuum*, multi enim de Esau, multi de Iacob prodiere, *propter seruum meum Abraham*, intuitu meritorum patris tui.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Rationalis animae immortalitas comprobatur.

190. *Ego sum Deus Abraham patris tui*, si Abraham è viuis excessit, & mortuorum non sis Deus, quomodo te Deum Abrahae nominas? non equidem mortuorum Deus est, & tamen Abrahae qui defunctus est, se Deum dicit, vt intelligeremus ipsum Abraham secundum animam viuere & immortalem esse, obseruatio est Lipp. *ex his verbis vt ait Saluator, resurrectio mortuorum & rationalis animae immortalitas probatur, Deus namque eorum qui sunt aut viuunt Deus est, non mortuorum, ergo Abraham corpore extincto secundum animam fuit & vixit.*

Lippom.

Iustus apud Deum tanti aestimatur sicut alii innumeri.

191. *Apparuit ei &c. ego sum Deus Abraham*, nonne vt illustriori titulo gauderes, conuenientius diceres ego sum Deus coeli & terrae, creaturarum coelestium, & terrestrium, Angelorum, & hominum? cur ergo solum Abraham nominas, cum te Deum aliorum? solum Patriarcham nominat illiusque Deum & non aliorum se profitetur, quia iustus tanti apud Deum habetur ac alii innumeri: fauet S. Chrys. *ita eum mihi feci proprium, vt apud me reputetur tanti, quanti alii omnes.*

S. Chrysost.

Tantus est Dei erga hominem amor, vt quasi iacturam sui attributi nihili videatur facere, vt ei beneuolentiam suam manifestet.

192. *Apparuit ei &c. ego sum Deus Abraham*, si omnipotentiae tuae cum te omnium creatorem declaras, manifestum haberemus argumentum, cur illud supprimis, te solius hominis Deum esse nominans? tuam enim quasi immensitatem diminuis, tuumque restringis dominium? ne mireris, tantus est enim Dei amor in hominem, vt quasi attributorum suorū iacturam nihili facere videatur dummodo in eū suā declaret beneuolentiam: fauet ex parte cit. Chrys. ho. 52. *Dominus orbis conditor vnius hominis Deum se dicens, non concludit & abreuiat cum Patriarchae appellatione suum dominium sed magnam in illum suam beneuolentiam monstrat.*

Cit. Chrysost.

Deus afflictos solatio non destituit.

193. *Apparuit ei Deus dicens ego sum Deus Patris tui*, cur cum Abimelech eiicitur? cur cum ab eius pastoribus iniuriis lacessitur? cum expertus est suum in effodiendis puteis laborem incassum, & frustraneum, tunc Deus apparet ei? aduerte aliqua commotum afflictione Isaac, ex inurbanitate regis, nec non famulorum eius impudentia: merito igitur tunc Deus sua visione dignatur, quia afflictos suo non destituit solatio, *considera*, inquit cit. Chrys. *Dei sollicitudinem, vt illum reficillet & fidentiorem faciat, apparet dicens ego sum Deus Abraham patris tui, qui patrem tuum glorificaui, & peregrinum ac aduenam illustriorem omnibus incolis feci.*

Cit. Chrysost.

Patientiae fructus, Dei visio.

194. *Apparuit ei Deus*, in Hebraeo est, & visus est ei Dominus, vnde nam tale beneficium ei cōtigit, vt Dei visione frueretur? eximia est enim Dei gratia in

hac mortali vita Deum intueri, à memoria nondum elapsum est impatientiæ non succubuisse, quamuis pluribus à pastoribus Geraræ lacessitus fuerit iniuriis, imo maximum præbuisse tolerantiæ specimen in ferendis eorum opprobriis: ne inquiras ergo vndenam tale beneficium, quale est Dei apparitio, acceperit? quia patientiæ fructus Dei visio est, *quapropter*, inquit Procop. *cum eius patientiam plurimum amaret Deus, ei apparet, & promittit terram, ne scilicet tristitia nimia excruciaretur, vt qui omnium iniuria vt peregrinus & aduena esset, opportunus & expositus.*

Procop.

Angelis commune est, iustos perplexos corroborare.

195. *Apparuit ei Dominus dicens noli timere, &c.* Lipponi. ait, apparitio ipsa per Angelum facta est, sed qua de causa Angelus ab omni sollicitudine & angore iubet esse securum? cur ab eo omnem timorem expellit, præcipue cùm à Geraritis regreditur? nota tunc non in leui tentatione constitutum: merito igitur Angelus ei apparet, nam eis commune est iustos perplexos corroborare, omnêque ab eis perturbationem adimere.

Imitanda sunt sanctorum exempla.

196. *Ego sum Deus Abraham patris tui*, cur nomen patris eius interposuit? nonne se Deum nominare potuisset, innominato Patriarcha Abraham? aduerte quid ait Chrys. *iustum ad æmulationem patris sui prouocauit monstrando similem illi virtutem*, quasi ei diceret, ne tibi mirum videatur, quod à rege sis expulsus: quod à pastoribus sis iniuria affectus, tulit & longe plura pater tuus pertulit: dicamus ergo Deum alloquentem Isaac, patrem merito eius nominasse, vt & patrem in virtutum amore imitari prouocaret, nam vt optime S. Greg. Niss. de vita Moyses *per nomina Patriarcharum non parum nobis ad virtutis ornamentum conferunt, præteritorum enim virorum qui optime vixerunt, exemplis vita nostra corroboratur.*

Greg. Niss.

Præsentia Dei aduersus quoslibet inuictos nos reddit.

197. *Ego sum Deus Abraham patris tui noli metuere*, quamuis sis Deus patris eius, hoc non obstabit, quin timore percellatur, nam omnium es Deus, nihilominus omnes timore corripiuntur, nec non quælibet formidant aduersa? tum etiam cur non metuet, cû homo sit peregrinus inter barbaros alienigenas ac toties infidos agens: mentem igitur eius non leues angere debent curæ & grauiora in dies metuentem solitudo excruciare, sed aduerte quid dicat Deus, ego tecum sum: merito igitur nihil metuere deberet, quamuis inter ferocissimas gentes degeret, quia Dei præsẽtia aduersus quoslibet etiam hostes infensissimos nos reddit inuictos, fauet Chrys. *ne timeas ne te istud perturbet & mirum videatur quod ab Abimelech sis expulsus, quod à pastoribus sis iniuria affectus, ne te hoc terreat, ego enim tecum sum ideo & inuictus eris & infestantibus potentior & inuadentibus potior.*

S. Chrysost.

Deus quasi iudex iustus reddit mercedem.

198. *Ego sum Deus Abraham patris tui*, iuxta Hebræum habetur, ego Elohe Abraham patris tui, cur te iudicem Abrahæ nominas? cur potius fontem essendi illius nomine Iehoua te non asseris? aduerte quod ibi est sermo de præmio quod intuitu meritorum Abrahæ dandum erat Isaaco, ait enim Deus, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abrahamum: quo posito recte iudicis nomen hîc assumit, quia vt talis, reddit mercedem: obseruatio est Caiet. *summum iudicem Abrahæ hoc est mercedem reddentem debitam Abrahæ, nominat seipse fons essendi, confidas Isaac in eodem Deo serua uero promissa Abrahæ.*

Card. Caiet.

Benedictio Dei non quælibet bona, sed etiam spiritualia comprehendit.

199. *Benedicam tibi*, in quo benedices? an in diuitiarum abundantia? an in filiorum multitudine? an in prosperitate mundana? cur vt Isaac sciat benedictionem sibi futuram ei non aperis in quo est benedicendus? non exprimit, sed solum se ei benedicturũ pollicetur, quia Dei benedictio ita fœcunda est, vt non quælibet bona, sed omnia, & præcipue spiritualia comprehendit: sic Abul. *benedicam te, id est in persona tua augebo in gratia & honore, & bonis temporalibus.*

Abulens.

Iusti meritorum intuitu aliis plurima largitur bona.

200. *Benedicam tibi & multiplicabo semen tuum*, quænam tot bonorum quæ Isaac contingere debẽt, origo? cur Deus benedictionem ei largietur? cur posteros eius multiplicabit? ipsemet Deus satisfacit dicens, propter seruum meum Abraham, cur non ais propter te ô Isaac? vt agnosceremus ex iusti meritorum intuitu plura in alios bona conferri: *quanta pietatis est hoc* (inquit Lipp.) *vt propter merita vnius alteri misereatur & benedicat, fecit tamen hoc Deus præcipue ex propria sua bonitate*: & Oleaster, *omnia illi Abrahæ in uitu tribuit, vt videas quid valeat apud eum iustum esse, & quid valeat iustis suis.*

Lippom.

Oleaster.

Deus obedientiæ iusti plurimum defert.

201. *Benedicã tibi &c. propter seruum meum Abrahamum*, cum plurium ornamento virtutum illustris fuerit, cuiusnam intuitu te Isaaco benedicturum asseris? nam vel propter eximiam eius fidem, aut in peregrinos charitatem &c. cur non dicemus quod propter egregiam obedientiam eius tot bona Isaaco præstiterit? fauet Abulensis, *erant merita obedientiæ Abrahæ apud Deum potiora meritis totius seminis sui*, & D. Chrys. *multas illi debeo retributiones ob suam in me obedientiam, igitur propter illũ multiplicabo semẽ tuũ.*

Abulens.

Deus à nobis superbiendi occasionem amouet.

203. *Benedicam tibi &c. propter seruum meum Abraham*, cum merita Isaaci non fuere exigua, cur non ais ô Deus, quia fuisti mihi fidelis, benedictionem tibi impertiar? forte ne ei occasionem superbiendi præberet, & Isaac quamuis magna operans, humiliaretur, *magna enim*, inquit Bern. serm. 13. in cant. *& rara virtus est, vt magna licet operantem magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem.*

S. Bern.

Eximia dignitas est serui Dei nomine cohonestari.

204. *Benedicam tibi propter seruum meum Abraham*, cur non ait propter possessorem futurum in semine suo terræ promissionis, vel propter progenitorem verbi mei secundùm carnem? excellentissimus est enim ille vltimus titulus, cur ergo solum eum seruum suum appellat? quia nulla maior est dignitas quam serui Dei nomine cohonestari, *quid est*, inquit Orig. in c. 1. Ep. ad Rom. *esse seruum Christi? quid est esse seruum verbi Dei? sapientiæ, iustitiæ*

Orig.

... veritatis & omnium omnino virtutum quæ ... est & S. Theod. in eadem verba Episc. loquens de D. Paulo, *seruum Iesu Christi se vocat, quem omnes in credulì mortuum & crucifixum, & fabri filium appellabant, sed tamen eius seruitutem plusquam quoduis regnum amplectebatur, & pluris faciebat.*

Theod.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXV.

VVLG. Itaque ædificauit ibi altare, & inuocato nomine Domini, extendit tabernaculum, præcepitque seruis suis, vt foderent puteum.

Cald. Et ædificauit ibi altare, & orauit in nomine Domini.

EXPOSITIO.

ITaque ædificauit altare, scilicet gratiarum actionem agens pro beneficiis acceptis, *& inuocato nomine Domini,* Deum sibi semper propitium deprecans, *extendit tabernaculum suum*, vt ibi figeret sedem & domicilium, tabernaculum autẽ erat quoddam tentorium magnum, quod super ligna quædam imponebatur, cum sedem alicubi vellet habere, *præcepitque seruis suis vt foderent puteum*, aqua enim etiam in hoc loco necessaria erat, pro adaquandis pecoribus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Dei cultus & honor omnibus præferendus.

205. ÆDificauit altare inuocato nomine Domini, & extendit tabernaculum, qua de causa priùs ædificat altare Domino, quàm figat tabernaculum? priùs enim domicilium eligere deberet, & deinde constructo altari Dei nomen inuocare: rectè priùs altare construit, quàm tentorium disponat, & sedem eligat, quia Dei cultus omnibus aliis præferendus est, non dissentit Abul. *patet magna affectio Isaac ad Deum, quia primo ædificat altare Deo, quàm sibi extenderet habitaculum.*

Abulens.

Deo gratiarum actiones agendæ.

208. *Ædificauit altare inuocato nomine Domini*, cur antequam Dei promissa adimpleãtur, ei altare construit? expectet quousque se omnino liberum ab inuidia Geraritarum experiatur, tunc enim omnis expers formidinis, Deum liberius inuocabit, ilico acceptis solùm Dei promissis ei altare ædificat, quia pro omnibus gratiarum actiones sunt referendæ, *quid est ædificauit ei altare*, inquit Chryso. *gratiarum actiones illi obtulit Domino, quod tantam pro se gesserat sollicitudinem.*

S. Chrys.

Gratiæ non solùm verbo, sed & opere sunt agendæ.

207. *Ædificauit altare inuocato nomine Domini*, nonne vt gratiarum actiones ageret, sufficiebat nomen Dei inuocasse? ad quid igitur altare construit, & in eo offert victimas? quia non solùm verbis, sed & opere, cùm facultas adest, agendæ sunt gratiæ: ecce nedũ animo gratus est, sed & altare ædificat, offert sacrificium, & voce inuocat nomen Domini.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVI.

VVLG. Ad quem locum cùm venissent de Geraris Abimelech & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum.

Sep. Et Abimelech iuit ad eum de Geraris, & Hochozath pronubus eius, & Phicol princeps militiæ virtutis eius.

Cald. Abimelech abiit ad eum de Geraris comitatus amicis suis, & Phicol princepe exercitus illius, *fere pagu.*

Chrysost. Iuit Abimelech & præfectus Gynæcei.

Orig. Et gener eius.

CONCORDIA.

PLures vocem Ochozath sumunt non vt nomen proprium hominis, sed vt nomen significans collegium vel comitatum amicorum, vnde sic ait Hier. in Hebræo, legitur venisse Ochozath & collegium amicorum eius, vt non tam hominem significet, quam amicorum turbam, quæ regem illuc comitata sit, Lippomanus ait dictionem Hebraicam quæ in hoc loco est מרעהו merehu significare amicum eius, vt noster interpres habet, addita littera men dictioni rea, quæ amicum vel socium significat: septuaginta verterunt Abuzat pronubus eius, quæ lectio licet quoad verba nullã cum Hebraica non habeat, quoad verba affinitatem, quoad sensum vera est.

EXPOSITIO.

AD quem locum cum venissent, scilicet ad Bersabee Abimelech rex, & Ochozath amicus eius, nempe præcipuus, nam plures cum eo regem comitati sunt, & Phicol dux militum, non cohortis regiæ, nam diximus fuisse Ochozath, sed militiæ publicæ.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Dei præsentia nos omnibus Dei spectabiles efficit.

208. *Ad quem locum cùm venissent Abimelech & Ochozath*, nonne ille est Abimelech, qui dixerat Isaac recede à nobis? quomodo nunc ipsemet Abimelech hominem priuatum conuenit? nonne antea tanquam peregrinus & aduena eiicitur? quomodo nunc à rege tanquam excellentissimus salutatur? reuoca in memoriam quid Deus Isaac pollicitus fuerit, scilicet suam præsentiam, cum ait *ero tecum*, quid mirum igitur si ab ipsomet rege quæritur & salutatur, quia Dei præsentia viros antea contemptos, spectabiles efficit: *qui dixerat iusto*, inquit Chrysost. *ego tecum sum & benedicam te, ipse simul cum illustrauit, & omnibus fecit spectabilem, vide Abimelech illum qui abigere eum conatus est, dixit recede à nobis, nunc ad eum venientem.*

S. Chrysost.

Simus immemores iniuriarum.

209. *Ad quem cùm venissent Abimelech & Ochozath*, si præ nimio eorum liuore, recedere à Geraris fuisti coactus, si puteos quos non sine ingenti labore & magna tui vtilitate foderas, obturauerunt, an eos vel benigne vel elato suscipies animo? benigne, sed nonne non leuibus te affecere iniuriis? e-rumtamen benigna mente suscipiam, decet enim me iniuriarum immemorem esse: fauet Abul. *notatur in hoc mansuetudo Isaac, quia licet isti essent eius inimici, tamen habuit se ad eos benigne.*

Abulens.

Inimici iustos timere coguntur.

210. *Ad quem cum venissent Abimelech & Ochozath*, si rex constitutus essem, hominem priuatum, cui opprobrium intulissem, non conuenirem, arguens enim vilis animi, & timidi, quomodo ergo cùm sis Gerarum rex, & exulem à tua metropolitana ciuitate Isaacum eiecisti, nec non te contemnente, tui famuli non leui eum affecere iniuria, quomodo eum inqui conuenis? cur non præcipis vt ad te accedat? non tale præcipit, sed potius eum etiã humiliter cõuenit, quia inimicus sẽper iustos formidat: ita Oleaster, *coguntur inimici iustos timere & eis reconciliari.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVII.

VVLG. Locutus est eis Isaac, quid venistis ad me, hominem quem odistis, & expulistis à vobis?

Sep. Vt quid venistis ad me? vos autem odistis me & dimisistis me à vobis.

Pagnin. Et emisistis me ne cisem vobiscum.

EXPOSITIO.

Qvid venistis ad me? eorum mentem & occasionem sui accessus agnouerat, *hominem quem odistis*, scilicet ex inuidia, *& expulistis à vobis*, arbitrabaris enim, o rex, me vobis potentiorem esse, ideo a Geraris me eiecisti.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Maxima est iustorum mansuetudo.

211. Qvid *venistis ad me hominem quem odistis?* an ita immemor opprobrii accepti, vt regem cum suis non seuerè arguas si te potentissimum arbitratus est, cur non ais nunc potentiam meam experiens, & vindictam ab iniuriis mihi meisque illatis accipiam? nihil tale profert, sed benignè eos quamuis sibi aduersarios suscipit, vt quanta sit iustorum mansuetudo ponderemus, *vide obsecro*, inquit Chrys. *quanta mansuetudo iusti, videns eos à quibus fugatus fuerat, & qui tanto eum odio fuerant prosequuti, nunc eum suppliciter ad se venirent non superbiuit, contra eos, non elato fuit animo, sed memor eorum quæ à Domino fuerunt dicta, neque virtute Domini fretus insurrexit contra regem, sed iterum consuetam mansuetudinem præ se ferens cum maxima lenitate verborum dixit eis quid venistis ad me?*

S. Chrysost.

Ex inuidia odium.

212. *Quid venistis ad me hominem quem odistis?* vndenam colligis quod te odio prosequuti sunt? solum enim legimus quod inuidiæ zelo in te concitati sunt, puteosque à famulis tuis effossos obturauerunt, sufficit quod ei inuidissent, vt vere assereret odio exarsisse, quia vt optime Abul. *ex inuidia odium nascitur.*

Abulens.

Non ab hodierno die reges ex aulicis suis specialem sibi deligunt familiarem.

213. *Quid venistis ad me?* quos alloqueris Isaac? Abimelech aulici eius sunt amici, qua de causa vnus à textu sacro solus dicitur eius amicus? itane seuerus erga suos & pronus erga vnum, vt alii sint eius inimici, vnus amici titulum adeptus sit? non ideo hunc solum amicum regis nominat, quia alii sunt aduersarii, sed quia præ omnibus aliis hunc sibi rex Abimelech elegerat familiarem, vnde hunc textum explicans Dionys. Chartus. ait, *reges solent habere vnum specialem amicum, qui antonomasticè dicitur amicus regis.*

Dion. Cart.

Ex beneficiis à Deo acceptis ne simus insolentes.

214. *Quid venistis ad me?* si ab eis ita inhumaniter tractatus, ita læsus iniustè, ita vexatus, & ex alio capite diuinarum promissionum fiducia, Deique præsidio & virtute adiutus, cur aduersus eos non insurgis debitas suæ inuidiæ pœnas exigens? merito nec illorum humilitate, nec metu, nec ex beneficio singulari à Deo

à Deo acceptō factus est arrogantior, quia ex gratiis à Deo nobis collatis insolescere non debemus.

Principis mores sequuntur subditi.

215. *Quid venistis ad me hominem quem odistis?* si solus rex tibi præcepit, vt à Geraris discederes, & pastores Geraræ ex liuore puteos quos effoderas obstruxerunt, quomodo ais etiam ipsos regis amicos, & militiæ ducem te odio prosequi? nonne rex Abimelech ex odio in Isaacum præcepit, vt à sua ciuitate discederet? ne mireris igitur aliis omnibus dixisse Isaacum, *vos me odistis*, quia principis mores sequuntur subditi, vt ait Iesus filius Sirach. c. 10. Eccles. *& qualis est rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea*, quæ verba Iansenius exponens ait, *quia principis exemplum ad bene maleue viuendum magnam habet, primum in ministris eius, deinde in reliquis ciuibus vim & authoritatem.*

Iansenius.

Non magnanimi, sed animi abiecti est adulari.

216. *Quid venistis ad me hominem quem odistis?* licet dixerimus benignitatis maximæ specimen præbuisse, in his verbis, nihilominus aliquid aculeorum inesse haud potest negari, quod equidem miror, nam cum Isaac regem alloqueretur, vt moris est, eum laudibus extollere potius deberet, quàm arguere: ne mireris, animi enim abiecti est & non magnanimi, reges adulationibus prosequi, vnde sic commēdat Isaacum Procop. *non vanas Isaac regi admiscet laudes, non enim adulatur vir prudens, verùm huiusmodi illecebras detestatur.*

Procop.

Principis infidelis & barbari est non candidè tractare.

217. *Quid venistis ad me?* quorsum illæ comitatus & apparatus regius? & quid ô rex molitris? cur enim priuatum hominem conuenis? an solum cum eo fœderis ineundi gratia? audiamus cit. Procop. *Abimelech cum suo comitatu egreditur ad Isaacum, magis speculandi animo id facit quàm gratia pangendi fœderis, bello scilicet pacique paratus, bellosi Isaacum impotentiorem cerneret*, sed cur bello paratus, si sibi viribus imparem reperisset? quia principis infidelis & barbari est, non candidè sed dolosè res suas agere.

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXVIII.

VVLG. Qui responderunt, vidimus tecum esse Dominum, & idcirco nos diximus, sit iuramentum inter nos & ineamus fœdus.

Sep. At illi dixerunt videntes, quia fuit Dominus tecum, & diximus fiat execratio inter nos, & inter te, disponens tecum testamentum.

Cald. Videndo vidimus quoniam erat verbum Domini in adiutorium tuum, & diximus confirmetur nunc iuramentum, quod erat inter patres nostros & nos & te, & ineamus pactum tecum.

Pag. percutiemus fœdus tecum.

CONCORDIA.

PLura sunt verba in Hebræo vt iteratio *inter vos, inter nos*, quæ consulto omisit vulgatus interpres, אלה licet iuramentum significet, tamen non impropriè execrationem denotat, quod intelligendum est, si iuramentum quis violauerit.

EXPOSITIO.

VIdimus, subintellige iuxta Hebræum videndo, quasi dicat videndo vidimus, id est cito percepimus, est linguæ idiotismus, *tecum esse dominum*, hoc loco, idem est quod Deum tibi fauere ex cunctis enim prosperis quæ ei acciderant, & subita bonorum multiplicatione id colligebant, *idcirco nos diximus*, id est inter nos consilium fecimus, vt veniremus ad te, *sit iuramentum*, ordo non seruatur in verbis, prius enim fœdus oportet inire quàm iuramento illud confirmare tenebantur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Silens patientia in iniuriis Deum habet defensorem.

218. V*Idimus tecum esse Dominum & idcirco diximus, fœdus ineamus*, vnde quæso vidisti o rex Deum esse cum Isaac, vt cum primoribus tuis eum conuenias, & de fœdere pacis tecum ineundo solicites? aduerte quod Abimelech sanctissimū Patriarchā Isaac suo regno abire iussit, & alieno solo exulare quód patienter tulit Isaac: ne inquiramus igitur vnde rex Deum esse cum Isaac colligit? quia vidit eum in iniuriis patientem, qui enim ab iniuriis non se defendit, Deum certissime habet defensorem, vnde D. Chrysost. [illegible] *vide quantum mansuetudinis robur, qui pridem abigerant, nunc veniunt ad peregrinum, & non solum satisfaciunt & excusant se, sed & peccatorum veniam petunt & prædicant iustum*, vbi totum hunc euentum refert ad mansuetudinem, qua Isaac illatam sibi iniuriam sustinebat: ex eo enim quod Geraritæ patientem Isaac recognoscebant, Deum illi proprium adesse non dubitabant.

S. Chrysost.

Mala conscientia cruciat impios.

219. *Vidimus tecum esse Dominum & idcirco diximus, ineamus fœdus*, Isaaci deberet hæc esse petitio & obsecratio, non enim solent reges ab inferioribus petere, vt secum fœdus ineant, pacemque stabiliant, sed è contra, quomodo igitur rex Abimelech ab homine priuato & peregrino hoc postulat? quia eum conscientia cruciabat, eo quod iniustè virū sanctū opprobriis affecisset, timeretque ne Deus

vindictam huius sceleris sumere, *vide*, inquit Chrysost. *quomodo impellente conscientia semetipsos reprehendere festinant, cum nullus aliàs cogat vel facta obiciat, nam nisi iniustitiam fecissetis, quare à iusto petitis vt componat? fœdus vobiscum, sed ita se habet iniustitia quotidie conscientiam mordet, & silente eo qui offensus est pœnam & rationem exigi putant, qui iniustitiam sunt operati, & quotidie anguntur, & quasi sibimetipsis præscribunt peccatorum suorum exquirit rationem id quod & illis euenit.*

Principes suorum salutem maximè curent.

220. *Vidimus tecum dominum & idcirco diximus ineamus fœdus*, quid formidas, ita vt ab homine priuato fœdus amicitiæ postules? aduerte posteris suis timuisse regem, cum enim videret Isaacum in dies ditiorem & potentiorem effici, metuit ne memor opprobrii accepti contra suos bellum moueret, prudenter igitur ipsemet rex ab Isaac vt fœdus secum iniret postulat, quia principes, de suorum salute maxime debent esse solliciti: sic Lipp. *Abimelech inquit iniuriis tractando Isaac, & ob populi gratiam expellendo, quem cum tot dies crescere videret benedictum à Domino, nonnihil veritus Deum & homines posteris quoque suis prospiciens, iunctis sibi regni primoribus renouare fœdus quærit, quod pro insigni modestia Isaac non abnuit.*

Ita iusti à Deo adiuuantur, vt sensibiliter ab infidelibus id percipiatur.

221. *Vidimus tecum Dominum*, si Deus à nobis in hac vita mortali inuisibilis est, quomodo asserit Abimelech cum suis vidimus tecum esse Dominū? quia sensibiliter percepit Deum singulari auxilio Isaacum fouisse, & in maximis bonis citissime multiplicasse: fauet Abul. *experti sumus inquit sensibiliter quia Deus erat tecum, quia tantum multiplicabaris & tam subito, quod nullus homo prudentia & industria humana tantum potuisset tam subito multiplicari, necessario coniiciebatur quod ibi esset diuina prouidentia supernaturaliter operans.*

Maxima est potentia virtutis.

222. *Vidimus tecum esse Dominum & ideo diximus ineamus fœdus*, nonne Isaacum à ciuitate tua eiecisti? nonne tui eum sunt persequuti famuli? nonne à Geraris abire coegisti? cur ergo supplex eum conuenire cogeris? quia tanta est virtutis Patriarchæ potentia, vt regem compellat eum adire? sic D. Chrysost. *vide quanta vi tutis potentia.*

Diuinum est iniurias patienter tolerare.

223. *Vidimus tecum esse Dominum*, vnde vobis cōstitit Deum esse cum Isaaco, cum id reuelatione nō accepistis, nec forte alicuius hominis testimonio? sane id euidenter colligunt ex admirabili patientia, quam inter regis, aulicorum & pastorum iniurias & oppressiones exhibuit, quæ quidem virtus non humanum sed diuinum quid præ se fert, quo maxime signo Christus Dominus in passione inter iniurias, opprobria, plagasque patientissime sustinens silensque suam diuinitatem contestatam esse voluit, quod optime monet Iudæos Tertull. lib. de patientia c. 3. *hinc vel maxime Pharisæi Dominum agnoscere debuissent, patientiam huiusmodi nemo hominum perpetrauit.*

Mala conscientia etiam generosos deprimit.

224. *Sit iuramentum inter nos & ineamus fœdus*, hæc verba ex incredibili nascuntur metu, sed cum reges generosi debeant esse animi, quomodo rex Abimelech petit secum iniri fœdus, illudque iuramento firmari? nonne arguebat eum malefactorum conscientia? quid mirum igitur timuisse? mala enim conscientia etiam generosos deprimit & opprimit, *ô quantum securitatis habent*, exclamat, S. Prosper. lib. 2. de vita contemplatiua cap. 18. *qui sibi bene sunt conscii, & quantum perturbatos humilias perpetratio pudendæ peccati.*

Iustorum confœderatio quærenda est.

226. *Sit iuramentum inter nos & ineamus fœdus*, cur ita sollicite cum homine peregrino fœdus inire satagis? quid enim mali tibi à tuo regno alienus inferre potest? in Chananæa pacifice degit immemor iniuriæ acceptæ: nonne Isaac iustus erat? ne inquiramus igitur cur Abimelech cum suis pacem inire sollicitat, iustorum enim confœderatio totis viribus ambienda est, quod annotat Hugo Card. *bonorum confœderatio quærenda est non malorum, Deut. 7. cum gentibus non inibis fœdus nec misereberis earum, nec sociabis cum eis coniugia & vide 2. Paral. 20 reprehenditur Iosaphat, qui tamen bonus fuit de confœderatione cum rege Israel, quia inquit habuisti fœdus cum Ochozia percussit Dominus opera tua.*

Deo illustrante conuertimur.

227. *Sit iuramentum inter nos & ineamus fœdus*, quanta mutatio, mox hominem abire fecerunt, cum dixit rex, discede à nobis, eum sunt persequuti, cum puteos obstruxerunt, quomodo nunc inire volunt fœdus ne noceat? quomodo ita mutati à seipsis? non aliter id credo factum quàm Deo animos eorum conuertente & illustrante, nec enim aliter quàm diuino instinctu sic resipuerunt: fauet Chrys. *iustus index eorum mentem excitauit.*

Qui iuramentum violat dignus est maledictione.

228. *Sit iuramentum inter nos*, iuxta Oleastrum ex Hebræo, debemus legere sit execratio inter nos, iuramentum non est execratio, imo cum aliquibus circumstantiis licitum & meritorium, execratio autem abominatione digna videtur esse, quomodo igitur ait quod vbi habemus iuramentum, legendum esse execrationem? merito sic legendum esse censet, quia sensus verborum Abimelech, quod qui iuramentum pro fœdere seruando præstitit, violauerit, omni execratione & maledicto dignus erit: sic exponit S. August. quæst. 77. in Genes. *execratio hoc loco est iuratio quæ maledictis obstringit quæ accidunt ei qui peierauerit.*

Lippom. Abulens. S.Chrys. Tertull. S Prosper. Hugo.Car. Deut.7. 2.Parao. S Chrysost. S.August.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIX.

VVLG. Vt non faciat nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet, sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini.

Sep. Ne facias nobiscum malum, sicut non simus te abominati nos, & quemadmodum vsi sumus te bene, & dimisimus te cum pace, & nunc benedictus tu à Domino.

Cald.

Cald. Si feceris nobiscum malum, sicut non nocuimus tibi, & sicut fecimus tecum, tantummodo bonum, & dimisimus te in pace, tu nunc benedictus es Domini.

Pag. Si feceris nobiscum malum, quemadmodum non tetigimus te, & quemadmodum tecum fecimus dumtaxat bonum, & dimisimus te in pace.

Oleast. Emisimus te in integritate.

CONCORDIA.

Quamquam in his lectionibus aliqua sit varietas, tamen omnium idem est sensus, nam licet Septuaginta habeant non sumus te abominati, vbi habemus nihil tuorum attigimus, in idem concidunt, nam denotant quod licet eum eiecerint potius ex timore suæ potentiæ nimiæ contigit, quàm ex odio, tamen nullum tuis rebus damnum intulerunt שלום Schalom, multiformis & amplissimæ significationis apud Hebræos, & sic congruè vertit Oleaster in integritate.

EXPOSITIO.

VT *non facias nobis quidquam mali*, iuramento firmemus fœdus, quod simul percutiemus, scilicet quod nullum nobis malum inferes, nec per te immediatè nec per seruos tuos, *& non nihil tuorum attigimus*, licet te emisimus nihil quidquam ex bonis tuis detraximus, *nec fecimus quod te læderet*, si per hanc læsionem intelligant manus violentas, verum fatentur, si vero asserere volunt nullum damnum intulisse falsum est, nam ipsis conniuentibus pastores Gerariæ puteos Isaaco ademerant, *sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini*, rationem præbent cur Isaacum in pace dimiserunt, quia videlicet videbant eum à Deo protegi, ac benedici, ac proinde eum tangere non audebant.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mala conscientia agitati nesciunt quid proferunt.

229. NE *facias nobis quidquam mali*, non est cur cum Isaac fœdus ineatis, ea de causa vt vobis malum non inferat, nõne patientiam eius & mansuetudinem satis experti estis in tolerandis vestris iniuriis, cum vobis conniuentibus pastores vestri puteos eius obstruxerunt? cur igitur dicitis ne facias quidquam mali? non mirum eos ita loqui, quia qui mala conscientia aguntur, nesciunt quid proferant, *vide quomodo*, inquit Chrysostom. *pugnantia inter se præ mentis angore & turbatione loquuntur, ne feceris nobis malum quare sic timuistis iustum? viden es quod tantam præ se ferat mansuetudinem erga eos qui lacessebant, sed incorruptus iudex mentes eorum excitauit, propterea præ timore & formidine non attendunt quod diuersa & pugnantia loquuntur*, en fluctuantes & iactati impii vt nulquam consistant nec secum pacem habeant, sed anguntur & cruciantur.

S.Chryso

Impii nullo persequente suorum scelerum pœnam timent.

230. *Ne facias nobis quidquam mali*, cur à vobis pœnam exigi timetis? cùm sit patientissimus & mansuetissimus Isaac nullum vobis damnum inferet, nõ est ergo cur solliciti fœdus inire cum eo ambiatis: ideo fœdus inire, ne eis malum inferat, summopere exoptant, quia impii etiam nullo persequente, à suis sceleribus supplicium exigi maximè timent, *vides* inquit Chrysostom. *quomodo supernam pœnam timuerunt, sciuerunt enim quod licet ipsi propter humanitatem suam non vlciscerentur quæ fecerant, sed is qui tantam curam agebat repetiturus esset rationem eorum quæ in iustum facta sunt, atque propterea placare iustum & componi procurabant.*

Chrysost.

Omnis scientia humana licet aliquando diuinæ dissona, eam tandem tanquam superiorem agnoscit.

231. *Ne facias nobis quidquam mali*, & ideo fœdus cum eo inire postulant nec non reconciliari, si ei antea fuere aduersarii & dissidebant, quomodo nunc conuenire desiderant? obseruemus quot fuere qui ad Isaacum accessere, quidue denotant: nonne fuere tres Abimelech, Ochozat, & Phicol, qui secundum Orig. Hom. 14. in Genes. triplicem Philosophiam, nempe naturalem, moralem, & rationalem significant, Isaac autem scientiam vel legem diuinam? quid mirum igitur si Abimelech, Ochozat & Phicol antea Isaaco dissentientes, tandem cum conueniunt, & ab eo pacem postulant? quia per eos denotatur, quod omnis scientia humana licet aliquando diuinæ dissona, tandem tamen cum ea conuenit & superiorem agnoscit, obseruatio est Origenis citati, *iste Abimelech vt video non semper pacem habet cum Isaac, sed aliquando dissidet, aliquando pacem requirit, si meministis quomodo in superioribus diximus de Abimelech, quod personam teneat studiosorum & sapientum sæculi, qui per eruditionem Philosophiæ, multa etiam ex veritate comprehenderunt intelligere potestis, quomodo hic cum Isaac, qui verbi Dei, quod in lege est tenet figuram, neque in dissensione semper potest esse, neque semper in pace, Philosophia enim neque in omnibus legi Dei contraria est, neque in omnibus consona: multi enim Philosophorum vnum esse Deum qui cuncta creauerit, scribunt; in hoc consentiunt legi Dei aliquanti etiam hoc addiderunt, quod Deus cuncta per verbum Dei sit quo cuncta moderentur, in hoc non solum legi sed etiam Euangelijs consona scribunt, Moralis vero Physica quæ dicitur Philosophia, pene omnia quæ nostra sentiunt. dissident vero à nobis cum Deo dicunt esse materiam coæternam, dissident cum negant Deum curare mortalia, sed prouidentiam eius supra lunaris globi spacia cohiberi, dissident à nobis, cum vitas nascentium stellarum cursibus pendunt, dissident, cum sempiternum dicunt hunc mundum, & nullo fine claudendum, sed & alia plurima sunt, in quibus nobiscum vel dissident, vel concordant: & ideo Abimelech secundum hanc figuram aliquando in pace esse cum Isaac aliquando dissidere describitur, sed & hoc non puto quod otio-*

Orig. Hom. 14.

sè Spiritui sancto, qui hæc scribit, curæ fuerit comprehendere, quod duo alii cum Abimelech venerint, id est Ochozach gener eius, & Phicol dux exercitus eius: interpretatur autem Ochozach tenens & Phicol os omniũ, ipse autem Abimelech pater meus rex: qui tres vt ego arbitror imaginem totius Philosophiæ tenent, quæ apud eos in tres partes diuiditur, Logicam, Physicam, Ethicam, id est rationalem, naturalem, moralem, rationalis est illa quæ Deũ patrem omnium confitetur, vt est Abimelech, naturalis illa est, quæ fixa est, & tenet omnia velut naturæ ipsius viribus nitens, quam profitetur Ochozach, qui dicitur tenens: moralis est quæ est in ore omnium & ad omnes pertinet, & pro omnium similitudine præceptorum, in omnium ore versatur, quam designat iste Phicol qui os omnium interpretatur, hi ergo omnes in huiusmodi eruditionibus instituti, veniunt ad legem Dei, & dicunt videntes vidimus, quia est Dominus tecum, & diximus: fiat coniuratio inter nos & inter te, & constituamus tecum pactum, ne facias nobiscum mala, sed quemadmodum nos te non sumus execrati, ita & tu, benedictus Domino.

Iustorum maxima est benignitas.

232. *Nihil tuorum attigimus nec fecimus quod te læderet,* nonne eius puteos obstruxistis, eos humo replentes? loquere ergo Isaac, & eos argue iniuriæ & expulsionis tuæ, & eis obiice quod te non leuiter, sed grauissimè læserint: nec vllum verbum aduersus eos protulit, vt quanta præditus esset benignitate, compertum haberemus, *iustus*, inquit cit. Chrysost. *non petit rationem, neque expostulat, neque arguit ea quæ ab illis dicta sunt.*

Chrysostom.

Impudens malorum ingenium.

233. *Nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet,* quasi diceret, nec personæ nec rebus tuis nocuimus, cur culpam non agnoscitis? cur delictũ non fatemini? imo cur admissum, virtutis quadam specie coloratum commendatis dicentes, cum pace dimisimus auctum benedictione Domini? cum pace hoc est beneuole saluum & integrum sine vlla læsione, an non abegistis hominem? an non iniuria toties damnoque affecistis? ita se res habet, sed ita impudens est malorum ingenium, vt culpam nolint agnoscere, sed iustitia colorare, *vides*, ait Chrysost. *quomodo iniuriam expulsionem lenire curent, emissionem in pace nuncupantes.*

Chrysost.

Sublimes impugnat superbia, & ita videant ne cadant.

234. *Dimisimus te in pace auctum benedictione Domini,* in Paraphrasi Chaldæa est, tu nunc benedictus Domini, quasi sensus esset, ideirco te in pace dimisimus, quia nunc cernimus te à Deo amari, videtur otiosa mihi illa particula, nunc, sufficiebat enim dixisse, tu benedictus Domini, merito addiderit Palæstini hanc particulam nunc dicentes, tu nunc benedictus Domini, quis enim gratia qua nunc floret peccando non poterit excidere? sublimes enim gratiarum & virtutum splendore animas solet impugnare superbia, quæ si semel admittatur, inferendam importat ruinam, timeant sibi vel ipsa cœli sydera nec enim hoc vitio infirma, sed summa quæque pulsantur ac præcipitantur, *enim vero*, vt scripsit S. Hildeb. Ep. 31. *superbia natione cœlestis sublimes appetit mentes, & velut ad proprios ortus reuolans in gloriam & puritatem irrumpit hominum, quæ à gloria & puritate prorumpit Angelorum, prima hæc & vltima pernicies ante omnia vitia superauit, post omnia superatur.*

S. Hildebe.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXX.

VVLG. Fecit ergo eis conuiuium, & post cibum & potum.

Sept. Fecit conuiuium & comederunt & biberunt.

EXPOSITIO.

Fecit ergo eis conuiuium, ipsum regem & satrapas eius munificentissimo excepit conuiuio, amicitiæ diremptæ redintegrationis gratia & in omnis suspitio odii adimeretur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non solum non odio habendi sunt inimici, imo beneficiis sunt excipiendi.

235. *Fecit ergo eis conuiuium*, quibus? Abimelechi & eius familiis, nonne tanquam inimici odio prosequuti sunt Isaac, cumque à Geraris eiecerunt? quomodo ergo omnis immemor iniuriæ, non solum benigno vultu, sed etiam munificentissimo eos excepit conuiuio? quia intensissimo aduersarii nostri non solum odio non sunt habendi, imo beneficiis cumulandi: sic D. Chrysost. *conuiuio certa dat argumenta se non fore memorem eorum quæ in se commiserant, & non solum obliuiscitur, sed magna hospitalitate illos excepit:* & Oleaster, *hoc proprium sanctorum est scilicet pro malis bona reddere.*

Chrysostom.

Oleaster.

Inimicis reddere bonum pro malo non à præcepto Christi Domini incipit, sed à diuturnis temporibus hoc viguit.

236. *Fecit ergo eis conuiuium*, in hoc reddens bonum pro malo, si nondum Christus Dominus præceperat, vt diligeremus inimicos, & benefaceremus qui oderunt nos, quomodo Patriarcha Isaac illud adimpleuit? quomodo beneficiis excepit sibi maledentes & aduersarios? vt omnibus innotescat quod reddere bonum pro malis non à Christi Domini præcepto incœperit, sed pluribus antea iustis hoc insitum fuerit, sauet citatus Chrysost. *id quod Christus discipulis suis præcipiens & admonens dicebat, ne solos diligentes diligerent, sed & inimicis charitatem exhiberent,*

Chrysost.

exhiberent, hoc ille nunc multo antea implet, & tanta hospitalitate tractat eos qui eum oderant, omnemque vindictæ cupiditatem animo suo excludit: deinde concludit, *qua igitur nos venia digni erimus qui post tantam doctrinam & Saluatoris præcepta, neque ad huius insitis mensuram peruenire valemus, & quid dico ad eius mensuram? neque prope astare possumus, tanta enim nunc malitiæ abundantia obduxit omnia vt nunc rarum sit & diligentes diligere.*

Vrbane sunt hospites excipiendi.

238. *Fecit eis conuiuium*, si inferior eis erat Isaac in potentia & diuitiis, si quidem rex Abimelech eo in omnibus potentior erat, quomodo conuiuio excipit? potius enim rex cū suis eum excipere deberet: nonne tanquam hospites eum conuenerant? merito igitur eos apparatissimo excepit epulo, hospites enim quilibet vrbane à nobis sunt excipiendi, quod breuiter Lyran. annotauit, *cordaliter*, inquit, *recepit eos.*

Lyran.

Vrbanitate edomanda est aliorum ferocitas.

239. *Fecit eis conuiuium*, cur ilico accedentes excipit conuiuio? nonne post aliquot dies hoc epulum potuit differre? aduerte ex Procopio quod accesserunt cum animo bellum ei inferendi: prudenter igitur eos benignè excipit mensæ, quia comitas & vrbanitas ferociam inimicorum vincit ac edomat. Fauet Procop. *Isaacus aduenientes amice compellat & comiter inuitat epuloque excipit, vbi enim potentiam illorum perspexit, salis & mensa eos participes facere festinat.*

Procop.

Vanis laudibus neminem prosequamur.

240. *Fecit eis conuiuium*, cur non obseruauit Moyses verba quæ Abimelechi protulit, & quos cum eo sermones miscuit? an adulando beneuolentiam eius captare voluit? adulatione enim & blanditiis nobis potentiores maximè si eos conuiuio & mensæ excipimus, prosequimur, non ei tamen quamuis regi blanditur, ab adulatione enim omnino cessandum est. *epulo excipit*, inquit Procop. *nec tamen vanas admiscet laudes, non enim adulatur vir prudens, verum huiuscemodi illecebras detestatur*, meliora enim sint vulnera diligentius quàm fraudulenta oscula odientis.

Procopius.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXI.

VVLG. Surgentes mane iurauerunt sibi mutuo, dimisitque eos Isaac pacifice in locum suum.

Sept. Et surgentes mane, iurauit vnusquisque proximo, & dimisit eos Isaac, & discesserunt ab eo cum salute.

Chaldæus. Et iurauerunt vnusquisque fratri suo.

Pagn. Et iurauerunt alter alteri.

CONCORDIA.

VBi legimus in pace, habent Septuaginta, cum salute; sed non est discordia, quia שלום Schalom apud Hebræos non solum pacem, sed sanitatem, & animi corporisque salutem & prosperos rerum successus, significat.

EXPOSITIO.

MAne surgentes, post cœnam enim de fœdere iurando non egerunt, sed in crastinum distulerunt, & postquam è lecto surrexerunt, *iurauerunt sibi mutuo*, iurauit scilicet Isaac non nociturum Abimelechi nec regno suo, sicut etiam idem iuramentum præstitere Abimelech & eius domestici, *& dimisit eos pacifice in locum suum*, id est post voti complementum pacisque desideratæ adeptionem, in ciuitatem Geraram remisit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iuramentum non præstandum sine matura deliberatione.

241. MAne surgentes, *iurauerunt sibi mutuo*, cur perfecto conuiuio ilico iuramentum non præstitere? si quidem ad hoc præstandum accellerant, cur in crastinum diem distulere? cur vsque ad matutinum tempus expectauere vt iureiurando pactum firmarent, & inirent? nec inter pocula nec ilico surgentes à mensa præstant iuramentum, sed in mane illud distulerunt, ad illud præstandum matura cum deliberatione, Fauet Abul. *iuramentum factum fuit de mane, vt iurarent ex consilio maturo & non ex impetu hilaritatis cibi vel ebrietatis.*

Abulens.

Iuramento olim magna adhibita reuerentia.

242. *Mane surgentes iurauerunt*, sed cùm inter cœnandum potuerint iuramento fœdus inire, cur id non præstiterunt, vel cur saltem post cœnam nō iurauere, sed potius iuramentum in crastinum distulerunt? *vt iurarent*, inquit Lyr. *saliua ieiuna propter reuerentiam iuramenti*, en maxima iuramento adhibita reuerentia, vt nisi ieiuni illud præstare noluerint: sed maiorem requirere videtur Philo Heb. lib. de decalog. nam non solum linguam iurantis à cibo ieiunam debere esse asserit, sed multo magis mētem ab omni vitio alienam, *iuraturus*, inquit, *debet seipsum considerare num purus sit anima, corpore & lingua, illa ab iniquitatibus, hoc à periculis, hæc à maledicentia.*

Lyran.

Philo.

Nomini Domini maximus deferendus honor.

243. *Mane surgentes iurauerunt*, diximus ideo iuramentum in matutinum tempus distulisse, non autem inter cœnandum, vel statim post cœnam deferendæ iuramento reuerentiæ gratia, sed cur ei tantus exhibetur honor? nonne in eo nomen sanctissimum Dei profertur? merito igitur tanta iuramento defertur reuerentia, quia propter nomen Domini omni cultu & honore dignum, ei erat exhibendum, *nefas est per eos*, inquit cit. Phil. *qua profertur nomen illud sanctissimum quidquam turpe progredi.* Phil.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXII.

VVLG. Ecce autem venerunt in isto die serui Isaac, annuntiantes ei de puteo quem foderant, atque dicentes inuenimus aquam.

Sept. Pueri nuntiauerunt ei de puteo quem foderant, & dixerunt non inuenimus aquam, *ita Chrysost.*

CONCORDIA.

HIeronym. miratur, quomodo apud Septuaginta habeatur, quod non inuenerint aquam pueri, cùm affirmatiue in Hebræo legamus, quod aquam inuenerint, imo Symmachus & Theodot. ita verterunt, dicamus illam particulam non irrepsisse, in codicibus enim Græcis antiquioribus quos apud me habeo, non reperitur εὕρομεν ὕδωρ, lege Sixtum Senensem libro quarto Biblioth. sanctæ annotatione 106.

EXPOSITIO.

ECce autem venerunt in isto die, distans enim erat locus in quo puteum foderant ab eo in quo tentorium fixerat, & ideo dicitur quod in isto die quo fœdus Isaac cum Abimelech percusserat, & nuntiauerunt, *inuenimus aquam*, ex gaudio id Isaac retulerunt, quasi nihil optabilius potuissent adinuenire, quàm aquam pecoribus suis adaquandis maximè necessariam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus pacificis statim præmia tribuit.

144. ECce venerunt in isto die dicentes inuenimus aquam, cur obseruauit noster Moyses in eodem die quo fœdus iniit Isaac cum Abimelech, famulos Patriarchæ aquam inuenisse? vt denotaret quod pacificis, è quorum numero præcipuus erat Isaac, Deus non differt conferre præmia, mens est Procopii, *statim Dominus illis soluisse videtur, quod redderet bonum pro malo, dando nouam aquam.* Procop.

Penitentiam peccatorum amplectitur Christus Dominus.

145. *Ecce venerunt in isto die*, quo scilicet quo Isaac percussit fœdus cum Abimelech, & magnatibus suis, nec non dimisit eum in pace, cur in pace dimisit cùm ei contrarii fuerint? aduerte pœnitentia iniuriarum quas Isaac intulerant excitatos ad eũ accessisse, Isaac autem Christum Dominum designasse: merito igitur Isaac dimisit eos in pace, quia Christus Dominus pœnitentiam peccatorum libenter amplectitur. sic auctor cat. græcæ in Pent. *dimisit eos in pace, non quod laudaretur ab illis, sed illorum pœnitentiam amplexatus.*

Vbi maior copia, ibi minor abundantia.

146. *Ecce venerunt in isto die, inuenimus aquam*, appellauit autem puteum eum, inquit textus, abundantiam, verum D. Chrys. cum 70. his verbis negationem præfigit, non inuenimus aquam, & vocaunt nomen eius saturitas, si nondum inuenerunt aquam, quomodo hic puteus vocatur saturitas ac abundantia, potius enim dicendus erat inanitas vel vacuitas? aduerte quod nomine aquarum diuitiæ denotantur, aquarum enim similar cõtinuo fluxu voluuntur, si admittatur igitur hæc translatio, dicemus conformius instituto nostro, quod sicut in illo puteo in quo saturitas & abundantia aquarum esse dicebatur, aqua deficiebat, ita vbi maiores diuitiarum cumuli congregantur, maior inopia inuenitur, quod obseruauit D. Ambros. Serm. 81. in hæc verba Lucæ 12. quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos, ait, *quia non habeo, paupertatis hic sermo est, de inopia quæritur abundans fructibus.* en quomodo maximè diuiti plurima deficiunt? S. Chryso. Luc. 12. S. Ambr.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIII.

VVLG. Vnde appellauit eum abundantiam, & nomen vrbi impositum est Bersabee, vsque in præsentem diem.

Sept. Et vocauit eum iuramentum, & propterea vocauit nomen ciuitati illi puteus iuramenti.

Cald. Et vocauit nomen eius Sebac.
Pagn. Sibhah.

Symm. Vocauit eum ſaturitas.

CONCORDIA.

SIne punctis vna eademque vox Hebraica, שבעה ſignificat ſeptem & iuramentum, ſignificat etiam abundantiam & ſaturitatem, ſi puncto in ſiniſtro cornu huius litteræ ש notatur deriuatur à verbo שבע Sabath quod ſatiare ſiue abundare interpretatur.

EXPOSITIO.

E*T appellauit eum abundantiam*, id eſt quod habito illo puteo, iam haberet in aquis abundantiã, vnde ab euentu tale nomen ei impoſuit, *& nomen vrbi impoſitum eſt Berſabee*, ſcilicet vel propter iuramentum iuxta hanc ciuitatem, quæ alio nomine antea dicebatur præſtitum, vel propter abundantiam aquæ ibi repertam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Diuinorum beneficiorum memoriam poſteris relinquamus.

247. E*T appellauit eum abundantiam*, qua de cauſa nomen huiuſmodi imponit puteo? quid enim refert verum hanc ſortiatur appellationem velne? nonne ex ſingulari Dei beneficio hanc aquarum abundantiam inuenere famuli Iſaac? merito igitur hoc ei nomen imponit, quia diuini beneficii accepti poſteris memoria relinquenda eſt, *ſic munerum diuinorum*, inquit Lippom. *memorias erigebant paßim Patres ad Dei cultum promouendum, & poſteris commendandam fidem & deuotionem in Deum patrum ſuorum, ne ad idola gentium facilè relaberentur, & commonerentur.*

Lippom.

Vbi pax ibi bona omnia.

248. *Appellauit eum abundantiam*, quomodo huius nominis recordatur, ita vt aquam inuentam nomine abundantiæ vel ſaturitatis nuncupet? aduerte quod antea pacem inter ſe inierant Iſaac & Abimelech: quid mirum igitur ſi abundantiam ſe dicit habere, & nomen hoc puteo imponit? quia vbi pax ibi bona omnia, vnde quo die pacis fœdus ac iuſiurandum celebrauit Iſaac cum Palæſtinis eoſque amicos dimiſit, in ipſomet, ſerui qui antea foſſioni putei fruſtra intenderant, gratulabundi ad herum accedunt nunciantes aquæ in puteo ebullire abundantiam.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXIV.

V*VLG.* Eſau quadragenarius duxit vxores Iudith filiam Beeri Hetthæi, & Baſemath filiam Edon eiuſdem loci.

Sept. Sumpſit vxorem Iudith filiam Beoch, Chettæi, & Baſemath filiam Elon Chettæi.

EXPOSITIO.

E*Sau quadragenarius*, & pater eius Iſaac tunc cẽtenarius, *duxit vxores*, quarum nomina alio modo efferuntur à Ioſepho, ait enim duxit Aganuda Melonis filiam & Alibanim Euſebonii virorum inter Hetthæos valde potentium, ſed hoc non mirum, quia vnus idemque antiquitus ſicut & nunc plura ſortitus eſt nomina, vnde & Geneſ. 36. hæc eadem Iudith dicitur Ada filia Elon, mater Eliphor, & Beeri pater Iudith, ibidem appellatur Elon & Baſemath, alia vxor dicitur Geneſ. 36. Apholibania filia Ana, filia Sebeb, & Elon Chetæus pater eius.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Malè & infœliciter contingit filiis vxores ducentibus, patribus non conſentientibus.

249. E*Sau quadragenarius duas vxores duxit, Iudith filiam Beeri, &c.* de eis dicitur quod offenderant animum Iſaac, & Rebeccæ, ſine dubio ſi erga parentes ſuos aliquo ferebatur Eſau amore, omnino moleſtè ferre debuit, quod animum patris & matris ſuæ exacerbaſſent vxores ſuæ, vndenam hæ in matrimonio Eſau moleſtiæ, nec non anguſtiæ? ſine dubio ex eo quod patre & matre nõ cõſentiente vxores duxerit, ita ſentit Lippom. *Eſau ſine patris & matris conſilio duas vxores accipit, ideo infœliciter ceßit.*

Lippoman.

Mala animi propenſio diu latere non poteſt.

250. *Eſau quadragenarius duas vxores duxit*, non-

ne vna contentus fuit Isaac pater tuus,& eo ex cognatione sua,cur igitur duas ex idololatris tibi assumis? aduerte maximè in libidinem fuisse propensum, quid mirum igitur duas vxores duxisse, & eas idola colentium filias? quod optimè obseruat Chrysost. *vt statim in initio Esau suos mores indicet,inconsultis parentibus vxores ducit à gentibus.*

Chrysostom.

Filius immorigeratus consilia optima parentum non sequitur.

251. *Esau duas vxores duxit Iudith filiam Beeri, Hethæi,* cur mulierē ducit Chananæam, & non ex cognatione sua,cum Abram auus eius noluerit filium suum vxorem ex filiabus Chananæorum accipere,& iuramento obstrinxerit famulum suum è sola cognatione sua sumere? cur non est aui sequutus consilium,& patris exemplum? quia filius immorigeratus consilia parentum optima non sequitur, sed negligit, *duxit,*inquit Rupert.l.7.in Genes. *vxores de filiabus eorum quos & pater suus improbasset, & auus Abraham vitandos indicasset,at ille horum iudicium contempsit.*

Rupert.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXV.

VVLG. Quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ.

Sep. Et erant renitentes Isaac & Rebeccæ.

Chald. Et fuerunt irritatrices & rebelles contra mandatum Isaac & Rebeccæ.

Pag. Et irritabant Spiritum Isaac.

Oleast. Et fuerunt amaritudo Spiritus ipsi Isaac.

Targ. Hieros. Et fuerunt rebelles & inflato animo colentes idola,nec recipientes doctrinam, nec ab Isaac nec à Rebecca.

CONCORDIA.

Licet hæ lectiones sint diuersæ,eundē tamen sensum habent,si autem aliqui vertunt, *amaritudo,*ideo quia deducunt מורת morata מרר qui autem transferunt rebelles deducunt מרה.

EXPOSITIO.

Quæ ambæ offenderant animum,&c. hoc dupliciter intelligendum accipe,nempe quod matrimonium Esau cum qualibet earum contractum vtriusque scilicet Isaac & Rebeccæ fuerit offensiuum,cum eis non consentientibus fuerit consummatum,vel quod ita praui fuerint moribus, vt nisi cum maxima animi molestia,eos Isaac & Rebecca tolerare potuerint.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Imprudenter expectatur præmium si non præstatur obsequium.

252. Quæ ambæ offenderant animum Rebeccæ, cur nobis aperit Moyses Esau vxores accepisse, animum Rebeccæ & Isaac exacerbantes? aduerte postea Rebeccam sollicitam egisse, vt solus Iacob non Esau benedictionem paternam acciperet: merito igitur nunc præponitur, quod Esau in vxoribus suis animum patris & matris offenderit,vt cum postea ademptam benedictionem ab Esau viderimus, iudicemus merito id factum fuisse,quia merces vel fauor ab eo minimè expectandus erat,cum nullum præstitisset obsequium, Fauet Chrysostom. dicens, *hæc omnia non absque causa nobis historia tradidit, sed vt postea cum videris Rebeccam Iacob maiori beneuolentia prosequi, discas quod non cum iniustitia rem eam fecerit.*

S Chrysost.

Nihil ita iusti animum offendit,quam vita aliorum vitiosa.

253. *Quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ,* si iustus etiam illatis sibi iniuriis offendi non potest,si velit,cùm eas tanquam opprobria non accipiat,quomodo cùm iusti fuere Isaac & Rebecca, dicit Moyses offensos fuisse ab vxoribus Esau? aduerte quod prauis moribus fuere huiusmodi mulieres quid mirum igitur si animum Isaac & Rebeccæ offenderint? quia vita aliorum improba, maximè iustorum mentis est offensiua, *dissimilitudo morum,*inquit Caiet. *amara erat eorum spiritui animo.*

Card. Caie.

Nurus pomposa & vana,socrui probæ placere non potest.

254. *Quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ,*cum vxores fuerint primogeniti sui, in quo mentes eorum potuerunt exacerbare? aduerte mulieres Chananæas vanitati vestiumque nimiæ curiositati deditas:dicamus igitur cum Dionys.Cart.hic ideo animum Isaac & Rebeccæ offendisse,*quia,* inquit,*more Chananæorum fuerunt pompaticæ, & curiosæ,*en quomodo nam socrum,nimium curiosa nurus maximè lædit?

Dionys. Carth.

Fœlicitas & gaudium huius mundi maximè volatile.

255. *Quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ,*est in Hebræo fuerunt amaritudo spiritus ipsi Isaac, quomodo tanta replentur amaritudine animi,& domestica afflictione percelluntur, cùm antea lætum conspexerimus Isaacum ex inuentio inuentionis aquæ,nec non ex fœdere pacis cum Abimelech percusso? sine dubio vt ex eo discamus fœlicitatem & gaudium in terris non posse esse diuturnum,post illam enim lætitiam ex aqua inuenta cōceptam, & post illam fœlicitatem ex fœdere cum potentissimo

potentissimo rege inito, statim sequuntur afflictiones domesticæ, quæ plusquam externæ Isaacum exulcerarunt.

Contentio maxime animum irritat.

256 *Quæ offenderunt animum Isaac & Rebeccæ*, in quo potuerunt eorum mentes exacerbare, cum nihil nobis aperiat Moyses nec causam offensionis declaret? inspice versionem Septuaginta *& contendentes cum Isaac*, ne scrutemur igitur in quo potuerit animus eorum offendi, cum nihil ita irritet ac exacerbet, quàm contentio: *qua ratione* (inquit Procop.) *non commouissent atque exacerbassent facientes omnia contentiose?*

Cupiditas habendi Dei contemptum inducit.

257 *Quæ offenderunt animum Isaac & Rebeccæ*, cur Esau coniuges ducit parentibus suis molestas, nec non es rebelles? cur potius ex cognatione sua morigeras & vitæ probitate claras non accipit, vt sic in familia sua maneret Dei cultus? aduerte has Chananeas mulieres ditissimas fuisse, erant enim vt habet Ioseph. libro 10. de antiq. cap. 25. filiæ virorum maxime potentium, non mirum igitur nihil fecisse vxores ex cognatione sua & morigeras, sed ditissimas elegisse, cupiditas enim habendi, honestum vilipendit, & Dei contemptum inducit. Fauet Rup. libro 7. in Genes. cap. 12. *Sicut primogenita sua per escam vendidit, sic & vxores ducit alienigenas propter amaras concupiscentias suas, & sic Dei promissiones non curauit.*

Non solum ab extraneis, sed etiam à domesticis illatas iniurias feramus patienter.

258 *Quæ offenderunt animum Isaac & Rebeccæ*, in Hebræo, quæ fuerunt amaritudo spiritus ipsi Isaac, in Cald. quæ fuerunt rebelles & irritatrices contra mandatum eorum, quomodo Moyses sicut iniurias à nuribus Isaaco illatas profert in medium, non aperit hoc Isaac indigne tulisse? nam vt habet Chrys. nulla hac malitia peius, cum illæ quæ omnem impendere deberent honorem, ad contentionem paratæ sunt: cur ergo non refert moleste tulisse hanc nuruum suarum malitiam, & rebellionem? quia patienter hæc omnia tolerauit, vt discamus non solum à Gerariis vexatum, sed à suis contristatum tacuisse, & sic non solum ab extraneis sed etiam à domesticis offensas placide & sereno vultu omnia tolerare debere.

SYNOPSIS CAPITIS VIGESIMI SEPTIMI.

IACOB PRIMOGENITO FRATRI suo Esau benedictionem paternam surripit, qua de causa mortem ei minatur, quare Rebecca Iacobo suadet fugam in Haram.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS 1.

VVLG. Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat, vocauitque Esau filium suum maiorem, & dixit fili mi, qui respondit adsum.

Sept. Et factum est postquam senuit Isaac, & hebetes facti sunt oculi eius.

Oleast. Et restricti sunt oculi eius.

Chrys. Hebetati sunt oculi eius ad videndum.

CONCORDIA.

VErbum כהה Cahah quod nostri verterunt caligare, pluries etiam significat restringere, remittere, seu remissum esse, vt Deut. 34. dicit textus de Moyse quod non Chabatath id est restrinxit se oculus eius, vnde fit quod Oleaster transtulerit, & restricti sunt oculi eius, id est virtus eorum restricta est.

EXPOSITIO.

S*Enuit autem Isaac*, centesimum enim & trigesimum septimum annum ætatis suæ attigerat, *& caligauerunt oculi eius* tum senio, tum infirmitatibus, *& videre non poterat*, pœne enim extincta erat virtus eorum, *vocauitque Esau*, qui licet matrimonio ligatus esset, à domo paterna non discesserat. vel tunc temporis præsens aderat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mirabilis est Dei prouidentia.

1. C*Aligauerunt oculi eius nec poterat videre*, cur hominem adeo iustum, vt Patriarcham Isaac, tanta præmis afflictione, vt ab eo quod hominibus charissimum & vtilissimum est, nempe lumen oculorum, adimas? aduerte Isaac chariorem habuisse Esau quàm Iacob, quia venationibus eius vescebatur, & sic tanquam primogenito & dilecto benedictionem ei daturum, si per se stetisset: singulari & admirabili Dei prouidentia igitur statutum & ordinatum est, vt oculis priuaretur, vt sic benedictionem minori non maiori præberet. Sic Lippom. *opus diuinæ prouidentiæ iuniorem filium præferendo maiori in benedictione, per errorem humanum fieri debebat, ideo oculi Isaac caligine obducendi erant*, ita etiam Oleaster, *quia senex ægre ferret maiorem minori præferri, voluit eum prius excæcare miris modis Deus disponit res nostras, quoniam disposuerat Iacob furari benedictionem Esau, ne pater hoc deprehenderet, voluit eum prius excæcare.*

Lippom. Oleaster.

Defectus

Defectus naturales & infirmitates ex diuina prouidentia.

2 *Caligauerunt oculi eius & videre non poterat*, cur hunc defectum naturalem, scilicet visus priuationem, nobis significat Moyses? quid enim refert ad illius historiæ commendationem, notum habere vtrum caligassent oculi eius, nec ne? maxime quidem, nempe vt sciremus etiam defectus naturales & infirmitates ex diuina contingere ordinatione, *sic nihil*, inquit cit. Lipp. *præter ordinem Dei fit, nec oculi defectus.*

Auctor catenæ.

Exitialis amor mulierum.

3 *Caligauerunt oculi eius &c.* cur coniungitur huius capitis historia in qua non solum refertur Isaaci cæcitas, sed præcipue iactura benedictionis paternæ, qua fecit Esau cum extrema præcedentis? reuoca in memoriam bigamiam Esau, cum mulieribus Chananæis impiis atque rixosis immediatè ante oculos positam fuisse: perquam appositè igitur coniungitur iactura benedictionis paternæ facta ab Esau, cum bigamia sua cum mulieribus, quarum amore tenebatur, vt ostenderetur quod suprema pernicies Esau prouenerit ex illo cæco ac temerario mulierum amore, qui stragem frequentem non solum corporum, sed animarum edit, vt videre est in Samsone de quo ita D. Ephr. tract. de iudic. & retrib. disserit, *concupiscentia strenuum atque inuictum illum Samsonem captiuum sumpsit, qui postquam concupiuit cum vipera habitare, ilico capilli Nazaræo defluxere, oculisque suis priuatus, miserabilis atque ridiculus omnibus subito est demonstratus.*

D. Ephrem

Qui indignum anteponit digniori, cæcus censendus est.

4 *Caligauerunt oculi eius & videre non poterat*, cum omnes Patriarchæ in senectute bona, hoc est non valetudinaria, mortui fuerint, quomodo de Isaac oppositum legimus? caligauit enim oculis & videre non poterat, quomodo igitur Isaac pœne coecus inter alios inducitur? forte vt ostenderetur non plene vidisse, qui filium tam rusticum, tam male moratum, peiusque vxoratum sic impense diligeret, vt illum iuniori egregiis prædito moribus anteposuerit, illique suam benedictionem impertire curauerit.

Aliquando boni caligant Prælati.

5 *Caligauerunt oculi eius*, nempe Isaac, qui Prælatum designat, quod tamen mihi non arridet, nam proprium Prælati est suis inuigilare subditis, quomodo ergo caligat oculis, qui Prælatorum typus est? quia aliquando optimi etiam dormiunt Prælati, & suorum vel affectu vel adulatione compulsi. Fauet glossa moral *per Isaac bonus significatur Prælatus, aliquando donis & verbis adulantium decipitur, exemplum de Dauid qui verbis & factis adulatoriis sibi intantum deceptus fuit, quod medietatem hæreditatis Miphiboseth sibi dedit, 2. Reg. 19. & sic aliquando contingit, quod Prælatus deceptus studet, ad promotionem malorum in præiudicium bonorum.*

Gloss mor.

2. Reg. 19.

Occasionem merendi prabet Deus.

6 *Caligauerunt oculi eius nec poterat videre*, quomodo Deus permisit Isaac virum eximiæ sanctitatis, labi in talem potentiæ visiuæ debilitatem, ita vt caligarent oculi eius, & videre non posset? sane ad salutem & meritum ipsius Isaac, nam patienter sustinens talem defectum, merebatur augmentum gratiæ diuinæ in præsenti, & gloriæ in futuro sæculo.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS 11.

VVLG. Cui pater, vides inquit quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ.

Cald Senui, nescio diem qua moriturus sum.

EXPOSITIO.

Vides inquit quod senuerim, quasi diceret, licet senex sum, volo adhuc sanus mente & corpore compos peragere, quæ ante mortem facturus sum ne morte aut sensus defectu præoccupatus nequeam id explere, vnde addit *& ignorem diem mortis meæ*, nescio enim si iamjam in foribus mors adsit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ante oculos mors semper habenda.

7 Vides quod ignorem diem mortis meæ, nonne sufficiebat dixisse, vide quod senio iam sum confectus, vt Esau impelleret, ad quærendam sibi venationem? cur ergo in medium & ante oculos eius suum ponit interitum? cur mortem suam memorat? vt intelligeremus mortis memoriam semper præ oculis habendam esse, *sancti*, inquit Lipp. *semper ob oculos mortem habent, Domini iudicium meditantur, & pro viribus præordinant.*

Lippom.

Mors & vita nostra Deo committenda.

8 *Vides quod ignorem diem mortis meæ*, cur Deus mortem & interitum nostrum vult nobis ignotum esse? sine dubio, vt vitam & mortem Deo nostro committamus. Fauet Lippom. *diem mortis Deus nos scire noluit, vt eius iudicium semper expectemus, paueamus, illique vitam ac mortem ac opera cõmittamus?*

Auctor. cat.

Mors certissima, hora illius incertissima.

9 *Vides quod ignorem diem mortis meæ*, cur non dixit, vides quod ignorem mortem meam, hoc cum veritate asserere non potuit, morte enim nihil est certius quamuis dies eius sit incertissimus, vnde merito D. Bernardus de conuers. ad clericos capite decimo quarto ad medium. inuehitur in eos, qui

ſecuri de vita memoriam appropinquantis mortis amittunt: *quid in rebus humanis ait ille certius inuenitur? non miſeratur inopiam, non diuitias reueretur, non generi cuiuſlibet, non moribus, non denique ipſi parcit ætati, niſi quod ſenibus quidem in ianuis, adoleſcentibus in inſidiis eſt, infælix proinde qui in huius vitæ tenebris & lubrico fidens, perituram inſumit operam, nec aduertit quoniam vapor eſt ad modicum parens, & vanitas vanitatum.*

Vitæ diuturnitati nullomodo fidendum.

10 *Vides quod ignorem diem mortis meæ*, quamuis ignores, non ita ſenio confectus es, nec infirmitatibus oppreſſus, vt cito venturam formides, longiorem enim vitam tuâ duxere Patriarchæ, nihilominus cito venturam prudenter timet, vitæ enim diuturnitati nullomodo fidendum, *cum diluculo ſurrexerimus*, inquit D. Auguſt. lib, de ſalutarib. docum. cap. 39. cir. medium, *ad veſperam non confidamus peruenire, & cum in lecto membra depoſuerimus, de lucis non confidamus aduentu.*

Licet omnes mortem formidare debeant, tanquam propinquam, ſenes tamen præcipue quaſi iam iam in foribus eſſet, timeant.

11 *Vides quod ignorem diem mortis meæ*, inquit Iſaac ſenex, ſed nonne ô Patriarcha, quilibet quantumuis ætatis tenerrimæ, poteſt cum veritate dicere ignoro diem mortis meæ? cum nulli niſi ex ſpeciali Dei reuelatione ſit ei cognitus: cur igitur cum ſenilem ætatem attigeris, diem mortis te ignorare aſſeris? quia licet verum ſit omnes mortem formidare debere tanquam propinquam, tamen præcipue ſenes, quaſi iam iam in foribus eſſet, timeant. Fatet Abul. *iſto modo quilibet quantumuis iuuenis poteſt iſta dicere, ſed ſecundùm communem locutionem conueniunt illi qui morti propinquus, qualiter eſt iste, exiſtens, eam quotidie & timet & expectat.* Abulenſ.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS III.

VVLG. Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis.

Sept. Nunc igitur ſume vas tuum, pharetramque, & arcum, & exi in campum, & venare mihi venationem.

Pag. Et nunc cape quæſo inſtrumenta, &c.

Cald. Nunc tolle arma tua gladium tuum &c.

CONCORDIA.

כלי Keli late patet ſignificatio, vas enim, dicitur inſtrumentũ, veſtis, ornamẽtum & arma, tam late patet quàm Græcis σκεῦος aut etiam latius complectitur omne vtenſile, & quicquid in vſum hominis paratur, conſummatur, & perficitur, verbum thalah ſignificat ſuſpendere, inde theli, id eſt pharetra à ſuſpenſione ſic dicta, nam ad collum eam ſuſpendunt ſagittarij, & quia etiam venatores gladium ſuſpendunt collo, hinc eſt quod forte Caldæus verterit gladium, vbi legimus pharetram.

EXPOSITIO.

SVme arma, nempe venatoria, ſcilicet pharetram, in qua ſunt ſagittæ, & *arcum* quo emittuntur in feras, *cumque venatu aliquid apprehenderis*, ſcio enim te in perſequendis feris experti ſſimum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peccatum ſua mancipia contemnit, virtus ſuos ſectatores coronat.

12 S*Vme arma tua, pharetram & arcum* &c. nõ eſt dubium maxime laboraſſe Eſau, non ſolùm in venando, imo & in faciendo pulmento, quo ſciebat patrem ſuum delectari, & tamen paternam benedictionem quam ex ſuo labore ac ſudore ſperabat, non habuit: quomodo igitur Iacob domi reſidens indefeſſus, non venando feras, non coquendo cibos, ſed tantum ad gregem pro hoedis animi gratia excurrendo comparauit benedictionem? ſane quia Iacobus pietati, Eſau vero iniquitati ſeruiebat, quarum illa ſuos ſectatores coronat, hæc ſua mancipia vacuis manibus relinquit & contemnit, quare Salomon Eccleſ. 5. de peccatore ait, *quid ergo prodeſt ei quod laborauit in ventum?* Salom. Eccl. 5.

Externa negotia quantumuis licita, vix vnquam nociua non ſunt.

13 *Sume arma tua & egredere foras &c.* vt benedictionem ei pater largiretur, hoc ei præcipit, vt in campum ſecedat, vel ſyluas diſcurrat, & venatu aliquam feram occidat: exterioribus ferarum nociuarum venationibus iubet operam nauare, nihilominus benedictionem non conſequitur, vnde tam infœliciter obedientia patri præſtita contigit? inſpice quid dixerit Iſaac, egredere foras, quid mirum igitur ſi ex eo quod externis negotiis operam dederit, benedictionem amiſerit? ea enim quantumuis licita, vix vnquam nociua non ſunt. Sic Lippom. *Eſau externis ſolatiis incumbebat, & negotiis hominum non inutilibus, ob feras & beſtias hominibus ſæpe pernicioſas, id ſancto patri non diſplicuit, malum non fuit, benedictioni tamen obfuit.* Lippom.

Præſtandum obſequium vt beneficium recipiatur.

14 *Sume*

14 *Sume arma tua & egredere foras*, antequam ei benedictionem largiretur Isaac voluit, vt sibi venationem conquireret, & ex ea pulmentum gustui suo sapiens faceret, nonne potuit benedictionem tribuere, non hac præuia dispositione & labore? potuit equidem, sed noluit, præstandum enim est obsequium, vt beneficium tribuatur, ita testatur Lyranus dicens *quia filius recipiens benedictionem debebat Patri facere obsequium, & seruire in mensa.*

Qui secundò in eadem incidit peccata volens, indignus videtur remissione.

15 *Sume arma & cum venatu aliquid acceperis &c.* patri obedit, venationi sese accingit, & cùm nimium tempus tum venatui, tum pulmento conficiendo consumit, benedictionis paternæ iacturam facit, quam obtinere non potuit supplex & profusis lachrymis, eam postulans. Si tanta est virtus lachrymarum, & tantus est in filium primogenitum patris amor, quomodo à patre Esau eam consequi non meruit? reuoca in memoriam Esau primogenita amisisse ex ipsa venatione, ex ea enim rediens maxime defatigatus, pulmentum petiit à fratre, & in pretium primogenituram vendidit: per Esau venationi ferarum deditum possumus intelligere peccatorem immanitati siue voluptati vacantem. quid mirum igitur si secundo cùm venationi vacat, paterna ita priuatur benedictione, vt eam consequi omnino non potuerit, quia qui iterum in eandem volens, labitur culpam, indignus est Dei benedictione & fauore, nescio si ad hoc respiciens Paul. ad Hebr. 12. ait, *scito quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est, non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam*, aduerte non hîc auferri veræ pœnitentiæ vim ad peccata remittenda, quæ vere illi condonarentur si vere eum peccasse pœniteret, sed solum ius primogenituræ, quod amiserat.

Hebr. 12.

Patres magis sollicitì sunt de filiis ditandis, quàm ipsimet filij de consolatione parentum.

16 *Sume arma, pharetram &c.* cur vt benedictionem suam filio, sicque bonorum suorum possessionem tribueret, ita sollicitus est? nonne potius Esau patrem iacentem in lecto, & quasi oculorum lumine priuatum, venatione sua non rogatus solari debebat, cum filij tot parentum beneficiis obstricti teneantur? ne mireris Isaac sollicitum de benedictione Esau danda, Esau autem de consolatione patris non curantem, quia patres magis satagunt filios diuitiis cumulare, quam filij parentes solatio subleuare: sic Oleast. *audi hic qualiter parentes magis solliciantur pro filiis ditandis quàm filij ipsi*, scilicet pro subleuandis patribus.

Oleast.

VARIETAS LECTIONVM VERS. IV.

VVLG. Fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea antequam moriar.

Sep. Fac mihi escas sicut amo ego.

Cald. Fac mihi edulia sicut dilexi.

Pag. Fac mihi cibos.

Vatab. Fac mihi fercula.

Oleast. Fac mihi quid sapidum.

CONCORDIA.

טעם toram significat gustare, sapidum esse, & licet ad hominum verba referatur, vnde sapidos homines vocamus, qui in sermone sunt suaues, & grati, sed præcipue ad cibos, vnde fit quod מטעמים matmim verterunt, edulia, fercula, vel cibos.

EXPOSITIO.

FAc mihi inde pulmentum id est delicatioris cibi ferculum, & gustum maxime oblectans, *sicut velle me nosti* sicut libenter me vesci cognoscis, *& affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea*, inualuerat enim consuetudo, ante similes benedictiones, filium benedicendum, obsequium aliquod parenti exhibere solitum; vel dicas quod cum hæc dies benedictionis fausta, læta, & solemnis esset, læto & iucundo celebrabatur epulo.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Amicitia etiam sanctorum aliquandò non in virtute, sed vtilitate fundatur.

17 FAc mihi inde pulmentum vt comedam & benedicat tibi anima mea, singulare amoris paterni testimonium erga filium ei benedictionem impertire, sed qua de causa eum præ filio Iacob dilectione singulari prosequitur, cum tunc propter bonam indolem, tum propter optimos mores, Iacob præferendus esset? inspice quid dicat textus, *venatu aliquid capias, & fac mihi inde pulmentum*, ne scisciteris igitur, quomodo maiori dilectione Isaac prosequitur Esau quàm Iacobum, aliquando enim etiam sanctorum amicitia potius in vtilitate, quā in virtute dilecti fundatur, *vides*, inquit Oleaster, *quod amicitia sæpe fundata est in vtilitate & non in virtute.*

Oleast.

Aliquando etiam Patriarchæ in eligendis successoribus bona fide errauerunt.

18 *Fac mihi inde pulmentum vt benedicat tibi ani-*

ma mea, si Esau benedictionem tribuis, cum in successorem eligis, quod à ratione alienum esse mihi videtur, cùm enim prauis esset moribus, ei Iacob anteponendus erat, te dicemus igitur ô Isaac, personarum acceptorem, iniustumque censebimus; sed immerito, aliquando enim veteres Patriarchæ in filiorum & successorum electione, bona fide errauerunt, nam vt bene D. Hier. epist. 48. loquutus de illo optimo Episcopo, qui pessimum diaconum ordinauerat, *nec mirum*, inquit, *quamuis sanctum hominem, tamen in homine deligendo potuisse falli, cum etiam Deum pœniteat quod Saul in regem vnxerit & in duodecim Apostolis Iudas proditor sit repertus.*

S. Hyer.

Perfecti patris est tales habere filios qui nullo etiã externo audito præcepto, ab eius voluntate non discrepent sed exequãtur.

19 *Fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti*, cur non ait fac hoc vel illo modo, non autem sicut diligo? existimo perfectissimi patris fuisse vocem illam Isaaci ad Esau, pertinet enim ad perfectissimum patrem eos habere filios, qui non repetitis monitis egeant, sed adeo eius nouerint & gustum & voluntatem, vt ex se etiam dissimulante patre præceptum, illam perficiant.

Qui Deo acceptus est parum eget humano auxilio.

20 *Fac mihi inde pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, cur Esau parat benedicere? an in cogniti sanctissimo Patriarchæ efferi mores? cur potius ad illum dirigit benedictionem & non ad Iacob? eo ipso quod nouerat prauos Esau mores & nouerat Iacob virtutes, pro nihilo ducit Iacob benedicere, qui enim erat à Deo acceptus, parum egebat paterno auxilio & tutela, ita Philo Hebr. apud Lipp. *Nouerat Isaac bonum filium bonitate propria sibi ipsi satis auxilio fore.*

Philo.

Idem conceptus confirmatur.

21 *Fac mihi inde pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, si filio tuo benedictionem impertire statuis, imo eam Iacob tribuisti, cur tu à patre optimo sine benedictione derelictus es? quia Isaac in holocaustũ oblatus, ibique Deo acceptus maxime fuit, sic expendit D. Theod. in cat. Græca, *cur quemadmodum Isaac filio suo Iacob, deinde Iacob filiis suis benedixerat, non eodem pacto Abraham benedixerit Isaac, superuacaneum hoc illi forte videbatur, cum post oblationem filii monumentum illud seruaret in peccatore certæ promissionis*, hoc habuit insigne proprium Isaac, quod à Deo postulatus fuerit in holocaustum, & quod ei sic se ipse Deo deuouens, immolandũ potuerit à parente, quod ex tunc sic acceptus fuerit Deo, vt in illo totum firmaret arcanum repromissionis, qui ergo sic Deo erat acceptus, nihil egebat siue benedictione siue tutela parentum, quamuis omni patris terreni destitutus auxilio, imo ab omnibus creaturis reiectus Deum auxiliatorem habet præsentem; quo nihil mali nouit timere, sed omnia bona sperare.

S. Theod.

Benedictio paterna liberat etiam filios impios ab infœlicitate.

22 *Fac mihi inde pulmentum & benedicat tibi anima mea*, sciebat Isaac prauis moribus fuisse Esau, & sic indignum benedictione, cur igitur tantopere benedictionem ei largiri desiderat? vt infœlicior [et] miserior non euaderet, ita cit. Philo. *Isaac cum duos filios haberet, vnum bonum, alterum peccatorem, benedicere voluit malum filium, adiuuare voluit benedictione, sine qua non nisi infœlicissimus esse poterat.*

Philo Iud.

Obsequium præstitum animos maxime conciliat.

23 *Fac mihi pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, cur Esau primogenito tuo non es offensus? cur erga eum te benignum & liberalem exhibes, cum omni beneficio prorsus indignus esse videatur propter agrestem viuendi modum, corruptosque mores? nonne obsequium patri præstabat Esau pulmentum ei conficiens? non mirum igitur quamuis prauis esset moribus ornatus, animum patris induxisse ad impẽdendum sibi benedictionis beneficium: obsequium enim præstitum hominum mentes maxime conciliat; obseruatio est D. Theodoret. q. 77. in Genes. *auxit amoris occasionem, quod officiosus erat patri, venatio enim illius erat ei in cibum, obsequium autem potest crudelissimos quosque mitigare maxime patrem, patrem inquam humanissimum: cæterum reperimus etiam diuinum Apostolum copiosis benedictionibus remunerasse eos qui illi obsequium præstitissent.*

Theod.

Nullus cibus dulcior ori nostro quàm Iesus.

24 *Fac mihi pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, hoc dixit Isaac ditaturus filium Esau gratia benedictionis, sed interea Iacob currit ad greges, affert hædum vt cibum & munus parenti gratum paret. Si hunc cibum non petit pater, cur ei comedendum exhibes? aduerte D. Ambr. existimare fuisse agnum à Iacob præparatum, quo sine dubio Christus Dominus significatur, & licet hædus fuerit, certum est etiam eo Saluatorem nostrum denotari, vide D. Cyrill. contra Iuli. cap. 9. epist. 39. ne mireris igitur hunc cibum ei præparasse Iacob, quia nullus est suauior ori nostro, quàm Christus Dominus: nobis adstipulatur D. Ambr. lib. 1. de Iacob cap. 2. *accessit ad oues Iacob & attulit innocentiæ partum, quia Patriarcha nullum cibum credit esse dulciorem quàm Christum, hunc publicum parenti cibum vtilem iudicabat, quo futura erat remissio peccatorum, & ideo accepit stolam patris.*

Ambr.

Christus Dominus à sanctis Patriarchis maxime exoptatus.

25 *Fac mihi pulmentum & benedicat tibi anima mea*, D. August. lib. 1. super Genes. quæst. 79. hæc quæ ab Isaac gerebantur attente cõsiderans ait, quoniam tantus Patriarcha Isaac antequam moriatur, quærit à filio suo venationem & escam, nullomodo vacare arbitramur significatione prophetica. Sed quænam significatio Prophetica includeretur, non aperit: eam igitur inquiramus, certũ est hinnulo ceruorum, vel ipsis ceruis, nullum esse cibum suauiorem vel delicatiorem, quis autẽ ignorat eo Christum Dominum denotari, iuxta illud *similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum?* nulla enim carnis mole oppressus, & omnibus virtutibus distinctus, hinnulus enim ceruorum, diuersis distinguitur maculis, vel secundum Aponium, *similis hinnulo qui est sine carnibus, dicitur propter humilitatem*, cur non dicemus igitur Isaac in pulmento ex ceruo confecto, summo desiderio Christum Dominum exoptasse?

Cant. 2.

Aponius.

Iusti

Iusti solum ea quæ à Deo reuelantur agnoscunt & non omnia.

26 *Fac mihi pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, si Esau non danda benedictio, sed Iacob, quomodo nesciuit ei impertiendam? quia iusti solum ea quæ à Deo reuelantur, agnoscunt, & non omnia. Sic D. Eucher. lib. 2. in Genes. *plura sunt*, inquit, *quàm vt exemplis debeamus docere, sanctos viros & Deo charos ea tantummodo sciisse, quæ eis à Domino reuelata sunt, ignorasse vero quæ eis reuelata non fuerunt: sicut & Isaac vir iustus & Deo charus, non illi cui voluit, sed cui noluit, deceptus errore benedixit: vnde non mirum est Isaac in sua maxima vtilitate nescisse quid faceret, cum magis eo tempore erraret, quo filium sanguinarium & deditum voluptati, & eum, qui postea vellet fratrem occidere, prætermisso illo qui innocenter habitabat domi vellet efferre, & suam magis quàm Dei voluntatem facere.*

D. Euch.

Patres aliquando plus solliciti sunt de filiis ditandis, quàm de propria animarum salute.

27 *Fac mihi pulmentum vt benedicat tibi anima mea, antequam moriar*, id est vt te possessorem, & bonorum meorum hæredem constituam antequam vitam cum morte commutem, si iam in extremis ô Isaac, vel saltem infirmitate oppressus es senio confectus, iaces in lecto, cur potius animæ tuæ, saluti filiorum tuorum concordiæ, quos discordes inter se optime nosti, inuigilas, quam relinquendæ filio tuo Esau hæreditati? quia tanta cæcitate aliquando patres tenentur, vt sub mortis horam, plus de amplissimis filiorum patrimoniis solliciti, quàm de propria salute, vix sacramenta necessaria ad vitæ transitum, & de legandis in pauperes ad subsidium animarum eleemosynis non cogitant, nec testamento cõmittunt, moralitas est Oleast. *ecce, inquit, de quibus solicitantur parentes, in hora mortis, nam qui deberent aliena restituere, propria pauperibus largiri, solum de filiis ditandis cogitant.*

Oleast.

Obedientiâ, paterna benedictio, & bonorum hæreditas acquiritur.

28 *Fac mihi inde pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, cur Isaac venationem expetiit ab Esau, antequam eum benedicere vellet? itane fame premebatur, vt necesse fuerit cibo refici, antequam benedictionem impenderet: benedicat, deinde comedet? prius à filio venationem exigit quàm benedictionem largiatur, vt ex obedientia ei præstita, eam mereretur, ita Ang. Thom. qui quæstionẽ hanc mouens dixit, *vt Esau meritorie ad suscipiendam paternam benedictionem disponeretur, per opus promidæ obedientiæ.*

Tho. Angl.

Cum aliquos Domino acquisierimus, eos bonis imbuamus moribus.

29. *Fac mihi inde pulmentum &c.* nonne ô Isaac tibi sunt plures famuli, qui tibi cibum sapidum præparare nouerunt, præcipe ergo vt tibi ex venatione filij pulmentum conficiant, & à labore Esau quiescat, mystice loquamur, per Esau venatione aliquid capientem, potest intelligi concionator, qui verbo Dei homines quasi venatu accipit & Deo acquirit: quo posito bene dicitur, vt ipsemet Esau pulmentum conficiat, quia cum aliquos Deo prædicatione acquisierimus, eos nos ipsi bonis moribus imbuere debemus. Sic Hugo Carens. *cum aliquos ab errore suo ad Christum conuerteris, eos in seruitio diuino informare studeto, quod non faciunt mercenarii aut hypocritæ, qui sæpe peccatores verbo prædicationis conuertunt, sed eos postmodum in Domini seruitio non confirmant.*

Hugo. Card.

Deo obsequendum non alieno studio, sed nostro.

30 *Fac inde pulmentum & affer vt comedam*, cur præcipis vt ipsemet tibi hoc præstet obsequium? accedat famulus & pulmentum conficiat: merito iubet vt afferat, quia Deo per Isaacum denotato obsequendum & seruiendum, non alieno labore, sed proprio, *affer* (inquit cit. Carens.) *non mitte, & est contra quosdam, qui semper per alios seruiunt domino, sed nunquam vel raro personaliter, cum dictum est eis Ioann. 15. ego elegi vos vt exeatis & fructum afferatis.*

Hugo Carens.
Ioann. 15.

Benedictiones bonorum potius Dei quàm hominum sunt.

31 *Fac mihi pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, tamen non Esau quem voluit, sed Iacob quem noluit, benedixit, quomodo si viri iusti voluntas recta erat, benedictionem cui volebat non impendit? vt agnosceremus benedictionem bonorum potius Dei esse quàm hominum. Fauet Albin. in Genes. *Deus occultorum cognitor, minorem maiori benedictionem ostendit, vt benedictionem non hominis sed Dei ostenderet; ideo dictum est in Numeris ad Moysem & Aaron Sacerdotem, ponite nomen meum super filios Israel ego Dominus, benedicam eos: Sacerdotis est benedicere, Dei est effectum tribuere benedictionis.*

Albinus.

Patres filiorum defectus etiam beneficiis emendare conentur.

32 *Fac mihi pulmentum, vt tibi benedicat anima mea*, non equidem benedicerem Esau, cùm ob priuatum viuendi modum potius dignus maledictione censeretur, nihil minus benedicere voluit, non quia benedictione dignum iudicaret, sed vt hoc beneficio, à peruersa viuendi ratione reuocaret. Sic Philo in catena græ. *in deteriorem filium pater deflectit benedictionem, non quia meliori præferret, sed ipsius defectum emendare cupiens.*

Philo.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS V.

VVLG. Quod cùm audisset Rebecca, & ille abisset in agrum, vt iussionem patris impleret,

Sep. Rebecca autem audiuit loquentem Isaac ad Esau filium suum, iuit autem Esau in campum ad venandum venationem patri suo.

Pag. Et perrexit Esau in agrum, vt venaretur venationem vt afferret.

Vatab. Vt faceret venire patri suo venationem.

CONCORDIA.

NOster Vulgatus sensum textus posuit, cum ait abiit in campum, vt missionem patris impleret. Septuaginta vero cum aliis sequuntur lectionem Hebraicam nec non illius verba.

EXPOSITIO.

QVæ cum audisset Rebecca, quæ præsens aderat, *& ille abiisset in agrum*, voluit enim aliquid aperire Iacob Esau præsente, *vt iussionem patris impleret*, de venatione facienda & de conficiendo pulmento.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

In negotiis fœliciter exequendis prudentia maxime necessaria.

33 *QVæ cum audisset & ille abiisset in agrum*, cur expectat Rebecca recessum Esau in agrum, vt mentem suam aperiat Iacob? nonne eo præsente potuit consilium manifestum facere? aduerte quod si præsente, quamuis non audiente Esau, aliquid secreto Iacobo aperuisset Rebecca, potuisset suspicari aliquid in se moliri Rebeccam & Iacob: prudenter igitur egit, egresso Esau, tunc mentem suam filio iuniori aperire, prudentia enim in negotiis fœliciter exequendis maxime necessaria est quam inquit Phil. Abb. lib. de obed. cleri. cap. 14. *qui non curat in his quæ agit salubriter habere, ipsum etiam cor merito conuincitur non habere.*

Philo. Abba.

Parentum affectus non in vnum filium feratur, sed in omnes diuidatur.

34 *Quæ cum audisset & ille abiisset in agrum*, absentia Esau magnam dedit opportunitatem Rebeccæ & Iacob struendi, ornandique piam fraudem, sed cur Rebecca sicut Isaac, amore singulari non prosequitur Esau? cur amor vtriusque in eum non refunditur? quia parentum affectus in filios, debet diuidi, nec totus in vnum congeri, vt domestica pax & quies cõseruetur, quod obseruauit D. Ambr. libr. 2. de Isa. cap. 2. *accipe bonum certamen inter parentes, mater deferat affectum, pater iudicium, mater circa iuniorem teneræ pietate propendeat, pater circa seniorem natu & beneficentiam seruet, hic magis honoret, illa plus diligat, dum singuli singulos foueant, non in vnum vterque conspirent, defraudent alterum, fiat æquitas inter diuersa certamina, & disparibus studiis par vtrique ac æqualis parentum amor & gratia conseratur, compenset alter quod alter imminuit, sic pro affectu Isaac Patriarcha & Rebecca certabant, vt neutrum inferiorem facerent, sed vtrumque æqualem.*

S. Ambr.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VI.

VVLG. Dixit filio suo Iacob, audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei.

Sep. Rebecca autem dixit ad Iacob filium suum minorem, inde audiui patrem tuum, &c.

EXPOSITIO.

DIxit filio suo Iacob, absens enim erat, cum Isaac pater suus præcepit Esau vt conficeret sibi pulmentum ex venatione sua *audiui patrem tuum*, refert verba ipsius Isaac dicta Esau.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Patres quos diligunt, filios præcipue appellant.

35 *DIxit filio suo Iacob*, si nulli incognitum erat Iacob filium fuisse Rebeccæ, cur additum est à Moyse, quod Iacob erat filius eius? sufficiebat enim dixisse, dixit Rebecca Iacob: tum etiam Esau filium suum non appellat, ait enim audiui patrē tuum loquentē cum Esau fratre tuo, non autem cum Esau filio meo, quare cum vtriusque mater esset, solum Iacob filium suum dicit, non autem Esau? quia parentes quos diligunt, specialiter eos filios appellant, ita Abul. *Specialiter erat filius Iacob, quia magis eum diligebat.*

Abul.

Vir secretum suum etiam vxori sæpius occultet.

36 *Dixit filio suo audiui patrem tuum &c.* cur non ait, dixit mihi pater tuus? quia id Isaac ei non aperuerat, sed cum Rebecca esset eius vxor amantissima, quomodo consilium suum ei non aperuit? quia vir prudens vxori suæ aliquando mentem suam manifestam facere non debet. Sic Oleast. *docentur coniugati secreta sua etiam ab ea quæ in sinu suo dormit, occultare, quoniam inimici hominis domestici eius.*

Oleast.

VARIE-

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII.

VVLG. Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi antequam moriar.

Sep. Affer mihi venationem, & fac mihi escas.
Cald. Fac mihi edulia.

EXPOSITIO.

Affer mihi de venatione tua, vide quæ supra dicta sunt, & *fac cibos*, nempe pulmentum, & *benedicam tibi* coram Domino, vt imprecer tibi fausta & fœlicia, *antequam moriar*, quia paulo ante mortem solebat pater filus benedictionem impendere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Magis Deo obtemperandum quàm hominibus.

37. *Affer mihi de venatione tua*, hęc omnia repetit Rebecca, vt modū tribuat Iacobo paternam benedictionem surripiendi, & piam fraudem peragendi. Sed cum viri tui voluntatem compertam habeas, optimeque noscas, quod benedictionem filio suo primogenito tribuere studet, cùm eius voluntatem sequi & ei obtemperare debeas, quomodo ei aduersaris? aduerte Dei voluntatem agnouisse ex reuelatione, quod minor præferendus esset maiori, sicque benedictionem consecuturus: merito igitur voluntati viri aduersatur sequens diuinam, magis enim obtemperandum est Deo quàm hominibus, *hic instruit nos* (inquit Oleast) *sancta fœmina magis Deo obtemperandum esse quàm hominibus, etiam si mariti sint & pro nihilo reputare maritum offendere vt Deo obedias.* Oleast.

Mulier cum viro non contendat, sciens nihil sibi profuturum.

38 *Affer mihi de venatione tua & benedicam tibi*, audiuit Rebecca dicentem Isaacum, sed cum scires filium tuum minorem melioris vitæ, & Esau sanctiorem, cur Isaac viro tuo non dixisti, imo cum contentione, quod præferre in benedictione non deberet Esau, virum crudelem, voluptatibus deditum, Iacob viro simplici, & castissimo? silet, cum viro contendere nolens, sciens nihil inde profuturum, Fauet Ioann. Ferus *quamuis sciret virum errare in eo quod contra voluntatem Domini maiorem benedicere volebat, non tamen cum ipso iurgatur, non vi obsistit, sed latenter curat, vt benedictio ei contingat, quem Deus destinauerat.* Ioan. Ferus.

VARIETAS LECTIONVM VERS. VIII.

VVLG. Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis.
Sep. Nunc igitur fili mi, audi me, sicut ego tibi præcipio.
Cald. Fili mi, acquiesce verbo meo.
Pag. Nunc fili mi, obedi voci meæ.

CONCORDIA.

Licet in Hebræo aliquid plus contineatur quàm in nostra editione, tamen in idem incidunt, nam consilium potest sumi pro præcepto.

EXPOSITIO.

Nunc ergo fili, acquiesce consiliis meis, quasi diceret, scis quo amore te prosequor, & quæ tibi prospera & fœlicia sunt, exopto, sed præ omnibus paternam benedictionem, tibi summopere desidero, quapropter meis consiliis salutaribus acquiesce.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filij, parentibus obediant, in iis quæ dura etiam videntur, si eos timoratæ conscientiæ esse nouerint.

39 *Acquiesce consiliis meis*, si recta non sunt, cum voluntati paternæ benedictionem impendere fratri satagenti aduersentur, quomodo eis consensum præbere potero? nihil tale loquitur, nec resistit, nam filij parentibus, in iis etiam quæ dura videntur & non rationi consentanea, obtemperare tenentur, dummodo eos timoratæ conscientiæ esse nouerint, *admonentur hic optime filij* (inquit Oleaster) *obedire superioribus non solum cùm quæ præcipiuntur dura sunt, sed etiam cùm prima fronte peccata esse videntur, præsertim cum superiores suos timoratos esse viderint.* Oleast.

Consilia parentum recta, tanquam præcepta sint nobis.

40 *Acquiesce consiliis meis*, Hebraica, Caldaica, & verba Græca maiorem habent emphasim, hoc enim sonant, obedi voci meæ, in eo quod præcipio tibi. Si huiusmodi lectiones præceptum nominant, id quod filio suo imposuerat, quomodo noster interpres solum vocat consilium? bene quod consilium dicimus; alij verterunt præceptum, quia recta parentum consilia, vice præceptorum debent fungi erga filios.

Maximus matrum in filios amor nihil difficile reperit.

41 *Acquiesce consiliis meis*, cur dolum, quamuis minime malum, peragendi, pariterque fraudem struendi præbes consilium? cur in inuestigando modo, quomodo Iacob benedictionem paternam assequatur, ita laboras? non laborare arbitratur, nam maximus in filium amor, quodlibet quamuis durum leue efficit, *vides* (inquit Chrysost.) *magnum matris in filium amorem, imo dispensationem Dei, ipse enim est qui ei consilium dedit, & omnia bene agere fecit.* S. Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Et pergens ad gregem, affer mihi duos hoedos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur.

Sep. Et vadens ad oues, sume mihi inde duos hoedos teneros, & bonos, & faciam eos escas patri suo sicut amat.

Cald. Tolle mihi inde duos hœdos caprarum optimos, & faciam ex eis edulia patri tuo.

Pag. Vt faciam ex eis escas sicut dilexit.

CONCORDIA.

Licet noster interpres habeat escas, quibus libenter vescitur, non tamen discrepat ab Hebræo, habente sicut dilexit, vtrobique enim est idem sensus, si enim eis libenter vescebatur, eas diligebat.

EXPOSITIO.

Pergens *ad gregem*, ouium siue caprarum, *& affer mihi duos hœdos, vel potius hœdulos*, qui cum parui, tenerrimi sunt & dulcissimi saporis, duos autem iussit afferri, quia voluit varijs modis coctos, varieque conditos viro præparare, vnde non in singulari sed in plurali subiungit, vt faciam ex eis escas, non escam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vxor nō renuat voluptati licitæ viri satisfacere.

42 Pergens *ad gregem, faciam escas patri tuo quibus libenter vescitur*, in hebræo quas diligit, cur ô Rebecca palato viri tui vis satisfacere? nonne indignum est viro sanctissimæ vitæ, cibis vti delicatissimis, indignum etiam erit muliere sanctissimā eos disponere? neutro hoc indignum, quia vxor renuere non debet voluptati licitæ viri satisfacere, *non esse malum* (inquit Oleaster) *ostendit locus iste, si vxor sciat cibos quos diligit vir suus & sicut vult, illi parare curet.* Oleast.

Diuinæ prouidentiæ cooperandum.

43 *Pergens ad gregem affer mihi duos hœdos*, si ex diuina nosti reuelatione, quod maior seruiet minori, & sic quod Deus decreuerit benedictionem paternam Iacobo tribuendam, cur ita laboras, tum in conquirendis cibis, tum in eis delicate conficiendis, vt filius minor hac ratione benedictionem consequatur? prudenter hunc laborem impendit & angitur, vt omnia fœliciter Iacob contingant, diuinæ enim prouidentiæ aliquid disponenti cooperandum est, vnde diuinæ se præbuit prouidentiæ egregiam ministram.

Nocet honor indigno.

44 *Pergens ad gregem affer mihi duos hœdos*, scilicet vt eis optime dispositis, & palato patris tui iucundis, redditis, fratri tuo surripiatur benedictio, sed ô Rebecca nonne agis inique iuniorem filium, contra mariti voluntatē, & ætatis prærogatiuā, maiori anteponere? optime satisfacit D. Amb. libro secundo de Iacob cap. 2. *Rebecca non quasi filium filio sed quasi iustum præferebat iniusto, illum non tam fratri præferebat quam offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse seruare, in quo & alteri consulebat quem diuinæ subducebat offensæ, ne grauiore implicaretur reatu si acceptæ gratiam benedictionis amitteret*, prudens sane, priuari cupiebat benedictione ac primogenituræ priuilegio filium deteriorem, vt quæ sciret illum accepta dignitate arroganter, atque inique abusurum, voluit igitur fomentum plurium & grauiorum iniquitatum, subducere. S. Ambr.

Infirmis si charitas exigat, cibi delicatiores parandi.

45 *Affer mihi duos hœdos*, cur duos? nonne vnus satis superque fuisset, seni cibando? præcipe igitur vt vnum solum afferat. Scio Procopium asserentem tam robustæ complexionis fuisse Isaac, quamuis senem, vt plurimos absumeret cibos, sed cur non dicemus cum Diodoro Tarsensi iubere Procop. Diodor.

bere matrem, vt duos hædos Iacob afferat, ex quibus in pulmentum, pinguiores partes & teneriores deligerentur, sicque seni & infirmo delicatior cibus tribueretur?

Negotium graue cum secreto perficiendum.

46 *Affer mihi duos hædos*, cur non eis dic alicui ex famulis, vt pergens ad gregem, hædos afferat? nihil tale præcipit, sed hoc solum iniungit filio, vt negotium quod moliebatur, nulli foret apertum, sed omnibus maneret secretissimum: consentit Abul. *non iussit Rebecca aliquem alium de seruitoribus suis ad ferendum hædos, sed ipse Iacob iuit vt factum hoc cautius & secretius foret.*

Abulens.

Peccantium conuersio Dei est cibus.

47 *Affer mihi duos hædos*, cur duos non vnum, cum vnus etiam homini robustissimo sufficeret, ad repellendam famem caninam? obserua pro mystico conceptu Isaac Dei typum esse, hædum peccatorum, quorum vnus erat Iudæus & alter Gentilis, Rebeccam Ecclesiæ: quo posito dicemus recte pro duobus hædis, & non pro vno misisse ad esum Isaac Patriarchæ, quia omnium populorum conuersio, Dei delicatissimus est cibus, consule D. Eucher. libro 2. in Genes. dicentem, *In omnibus scripturis hædi pro peccatoribus accipiuntur, carnes autem hædorum ex quibus Isaac præparatus est cibus, peccantium intelligenda est conuersio ex duobus populis venientium, Iudæis scilicet & nationibus vniuersis.*

S. Eucher.

Sine gratia nihil Deo gratum.

48 *Affer mihi duos hædos vt faciam ex eis escas patri*, præcipe alicui ancillæ tuæ, vt pulmentum conficiat, indignum est enim quod mulier tanti Patriarchæ vxor, propriis manibus cibum coquat, vel præparet: diximus duos hædos adductos ex quibus Isaaco pulmentum suaue conficitur, significare vtrumque populum Deo adductum, cuius conuersio cibus est illi delicatissimus, Rupert lib. 8. c. 15. in Genes. tenet Rebeccam gratiam designare. merito igitur ipsamet Rebecca pulmentum conficit, quia sine gratia, conuersio hominum Deo non præsentatur, nec illi foret grata; sic Hugo Cardin. *non valet cibus nisi Rebecca præparet, id est gratia, quia sine fide impossibile est placere Deo, & Aug. gratia præuenit, vt velimus, subsequitur ne frustra velimus.*

Hugo Card.
August.

Qui tam iustum quàm iniustum sui contemptum potest æquanimiter tolerare, gratissimum Deo cibum offert.

49 *Affer mihi duos hædos*, cur vt paternam benedictionem Iacob consequatur, necesse est vt duo hædi præparentur? nam vt eam tribueret Esau, non ab eo duos petiit sed solum aliquod pulmentum quod ex vno potest confici: aduerte Ricard. à sancto Victore cit. à Silm. in alleg. per duos hædos duplicem hominum contemptum intelligere, vnum qui ex peccato commisso contingit, alterum ex malitia hominum nobis prouenientem: merito igitur duos adduci hædos curat, & ex eis confici cibum, futurum Isaac suauem, nam qui tam iustum quàm iniustum sui contemptum ferre potest æquanimiter, Deo cibum offert gratissimum, verba Ricardi subiicio *vides quod duos enim hædos parare oporteat, qui ad patris benedictionem anhelat, in hædo contemptus voluntarius intelligitur, certe cum male agis iuste contemneris, sed si patientiam amplecteris hædinis carnibus patrem pascis, qui autem inter bona opera contemnitur & totam patientiam amplectitur, fercula geminare videtur, geminos itaque hædos offerre, est tam iustum quàm iniustum sufferre contemptum.*

Ricard. à S. Victore.

VARIETAS LECTIONVM VERS. x.

VVLG. Quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.

Sept. Et inferes patri tuo, & comedet vt benedicat te pater tuus antequam moriatur,

EXPOSITIO.

Quas cum intuleris, à me iam recte præparatas, *benedicat tibi*, existimans esse Esau, quem ad conficiendum pulmentum ex venatione sua miserat & benedicat tibi.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Etiam iusti non carent imperfectionibus.

50 Quas cum intuleris & comederit &c. si filium maiorem scis futurum esse seruum minoris, cum hoc reuelatione diuina acceperis, sicque minorem accepturum benedictionem, cur ita anxia & sollicita de filio benedicendo? non est dubium aliquam diligentiam adhibendam vt prouidentiæ diuinæ coagas, cur igitur tam anxiam & nimiam adhibes? vt etiam in muliere sanctissima, aliquam conspicias imperfectionem, cum timere videatur aliquando, ne diuinum decretum suo priuaretur effectu; testatur Procop. *Rebecca prorsus confidebat promissioni diuinæ maior seruiet minori, cæterum nonnihil vt mos est hominum sollicitudine quadam inquietabatur, ne non benedictio iusti parentis mutaret pronuntiatum diuinum.*

Procop.

Nihil diuinum potest impedire decretum.

51 *Quas cum intuleris & comederit, benedicat tibi*, quid ais Rebecca? existimasne benedicendum Iacob? nonne amor Patris in Esau est maior, quàm in Iacobum? ius primogenituræ, obsequium Patris præstitum, obedientia ei exhibita,

dari benedictionem Esau exigunt: sed aduerte statutum esse à Deo, quod maior seruiet minori; dicamus igitur nihil obstare posse, quin adimpleatur, effectumque sortiatur, accipe auctorem caten. aureæ, *obedientia Esau, diligentia opus, patris consilium, & ipse cœli influxus circa genituram, omnia hæc Iacob promotionem impedire non poterant, sed potius ipsius partes iuuabant quem Dominus dilexerat* omnia enim cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI.

VVLG. Cui ille respondit, nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis.

Sep. Dixit Iacob ad Rebeccam matrem suam, est Esau frater meus vir pilosus, & ego vir lenis.

CONCORDIA.

PLura sunt apud Septuaginta & in Hebræo, nempe dixit ad Rebeccam matrem suam, & repetitio illius dictionis *viri* quam in Vulgato, sed breuitatis gratia, ea omisit.

EXPOSITIO.

CVi ille respondit, timuit ne si consilio matris suæ acquiesceret, deprehenderetur à patre mendax, *nosti quod frater meus homo pilosus sit* ad modum enim animalis hirsutus erat, *& ego lenis*, carnes habens molles pilis carentes.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Cum simplicitate coniungatur prudentia.

52 CVi ille, *nosti quod Esau frater meus sit pilosus*, &c. quasi diceret, quamuis oculis conspicere non possit pater meus, an sim Esau, tamen manibus me attrectans, fallacem & illusorem arbitrabitur, sed ô Iacob, nonne prædicaris simplex? matris igitur non renuas acquiescere consiliis, quodque præcipit exequere, aduerte prudentis argumentum esse, seipsum in aliquod discrimen temere non committere, & quid futurum sit præuidere, quod Iacob attente considerans ait frater meus pilosus est, & ego lenis: merito igitur quamuis simplex, matri obiecit periculum sibi futurum paternæ maledictionis, animi enim simplicitati coniungenda est prudentia, quod dominus suis annuntiat dicens Matt. 10. *estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ*, quæ verba exponens Remigius ait apud D. Thom. in cat. aur. *& ideo Dominus hæc duo sociauit, quia simplicitas absque prudentia facile decipi potest, & prudentia facile periculosa est nisi simplicitate temperetur.*

Math. 10.

Remig.

Nihil temere aggrediendum.

53. *Nosti quod frater meus sit pilosus &c.* optime nouit, quid tibi curæ? aggredere quod præcipit, consiliis eius acquiesce. nonne mater tua est, quæ tibi hoc consulit? nihil igitur obiicias, sed obtemperes, merito renuit, quia nihil temere aggrediendum, sic Abulens. *timuit ne si ista aggrederetur deprehenderetur à patre mendax & malediceretur.*

Abulens.

Maxima filij erga parentes ferantur reuerentia.

54. *Nosti quod frater meus sit pilosus*, &c. quasi diceret, libenter tuis acquiescerem consiliis, si patris indignationem & offensam non timerem, cum cognouerit me ei illudere voluisse, vnum è duobus operare, vel iram paternam ne timeas matris acquiescens consiliis, vel si offensa patris tibi curæ est, matri ne obedias. & spatris indignationem veretur, & matris consilio obtemperare cogitat, quia erga vtrumque parentem filius maxima debet ferri reuerentia, testatur Procop. Sic Iacobum commendans, *mirabilis est Iacob ob insignem illam vtrumque parentem pietatem, veretur ne patrem concitet ad iram, tunc sollicitus est ne non parum obediens matri videatur.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XII.

VVLG. Si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.

Sep. Ne forte attrectet me pater, & ero in conspectu eius quasi spernens.

Cald. Forte contrectabit me pater meus, & ero in oculis suis quasi eludens, & inducam super me maledictiones & non benedictiones.

Pag. Si palpauerit me pater meus, ero in oculis eius tanquam qui errare facit, & venire faciam super me maledictionem.

Oleaster Ero in oculis eius sicut declinare faciens, & inducet super me maledictionem.

Vatab. Ero in oculis eius sicut illusor.

Arias. Ero in conspectu eius tanquam seductor.

Chrys. Et ero ante eum tanquam contemnens.

CONCOR-

CONCORDIA.

VErbum תעה tah non solum illudere, seducere, sed contemnere significat, in Hiphil autem est מתעתע errare faciens, si autem aliquæ lectiones habent secundum nomen, nempe vel illusor vel seductor non autem secundùm participium, scilicet illudens vel decipiens, vt in Hebræo est, parum refert, nam Hebræi vtuntur participiis, aliquando vice nominum.

EXPOSITIO.

SI *attrectauerit me pater meus*, si tetigerit me manibus, ad experiendum, quisnam sim, & senserit me, non esse pilosum, sed leuem, *timeo putet me sibi voluisse illudere eum irridendo*, vel contemnendo, vel decipiendo, *& inducat super me maledictionem pro benedictione*, sicque mihi sors contraria eueniat, & pro benedictione illius maledictionem inueniam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non ægre ferant Prælati, si subditi ilico renuant obedire, cum illis videtur quod præcipitur rationi dissentaneum esse.

55. SI *attrectauerit me pater meus &c.* cur matri tuæ præcipienti vt hœdos afferas, non obtemperas, sed cur subterfugia quæris? aduerte Isaaco visum fuisse consilium matris durum, imo rationi dissentaneum, non mirum igitur si cum excusatione quadam obedire distulerit, non enim ægre ferre debent Prælati, si subditi ilico renuant eorum exequi mandatum, cum existimant id quod eis iubetur, rationi dissentire, sic obseruat Procop. *non debent ægre ferre Prælati cum præcipiunt quæ aduersari Dei legibus & superiorum mandatis videntur, si subditi illis obiiciant, quod eis videtur, sed debent eos instruere, vt sciant non ita esse vt existimant.*

Procop.

Patrem illudens dignus maledictione.

56. *Si attrectauerit me timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem*, quamuis existimet te ei illudere voluisse, non arbitror tibi maledicturum, nam cum sit vitæ sanctissimæ, nec non tuus genitor, parcet libenter tuæ piæ fraudi: nihilominus optimè iudicat patrem sibi maledicturum, si ei illuderet, quia patrem irridens, dignus est maledictione, dignum est enim quod filius qui patri suo illudere voluit, ab eo maledicatur.

Maximè timenda est à filiis parẽtum maledictio.

57. *Si attrectauerit me, & inducam super me maledictionem*, quid tibi curæ est paterna maledictio, dummodo Deus tibi suam tribuat benedictionem quam tibi certo daturus est, si consilis matris tuæ acquieueris? merito eam formidas, nihil enim magis timendum est à filiis quam parentum maledictio, *timenda est valde*, inquit Oleaster, *parentum indignatio, sed cum sine causa ira afficiuntur non curandum.*

Oleaster.

Maximè timeat filius patrem offendere.

58. *Si attrectauerit me pater meus timeo*, quid times? nihil tibi formidãdum, cum pro tua defensione sit diuinum decretum matrisque consilium; potius frater tuus timere debet, ne iacturam paternæ benedictionis faciat: aduerte illa dissimulatione perficienda, quam mater consulebat, existimasse Isaacũ patrem offendi potuisse: ne miremur igitur dixisse, *timeo*, quia filii parentes offendere maxime cauere debent, *horret*, inquit Lippom. *pius filius imponere patri, & Dominum timet offendere mentiendo, patrem reueretur.*

Lippoman.

Frater timeat fratrem offendere.

59. *Si attrectauerit me pater meus, timeo*, cum solum nominas patrem, eumne solum offendere times, ita vt pro benedictione inducat maledictionẽ? non equidem solum, sed etiam fratrem, qui benedictione priuabitur, *quam pius!* inquit Ambros. l. 2. de Iacob cap. 1. *erga parentes, quàm religiosus! vt fratrem recusaret lædere, quàm verecundus! vt patrem timeret fallere.*

D Ambros.

Etiam si nullus nos accuset, conscientia tamen nostra nos arguit.

60. *Si attrectauerit me, timeo ne inducam super me maledictionem pro benedictione*, cur non dicit inducet pater meus maledictionem super me, non autem inducam ego? optime loquitur dicens inducam super me maledictionẽ, non autem pater meus inducet, quia etiam si nullus nos arguat, nullus à nobis delicti pœnas exigat, ipsa tamen conscientia nos accusat, & pœnæ iudicat obnoxios, nobiscum sentit Procop. dicens, *pulchre inquit super me inducam, nam etsi pater re cognita sequutus patriam charitatem & lenitatem, me non obiurgabit, tamen conscientia redarguet me quod maledictione digna commiserim.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIII.

VVLG. Ad quem mater, in me sit, ait, ista maledictio, fili mi, tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.

Chald. Et dixit ei mater sua, mihi dictum est,

ma mea, si Esau benedictionem tribuis, eum in successorem eligis, quod à ratione alienum esse mihi videtur, cùm enim prauis esset moribus, ei Iacob anteponendus erat, te dicemus igitur ô Isaac, personarum acceptorem, iniustumque censebimus; sed immerito, aliquando enim veteres Patriarchæ in filiorum & successorum electione, bona fide errauerunt, nam vt bene D. Hier. epist. 48. loquutus de illo optimo Episcopo, qui pessimum diaconum ordinauerat, *nec mirum*, inquit, *quamuis sanctum hominem, tamen in homine deligendo potuisse falli, cum etiam Deum pœniteat quod Saul in regem vnxerit & in duodecim Apostolis Iudas proditor sit repertus.*

S. Hyer.

Perfecti patris est tales habere filios qui nullo etiã externo audito præcepto, ab eius voluntate non discrepent sed exequãtur.

19 *Fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti*, cur non ait fac hoc vel illo modo, non autem sicut diligo? existimo perfectissimi patris fuisse vocem illam Isaaci ad Esau, pertinet enim ad perfectissimum patrem eos habere filios, qui non repetitis monitis egeant, sed adeo eius nouerint & gustum & voluntatem, vt ex se etiam dissimulante patre præceptum, illam perficiant.

Qui Deo acceptus est parum eget humano auxilio.

20 *Fac mihi inde pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, cur Esau parat benedicere? an in cogniti sanctissimo Patriarchæ efferi mores? cur potius ad illum dirigit benedictionem & non ad Iacob? eo ipso quod nouerat prauos Esau mores & nouerat Iacob virtutes, pro nihilo ducit Iacob benedicere, qui enim erat à Deo acceptus, parum egebat paterno auxilio & tutela, ita Philo Hebr. apud Lipp. *Nouerat Isaac bonum filium bonitate propria sibi ipsi satis auxilio fore.*

Philo.

Idem conceptus confirmatur.

21 *Fac mihi inde pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, si filio tuo benedictionem impertire statuis, imo eam Iacob tribuisti, cur tu à patre optimo sine benedictione derelictus es? quia Isaac in holocaustũ oblatus, ibique Deo acceptus maxime fuit, sic expendit D. Theod. in cat. Græca, *cur quemadmodum Isaac filio suo Iacob, deinde Iacob filiis suis benedixerat, non eodem pacto Abraham benedixerit Isaac, superuacaneum hoc illi forte videbatur, cum post oblationem filii monumentum illud seruaret in peccatore certæ promissionis*, hoc habuit insigne proprium Isaac, quod à Deo postulatus fuerit in holocaustum, & quod ei sic seipse Deo deuouens, immolandũ posuerit à parente, quod ex tunc sic acceptus fuerit Deo, vt in illo totum firmaret arcanum repromissionis, qui ergo sic Deo erat acceptus, nihil egebat siue benedictione siue tutela parentum, quamuis omni patris terreni destitutus auxilio, imo ab omnibus creaturis reiectus Deum auxiliatorem habet præsentem, quo nihil mali nouit timere, sed omnia bona sperare.

S. Theod.

Benedictio paterna liberat etiam filios impios ab infœlicitate.

22 *Fac mihi inde pulmentum & benedicat tibi anima mea*, sciebat Isaac prauis moribus fuisse Esau, & sic indignum benedictione, cur igitur tantopere benedictionem ei largiri desiderat? vt infœlicior & miserior non euaderet, ita cit. Philo. *Isaac cum duos filios haberet, vnum bonum, alterum peccatorem, benedicere voluit malum filium, adiuuare voluit benedictione, sine qua non nisi infœlicissimus esse poterat.*

Philo Iud.

Obsequium præstitum animos maxime conciliat.

23 *Fac mihi pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, cur Esau primogenito tuo non es offensus? cur erga eum te benignum & liberalem exhibes, cum omni beneficio prorsus indignus esse videatur propter agrestem viuendi modum, corruptosque mores? nonne obsequium patri præstabat Esau pulmentum ei conficiens? non mirum igitur quamuis prauis esset moribus ornatus, animum patris induxisse ad impẽdendum sibi benedictionis beneficium: obsequium enim præstitum hominum mentes maxime conciliat; obseruatio est D. Theodoret. q. 77. in Genes. *auxit amoris occasionem, quod officiosus erat patri, venatio enim illius erat ei in cibum, obsequium autem potest crudelissimos quosque mitigare maxime patrem, patrem inquam humanissimum: cæterum reperimus etiam diuinum Apostolum copiosis benedictionibus remunerasse eos qui illi obsequium præstitissent.*

Theod.

Nullus cibus dulcior ori nostro quàm Iesus.

24 *Fac mihi pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, hoc dixit Isaac ditaturus filium Esau gratia benedictionis, sed interea Iacob currit ad greges, affert hædum vt cibum & munus parenti gratum paret. Si hunc cibum non petit pater, cur ei comedendum exhibes? aduerte D. Ambr. existimare fuisse agnum à Iacob præparatum, quo sine dubio Christus Dominus significatur, & licet hædus fuerit, certum est etiam eo Saluatorem nostrum denotari, vide D. Cyrill. contra Iuli. cap. 9. epist. 39. ne mireris igitur hunc cibum ei præparasse Iacob, quia nullus est suauior ori nostro, quàm Christus Dominus: nobis adstipulatur D. Ambr. lib. 2. de Iacob cap. 2. *accessit ad oues Iacob & attulit innocentiæ partum, quia Patriarchæ nullum cibum credit esse dulciorem quàm Christum, hunc publicum parenti cibum vtilem iudicabat, quo futura erat remissio peccatorum, & ideo accepit stolam patris.*

Ambr.

Christus Dominus à sanctis Patriarchis maxime exoptatus.

25 *Fac mihi pulmentum & benedicat tibi anima mea*, D. August. lib. 1. super Genes. quæst. 79. hæc quæ ab Isaac gerebantur attente cõsiderans ait, quoniam tantus Patriarcha Isaac antequam moriatur, quærit à filio suo venationem & escam, nullo modo vacare arbitramur significatione prophetica. Sed quænam significatio Prophetica includeretur, non aperit: eam igitur inquiramus, certũ est hinnulo ceruorum, vel ipsis ceruis, nullum esse cibum suauiorem vel delicatiorem, quis autẽ ignorat eo Christum Dominum denotari, iuxta illud *similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum*? nulla enim carnis mole oppressus, & omnibus virtutibus distinctus, hinnulus enim ceruorum, diuersis distinguitur maculis, vel secundum Aponium, *similis hinnulo qui est sine carnibus, dicitur propter humilitatem*, cur non dicemus igitur Isaac in pulmento ex ceruo confecto, summo desiderio Christum Dominum exoptasse?

Cant. 2.

Aponius.

Iusti

Iusti solùm ea quæ a Deo reuelantur agnoscunt & non omnia.

26 *Fac mihi pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, si Esau non danda benedictio, sed Iacob, quomodo nesciuit ei impertiendam? quia iusti solum ea quæ à Deo reuelantur, agnoscunt, & non omnia. Sic D. Eucher. lib. 2. in Genes. *plura sunt*, inquit, *quàm vt exemplis debeamus docere, sanctos viros & Deo charos ea tantummodo sciisse, quæ eis à Domino reuelata sunt, ignorasse vero quæ eis reuelata non fuerunt: sicut & Isaac vir iustus & Deo charus, non illi cui voluit, sed cui noluit, deceptus errore benedixit: vnde non mirum est Isaac in sua maxima vtilitate nesciisse quid faceret, cum magis eo tempore erraret, quo filium sanguinarium & deditum voluptati, & eum, qui postea vellet fratrem occidere, prætermisso illo qui innocenter habitabat domi vellet efferre, & suam magis quàm Dei voluntatem facere.*

D. Euch.

Patres aliquando plus solliciti sunt de filiis ditandis, quàm de propria animarum salute.

27 *Fac mihi pulmentum vt benedicat tibi anima mea, antequam moriar*, id est vt te possessorem, & bonorum meorum hæredem constituam antequam vitam cum morte commutem, si iam in extremis ô Isaac, vel saltem infirmitate oppressus es senio confectus, iaces in lecto, cur potius animæ tuæ, saluti filiorum tuorum concordiæ, quos discordes inter se optime nosti, inuigilas, quàm relinquendæ filio tuo Esau hæreditati? quia tanta cæcitate aliquando patres tenentur, vt sub mortis horam, plus de amplissimis filiorum patrimoniis solliciti, quàm de propria salute, vix sacramenta necessaria ad vitæ transitum, & de legandis in pauperes ad subsidium animarum eleemosynis non cogitant, nec testamento cōmittunt, moralitas est Oleast. *ecce*, inquit, *de quibus solicitantur parentes, in hora mortis, nam qui deberent aliena restituere, propria pauperibus largiri, solum de filiis ditandis cogitant.*

Oleast.

Obedientià, paterna benedictio, & bonorum hæreditas acquiritur.

28 *Fac mihi inde pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, cur Isaac venationem expetiit ab Esau, antequam eum benedicere vellet? itane fame premebatur, vt necesse fuerit cibo refici, antequam benedictionem impenderet: benedicat, deinde comedet? prius à filio venationem exigit quàm benedictionem largiatur, vt ex obedientia ei præstita, eam mereretur, ita Ang. Thom. qui quæstionē hanc mouens dixit, *vt Esau meritorie ad suscipiendam paternam benedictionem disponeretur, per opus promidæ obedientiæ.*

Tho. Angl.

Cum aliquos Domino acquisierimus, eos bonis imbuamus moribus.

29. *Fac mihi inde pulmentum &c.* nonne ô Isaac tibi sunt plures famuli, qui tibi cibum sapidum præparare nouerunt, præcipe ergo vt tibi ex venatione filij pulmentum conficiant, & à labore Esau quiescat, mystice loquamur, per Esau venatione aliquid capientem, potest intelligi concionator, qui verbo Dei homines quasi venatu accipit & Deo acquirit: quo posito bene dicitur, vt ipsemet Esau pulmentum conficiat, quia cum aliquos Deo prædicatione acquisierimus, eos nos ipsi bonis moribus imbuere debemus. Sic Hugo Carens. *cum aliquos ab errore suo ad Christum conuerteris, eos in seruitio diuino informare studeto, quod non faciunt mercenarii aut hypocritæ, qui sæpe peccatores verbo prædicationis conuertunt, sed eos postmodum in Domini seruitio non confirmant..*

Hugo. Card.

Deo obsequendum non alieno studio, sed nostro.

30 *Fac inde pulmentum & affer vt comedam*, cur præcipis vt ipsemet tibi hoc præstet obsequium? accedat famulus & pulmentum conficiat: merito iubet vt afferat, quia Deo per Isaacum denotato obsequendum & seruiendum, non alieno labore, sed proprio, *affer* (inquit cit. Carens.) *non mitte, & est contra quosdam, qui semper per alios seruiunt domino, sed nunquam vel raro personaliter, cum dictum est eis Ioann. 15. ego elegi vos vt exeatis & fructum afferatis.*

Hugo Carens.

Ioann. 15.

Benedictiones bonorum potius Dei quàm hominum sunt.

31 *Fac mihi pulmentum vt benedicat tibi anima mea*, tamen non Esau quem voluit, sed Iacob quem noluit, benedixit, quomodo si viri iusti voluntas recta erat, benedictionem cui volebat non impendit? vt agnosceremus benedictionem bonorum potius Dei esse quàm hominum. Fauet Albin. in Genes. *Deus occultorum cognitor, minorem maiori benedictionem ostendit, vt benedictionem non hominis sed Dei ostenderet; ideo dictum est in Numeris ad Moysem & Aaron Sacerdotem, ponite nomen meum super filios Israel ego Dominus, benedicam eos: Sacerdotis est benedicere, Dei est effectum tribuere benedictionis.*

Albinus.

Patres filiorum defectus etiam beneficiis emendare conentur.

32 *Fac mihi pulmentum, vt tibi benedicat anima mea*, non equidem benedicerem Esau, cùm ob priuatum viuendi modum potius dignus maledictione censeretur, nihil minus benedicere voluit, non quia benedictione dignum iudicaret, sed vt hoc beneficio, à peruersa viuendi ratione reuocaret. Sic Philo in catena græ. *in deteriorem filium pater deflectit benedictionem, non quia meliori præferret, sed ipsius defectum emendare cupiens.*

Philo.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS V.

VVLG. Quod cùm audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum, vt iussionem patris impleret,

Sep. Rebecca autem audiuit loquentem Isaac ad Esau filium suum, iuit autem Esau in campum ad venandum venationem patri suo.

Pag. Et perrexit Esau in agrum, vt venaretur venationem vt afferret.

Vatab. Vt faceret venire patri suo venationem.

CONCORDIA.

NOster Vulgatus sensum textus posuit, cum ait abiit in campum, vt missionem patris impleret. Septuaginta vero cum aliis sequuntur lectionem Hebraicam nec non illius verba.

EXPOSITIO.

QVæ cum audisset Rebecca, quæ præsens aderat, *& ille abiisset in agrum*, voluit enim aliquid aperire Iacob Esau præsente, *vt iussionem patris impleret*, de venatione facienda & de conficiendo pulmento.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

In negotiis fœliciter exequendis prudentia maxime necessaria.

33 *QVæ cum audiisset & ille abiisset in agrum*, cur expectat Rebecca recessum Esau in agrum, vt mentem suam aperiat Iacob? nonne eo præsente potuit consilium manifestum facere? aduerte quod si præsente, quamuis non audiente Esau, aliquid secreto Iacobo aperuisset Rebecca, potuisset suspicari aliquid in se moliri Rebeccam & Iacob: prudenter igitur egit, egresso Esau, tunc mentem suam filio iuniori aperire, prudentia enim in negotiis fœliciter exequendis maxime necessaria est *quam* inquit Phil. Abb. lib. de obed. cleri. cap. 14. *qui non curat in his quæ agit salubriter habere, ipsum etiam cor merito conuincitur non habere.*

Philo. Abba.

Parentum affectus non in vnum filium feratur, sed in omnes diuidatur.

34 *Quæ cum audiisset & ille abiisset in agrum*, absentia Esau magnam dedit opportunitatem Rebeccæ & Iacob struendi, ornandique piam fraudem, sed cur Rebecca sicut Isaac, amore singulari non prosequitur Esau? cur amor vtriusque in eum non refunditur? quia parentum affectus in filios, debet diuidi, nec totus in vnum congeri, vt domestica pax & quies cōseruetur, quod obseruauit D. Ambr. libr. 2. de Isa. cap. 2. *accipe bonum certamen in parentes, mater deferat affectum, pater iudicium, mater circa iuniorem tenera pietate propendat, pater circa seniorem natu, & honorificentiam seruet, hic magis honoret, illa plus diligat, dum singuli singulos foueant, non in vnum vterque conspirent, defraudent alterum, fiat æquitas inter diuersa certamina, & disparibus studiis par vtrique ac æqualis parentum amor & gratia conferatur, compenset alter quod alter imminuit, sic pio affectu Isaac Patriarcha & Rebecca certabant, vt neutrum inferiorem facerent, sed vtrumque æqualem.*

S. Ambr.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VI.

VVLG. Dixit filio suo Iacob, audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei.

Sep. Rebecca autem dixit ad Iacob filium suum minorem, inde audiui patrem tuum, &c.

EXPOSITIO.

DIxit filio suo Iacob, absens enim erat, cum Isaac pater suus præcepit Esau vt conficeret sibi pulmentum ex venatione sua *audiui patrem tuum*, refert verba ipsius Isaac dicta Esau.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Patres quos diligunt, filios præcipue appellant.

35 *DIxit filio suo Iacob*, si nulli incognitum erat Iacob filium fuisse Rebeccæ, cur additum est à Moyse, quod Iacob erat filius eius? sufficiebat enim dixisse, dixit Rebecca Iacob? tum etiam Esau filium suum non appellat, ait enim dixit patrē tuum loquentē cum Esau fratre tuo, non autem cum Esau filio meo, quare cum vtriusque mater esset, solum Iacob filium suum dicit, non autem Esau? quia parentes quos diligunt, specialiter eos filios appellant, ita Abul. *Specialiter erat filius Iacob, quia magis eum diligebat.*

Abul.

Vir secretum suum etiam vxori sæpius occultet.

36 *Dixit filio suo audiui patrem tuum &c.* cur non ait, dixit mihi pater tuus? quia id Isaac ei non aperuerat, sed cum Rebecca esset eius vxor amantissima, quomodo consilium suum ei non aperuit? quia vir prudens vxori suæ aliquando mentem suam manifestam facere non debet. Sic Oleast. *docentur coniugati secreta sua etiam ab ea quæ in sinu suo dormit, occultare, quoniam inimici hominis domestici eius.*

Oleast.

VARIE-

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII.

VVLG. Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi antequam moriar.

Sep. Affer mihi venationem, & fac mihi escas,

Cald. Fac mihi edulia.

EXPOSITIO.

Affer mihi de venatione tua, vide quæ supra dicta sunt, & *fac cibos*, nempe pulmentum, & *benedicam tibi* coram Domino, vt imprecer tibi fausta & fœlicia, *antequam moriar*, quia paulo ante mortem solebat pater filiis benedictionem impendere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Magis Deo obtemperandum quàm hominibus.

37. *Affer mihi de venatione tua*, hęc omnia repetit Rebecca, vt modũ tribuat Iacobo paternam benedictionem surripiendi, & piam fraudem peragendi. Sed cum viri tui voluntatem compertam habeas, optimeque noscas, quod benedictionem filio suo primogenito tribuere studet, cùm eius voluntatem sequi & ei obtemperare debeas, quomodo ei aduersaris? aduerte Dei voluntatem agnouisse ex reuelatione, quod minor præferendus esset maiori, sicque benedictionem consecuturus: merito igitur voluntati viri aduersatur sequens diuinam, magis enim obtemperandum est Deo quàm hominibus, *hic instruit nos* (inquit Oleast) *sancta fœmina magis Deo obtemperandum esse quàm hominibus, etiam si mariti sint & pro nihilo reputare maritum offendere vt Deo obedias.*

Oleast.

Mulier cum viro non contendat, sciens nihil sibi profuturum.

38 *Affer mihi de venatione tua & benedicam tibi*, audiuit Rebecca dicentem Isaacum, sed cum scires filium tuum minorem melioris vitæ, & Esau sanctiorem, cur Isaac viro tuo non dixisti, imo cum contentione, quod præferre in benedictione non deberet Esau, virum crudelem, voluptatibus deditum, Iacob viro simplici, & castissimo? silet, cum viro contendere nolens, sciens nihil inde profuturum, Fauet Ioann. Ferus *quamuis sciret virum errare in eo quod contra voluntatem Domini maiorem benedicere volebat, non tamen cum ipso iurgatur, non vi obsistit, sed latenter curat, vt benedictio ei contingat, quem Deus destinauerat.*

Ioan. Ferus.

VARIETAS LECTIONVM VERS. VIII.

VVLG. Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis.

Sep. Nunc igitur fili mi, audi me, sicut ego tibi præcipio.

Cald. Fili mi, acquiesce verbo meo.

Pag. Nunc fili mi, obedi voci meæ.

CONCORDIA.

Licet in Hebræo aliquid plus contineatur quàm in nostra editione, tamen in idem incidunt, nam consilium potest sumi pro præcepto.

EXPOSITIO.

Nunc ergo fili, acquiesce consiliis meis, quasi diceret, scis quo amore te prosequor, & quæ tibi prospera & fœlicia sunt, exopto, sed præ omnibus paternam benedictionem, tibi summopere desidero, quapropter meis consiliis salutaribus acquiesce.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filij, parentibus obediant, in iis quæ dura etiam videntur, si eos timoratæ conscientiæ esse nouerint.

39 *Acquiesce consiliis meis*, si recta non sunt, cum voluntati paternæ benedictionem impendere fratri satagenti aduersentur, quomodo eis consensum præbere potero? nihil tale loquitur, nec resistit, nam filij parentibus, in iis etiam quæ dura videntur & non rationi consentanea, obtemperare tenentur, dummodo eos timoratæ conscientiæ esse nouerint, *admonentur hic optime filij* (inquit Oleaster) *obedire superioribus non solum cùm quæ præcipiuntur dura sunt, sed etiam cùm prima fronte peccata esse videntur, præsertim cum superiores suos timoratos esse viderint.*

Oleast.

Consilia parentum recta, tanquam præcepta sint nobis.

40 *Acquiesce consiliis meis*, Hebraica, Caldaica, & verba Græca maiorem habent emphasim, hoc enim sonant, obedi voci meæ, in eo quod præcipio tibi. Si huiusmodi lectiones præceptum nominant, id quod filio suo imposuerat, quomodo noster interpres solum vocat consilium? bene quod consilium dicimus; alij verterunt præceptum, quia recta parentum consilia, vice præceptorum debent fungi erga filios.

Maximus matrum in filios amor nihil difficile reperit.

41 *Acquiesce consiliis meis*, cur dolum, quamuis minime malum, peragendi, piamque fraudem struendi præbes consilium? cur in inuestigando modo, quomodo Iacob benedictionem paternam assequatur, ita laboras? non laborare arbitratur, nam maximus in filium amor, quodlibet quamuis durum leue efficit, *vides* (inquit Chrysost.) *magnum matris in filium amorem, imo dispensationem Dei, ipse enim est qui ei consilium dedit, & omnia bene agere fecit.* S. Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Et pergens ad gregem, affer mihi duos hoedos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur.

Sep. Et vadens ad oues, sume mihi inde duos hoedos teneros, & bonos, & faciam eos escas patri suo sicut amat.

Cald. Tolle mihi inde duos hœdos caprarum optimos, & faciam ex eis edulia patri tuo.

Pag. Vt faciam ex eis escas sicut dilexit.

CONCORDIA.

Licet noster interpres habeat escas, quibus libenter vescitur, non tamen discrepat ab Hebræo, habente sicut dilexit, vtrobique enim est idem sensus, si enim eis libenter vescebatur, eas diligebat.

EXPOSITIO.

Pergens ad gregem, ouium siue caprarum, *& affer mihi duos hœdos, vel potius hœdulos*, qui cum parui, tenerrimi sunt & dulcissimi saporis, duos autem iussit afferri, quia voluit variis modis coctos, varieque conditos viro præparare, vnde non in singulari sed in plurali subiungit, vt faciam ex eis escas, non escam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vxor nõ renuat voluptati licitæ viri satisfacere.

42 *Pergens ad gregem, faciam escas patri tuo quibus libenter vescitur*, in hebræo quas diligit, cur ô Rebecca palato viri tui vis satisfacere? nonne indignum est viro sanctissimæ vitæ, cibis vti delicatissimis, indignum etiam erit muliere sanctissima eos disponere? neutro hoc indignum, quia vxor renuere non debet voluptati licitæ viri satisfacere, *non esse malum* (inquit Oleaster) *ostendit locus iste, si vxor sciat cibos quos diligit vir suus & sicut vult, illi parare curet.* Oleast.

Diuinæ prouidentiæ cooperandum.

43 *Pergens ad gregem affer mihi duos hœdos*, si ex diuina nosti reuelatione, quod maior seruiet minori, & sic quod Deus decreuerit benedictionem paternam Iacobo tribuendam, cur ita laboras, tum in conquirendis cibis, tum in eis delicate conficiendis, vt filius minor hac ratione benedictionem consequatur? prudenter hunc laborem impendit & angitur, vt omnia fœliciter Iacob contingant, diuinæ enim prouidentiæ aliquid disponenti cooperandum est, vnde diuinæ se præbuit prouidentiæ egregiam ministram.

Nocet honor indigno.

44 *Pergens ad gregem affer mihi duos hœdos*, scilicet vt eis optime dispositis, & palato patris tui iucundis, redditis, fratri tuo surripiatur benedictio, sed ô Rebecca nonne agis inique iuniorem filium, contra mariti voluntatẽ, & ætatis prærogatiuã, maiori anteponere? optime satisfacit D. Amb. libro secundo de Iacob cap. 2. *Rebecca non quasi filium filio sed quasi iustum præferebat iniusto, illum non tam fratri præferebat quam offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse seruare, in quo & alteri consulebat quem diuinæ subducebat offensæ, ne grauiore implicaretur reatu si acceptæ gratiam benedictionis amitteret*, prudens sane, priuari cupiebat benedictione ac primogenituræ priuilegio filium deteriorem, vt quæ sciret illum accepta dignitate arroganter, atque inique abusurum, voluit igitur fomentum plurium & grauiorum iniquitatum, subducere. S. Ambr.

Infirmis si charitas exigat, cibi delicatiores parandi.

45 *Affer mihi duos hœdos*, cur duos? nonne vnus satis superque fuisset, seni cibando? præcipe igitur vt vnum solum afferat. Scio Procopium asserentem tam robustæ complexionis fuisse Isaac, quamuis senem, vt plurimos absumeret cibos, sed cur non dicemus cum Diodoro Tarsensi iubere Procop. Diodor.

bere matrem, vt duos hœdos Iacob afferat, ex quibus in pulmentum, pinguiores partes & teneriores deligerentur, sicque leni & infirmo delicatior cibus tribueretur?

Negotium graue cum secreto perficiendum.

46 *Affer mihi duos hœdos*, cur non ais dic alicui ex famulis, vt pergens ad gregem, hœdos afferat? nihil tale præcipit, sed hoc solum iniungit filio, vt negotium quod moliebatur, nulli foret apertum, sed omnibus maneret secretissimum: consentit Abul. *non emisit Rebecca aliquem alium de seruitoribus suis ad ferendum hœdos, sed ipse Iacob iuit vt factum hoc cautius & secretius foret.*

Abulens.

Peccantium conuersio Dei est cibus.

47 *Affer mihi duos hœdos*, cur duos non vnum, cum vnus etiam homini robustissimo sufficeret, ad repellendam famem caninam? obserua pro mystico conceptu Isaac Dei typum esse, hœdum peccatorum, quorum vnus erat Iudæus & alter Gentilis, Rebeccam Ecclesiæ: quo posito dicemus recte pro duobus hœdis, & non pro vno misisse ad esum Isaac Patriarchæ, quia omnium populorum conuersio, Dei delicatissimus est cibus, consule D. Eucher. libro 2. in Genes. dicentem, *In omnibus scripturis hœdi pro peccatoribus accipiuntur, carnes autem hœdorum ex quibus Isaac præparatus est cibus, peccantium intelligenda est conuersio ex duobus populis venientium, Iudæis scilicet & nationibus vniuersis.*

S. Eucher.

Sine gratia nihil Deo gratum.

48 *Affer mihi duos hœdos vt faciam ex eis escas patri*, præcipe alicui ancillæ tuæ, vt pulmentum conficiat, indignum est enim quod mulier tanti Patriarchæ vxor, propriis manibus cibum coquat, vel præparet: diximus duos hœdos adductos ex quibus Isaaco pulmentum suaue conficitur, significare vtrumque populum Deo adductum, cuius conuersio cibus est illi delicatissimus, Rupert lib. 8. c. 15. in Genes. tenet Rebeccam gratiam designare. merito igitur ipsamet Rebecca pulmẽtum conficit, quia sine gratia, conuersio hominum Deo non præsentatur, nec illi foret grata; sic Hugo Cardin. *non valet cibus nisi Rebecca præparet, id est gratia, quia sine fide impossibile est placere Deo, & Aug. gratia præuenit, vt velimus, subsequitur ne frustra velimus.*

Hugo Card.

August.

Qui tam iustum quàm iniustum sui contemptum potest æquanimiter tolerare, gratissimum Deo cibum offert.

49 *Affer mihi duos hœdos*, cur vt paternam benedictionem Iacob consequatur, necesse est vt duo hœdi præparentur? nam vt eam tribueret Esau, non ab eo duos petiit sed solum aliquod pulmentum quod ex vno potest confici: aduerte Ricard. à sancto Victore cit. à Silm. in alleg. per duos hœdos duplicem hominum contemptum intelligere, vnum qui ex peccato commisso contingit, alterum ex malitia hominum nobis prouenientem: merito igitur duos adduci hœdos curat, & ex eis confici cibum, futurum Isaac suauem, nam qui tam iustum quàm iniustum sui contemptum ferre potest æquanimiter, Deo cibum offert gratissimum, verba Ricardi subiicio *vides quod duos eum hœdos parare oporteat, qui ad patris benedictionem anhelat, in hœdo contemptus voluntarius intelligitur, certe cum male agis iuste contemneris, sed si patientiam amplecteris hœdinis carnibus patrem pascis, qui autem inter bona opera contemnitur & totam patientiam amplectitur, fercula geminare videtur, geminos itaque hœdos offerre, est tam iustum quàm iniustum sufferre contemptum.*

Ricard. à S. Victore.

VARIETAS LECTIONVM VERS. X.

VVLG. Quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.

Sept. Et inferes patri tuo, & comedet vt benedicat te pater tuus antequam moriatur,

EXPOSITIO.

Q*Vas cum intuleris*, à me iam recte præparatas, *benedicat tibi*, existimans esse Esau, quem ad conficiendum pulmentum ex venatione sua miserat & benedicat tibi.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Etiam iusti non carent imperfectionibus.

50 Q*Vas cum intuleris & comederit* &c. si filium maiorem scis futurum esse seruum minoris, cum hoc reuelatione diuina acceperis, sicque minorem accepturum benedictionem, cur ita anxia & sollicita de filio benedicendo? non est dubium aliquam diligentiam adhibendam vt prouidentiæ diuinæ coagas, cur igitur tam anxiam & nimiam adhibes? vt etiam in muliere sanctissima, aliquam conspicias imperfectionem, cum timere videatur aliquando, ne diuinum decretum suo priuaretur effectu; testatur Procop. *Rebecca prorsus confidebat promissioni diuinæ maior seruiet minori, caterum nonnihil vt mos est hominum sollicitudine quadam inquietabatur, ne hæc benedictio iusti parentis mutaret pronuntiatum diuinum.*

Procop.

Nihil diuinum potest impedire decretum.

51 *Quas cum intuleris & comederit, benedicat tibi*, quid ais Rebecca? existimasne benedicendum Iacob? nonne amor Patris in Esau est maior, quàm in Iacobum? ius primogenituræ, obsequium Patris præstitum, obedientia ei exhibita,

dari benedictionem Esau exigunt: sed aduerte statutum esse à Deo, quod maior seruiet minori; dicamus igitur nihil obstare posse, quin adimpleatur, effectumque sortiatur, accipe auctorem catenæ aureæ, *obedientia Esau, diligentia opus, patris consilium, & ipse cœli influxus circa genituram, omnia hæc Iacob promotionem impedire non poterant, sed potius ipsius partes iuuabant quem Dominus dilexerat* omnia enim cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI.

VVLG. Cui ille respondit, nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis.

Sep. Dixit Iacob ad Rebeccam matrem suam, est Esau frater meus vir pilosus, & ego vir lenis.

CONCORDIA.

PLura sunt apud Septuaginta & in Hebræo, nempe dixit ad Rebeccam matrem suam, & repetitio illius dictionis *viri* quam in Vulgato, sed breuitatis gratia, ea omisit.

EXPOSITIO.

C*Vi ille respondit*, timuit ne si consilio matris suæ acquieceret, deprehenderetur à patre mendax, *nosti quod frater meus homo pilosus sit* ad modum enim animalis hirsutus erat, *& ego lenis*, carnes habens molles pilis carentes.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Cum simplicitate coniungatur prudentia.

52 C*Vi ille, nosti quod Esau frater meus sit pilosus*, &c. quasi diceret, quamuis oculis conspicere non possit pater meus, an sim Esau, tamen manibus me attrectans, fallacem & illusorem arbitrabitur, sed ô Iacob, nonne prædicaris simplex? matris igitur non renuas acquiescere consiliis, quodque præcipit exequere, aduerte prudentis argumentum esse, seipsum in aliquod discrimen temere non committere, & quid futurum sit præuidere, quod Iacob attente considerans ait frater meus pilosus est, & ego lenis: merito igitur quamuis simplex, matri obiecit periculum sibi futurum paternæ maledictionis, animi enim simplicitati coniungenda est prudentia, quod dominus suis annuntiat dicens Matt. 10. *estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ*, quæ verba exponens Remigius ait apud D. Thom. in cat. aur. *& ideo Dominus hæc duo sociauit, quia simplicitas absque prudentia facile decipi potest, & prudentia facile periculosa est nisi simplicitate temperetur.*

Math. 10.

Remig.

Nihil temere aggrediendum.

53. *Nosti quod frater meus sit pilosus &c.* optime nouit, quid tibi curæ? aggredere quod præcipit, consiliis eius acquiesce. nonne mater tua est, quæ tibi hoc consulit? nihil igitur obiicias, sed obtemperes, merito renuit, quia nihil temere aggrediendum, sic Abulens. *timuit ne si ista aggrederetur deprehenderetur à patre mendax & malediceretur.*

Abulens.

Maxima filij erga parentes ferantur reuerentia.

54. *Nosti quod frater meus sit pilosus*, &c. quasi diceret, libenter tuis acquiescerem consiliis, si patris indignationem & offensam non timerem, cum cognouerit me ei illudere voluisse, vnum è duobus operare, vel iram paternam ne timeas matris acquiescens consiliis, vel si offensa patris tibi curæ est, matri ne obedias. & patris indignationem veretur, & matris consilio obtemperare cogitat, quia erga vtrumque parentem filius maxima debet ferri reuerentia, testatur Procop. Sic Iacobum commendans, *mirabilis est Iacob ob insignem illam vtrumque parentem pietatem, veretur ne patrem concitet ad iram, tunc sollicitus est ne non parum obediens matri videatur.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XII.

VVLG. Si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.

Sep. Ne forte attrectet me pater, & ero in conspectu eius quasi spernens.

Cald. Forte contrectabit me pater meus, & ero in oculis suis quasi eludens, & inducam super me maledictiones & non benedictiones.

Pag. Si palpauerit me pater meus, ero in oculis eius tanquam qui errare facit, & venire faciam super me maledictionem.

Oleaster Ero in oculis eius sicut declinare faciens, & inducet super me maledictionem.

Vatab. Ero in oculis eius sicut illusor.

Arias. Ero in conspectu eius tanquam seductor.

Chrys. Et ero ante eum tanquam contemnens.

CONCOR-

CONCORDIA.

VErbum תעה tah non solum illudere, seducere, sed contemnere significat, in Hiphil autem est מתעתע errare faciens, si autem aliquæ lectiones habent secundum nomen, nempe vel illusor vel seductor non autem secundùm participium, scilicet illudens vel decipiens, vt in Hebræo est, parum refert, nam Hebræi vtuntur participiis, aliquando vice nominum.

EXPOSITIO.

SI *attrectauerit me pater meus*, si tetigerit me manibus, ad experiendum, quisnam sim, & senserit me, non esse pilosum, sed leuem, *timeo putet me sibi voluisse illudere cum irridendo*, vel contemnendo, vel decipiendo, *& inducat super me maledictionem pro benedictione*, sicque mihi sors contraria eueniat, & pro benedictione illius maledictionem inueniam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non ægre ferant Prælati, si subditi ilico renuant obedire, cum illis videtur quod præcipitur rationi dissentaneum esse.

55. SI *attrectauerit me pater meus &c.* cur matri tuæ præcipienti vt hœdos afferas, non obtemperas mecorcur subterfugia quæris? aduerte Isaaco visum fuisse consilium matris durum, imo rationi dissentaneum, non mirum igitur si cum exculatione quadam obedire distulerit, non enim ægre ferre debent Prælati, si subditi ilico renuant eorum exequi mandatum, cum existimant id quod eis iubetur, rationi dissentire, sic obseruat Procop. *non debent ægre ferre Prælati cum præcipiunt quæ aduersari Dei legibus & superiorum mandatis videntur, si subditi illis obiiciant, quod eis videtur, sed debent eos instruere, vt sciant non ita esse vt existimant.*

Procop.

Patrem illudens dignus maledictione.

56. *Si attrectauerit me timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem,* quamuis existimet te ei illudere voluisse, non arbitror tibi maledicturum, nam cum sit vitæ sanctissimæ, nec non tuus genitor, parcet libenter tuæ piæ fraudi: nihilominus optimè iudicat patrem sibi maledicturum, si ei illuderet, quia patrem irridens, dignus est maledictione, dignum est enim quod filius qui patri suo illudere voluit, ab eo maledicatur.

Maximè timenda est à filiis parẽtum maledictio.

57. *Si attrectauerit me, & inducam super me maledictionem*, quid tibi curæ est paterna maledictio, dummodo Deus tibi suam tribuat benedictionem quam tibi certo daturus est, si consiliis matris tuæ acquieueris? merito eam formidat, nihil enim magis timendum est à filiis quam parentum maledictio, *timenda est valde*, inquit Oleaster, *parentum indignatio, sed cum sine causa ira afficiuntur non curandum.*

Oleaster.

Maximè timeat filius patrem offendere.

58. *Si attrectauerit me pater meus timeo*, quid times? nihil tibi formidãdum, cum pro tua defensione sit diuinum decretum matrisque consilium; potius frater tuus timere debet, ne iacturam paternæ benedictionis faciat: aduerte illa dissimulatione perficienda, quam mater consulebat, existimasse Isaacũ patrem offendi potuisse: ne miremur igitur dixisse, *timeo*, quia filii parentes offendere maxime cauere debent, *horret*, inquit Lippom. *pius filius imponere patri, & Dominum timet offendere mentiendo, patrem reueretur.*

Lippoman.

Frater timeat fratrem offendere.

59. *Si attrectauerit me pater meus, timeo*, cum solum nominas patrem, eumne solum offendere times, ita vt pro benedictione inducat maledictionẽ? non equidem solum, sed etiam fratrem, qui benedictione priuabitur, *quam pius!* inquit Ambros. l. 2. de Iacob cap. 1. *erga parentes, quàm religiosus! vt fratrem recusaret lædere, quàm verecundus! vt patrem timeret fallere.*

D Ambros.

Etiam si nullus nos accuset, conscientia tamen nostra nos arguit.

60. *Si attrectauerit me, timeo ne inducam super me maledictionem pro benedictione*, cur non dixit inducet pater meus maledictionem super me, non autem inducam ego? optime loquitur dicens inducam super me maledictionẽ, non autem pater meus inducet, quia etiam si nullus nos arguat, nullus à nobis delicti pœnas exigat, ipsa tamen conscientia nos accusat, & pœnæ iudicat obnoxios, nobiscum sentit Procop. dicens, *pulchre inquit super me inducam, nam etsi pater re cognita sequutus patriam charitatem & leuitatem, me non obiurgabit, tamen conscientia redarguet me quod maledictione digna commiserim.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIII.

VVLG. Ad quem mater, in me sit, ait, ista maledictio, fili mi, tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.

Chald. Et dixit ei mater sua, mihi dictum est,

per Prophetiam, quod non venient maledictiones super te, nisi benedictiones, fili mi tantummodo acquiesce mihi, & vade, tolle mihi.

Oleaster. Super me despectio tua.

Cat. Grae. Fili mi super me sit ista execratio tua.

CONCORDIA.

LIcet verbum קלל κalal in cal significet vilem esse, vel haberi, aut despici, sicut vertit Oleaster, tamen in piel significat maledicere, execrari, vnde fit quod nomen קללה Kelalah vertitur aliquando pro maledictione, despectione, siue execratione.

EXPOSITIO.

AD *quem mater*, certa de diuino oraculo ait, *in me sit ista maledictio*, quasi diceret, ne timeas maledictionem accepturum pro benedictione, si aliqua tibi contingere deberet, in me inducatur, & feram, attamen Dei promissis confido, qui dixit, maior seruiet minori, vt consequaris benedictionem, *tamen audi vocem meam*, acquiesce consilio iam tibi dato, *& pergens ad gregem affer* quæ dixi, nempe duos hœdos.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Tantus est amor aliquando matris erga filium, vt quodlibet aduersum & infœlix, pro eo non dubitet tolerare.

61. AD *quem mater ait, in me sit ista maledictio*, nonne sufficit tot labores, cum esses grauida, pro eo exantlasse? quomodo ergo non dubitas maledictionem, qua nihil infœlicius, pro eo tolerare? quia tanta est aliquando charitas matris erga filium, vt quodlibet aduersum & infœlix, pro eo ferre non renuat, dummodo ei fœlicitas & bonorum obueniat possessio, sic Isid. Pelus. lib. secundo Epist. quinquagesima octaua, *Rebecca Apostolica, vt sic loquar, animi magnitudine prædita, imprecationem suscipere minimè dubitat, vt ipsius filius benedictionem cõsequeretur, atque bonis ipsi quidem cedebat, mala autem ipsa sola sufferre parata erat, dicens in me sit ista maledictio, fili mi.*

Isid. Pelus.

Obedientia adeo secura via est, vt verus obediens in dubiis nullum malum patiatur, etiam si iniungens obedientiam erraret & consequenter dignus esset maledictione.

62. *Ad quem mater, in me sit ista maledictio, tantum audi vocem meam*, cur tibi præcipienti obediet, cum ipsemet fatetur se maledictionem paternam suscepturum? ne ergo consulas vt tibi obtemperet: imo iube vt tibi præstet obedientiam, quia ita secura via est, vt verus obediens in dubiis nullum malum patiatur, etiamsi iniungens obedientiam erraret, & consequenter dignus esset maledictione: ita expresse fatetur Seraphin. à Porrect. in veritatibus aureis in Genes. *quid obedire trepidat* inquit cit. Auct. *maledictionem supra se sibi est suscipit iubens, malum omne si quid ibi interueniat supra se habituram promittit, & consequenter te ab omni malo superuenturo liberaturam spondet, & seipsam vt eius dictis fidem adhibeas, securusque obedientia semitas ingrediaris, in tali negotio obsidem se videlicet obnoxiam faciendo tibi profert.*

Seraphin.

Obedientia ab aduersis liberat.

63. *In me sit ista maledictio, tantum audi vocem meam*, nonne si attrectauerit eum pater, leuemque, non pilosum inuenerit, arbitrabitur se ei voluisse illudere, sicque ab eo maledicetur? ne igitur consulas vt tibi obtemperet, imo libenter præceptis matris suæ annuit, obedientia enim ab aduersis liberat, ita citat. Auctor, *vt in quanta securitate versetur obediens intelligat, audi, erat Esau pilosus, erat Iacob lenis, habebat contrectari Iacob à patre suo, nunquid ex hoc ipsi obedienti filio aliquid aduersi contigit? non, quare? quia obedientia omnibus futuris aduersis pro saluando obediente occurrit, & illa ne obedienti quippiam noceret, mirificè fecit.*

Cit. Auct.

Mulieres non contemnendæ, sed propter sanctitatem in magno precio habendæ.

64. *In me sit ista maledictio, tantum audi vocem meam*, quasi diceret, timenda non est maledictio, nam reuelatione accepi quod paternam benedictionem consequuturus es, vnde sic habet Paraphrasis Caldaica, mihi dictum est per Prophetiam, quod non venient super te maledictiones, sed solùm benedictiones: sed cùm etiam sanctissimæ vitæ fuerit Isaac, quomodo donum prophetiæ non accepit, vt quid futurum esset in hoc negotio intelligeret, cum illud Rebecca habuerit? vel cur sola Rebecca hoc beneficio illustrata fuit, non autem vir eius? non displicet responsio Guilelmi Pepini, *forsan*, inquit, *hoc ideo factum est, vt viri amodo non contemnerent mulieres, ex quo per eas loquitur Spiritus sanctus &c.*

Guill. Pep.

Omni qua possumus diligentia insistendum est, vt rectum perficiatur consilium.

65. *In me sit ista maledictio, tantum audi vocem meam*, cur vis super te inducere maledictionem, vt cõstringas Iacobũ ad perficiẽdũ quod ei præcepisti? nonne

nonne sufficit ei dixisse, vt tuis acquiesceret consilio, cum sint salutaria & recta, eis obtemperet, quid tibi curæ? cur cum tanto tui dispendio vis ea adimpleri? quia omni qua possumus diligentia insistendum est, vt rectum perficiatur consilium. Fauet Chrysostom. *quia non ex sua tantum sententia faciebat, sed & diuino ministrabat oraculo ideo omni studio conatur eximere metum puero, & addere animos vt consilium perficiat.*

Chrysosto

Impediendum est ne indignus dignitatem obtineat.

66. *In me sit ista maledictio, tantum audi vocem meã*, cur audire te præcipis, cum iniquũ sit alios defraudare dignitatibus sibi debitis? iure autem primogenituræ debetur Esau benedictio, & consequenter omnis alia dignitas eam subsequens, vt Sacerdotalis, Patriarchalis &c. aduerte ea prauis suis moribus indignum se præstitisse, quid mirum igitur, si Rebecca nisa fuerit vt ea dignitate priuaretur? nam impediendum est, ne indignus eam obtineat, testatur Isidor. Abb. cit. in cat. aurea: *hæc omnia faciebat mater, quia primogenito debebatur regnum & sacerdotium & Patriarchalis dignitas, ad hanc necessitatem adductus erat Esau, vt primogenituram etiam volens vendiderit; quia prorsus indignus erat cum omni virtute vacuus esset, & destitutus, cui Patriarchalis dignitas tanquam præmium merito debetur.*

Isid. Abb.

Fides magnanimos efficit.

67. *In me sit ista maledictio*, cum mulieres sint animi timidi, & quemlibet infœlicem euentum maximè paueant, quomodo tanti animi est Rebecca, vt hæc imprecari sibi auderet, & maledictionem sibi inferri desideraret? optimè satisfacit catena græca, *adeo Rebeccam pro causa Iacob animauit, quia prædictioni Dei credidisset maior seruiet minori, qua fide omnia deturbans impedimenta, non prius destitit quam voto potiretur.*

Cat. Græc.

Nihil optabilius iustorum benedictione.

68. *In me sit ista maledictio &c.* cur ita sedula pro benedictione filio adipiscenda, ita vt etiam sibi execrationem imprecetur, omnemque viam tentet vt eam consequatur? non dubitas Isaac iustum fuisse: merito igitur pro benedictione ipsi obtinenda laborat, quia nihil ea optabilius. Fauet Gennad. cit. in catena græca, *ideo tam sedula in patris benedictione laborat, quia certissima est quantum momenti esset in iustorum benedictione.*

Gennad.

Oratio iusti pœne sententiam Dei reuocat.

69. *In me sit ista maledictio*, diximus ita sedulam pro benedictione filio cõsequẽda, ita vt sibi maledictionem imprecaretur, quia nihil cum benedictione iustorum conferendum, nec ea aliquid est optabilius, sed cum pro certo teneret ei non defuturam, hoc enim didicerat ex oraculo, qua de causa omnes suos conatus adhibet vt effectum suum sortiatur, quia cùm esset iustus Isaac potuit Deum deprecari pro benedictione Esau tribuenda, & cuius oratio Dei sẽte etiam reuocare potuit: Fauet cit. Gennadius, *preces iustorum propositum Dei rescindere possunt.*

Gennad.

Mulier tenacissima est sui propositi.

70. *In me sit ista maledictio*, cur non solum omnem lapidem moues vt tuis desideriis potiaris, & omnia subtilissimè perscrutaris, sed etiam nihil times aduersi, maledictionem viri non vereris? quia mulier ita sui propositi tenax est, vt omnia contemnat, postponat que, dummodo quod desiderat, assequatur, *hic docemur*, inquit Oleast. *quam tenax propositi sit fœmina. vt nihil mali vereatur, dummodo faciat quod concupiscit.*

Oleaster.

Pro obsequio Dei adimplendo nihil timendum.

71. *In me sit ista maledictio*, cur te maximo damno nempe maledictionis offers? quis ita sibi aduersarius vt malum imprecetur? quis ita alienus à ratione, vt aduersa aliis debita velit tolerare? cur ergo ais in me sit ista maledictio, fili mi? aduerte vt diximus voluntatẽ Dei cognitam habuisse, quod benedictionem filius suus minor consequeretur: ne mireris igitur nihil mali veritam, & omni damno se obtulisse, quia pro obsequio Dei & voluntate eius adimplenda, nihil omnino formidandum, hoc innuere videtur D. Theod. q. 78. in Genes. *confidens Rebecca prophetiæ quod maior seruiturus esset minori, omnem mouit lapidem, vt Iacob benedictionem paternam consequeretur.*

D. Theodor.

Cum humiliamur Dei benedictionem consequimur.

72. *In me sit ista maledictio, tantum audi vocem meam*, & tibi certa erit benedictio paterna, sed si ipsemet indignum se ea iudicat, & eam quasi renuit, cùm in medium proponit se leuem esse, & non pilosum, patrem crediturum sibi voluisse illudere, sicque pro benedictione maledictionem accepturum, cur eum ea dignum iudicas, pollicerisque consecuturum? quia cum humiliamur Dei benedictionem non possumus non assequi: nobiscum sentit Dionys. Carth. *Spiritus sanctus seu Dei prouidentia humilitatem populi gentilis qui se dixerat leuem id est nudum, ab actibus virtuosis assecurauit eum de tali periculo, dummodo in Deo confidens & ipsi acquiescens, faceret quæ suggerebat.*

Dionys. Carth.

Ille verus amicus, qui pro amico non renuit incommoda perpeti.

73. *In me sit ista maledictio?* nonne sufficiebat omnem conatum adhibuisse, eique consilium præbuisse? quomodo benedictionem paternam consequeretur? cur igitur non contenta hoc beneficium ei contulisse, etiam damnum eius gratia tibi desideras? quia ille verus amicus est, qui pro amico non renuit incommoda perpeti, *potentissimum signum dilectionis*, inquit Oleaster, *est pro amico mala grauia perpeti, amicos inuenies qui tibi bona conferant, sed paucissimos qui tui gratia mala grauia ferant.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIV.

VVLG. Abiit & attulit, deditque matri, parauit illa cibos, ſicut nouerat patrem eius velle.

Sept. Profectus autem ſumpſit & attulit matri, & fecit mater eius eſcas, ſicut amabat pater eius.

Chald. Fecit mater eius edulia.

Alij. Fecit mater eius pulmentum, ſiue ſapidum.

EXPOSITIO.

Abiit, ad gregem & attulit duos hœdos, *deditque matri ſuæ*, Rebeccæ, *parauit illa cibos*, pulmentum ex eis confecit, *ſicut nouerat patrem eius velle*, conſueuerat enim ei cibos diſponere, & ſic ſciebat quibus præcipuè delectabatur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Negotium diu conſultum cito exequendum.

74. Abiit & attulit, quomodo ita diligens, qui antea quaſi renuebas matris tuæ conſiliis acquieſcere? quomodo ita ſolicitus pergis ad gregem hœdos tecum deferens? quomodo etiã mater tua tanta cum ſolicitudine eos præparat, quæ antea ſolum tibi conſulebat? quia negotium diu conſultum, cito executioni mandandum eſt, vnde optimè Abulenſ. *parauit illa cibos quanto celerius potuit, ne veniens Eſau deprehenderet eos hoc facientes.*

Abulenſ.

Dei gratia noſtram exigit cooperationem.

75. *Abiit & attulit matri ſuæ, parauit illa cibos*, cum à Deo ſtatutum fuiſſet Iacob benedictionem conſequi, cur tanta cum ſolicitudine edulia præparat? quia licet diuinæ gratiæ præſidium nobis impendatur, Dei tamen cooperatores eſſe debemus, quia licet diuina benedictio & gratia promiſſa fuerit, non deſides tamen eſſe debemus in ea cõſequenda, ſed ei cooperari, verùm præſtat audire verba Chryſ. *conſidera*, inquit, *quomodo omnia ſuperna gratia euenerint, nam quando quid à nobis eſt, offerimus, largiter diuinam gratiam conſequimur, nam vt ne deſides & ſupini ſimus, vult etiam nos aliquid conferre, quo ſic ſua declaret, & non totum ſit ſuperni auxilii, ſed etiam oporteat nos aliquid ſimul afferre.*

Chryſoſtom.

Pro exiguis maxima nobis impendit Deus.

76. *Abiit & attulit, deditque matri ſuæ*, nempe hœdos, vt ex eis confecto pulmento & Iſaac oblato benedictionem ſuam tribueret Iacobo, ſed quid commune habet exiguum pulmentum cum adeo ingenti beneficio, & quo maius tunc temporis deſiderari non potuit? maiora ô Rebecca tribue, vt ſacerdotalem & regiam dignitatem filio tuo dilecto largiatur: non dubites per Iſaac, Deum intelligi, per benedictionem, hereditatem æternam: quid mirum igitur ſolum aliquid è duobus hœdis Iſaaco offerri, & Rebeccam pro filio benedictionem adipiſci; quia pro exiguis maxima nobis impendit Deus: quod Gloſſa Angelica obſeruat in illa verba Luc. 6. date & dabitur vobis, ait, *quid dabitur vobis? date beneficia temporalia, & dabitur vobis vita æterna.*

Gloſſa Ang. Luc 6.

Ipſemet Deus ſuæ liberalitatis exhibendæ occaſionem præbet.

77. *Abiit & attulit, deditque matri ſuæ*, vt illa offerẽdũ cibũ patri tribueret, & in cõmutationẽ pro filio benedictionẽ largiretur, ſed cur Iſaac Deũ deſignãs, pro benedictione largiẽda, vult ſibi aliquid offerri? vt ſuæ liberalitatis exhibendæ à nobis occaſionem præberet, *non à nobis*, inquit Chryſoſtom. *exigit totum, noſtram ſciens infirmitatem, ſed ſuam ſeruans miſericordiam, & volens aliquando occaſionem exhibere, vt ſuam declaret liberalitatem, expectat vt afferamus quæ nobis ſunt.*

Chryſoſt.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Et veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe domi habebat induit eum.

Sept. Et ſumens Rebecca ſtolam Eſau filii ſui ſenioris bonam, quæ erat apud ipſam domi induit eum Iacob filium ſuum iuniorem.

Alii. Deſideratas, odoriferas.

Chald. Et tulit veſtimenta Eſau filii ſui maioris quę erant munda.

Pag. Et accepit Ribchah veſtes Eſau fili ſui concupiſcibiles.

Vulg. Ant accepit veſtes elegantiores.

Vatabl. Deſiderabiles.

Alii, Pulchra, ſpecioſa.

CONCORDIA.

CONCORDIA.

חמוד Chamud propriè desiderabile, concupiscibile significat, tamen aliæ lectiones deducunt ad bonitatem & elegantiam siue munditiem, vestes enim primogeniti erant elegantes, bonæ nec non mundæ.

EXPOSITIO.

Vestibus valde bonis. id est pretiosioribus, quas asserunt ex rebus odoriferis contextas fuisse, nec non Sacerdotales quibus primogeniti induti Deo victimas offerebant, sed siue illæ vestes Sacerdotales fuerint, vel propria primogenitorum ornamenta, ipsa certè mater familias pro more eius temporis & gentis, apud se custodiebat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Amor cum sapientia coniungitur.

79. *Vestibus valde bonis induit eum*, nonne sufficiebat ei tot amoris signa exhibuisse? cur igitur hac pia fraude vtitur, vt benedictionis paternæ obtinendæ gratia eum fraternis vestibus induit? sine dubio vt ostenderet amorem suum non cæco duci errore, sed maxime solertem & prudentem esse, *vide obsecro*, inquit Chrys. Hom. 53. *Rebecca cum magna dilectione coniunctam raram sapientiam, nam quia superius dixit quod ille quidem hispidus esset, hic lenis, stola inquit Esau induit eum & pellibus circumdedit eum, & cum vndique eum ad deceptionem instruxisset, datis edulijs & panibus in manus effecit vt patri afferret.*

Chrysost.

Mulier simulationum inuentrix.

80. *Vestibus valde bonis induit eum*, vt sic Isaacus arbitraretur Iacob esse Esau, qui huiusmodi indumentis tanquam primogenitus vti solebat, sed quomodo hunc modum decipiendi repetit? cur Iacob potius huius fraudis non fuit inuentor? quia mulier in simulationibus homines excedere videtur. Fauet Oleast. *mirabilis, inquit, artifex simulationum fœmina, neque solum verbo, sed facto nouit optimè mendacia componere.*

Oleaster.

Fœminæ ingenium, vultus & formas mutare nouit.

81. *Vestibus valde bonis induit eum, pelliculasque hædorum circumdedit manibus*, alium inducere videris hominem cum his vestibus, ecce enim in Esau pilosum & hirsutum efformatus appares, cur iam non Iacobi faciem, sed Esau portat laruas? sanè Rebeccæ cupiditas de Iacob ad dignitatem primogenituræ euchendo, hanc laruale m formationem adinuenit, fœminea enim cupiditas & nouit vultus & formas mutare, ait enim Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 2. *in varias autem formas se mutans tertia est cupiditas, quæ plusquam Protheus marinus Dæmon varius, nunc hanc, nunc aliam figuram suscipit, & ad libidines, & stupra, & adulteria allicit, omnia enim cupiditas effingit & vel fucum facere vt occultet hominem.*

Clemens Alexand.

Christus totus concupiscibilis.

82. *Vestibus valde bonis induit eum*, cæterum in fonte concupiscibiles seu desiderabiles dicuntur, vnde Pagninus prædicta verba ex Hebræo ita vertit, accepit vestes Esau filii sui concupiscibiles quin etiam D. Hier. eundem locum ita transferens dixit sumpsit vestimenta Esau quæ erant desiderabilia; aliquodne mysterium hæ vestes concupiscibiles prænotant? aduerte Christum Dominum totius Ecclesiæ indumentum dici, nam D. Paul. hac de re loquutus, induimini, inquit, Dominum nostrum Iesum Christum, Rom. 13. & rursus quicumque baptizati estis, Christū induistis, Galat. 3. dicamus igitur Christum, fuisse in illis vestibus adumbratum, quē Esau, id est populus Iudaicus exuit, & Iacob id est gentilicus induit, fuisse concupiscibilem & desiderabilē, quem Isaac totis desiderijs expetebat, & cuius odorem præsentiens incredibiliter exultabat.

D. Paul.

Rom 13.

Benedictionem non meretur, qui incultus ad Eucharistiam accedit.

83. *Vestibus valde bonis induit eum*, quibus benedictionem paternam consequitur, sed Esau maior natu repulsam passus est, qua de causa potius Iacobo quam Esau qui erat primogenitus benedictionem impartitur? rationem optimam insinuat D. Hier. Epist. 125. ad Damas. q. 3. *quia Rebecca vestibus valdè bonis quas apud se habebat, domi, induit Iacobum, nam statim vt pater illius sensit vestimentorū illius fragrantiam, benedicens ait, ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, quasi solo vestimentorum odore inductus fuerit ad benedictionem conferendam, at vero Esau sine vestium cultu & ornatu ad conuiuium accessit, ergo si non benedicitur à patre ille filius, qui lautè conuiuium sine lautis vestibus ingreditur, quam benedictionem ab æterno patre debet ille sperare, qui inculta conscientia ad diuinum Eucharistiæ conuiuium accedit?

D Hieron.

Fides & scripturæ à Iudæis ad Christianos deuolutæ.

84. *Vestibus valde bonis induit eum*, hæ vestes seruabantur in arca, sed quod mysterium nobis innuitur in hoc quod vestimenta quæ erant Esau, ea sibi induenda sumpsit Iacobus? non dubitas per Esau populum Iudæorum, sicut per Iacob gentilem declarari, per vestes autē sacrā scripturam, ea enim tegimur vt aduersario contra nos molienti resistamus, merito igitur induitur Iacob vestibus, quæ erant ipsius Esau, quia fides & scriptura à Iudæis ad Christianos debebant deuolui, hoc sibi vindicat D. Hier. Ep. ad Dam. *vestes Esau fides & scripturæ sunt Hebræorum, quibus gentilium indutus est populus.*

D. Hieron.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVI.

VVGL. Pelliculaſque hœdorum circumdedit manibus,& colli nuda protexit.

Sep. Et pelles hœdorum circumpoſuit ſuper brachia eius,& ſuper nuda colli eius.

Chald. Et pelles hœdorum induit ſuper manus eius, & ſuper leuitatem colli.

Pag. Et pelles hœdorum caprarum induere fecit manus eius &c.

Ar. Et ſuper leuitatem ceruicum.

CONCORDIA.

LIcet brachia habeant Septuaginta & non manus, tamen nomine brachiorum etiam ipſas manus intelligunt: חלק Chalak licet molle ſiue leue interpretetur, tamen ad nuditatem deducitur; nuda enim caro mollis eſt & blandiens.

EXPOSITIO.

PE*lliculaſque hœdorum circumdedit manibus*, more chirotecarum, quæ etiam digitis aptantur, potius autem pelliculis hœdorum quàm agnorum circumdedit, agni enim lanam nimis denſam habent, quam nullus quantumuis piloſus habere potuit, *& colli nuda protexit*, hanc enim partem potuit pater attrectare, quam ſi hirſutam non reperiſſet, ſibi filium illudere voluiſſe credidiſſet, cum autem in vultu barba eſſet, eum non cooperuit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui alios decipit aliquo genere fraudis, fortè eodem decipietur.

85. **P***Elliculaſque hœdorum circumdedit manibus*, quibus patrem decepit, eis enim piloſas manus Eſau ſimulauit, quid deinde factum? quod ſicut Iacobus patrem ſuum hœdinis pellibus decepit, ita & ipſe à ſuis ſi non pellibus hœdinis, ſaltem hœdino ſanguine deceptus eſt, nam poſtquam filii in Ægypto Ioſephum vendiderunt, tulerunt, inquit textus, tunicam eius, & in ſanguine hœdi, quem occiderant tinxerunt, mittentes qui ferrent ad patrem vt pater hœdino ſanguine deceptus, ſanguinem filii ſui quem à fera peſſimè deuoratum crederet, miſerabiliter deploraret, & in quam deceptionem patrem induxerat, in eandem à filiis induceretur.

Chriſtus Dominus peccata non ſua, ſed aliena portauit.

86. *Pelliculaſque hœdorum circumdedit manibus*, Septuaginta pelles hœdorum circumpoſuit ſuper brachia eius, hircorum pellibus peccata deſignantur, Iacobo Chriſtus Dominus: ſed ſi Saluator noſter nulla peccata commiſit, quomodo pellibus ea deſignantibus circumdantur brachia eius? nonne certum eſt has pelles non proprias ſed alienas eſſe? non mirum eſt igitur Iacobum Chriſti Domini figuram eis peccatorum ſymbolis circumdatum, quia Saluator noſter peccata non ſua, ſed aliena portauit, *pelles*, inquit Iſid. Hiſpal. *quæ Iacob brachiis circumdatæ ſunt, peccata ſunt vtriuſque plebis, quæ Chriſtus in extenſione manuum cruci ſecum pariter affixit; ipſe enim in corpore ſuo, non ſua ſed aliena peccata portauit.*

Iſid. Hiſpal.

Chriſtus non carnem peccati, ſed illius ſimilitudinem accepit.

87. *Pelliculaſque hœdorum circumdedit manibus*, ſi Iacobo deſignatur Chriſtus, cur pilos non proprios habet ſed alienos, & qui eorum ſolum gerunt ſimilitudinem? vt denotaretur hac arte myſtica quod Chriſtus non carnem peccati, ſed ſolum illius ſimilitudinem accepturus eſſet, ſic D. Proſper. parte 1. de promiſſ. & prædict. Dei, *apparuit enim qui erat vt poſſet intueri quod non erat, tanquam iam nobis illum figuratum oſtenderet Chriſtum, qui accepit non carnem peccati, ſed ſimilitudinem carnis peccati*, & Bruno Colon. Archiepiſc. cit. à Tilm. in alleg. *pelliculas hœdorum circumdedit manibus, hoc Rebecca fecit Iacob, hoc multa ſapientia Chriſto: venit ergo Chriſtus hœdorum pellibus inuolutus, id eſt carnis peccati ſimilitudine veſtitus, hoc enim primum fuit hominis indumentum quando de paradiſo expulſus eſt: tali igitur veſte indutus venit Chriſtus ferens ſecum duos hœdos optimos, alterũ pro peccato, alterum in holocauſto, carnem videlicet & ſanguinem ſuum, his enim & peccatum originale ſoluitur & Deus ab indignatione placatur, hos autem hœdos coxit Rebecca, quæ interpretatur multa patientia, hoc fecit quod Chriſtus pro nobis ſe coqui & occidi permiſit.*

D. Proſp.

Bruno.

Vt humiliemur, peccata ante oculos proponamus.

89. *Pelliculaſque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit*, D. Ambroſ. in cap. 6. Apocal. per pelles hœdinas peccata intelligit, ait enim pellis cum ab hœdo ſeparatur, caro apparet, vnde delectabiles cibi confici poſſunt, ſimiliter & ab vno quoque peccatore cum vitia detrahuntur, bonæ naturæ cum ratione apparent quæ ſi fide Deo coquantur, delectabiles cibi ex bono naturæ, Deo præparantur: ſed cur non ſolum in manibus ſed etiã in collo huiuſmodi pelles hœdinas poſuit? cùm collum deſignet ſuperbiam, manus opera, cur non dicemus

S. Ambroſ.

dicemus prudenter huiusmodi pellibus, quæ peccata denotant, circumdedisse manus & collum Iacobi, vt peccata ante oculos habens, humilietur, & in operibus suis non superbiat: audiamus cit. Doctorem, *per collum eo quod in collo superbia sæpe appareat, possumus elationem mentis intelligere, per manus vero opera designantur, collum ergo vnusquisque fidelis pellibus hœdinis circumdat, cum ad mentis elationem deponendam ad humilitatis suæ custodiam peccata præterita ante oculos mentis reuocare non desinit, manus circumdat, cum ne in bonis operibus extollatur peccata præterita ante oculos mentis sæpe reducit.*

Pœnitentia peccatorum maxime Deo grata.

90. *Pelliculasque hœdorum circumdedit manibus*, hos hœdos fuisse duos, & illos optimos dixerat textus, sed cur duo & hi optimi fuere? per hos duos citatus Amb. pœnitentiam & confessionem peccatorum intelligit, sed qua de causa optimos voluit esse Rebecca? nam sufficiebat vt ex quibuscumque hœdis pulmentum conficeretur, minime, sed optimi sunt inquit prædictus auctor, *quia valde acceptabilis est Deo pœnitentia peccatoris, cum abrenuntiatione peccatorum, sicut Dominus noster dicit in Euangelio Luc.* 15. *gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.*

S Ambros.

Luc. 15.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Deditque pulmentum, & quos panes coxerat tradidit.

Sep. Et dedit escas & panes quos fecerat in manus Iacob filii sui.

Cald. Et posuit edulia quæ fecerat, & panem in manu Iacob filii sui.

Pag. Cibos & panem quos parauerat.

Arias. Et dedit sapidos cibos.

EXPOSITIO.

Deditque Iacobo pulmentum, ex carne delicatiori hœdorum confectum, *& panes quos coxerat*, quosdam enim subcinericios panes qui iucundi sunt saporis parauerat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Admiranda Dei erga iustos prouidentia.

91. *Deditque pulmentum & panes quos coxerat*, vt eis illectus Isaac benedictionem Iacobo tribueret, sed cùm decipiendus foret Isaac, cur ei hanc fraudem non aperuit, vt eam fugeret? sine dubio vt singularem quam erga Iacobum curam Deus haberet, ostenderet annuit D. Theod. q. 79. in Gen. *vt pateficeret prouidentia Dei erga Iacob scilicet non reuelauit ipsi Isaac voluntatem suam: quod satis ex eo constat quod Isaac omnibus modis conabatur benedicere Esau, sed gratia Dei contra quam putasset Isaac, transtulit benedictionem super Iacob, quod etiam intellexit ipse Isaac.*

D. Theod.

Qui cum bonis operibus verbum Dei admiscet gratum Deo cibum offert.

92. *Deditque pulmentum & panes quos coxerat*, si solum cibos ex venatione postulauerat, cur etiam panem tradidit? nō est dubium opera nostra bona, Dei cibum esse, & per panē verbum Dei intelligi: merito igitur non solum pulmentum, sed etiam panes obtulit, quia cum bonis operibus verbum Dei admiscemus, gratissimum Deo cibum offerimus: sensus est D. Amb. in c. 6. Apoc. *per panem sæpe verbum Dei designatur, quia ille congruenter ad Deum patrem cum cibis bonorum operum pergit, qui & alios quosi unque potest ad bona opera agenda admonere non desinit.*

S. Ambros.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVIII.

VVLG. Quibus illatis, dixit pater mi, at ille respondit, audio, quis es tu fili mi?

Sep. Et intulit patri suo, dixit autem pater, ille vero dixit, ecce ego, quis es tu fili?

Cald. Et ingressus est ad patrem suum.

Pag. Et venit ad patrem suum, & dixit ecce ego.

EXPOSITIO.

Quibus illatis, nempe pulmento & panibus, dixit Iacob *pater mi*, cum enim caligassent oculi eius, necesse fuit eum interpellare, *audio, quis es tu fili mi?* forte enim vocis tonum simulauerat, sicque Isaac non potuit certo colligere, quisnam ex duobus filiis suis esset.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustus si aliquid quod rationi dissentaneum videtur operatur, maximo timore corripitur.

93. *Quibus illatis dixit, pater mi*, D. Chrysosto. ait, considera obsecro, quanta cum anxietate verborum hæc locutus sit Iacob, qui dixerat matri suæ, timeo ne inducat super me maledictionem, & non benedictionem, sed cur tanto cum timore patrem

Consilia parentum recta, tanquam præcepta sint nobis.

40 *Acquiesce consiliis meis*, Hebraica, Caldaica, & verba Græca maiorem habent emphasim, hoc enim sonant, obedi voci meæ, in eo quod præcipio tibi. Si huiusmodi lectiones præceptum nominant, id quod filio suo imposuerat, quomodo noster interpres solum vocat consilium? bene quod consilium dicimus; alij verterunt præceptum, quia recta parentum consilia, vice præceptorum debent fungi erga filios.

Maximus matrum in filios amor nihil difficile reperit.

41 *Acquiesce consiliis meis*, cur dolum, quamnis minime malum, peragendi, plamque fraudem struendi præbes consilium? cur in inuestigando modo, quomodo Iacob benedictionem paternam assequatur, ita laboras? non laborare arbitratur, nam maximus in filium amor, quodlibet quamuis durum leue efficit, *vides* (inquit Chrysost.) *magnum matris in filium amorem, imo dispensationem Dei, ipse enim est qui ei consilium dedit, & omnia bene agere fecit.* S. Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX.

VVLG. Et pergens ad gregem, affer mihi duos hoedos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur.

Sep. Et vadens ad oues, sume mihi inde duos hoedos teneros, & bonos, & faciam eos escas patri suo sicut amat.

Cald. Tolle mihi inde duos hœdos capriarum optimos, & faciam ex eis edulia patri tuo.

Pag. Vt faciam ex eis escas sicut dilexit.

CONCORDIA.

Licet noster interpres habeat escas, quibus libenter vescitur, non tamen discrepat ab Hebræo, habente sicut dilexit, vtrobique enim est idem sensus, si enim eis libenter vescebatur, eas diligebat.

EXPOSITIO.

PErgens ad gregem, ouium siue caprarum, *& affer mihi duos hœdos, vel potius hœdulos*, qui cum parui, tenerrimi sunt & dulcissimi saporis, duos autem iussit afferri, quia voluit variis modis coctos, varieque conditos viro præparare, vnde non in singulari sed in plurali subiungit, vt faciam ex eis escas, non escam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vxor nō renuat voluptati licitæ viri satisfacere.

42 P*Ergens ad gregem, faciam escas patri tuo quibus libenter vescitur*, in hebræo quas diligit, cur ô Rebecca palato viri tui vis satisfacere? nonne indignum est viro sanctissimæ vitæ, cibis vti delicatissimis, indignum etiam erit muliere sanctissima eos disponere? neutro hoc indignum, quia vxor renuere non debet voluptati licitæ viri satisfacere, *non esse malum* (inquit Oleaster) *ostendit locus iste, si vxor sciat cibos quos diligit vir suus & sicut vult, illi parare curet.* Oleast.

Diuinæ prouidentiæ cooperandum.

43 *Pergens ad gregem affer mihi duos hœdos*, si ex diuina nosti reuelatione, quod maior seruiet minori, & sic quod Deus decreuerit benedictionem paternam Iacobo tribuendam, cur ita laboras, tum in conquirendis cibis, tum in eis delicate conficiendis, vt filius minor hac ratione benedictionem consequatur? prudenter hunc laborem impendit & angitur, vt omnia fœliciter Iacob contingant, diuinæ enim prouidentiæ aliquid disponenti cooperandum est, vnde diuinæ se præbuit prouidentiæ egregiam ministram.

Nocet honor indigno.

44 *Pergens ad gregem affer mihi duos hœdos*, scilicet vt eis optime dispositis, & palato patris iucundis, redditis, fratri tuo surripiatur benedictio, sed ô Rebecca nonne agis inique iuniorem filium, contra mariti voluntatē, & ætatis prærogatiuā, maiori anteponere? optime satisfacit D. Amb. libro secundo de Iacob cap. 2. *Rebecca non quasi filium filio sed quasi iustum præferebat iniusto, illum non tam fratri præferebat quam offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse seruare, in quo & alteri consulebat quem diuinæ subducebat offensæ, ne grauiore implicaretur reatu si acceptæ gratiam benedictionis amitteret*, prudens sane, priuari cupiebat benedictione ac primogenituræ priuilegio filium deteriorem, vt quæ sciret illum accepta dignitate arroganter, atque inique abusurum, voluit igitur fomentum plurium & grauiorum iniquitatum, subducere. S. Ambr.

Infirmis si charitas exigat, cibi delicatiores parandi.

45 *Affer mihi duos hœdos*, cur duos? nonne vnus satis superque fuisset, seni cibando? præcipe igitur vt vnum solum afferat. Scio Procopium asserentem tam robustæ complexionis fuisse Isaac, quamuis senem, vt plurimos absumeret cibos, sed cur non dicemus cum Diodoro Tarsensi habere Procop. Diodor.

bere matrem, vt duos hœdos Iacob afferat, ex quibus in pulmentum, pinguiores partes & teneriores deligerentur, sicque seni & infirmo delicatior cibus tribueretur?

Negotium graue cum secreto perficiendum.

46 *Affer mihi duos hœdos*, cur non ais dic alicui ex famulis, vt pergens ad gregem, hœdos afferat? nihil tale præcipit, sed hoc solum iniungit filio, vt negotium quod moliebatur, nulli foret apertum, sed omnibus maneret secretissimum: consentit Abul. *non emisit Rebecca aliquem alium de seruitoribus suis ad ferendum hœdos, sed ipse Iacob iuit vt factum hoc cautius & secretius foret.*

Abulens.

Peccantium conuersio Dei est cibus.

47 *Affer mihi duos hœdos*, cur duos non vnum, cum vnus etiam homini robustissimo sufficeret, ad repellendam famem caninam? obserua pro mystico conceptu Isaac Dei typum esse, hœdum peccatorum, quorum vnus erat Iudæus & alter Gentilis, Rebeccam Ecclesiæ: quo posito dicemus rectè pro duobus hœdis, & non pro vno missise ad eum Isaac Patriarchæ, quia omnium populorum conuersio, Dei delicatissimus est cibus, consule D. Eucher. libro 2. in Genes. dicentem, *In omnibus scripturis hœdi pro peccatoribus accipiuntur, carnes autem hœdorum ex quibus Isaac præparatus est cibus, peccantium intelligenda est conuersio ex duobus populis venientium, Iudæis scilicet & nationibus vniuersis.*

S. Eucher.

Sine gratia nihil Deo gratum.

48 *Affer mihi duos hœdos vt faciam ex eis escas patri*, præcipe alicui ancillæ tuæ, vt pulmentum conficiat, indignum est enim quod mulier tanti Patriarchæ vxor, propriis manibus cibum coquat, vel præparet: dicimus duos hœdos adductos ex quibus Isaaco pulmentum suaue conficitur, significare vtrumque populum Deo adductum, cuius conuersio cibus est illi delicatissimus, Rupert lib. 8. c. 15. in Genes. tenet Rebeccam gratiam designare, merito igitur ipsamet Rebecca pulmētum conficit, quia sine gratia, conuersio hominum Deo non præsentatur, nec illi foret grata; sic Hugo Cardin. *non valet cibus nisi Rebecca præparet, id est gratia, quia sine fide impossibile est placere Deo, & Aug. gratia præuenit, vt velimus, subsequitur ne frustra velimus.*

Hugo Card.

August.

Qui tam iustum quàm iniustum sui contemptum potestæ quanimiter tolerare, gratissimum Deo cibum offert.

49 *Affer mihi duos hœdos*, cur vt paternam benedictionem Iacob consequatur, necesse est vt duo hœdi præparentur: nam vt eam tribueret Esau, non ab eo duos petiit sed solum aliquod pulmentum quod ex vno potest confici: aduerte Ricard. à sancto Victore cit. à Film. in alleg. per duos hœdos duplicem hominum contemptum intelligere, vnum qui ex peccato commisso contingit, alterum ex malitia hominum nobis prouenientem: merito igitur duos adduci hœdos curat, & ex eis confici cibum, futurum Isaac suauem, nam qui tam iustum quàm iniustum sui contemptum ferre potest æquanimiter, Deo cibum offert gratissimum, verba Ricardi subiicio *vides quod duos cum hœdos parare oporteat, qui ad patris benedictionem anhelat, in hœdo contemptus voluntarius intelligitur, certe cum male agis iuste contemneris, sed si patientiam amplectens hœdinis carnibus patrem pascis, qui autem inter bona opera contemnitur & totam patientiam amplectitur, fercula geminare videtur, geminos itaque hœdos offerre, est tam iustum quàm iniustum sufferre contemptum.*

Ricard. à S. Victore.

VARIETAS LECTIONVM VERS. X.

VVLG. Quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.

Sept. Et inferes patri tuo, & comedet vt benedicat te pater tuus antequam moriatur,

EXPOSITIO.

QVas cum intuleris, à me iam rectè præparatas, *benedicat tibi*, existimans esse Esau, quem ad conficiendum pulmentum ex venatione sua miserat & benedicat tibi.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Etiam iusti non carent imperfectionibus.

50 QVas cum intuleris & comederit &c. si filium maiorem scis futurum esse seruum minoris, cum hoc reuelatione diuina acceperis, sicque minorem accepturum benedictionem, cur ita anxia & sollicita de filio benedicendo? non est dubium aliquam diligentiam adhibendam vt prouidentiæ diuinæ coagas, cur igitur tam anxiam & nimiam adhibes? vt etiam in muliere sanctissima, aliquam conspicias imperfectionem, cum timere videatur aliquando, ne diuinum decretum suo priuaretur effectu; testatur Procop. *Rebecca prorsus confidebat promissioni diuinæ maior seruiet minori, cæterum nonnihil vt mos est hominum sollicitudine quadam inquietabatur, ne non benedictio iusti parentis mutaret pronuntiatum diuinum.*

Procop.

Nihil diuinum potest impedire decretum.

51 *Quas cum intuleris & comederit, benedicat tibi*, quid ais Rebecca? existimasne benedicendum Iacob? nonne amor Patris in Esau est maior, quàm in Iacobum? ius primogenituræ, obsequium Patris præstitum, obedientia ei exhibita,

CONCORDIA.

Verbum תעה tah non solum illudere, seducere, sed contemnere significat, in Hiphil autem est מתעתע errare faciens, si autem aliquæ lectiones habent secundum nomen, nempe vel illusor vel seductor non autem secundum participium, scilicet illudens vel decipiens, vt in Hebræo est, parum refert, nam Hebræi vtuntur participiis, aliquando vice nominum.

EXPOSITIO.

Si attrectauerit me pater meus, si tetigerit me manibus, ad experiendum, quisnam sim, & senserit me, non esse pilosum, sed leuem, *timeo putet me sibi voluisse illudere eum irridendo*, vel contemnendo, vel decipiendo, *& inducat super me maledictionem pro benedictione*, sicque mihi sors contraria eueniat, & pro benedictione illius maledictionem inueniam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non ægre ferant Prælati, si subditi ilico renuant obedire, cum illis videtur quod præcipitur rationi dissentaneum esse.

55. *Si attrectauerit me pater meus &c.* cur matri tuæ præcipienti vt hœdos afferas, non obtemperas? mecœur subterfugia quæris? aduerte Isaaco visum fuisse consilium matris durum, imo rationi dissentaneum, non mirum igitur si cum excusatione quadam obedire distulerit, non enim ægre ferre debent Prælati, si subditi ilico renuant eorum exequi mandatum, cum existimant id quod eis iubetur, rationi dissentire, sic obseruat Procop. *non debent ægre ferre Prælati cum præcipiunt quæ aduersari Dei legibus & superiorum mandatis videntur, si subditi illis obiecten, quod eis videtur, sed debent eos instruere, vt sciant non ita esse vt existimant.*

Procop.

Patrem illudens dignus maledictione.

56. *Si attrectauerit me timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem*, quamuis existimet te ei illudere voluisse, non arbitror tibi maledicturum, nam cum sit vitæ sanctissimæ, nec non tuus genitor, parcet libenter tuæ piæ fraudi: nihilominus optimè iudicat patrem sibi maledicturum, si ei illuderet, quia patrem irridens, dignus est maledictione, dignum est enim quod filius qui patri suo illudere voluit, ab eo maledicatur.

Maximè timenda est à filiis parētum maledictio.

57. *Si attrectauerit me, & inducam super me maledictionem*, quid tibi curæ est paterna maledictio, dummodo Deus tibi suam tribuat benedictionem quam tibi certo daturus est, si consiliis matris tuæ acquieueris? merito eam formidas, nihil enim magis timendum est à filiis quam parentum maledictio, *timenda est valde*, inquit Oleaster, *parentum indignatio, sed cum sine causa ira afficiuntur non curandum.*

Oleaster.

Maximè timeat filius patrem offendere.

58. *Si attrectauerit me pater meus timeo*, quid times? nihil tibi formidādum, cum pro tua defensione sit diuinum decretum matrisque consilium; potius frater tuus timere debet, ne iacturam paternæ benedictionis faciat: aduerte illa dissimulatione perficienda, quam mater consulebat, existimasse Isaacū patrem offendi potuisse: ne miremur igitur dixisse, *timeo*, quia filii parentes offendere maxime cauere debent, *horret*, inquit Lippom. *pius filius imponere patri, & Dominum timet offendere mentiendo, patrem reueretur.*

Lippomar.

Frater timeat fratrem offendere.

59. *Si attrectauerit me pater meus, timeo*, cum solum nominas patrem, eumne solum offendere times, ita vt pro benedictione inducat maledictionē? non equidem solum, sed etiam fratrem, qui benedictione priuabitur, *quam pius!* inquit Ambros. l. 2. de Iacob cap. 1. *erga parentes, quàm religiosus! vt fratrem recusaret lædere, quàm verecundus! vt patrem timeret fallere.*

D Ambros.

Etiam si nullus nos accuset, conscientia tamen nostra nos arguit.

60. *Si attrectauerit me, timeo ne inducam super me maledictionem pro benedictione*, cur non dixit inducet pater meus maledictionem super me, non autem inducam ego? optime loquitur dicens inducam super me maledictionē, non autem pater meus inducet, quia etiam si nullus nos arguat, nullus à nobis delicti pœnas exigat, ipsa tamen conscientia nos accusat, & pœnæ iudicat obnoxios, nobiscum sentit Procop. dicens, *pulchre inquit super me inducam, nam etsi pater re cognita sequutus patriam charitatem & lenitatem, me non obiurgabit, tamen conscientia redarguet me quod maledictione digna commiserim.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIII.

VVLG. Ad quem mater, in me sit, ait, ista maledictio, fili mi, tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.

Chald. Et dixit ei mater sua, mihi dictum est,

per Prophetiam, quod non venient maledictiones super te, nisi benedictiones, fili mi tantummodo acquiesce mihi, & vade, tolle mihi.

Oleaster. Super me despectio tua.

Cat. Graec. Fili mi super me sit ista execratio tua.

CONCORDIA.

Licet verbum קלל kalal in cal significet vilem esse, vel haberi, aut despici, sicut vertit Oleaster, tamen in piel significat maledicere, execrari, vnde fit quod nomen קללה Kelalah vertitur aliquando pro maledictione, despectione, siue execratione.

EXPOSITIO.

Ad *quem mater*, certa de diuino oraculo ait, *in me sit ista maledictio*, quasi diceret, ne timeas maledictionem accepturum pro benedictione, si aliqua tibi contingere deberet, in me inducatur, & feram, attamen Dei promissis confido, qui dixit, maior seruiet minori, vt consequaris benedictionem, *tamen audi vocem meam*, acquiesce consilio iam tibi dato, *& pergens ad gregem affer* quæ dixi, nempe duos hœdos.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Tantus est amor aliquando matris erga filium, vt quodlibet aduersum & infœlix, pro eo non dubitet tolerare.

61. Ad *quem mater ait, in me sit ista maledictio*, nonne sufficit tot labores, cum esses grauida, pro eo exantlasse? quomodo ergo non dubitas maledictionem, qua nihil infœlicius, pro eo tolerare? quia tanta est aliquando charitas matris erga filium, vt quodlibet aduersum & infœlix, pro eo ferre non renuat, dummodo ei fœlicitas & bonorum obueniat possessio, sic Isid. Pelus. lib. secundo Epist. quinquagesima octaua, *Rebecca Apostolica, vt sic loquar, animi magnitudine prædita, imprecationem suscipere minimè dubitat, vt ipsius filius benedictionem consequeretur, atque bonis ipsi quidem cedebat, mala autem ipsa sola sufferre parata erat, dicens in me sit ista maledictio, fili mi.*

Isid. Pelus.

Obedientia adeo secura via est, vt verus obediens in dubiis nullum malum patiatur, etiam si iniungens obedientiam erraret & consequenter dignus esset maledictione.

62. *Ad quem mater, in me sit ista maledictio, tantum audi vocem meam*, cur tibi præcipienti obediet, cum ipsemet fatetur se maledictionem paternam suscepturum? ne ergo consulas vt tibi obtemperet: imo iube vt tibi præstet obedientiam, quia ita secura via est, vt verus obediens in dubiis nullum malum patiatur, etiamsi iniungens obedientiam erraret, & consequenter dignus esset maledictione: ita expressè fatetur Seraphin. à Porrect. in veritatibus aureis in Genes. *quid obedire trepidas?* inquit cit. Auct. *maledictionem supra se sibi est susceptus iubens, malum omne si quid ibi interueniat supra se habituram promittit, & consequenter te ab omni malo superuenturo liberaturam spondet, & seipsam vt eius dictis fidem adhibeas, securiusque obedientiæ semitas ingrediaris, in tali negotio obsidem se videlicet obnoxiam faciendo tibi profert.*

Seraphin.

Obedientia ab aduersis liberat.

63. *In me sit ista maledictio, tantum audi vocem meam*, nonne si attrectauerit eum pater, leuemque, non pilosum inuenerit, arbitrabitur se ei voluisse illudere, sicque ab eo maledicetur? ne igitur consulas vt tibi obtemperet, imo libenter præceptis matris suæ annuit, obedientia enim ab aduersis liberat, ita citat. Auctor, *vt in quanta securitate versetur obediens intelligas, audi, erat Esau pilosus, erat Iacob lenis, habebat contrectari Iacob à patre suo, nunquid ex hoc ipsi obedienti filio aliquid aduersi contigit? non, quare? quia obedientia omnibus futuris aduersis pro saluando obediente occurrit, & illa ne obedienti quippiam noceret, mirificè fecit.*

Cit. Auct.

Mulieres non contemnendæ, sed propter sanctitatem in magno precio habendæ.

64. *In me sit ista maledictio, tantum audi vocem meam*, quasi diceret, timenda non est maledictio, nam reuelatione accepi quod paternam benedictionem consequuturus es, vnde sic habet Paraphrasis Caldaica, mihi dictum est per Prophetiam, quod non venient super te maledictiones, sed solùm benedictiones: sed cùm etiam sanctissimæ vitæ fuerit Isaac, quomodo donum prophetiæ non accepit, vt quid futurum esset in hoc negotio intelligeret, cum illud Rebecca habuerit? vel cur sola Rebecca hoc beneficio illustrata fuit, non autem vir eius? non displicet responsio Guilelmi Pepini, *forsan*, inquit, *hoc ideo factum est, vt viri amodo non contemnerent mulieres, ex quo per eas loquitur Spiritus sanctus &c.*

Guill. Pep.

Omni qua possumus diligentia insistendum est, vt rectum perficiatur consilium.

65. *In me sit ista maledictio, tantum audi vocem meam*, cur vis super te inducere maledictionem, vt cõstringas Iacobũ ad perficiẽdũ quod ei præcepisti? nonne

nonne sufficit ei dixisse, vt tuis acquiesceret consilijs, cum sint salutaria & recta, eis obtemperet, quid tibi curæ? cur cum tanto tui dispendio vis ea adimpleri? quia omni qua possumus diligentia insistendum est, vt rectum perficiatur consilium. Fauet Chrysostom. *quia non ex sua tantum sententia faciebat, sed & diuino ministrabat oraculo ideo omni studio conatur eximere metum puero, & addere animos vt consilium perficiat.*

Chrysosto

Impediendum est ne indignus dignitatem obtineat.

66. *In me sit ista maledictio, tantum audi vocem meã*, cur audire te præcipis, cum iniquũ sit alios defraudare dignitatibus sibi debitis? iure autem primogenituræ debetur Esau benedictio, & consequenter omnis alia dignitas eam subsequens, vt Sacerdotalis, Patriarchalis &c. aduerte ea prauis suis moribus indignum se præstitisse, quid mirum igitur, si Rebecca nisa fuerit vt ea dignitate priuaretur? nam impediendum est, ne indignus eam obtineat, testatur Isidor. Abb. cit. in cat. aurea: *hæc omnia faciebat mater, quia primogenito debebatur regnum & sacerdotium & Patriarchalis dignitas, ad hanc necessitatem adductus erat Esau, vt primogenituram etiam volens venderet; quia prorsus indignus erat cum omni virtute vacuus esset, & destitutus, cui Patriarchalis dignitas tanquam præmium merito debetur.*

Isid. Abb.

Fides magnanimos efficit.

67. *In me sit ista maledictio*, cum mulieres sint animi timidi, & quemlibet infœlicem euentum maximè paueant, quomodo tanti animi est Rebecca, vt hæc imprecari sibi auderet, & maledictionem sibi inferri desideraret? optimè satisfacit catena græca, *adeo Rebeccam pro causa Iacob animauit, quia prædictioni Dei credidisset maior seruiet minori, qua fide omnia deturbans impedimenta, non prius destitit quam voto potiretur.*

Cat. Græc.

Nihil optabilius iustorum benedictione.

68. *In me sit ista maledictio &c.* cur ita sedula pro benedictione filio adipiscenda, ita vt etiam sibi exccrationem imprecetur, omnemque viam teneat vt eam consequatur? non dubitas Isaac iustum fuisse: merito igitur pro benedictione ipsi obtinenda laborat, quia nihil ea optabilius. Fauet Gennad. cit. in catena græca, *ideo tam sedula in patris benedictione laborat, quia certissima est quantum momenti esset in iustorum benedictione.*

Gennad.

Oratio iusti pæne sententiam Dei reuocat.

69. *In me sit ista maledictio*, diximus ita sedulam pro benedictione filio cõsequẽda, ita vt sibi maledictionem imprecaretur, quia nihil cum benedictione iustorum conferendum, nec ea aliquid est optabilius, sed cum pro certò teneret ei non defuturam, hoc enim didicerat ex oraculo, qua de causa omnes suos conatus adhibet vt effectum suum sortiatur, quia cùm esset iustus Isaac potuit Deum deprecari pro benedictione Esau tribuenda, & cuius oratio Dei fe te etiam reuocare potuit: Fauet cit. Gennadius, *preces iustorum propositum Dei rescindere possunt.*

Gennad.

Mulier tenacissima est sui propositi.

70. *In me sit ista maledictio*, cur non solum omnem lapidem moues vt tuis desiderijs potiaris, & omnia subtilissimè perscrutaris, sed etiam nihil times aduersi, maledictionem viri non verens? quia mulier ita sui propositi tenax est, vt omnia contemnat, postponat que, dummodo quod desiderat, assequatur, *hic docemur*, inquit Oleast. *quam tenax propositi sit fœmina, vt nihil mali vereatur, dummodo faciat quod concupiscit.*

Oleaster.

Pro obsequio Dei adimplendo nihil timendum.

71. *In me sit ista maledictio*, cur te maximo damno nempe maledictionis offers? quis ita sibi aduersarius vt malum imprecetur? quis ita alienus à ratione, vt aduersa alijs debita velit tolerare? cur ergo ais in me sit ista maledictio, fili mi? aduerte vt diximus voluntatẽ Dei cognitam habuisse, quod benedictionem filius suus minor consequeretur: ne mireris igitur nihil mali veritam, & omni damno se obtulisse, quia pro obsequio Dei & voluntate eius adimplenda, nihil omnino formidandum, hoc innuere videtur D. Theod. q. 78. in Genes. *confidens Rebecca prophetiæ quod maior seruiturus esset minori, omnem mouit lapidem, vt Iacob benedictionem paternam consequeretur.*

D. Theodor.

Cum humiliamur Dei benedictionem consequimur.

72. *In me sit ista maledictio, tantum audi vocem meam*, & tibi certa erit benedictio paterna, sed si ipsemet indignum se ea iudicat, & eam quasi renuit, cùm in medium proponit se leuem esse, & non pilosum, patrem crediturum sibi voluisse illudere, sicque pro benedictione maledictionem accepturum, cur eum ea dignum iudicas, pollicerisque consecuturum? quia cum humiliamur Dei benedictionem non possumus non assequi: nobiscum sentit Dionys. Carth. *Spiritus sanctus seu Dei prouidentia humilitatem populi gentilis qui se dixerat lenem id est nudum, ab actibus virtuosis assecurauit eum de tali periculo, dummodo in Deo confidens & ipsi acquiescens, faceret quæ suggerebat.*

Dionys. Carth.

Ille verus amicus, qui pro amico non renuit incommoda perpeti.

73. *In me sit ista maledictio?* nonne sufficiebat omnem conatum adhibuisse, eique consilium præbuisse: quomodo benedictionem paternam consequeretur? cur igitur non contenta hoc beneficium ei contulisse, etiam damnum eius gratia tibi desideras? quia ille verus amicus est, qui pro amico non renuit incommoda perpeti, *potentissimum signum dilectionis*, inquit Oleaster, *est pro amico mala grauia perpeti, amicos inuenies qui tibi bona conferant, sed paucissimos qui tui gratia mala grauia ferant.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIV.

VVLG. Abiit & attulit, deditque matri, parauit illa cibos, sicut nouerat patrem eius velle.

Sept. Profectus autem sumpsit & attulit matri, & fecit mater eius escas, sicut amabat pater eius.

Chald. Fecit mater eius edulia.

Alij. Fecit mater eius pulmentum, siue sapidum.

EXPOSITIO.

ABiit, ad gregem & attulit duos hœdos, *deditque matri suæ*, Rebeccæ, *parauit illa cibos*, pulmentum ex eis confecit, *sicut nouerat patrem eius velle*, consueuerat enim ei cibos disponere, & sic sciebat quibus præcipuè delectabatur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Negotium diu consultum cito exequendum.

74. ABiit & attulit, quomodo ita diligens, qui antea quasi renuebas matris tuæ consiliis acquiescere? quomodo ita solicitus pergis ad gregem hœdos tecum deferens? quomodo etiã mater tua tanta cum solicitudine eos præparat, quæ antea solum tibi consulebat? quia negotium diu consultum, cito executioni mandandum est, vnde optimè Abulens. *parauit illa cibos quanto celerius potuit, ne veniens Esau deprehenderet eos hoc facientes.* Abulens.

Dei gratia nostram exigit cooperationem.

75. *Abiit & attulit matris suæ, parauit illa cibos*, cum à Deo statutum fuisset Iacob benedictionem consequi, cur tanta cum solicitudine edulia præparat? quia licet diuinæ gratiæ præsidium nobis impendatur, Dei tamen cooperatores esse debemus, quia licet diuina benedictio & gratia promissa fuerit, non desides tamen esse debemus in ea cõsequenda, sed ei cooperari, verùm præstat audire verba Chrys. Chrysostom. *considera*, inquit, *quomodo omnia superna gratia euenerint, nam quando quid à nobis est, offerimus, largiter diuinam gratiam consequimur, nam vt ne desides & supini simus, vult etiam nos aliquid conferre, quo sic sua declaret, & non totum sit superni auxilii, sed etiam oporteat nos aliquid simul afferre.*

Pro exiguis maxima nobis impendit Deus.

76. *Abiit & attulit, deditque matri suæ*, nempe hœdos, vt ex eis confecto pulmento & Isaac oblato benedictionem suam tribueret Iacobo, sed quid commune habet exiguum pulmentum cum adeo ingenti beneficio, & quo maius tunc temporis desiderari non potuit? maiora ô Rebecca tribue, vt sacerdotalem & regiam dignitatem filio tuo dilecto largiatur: non dubites per Isaac, Deum intelligi, per benedictionem, hereditatem æternam: quid mirum igitur solum aliquid è duobus hœdis Isaaco offerri, & Rebeccam pro filio benedictionem adipisci; quia pro exiguis maxima nobis impendit Deus: quod Glossa Angelica obseruat in illa verba Luc. 6. date & dabitur vobis, ait, *quid dabitur vobis? date beneficia temporalia, & dabitur vobis vita æterna.* Glossa Ang. Luc 6.

Ipsemet Deus suæ liberalitatis exhibendæ occasionem præbet.

77. *Abiit & attulit, deditque matri suæ*, vt illa offerẽdũ cibũ patri tribueret, & in cõmutationẽ pro filio benedictionẽ largiretur, sed cur Isaac Deũ designãs, pro benedictione largiẽda, vult sibi aliquid offerri? vt suæ liberalitatis exhibendæ à nobis occasionem præberet, *non à nobis*, inquit Chrysostom. *exigit totum, nostram sciens infirmitatem, sed suam seruans misericordiam, & volens aliquando occasionem exhibere, vt suam declaret liberalitatem, expectat vt afferamus quæ nobis sunt.* S Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se domi habebat induit eum.

Sept. Et sumens Rebecca stolam Esau filii sui senioris bonam, quæ erat apud ipsam domi induit eum Iacob filium suum iuniorem.

Alii. Desideratas, odoriferas.

Chald. Et tulit vestimenta Esau filii sui maioris quę erant munda.

Pag. Et accepit Ribchah vestes Esau filii sui concupiscibiles.

Vulg. Ant accepit vestes elegantiores.

Vatabl. Desiderabiles.

Alii, Pulchra, speciosa.

CONCORDIA.

CONCORDIA.

חמד Chamud propriè desiderabile, concupiscibile significat, tamen aliæ lectiones deducunt ad bonitatem & elegantiam siue munditiem, vestes enim primogeniti erant elegantes, bonæ nec non mundæ.

EXPOSITIO.

Vestibus valde bonis. id est pretiosioribus, quas asserunt ex rebus odoriferis contextas fuisse, nec non Sacerdotales quibus primogeniti induti Deo victimas offerebant, sed siue illæ vestes Sacerdotales fuerint, vel propria primogenitorum ornamenta, ipsa certè mater familias pro more eius temporis & gentis, apud se custodiebat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Amor cum sapientia coniungitur.

79. *Vestibus valde bonis induit eum*, nonne sufficiebat ei tot amoris signa exhibuisse? cur igitur hac pia fraude vtitur, vt benedictionis paternæ obtinendæ gratia eum fraternis vestibus induit? sine dubio vt ostenderet amorem suum non cæco duci errore, sed maxime solertem & prudentem esse, *vide obsecro*, inquit Chrys. Hom. 53. *Rebeccæ cum magna dilectione coniunctam raram sapientiam, nam quia superius dixit quod ille quidem hispidus esset, hic lenis, stola inquit Esau induit eum & pellibus circumdedit eum, & cum vndique eum ad deceptionem instruxisset, datis edulijs & panibus in manus effecit vt patri afferret.*

Chrysost.

Mulier simulationum inuentrix.

80. *Vestibus valde bonis induit eum*, vt sic Isaacus arbitraretur Iacob esse Esau, qui huiusmodi indumentis tanquam primogenitus vti solebat, sed quomodo hunc modum decipiendi reperit? cur Iacob potius huius fraudis non fuit inuentor? quia mulier in simulationibus homines excedere videtur. Fauet Oleast. *mirabilis, inquit, artifex simulationum fœmina, neque solum verbo, sed facto nouit optimè mendacia componere.*

Oleaster.

Fœminæ ingenium, vultus & formas mutare nouit.

81. *Vestibus valde bonis induit eum, pelliculasque hædorum circumdedit manibus*, alium inducere videns hominem cum his vestibus, ecce enim in Esau pilosum & hirsutum efformatus appares, cur iam non Iacobi faciem, sed Esau portat laruas? sanè Rebeccæ cupiditas de Iacob ad dignitatem primogenituræ euehendo, hanc larualem formationem adinuenit, fœminea enim cupiditas & nouit vultus & formas mutare, ait enim Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 2. *in varias autem formas se mutans tertia est cupiditas, quæ plusquam Protheus marinus Dæmon varius, nunc hanc, nunc aliam figuram suscipit, & ad libidines, & stupra, & adulteria allicit, omnia enim cupiditas confingit & vel fucum facere vt occultet hominem.*

Clemens Alexand.

Christus totus concupiscibilis.

82. *Vestibus valde bonis induit eum*, cæterum in fonte concupiscibiles seu desiderabiles dicuntur, vnde Pagninus prædicta verba ex Hebræo ita vertit, accepit vestes Esau filii sui concupiscibiles quin etiam D. Hier. eundem locum ita transferens dixit sumpsit vestiméta Esau quæ erant desiderabilia; aliquodne mysterium hæ vestes concupiscibiles prænotant? aduerte Christum Dominum totius Ecclesiæ indumentum dici, nam D. Paul. hac de re loquutus, induimini, inquit, Dominum nostrum Iesum Christum, Rom. 13. & rursus quicumque baptizati estis, Christū induistis, Galat. 3. dicamus igitur Christum, fuisse in illis vestibus adumbratum, quē Esau, id est populus Iudaicus exuit, & Iacob id est gentilicus induit, fuisse concupiscibilem & desiderabilē, quem Isaac totis desiderijs expetebat, & cuius odorem præsentiens incredibiliter exultabat.

D. Paul.

Rom 13.

Benedictionem non meretur, qui incultus ad Eucharistiam accedit.

83. *Vestibus valde bonis induit eum*, quibus benedictionem paternam consequitur, sed Esau maior natu repulsam passus est, qua de causa potius Iacobo quam Esau qui erat primogenitus benedictionem impartitur? rationem optimam insinuat D. Hier. Epist. 125. ad Damas. q. 3. *quia Rebecca vestibus valdè bonis quas apud se habebat, domi, induit Iacobum, nam statim vt pater illius sensit vestimentorū illius fragrantiam, benedicens ait, ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, quasi solo vestimentorum odore inductus fuerit ad benedictionem conferendam, at vero Esau sine vestium cultu & ornatu ad conuiuium accessit, ergo si non benedicitur à patre ille filius, qui lautè conuiuium sine lautis vestibus ingreditur, quam benedictionem ab æterno patre debet ille sperare, qui inculta conscientia ad diuinum Eucharistiæ conuiuium accedit?

D. Hieron.

Fides & scripturæ à Iudæis ad Christianos deuolutæ.

84. *Vestibus valde bonis induit eum*, hæ vestes seruabantur in arca, sed quod mysterium nobis innuitur in hoc quod vestimenta quæ erant Esau, ea sibi induenda sumpsit Iacobus? non dubitas per Esau populum Iudæorum, sicut per Iacob gentilem declarari, per vestes autē sacrā scripturam, ea enim tegimur vt aduersario contra nos molienti resistamus, merito igitur induitur Iacob vestibus, quæ erant ipsius Esau, quia fides & scriptura à Iudæis ad Christianos debebant deuolui, hoc sibi vindicat D. Hier. Ep. ad Dam. *vestes Esau fides & scripturæ sunt Hebræorum, quibus gentilium induitus est populus.*

D. Hieron.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVI.

VVGL. Pelliculasque hœdorum circumdedit manibus,& colli nuda protexit.

Sep. Et pelles hœdorum circumposuit super brachia eius,& super nuda colli eius.

Chald. Et pelles hœdorum induit super manus eius, & super leuitatem colli.

Pag. Et pelles hœdorum caprarum induere fecit manus eius &c.

Ar. Et super leuitatem ceruicum.

CONCORDIA.

Licet brachia habeant Septuaginta & non manus, tamen nomine brachiorum etiam ipsas manus intelligunt: חלק Chalak licet molle siue leue interpretetur, tamen ad nuditatem deducitur; nuda enim caro mollis est & blandiens.

EXPOSITIO.

Pelliculasque hædorum circumdedit manibus, more chirotecarum, quæ etiam digitis aptantur, potius autem pelliculis hœdorum quàm agnorum circumdedit, agni enim lanam nimis densam habent, quam nullus quantumuis pilosus habere potuit, *& colli nuda protexit*, hanc enim partem potuit pater attrectare, quam si hirsutam non reperisset, sibi filium illudere voluisse credidisset, cum autem in vultu barba esset, eum non cooperuit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui alios decipit aliquo genere fraudis, fortè eodem decipietur.

85. *Pelliculasque hœdorum circumdedit manibus*, quibus patrem decepit, eis enim pilosas manus Esau simulauit, quid deinde factum? quod sicut Iacobus patrem suum hœdinis pellibus decepit, ita & ipse à suis si non pellibus hœdinis, saltem hœdino sanguine deceptus est, nam postquam filii in Ægypto Iosephum vendiderunt, tulerunt, inquit textus, tunicam eius,& in sanguine hœdi, quem occiderant tinxerunt, mittentes qui ferrent ad patrem vt pater hœdino sanguine deceptus, sanguinem filii sui quem à fera pessimè deuoratum crederet, miserabiliter deploraret,& in quam deceptionem patrem induxerat, in eandem à filiis induceretur.

Christus Dominus peccata non sua, sed aliena portauit.

86. *Pelliculasque hœdorum circumdedit manibus*, Septuaginta pelles hœdorum circumposuit super brachia eius, hircorum pellibus peccata designantur, Iacobo Christus Dominus: sed si Saluator noster nulla peccata commisit, quomodo pellibus ea designantibus circumdantur brachia eius? nonne certum est has pelles non proprias sed alienas esse? non mirum est igitur Iacobum Christi Domini figuram eis peccatorum symbolis circumdatum, quia Saluator noster peccata non sua, sed aliena portauit, *pelles*, inquit Isid. Hispal. *quæ Iacob brachiis circumdatæ sunt, peccata sunt vtriusque plebis, quæ Christus in extensione manuum crucì secum pariter affixit; ipse enim in corpore suo, non sua sed aliena peccata portauit.*

Isid. Hisp.

Christus non carnem peccati, sed illius similitudinem accepit.

87. *Pelliculasque hœdorum circumdedit manibus*, si Iacobo designatur Christus, cur pilos non proprios habet sed alienos,& qui eorum solum gerunt similitudinem? vt denotaretur hac arte mystica quod Christus non carnem peccati, sed solum illius similitudinem accepturus esset, sic D. Prosper. parte 1. de promiss.& prædict. Dei, *aptauit eum qui erat vt posset intueri quod non erat, tanquam iam nobis illum figuratum ostenderet Christum, qui accepit non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati*,& Bruno Colon. Archiepisc. cit. à Tilm. in alleg. *pelliculis hœdorum circumdedit manibus, hoc Rebecca fecit Iacob, hoc multa sapientia Christo: venit ergo Christus hœdorum pellibus inuolutus, id est carnis peccati similitudine vestitus, hoc enim primum fuit hominis indumentum quando de paradiso expulsus est: tali igitur veste indutus venit Christus ferens secum duos hœdos optimos, alterum pro peccato, alterum in holocaustum, carnem videlicet & sanguinem suum, his enim & peccatum originale soluitur & Deus ab indignatione placatur, hos autem hœdos coxit Rebecca, quæ interpretatur multa patientia, hoc fecit quod Christus pro nobis se coqui & occidi permisit.*

D. Prosp.

Bruno.

Vt humiliemur, peccata ante oculos proponamus.

89. *Pelliculasque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit*, D. Ambros. in cap. 6. Apocal. per pelles hœdinas peccata intelligit, ait enim pelles cum ab hœdo separatur, caro apparet, vnde delectabiles cibi confici possunt, similiter & ab vno quoque peccatore cum vitia detrahuntur, bonæ naturæ cum ratione apparent quæ si fide Deo coquantur, delectabiles cibi ex bono naturæ, Deo præparantur sed cur non solum in manibus sed etiã in collo huiusmodi pelles hœdinas posuit? cum collum designet superbiam, manus opera, cur non dicemus

S. Ambros.

dicemus prudenter huiusmodi pellibus, quæ peccata denotant, circumdedisse manus & collum Iacobi, vt peccata ante oculos habens, humilietur, & in operibus suis non superbiat: audiamus cit. Doctorem, *per collum eo quod in collo superbia sæpe apparet, possumus elationem mentis intelligere, per manus vero opera designantur, collum ergo vnusquisque fidelis pellibus hædinis circumdat, cum ad mentis elationem deponendam ad humilitatis suæ custodiam peccata præterita ante oculos mentis reuocare non desinit, manus circumdat, cum ne in bonis operibus extollatur peccata præterita ante oculos mentis sæpe reducit.*

Pœnitentia peccatorum maxime Deo grata.

90. *Pelliculasque hædorum circumdedit manibus*, hos hœdos fuisse duos, & illos optimos dixerat textus, sed cur duo & hi optimi fuere? per hos duos citatus Amb. pœnitentiam & confessionem peccatorum intelligit, sed qua de causa optimos voluit esse Rebecca? nam sufficiebat vt ex quibuscumque hœdis pulmentum conficeretur, minime, sed optimi sunt inquit prædictus auctor, *quia valde acceptabilis est Deo pœnitentia peccatoris, cum abrenuntiatione peccatorum, sicut Dominus noster dicit in Euangelio Luc. 15. gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.*

S Ambros. Luc. 15.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Deditque pulmentum, & quos panes coxerat tradidit.

Sep. Et dedit escas & panes quos fecerat in manus Iacob filii sui.

Cald. Et posuit edulia quæ fecerat, & panem in manu Iacob filii sui.

Pag. Cibos & panem quos parauerat.

Arias. Et dedit sapidos cibos.

EXPOSITIO.

Deditque *Iacobo pulmentum*, ex carne delicatiori hædorum confectum, *& panes quos coxerat*, quosdam enim subcinericios panes qui iucundi sunt saporis parauerat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Admiranda Dei erga iustos prouidentia.

91. Deditque *pulmentum & panes quos coxerat*, vt eis illectus Isaac benedictionem Iacobo tribueret, sed cùm decipiendus foret Isaac, cur ei hanc fraudem non aperuit, vt eam fugeret? sine dubio vt singularem quam erga Iacobum curam Deus haberet, ostéderet annuit D. Theod. q. 79. in Gen. *vt perficeret prouidentia Dei erga Iacob scilicet non reuelauit ipsi Isaac voluntatem suam: quod satis ex eo constat quod Isaac omnibus modis conabatur benedicere Esau, sed gratia Dei contra quam putasset Isaac, transtulit benedictionem super Iacob, quod etiam intellexit ipse Isaac.*

D. Theod.

Qui cum bonis operibus verbum Dei admiscet gratum Deo cibum offert.

92. *Deditque pulmentum & panes quos coxerat*, si solum cibos ex venatione postulauerat, cur etiam panem tradidit? nõ est dubium opera nostra bona, Dei cibum esse, & per panẽ verbum Dei intelligi: merito igitur non solum pulmentum, sed etiam panes obtulit, quia cum bonis operibus verbum Dei admiscemus, gratissimum Deo cibum offerimus: sensus est D. Amb. in c. 6. Apoc. *per panem sæpe verbum Dei designatur, quia ille congruenter ad Deum patrem cum cibis bonorum operum pergit, qui & alios quoscumque potest ad bona opera agenda admonere non desinit.*

S. Ambros.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVIII.

VVLG. Quibus illatis, dixit pater mi, at ille respondit, audio, quis es tu fili mi?

Sep. Et intulit patri suo, dixit autem pater, ille vero dixit, ecce ego, quis es tu fili?

Cald. Et ingressus est ad patrem suum.

Pag. Et venit ad patrem suum, & dixit ecce ego.

EXPOSITIO.

Quibus *illatis*, nempe pulmento & panibus, dixit Iacob *pater mi*, cum enim caligassent oculi eius, necesse fuit eum interpellare, *audio, quis es tu fili mi?* forte enim vocis tonum simulauerat, sicque Isaac non potuit certo colligere, quisnam ex duobus filiis suis esset.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustus si aliquid quod rationi dissentaneum videtur operatur, maximo timore corripitur.

93. *Quibus illatis dixit, pater mi*, D. Chrysosto. ait; considera obsecro, quanta cum anxietate verborum hæc locutus sit Iacob, qui dixerat matri suæ, timeo ne inducat super me maledictionem, & non benedictionem, sed cur tanto cum timore patrem

alloquitur? nonne filius eius est? secure igitur mentem suam ei aperiat: merito timet, quia iustus si aliquid rationi dissentaneum (qualiter erat benedictionem fratri surripere) operatur, maximo timore corripitur: fauet cit. Chrys. dicens, *verisimile est quod in magno timore constituitur qui tantum actum simulat.*

S. Chrysost.

Cum pœnitentia spes veniæ coniungenda.

94. *Quibus illatis*, nempe pulmento & pane, nonne sufficiebat homini infirmo pulmentum obtulisse sine pane? raro enim panis iis qui infirmitate laborant, tribuitur: aduerte per panem intelligi eum qui dicitur panis lachrymarum & pœnitentiæ, per pulmentum ait Hugo Carens. spem veniæ denotari, merito igitur & pulmentum & panem Isaaco obtulit, quia fidelis cum pœnitentia spem veniæ debet coniungere: ita citatus Carens. *Iacob pœnitens inquit qui offert Isaac, id est Christo panem lachrymarum, unde psalmus, fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte, pulmentum vero quod facit panem aridum comestibilem, & spes veniæ, unde hæc duo simul debent offerri labor, pœnitentia & spes veniæ, Iudas obtulit panem sine pulmento Matth. 21. Iudas pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, dicens peccaui tradens sanguinem iustum, & abiens laqueo se suspendit, multi etiam offerunt pulmentum sine pane absque dolore pœnitentiæ peccatorum veniam præsumentes, quibus dicitur Matth. 3. facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Hugo Car.

Psal. 41.

Matth. 21.

Matth. 3.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIX.

VVLG. Dixitque Iacob, ego sum primogenitus tuus Esau, feci sicut præcepisti mihi, surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua.

Sep. Feci sicut locutus es mihi.

Cald. Surge obsecro, recumbe, comede.

EXPOSITIO.

Dixitque Iacob ego sum primogenitus tuus Esau, licet in his primis verbis Iacob excusari possit à mendacio (quod in nulla occasione licitum est etiam si sit iocosum vel officiosum) quia sanctus esse potest cum primogenitura ei ex domini dispositione, & ex emptione, & ex matris reuelatione debebatur, potuit cum veritate asserere se esse primogenitum, iure scilicet, nec non Esau, mystice de seipso loquendo, sicut & Christus Dominus vere Ioannem dixit ipsum esse Eliam mystice quidem & in spiritu, ita & Iacob vere erat cui debebatur primogenitura, erat ergo Esau non quantum ad personam, sed quantum ad ius & prærogatiuam, & dignitatem primogenituræ: vsitatum est enim in scriptura vt vnus homo appelletur alterius hominis nomine significante personam eius, propter similitudinem alicuius proprietatis, vel dignitatis, vel muneris: nam præter exemplum allatum de Ioanne quem Christus Dominus dixit esse Eliam, habemus aliud apud Ezech. c. 31. vbi Deus consolans Iudæos in captiuitatem abductos, nec non maxima beneficia per Messiam illis præstanda commemorans, ait tunc eorum pastorem ac regem futurum Dauidem, sine dubio Dauidis nomine denotans Messiam: nam Dauid ante multa sæcula mortuus fuerat, nec vnquam postea reuocatus est ad vitam, licet ergo in his verbis, *ego sum Esau primogenitus tuus*, possit Iacob excusari à mendacio, sed in sequentibus non video quomodo possit ab eo liberari, ait enim, *feci sicut præcepisti mihi*: at Isaac de cibo offerendo nihil ipsi præceperat, sed soli Esau, subiungit, *surge & comede de venatione mea*, at Iacob eas carnes quas offerebat patri suo, non parauerat ex animalibus venatione captis, sed ex grege domestico sumptis.

Ezech 31.

Nec inconueniens iudico eum asserere mentitum fuisse cum nostro Doct. subt. in 3. dist. 38. q. vnica, nam cum haberet legem imperfectam, sicut & alii patres veteris testamenti, nec non gratiam modicam respectu nostri, qui & legem habemus perfectam & gratiam superabundantem, & de nostris non negatur aliquando fuisse mentitos, cur de illis non asseremus?

Noster subtilis Doctor.

Mendacium autem quod commisit fuit solum peccatum veniale, nam hæc falsitas fuit officiosa, nulli nocens & alicui proficiens: si autem obiicias non officiosam sed perniciosam fuisse, quia nocuit Esau, cum per eam auferebatur ius primogenituræ & paterna benedictio, respondeas non nocuisse mendacium illud Esau, quia tunc alicui nocemus, quando iuri eius aliquid detrahimus, at non tollebatur Esau ius aliquod, quia vendiderat ius primogenituræ fratri suo, iure ergo suo vtitur sibi debitam primogenituram acquirens etiam per mendacium, sicut si eo mediante adimerem ea quæ fur deprædatus est mihi, ei minime nocerem, mea enim sunt quæ furatus est.

Licet autem probabilem hanc sententiam de mendacio & peccato illius veniali iudicem, contrariam tamen condemnare non audeo, cum habeat plurimos & grauissimos sui defensores.

Surge, sede, debilis enim erat, & ideo vt comederet accumbere debebat, *vt benedicat mihi anima tua*, consuetus loquendi modus sacræ scripturæ, ponere animam pro homine.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mentiri nec etiam officiose licitum est.

95. Dixit Iacob ego sum primogenitus tuus Esau, feci sicut præcepisti mihi, miror hominem probum ita mentitum, & peccatum commisisse, dices cum Orig. & Cassian. in collatione 17. mentitum fuisse nec mentiendo tamen peccasse, quia est quoddam mendacii genus minime improbum, quin etiam bonum & laudabile, quod magni cuiuspiam boni acquirendi vel propulsandi mali causa, in loco & tempore dicitur, tale autem fuit mendacium Iacob: sed ne mireris mentitum fuisse, omnis enim homo mendax, & ideo peccasse, nullum enim mendacium quodcumque sit, licitum est & potest non

non esse peccatum, abominatio est enim inquit Salomon Prouerb. 12. Domino labia mendacia, & Prouerb. 30. verbum mendacii longe fac à me, quibus testimoniis persuasus ac commotus Innoc. 3. asseueranter dixit in scriptura prohiberi mendacium etiam pro seruanda alterius vita dictum, si quidem in titulo de vsuris c. 4. super eo reprehendens nonnullos eo fine exercentes vsuras, vt inde captiuos redimere possent: sic ait, *cum vsurarum crimen, vtriusque testamenti pagina detestetur, super eo dispensationem aliquam fieri non debemus, etenim cum scriptura sacra prohibeat etiam pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captiui vsurarum crimine inuoluatur.*

Prouerb. 12. Prouerb. 30. Innoc. 3.

Licet ab inuito quod suum est extorquere.

96. *Ego sum primogenitus filius tuus Esau*, simulas te personam esse fratris tui, vt sic benedictionem patris surripias, sed nonne iniquum est primogenituram fratri adimere, cum solum sis natu minor? reuoca in memoriam eam Esau fratri suo Iacob vendidisse, iniquus igitur non est censendus, quamuis in modo eam sibi restituendi iudicetur, quia licitum est ab inuito, quod suũ est extorquere: sic cat. Graec. *sibi primogenitis iura edulio compararerat ab Esau, qui cum nulla virtute insigniretur qua primogeniti dignitatibus conuenitet, ab inuito extorqueri decuit.*

Cat. Graec.

Celare veritatem factis licet.

97. *Ego sum primogenitus filius tuus Esau*, dixit Iacob indutus pellibus hœdinis, cur per exteriorem habitum denotas aliam quàm tuam personam? nam sicut in verbis est simulatio, cùm is cui loquimur, aliud verbis significat quam ipse sentit, est peccatũ mendacii, ita in factis, cum per exteriorem habitum, vel actionem, vel signum aliquod exterius denotatur, aliud quam interius est in animo facientis appellatur peccatum simulationis: peccas ergo ô Iacob, cum aliis indutus vestibus dicis te primogenitum: aduerte duplicem esse simulationem, vnam noxiæ deceptionis ad fallendum alios perniciosè, vel ad quidpiam improbè ac inique consequendum, aliam, quæ in loco & tempore vtiliter vsurpatur, quæ iuuandi aut se, aut alios, vel admonendi, vel instruendi causa adhibetur, primum genus est improbum & damnandum, secundum autem laudandum, dicamus in hac simulatione non peccasse Iacobum, licitum est enim veritatem factis celare, quod late probat Seraphinus à Porrecta in verit. aureis con. 2. huius cap. *hoc modo*; inquit, *Christus se finxit longius ire, quando discipulis Emaus petentibus se iunxerat viæ comitem, hoc & modo Christus praterire volebat discipulos, quando ipsis in remigando laborantibus super mare ambulans apparuit, hac ratione motus Christus se velut hortulanum Mariæ Magdalenæ ad monumentum ostendit &c.*

Seraphinus. Porre.

Magna parentum est erga filios amoris teneritudo.

98. *Surge comede &c. vt benedicat mihi anima tua*, cur non ait, vt mihi benedicas? non enim sola est anima, quæ benedictionem impendit, sed homo; ideo dicit vt benedicat mihi anima tua, vt sic exprimeret maiorem patris erga suum primogenitum amoris teneritudinem, fauet Tho. Anglic. in Genes. *nota*, inquit, *quod in scripturis per hoc quod dicitur anima tua significatur teneritudo, ac vehementia affectionis ac sensus.*

Thom. Angl.

Soli è vitiorum tumulo surgentes, virtute Eucharistici conuiuii digni sunt.

99. *Surge & comede de venatione mea*, cur non permittis ô Iacob vt pater senio morboque confectus sarcophago quam sepulchro vicinior, molli recumbens puluino epuletur? nota ex doctissimo Mend. in c. 6. lib. 1. Reg. nu. 21. anno. 22. sect. 1. hoc conuiuium symbolum esse Eucharistici sacramenti: merito igitur dixit Iacob patri, vt surgeret ad comedendum, quia soli è peccato surgentes non in peccato iacentes eo perfruuntur, ita D. Chryso. hom. 7. in Marcum, *iacentes manducare non possumus, nisi steterimus corpus Christi accipere non possumus*, ne iaceamus ergo in peccatis ne tanto videamur indigni eucharistico conuiuio.

Mendoca. S. Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XX.

VVLG. Rursumque Isaac ad filium suum, quomodo inquit tam cito inuenire potuisti fili mi? qui respondit voluntas Dei fuit, vt cito occurreret mihi quod volebam.

Sep. Quid hoc, quod cito inuenisti fili? at ille dixit quod tradidit Dominus Deus tuus coram me; *Cald.* præparauit Dominus, *Pag.* occurrere fecit.

Oleast. Quid hoc festinasti ad inueniendum fili mi?

Arias. Occurrere fecit Dominus Deus tuus ad faciem meam.

CONCORDIA.

Licet aliqua sit in his versionibus diuersitas, solum est in verbis non in sensu, nam eundem omnes habent, nempe quod prouidentia Dei euenit, quod tam cito venationem inuenire potuerit.

EXPOSITIO.

Qvomodo tam cito inuenire potuisti? distabat enim nemus, & mirabatur quomodo tam cito redire potuisset, inuenta venatione, quæ venatoribus statim non occurrit, *qui respondit voluntas Dei fuit*, in hoc mentitus non est, disposuerat enim Deus, vt ad talem locum iret, nempe ad gregem & sine labore sibi occurreret quod quærebat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustus non suis, sed potius alienis tribuit meritis quidquid prosperè sibi contingit.

100. *QVomodo tam cito inuenire potuisti? voluntas Dei fuit vt cito mihi occurreret*, in Hebræo est quia fecit occurrere Dominus Deus tuus: cur nõ absolute dixit Dominum Deum, non addẽdo tuum, cum omnium sit Dominus? rectè dixit, fecit occurrere mihi Dominus Deus tuus, vt non suis sed patris meritis ita rem contigisse innueret: sic explicat Oleaster, *hoc bonum iusti haben: vt nihil sibi aut meritis suis, sed superiorum tribuant, quemadmodum seruus Abrahæ superius fecit, qui omnem bonum successum suum in Deum & merita Domini sui iactare curabat.* Oleaster.

Aliquando laudandi famuli à Dominis suis vt in obsequio exhibendo sint vigilantiores.

101. *Quomodo tam cito inuenire potuisti?* hæc quasi diligentiam filii sui admirans, imo & laudans dixit, sed cur laudibus extollis, id quod exequi tenebatur? quia aliquando laudandi sunt & filii & famuli à Dominis suis, vt in obsequio sibi exhibendo sint vigilantiores, *instruit locus iste*, inquit citatus auctor, *laudandos esse de diligentia in negotio ministros vt diligentiores fiant.* Cit. Lusitanus.

Dei est & non nostræ diligentiæ, citus & acceleratus bonus euentus.

102. *Quomodo tam cito inuenire potuisti?* interrogat Isaac Iacobum, cui ille, voluntas Dei fuit, cur non magis expeditionem suam & venatoriam artem commendat? cur impigritiæ animi sui scientis omnes moras, omnia impedimenta rumpere non timuit, sed omnem celeritatis causam in Deum refundit? nouerat vir sapiens festinatum prosperum euentum benedictionis futuræ occasionem à nullo alio habere posse nisi à Deo, testatur cit. Ambros. *quod inuenitur quæritur, & quod quæritur temporis est, quod temporis est vtique diligentia est, quod autem præuenit vsum temporis, Deus infundit, Deus dat, Iacob & cito inuenit & inuentorum suorum auctorem Deum testificatus est.* D. Amb. lib. de fuga sæculi c. 8.

Quantumcumquè sit tarda pœnitentia, Deus tamen acceleratam existimat.

103. *Quomodo tam cito inuenire potuisti?* vt formetur conceptus, aduertendum quod Hugo Cardin. hoc pœnitentiæ tribuit. sic enim ait, pater mi, hæc est prima vox pœnitentis, quærentis veniam, Luc. 15. pater peccaui in cœlum & coram te, quis es tu fili mi? ecce benignitas Saluatoris, pœnitens dicit non sum dignus vocari filius tuus, & ipse filium nominat, Matth. 9. confide fili, remittuntur tibi peccata tua, ego sum Esau peccatis plenus, quia si homo agnoscit peccatum suum, & Deus dignoscit, surge, sede, & comede, surgit Christus, quia dormiens in contritione sedet, quasi indicans in confessione, comede de venatione, opera pœnitentis sunt, venatio extorta à faucibus diaboli quibus Dominus satiatur: sed si hæc omnia tribuuntur pœnitentiæ, quomodo intelligi possunt hæc verba Domini dicta pœnitenti, quomodo tam cito inuenire potuisti? nam si quis pœnitentiam agere statuit, cito ei modus eam faciendi occurrit, non ergo sic eum interroget, imo sic ab eo inquirat, quia vt optime cit. auct. *ecce quantumcumque sit tarda pœnitentia, tamen Dominus etiam reputat eam.* Luc. 15. Matth. 9. Hugo Car.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXI.

VVLG. Dixitque Isaac, accede huc vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non.

Sep. Appropinqua mihi, & attrectabo te fili, si tu es filius meus Esau.

Cald. Accede obsecro, & attrectabo te.

EXPOSITIO.

ACcede huc vt tangam te, dubius hærebat, tum propter celerrimam diligentiam quam in disponendis cibis adhibuerat, tum propter sonum vocis, *vt probem vtrum tu sis filius meus Esau*, an non licet auris demonstret mihi te non esse Esau, tamen tactu id melius experiar.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Adhibenda diligentia ne decipiaris.

104. *ACcede huc vt tangam te*, cur non adhibes o Isaac fidem filio tuo dicenti se esse primogenitum tuum? cur eum contingere desideras, vt experiaris an sit Esau? quia non est illicita diligentia, imo adhibenda, vt ab aliis non decipiamur, *quoniam*, inquit Oleaster, *voluntaria ignorantia peccatorem non excusat à peccato, ideo adhibenda est diligentia ne decipiaris.* Oleaster.

Contra Dei prouidentiam nihil possumus.

105. *Accede huc vt tangam te &c.* Isaac pro indaganda veritate nihil negligit, non contentus auditu tactum expetit, certius signum, sed intentione viri iusti deludetur, & humana simulatione Iacob ne consequetur benedictionem? an palpando cognoscet Isaac non esse filium suum primogenitum? minimè, quia vt optime Lipp. *contra prouidentiam Dei nihil proficitur.* Lippom.

Dominus ad se accedentes flagellis recipit.

106. *Accede huc vt tangam te*, nonne sufficiebat dixisse tangam te, sine additione, accede huc? proximus enim tibi erat filius tuus, nam paulo antea tibi

tea tibi dixerat, surge, comede, merito postquam dixit accede huc, subiungit, *tangam te*, quia vt Hugo. Car. optime Hugo Cardin. *Dominus accedentes ad se tangit, id est flagellat Heb. 12. flagellat Dominus omnem* Hebr. 12. *filium quem recipit.*

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXII.

VVLG. Accessit ille ad patrem, & palpato eo dixit Isaac, vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.

Sep. Appropinquauit autem Iacob ad Isaac patrem suum, & contrectauit eum, & dixit.

EXPOSITIO.

Accessit ille, patri obediens, *& palpato eo scilicet*, in manibus & collo, *vox quidem vox Iacob est*, & in hoc non decipiebatur auditus, *sed manus, manus sunt Esau*, fallitur tactus, sed per accidens, manus enim Iacob similitudinē manuum Esau præ se ferebant, propter pilos hœdorum quibus tegebantur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui ex Deo est, sermones Dei loquitur.

107. *Vox quidem, vox Iacob est*, vnde sanctus vir nouit vocem non esse Esau, sed Iacob? an ex ipso vocis sono? affirmatiuè respondet Chrysost. etenim ob vocem Iacob placidiorem dubitabat iustus: sed vt conceptum aperiamus, verba prolata ab ipso Iacob attentè consideremus, patri interroganti, quomodo tam cito inuenire potuisset venationem, respondit, voluntas Dei fuit, quod mihi occurreret. dicamus igitur Patriarcham senem, non percipere ex sono ipso, sed ex verbis piis, Iacob vocem eius deprehendisse: sic D. Basil. in cat. Græc. S. Basilius *piam hanc vocem cognoscens pater in Iacob vocem Esau merito negabat*: & Procop. *pater arbitrabatur pia illa* Procop. *verba, voluntas Dei fuit, non ab Esau fero homine esse deprompta, nec ex pronuntiatione, sed ex sensu verborum vtriusque ingenium iudicabat*, & optime, rusticum enim & ferum Esau pectus, non mite, piumque & diuinum aliquid cogitabat, nec proinde per linguam, & per illam foras aliud si loqueretur, quam impietatem exhalaret: contra vero Iacobi pectus mansuetum ac religiosum, voce sui administra, nomen Deique voluntatem protulit.

Quales sumus interius, tales linguâ exterius videmur.

108. *Vox quidem vox Iacob est*, diximus ideo vocem Iacob agnouisse, quia nomen Dei sanctissimū protulerat, & prouidentiæ eius, quod venationem inuenisset, tribuerat: sed nonne Esau potuit hæc eadem verba proferre? reuocemus quæso in memoriam, quid de vtroque dixerit Spiritus sanctus, de Iacob quod fuerit vir simplex, de Esau quod vir fuerit totus in morem pellis hispidus, vir gnarus venādi, quibus cognoscimus ferum & crudele eius ingenium: dicamus igitur quod ea verba pia non protulisset Esau, sicut Iacob, quia quales sumus interius, tales verbis exterius dignoscimur, & si sancti sanctitatem, si impii impietatem eructabimus, quod vere confirmat D. Chrysost. exponens illa verba regii S. Chrysost. Vatis, eructauit cor meum verbum bonum Psal. 44. Psal. 44. *quemadmodum in eructatione id quod fit, oritur ex qualitate ciborum, ita etiam in doctrina spirituali, talia ergo eructabat qualia comedebat, sic Ezechiel, comedēs vo-* Ezech. 3. *lumen, fuit inquit in ore meo tanquam mel dulce c. 3. quia ergo spirituale acceperūt gratiā, eis quoque similia eructarunt, eructat autem Propheta omnia mitia & mansueta, quoniam cor suum expurgauit, quemadmodum enim stomachus quando sordidis succis fuerit plenus, eis consimilia & cognata eructat, sed quando sanus fuerit, ei quoque conuenientem edit eructationem, ita etiam cor Propheta postquam fuit à peccatis liberum, accepit gratiam spiritus & eructat verbum bonum.*

Auditus, cum verbum Dei percipitur cæteris sensibus certior.

109. *Vox quidem vox Iacob est*, si in aliis sensibus errauit Isaac, visu enim decipitur, quia caligauerunt oculi eius, odoratu, quia percipiens odorem Iacobi dicebat, ecce odor filii mei, nempe Esau, sicut odor agri pleni, gustu, quia domesticos cibos pro venaticis gustabat, tactu, quia pelles hœdinas pro pilosis Esau manibus tangebat: quomodo igitur auditu non errat dicens, vox quidem vox Iacob? quia auditus quo verbum Dei percipitur, & veritas habetur, cæteros sēsus in certitudine antecellit. *sapiēs fuit* D. Bernard. *Isaac*, inquit D. Bern. ser. 28. in cant. *sed tamen errauit in sensibus, solum habet auditus verum qui percipit verbum*, quod confirmat ex centurione qui vidit Christum Dominum patientem & non agnouit, audiuit clamantem & agnouit, videns, ait Marc. c. Marc. 15. 15. quia sic clamans expirasset ait, vere hic homo filius Dei erat, sic autem fatur eit. Doctor *ex voce agnouit filium Dei & non ex facie, erat enim ex ouibus eius quæ vocem eius audiunt, auditus inuenit quod non visus, oculum species fefellit, auri veritas se infudit, oculus pronuntiabat infirmum, oculis fœdum, oculus miserum, oculus morte turpissima condemnatum, auri Dei filius auri formosus innotuit.*

Opera nostra orationi nostræ assimilanda, alias maxime imperfectus es.

110. *Vox quidem vox Iacob est manus autem manus sunt Esau*, cum vox sit Iacob, certe alienæ non possunt esse manus, nam certissime sunt illius: idem enim est Iacob qui tangitur & auditur ab Isaac: quomodo igitur ait manus esse Esau, cum venationi studeat, & solam vocem esse Iacob? aduerte vocem denotare orationem, quam coram Deo fundimus, manus autem opera: merito igitur dicit vocem fuisse Iacob, & manus fuisse Esau, quamuis essent Iacob, quia qui orationi suæ piæ opera sua non assimilat, hic totus non est Iacob; hic non est perfectus, sed Esau personam induit, ita D. Bern. hom. de Bernar. duobus discipulis euntibus Emaus, *quidam potentes*

sunt in sermone, sed non in opere, videas aliquem frequenter in oratione deuotum, cuius oculi piscinæ sunt in Hesebon, præ multitudine lachrymarum, sed recusat ferre iugum obedientiæ, votum suum offerre se æstimat offerendo hostiam amputata aure suam plangit in oratione superbiam, sed hora compunctionis transacta, ita superbus est sicut ante, vel si lenis in moribus, post orationis suæ deuotionem in eandem recidit leuitatem, ossa eius replentur vitiis adolescentiæ suæ, vt nunquam in conuersatione sua sit securus, licet ad modicum temporis sit deuotus: vox quidem vox Iacob est, sed manus manus sunt Esau, tales potentes videntur in sermone, sed non in opere.

Pœnitens non solum humili præstet cōfessione, sed etiam operibus duris pro satisfactione.

113. *Vox quidem vox Iacob, manus autem manus Esau,* certe vel in vno vel in alio deciperis, quomodo enim potest habere manus ipsius Esau, cum manus illius venationem cui semper intendit, sint duræ & asperæ, manus autem Iacob sint molles & lenes? reuoca in memoriam superius nos dixisse Iacob referre pœnitentis personam, cur ergo non assereremus recte dictum ab Isaac, non solum habere vocem filii sui Iacob, sed etiam manus Esau? quia verus pœnitens non solum habere debet vocem simplicem & humilem in confessione, sed etiam opera dura & aspera in satisfactione, & sēsus est mysticus Hugon. Carens. *pœnitens debet habere vocem Iacob id est verba humilia & simplicia in oratione & confessione, manus manus Esau id est futura & dura opera in satisfactione & tunc recipit benedictionem.*

Hugo Carens.

Christus Dominus nostra fert peccata & infirmitates, vt nobis benedictionem consequatur.

114. *Vox quidem vox Iacob, manus autem manus Esau,* Christum Dominum diximus Iacobo denotari, sed si Christus Dominus lenis natura, mitis & humilis corde, blandus aspectu, suauis corde, vnde nunc ergo hirsutas habet manus ad modum Esau? cuiusnam sunt hi pili hœdini? D. Bern. ser. 28. in cant. ait, mei sunt pili, nam pilosæ manus similitudinem proximam exprimunt peccatoris, sed cur ô Iacob meis indueris peccatis, nempe pilis hœdinis? respondet, vt tibi benedictionem consequar: *bene in eo habitu,* inquit cit. Bernard. *quia mihi benedictio vendicatur, mihi postulatur hæreditas.*

Bernard.

Christus Dominus audiri vult in sacramento non tangi alias & errabis.

115. *Vox quidem vox Iacob, manus autem manus Esau,* indutus Iacob alienis vestibus, nimirum Esau, tectusque hœdinis pellibus, mensam apposuit cæcutienti seni, qui vocem loquentis audiens, certissime illum agnouit verum Iacobum, ac manibus hœdinæ pellis inuolutum attrectans, falsus est: erroremque deinde subintulit, manus sunt Esau: sed quid hoc alienius? manus nonne erant Iacob, sicut vox? quare ergo ita deciperis & falleris, vt dicas esse manus Esau? mystice loquamur, egregiam augustissimæ Eucharistiæ figuram parat Christus Deus homo, mensam fidelibus suis in qua corpus suum & sanguinem manducandum & potandum apposuit, ergo accedit Dominus alieno indutus amictu, scilicet sub speciebus panis & vini, audiri vult, quia fides ex auditu, palpari non vult sensibus, in auditu veritas, in tactu error & falsitas deprehenditur, loquitur autem hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, quid verius exclamat fides? vox quidem vox Dei, qui mentiri non potest, dixit & facta sunt, prorsus hinc visus, qui prorsus caligat, dum vini & panis accidentia cernens, substantiam sub illis panis & vini speciebus latere indicat, tactus aberrat, si quantitatem ac tangibiles quantitates, quæ prius panis & vini fuerant percipiens, substantiam priorem creatam adhuc ibi latentem colligit, non enim sunt nec pili Esau, nec manus Esau, sed tantum manus Iacob, & si alieno tactæ amictu ita Bern. ser. 28. in Cant. *aduerte in Isaac, quomodo præ cæteris sensibus auditus non in sene viguerit, caligant oculi Patriarchæ, palatum seducitur, fallitur manus, non fallitur auris, quid mirum si auris percipit veritatem, cùm fides ex auditu, auditus per verbum Dei? verbum Dei veritas sit, vox inquit Iacob est, nihil verius, manus autem manus sunt Esau, nihil falsius, manus similitudo decipit te, nec in gustu veritas, & si suauitas est, nam quod habet veritatem, qui se putat edere venationem, cum domesticis vescatur hœdorum carnibus, multo minus oculus quo nihil videt, sapiens fuit Isaac sed tamen errauit in sensibus, solus habet auditus verum, qui percipit verbum.*

Bernard.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXIII.

VVLG. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant, benedicens ergo ait.

Sep. Et non cognouit eum, erant enim manus eius velut manus Esau fratris sui pilosæ, & benedixit eum.

EXPOSITIO.

AT *non cognouit eum*, fefellit enim eum tactus, *quia Pilosæ manus similitudinem maioris expresserant*, his verbis notatur erroris occasio, *benedicens ergo*, volens eum benedicere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nullus excepto Christo Domino plenam habuit omnium scientiam.

116. *Et non cognouit eum*, cur Deus passus est sanctum virum Isaac, etiam diuino prophetiæ spiritu præditum, decipi vt non cui volebat, sed cui nolebat daret benedictionem? vt intelligamus nullum esse quantumuis lumine supernaturali illu-

illustratum excepto Christo Domino qui omnium plenam habeat rerum cognitionem: sic Hieron. Epist. 125. ad Damas. *non mirum quod vir iustus aliquid ignorauerit, & contra voluntatem suam fecerit, nullus enim homo excepto eo qui ob nostram salutem carnem indutus est, humanam plenam habuit scientiam, & certissimam veritatem: plura sunt quam vt exemplis debeamus docere sanctos viros & Deo charos, ea tantummodo scisse quæ eis à Domino reuelata sunt, ignorasse vero quæ eis reuelata non fuerint, & ad singulas visiones Danielem atque Zachariam interrogare Angelum & suppliciter deprecari, vt exponat sibi quæ sint illa quæ viderant, vnde & mirum non est Isaac in suam maxime vtilitatem nescisse quid faceret, cum magis eo tempore erraret quo filium sanguinariæ deditum voluptati, & eum qui postea fratrem si posset occideret, prætermisso illo qui innocenter habitaret domi vellet efferre, & suam magis quàm Dei facere voluntatem.*

S. Hieron.

Qui prophetiæ dono præditus est, cognoscet futura, non autem forte præsentia.

117. *Et non cognouit eum*, si fatentur omnes lumine prophetico præditum fuisse, lumen autem illud etiam ad remotissima se extendit, quomodo nec præsentia intuetur? quomodo nec præsentem filium agnoscit? existimat enim manus illius esse manus Esau, ne mireris quæso id ita contigisse, nam qui prophetiæ dono celebris est, quamuis cognoscat futura, aliquando tamen non intuetur præsentia, quod ostendit Diuus Gregorius Mag. hom. 1. super Ezech. *inter hæc sciendum est*, inquit, *quod aliquando Prophetiæ spiritus animum prophetantis ex futuro tangit atque ex præsenti non tangit, sicut aperte hæc historia testatur, cum Isaac Esau filium suum ad venandum misit, cui minorem filium Rebecca ad benedicendum supposuit, qui hædinis pellibus indutus paterno palpatui corpus fraternum finxit, cui ille minori filio tanquam maiori benedictionem dedit, quæque ei longe essent futura nunciauit, sed quis esset qui coram se assisteret scire non potuit, prophetiæ ergo spiritus ex futuro animum prophetantis tetigit, atque ex præsenti non tetigit, quando caligantibus oculis pater & futura prædicebat & præsentem filium nesciebat.*

S. Greg.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIV.

VVLG. Tu es filius meus Esau, respondit, ego sum.

Sep. Tu es filius meus Esau. & dixit, sum.

EXPOSITIO.

TV *es filius meus Esau*, adhuc interrogat vt certior fiat ex ipsius responsione, dubius enim adhuc hærebat, an esset Esau, cum vocem eius esse non diceret, & *dixit ego sum*, quod intelligendum est, eo modo quo supra dictum est versu 19.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ita obcæcatum cor Iudæorum, vt etiam inanimatis Christum Dominum agnoscentibus, illi minime cognoscant.

118. TV *es filius meus Esau*, iterum interrogat Isaac, sed an ita oculorum lumine priuatus, vt nullomodo vultum eius agnoscere possis? nam vox tibi manifesta est: fateris enim esse Iacob, equidem non credo, nam quamuis sit caligans oculis, non omnino extincta est tibi potentia visiua: obserua quæso per Isaacum, Iudæos intelligi, per Iacob Christum Dominum: ne quæras ergo, quomodo caligantibus oculis Isaac non agnouit Iacob? quia signum erat Iudæos ita corde obcæcatos fore, vt etiam Christum Dominum lumen illuminans omnem hominem, non agnoscerent: sic Diuus Gregorius Mag. in homilijs hom. 10. *in omnibus si qua, vel nascente Domino, vel moriente eo monstrata sunt, considerandum nobis est, quanta fuerit in quorundam Iudæorum corde duritia, quæ hunc nec per Prophetiæ donum, nec per miracula cognouit: omnia quippe elementa auctorem suum venisse testantur, vt enim de eis quiddam vsu humano loquar, Deum hunc esse cœli agnouerunt, quia protinus stellam miserunt: mare cognouit, quia sub plantis eius calcabile se præbuit: terra cognouit, quia eo moriente contremuit: sol cognouit, quia lucis suæ radios abscondit: saxa & parietes cognouerunt, quia tempore mortis eius scissa sunt: infernus agnouit, quia hos quos tenebat mortuos reddidit: & tamen hunc quem Deum omnia elementa insensibilia senserunt, adhuc infidelium Iudæorum corda Deum esse minime cognoscunt, & duriora saxis scindi ad pœnitentiam volunt eumque confiteri abnegant, quem elementa aut signis aut scissionibus Deum clamant: quos profecto bene Isaac cum Iacob filium suum benedicere designauit, qui & caligans oculis & prophetans in præsenti filium non vidit, cum tamen multa in posterum prævidit, quia nimirum Iudaicus populus prophetiæ spiritu plenus, & cæcus, eum de quo multa in posterum prædixit in præsenti positum non agnouit.*

Gregor. Magn.

Nec sufficit bona intentio sine bonitate operis vt excusemur à peccato.

119. *Tu es filius meus Esau, respondit ego sum*, non te interrogat, vtrum sis primogenitus eius, cum tibi, tum ex decreto Dei, tum ex emptione debebatur primogenitura, sed sciscitatur verum sis filius eius Esau? cur ergo mentiris dicens, te eum esse? sed cur accusatur peccati, cum optimam intentionem haberet, scilicet quod suum erat consequendi, nempe paternam benedictionem? quia non sufficit bona intentio sine

bonitate operis, vt excuſemur à peccato: fauet cit. Card. *inexcuſabilem video eſſe Iacob ab officioſo mendacio, licet enim bona fuerit eius intentio, locutio tamen eius mala moraliter eſt.*

Cardin. Caiet.

Sagaces ſimus in negotio perficiendo.

118. *Reſpondis ego ſum*, vel vt eſt in Hebræo, *ego*, aut vt habent ſeptuaginta, *ſum*, cur vt perſuaderet patri ſe eſſe filium eius, primogenitum Eſau, longiorem non traxit orationem? potuit enim dicere, an non vides me piloſum & hirſutum, filius autem tuus Iacob lenis & mollis eſt? cur ergo adhuc dubitas, me non eſſe Eſau, tum præcepiſtine Iacob vt tibi venationem exhiberet? minime, ecce autem dico tibi vt ſurgas & comedas de venatione mea: nota quod ſi verba plura protuliſſet, forte in eis deprehendiſſet Iſaac filium ſuum eſſe Iacob, non Eſau: prudenter igitur vnicum ſolum profert dicens, *ego*, vel vt habent ſeptuaginta, *ſum*, ne deprehenderetur, ſagaces enim maxime debemus eſſe in negocio aliquo perficiendo, *breuiſſime reſpondet Iacob*, inquit Lippo. *veritus eſt enim voce deprehendi, quod ſine dubio contigiſſet niſi breuiſſime dixiſſet.*

Lippom.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXV.

VVLG. At ille, affer mihi inquit cibos de venatione tua fili mi, vt benedicat tibi anima mea, quos cum oblatos comediſſet, obtulit etiam vinum, quo hauſto.

Sep. Affer mihi & comedam de venatione tua fili, vt benedicat tibi anima mea, & attulit ei, & manducauit, & intulit ei vinum & bibit.

Cald. Accede coram me & comedam de venatione fili mi.

Pag. Appropinquare fac mihi & appropinquare fecit ei.

CONCORDIA.

Diuerſitas vel contrarietas videtur eſſe in lectionibus, nam noſter Vulgatus habet, *affer mihi* Caldæus *accede coram me*, & Pagn. *appropinquare fac mihi*, ſed hanc terminat & ſoluit verbum נגש nagas, quod ſignificat offerre, appropinquare, & accedere.

EXPOSITIO.

Affer mihi cibos quos præparaſti de venatione, præſumpta, *vt benedicat tibi anima mea*, mos erat prius epulari quàm benedicere, quos cum oblatos comediſſet, non omnes ſed eorum partem, *obtulit ei vinum, quo hauſto*, potato.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui mundo vacat, indignus benedictione.

119. *Affer mihi cibos vt benedicat tibi anima mea*, ſenex certior factus (vt putabat) quod ante ſe habebat filium ſuum Eſau, menſæ accubuit, de appoſitis comedit epulis, & benedictioni ſe accingit, ne te accingas, deciperis, non enim eſt Eſau ſed Iacob, maiorem adhibe diligentiam, aliquem fideliſſimum ex tuis famulis conuoca, & ab eo inquire, vtrum qui tibi cibos affert comedendos, ſit filius tuus primogenitus: nihil tale efficit, nam Dei decretum erat Iacob benedicendum, ſed cur Eſau non benedicitur? *quia totus*, inquit Procop. *immerſus fuit ſaculi curis.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVI.

VVLG. Dixit ad eum, accede ad me, & da mihi oſculum fili mi.

Sep. Et dixit Iſaac pater eius, accede, obſecto & oſculare me, fili mi.

EXPOSITIO.

Accede, da mihi oſculum, Abulenſis ait vnam ex conditionibus requiſitis ad benedictionem tribuendam, eſſe oſculum, quod ideo exigit Iſaac à filio ſuo, antequam ei benedicat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Maius incentiuum amoris in filium quærit pater.

120. *Da mihi oſculum fili mi*. nonne ſufficiebat à filio cibos poſtulaſſe vt ei benedictionem tribueres? hanc enim ſolum conditionem exigeras, cur igitur petis & oſculum? dices cum D. Petro Damiano ſerm. de ſancto Apollinare, quod hæc

erat

erat antiquorum patrum consuetudo, cùm aliquem Patriarcham constituere vellent, sed satisfaciat Dionys. Carthusianus, *osculum petit, vt maiore charitate eius accensus affectuosius eum benediceret*, en quomodo pater maius incentiuum amoris erga filium quærit?

Dion. Cart.

Eis quos Deus flagellat, osculum præbet amoris.

120. *Da mihi osculum fili*, miror quomodo Iacob ad osculum admittat, nam si antea diximus, per illa verba *tangam te*, intelligi Dei flagellum, flagellum autem longe distet ab osculo, imo qui flagellat non osculatur, quomodo igitur postquam dixit accede vt tangam te, id est flagellis affliciam, ad osculum pacis admittit? quia iis quos Deus flagellat, osculum præbet amoris, ita Hugo Carensis *quem Dominus prius tetigerat per flagella modo inuitat ad osculum, sed nota inquit quod statim Iacob receptus est ad osculum patris, sed post tactum, id est post patientiam flagellorum.*

Hugo Carens.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXVII.

VVLG. Accessit & osculatus est eum, statimque vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait, ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

Pag. Et odoratus est odorem vestimentorum eius, & benedixit, & dixit, vide odorem filii mei sicut odorem agri.

Targum Hieros. Sicut odor incensi ex optimis aromatibus, quæ tandem offeruntur in monte, vbi erit domus sanctuarii, siue templum cui benedixit, qui viuit in æternum.

CONCORDIA.

IN Hebræo non habemus pleni, nec in Caldaica paraphrasi, quod tamen addidit noster Vulgatus, sequens septuaginta, qui habent ἀγροῦ πλήρους.

EXPOSITIO.

STatimque vt sensit vestimentorum eius fragrantiam, id est odorem vestium, quem spargebat Iacob, cerebrum Patriarchæ ita recreauit, vt lætitia perfusus, & amore filii ardescens in eius benedictionem prorumperet, *ecce odor filii mei*, sentio, percipio miram fragrantiam filii mei, *sicut odor agri pleni*, id est sicut odor agri fragrantibus odoribus onusti, *cui benedixit Dominus* phrasis Hebraica est, id est quem vberem, & fructiferum, & variis floribus refertum, fecit Dominus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Bona fama benedictionem Dei nobis consequitur.

120. STatim vt sensit vestimentorum illius fragrantiam benedicens ait, cur vestimentorum eius odore percepto, benedictioni ilico se accingit? vt conceptus sit nobis intellectu facilis, videamus sensum quem venerabilis Beda præbet his verbis Cantic. 4. dictis à sponso suæ Amaliæ, *& odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*, ait autem per vestimenta, virtutum opera proximis exterius benevolentia denotantur: quo notato, cur non dicemus, quod ex vestimentorum fragrantia, quæ bonum nomen & famam ex bonis operibus spirantem significant, nouo filii amore accenderetur Isaac, à quo in benedictionem prorumperit? testis sit Chrysolo. ser. 73. *sic Iacob suo nimis timidus matris consilio satis ausus patris vt praeriperet benedictionem plus mysticus quam dolosus incessit*, bene mysticus, qui candentis & odorati lilii virtutis scilicet, cum claritate & veræ pœnitentiæ bonum nomen & famam fragrantis, quæ Dei oculis gratissima illius fauorem & gratiam aucupatur, imaginem præferebat, quare hæc statim subnecit Chryso. *ille nos sub hircorum pellibus figurabat, qui vt moriamur peccato hortatu matris Ecclesiæ mortificationis corporis induimur vestimento, & odore agri continua confessionum fructibus & vbertate redolemus*, en primogenituræ pignus, cœlestisque maioratus signum, nempe mortificati corporis vestimentum, bonam famam & honestum nomen spirans?

Cantic. 4.

Chryso.

Anima non minus chara Deo quàm vniuersorum.

121. *Ecce odor filii mei tanquam odor agri pleni, cui benedixit Deus*, Isaac tanquam pater æternus benedicens filio suo Iacob, sed quare? quinue hic dicendi modus est, vt vnus Iacob cum toto agro, eoque florum & fructuum pleno componatur? optimus certe, non enim minori est curæ Deo anima, quam si plurium multitudo siue cunctorum cœtus fiat, ita huic dubio satisfacit D. Dam. lib. ad Leonem inclusum Episcopum c. 5. *nam & propheticis Isaac naribus tota præsens redolebat Ecclesia, cùm super vnius filii sui personam diceba: ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.*

Petrus Dami.

Qui pascitur Eucharistia, bonorum terrestrium affectum exuere debet.

122. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, sed quid sit ille ager, apud nullum interpretem inueni declaratum, nisi apud D. Paschal. postea citandum, qui per illum intelligit eum de quo loquebatur Christus, quem sapientissimi mercatores vendentes omnia, emerunt, ita vt prius omnia vendat, quam

illum emant, ait ergo D. Paschaf. lib. de corp. & sang. Dom. *in isto agro corporis Christi thesaurus absconditus vernat floribus immarcescibilibus, & redolet odore suauitatis, quem qui inuenit homo vadit & vendit omnia quæ habet & emit agrum illum*, perpende vendit omnia & emit, quia Eucharistiæ gemma, tam digna habetur, cum omnia bona mundialia contemnuntur.

D. Pascha s.

Odorum suauitates ex sacris litteris spirant.

122. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, per vestimenta quibus indutus erat Iacob, & ex quibus odor agri pleni nempe floribus beneolentibus efflabatur, D. Ambros. serm. 13. in Psal. 118. diuinam scripturam recognoscit, qua exuitur Synagoga & induitur Ecclesia, sed cur non vnius floris, sed omnium varietati & fragrantiæ comparat? quia nullus est ager florum abundantior, quam scriptura quæ non vnius sed omnium suauitates includit, *ibi enim carpis*, inquit cit. Amb. serm. 14. in Psal. 118. *nouum florem qui bonum odorem dedit resurrectionis, carpis lilium in quo sit splendor æternitatis, carpis rosam, hoc est dominici corporis sanguinem*, & D. Chrysostomus in Eutropi. *suaue quidem est*, inquit, *pratum & hortus, vtroque tamen suauius multo spirat diuinæ scripturæ lectio, hortus pro temporum qualitate seruit necessitatibus, scripturæ autem perinde hiberno atque æstiuo tempore perennant comantibus vndique foliis, & fructuum pondere degrauantur*, & hom. 43 in Genes. *illic manu tantum carpimus flores, & protinus marcescentes suam gratiam amittunt, hic autem non sic sed si volumus per omne tempus eorum suauëolentia frui poterimus.*

D.Ambros. D.Chrysost.

Christus Dominus flos ante ortum etiam desiderabilis.

123. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, morti proximus lætabundus exclamat Patriarcha, vnde tibi tanta lætitia, quæ tanti gaudii origo? an ex nato Iacobo, quem oculis corporeis non vides? nescio tamen? probabilius arbitror quod ex nasciturο filio Iesu oritur, quem prophetico perfusus lumine contemplaris, ita plane D. Bernardus sermone 47. in Cant. *nondum*, inquit, *speciem suam ille flos agri induerat, & iam dabat odorem suum, quando eum præsensit spiritu corpore marcens sanctus & senex Patriarcha, caligans visu, sed odoratu sagax, tanto enim desiderio illius floris, de radice Iesse producturi, tenebatur Patriarcha, vt ad præsentis non attenderet odorem filii, sed ad futuri suauitatem auidissimus anhelaret*, nec immerito, cum huius suauitas floris longo interuallo superet omnium, quos natura gignit, florum suauitates, vnde Diuus Ambrosius libro 2. de Spiritu sancto, capite 5. *flos*, inquit, *Mariæ, Christus, qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe, virginali ex vtero germinauit, flos odorem suum succisus reseruat, & contritus accumulat, nec auulsus amittit, ita & Dominus Iesus in illo patibulo Crucis, nec contritus emarcuit, nec auulsus euanuit: sed illa lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi coloris cruore vernauit, mors ipse nesciens, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans.*

S. Bernard. S. Ambros.

Iudæi Christum Dominum non gustauerunt

124. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, quidnam hoc mystice designat, Iudam filium propsium non agnoscere, vestimenti autem odorem sentire? nonne Isaac cæcus populum Israeliticum peccatorum cæcitate affectum, Iacob autem Dominum significat? idcirco vestimenti odorem sentit, non autem filium agnouit, ad declarandum synagogam flores quidem virtutum Domini sensisse, sed eum non agnouisse, ita Diuus Bernardus sermone ad milites templi c. 7. *Isaac*, & sub eius typo Israeliticus populus, *vestimenti fragrantiam sensit, sed vestiti præsentiam non agnouit, solo quæ vestis tanquam floris odore forinsecus delectatus quasi fructus interioris dulcedinem non gustauit, dum & electi filii simul & sacramenti fraudatus cognitione remansit.*

D. Bernard.

In viro iusto omnium virtutum sint odores.

125. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, in quo cum esset scilicet non vnius floris vnus odor, sed plures pluriũ, verũ de quo loquitur Isaac? de filio suo, cur eum non comparat flori vnico, sed agro omnibus referto? quia in iusto, qualis erat Iacob, vt bonus sanctitatis odor sit suum virtus quælibet spiret, virtus enim vna non bene olet si sola oleat, vnde recte Diuus Ambrosius 3. Hexa. c. 17. *non vitem aut ficum Patriarcha olebat, sed virtutum spirat gratiam in odore pleni agri non vnius virtutis odor intelligitur, sed omnium gratus Dei naribus, non est odor ille quem vna virtus emittit, sit sicut agri pleni & plene redolebit, & erit Deo gratissimus*, vnde Diuus Chrysostomus ho. 4. in Moral. in capite 2. ad Ephes. *non lubet vt vnum operemur sed omnia, quomodo enim in nobis sunt quinque sensus, & omnibus ad id quod oportet, vtendum est, ita etiam omnibus virtutibus, non enim sufficit vna virtus, vt cum fiducia sistamur ad tribunal Christi, sed multa varia & omnis generis atque adeo omni virtute opus est*, lubet hic subnectere Gilleberti Abb. verba qui serm. 37. in Cant. nobis eleganter succinit, inquirens cur in sacro epithalamio sponsus sponsam laudans comparat eam horto c. 4 & 5. ait, *tot horti quot virtutum plantationes simul collectæ, vbi tantum flos vnusquisque ibi hortum esse definiat? sic nec vna castitatis plantatio nec vna iustitiæ horti potest integritatem explere, in horto quippe sapientiæ nihil sterile, nihil non germinans, sic & sponsa plures habens hortos & cunctis generis virtutum consepta virgultis est consita.*

S. Ambros. Gilleb. Ab.

Diuinæ gratiæ virtutes nostræ tribuendæ.

126. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, quisnam est hic ager? ait D. Greg. hom. 6. in Ezech. est hic mundus, inquit vt ait veritas in Euangelio, sed quisnam est odor illius agri? citat. Doctor intelligit esse virtutes, quibus Ecclesia per electos suos in vniuerso mundo redolet, sic autem ait, aliter olet flos vuæ, quia magna est virtus, & opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium, aliter flos oliuæ, quia suaue est opus misericordiæ, quia more olei refouet & lucet, aliter flos rosæ, quia mira est fragrantia, quæ rutilat & redolet, ex cruore martyrum, aliter flos lilii, quia cãdida vita est carnis de incorruptione virginitatis, aliter flos violæ, quia magna virtus humilium, qui ex desiderio vltima loca tenentes, per humilitatem se à terra in altũ subleuãt, & cœlestia

S. Greg.

& cœlestis regni purpuram in mente seruant, aliter redolet spica, cùm ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio, ad satietatem eorum qui iustitiam esuriunt præparatur, sed si per hunc odorem agri pleni omnimodæ intelliguntur virtutes, cur subiunxit Moyses, cui benedixit Dominus? vt innueret has virtutes gratiæ & benedictioni diuinæ tribuendas, ita cit. Greg. *sed quia ager hic has virtutes ex semetipso non habet, adiungitur, cui benedixit Dominus.*

Naturalis simplicitas Deum ad benedictionem largiendam inuitat.

127. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, non thuris Sabæi, non Indicorum aromatum, nec alterius fragrantiæ artificialis, sed agri odorem in filio laudat, & quidem Iacob non homo agrestis erat vt Esau, sed domesticus, & ideo matri fratre familiarior, cur ergo in illo pater agri pleni odorem inuenit? non dubitas nullum magis simplicem ac naturalem quàm florum agri odorem; sane ergo inde iam eliciebat benedictionum cœlestium fundamina, quæ in naturali quadam inueniuntur simplicitate; ait enim D. Amb. lib. 5. Hexa.c. 17. *odor Iacob, odor agri pleni id est naturalis, ad quid enim pleno rure, suauius, & agri odorem ipsum terra simplicem atque sincerum pro gratia benedictionis accipiam, quem fraus nulla composuit, sed veritas indulgentiæ cœlestis infudit*, vbi simplicitas & sinceritas apparuit, ablato fuco, ablata artis compositione, ibi benedictio cœlestis apparet.

S. Ambros.

Deus suis requiem & tranquillitatem prouidet, cupiditas autem & gula suis sectatoribus lites & bella.

128. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, ecce nihil nō pacificum & quietum imprecatur filio Isaac, quod enim expressius pacis & quietis signum, quàm odor agri, quàm agricultura? sic pro pacis commendatione conuertuntur apud Isaiam gladii in pharetrā, & Isachar qui requiem amabat colendis agris se tradidit: pergit bonus pater benedicturus alteri filio Esau, & ait, viues in gladio, fratri tuo seruies, ecce bella, ecce lites, cur Esau in gladio, in bello, in litibus, substantia paratur? non Deo hic militabat, sed cupiditatibus suis & gulæ suæ, ex quibus nihil exit quam bella, quàm lites, pulchre Rupert. lib. 7. in Genes. c. 18. ait, *hæc illi extrema benedictio congruit, qui esuriem nesciebat gratiæ spiritualis, quippe qui propter vnam escam primogenita sua vendidit*, in quo non Deus, sed concupiscentia regnabat, necessum erat quod bella essent, quod dissidia, quod fratris odia, hæc suis militibus à concupiscentia parantur, Deus autem suis sectatoribus requiem parat, & tranquillitatem prouidet.

Rup. Abb.

Qui officiosus parentibus, à Deo benedicitur.

129. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, quisnam est ille ager, propter cuius fragrantiam dicit Isaac Deum ei suum dedisse benedictionem, an omni agro odorifero hoc ei beneficium impendit? quæso reuocemus in memoriam Iacobum pium fuisse erga patrem, matri obedientem: dicamus ergo hunc agrum ita fragrantem odore, esse reuerentiam, quam parentibus suis exhibuit Iacob, cuius gratia benedictionem consequitur, *quàm pius erga parentes!* ait D. Amb. lib. 2. de Iacob c. 1. *quàm verecundus vt patrem timeret fallere! quàm honorificus vt matri quod videbat non posset negare!* dixerat autem superius, *ipse est ager quem benedixit Dominus.*

S. Ambros.

Duplicitas corde Deo maxime inuisa.

130. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, cum nihil sit communius verno tempore, quàm fabæ odor, nihil vilius quàm aliorum alicuius agri florum fragrantia, cur odorem filii sui sibi gratum prædicat? quia est sicut odor agri pleni, nonne sunt alii fragrantissimi odores, qui ex plurimis rebus conficiuntur? eis ergo filii fragrantiam comparet: aduerte huiusmodi odores aromaticos, qui ex variis rebus conficiuntur, duplices dici posse, odorem autem agri simplicissimum: merito igitur odorem filii sui non extollit tanquam dictum odorem aromaticum, quia Deo duplicitas corde maxime est inuisa: hoc ponderat Lact. Firmi. lib. tertio capite 17. inquirens, cur Deus populo suo circumcisionem præceperit, ait, *illa carnis circumcisio non caret vtique ratione, quia si Deus id vellet, sic à principio formasset hominem vt præputium non haberet, sed huius secundæ circumcisionis figura erat significans nudandum esse pectus, id est aperto & simplici corde oportere nos viuere, quoniam pars illa quæ circumciditur habet quandam similitudinem cordis & ob hanc causam Deus nudari iussit, vt hoc argumento nos admoneret ne inuolutum pectus haberemus, sed quamcumque simulationem abiceremus.*

Lact. Firmi.

Verus hominis odor à bonis operibus & virtutum titulis.

131. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, cur potius odorem vestimentorum eius confert fragrantiæ agri, quàm aromatum, quæ suauissime spirant, vel pigmentorum, quorum exhalatio odorifera? aduerte in aromatibus, in pigmentis nullum fructum reperiri qui in agro pleno abundantissimus inuenitur; quid ergo mirum si Iacobi bonum odorem non sumit à rebus infructuosis, sed à frugiferis? quia vera hominis fragrantia à bonis operibus, à virtutum fructibus venit, ad hæc aiebat Diuus Ambrosius libro de Isaac capite 7. *speciosa fœcunditas est bonorum operum, contraria speciositati sterilitas, terra enim quæ bona est, fertilis, atque fœcunda, hæc & decora, quid enim pleno agro pulchrius cùm seges fluctuat, cùm poma rutilant, vel cùm vuarum serta dependent, aut baccis onusta olea curuescit, vel viridanti gramine montium vertices vallium humilia vestiuntur? & vt scripturæ vtamur testimonio, Iacob decorus erat, & ideo erat odor agri pleni, Esau hispidus erat, & indecorus, qui fructus illos habere non posset*, preme hæc vltima verba, *indecorus erat qui fructus illos habere non posset*, quasi quia nullis fructibus abundet, sed careat, nullas fruges virtutum habeat, nullum odorem emittat, nam bonus hominis odor, non ab aromatibus, non à pigmentis, sed à frugiferis & optimis operibus, à virtutum eximiis titulis emana

S. Ambros.

Castitas nostra non solum nobis, sed & aliis cognita sit, vt Deo sit grata.

132. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, de quo Paulus ait 1. Corinth. 2. bonus odor sumus in omni loco, quod autem Paulus, inquit, Philip. Abb. Epist 13. Isaac odorem nominat, hoc scriptura in canticis fumum appellat, quæ est ista inquiens quæ ascendit sicut virgula fumi, sed quænam est illa fumi virgula, qui coram Deo ascendit tanquam illi gratissimus? satisfacit cit. Auct. *virgula fumi castitas est, boni odoris, bonæ opinionis, bonæ famæ, quæ castitas vel cuius odor & fumus castitatis ascendit & prouehitur in conspectu diuinæ maiestatis, certumque est ipsam castitatem Deo nequaquam displicere, cum & eius famus, id est opinio inueniatur non mediocriter complacere.*

1.Corin.2. Philip. Abb. Cant. 3.

Isaac in Christo Domino diuinitatem prædicit.

133. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, quem in spiritu prophetiæ Isaac filium appellat nisi Christum, qui de eius semine per lineas generationum nasciturus erat? sed cuiusnam agri pleni odorem Isaac odoratus, spiritualiter sensit? recurramus ad Paulum Coloss. c. 2. qui loquens de Christo Domino ait, in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: dicamus igitur cum cit. Philipp. in cant. tom. 7. titul. de somnio regis, odorem agri pleni, quem sensit Isaac fuisse plenitudinem diuinitatis in Christo, hæc sunt illius verba, *cuius agri pleni odorem Isaac odoratus spiritualiter sensit, nempe plenitudinem diuinitatis, quæ in Christo, sicut dicit Paulus, corporaliter requiescit, vnde Ioannes in quo sancti Spiritus erat gratia, de plenitudine, inquit, eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia, odor igitur agri pleni est plenitudo diuinitatis Christi.*

Colos. 2. Philip. Abb. Ioan.

Christus ager omnium donorum & gratiarum.

134. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, hunc agrum esse Christum Dominum arbitratur D. Ambros. lib. 2. de Iacob c. 10. hic est ager, de quo dicit Ecclesia in canticis, adiuro vos filiæ Hierusalem in virtutibus & fortitudinibus agri, cant. 2. hic est ager de quo Dominus ait Psal. 49. & species agri mecum est sed cur dicitur plenus? quia in illo est omnium donorum & gratiarum cumulus, ita cit. Amb. *in hoc agro vna illa reperitur, quæ expressa sanguinem fudit & mundum diluit, in hoc agro est ficus illa sub qua sancti requiescent spiritualis gratiæ suauitate recreati: in hoc agro est illa oliua fructifera dominicæ fluens pacis augmentum, in hoc agro florent mala granata quæ plurimos fructus vno fidei munimine tegunt, & quodam fouent charitatis amplexu.*

S. Ambros. Cant. 2. Psal. 49. S. Ambros.

Non solum magna, sed etiam parua Deo referenda.

135. *Ecce odor filii mei sicut odor agri cui benedixit Dominus*, cur Domini benedictionis mentionem fecit, in re non adeo præstanti, qualis est odor agri? nam sufficiebat contulisse fragrantiam vestimentorum filii sui suauitati, nec non agri odori, sine horum verborum additione, cui benedixit Dominus: merito tamen hæc addidit, *quia*, inquit Oleaster, *solent sancti non solum magna, sed etiam parua in Deum referre.*

Oleaster.

Aliquando Prophetæ ex rebus sensibilibus, occasionem sumunt futura prædicendi.

136. *Statim vt sensit vestimentorum eius fragrantiam, ait, ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, &c. deinde plura de filio suo Iacob vaticinatus est: cur obseruat Moyses quod statim vt sensit fragrantiam vestimentorum filii, futura plura prædixit? forte vt innueret quod spiritu prophetico prædit ex rebus sensibilibus aliquando occasionem sumunt annuntiandi futura, sicut Achias Silonites ex vestimento nouo Ieroboam, Helisæus ex oleo, Elias in hydria farinæ, quod confirmat Tho. Anglic. dicens, *nota quod spiritus sanctorum extaticus aliquando ex occasione sensibilium incipit immutari, & ad excessum propheticum subleuari, sicut Elisæus subleuatus fuit ad tactum cytharædi, prout habetur 4. Reg. 3. & sic forte ex odore vestium est Isaac occasionaliter subleuatus.*

Tho. Angl. 4 Reg.

Qui immundus accedit Eucharistiæ communio, maledictionem pro benedictione consequetur.

137. *Statim vt sensit vestimentorum eius fragrantiam*, benedictionem ei tribuere statuit, cur vt eam adipisceretur non contentus fuit pellibus hœdinis indui, sicque offerre patri epulum? nonne per hœdinas pelles, immunditiem & luxuriem possumus intelligere? merito igitur non accessit ad patrē pellibus hœdinis vestitus, quia qui ad Deum in sacramento altaris immundus & impurus accedere vellet, pro benedictione maledictionem consequeretur: fauet Algerus lib. 2. de sacramētis c. 12. *nil sic sacramento corporis Christi aduersatur sicut luxuriæ fœditas & macula, vnde scriendum ait, qui agnum Dei sine macula qui virginis est filius luxuriosi sumunt periculosius*, cuius rationem assignans ait, *quia cùm in sacramento Christi ei vniri debeamus conformitate passionis & munditiæ, nil sic aduersatur passioni Christi vt voluptas, nil sic munditiæ, vt fœditas, nihil sic eius vnioni vt fornicariæ societatis vnitas.*

Algerus.

Qui diligens est in aliquo opere, non deest ei illius perfectio.

138. *Statim vt sensit vestimentorum eius fragrantiam ait ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*, cur agrum plenum dicit? aduerte agrum culturæ diligentiam non exiguam requirere, aliàs tribuli & spinæ pro floribus nascentur: agro igitur plenitudinem coniunxit, quia qui diligens est in aliquo negocio non deerit ei illius perfectio & complementum consule D. Amb. lib. de fuga sæculi c. 8. dicentem: *ager & naturale habet fertilitatis ingenium & culturæ diligentiam temporalem, meritoque in eo est plenitudo, cui vtrumque non deest.*

S. Ambr.

F

VARIÆ

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVIII.

VVLG. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.

Sept. Det tibi Deus multitudinem frumenti.

Chald. Det tibi Deus de bono terræ multitudinem frumenti.

Pagn. Det tibi Deus de pinguedinibus terræ, & multitudinem frumenti & vini noui.

Caiet. Et dabit tibi Elohim de rore cœlorum, de pinguedinibus terræ & multitudinem frumenti & vini.

Oleast. Det tibi Deus de pruina, & pinguedines terræ.

CONCORDIA.

IN Hebræo est ומשמני vmisinanne quod Oleaster vertit & pinguedines, & non de pinguedinibus, existimat enim quod mem hoc loco non est præpositio, sed littera denominatiua, cum non dagues sequatur, quod tamen perpetuo exigit men præpositio, nisi sequatur gutturalis תירש tiros multum significat, & ideo benè vertit Pagninus vinum nouum.

EXPOSITIO.

DEt tibi Deus de rore cœli, de rore dicitur quod ros minus lædat quàm pruina aut pluuia, plurimumque fructificet, *de pinguedine terræ*, Hebraicum idioma est, id est de terra fertili & pingui, ex his abundantia terræ nascentium pendet: *frumenti & vini*, superiorum est explicatio, vt scilicet abundantia sit frumenti & vini.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Parentes magis soliciti esse debent de spiritali filiorum profectu, quàm de externis bonis.

139. DEt tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, cur optimi parentis vicem gerens, plenissimumque amoris affectum ostēdens, prius Iacob rorem cœli quam terræ pinguedinem exoptat? nam inuerso ordine prius ei secundum quam primum desiderare deberet, cum non omnibus detur terræ pinguedo, ros autem cœli sit cunctis communis, ignotum tibi non est, rore cœli bona cœlestia denotari, sicut terræ pinguedine, terrena: merito igitur prius rorem cœli quàm terræ opimitatem Isaac Iacobo desiderat, quia parentes magis soliciti esse debent de bono spirituali filiorum, quàm de bonis eorum externis, *animaduertenda est*, inquit Tertul. l. 3. contra Marcion. c. vlt. *structura benedictionis ipsius, nam circa Iacob qui quidem posterioris & prælationis populi figura est, id est nostri prima promissio cœlestis est roris, secunda terrenæ opimitatis, non enim ad cœlestia inuitamur cum à sæculo auellimur, & ita postea inuenimur terrena consecuturi, & Euangelium quoque vestrum habet: quærite primum regnum Dei & omnia adiicientur vobis.*

Tertul.

Qui cœlestia possidet terrenis non priuatur.

140. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ*, superuacaneum mihi videtur, quod post oblatos cœlestes thesauros adhuc terrenā pinguedinem & abundantiam filio velit impetrare, cui cœlestia subdit, cur etiam addit, & terrena? micæ sunt & fames vniuersæ terrenæ substantiæ, & cum cœlestibus comparatæ non gustum afferunt, sed fastidia parturiunt, desinat ergo optare terrena filio, quando illi impetrat & offert cœlestia: verum post cœlestia dona dum Isaac filio proponit & terrena, necessitatem consequentiæ ostendit, non explicat indigentiam, enimuero eo ipso quod quis terrena cœlestibus non anteponit, imo cœpit eis impleri, necessum est vt habeat etiam terrena, imo totus sit illius orbis terrarum, hoc innuere velle videtur Bernard. Serm. 21. in cant. dicens, *non æstimes Christi pauperes sola cœlestia possidere, possident & terrena, & quidem tanquam nihil habentes & omnia possidentes, denique fideli homini totus mundus diuitiarum est.*

Bernard.

Nihil magnum videtur præter salutis negotium.

141. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ*, hanc tantam arbitratus est benedictionem optimus pater, vt vltra hanc nihil magnum putaret habere, quod filio suo Esau dari posset, dicens, quid vltra tibi faciam? vnde tantus excessus erat in illa benedictione, respectu cuius cætera omnia aut parua aut nulla videbantur? in illa prima benedictione claudebantur opera iustorum hominum, quibus salutem suam æternam erant operaturi, semini Iacob, nempe Christo Domino seruientes illumque adorantes, vt innuunt illa verba, seruiant tibi populi & adorent te tribus: vbi autem salutis æternæ opus est, nullum vltra relinquitur magnum, quinimo cætera omnia Dei munera respectu illius paruula reputantur, ex his aiebat Rupert. lib. 9. de vict. verbi Dei cap. vigesimo secundo, *vtramque autem videlicet paruam & magnam misericordiam Iacob in benedictione acceperat quatenus eidem de rore cœli & de pinguedine terræ daret abundantiam frumenti, vini & olei, quæ parua misericordia est, & semini eius id est Christo seruirent populi & adorarent eum tribus, quæ magna misericordia est.*

Rupert.

Prius virtus & pietas habenda, deinde scientia & scripturæ cognitio acquiretur.

142. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ:* huius benedictionis formam, ad sensum moralem deducens Rupertus, per rorem cœli, pietatem intelligit, per pinguedinem vero terræ, sacræ scripturæ cognitionem, cur cognitionem scripturæ priorem non posuit, deinde pietatem? & Isaac cur pinguedinem terræ rori cœlorum non prætulit? quia sicut ex motu syderum & influxu cœlorum, totius huius machinæ ordo dependet, ita vt nisi pluuiis ingruentibus, continuo terra squalleat, & nisi solis radiis fructus terræ decoquantur, immaturi crudique perseuerant, eadem prorsus ratione, sapientiæ fructus nemo excipere potest, qui prius per pietatem, mentem non subigat, & ad ferendos fructus per virtutem adigat, *det tibi Deus* ait Rup. *de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini, & talium abundantia replebit: sed profecto à Deo est benedici, est autem rationali creaturæ ros cœli non aliud quàm gratia Spiritus sancti, quæ peccata remittit, pinguedo autem terræ vel abundantia frumenti & abundantia vini adapertior sensus adintelligenda quæ latent in scripturis mysteria regni Dei, sic enim latet granum frumenti, quod cadens in terram mortuum fuerit, & multum fructum attulit & vinum quod lætificat cor hominis, & oleum in quo facies hilarescit.*

Rupert.

A Christo Domino benedictio corporis sui & sanguinis pretiosi.

143. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini*, quid apertius, quid lucidius inquit D. Vigilius lib. 3. contra Eutich. de vtraque natura Christi poterit proferri? si quidem in rore cœli verbum; in terræ autem pinguedine, caro eius significari monstratur, sed cur addidit abundantiam frumenti & vini, cum rorem cœli & pinguedinem terræ habere sufficeret? nonne abundantia frumenti & vini corpus Domini, & Sanguinē eius denotat, nunc igitur audite eit. Vigil. *primus populus gentium, cuius Iacob præformabat imaginem à rore cœli & à pinguedine terræ, id est à Christo qui est Deus & homo benedictionis sortitus gratiam frumenti & olei abundantia cumulatus* id est corpori & sanguinis Christi mysterio consecratus.

S. Vigilius.

Cœlesti pane Eucharistico firmati omnes imperio aduersarios subiiciemus.

144. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti*, deinde subiungit, seruiant tibi populi, adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum, cur anteponit abundantiam frumenti victoriæ quam relaturus est ab aduersariis, dominio, quod super alios habiturus est? si per huiusmodi panis abundantiam Eucharistici & Angelorum panis munus intelligere volumus, rectè promisit Isaac Iacobo post frumenti abundantiam, quod deuicti seruient ei populi, quia qui pane cœlesti & Eucharistico firmatus fuerit, omnes dominio suo subiiciet aduersarios, quod annotat Forerius in hæc verba Isaiæ 30. in tympanis & cytharis, & in bellis præcipuis expugnabit eos, ait, *non armis, non tormentis bellicis, sed ingenti gaudio in tribulationibus & sacrificiis Eucharisticis delet eos.*

Forerius. Isaiæ 30.

Eucharisticum Sacramentum bonis in bonum, malis autem in malum cedit.

145. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini*, his verbis benedixit Isaac moriturus Iacob filio suo, neque his dissimilibus benedixit filio suo Esau, in pinguedine terræ, & in rore cœli erit benedictio tua: quid ros, quid vbertas terræ designat, exponit S. August. Serm. 44. de diuersis, nempe ros prædicationem verbi diuini adumbrat, & terrę pinguedo Sacramentum Eucharistiæ portendit: quid ergo est, quod eadem prædicatio, eadem Eucharistia Iacob & Esau promittitur, quorum alter impius, alter vero pius, alteri in bonum cedit, alteri vero in malum? quia eadem doctrina cœlestis, eadem Eucharistia & impiis & piis tribuitur, diuerso tamen fructu, nam bonis hæc eadem prædicatio, hoc idem Sacramentum in bonum cedit, impiis vero in malum, & in damnationem, quod probat similitudine pluuiæ qua vtitur Isaac, videlicet eadem pluuia, idem imber, cum in vitem decidit, in vinum vertitur, cum in sata, in frumentum abit. si vero supra tribulos & spinas, conuertitur in aculeos, non aliter eadem prædicatio, idem Sacramentum, si in iustos homines cadat, dulcissimos affert fructus, si vero in iniustos homines, aculeos exerit, quibus ipsi lacerentur, & alios lædunt, verba Augustini subiicio, *habent ergo à rore cœli & à fertilitate terræ, à rore cœli omnes scripturas, omnem sermonem diuinum: à fertilitate vero terræ omnia visibilia Sacramenta*, & infra: *nam sicut pluit Dominus super segetem & spinas, sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem, & tamen vna est pluuia: sic verbum Dei omnes compluit, videat quisque qualem radicem habeat: videat quo pluuiam trahat bonam, si eam trahit vt generet spinas, nunquid ideo pluuia Dei accusanda est? antequam veniat ad radicem, dulcis pluuia est illa, dulce est verbū Dei donec veniat ad cor malum, & conuertat ad fraudem suam pluuiam Dei.*

August.

Quibusdam Eucharistiæ Sacramentum, libere datur aliis vero coactè, nempe peruersis quorum vitia probari non possunt.

146. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini*, quibus verbis lubens & sponte Isaac, Iacob filio benedixit, eisdem benedictionem impertit Esau, non tamen lubens & coactus, subdit enim, cumque eiulatu magno fleret motus Isaac, dixit ad eum, in pinguedine terræ desuper erit benedictio tua. cur coacte vni, cur alteri benedictionem libere hanc tribuit? quia hanc frumenti abundantiam, nempe Eucharistiam, aliis Deus & sacerdotes spontè tribuūt, aliis vero renitentes & inuiti largiuntur, alii per vim extorquent, aliis vero spontè tribuitur, scilicet Iacobo viro pio & iusto, vltro Deus offert hunc cibum; at Esau impio necessitate victus. Esau gerit personam eorum, qui ad Eucharistiam accedunt vitiis obnoxii, & tamen non possunt eorum vitia in iudicio probari, ergo Esau peccatorem occultum denotat, cui negare non possumus Eucharistiā, attamen ille extorquet per vim, & quodammodo rapit, cum satius ei esset non accipere, sic consulit eit. S. August. eodem Serm. 44. de diuers. *ecce ab vbertate terræ, & à rore cœli accipies. sed Isaac singultans pronicit illi benedictionem, non dat, neune sit modo*

August.

im

in Ecclesia malis hominibus qui volunt perturbare Ecclesiam, & perturbantur ad necessitatē ipsius pacis ut admittantur, ut habeant Sacramenta communia: & aliquando sciuntur, quia mali sunt & conuinci fortè non possunt ut emendentur & degradentur, ut excludantur, ut excommunicentur, non possunt conuinci si steterit aliquis aliquando inter directiones Ecclesiæ, cogitur gubernator Ecclesiæ, tanquam dicere: ecce ab ubertate terræ erit tibi, & à rore cæli, utere Sacramentis, tibi manducas iudicium, tibi bibis iudicium.

Qui ad hoc Sacramentum accedit non pacificus contentiosè & seditiosè viuet.

147. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini*, diximus non dissimili oratione eandem benedictionem dedisse Esau, tamen eundem finem vtrique benedictioni non imposuit, nam Esau dicitur, *viues in gladio & fratri tuo seruies*, cur accepta benedictione, viuet in gladio? nonne pinguedine terræ & frumenti abundantia, cibum Eucharisticum diximus denotari? Esau autem qui odio prosequebatur patrem, viros non pacificos: quam bene igitur accepta hac benedictione ei prædicitur, quod viuet in gladio, quia sine dubio, qui ad Sacramentum accedit cum proximo dissidens, odia non sedabit, sed commouebitur dissidiis, & inimicitiis vexabitur, hoc ex Aug. cit. Serm. accipe qui his verbis hanc promit sententiam, *quamuis ergo accipiat mysterium humilitatis Domini à rore cæli, & ab ubertate terræ non tamen deponit superbiam Diaboli, sed seruat, qui semper dissentionibus & seditionibus gaudet, quamuis sit ista communio à rore cæli, & ab ubertate terræ: tamen in gladio tuo viues, dissentionibus & seditionibus, aut gaudes, aut terreris.*

S. August.

Non solum bona spiritualia, sed etiam temporalia a Deo speranda.

148. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini*, cur non ait sit tibi ros cœli, terræ pinguedo, nec non frumenti & vini copia? non autem det tibi Deus? aduerte quasi ad rorem, terram, vinum, & frumentum, omne diuitiarum temporalium genus reduci, nam ad rorem cœlorum, reducuntur mel, manna, & reliqua huiusmodi, ad terræ pinguedinem, lac, butyrum, animalia hominum vtilia, ad frumentum, triticum, hordeum ad mustum, denique omne genus vini: quo posito non superflue dictum est ab Isaac, det tibi Dominus de rore cœli, &c. *vt doceret*, inquit Oleaster, *non solum spiritualia dona à Domino speranda, sed etiam omnem temporalium copiam.*

Oleaster.

Virtutes ex rore diuinæ gratiæ pullulant.

149. *Det tibi Deus de rore cæli* non est dubium rore cœli diuinam gratiam intelligi, sed cur hunc rorem exoptat Isaac filio suo? quoniam quia ex eo virtutes omnes pullulant, *cum nos Dominus suo rore resperserit*, inquit D. Hieron. in cap. 14. Oseæ, *& siccitatē pectoris nostri suis pluuiis irrigarit, germinabimus, imo florebimus vt lilium, cumque creuerimus in Domino, mittemus radices nostras sicut arbores Libani, quæ quantum in auras consurgunt vertice tantum radicem in vna demergunt, vt nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant.*

D. Hieron.

Deo subuenienti cooperandum est.

150. *Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ*, non adeo magna est benedictio, rorem cœli possidere, terræque pinguedinem, ros enim omnibus communis, terræ pinguedo, plurimorum possessio, cur igitur ei potius non exoptat ea quæ mediis rore & terræ bonitate, prouenium, & sine labore acquirenda? quia Deo nobis subuenienti & plura pollicenti, etiam cooperandum est, *addit* inquit noster Ferus, *de rore cæli & pinguedine terræ, ne otiosus & contempto labore expectet, quando è cælo sibi subueniatur, nam Deus pro mittit quidem se subuenturum, sed vt plurimum hoc facit per media.*

Noster Ferus.

Abundantia bonorum non tibi sit ad luxum, sed ad maiorem occasionem Deum benedicendi.

151. *Det tibi Deus de rore cæli, abundantiam frumenti & vini*, nonne cum omnibus abundamus, nihilque nobis deficit, Dei immemores, eius beneficia obliuiscimur? vnde Salomon Deum deprecabatur, vt sibi diuitias non largiretur, scilicet ne in superbia elatus, Deum contemneret, cur igitur Isaac filio suo abundantiam vini & frumenti precatur? optat ei equidem, non ad luxum & superbiam, sed vt maiorem occasionem habeat Deum benedicendi, & proximo subueniendi, pii enim homines quo plus accipiunt, eo magis in amore Dei & proximi inardescunt, impii è contra, ideo impiis præstaret nihil habere, quā multa.

Maxima benedictio est non solum contemplatiuæ, sed etiam vitæ actiuæ studere.

152. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ*, nonne sufficiebat vel rorem exoptare, vel terræ fertilitatem? cur igitur vtrumque desiderat? aduerte ex D. Greg. Mag. Hom. 6. in Ezech. per rorem contemplationem, per terræ pinguedinē, bonorum operum exercitium intelligi: merito igitur non solum ei rorem, sed & pinguedinem terræ precatur, quia maxima benedictio est non solum contemplatiuæ sed etiam vitæ actiuæ studere, sic autem loquitur D. Greg. *quoniam in electis alii in contemplationem surgunt, alii vero per actiua vitæ solummodo opera pinguescunt, recte in benedictione illa Isaac dicitur det tibi Dominus de rore cæli & de pinguedine terræ, ros etenim desuper & subtiliter cadit, & nos toties de rore cæli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intima de supernis aliquid tenuiter videmus, cùm verò bona opera etiam per ea quæ agimus, de terræ pinguedine dicimus.*

D. Gregor.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIX.

VVLG. Et seruiant tibi populi,& adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filii matris tuæ, qui maledixerit tibi sit ille maledictus,& qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.

Septuag. Et adorent te principes, & fias Dominus fratris tui, & adorabunt te filii fratris tui, qui maledixerit te maledictus,& qui benedixerit te benedictus.

Chald. Seruiant tibi populi, subiiciantur tibi regna,esto princeps fratribus tuis, & adorabunt te filii matris tuæ, maledicentes tibi erunt maledicti, & benedicentes tibi erunt benedicti.

Pagn. Et incuruent se tibi populi, esto Dominus fratribus tuis,& incuruent se tibi filii matris tuæ.

Targum Hierosolym. Seruient coram te omnes populi, omnes scilicet filii Esau, & subiicientur tibi omnia regna, nimirum omnes filii Ismaelis, esto Dominus & princeps super omnes filios Ceturæ, præuenient & petent pacem tuam omnes filii Laban, fratris matris tuæ, qui maledixerit tibi erit maledictus, vt Balaan filius Beor, & qui benedixerit tibi erit benedictus, vt Moyses Propheta legislator Israëlis.

Oleast. Incuruent se tibi familiæ, sis præualens fratribus tuis.

Vatab. Et incuruent se tibi nationes.

CONCORDIA.

VErbum גבר Gabar secundùm aliquos potius significat præualere,quàm dominari, vnde gibir præualentem potius denotabit quam Dominum,tamen rectè Dominum vertit noster Vulgatus, quia qui Dominus est alicuius, ei præualere dicitur; verbum שחה Sachah incuruare & adorare interpretatur, sicut לאם Leom tribus, populus,natio,ex vna quasi matre propagata, plura adduntur in Vulgato quam sint in Hebræo, nam solum hæc verba habentur, maledicentes tibi,maledictus, benedicentes tibi, benedictus.

EXPOSITIO.

SEruiant tibi populi,hoc est reliquum benedictionis Isaac ad præstantiam dominationis & dignitatis, & prosperitatis, non tam ipsi quàm posteris eius pertinens:translatio siue paraphrasis Hierosolymitana aut Targum, quod adduximus, denotat vnde illud seruiant tibi populi, id est posteris tuis Dauidi,Salomoni,& Machabæis,subiicientur Idumæi,Philistini,Arabes, Ammonitæ,aliique populi, *& adorent te populi*,id est,inclinentur ante te: adoratio enim hic largè sumitur, pro reuerentia & honore reddendo.

Filii matris tuæ, Rebecca præter Iacob, vnicum habebat solum Esau, vnde fit quod per filios matris suæ intelligendi veniunt posteri Esau, *qui maledixerit tibi sit maledictus*,qui infausta & infœlicia tibi imprecatus fuerit, ei contingant;qui vero prospera & bona precatus fuerit,illi succedant & fausta.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui voluntatem Dei sequitur, pluribus beneficiis cumulatur.

153. QVi *benedixerit tibi benedictionibus repleatur*,nonne dixerat Iacob,timeo ne inducat pater super me maledictionem pro benedictione? quomodo igitur Isaac non solum ei non maledicit, sed maledictionem imprecatur ei qui ei maledixerit?aduerte Dei voluntatem sequutum cum matris consiliis acquieuerit. non mirum igitur non solum Dominum fratrum suorum constitutum, & ad alios honores euectum fuisse,sed etiã præ omnibus benedictum, quia qui Dei voluntatem sequitur,pluribus à Deo beneficiis cumulatur, accipe Chrysostom. *ecce coronas benedictionis, ecce summam omnium bonorum esse benedictum, vidisti Dei misericordiam qui remunerat ne maledictionem acciperet pro benedictione,non solum cum tanta largitate benedictiones à patre reportat, sed illi maledicuntur qui attentant eum maledicere, hinc discamus quando quis iuxta voluntatem Domini sua dispensare vult, tanto superno subsidio adiuuatur, vt hoc plane re ipsa experiatur.*

S.Chrysost.

Qui seruos Dei meledixerit super eum cadet maledictio.

Qui maledixerit tibi maledictus erit, cur ita Deum curam Iacobi acturum pollicetur Isaac, vt qui eum maledictis persequutus fuerit, maledictionem incurret? quia qui seruos Dei maledictione attigerit, super eum ipsamet cadet, *qui male precatus fuerit*, inquit Lippom. *sanctis super eum recidet Dei maledictio eorum malefactoribus Dominus malefaciet,licet id non semper appareat,sicut nec amici Dei in hoc mundo non internoscuntur.*

Lippom.

Iustos nobis præferri non ægre feramus.

154. *Seruiant tibi populi, adorent te nationes, esto Dominus fratrum tuorum*, nonne plurimi in his populis, dignitate & nobilitate clarissimi futuri sunt?

sunt, inter has nationes non pauci fortitudine & armis illustrissimi? quomodo ergo asseris obsequiū præstituros Iacob, imo illius seruos fore, cùm indigne feramus nobis si præcipuè simus alicuius dignitatis & nobilitatis, alios præferri? nihilominus æquo animo id tolerare deberent, iustis enim subijci, non est indignum sed gloriosum, vnde Oleast. *non debent fratres ægre ferre seruire illi, etiamsi minimus sit quem Deus illi præfecit, quemadmodum in fratribus Ioseph nouimus.*

Oleaster.

Omnia seruis Dei seruiunt.

155. *Seruiant tibi populi, esto Dominus fratrum tuorum*, nonne sufficiebat abundantiam frumenti & vini accepturum, rorem cœli, & terræ pinguedinem vt beatus in hoc sæculo censeretur? cur igitur non solum populos & nationes, sed etiam fratres & consanguineos eis subijcit? vt innueret omnia non solum inanimata, sed etiam animata, & intellectu prædita, Dei ministris seruire, *nota*, inquit Oleast. *omnia seruire seruis Dei, præcipuè tria, scilicet terræ nascentia, homines & consanguineos, quod maximum est, cum videantur æquales.*

Oleaster.

Christus Dominus est, quem adorant omnes tribus & nationes.

156. *Seruiant tibi populi, adorent te tribus vel nationes, esto Dominus fratrum tuorum*, hoc adimpletum fuisse in Iacob non video, nec enim populi serui illius fuere, imo seruus fuit auunculi sui Laban, nationes eum non adorauere, imo nec Dominus fratris sui extitit, nec filij matris suæ ante eum genua flexerunt, cum mater sua solum Esau habuerit, qui minimè eum adorauit, cui igitur hæc benedictio quadrare potest, cum sit prophetica, nec solum respiciat Iacob? cur non dicemus Christū Dominum esse cui hæc omnia non solum tunc nec improprie conueniant? eum enim adorent tribus & nationes, & ante eum omnes incuruentur populi: quis est enim ille cui seruiant populi, & quem adorant tribus nisi caput seminis Abrahæ Christus? homo, non tantum homo, sed Deus, & homo Iesus Christus, coram illo incuruantur omnes filij matris eius, id est omnes ciues supernæ Hierusalem, quæ est mater omnium nostrum, & iure incuruantur, nam licet etiam ipsi sunt fratres, & filij, verùm per adoptionem tantum, ipse verò secundùm naturam, & qua homo frater est, qua Deus fratrum adorantium & seruientium est Dominus.

Diuitiæ sine honore & nominis fama nullæ sunt.

157. *Seruiant tibi populi*, si omnium diuitiarum genera in præcedenti versu exoptauit filio suo, cum ait, det tibi Deus de rore cœli, cur addidit hanc etiam benedictionem, seruiant tibi populi? noster Lyranus ait, in hoc imprecatur ei honorem & excellentiam scilicet nominis, quid mirum igitur si non solùm diuitiarum multitudinem ei desiderat, sed etiam honorem & famam nominis? omnes enim cuiuscumque generis sint opes, parui pendendæ sunt, imo nullæ censendæ, si possidenti honor deficiat, *si omnia bona inter se comparentur*, inquit Abulens. *honor melior est, quàm fructus terræ, & omnes abundantiæ diuitiarum, & patet quia cum virtus bonum superexcellens dicatur respectu istorum bonorum temporalium primum eius ponitur honor, & non aliquod bonum de aliis sic enim definitur honor, est reuerentia exhibitio in testimonium virtutis.*

Abulens.

Qui iustos benedictionibus prosequitur non caret præmiis.

158. *Qui benedixerit tibi benedictionibus replebitur*, nonne sufficiebat dixisse benedicetur, vel aliqua benedictione replebitur, non autem in pluralibenedictionibus? rectè non benedictionem, sed benedictiones deprecatur ei, qui benedixerit Iacob, quia qui seruos Dei benedicit non vnicum sed plura accipiet præmia, *Deus enim*, inquit Tost. *multiplicabit eum pro isto bonum opus; nam si aliquis ex charitate imprecaretur bona Iacob, quia cum benedixerat Deus, per istum actum merebatur vitam æternam, quia omnes actus in charitate meritorij sunt vitæ æternæ, & non solum vitæ æternæ, sed etiam aliquorum bonorum temporalium, quia interdum Deus bene agentes temporaliter præmiat.*

Tostat.

Qui suis dominatur motibus inordinatis, Rex est dicendus.

159. *Seruiant tibi populi*, Septuaginta adorent te principes, qui à principibus adoratur, ille Rex est dicendus, non enim ante inferiorem incuruatur: sed cum Regem nesciamus fuisse Iacob, quomodo ei conuenire potest hæc benedictio, adorent te principes? aduerte quod motus inordinati nobis aliquando dominantur, & principatum in nos exercent, quos tamen Iacob rationi subijciebat: bene igitur hoc ei conuenit adorent te principes. scilicet tanquam Regem quia qui suis dominatur motibus inordinatis, Regia quadam videtur dignitate præditus, *etenim*, inquit S. Ambros. lib. 1. de Iacob c. 1. *cum Deus hominem constitueret, & in eo mores sensusque plantaret: tunc motibus eius imposuit regale mentis imperium, vt omnes sensus motusque hominis eius vigore, ac potestate regerentur.*

S. Ambros.

Deus longè liberalis est in bonis operibus præmiandis, quàm seuerus in malis puniendis.

160. *Qui maledixerit tibi sit ille maledictus, &* qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur, obseruatione dignum est quod cum maledictionem annuntiat Iacob maledicenti, solùm dicat, qui maledixerit tibi maledictus sit, cum autem benedictionem deprecatur, qui benedixerit Iacob ait benedictionibus repleatur, cur sicut dixit benedictionibus repleatur, qui te benedictione affecerit, ô fili, sic maledictiones in tibi maledicentem cadant, non autem solum sit maledictus? quia Deus qui Isaaco figuratur, longè liberalis est in bonis operibus præmio afficiendis, quàm seuerus in prauis puniendis, vnde plurimas benedictiones pollicetur, qui Iacob benedixerit, non autem plurimas maledictiones imprecatur, cum maledicenti.

Dei promissa tandem adimplenda maximè confidamus.

161. *Seruiant tibi populi, esto Dominus fratrum tuorum*, vana hæc nunc prophetica benedictio vi-

detur, imo irrisoria à Iacob videbitur: cum non solum dominium non habuerit in fratrem, imo contrarium expertus fuerit, nam ipse fratrem pluries adorauit, quomodo igitur eum non legimus aliquando dixisse, pater decepit me? non enim sum Dominus fratris mei, imo ipse in me habet dominium: quia Dei promissis etiam, si nobis contraria contingant tandem adimplenda, certo confidere debemus, vnde bene animaduertit Procop. dicens, *quemadmodum Dauid declaratus Rex persecutionem patiebatur ab eo qui Dei iudicio pulsus erat regno, sic Iacob benedictionem assecutus, vt dominium haberet in fratrem contra tum experitur, adorans ipse fratrem, verùm prophetia effectum in semine sortitur.*

Procop.

Magnitudo crescit humilitate, sicut decrescit vsque ad seruitutem ambitione dominandi.

162. *Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filii matris tuæ*, nihilominus vt vidimus, contrarium huic propheticæ benedictioni contigit, si personam Iacob consideremus, nam ipse fratrem suum Esau adorauit, nunc autem maledictionem quam Noe dedit Chanaan perscrutemur, ait, seruus seruorum erit fratribus suis; tamen Nemroth, qui nepos erat ipsius Chanaan, non solum aliorum fit seruus, imo Dominus, aliis libertatem adimens, cupiditate dominandi, in Babylonia sedem regni sui constituit, quid tam nouum & inauditum? ecce Iacob prædicitur Dominus fratrum suorum, tamen ipse fratrem suum Dominum agnoscit, Chanaan autem annuntiatur seruus seruorum fratrum suorum, nihilominus ecce posteri sui aliis dominantur, nec non tyrannide eos opprimunt, quomodo ergo vtrumque verificari potest & quod Iacob ita magnus euasit, vt Dominus & superior fratre suo fieret, & quod Chanaan seruus seruorum fratribus suis fuerit? nonne diximus quod Iacob coram fratre suo se humiliauerit, eique genuflexerit? cur non asseremus igitur quod illius Dominus & superior fuerit? quia humilitas & exinanitio ita erigit, vt aliorum Dominos constituat? nonne etiam à nobis dictum est, Nemroth ambitione & tyrannide aliis dominatum fuisse? cur igitur non fatebimur Chanaan in Nemroth nepote suo seruum seruorum fratribus suis fuisse? quia qui ambitione dominandi tenetur, vere seruus & mancipium censendus est. Fauet Diuus Chrysostomus Homil. vigesima nona in Genes. qui loquens de Nemroth, ait, *hic iterum proauum suum imitatus & abusus naturæ priuilegiis, alium seruitutis modum adinuenit, & princeps atque Rex fieri attentauit*, deinde ait, *licet ista magis videatur esse libertas, seruitus grauissima est in ordine libertatis.*

Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXX.

VVLG. Vix Isaac sermonem impleuerat, & egresso Iacob foras venit Esau.

Septuagint. Et factum est postquam cessauit Isaac benedicere Iacob filium suum, & factum est vt egressus est Iacob à facie Isaac patris sui, & Esau frater eius venit à venatione.

Chaldæus. Et factum est cum consummasset Isaac benedicere Iacob, Iacob egrediente à facie Isaac patris sui, Esau frater eius veniebat à venatione sua.

Oleaster. Et fuit tantum egressus est.

Pagninus. Tantum egrediendo egressus fuerat.

CONCORDIA.

LOngè plura sunt in Hebræo, Chaldæo, & Septuaginta, quàm in Vulgato, licet nihil habeat diminutè, sed Vulgatus quæ alii pluribus, paucioribus complexus est verbis.

EXPOSITIO.

VIx *Isaac sermonem impleuerat*, id est in fine prolationis verborum benedictionis, *& egresso foras Iacob*, scilicet à loco in quo iacebat Isaac, *venit Esau*, scilicet de venatione.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus suos eripit à periculis.

163. VIx *Isaac sermonem impleuerat & egresso Iacob foras venit Esau*, cur noluit Deus, vt parumper sermonem suum extenderet Isaac, vt apud patrem sub eodem tecto, in eodem tabernaculo fratres simul conuenirent? non sine illius speciali prouidentia factum est, sed vt seruus suus è manibus violentis Esau liberaretur, *quis non admiretur*, inquit Chrysostom. *& obstupescat Dei ineffabilem*

lem dispensationem? quod non prius Esau de venatione aduenit quousque solueretur actus illius argumentum, & ille accepta benedictione à patre discessit, vide quomodo post illius exitum iste statim aduenit, non hoc absque causa vel temere factum, nam si prius in fratrem incidisset, forsitan & ipsum interemisset victus ira, nam qui hoc postea deliberauit, multo magis in negotio medio attentasset, sed manus Dei erat quæ puerum saluabat.

Ab eo corde in quo est virtus, exulat vitium.

164 *Vix Isaac sermonem impleuerat egresso Iacob foras venit Esau*, cum sint fratres vterini, & ex eodē concubitu, nonne potuerunt in eodem cubiculo, in quo pater decumbebat commorari, cum Spiritus sanctus ita commendet concordiā fratrum. ait enim Ecclesiastici vigesimo quinto versu primo & secundo, in tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, vir & mulier sibi consentientes, vnanimitas bona inter fratres, inter quos solet oriri discordiā, propter tēporalia diuidenda, cū tamē debeant tanto concordiores existere, quanto propinquiores sunt: & regius Vates, Psal. 132. ait *ecce quā bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum*, quæ vox sane est præ lætitia sese non capientium, & cum ingenti admiratione prorumpentium, atque alios etiam inuitantium, vt vna secum laudent ac fruantur summa vtilitate, atque iucunditate perfectæ charitatis fraternæ, qua nihil iucundius, qua nihil melius. fratres enim vt mutuam animorum vnitatem denotant, non solum in eadem domo commorari, sed etiam in eodem cubiculo pernoctare deberent. quomodo igitur postquam Iacob egressus est solum accessit Esau? nota hos duos fratres figuram gerere vitij & virtutis: non est ergo inquirendum cur simul in eodem tabernaculo nō cōmorantur, sed vno egresso alius ingreditur: quia vitium & virtus simul reperiri nequeunt, & ab eo corde in quo est virtus exulat vitium, & è contra fauet Philo Hebr. lib. de temulent. *quantisper inambulat in anima prudentia exterminatur amicus insipientiæ, sed quam primum illa migrat, alter reuertitur gaudens ob discessum inimicæ insensissimæ, propter quam exulauerat.*

Eccl. 25.

Psal. 32.

Phil. Alex.

Negotia Dei longe fœlicius geruntur quàm humana.

165 *Vix Isaac sermonem impleuerat & egresso Iacob venit Esau*, nonne venationi & prædæ capiendæ, satis diligens fuerat Esau? quomodo ergo antequam Isaac benedictionem filio suo Iacob tribuat, non regreditur vt sibi eam acquireret? nota benedictionem dandam Iacob, Dei negocium fuisse: non miror igitur Esau non regressum, quamuis diligentissime venationi studuisset, antequam benedictionem assequutus fuisset Isaac, quia negocia Dei longe fœlicius geruntur, quàm humana, *quanquam videretur Isaac* (inquit Lippom.) *prospera vsus venatione citoque reuersus, tamen longe citius negotia Dei gerebantur.*

Lippom.

Nihil tempore pretiosius.

166 *Vix Isaac sermonem impleuerat & egresso Iacob venit Esau*, ita vt si paulo ante regressus fuisset, benedictionem non accepisset Iacob: quid? in tam breui morula fœlicitas Iacob & miseria calamitasque Esau continebatur? ne dubites, vt inde colligas tempore etiam breuissimo nihil pretiosius, *o serua*, inquit noster Ferus, *quod magna bona Esau in breui tempore amiserit, dum tardaret, adeo nihil est pretiosius tempore, nemo igitur in via Dei cesset, breui tempore magna consequi potes & amittere.*

Noster Ferus.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXI. & XXXII.

VVLG. Coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens surge pater mi, & comede de venatione filij tui, vt benedicat mihi anima tua.

Sept. Et fecit etiam ipse escas, & attulit patri suo & dixit patri, surgat pater meus, & comedat de venatione filij sui, vt benedicat me anima tua.

Cald. Et fecit quoque ipse edulia.

Bib. antiq. Et præparauit quoque ipse cibos,

VVLG. Dixitque illi Isaac, quis enim es tu? ego sum primogenitus filius tuus Esau.

Pag. Et dixit ei Isacha pater eius, quis es? & dixit; ego sum filius tuus primogenitus Esau.

EXPOSITIO.

Coctosque de venatione cibos intulit patri, sicut velle eum cognouerat, *dicens, surge pater & comede de venatione* in cibum tibi gratissimum præparata, *vt benedicat mihi anima tua*, sic ei pater suus promiserat & summopere exoptabat.

Dixit Isaac quis es tu, non quæsiuit hoc Isaac, quasi non cognosceret, eius enim voce audita, quod vere suus filius Esau esset, intellexit, sed quasi turbatus ex præcedenti illusione, *qui respondit, ego sum primogenitus tuus Esau*, quasi diceret, si forte alteri benedictionem tribuisti, nè turberis, ego enim sum primogenitus tuus Esau, & non alius.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Benedictio paterna magnipendenda est.

167 *Comede de venatione filij tui vt benedicat mihi anima tua*, cur non ait, vt cibo quem summa diligentia disposui, recrearis? vel vt inde cognoscas quanti tua facio mandata, quamque te vnice præ fratre meo prosequor amore? nihil eorum protulit, sed solum vt benedicat mihi anima tua, quia nihil à filiis ita æstimandum est, quàm patris benedictionem consequi. Fauet Oleast. *audis hic quanti faciebant quondam filij parentum benedictionem.*

Oleaster.

Impius etiam in aduersitate superbus.

168 *Dixit Isaac quis es tu? ego sum primogenitus filius tuus Esau*, nonne sufficiebat dixisse, ego sum Esau? sic enim Isaac eum cognitum haberet. cur igitur addidit & primogenitum? Chrysost. existimat ex animi elatione dixisse, vt intelligeremus quod etiam impius in aduersa fortuna superbit: sic autem fatur cit. Doct. *vide quomodo superbit in causa, non enim est contentus quod dicat ego sum Esau, sed addidit, & primogenitus.*

S. Chrysost.

Turbamur ex fraude nobis illata.

169 *Dixit illi Isaac quis es tu?* si ex voce eum cognitum habes, cur sciscitaris ab eo, quisnam sit? aduerte Isaac in cognitionem fraudis sibi factæ deuenisse; non mirum igitur hoc ipsum quod sciebat inquisisse; nam ex dolo nobis illato turbamur, *non quæsiuit hoc Isaac*, (inquit Abulens.) *quasi non cognosceres, quia audita voce cognouit eum immediate quod esset vere Esau filius eius, sed turbatus ex præcedenti illusione, sic loquutus est.*

Abul.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIII.

VVLG. Expauit Isaac stupore vehementi, & vltra quam credi potest, admirans, ait, quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi & comedi ex omnibus, priusquam tu venires? benedixique ei & erit benedictus.

Sep. Expauit autem Isaac pauore magno valde, & dixit, quis igitur venatus est mihi venationem, & intulit mihi & comedi?

Cald. Et admiratus est Isaac admiratione magna vsque nimis.

Pag. Et expauit Ischac pauore magno vehementissime, & dixit, quis vbi est qui venatus est venationem?

Oleast. Et commotus est commotione magna vehementissime, quis vbi ille?

Caiet. Et tremuit Isaac tremitu magno valde.

Vatab. Formidauit formidine magna nimis.

Ari. Contremuit Isaac tremore magno vsque valde.

Chrys. Et obstupuit Isaac stupore vehementi.

CONCORDIA.

VErbum חרד charad expauescere, timere, & admirari significat. Oleaster ait quod potius commoueri & solicitari denotat, tamen vtroque modo interpretatur, hæc verba, *vltra quam credi potest admirans*, à nostro vulgato addita sunt, vt euidentius foret quod Hebraice obscurum erat.

EXPOSITIO.

ET *expauit Isaac stupore vehementi*, audiens ab Esau quod esset suus primogenitus obstupuit, ex eo quod alius ita fuerit audax, vt benedictionem surripuisset, *& vltra quam credi potest admirans*, scilicet, quod circa notitiam Iacob fuerit deceptus, qui ita prudens vt manus pellibus cooperuisset ad simulandum se esse Esau *quis est igitur ille?* quasi diceret, si venationem primo mihi non attulisti, sine dubio frater tuus fuit cui benedixi, & à quo benedictionem non adimam, sed manebit benedictus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Pater iustus indignatur se talem nominari à filio prauo.

170 EXpauit *Isaac stupore vehementi*, Oleaster, *commotus est commotione magna*, cur commoueris? an aduersus Iacob vel aduersus Esau? præcedentia verba perpendamus, dixerat Esau, ego sum Esau primogenitus tuus, imo nomine patris eum vocauerat, cur non dicemus igitur ideo commotum fuisse Isaac aduersus Esau, quia iustus pater indignatur se hoc nomine dici à filio? sic Philo, *indignatur namque ait quod primo quidem filium se confiteri præsumpserit prauus ne famuli quidem ordinem promerendo.*

Philo.

Ea quæ nobis à Deo reuelantur, confirmanda sunt.

171 *Expauit Isaac &c. benedixi, & erit benedictus*, cui benedixisti? Iacob, cur eum benedictum fore statuis? imo maledictionis pœna mulctari deberet, quia benedictionem fraudulenter alienis pellibus vestitus, est consequutus: considera quod vbi legimus, expauit Isaac stupore vehementi, habent Sept. secundum D. August. ecstasim, ita vt quædam in eo fuerit diuina alienatio à sensibus, in qua facta est spiritalis admonitio, vt confirmaret benedictionem minori filio; merito igitur illi non irascitur, nec punit maledictione, sed benedictione stabilit, quia quæ nobis à Deo reuelantur, confirmanda sunt: sed audiamus D. Aug. lib. 16. de Dei ciuitate cap. 37. *ecce inquit benedictionem promissam repetenti maiori filio, expauescit Isaac, & alium pro alio se benedixisse cognoscit, miratur & quisnam ille sit percunctatur, nec tamen se deceptum esse conqueritur, imo confestim reuelato sibi intus in corde, magno sacramento deuitat indignationem, & confirmans benedictionem, benedixi eum & sit benedictus, quis non hic potius maledictionem expectaret irati si hæc non superna inspiratione, sed terreno more gererentur? ô res gestas in terra sed cœlitus, per homines, sed diuinitus.*

D. Augu.

Bonum nomen maxime prodest.

172 *Expauit Isaac &c. benedixi & erit benedictus,* si te decepisse reperis, cur benedictionem ei datam non subtrahis? aduerte Iacob apud patrem & omnes maximæ æstimationis fuisse propter cordis simplicitatem, & animi sui virtutem: iure igitur benedictionem non adimit sed confirmat, quia credere non potuit, se sine Dei numine fuisse pia fraude deceptum. Fauet Oleast. *Nouerat Isaac non esse tanto animo Iacob, & sine numine instructus voluisset decipere, & fratris benedictionem vsu pare, ideo rem penitus considerans confirmauit benedictionem.*

Oleaster.

Cognita Dei voluntate, quæ contra nostram contingunt, acquiescendum est.

173 *Expauit Isaac &c. benedixi & erit benedictus,* Si statueras Esau benedictionem largiri, & vt eam obtineret, iussisti aliquod pulmentum quod tibi gratum foret, ex venatione sua tibi præparari: ecce tibi obtulit, cur sententiam mutas? cur minori filio datum confirmas? cur acquiescis ita libere? nota hanc Dei voluntatem & ordinationem cognouisse, quod honor primogenituræ filio minori daretur, prudenter igitur acquiescit datæ benedictioni, quia cognita Dei voluntate etiam iis quæ contra culpam nostram eueniunt, non resistendum, *Licet valde admiratus sit Isaac* (inquit Lippom.) *& pauore vehementi obstupuerit, non tamen Iacob irascitur, non factum comprobat, non reclamat, non punit, sed Domini voluntatem cognoscens acquiescit, scit enim Deo placuisse & mutari non posse.*

Lippom.

Nihil ita nobis timorem incutit & in bono confirmat, quàm gehennæ æternæ consideratio.

175 *Expauit Isaac stupore vehementi* Sept. expauit Isaac pauore magno, vel vt habet Caiet. tremuit fremitu magno vehementissimo, cur ita timore percellitur? non enim erat vlla ratio timendi aut pauendi, sed potius irascendi secundum causas humanas & naturales, neque Lyranus sententiam Hebræorum, cui nec ipse dissentit, nec Abul. in medium proponit, dicunt, inquit, quod Isaac auditis prædictis, voluit retractare benedictionem Iacob sed tunc ex voluntate Dei vidit apertam gehennam, si retractaret; quid mirum igitur expauisse & tremuisse, nihil enim ita nobis timorem incutit, quàm gehennæ æternæ comminatio, & nos in bono confirmat, & merito: nihil enim durius & acerbius excogitari potest, quod optime Isidorus Clar. orat. 12. extrord. to. 1. nobis aperit, *nihil mihi videtur,* inquit, *tam efficax ad auocandos animos ab istis caducis, quàm hæc cogitatio, quare mecum sic attentissime cogitate si mille annorum vsio intentaretur, deberent omnes sane exhorrescere, nam qui in hac vita aliquot horarum spatio acerbius torquentur miserrimi existimantur: at vero mille annis ignibus tradi cruciandum, quanto acerbius? multo magis si decem aut millibus annorum hæc pœna esset duratura, quod tamen spatium breuissimum videretur, & tanquam momentaneum, si dictum prius esset tot annorum millibus esse in igne commorandum, quot arenæ minutula grana, in hoc templo concludi ren m, rursus hoc etiam tantum spatium* (*quæ enim sæcula arenæ ista exhaurirent, si millesimo quoque anno duntaxat granulum vnum auferretur*) *pro nihilo putaretur, si in hanc pœnam illa commutaretur, quia tenerentur in ignem damnati tot annorum millibus in eo esse quantus arenæ numerus, toto hoc quod inter cœlum & terram interiacet spatio comprehendi posset, & tamen contemplatione æternitatis* (heu horrendam rerum faciem!) *hoc etiam tam pene infinitum tempus pro re gratissima optaretur, & centies ac millies repetitum, modo finis aliquis tandem aliquando inciperet apparere: nam sine vllo vnquam fine quempiam esse torquendum, hoc vero vltra omnes desperationis terminos fertur, quid enim grauius quam semper velle, quod nunquam erit: in æternum peccator non assequetur quod vult, & quod non vult nihilominus in æternum cogetur pati.*

Isid. Clar.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIV.

VVLG. Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno, & consternatus ait, benedic etiam & mihi pater mi.

Sep. Factum est autem quando audiuit Esau verba patris sui Isaac, clamauit voce magna, & amara valde; & dixit, benedic nunc, & me pater.

Cald. Clamauit clamore magno, & amaro vsque nimis.

Pag. Clamauit clamore magno & amaritudine affectus est vehementissime, & dixit patri suo, benedic mihi etiam, ego sum filius tuus pater mi.

CONCORDIA.

פרז tsaak clamare, vociferari, clamare nimis amare, & sic irrugire, potest significare, aliqua adduntur apud Pagninum quæ in hebræo non habentur, scilicet quia filius tuus sum.

EXPOSITIO.

AVditis Esau sermonibus, scilicet de confirmatione benedictionis, *irrugiit clamore magno,* quasi leo suam non tantum tristitiam sed ferociam & furorem valido clamore quasi rugitu ostendens, *& consternatus ait* fractus animo, *benedic etiam & mihi pater,* quasi diceret, licet ei benedixeris, mihi etiam non debes denegare benedictionem.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Summißio coacta non prodest.

176 Consternatus ait, *benedic etiam & mihi pater*, expende illud *consternatus*, quasi diceret, magna animi consternatione sese demittens, humique procumbēs summisse, & humiliter patrem precabatur, vt benedictionem impetraret, nec tamen inde Deo potuit placere, cur Deo non placuit? quia summissio illa & consternatio coacta leuissima, & leuissimo inde vento exsibilanda, sic fatur D. Ephr. de pœnit. *non imbecillior fuit pœnitentia ad reconciliandum peccatorem, sed leuitas actionis, radicem acerbitatis continebat in mente*: expende illud *radicem acerbitatis continebat in mente*, tota illa consternatio, illa summissio, non voluntaria sed coacta, sed animo infenso peracta, & cum odio erga fratrē intensissimo.

S. Ephrem.

Qui bona solum temporalia postulant, non homines sunt, sed bestia.

177. *Irrugiit clamore magno & ait, benedic etiam & mihi*, nonne proprium leonum est rugire, non autem hominum? cur igitur Esau dicitur rugisse, cum peteret benedictionem paternam? notemus verba Lipp. *fuit hic dolor ex priuato commodo procedens & cupiditatis affectu*, quo nimirum erga temporalia tenebatur & ipsorū tantum iacturam indolebat: non mirum igitur si de eo dicitur quod irrugierit, quia propriū est non hominum sed belluarum bona temporalia tantum, non autem spiritualia postulare.

Lippom.

Consternimur præ inuidia, ex bonis aliorum.

178. *Irrugiit clamore magno & consternatus ait, benedic & mihi pater*, an irrugis ex dolore amissæ benedictionis? an consterneris ex amissa primogenitura? sic innuere videtur petitio sua, ait enim, benedic & mihi pater: dicamus tantam fuisse ex bonis quæ præuidit fratrem possessurum in eo inuidiam vt irrugiret & consterneretur, testis est Philo Heb. cit. à Lippom. *Esau* (inquit) *non tam cordi erat paterna benedictio, quam ne Iacob sibi præferretur, atque in potioribus bonis esset, inuidus enim cùm esset, exclamauit, benedic & mihi.*

Phil. Heb.

Impij molestißimè ferunt iustos honores consequi, quibus sunt digni.

179 *Irrugiit clamore magno & ait, benedic & mihi*; licet frater consequutus fuerit benedictionem, precibus, non autem leonino clamore: à patre impetra, forte ab eo consequêris, cur igitur animo consterneris? cur quasi leo ferox irrugis, dolens de paternæ benedictionis iactura? non hac de causa tantum, sed quia conspicit fratrem iustum honorem, quo dignissimus erat, consequutum fuisse, quod fatetur Procop. *Esau non tam indignatur quod benedictionem nequit percipere, quàm quod cernit fratrem benedictione dignum habitum, & ob eam rem se illa excidisse.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXV.

VVLG. Qui ait, venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.

Sep. Veniens frater tuus cum dolo accepit benedictionem tuam.

Cald. Venit frater tuus sapienter, & accepit benedictionem tuam.

Ant. Bib. Venit frater tuus dolose,

CONCORDIA.

Verbum רמה ramah licet plura significet, vt proiicere, iaculari, tamen interpretatur etiam decipere, defraudare, à quo מרמה dolus, fraus, quare rectè noster interpres vertit fraudulenter, sicut & sept. cum dolo, Cald. autem habet sapienter, sed etiā accipiendum est in malam partem, iuxta illud, sed & serpens erat sapientior cunctis animantibus.

EXPOSITIO.

Venit *germanus tuus fraudulenter*, scilicet pellibus hœdinis contectus, & ideo egit fraudulenter, non quantum ad rei veritatem, sed quantum ad exteriorem modum eam exequendi, simulando nomen Esau, & eius pilosam carnem, *& accepit benedictionem tuam*, quam arbitrabaris illius non esse.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non omnis fraus & simulatio vituperanda.

180. Venit *germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam*, quot encomia dicuntur de Iacob? quot laudibus extollitur ab omnibus? quomodo ergo pater eum prædicat fraudulentum? qui autem fraudem exercet omni dignus vituperio censetur; aduerte multiplex esse fraudis genus, vnum enim est eruditionis, quo Ioseph scyphum suum poni præcepit in sacco fratris; aliud inspirationis, quo filii Israel mutuarūt ab Ægyptiis vasa aurea; tertium nociuę deceptionis, quo Propheta Bethel decepit virum Dei

rũ Dei de Iuda, vt secũ comederet, hoc vitiosum est, nõ autem alia duo, dicamus licet fraudulẽtus fuerat Iacob, vituperium tamen non meretur, non enim vltimo hoc genere fraudis sed secundo vsus est, ita Lippom. *alia est fraus inspirationis inquit & ea hoc loco vsus est Iacob.*

Lippom.

Quod nostrũ est iure, fit demeritis nostris alienũ.

181 *Venit germanus tuus fraudulenter & accepit benedictionem tuam*, si antea dixeras, benedixi eum, & erit benedictus, cur nunc benedictionem Esau quasi illius esset, nominas? si igitur illius est, iniuste ei adimis, ratione quidem primogenituræ ei debebatur, sed demeritis suis fit aliena, & in fratrẽ transfertur: vnde optime Procop. *prouidentia hæc respicit, ne indignis denturi honesta.*

Procop.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXVI.

VVLG. At ille subiunxit, iuste vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me, en altera vice, primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam, rursumque ad patrem, nunquid & non reseruasti ait & mihi benedictionem?

Cald. Recte vocatum est nomen eius Iacob.

Pag. Recte vocatum est nomen eius, Iacob, supplantauit me iam duabus vicibus, ius meum primogeniti accepit.

Arias Num quod vocatum est nomen eius Iacob?

CONCORDIA.

Dictio הכי hazi sane æquiuoca, interpretatur enim verè iustè, rectè &c. vt videre est in lectionibus.

EXPOSITIO.

AT *ille subiunxit*, scilicet verbis patris sui, *iuste vocatum est nomen eius Iacob*, licet ei nomen imposuerit, conuenienter tamen, nam Iacob supplantans interpretatur, *supplantauit me en altera vice*, quasi diceret, non contentus sunt me semel supplantasse, *primogenita enim mea ante tulit*. Scilicet cum vili pretio, necessitate coactus ea illi vendidi, *& nunc secundo surripuit benedictionem meam*, quæ mihi ratione primogenituræ debebatur, *rursumque ad patrem, nunquid & non reseruasti mihi & benedictionem?* quasi diceret, non omnes ei benedictiones dedisti, si igitur aliqua tibi restat, hanc mihi tribue.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui dubio affectu aliquid à Deo postulat, illud obtinere non meretur.

182 N*Vnquid & non reseruasti mihi benedictionem*, an quam petit adeptus est? minime, cur aliquid filio sibi charissimo denegat? nonne cum dubio postulauit? ne mireris igitur, id quod petiit non obtinuisse, quia non cum maxima fiducia sed dubie coram Deo preces fundit, ad aliquid obtinendum indignus est, quid exaudiatur, *infœlix* inquit Bern. in illa verba ecce nos reliquimus omnia ante finem, *tu Esau qui hoc dixisti, quanto enim melius eras dicere cum Propheta, vnam petii à Domino hanc requiram, indignus enim benedictione cœlesti conuincitur, qui dubio quæris affectu & in fide postulans hæsitat.*

S. Bernard.

Impij aliorum benefacta in malum interpretantur.

183 *Primogenita mea ante tulit, & nunc surripuit benedictionem*, ô Esau, Iacob in casu tam primogenituræ quam benedictionis non furtum fecit, quomodo igitur ais surripuisse? cur ad malum sensum hæc omnia retorques? *quia benefacta aliorum* (inquit Seraph. à Porr. in suis verit. aureis super Genes. *mali in malum interpretantur.*

Seraph.

Impij ita obcæcati, vt delicta sua aliis imputent, se iustos existimantes.

184 *Primogenita mea ante tulit & nunc surripuit secundo benedictionem*, hũc igitur subreptorem, & ideo peruersum arbitraris, te autem corde simplicem, an ignoras à Spiritu sancto dici fratrem tuum virum simplicem, te autem ab omnibus impium sanguinolentum, auarum? &c. quomodo ergo fratrem tuum latrocinij arguis, & per consequens auaritiæ, cum tu ipsemet cupiditate bonorum huius sæculi tenearis? quia impij ita obcæcati vt crimina sua aliis imputent, se iustos existimantes. Fauet cit. Seraph. *quãdo se viderint mali seipsos benedictione cum Esau dignos, appellant se simplices, vt pote à proximis decipi faciles, cũ Esau vocant se excusatione dignos si in aliquo deprehendantur errore, cum Esau iudicant dum sua cernunt, & recta vel rectitudini proxima existimant, si autem facta aliorum attentant, ipsa de fraudulentia hypocrisi, supplãtatione cum Esau mordent, ipsa bona quæ illis proximis eueniunt, iniuste euenire, aut saltem sibimet iustius euenire debuisse cum Esau opinantur.*

Cit. Seraph.

Seraphinus.

Impius facile in mendacium labitur.

185 *Primogenita mea ante tulit & nunc surripuit secundo benedictionem*, nonne voluntariè & nullo cogẽte primogenita tua Iacob fratri tuo vẽdidisti? nõne etiã ordinatione Dei statutũ erat, vt benedictionẽ acciperet? quomodo ergo apud patrẽ conquerens, asseris & primogenita tua tulisse, nec nõ benedictionem surripuisse? quia impius facile in quodlibet labitur mendaciũ, *mentitur* (inquit Abul. *Esau in duobus, primo quia dicit Iacob abstulisse primogenita sua, tamen non ei ait sua sed Iacob, cum Deus transtulisset illa ad eum; secundo quia dixit quod Iacob abstulit, sed falsum est quia non abstulit, sed ipse gratis vendidit, Iacob autem ius suum redemit.*

Abulens.

Peccatum non est iterandum, ne noua vetera in memoriam reuocentur.

186 *Primogenita mea ante tulit & nunc surripuit secundo benedictionem*, cur vsque ad hoc tempus de primogenitis ablatis non est conquestus? cur in memoriam reuocat ex tibi subrepta benedictione primogenitorum ablationem? aduerte Esau, licet falso, existimasse fratrem suum Iacobum, in se deliquisse: recte ergo ex ablata sibi benedictione, in memoriam reuocat primogenituræ ablationem, quia facile ex nouo delicto antiquum renouatur, quod obseruat Oleast. *docet locus iste non esse iteranda peccata, quoniam nouis vetera in memoriam reducuntur* & reuocantur.

Oleast.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXVII.

VVLG. Respondit Isaac Dominum tuum illum constitui & omnes fratres eius seruituti illius subiungam, frumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc fili mi vltra quid faciam?

Cald. Ecce principem constitui eum tibi, & omnes fratres suos dedi ei in seruos, nunc tibi quid faciam vltra fili mi?

Pag. Frumentum & vinum nouum adiunxi ei.

Oleast. Ecce præualidum posui eum tibi.

Aria. Frumento & musto fulci eum.

Alii. frumento, vino & oleo stabiliui.

CONCORDIA.

גביר geuir herum, Dominum significat, licet præualidum explicet Oleaster, quia גבור gibor quod interpretatur validus, potens, pro geuir legit.

EXPOSITIO.

RESpondit Isaac, filio suo Esau benedictionem petenti, *Dominum tuum constitui*, iuxta sensum prius allatum, *& omnes fratres* scilicet cognatos & consanguineos, qui more Hebræo fratres dicuntur, *seruituti illius subiungam*, vide dicta superius, *frumento & vino stabiliui eum*, deprecans Deum vt horum abundantiam tribueret, *& tibi post hæc fili mi vltra quid faciam?* oritur breue dubium, cur post benedictionem quam dederat Isaac Iacobo, dixit post hæc fili mi vltra quid faciam? quasi nullam aliã haberet benedictionem, respondeo non absolute benedictionem negasse, sed eam quæ primogenitis tribuebatur, quæque dignitatem Sacerdotalem & regiam habebat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui seruituti Iesu adhæret, omni necessitati medetur.

187 FRumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc fili mi vltra quid faciam? qui enim frumentum & vinum perdidit, quid aliud posset expectare, quàm durissimam famem? nihilominus Esau instat pro benedictione alia, cui pater statim, viues gladio, fratri tuo seruies, qualis hæc benedictio Esau quod fratri seruiat? cur post frumenti & vini iacturam, adhuc hæc illi seruitus mandatur? nonne per seruitutem fratri exhibendam Esau, aduersa fortuna magis augetur, malumque ingrauescit? absit, imo cum Iacob Christum repræsentaret, hoc vnum restabat Esau remedium, ad omnium bonorum instaurationem parandam, Si Iesu seruituti adhæreret in fratre, ait D. Ambr. lib. de paradis. cap. 14. *per hanc igitur seruitutem, ille qui per gulam primitias suas ante vendiderat, & studio venationis agrestis gratiam benedictionis amiserat, credidit se eo futurum esse meliorem, si typum Christi venaretur in fratre*, & quam iacturam non repares, si Christum habeas? profecto etsi frumentum & vinum omniaque reliqua bona tibi fuerint erepta, omnibus his malis medeberis, si Christo Domino adhæreas seruitutem illius amplectens.

Ambr.

In Sacramento altaris sicut in cruce Christus Dominus ponit consummationem suorum operum.

188 *Frumento & vino stabiliui eum, & fili vltra quid faciam tibi?* quasi in frumẽto & vino sit omnis consummata benedictio, nonne aliæ sunt maiores benedictiones, quàm frumenti & vini possessio? cur igitur innuis te nullam aliam habere maiorem filio tuo Esau largiendam? audiamus respondentem D. Paschas. cap. 12. de corpore & sanguine Christi *hoc est aperte dicere*, inquit, *firmaui eum pane corporis Christi & vino sanguinis, tibi autem filio vltra quid faciam? putasne si fueris indignus tanta gratia vilis quod polleas bonis vltra quàm nihil amplius in hac vita præstatur*, ecce bonorum omnium consummatio, corporis & sanguinis Christi frumento & vino clauditur exhibito, namque hoc diuino epulo nullum vltra bonum restat hominibus communicandum.

S. Paschas.

Sacra scriptura licet non semper sagina, semper tamen medicina.

189 *Frumento & vino stabiliui eum*, licet in Hebræo, oleum non habeatur, illud tamen plures codices ex quibus aliquos præ manibus habeo, addiderunt legentes frumento, vino & oleo stabiliui eum, Hugo. Vict. per panem, vinum, & oleum, sacram intelligit scripturam. Sed cur his nominibus significari contendit? nonne sufficiebat pane denotari? cùm sacra scriptura sit cibus & panis animæ; recte non solum panem & vinum, sed etiam oleum asserit significare sacram scripturam, quia licet non semper

semper sit sagina, semper tamen est medicina. Facit cit. Hugo libro 3. Miscel. tit. 56. *diuina scriptura* (inquit) *in quibusdam locis quasi panis difficile editur, in quibusdam sicut vinum facile sorbetur, in omnibus quasi medicamentum & oleum animæ dum sumitur, editur*, vbi vides quamuis scriptura alia sui parte nutrimentum, alia delectamentum contineat, tamen omnibus simul exhibere medicamentum, quasi liberalior ad medicinam, quam ad saginam videatur.

Hugo Victor.

Solus populus Christianus gaudet hac speciali benedictione corporis & sanguinis Domini.

190 *Frumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc fili mi quod faciam?* inquiram nunc ab Isaac, quamuis benedictionem concesseris Iacob, quare denegas Esau? nonne est etiam capax filius sicut fratres? pro responsione sciendum est quod mystice per illud frumentum & vinum significatur corpus & sanguis Domini, per Esau populus infidelis, & per Iacob Christianus: quo supposito iure merito denegat Esau benedictionem frumenti & vini, quia hæc est benedictio populi Christiani, quá Esau, idest quicumque alius populus à Deo reprobatus obtinere non meruit. Sic Procop. *panis & vini i. mystica benedictionis expers est Esau, nam præsens populus non dignus est isto honore.*

Procop.

Seruus Dei omnium aliorum princeps & Dominus.

191 *Respondit Isaac, Dominum tuum illum constitui,* Caldæus, ecce principem eum constitui tibi, per Iacob intelligitur quilibet Dei seruus, sed quomodo hoc potest verificari, cùm plures sint serui Dei qui non aliis dominantur, imo aliorum sunt mancipia? recte verificatur, quia seruo Dei omnis creatura obsequitur, ita Lipp. *Sic benedicti sunt filij Dei à Domino benedictione irreuocabili, vt Domini sint, omnis creatura eis seruiat, nulla re necessaria ad corporis & animæ salutem careant, pane verbi Dei stabiliuntur & vino exhilarante conscientiam à Spiritu sancto.*

Iustus Dei vices gerit.

192 *Frumento & vino stabiliui eum,* num frumentum & vinum in tua situm est potestate, vt ei vtriusque abundantiam pollicearis, cumque stabilias? dicas igitur, Deum deprecor vt te in omnibus bonis stabiliat, cum ipse solus id possit efficere: recte dixit eum stabilite, quamuis hoc sit proprium Dei, quia iustus Dei vicibus fungitur. Sic Thom. Angl. *opus diuinæ prædestinationis & gubernationis siue temporalis siue spiritualis, soli Deo competentis sibi ascribit.*

Thom. Angl.

Bona quæ in plures sunt diuidenda, parentes in vnum non diffundant.

193 *Frumento & vino stabiliui eum, & tibi fili mi, vltra quid faciam?* nonne bona tua sunt plurium, cum duo tibi sint filij? cui ergo ita liberalis in vnū, vt nihil alteri tribuendum dicas te habere? *hic locus* (inquit Oleast.) *docet parentes & superiores non prodigere bona quæ in plures sunt diuidenda, sed & aliis distribuenda reponere.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXVIII.

VVLG. Cui Esau, num vnam inquit tantum benedictionem habes pater? mihi quoque obsecro vt benedicas, cumque eiulatu magno fleret.

Cald. Nunquid benedictio vna tibi tantum est pater mi? benedic quoque mihi pater mi, & leuauit Esau vocem suam & fleuit.

CONCORDIA.

Qvamuis intepres habeat, cumque eiulatu magno fleret, & alij leuauit seu eleuauit vocem suam, idem tamen in vtroque est sensus.

EXPOSITIO.

Cvi *Esau nunquid vnam tantum benedictionem habes?* id est, nunquid pro vno solum est tibi benedictio? vel an solum tibi vnica est benedictio? ita vt cuique & filiis tuis vnam tribuere non possis, *obsecro vt benedicas mihi*, si ergo vt probabile est, plures tibi sunt benedictiones, vnam mihi tribue, *cumque eiulatu magno flere*, eiulatus dicitur fletus tristitiæ in vocem altam & confusam erumpens, in quo magnitudo doloris notatur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Inuidus non tam de alterius fœlicitate dolet quàm de proprio incommodo.

194 N*Vm vnam tantum habes benedictionem?* cur ita anxie & vsque ad eiulatum & lachrymas patris benedictionem exoptat, fratrique dolet datam fuisse? dico cùm esset maxime Esau inuidus fratri, non tam dolere iacturam benedictionis paternæ, quàm fratris fœlicitatem. Sic cat. Græ. *non tam dolet præreptam benedictionem quam fratris inuidet dignitati, vt qui ingentiori fratris damno magis quàm suo commodo inuigilaret, id quod arguit clamor vehemēs & amarien ius.*

Consolationē admittētibus alienam diuina deficit.

195 *Num vnam tantum habes benedictionem?* si

tibi dixit fratrem benedixisse, benedictumque manere, nec amplius habere, quod tibi adiiceret, cur ita importunè patrem deprecaris, & quasi voce obruis? Sed cùm patres sint amantissimi filiorum, cur benedictionem quam postulat Esau non largiris? nota hac benedictione diuinam intelligi consolationem, insuper aduerte huic sæculo & illius rebus transitoriis deditum, bene ergo renuit Isaac consolationem Esau, quia alienam admittentibus diuina deficiet, quod confirmat D. Bernard. in tract. ecce nos reliquimus omnia, *pretiosa est* inquit *diuina consolatio, nec omnino tribuitur admittentibus alienam.*

D. Bernard.

Breuis voluptas in æternam desinit pœnam.

196 *Cumque eiulatu magno fleret*, cur lamentatur infœlix, amissam dolens benedictionem? nonne poterit recuperare? minime, vnde hæc æterna iactura & dolor perpetuus? reuoca in memoriam paruipendisse primogenituram, ita vt pro lentis edulio eam fratri vendiderit, quid mirum igitur ita infœliciter lamentari? breuis enim voluptas qualis fuit in esu edulii, in æternum cedet eiulatum, nimirum ait D. Gregor. *vnde caro ad tempus suauiter viuit, inde spiritus in æternum interit.* Sic in homil. teste nostro Bonn. lib. 3. pharet. cap. 17.

D. Greg.

Vsque ad lachrymas cupidi bonorum temporalium deflent iacturam.

197 *Cumque eiulatu magno fleret*, indecens est homines magnæ auctoritatis, & iam ætatis prouectæ in lachrymas & fletum prorumpere, quomodo ergo Esau tanquam puer lachrymatur? quia cupidi bonorum temporalium vsque ad lachrymas etiam eorum deflent iacturam, vnde Abulens. *cum doloris vehementia scilicet propter bonorum huius sæculi iacturam flere impulit, quia tantum dolorem tolerare non potuit*, en homines auari miserrimi?

Abulens.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXIX.

VVLG. Motus Isaac dixit ad eum in pinguedine terræ & in rore cœli desuper.

Sept. Compunicto autem Isaac exclamauit voce Esau & fleuit, respondens autem Isaac pater eius dixit ei ecce de pinguedine terræ erit habitatio tua, & de rore cœli desuper.

Cald. Ecce de optimo terræ erit habitatio tua &c.

Pag. Ecce de pinguedinibus terræ erit habitatio tua, &c.

Caie. Ecce de pinguedinibus terræ erit sessio tua & de rore cœlorum desuper.

Lipp. Ecce vbertates terræ habitatio tua.

Tert. De opimitate terræ erit habitatio tua.

CONCORDIA.

IN Hebræo non est verbum correspōdens dictioni *motus*, quam Vulgatus addidit, sed cū ratione, addidit, nam plusquam probabile est Isaac ex eiulatu & lachrymis filii sui Esau commotum fuisse; vbi legimus in subsequenti versu benedictionem in Hebræo est מושבך mosceueka habitatio tua vel sessio, sed non est contrarietas aliqua, nam sensus nostri Vulgati est quod benedictio Esau consistebat in hoc, quod terram fertilem possideret & habitaret.

EXPOSITIO.

MOtus Isaac dixit ad eum, scilicet ex lachrymis quas non sine copia Esau fundebat, *de pinguedine terræ* scilicet erit benedictio tua, cuius benedictionis hic est sensus, possidebis terram bonam & fertilem, earum rerum quæ ad degendam vitam commode conducunt, *& de rore cœli*, scilicet bonitate ac serenitate cœli frueris, aduerte quod ideo non adiecit Isaac, abundantiam frumenti & vini sicut in benedictione Iacob, quia licet bona fuerit regio Idumæorum qui posteri fuerunt Esau, tamen nec amœnitate, nec vbertate cum terra Hebræorum comparanda fuit, quippe quæ ob eam causam terra lacte & melle fluens appellata fuit, idest abundantissima.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nulla vilitas deprimit illum qui virtute obedientiæ extollitur.

198 IN *pinguedine terræ & in rore cœli desuper*, scilicet erit benedictio tua, nescio cur in benedictione data Isaac non additum est, desuper? obserua ilico dictum esse Esau fratri tuo seruies: qui autem alterius seruus est, illi præcipienti obtemperat: acute ergo D. Ambros. li. 5. epist. 20. ad Horatianum, illa verba in rore cœli desuper & fratri tuo seruies sic expendit, *pro benedictione igitur huiusmodi est seruitus, denique inter bona annumeratur inter collatam terræ vbertatem & rorem cœli à summo*, non quidem posset obedientia inter minora annumerari bona, quàm inter rorem cœli desuper, siue à summo, etenim cœlestium summitas debito iure obtingit obedienti, cum paulo ante Iacob benediceretur, ea eius benedictio erat, det tibi Deus de rore cœli, esto Dominus fratrum tuorum, ecce tibi imperium & dominium & quibus ditetur, nimirum de rore cœli, verum obedientis seruitus & subiectio ampliora requirit, non quouis cœli rore subsistit, sed rore cœli desuper, à summo cœlorum altitudinem amplectitur, qua sese dilatat, & extollit vir obediens.

D. Ambros.

Qui esuriem nescit & gulæ deditus, maxima est ei benedictio ciborum abundantia.

199 *In pinguedine terræ erit benedictio tua*, cum benedictionem filio tuo Esau dare statueris, cur non aliam ei largiris, non autem terræ pinguedinem? nō dubitas gulæ deditum fuisse Esau, cum primogenituram suam vendiderit pro lentium edulio? bene igitur datur ei pro benedictione terræ pinguedo, quia homini dedito ingluuiei & ventri, maxima est fœlicitas ciborum abundantia ex terræ pinguedine prouueniens: non longe abest ab hoc sensu Rupert. lib. 7. in Genes. cap. 18. *hæc pinguedo terræ & hic ros cœli differt ab illo qui supra in benedictione Iacob præscriptus est, ille namque talis est quem consequitur seruitium populorum, & adoratio tribuum, incuruatio fratrum & benedictio cunctorum quicumque Dei benedictione digni sunt, hanc autem terrena tantummodo consequuntur, & ipsa est temporalis satietas ventris, & hæc illi extrema benedictio congruit, qui esuriem nesciebat gratiæ spiritualis, quippe qui propter vnam escam primogenita sua vendidit.*

Rupert.

Maxima est vis lachrymarum.

200 *In pinguedine terræ & in rore cœli desuper*, nempe erit benedictio tua, nonne superius ô Isaac dixeras Esau non posse ei benedictionem largiri, eo quod fratrem eius Iacob frumento & vino stabilieras, pinguedinem terræ & cœli rorem tribueras, & ita vt addideris, fili vltra hæc quid tibi faciam? quasi diceres, nihil amplius habeo in quo te benedicam, quomodo igitur nunc quasi sententiam mutans ei benedicis? reuoca in memoriam quid testatus fuerit Moyses de Esau, nempe quod lachrymas fuderit, *cumque eiulatu magno fleret*, inquit: ne mireris ergo Isaacum benedictionem dedisse filio quam antea negauerat, *quia maxima est vis lachrymarum* (inquit Oleast. *& importunæ precationes, vt nouam benedictionem prodire ex dura voluntate faciant.*

Oleast.

Diuitiæ aliquando præmiū boni operis moralis.

201 *In pinguedine terræ & in rore cœli desuper benedictio tua*, ecce bonorum abundantiam filio suo Esau pollicetur, quod quidem ei contigit, fuit enim ditissimus: sed cur homini impio & crudeli affectu fratricidæ, tot bonorum copiam, tot diuitias ei Deus tribuit ex voto Isaac patris sui? non è memoria lapsum est patri obedientiam præstitisse, cum ex iussu eius arcum sumpsit & pharetram vt venatione prædam caperet: ne moleste feras igitur benedictione patris diuitem euasisse, diuitiæ enim aliquando dātur impijs, in præmium boni operis moralis, quod confirmat Henricus Suso vir maximæ sanct. libro de 9. rupibus cap. 18. *quid sibi vult Domine Deus quod plerisque tantas opes tribuis, cum tamen id saluti eorum officere verear? bonitas inquit Dei tam immensa est vt nihil sinat esse irremuneratum.*

Henricus Suso.

Diuitiarum cupidi eas exoptant causa superbiendi.

202 *In pinguedine terræ & in rore cœli, benedictio tua*, quæ quidem in diuitiarum copia consistit, sed cur hanc benedictionem ita ardenter exoptasti, vt pro ea consequenda tot lachrymas effuderis? in tot gemitus & lamenta eruperis? cur tot opes possidere desideras? an vt honestam ac diuinæ legi vitam ducas consentaneam? minime sed vt maiorem habeat superbiendi occasionem. Fauet citat. Henri. Domini, *nunc* (scilicet diuitiarum cupidi) *altos æquare, imo & excellere volunt, atque adeo etiam maiores suos opibus vincere, quasi sit vt erga Deum eiusque amicos tenaces sint, profundantque res suas contra voluntatem Dei superbiæ ac ostentationis causa, sicque noctes ac dies pro acquirendis cumulandisque diuitiis multa solicitudine, curisque anxiis detinentur.*

Cit. Henr.

In sacra scriptura non reperitur contrarietas.

203 *In pinguedine terræ & in rore cœli erit benedictio tua*, hoc dissonum & contrarium mihi videtur esse sententiæ Pauli in epist. & cap. 12. ad Hebr. affirmantis. Esau tametsi lachrymis benedictionem petierit, non tamen eum impetrasse, verba Pauli sunt hæc, ne quis sit fornicator siue prophanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua; scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est, ecce Paulus negat Esau obtinuisse benedictionem à patre, quam tamen accepisse tradit aperte Moyses hoc loco cum ait, quod Isaac motus lachrymis filii sui benedici cupientis, prorupit in hæc verba, in pinguedine terræ, & in rore cœli erit benedictio tua, canonici igitur scriptores sibi inuicem contrariantur, præsupono tanquam certo certius in scriptura nihil contrarium omnino inueniri posse, sed vt ait Orig. lib. 3. cap. 3. in epist. ad Roma. *plura contraria videntur nisi diligenti examine excussa contraria non esse manifestentur*; examinemus igitur vtrum duæ auctoritates Pauli & Moysis contrarientur, minime equidem, nam duæ fuere erga filios benedictiones, vna principalis, & hanc non potuit consequi Esau, quamuis cum lachrymis eam postulasset, altera fuit parua & tenuis, quam impetrauit à patre suo. Paulus autem loquitur de benedictione præcipua, Moyses autem de parua & tenui.

Hebr. 12.

Origen.

Iudæi tandem ad fidem reuertentur.

204 *In pinguedine terræ & in rore cœli desuper, erit benedictio tua*, cur inuerso ordine, non dixit in rore cœli & in pinguedine benedicceris? cùm hunc ordinem cùm fratrem suum Iacob benedixit seruauerit? per rorem cœli spiritualia intelligi, sicut per pinguedinem terræ temporalia, & per Esau Iudæos non dubitas: quo notato sic respondet. Tertul. li. 5. aduers. Marcion. cap. 24. *cæterum ad Esau promittis benedictionem terrenam, & subiicit cœlestem de opimitate terræ, dicens erit inhabitatio tua, & à rore cœli, in Iudæorum enim dispositionem Esau priorum natu & posteriorum affectu filiorum à terrenis bonis imbuta, per legem, postea per Euangelium credendo deducitur.*

Tertull.

Longe dispar est studium carnalis à spirituali.

205 *In pinguedine terræ & in rore cœli, benedictio tua*, quid hoc? an non hæc eadem benedictio est, quam Isaac Iacob filio impertiuit? in vtraque enim ros cœli & pinguedo terræ continetur, plane sic verba habent, sed inuersus vtrobique reperitur ordo, in priore siquidem dicitur de rore cœli & de pinguedine terræ, vbi ros inprimis ponitur, deinde pinguedo terræ, at in alterâ habetur, in pinguedine terræ & in rore cœli, vbi prius terræ pinguedo, secundò autem ros cœli adiungitur, cur dispar in vtroque benedictio? cur inuerso ordine datur vtrique? audiamus D. Bernard. serm. 33. in cant. huius disparitatis mysterium ita euoluentem *cùm in populo Dei carnales alij sint alij spirituales, nec illi tamen æternorum, nec isti careant omnimodo temporalium desiderio, ideo sane distant, quod plus alio appetunt alij, & secundum ea quæ præferunt aut carnales iudicantur, inter carnales & spiritales satis magnum discrimen inuenit*

D. Bernard.

*quod probat ex eodem loco sic vltra progrediens, hinc est quod in benedictionibus Iacob & Esau & ros cœli & pinguedo terræ nominatur, sed non eodem ordine in vtro*que, quid autem singuli præferant, à studiis eorum & sollicitudinibus innotescit.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XL.

VVLG. Erit benedictio tua, viues in gladio & fratri tuo seruies, tempusque veniet, cum excutias et soluas iugum eius de ceruicibus tuis.

Sept. Et super gladio tuo viues, & fratri tuo seruies, & erit cum depolueris, & solueris iugum illius, de collo tuo.

Cald. Erit quando transgredientur filij eius verba legis, auferes iugum eius de ceruicibus tuis.

Pag. Et erit quando dominaberis, franges iugum eius à collo tuo.

Caiet. Super ensem tuum viues, & erit quando dominaberis, & excuties iugum eius desuper tuum.

Oleast. Et erit quando extendes te & franges iugum eius.

Chrys. Erit autem quando depones, & exolues iugum eius à collo.

Syrus. Si resipueris, & vitæ tuæ bellicosum institutum omiseris, Deique timorem imbiberis.

CONCORDIA.

VErbum רוד rod vel רוד rud significat dominari, tamen etiam denotat extendere se, sed dominando vel quocunque alio modo, vnde sensus erit hic cum extenderis dominium tuum, פרק parak varia est apud Hebræos significatio, dicit enim diuidere, seruare, nec non frangere, excutere, aut discerpere, de Caldaica Paraphrasi iudicium feremus in conceptu.

EXPOSITIO.

E*Rit benedictio tua*, nempe in pinguedine terræ & in rore cœli, *viues in gladio*, vir bellicosus eris, tamen potius denotat posteros eius, nẽpe Idumæos perpetuo accinctos fore gladiis sæuos, sanguinarios, rapinisque ac cædibus gaudentes *& fratri tuo seruies* scilicet in posteris tuis, tempore Dauidis *tempus. veniet cum excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis*, nempe tempore Ioram filij Iosaphat, tunc enim Idumæi Iudæis rebellarunt lib. 4. Reg. cap. 8. & ab eorum iugo liberi manserunt, per 800. annos vsque ad Hircanum qui eos rursum subegit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Seruitus morte intolerabilior.

207 V*iues in gladio & fratri tuo seruies*, cur à vita in gladio progreditur ad seruitutẽ? potuit enim ordine inuerso, dicere seruies fratri tuo, deinde in gladio viues, recte priorem seruauit ordinem, vt innueret difficiliorem esse vel ipsa morte seruitutem, quasi peius esset seruire quàm in mortis periculo, quod est ipsa morte deterius, versari, vnde D. Chrysost. hom. 64. in Genes. increpans fratres Ioseph qui eum tanquam vile mancipium vendiderant ait, *licet per gulam gladium non transmiseritis, sed difficiliorem ei seruitutem excogitastis.*

S. Chrysost.

Peccator ad seruitutem designatur.

208 *Viues in gladio & fratri tuo seruies*, cur minori natu seruiet? ordo naturæ potius requirit vt primogenito omnes alii fratres obsequantur. Sed ne ordinem naturæ violari in hac seruitute Esau asseras, se enim in peccati seruitutem tradiderat; vnde Philo Hebr. lib. 2. alleg. post medium alloquutus Esau prauarum cupiditatum mancipium ait, *teipsum subiugasti affectuum vehiculo aurigante insipientia, nunc quidem seruus est molestorum herorum & intolerabiliũ, qui non solent quenquam manumittere, quod si eos fugitiuus deserueris, excipiet te amator seruorum Dominus, cum certa spe futuræ libertatis nec vnquam exhibebis heris prioribus.*

Philo. Hebr.

Seruitus peccatoris sub iusto, non pœna sed potius benedictio, & remediũ salutis suæ censenaũ est.

209 *Erit benedictio tua, seruies fratri tuo*, quæ benedictio? imo cẽsenda est maledictio, quid enim infœlicius & intolerabilius alteri seruire? præcipue primogenitum ætate minori? prudenter tamen seruituti fratris sui iusti subiicit, quem enim extremam in impietatem futurum præuidebat, non quidẽ in pœnam, sed potius in medicinã sub illius seruitute collocauit, sibi enim Esau sine dubio consuleret, si fratri obtemperaret, & præteritas culpas facile deleret, si fraterna mandata humiliter custodiret, quod recte expendit Philo Alex. lib. de nobil. vbi docet quàm misericorditer Isaac filium suum Esau in fraternam tradiderit seruitutem, *existimans*, inquit, *id ei fore vtile, si homo nequam in sua potestate non relinqueretur, qui si hanc seruitutem libenter tulisset, poterat mereri secunda virtutis præmia*, quam doctrinam inculcat in li. quod omnis probus sit liber, vbi sic loquutus *communium* inquit) *amborum pater, miseratus eum qui à virtute desciuerat, precatur ei vt fratri seruiat, seruitutem qua videtur malum maximum existimans rem insipienti vtilissimam esse, ne si relinqueretur in sua potestate, prolaberetur in omnem licentiam, sed per potioris curam emendatis moribus in melius proficeret.*

Phil. Alex.

Mirabilis est Dei erga peccatores vt eos ab impietate sua reducat, prouidentia.

Erit

209 *Erit benedictio tua, fratri tuo seruies*, cur primogenitum vis filio minori seruire? nonne rationi magis consentaneum esset, cum saltem sint vterini, vt æquales in omnibus fuissent, nec vnus altero superior? cur Deus linguam Isaaci mouit, vt prædiceret Esau seruitutē, non sine mirabili erga hominem improbum prouidētia, vt hoc modo, nec non remedio, à peruerso viuendi modo reuocaretur, quod obseruat Orig. hom. 3. in Iosue sub finem, *admiranda est benignitas & prouidentia Dei, qui volens peccatori Esau præstare remedium & conferre salutem, factus est fratri suo Iacob seruus, non quidem vt periret sed vt salutem melioribus obediendo conquireret, prastatur enim malis plurimum & peccatoribus qui semetipsos recte gerere nesciunt, si non sibimetipsis committantur, sed subiaceant melioribus, vt non sensu suo malo sed illorum bono regantur.*

Propria voluntas compescenda.

210 *Erit benedictio tua, fratri tuo seruies*, dixerit hic aliquis, quæ benedicendi ratio? seruire iubet, aduerte sua propria duci voluntate nec alium velle habere rectorem, optimum igitur sancti Isaac consilium, illi rectorem & moderatorem cōstituit, vt propria voluntate ductus, in præcipitium perditionis non laberetur. beati Ambr. verba licet hic attexere, quibus sententiam nostram firmat & locum illū illustrat; sic ille habet lib. 2. epist. 7. *ostendens quia ei seruitus remedio sit quia stultus se regere non potest, & nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus, diligens ergo pater & consulens, seruum eum fratris sui fecit, vt eius regeretur consilio*, expende vt eius regeretur consilio, non proprio, aliena voluntate, non propria, *si enim propria cessat*, inquit S. Laurent Iustin. de obed. cap. 4. *infernus non erit, in quid enim desæuit, nisi in proprias voluntates? Deum impugnat & aduersus eum extollitur.*

S. Ambr. — S. Laur. Iustin.

Pietas & mansuetudo crudelitati dominatur.

211 *Erit benedictio tua, viues in gladio, & fratri tuo seruies*, si armis medius vitam regere debet, quomodo alteri seruiet? miles enim bellicosus nescit esse mancipium. Sed ò Isaac cur postquam prædixisti filium tuum Esau ense & gladio vitam ducturum, ilico seruituti filij tui Iacob addixisti? in dubium reuocare non debes Esau crudelem, sicut è contra Iacob mansuetum, merito igitur postquam dixit viues in gladio, addit fratri tuo seruies, vt ostenderet mansuetudinem dominari debere crudelitati, mēs est D. Ambr. lib. de Iacob ca. 3. *ideo ait super gladium tuum viues, & fratri tuo seruies, domina enim est pietas crudelitatis, & mansuetudo duris moribus præstat.*

S. Ambr.

Qui prudenter regere non potest, alteri seruiat.

212 *Fratri tuo seruies*, nonne sufficiebat ei præcipuam ademisse benedictionem, quæ iure primogenituræ ei debebatur? cur eum seruituti adhuc subiicit? eum liberum relinquat, cum liber sit natus seruum constituit, quia cum se regere non posset, & indignus esset imperio, seruituti subiiciendus erat. Fatur cit. Ambr. *Esau vt benediceretur à patre cogendo elicuit & impetrauit, sed eam tamen benedictionem accepit, quæ cum superiore congrueret & conueniret, vt fratri suo seruiret, etenim qui imperare non poterat, & alterum regere seruire debebat vt à prudentiore regeretur.*

cit. D. Amb.

Exitus promissionum Dei attendendus, ne nobis dubiæ videantur.

213 *Fratri tuo seruies*, imo posset dicere Esau, ipse mihi seruiet, nam quænam reuerentia ipsi à Iacob exhibita? quinā honor delatus cum rediens à Mesopotamia eum toties adorauit? vaticiniū ergo Isaac, nec non Dei promissio (Deo enim inspirante hæc verba protulit) dubia & incerta debet censeri, sed falleris, posteri enim Esau filiis Iacob seruierunt, sicque exitum promissionum Dei attende, ne tibi falsæ videantur, *cæterum* (inquit Chrysost.) *nullus audiens hæc, miretur videns post hæc fratrem vagum factum ob illius metum, & in terram alienam contendentē neque initia attendens existimet vaticinium excidere, nā quando Dominus aliquid pollicetur etsi diuersa his quæ pollicetur videamus in principio euenire, non turbemur, neque enim possibile est vt ad finem vsque aberrent: hoc autem fit vt dum iusti per omnia fulgidiores reddantur, abundantiam virtutis Dei manifestam nobis omnibus faciant, & in vnoquoque sanctorum hoc inuenies, si volueris historias singulas diligenter animaduertere, quod sane nunc quoque factum est; ne ergo hoc attendas quod nunc statim profugus fit: sed cogita gloriam quæ post hæc sequitur, quia temporis processu hic ipse fit suis terribilis factus vt ille erga eum magnam declararet reuerentiam, in tantamque venit gloriam post ærumnas quas in terra aliena tulit, vt qui ex ipso nati in immensam multitudinem propagentur, & eius nomine tota gens cognominetur ac sit discreta.*

S. Chrysost.

Effectu benedictionis Dei priuamur, cum eius legem negligimus.

214 *Veniet tempus cum excutias iugum eius de ceruicibus tuis*, cur in æternum non seruient filij Esau, posteris Iacob, cum ille præcipuam assecutus fuerit benedictionem? aduerte Israelitas in varia lapsos fuisse crimina: non mirum igitur Idumæos excussisse iugū seruitutis Israeliticæ, & Israelitas in eos dominium amisisse, effectu benedictionis datæ Iacob priuatos, cum Dei legem transgressi fuerint, & neglexerint, ita Lippom. ex parap. Cald. *& erit quando filij eius transgredientur verba legis, auferes iugum eius de ceruicibus tuis, vt si [illegible], veniet tempus in quo non amplius seruies id est posteritas tua, quando scilicet præuaricati fuerint Israelitæ legem Dei, & abiecerint à se iugum præceptorum eius tuam & tunc tu rumpes iugum eius.*

Auctor Cate.

Cum peccatis valedicimus à seruitute liberamur.

215 *Veniet tempus cum excutias iugum eius de ceruicibus tuis*, si seruum fratris sui constituisti, dicens, fratri tuo seruies, quomodo nunc fore liberum prædicis? qui enim alienus sibi iugum impositum excutit, liber euadit, nonne diximus potius moribus & malo viuēdi modo seruum fratris factum quam natura? cur igitur non asseremus meliori viuendi ratione, è seruo liberum euasisse, & peccatis renuntiantem à seruitute liberatum? Fauet Syrus teste Procop. *si resipueris* inquit & *vita tua bellicosum institutum omiseris, Deique timorem imbiberis, excuties scilicet iugum fratris tui.*

Syrus.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XLI.

VVLG. Oderat ergo semper Esau Iacob, pro benedictione qua benedixerat ei pater, dixitque in corde suo, venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.

Sep. Et grauiter iratus erat Esau Iacob de benedictione quâ benedixit eum pater eius, dixit autem Esau in mente sua, appropinquent dies luctus patris mei, vt interficiam Iacob fratrem meum.

Hier. Appropinquent dies passionis patris.

EXPOSITIO.

Oderat ergo semper Esau Iacob, noluit fratri reconciliari, sed eum continuo prosequutus est odio, *pro benedictione* propter benedictionem præcipuam sibi adeptam, & fratri concessam, *dixit autem Esau in corde suo*, non enim id aperte expressit, & aperuit. ne patrem contristaret *venient dies luctus patris mei*, arbitratus est enim breui è viuis discessurum, *& occidam Iacob fratrem meum*, non ei condonabo, sed è medio tollam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peccatum occultatum maius suscipit incrementum.

216 *Oderat ergo semper Esau Iacob, dixitque in corde suo, venient dies luctus patris mei & occidam Iacob*, ecce solum odium aduersus Iacob, quomodo tandem fratricidium cogitat, imo patris interitum exoptat? considera quid ait textus, dixit in corde suo, nam dum intrinsecus in corde malum occultat, magnum suscipit incrementum, antea solum erat odium aduersus fratrem, sed dum hoc odium latitat in corde, non ibi sistit, & ad patrem vsque protenditur eius optans interitum, dum ait venient dies luctus patris mei, imo fratricidium molitur. Sic sanctus Ephr. de pœnit. *patrem mori optabat dicens, quando morietur pater meus, & occidam Iacob, non solum fratricidam eum iracundia facit, sed etiam parricidam: nam semper malitia occultata scelus adauget*, emittat igitur foras per confessionem malitiam, qui cupit illi adhibere medicinam.

S. Ephrem.

Ex pessimis parentibus optimi filij quandoque nascuntur.

217 *Oderat Esau Iacob, &c. venient dies luctus patris mei & occidam Iacob*, quot crimina in vno homine? odium fraternum, optatus patris interitus, & pessima fratrem vterinum occidendi voluntas, sed nonne Iob ab eo originem duxit, qui non solum alienos tanquam fratres, imo & tanquam filios diligebat? iuxta illud, pater eram pauperum &c. Iobi vigesimo nono, quomodo à pessimo Esau tam dissimilis in moribus filius nascitur? quia ex peruersis parentibus aliquando optimi originem ducunt filij, quod D. Petr. Damian. opusc. 16. cap. decimo nono variis illustrat exemplis, *Phares* inquit, *de Theristrata id est ornata theristro, quod est ornamentum fæmineum & exposita in biuio nascitur, sed non minimus inter Israelitarum cognationum principes inuenitur. Salomon ex ea quæ fuit Vriæ cognoscitur habuisse principium, qui sceptri tamen inseparabiliter tenuit principatum. Obed certe ex Ruth Moabitide duxit originem; sed egregie regem Dauid magnum videlicet meruit habere nepotem; Boos quoque Rahab meretrix genuit, qui tamen in Dominicæ genealogiæ catalogo meruit numerari, & quid alios memorem? quandoquidem & ipse Dei mediator & hominum de peccatoribus duxit originem? &c.* quid ergo certius confirmatum esse potest, quàm ex pessimis aliquando optimos generari?

Iob. 29.

S. Petr. Damian.

Rebus nostris prouideamus donec periculum euaserimus.

218 *Oderat Esau Iacob, venient dies luctus patris mei & occidam Iacob fratrem meum*, quid tunc? Rebecca iubet Iacob fugere ad Laban fratrem suum in Haram, & ne alterius crimen & machinationem patri prodat, aliam prætexit ablegandi filij causam, eamque veram, scilicet nolle se Iacobum ducere immorigeram & improbam aliquam Hethæam, sed cupere vt ducat cognatam, aliquam ex Haram, in qua erat bene morata domus patris sui, cur ita laborat Rebecca? nonne timebat Iacobum ab Esau interficiendum? merito igitur prouidet eius securitati, rebus enim nostris assidue consulere debemus, donec periculum euaserimus.

Inuidiæ exitus, homicidium.

219 *Oderat Esau Iacob & dixit in corde suo occidam fratrem meum*, quid charius nobis esse potest quàm frater vterinus? cur ergo ô Esau vnicum fratrem tuum interficere moliris? sed si attente consideres verba textus præcedentis, oderat Esau Iacob, non inquires, cur Esau fratricidium molitur, inuidiæ enim exitus, sanguinis effusio est: ecce, inquit Chrysost. *quia Esau valde inuidebat, se ad cædem præparabat, ita enim se habet mala hæc affectio, non antea desistit donec se captum in præceps deijciat, & ad homicidij currat scelus, radix enim homicidij inuidia, & fructus inuidiæ homicidium.*

S. Chrysost.

Odium, vt Dei voluntatem non agnoscamus, mentem obtenebrat.

220 *Oderat Esau Iacob & dixit occidam fratrem meum*, cur fratrem morti condemnas? nonne

diuinitus

di[illegible] iterum, vt tibi anteponeretur, & honorem primogenituræ conte[illegible]ta sane est, sed odium quo in fratrem æstuat, ita illius mentem obtenebrat, vt Dei voluntatem non possit agnoscere, *victus recens Esau,* inquit Lippoman. *ægre patiebatur Dei prouidentiam non digne æstimauit, imputauit fratri quod à Domino gerebatur, insolentiam propriam, & imprudentiam non agnouit, quę inconsulte vendiderat iam repetere conabatur, non poterat ignorare præsagium matris, quibus non obstantibus graui odio fratrem prosequebatur, sceleriore cõsilio vsus comminiscitur mortem vnico fratri, obliuiscitur more iratorum omnium quibus certe Domini voluntatem agnoscere potuisset.*

Lippoman

Fictè mansueti nacta occasione sunt crudelissimi.

221. *Oderat Esau Iacob, & dixit occidam fratrem meum,* nonne antea ita mansuetus, vt lachrymis & precibus à patre benedictionem postulares? quomodo nunc ita inhumanus, vt vitam fratri eripere moliaris? nec hoc quæso scisciteris, *quia*, vt optime citat. Lippomanus, *sic fictè mansueti reuera crudeles nactà occasione feruentius excandescunt, vt appareat qui sint.*

Lippoman.

Ex ira homicidium.

222. *Oderat Esau Iacob & dixit occidam fratrem meum,* quid deterius fratricidio? nonne ab ipsis animalibus abominatione censetur dignum, cum ea quæ sunt eiusdem speciei inuicem & mutuo se diligunt? tum an tibi non notum est, quod sanguis Abel ad Deum clamauit, exigens ab eo de fratre vindictam? quomodo igitur idem crimen committere non vereris? inspice quid dicat textus, oderat Esau Iacob, *odium autem,* teste Guillelmo Peraldo Episcopo Lugdu. in summa sua vitiorum & virtutum tract. 8. de ira p. 2. *est ira cum deliberatione, vel est ira inueterata,* non miror ergo fratricidium velle moliri Esau, ex ira enim homicidium, ita cit. auctor. qui assignans peccata ab ira, homicidium numerat.

Guil. Peral.

Multum interest quod filii patrem habeant superstitem.

223. *Oderat Esau Iacob, dixitque in corde suo venient dies luctus patris mei, & occidam fratrem meum,* nonne iamiam fratri vitam gladio eripere potes? cur igitur necem illius vsque ad patris interitum differre statuisti, dicens, venient dies luctus patris mei? *vt aduertamus,* inquit Oleaster. *quantum interest filios patrem habere superstitem, vt Esau patrem senem cæcum & mancum metuerit, neque audeat eo viuente fratrem occidere.*

Oleaster.

Ambitio seminarium odii.

224. *Oderat Esau Iacob,* si simplex, teste Spiritu sancto, est Iacob, si multis virtutibus præditus, si ipsimet Deo charus, cur eum odio prosequeris? cur fratricidium moliris? quia immodicum ambitionis studium omnia rumpit, quantumuis fortissima naturalis amoris vincula, Esau ob sibi ereptum principatum, fraternum amorem conuertit in hostile odiũ vsque ad firmum propositum, & deliberatam occidendi eius voluntatem: recte D. Chrys. Hom. 40. in Matt. *vnde putas,* inquit, *lites in Ecclesia? inimicitias, altercationes inuicem, nisi propter superbiam, vanos honores, tolle hac, & nulla inuenietur discordia.*

D. Chrysost.

Impii à peccatis cessant, metu damni temporalis.

225. *Oderat Esau Iacob dixitque in corde suo, venient dies luctus patris mei, & occidam fratrem meũ,* cur non dixit nisi Deus prohiberet, nisi Deũ timerem, vitam fratri eriperem? nihil tale protulit, sed venient dies luctus patris mei, à quo scilicet maledici timeo, si eo viuente fratrem occiderem, sic impii à peccatis abstinent metu solius damni temporalis. Fauet Thom. Anglic. *patre viuente hoc non audebat, quia timebat exhæreditari & maledici, &c.*

Thom. Anglic.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XLII.

VVLG. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ, quæ mittens & vocans Iacob filium suum dixit ad eum, ecce Esau frater tuus minatur vt occidat te.

Sept. Nuntiata sunt autem Rebeccæ verba Esau filii sui senioris, & mittens vocauit Iacob filium suum iuniorem, & dixit ei, ecce Esau frater tuus minatur tibi ad occidendum te.

Chald. Insidiatur tibi, vt interficiat te.

Pagnin. Consolatur se propter te, vt occidat te.

CONCORDIA.

VErbum נחם Nacham propriè significat consolari, quod tamen septuaginta & interpres transferunt minatur, non proprietatem verbi attendentes, sed sensum subintelligentes, quasi sensus esset, interitum tibi machinans consolatur.

EXPOSITIO.

NVntiata sunt hæc Rebeccæ, scilicet ab aliquibus qui ab Esau per imprudentiam dicente audierant, licet enim consilium fratrem occidendi à principio tacitum & occultum tenuerit, postea tamen occasione alicuius nouæ indignationis vel offensæ, aliquibus amicis

suis dixit, qui Rebeccæ detulerunt, *quæ mittens & vocans filium suum*, tunc enim in aliquem locum secesserat, absens à domo paterna, *dixit ad eum, ecce frater tuus minatur*, non publicè, sed apud amicos te occisurum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iratus diu dissimulare non potest odium quin illud aperiat.

225. NVntiata sunt hæc Rebeccæ, *&c.* si in corde suo decreuerat Esau è medio fratrem tollere, quomodo hæc resciuit Rebecca? solus enim Deus est qui corda hominum scrutatur, resciuit ab aliquo, iratus enim dissimulare non potest, odium vel iram compescere nescit quin illam aperiat. Fauet Acaci. in cat. Græc. *quanquam hoc secum facinus sæpe voluntans Esau non potuit suam non prodere mentem, ita vt ex coniectura facile quis matri renuntiare potuerit*, ita etiam Diodorus.

Acacius. Diodorus.

Impii ex memoria suorum delictorum consolationem accipiunt.

226. *Nuntiata sunt hæc Rebeccæ, ecce Esau frater tuus minatur te vt occidat te*, in Hebræo est, consolatur se propter te vt occidat te, consolatio prouenit ex aliquo prospero euentu nobis contingente, vel ex alicuius mali periculo vitato; non autem ex sanguinis effusione violenta & illicita: quomodo ergo ait Esau se consolationem accepturum ex fratris occisione à se patrãda? quia impii ad tale scelus perueniunt, vt ex delictis de quibus tristari debẽt accipiant consolationem, *maximum*, inquit Oleast. *malum est malis & peccatis consolari, sunt namque multi qui non peccatis ipsis, sed illorum memoria & determinatione pascuntur, videbis lubricos sua imaginatione repræsentantes obscœnos luxuriæ modos, quibus, ita vt rebus ipsis delectantur.*

Oleast.

Deus singularem habet iustorum prouidentiam.

227. *Nuntiata sunt hæc Rebeccæ*, nempe quod Esau vellet occidere fratrem suum Iacob, quomodo annuntiata sunt, vel renuntiata verba Esau Rebeccæ, quibus cõminatus est occidere Esau fratrem suum, cum scriptura dicat hoc in sua cogitatione habuisse? respondet S. Aug. q. 81. in Genes. *nisi quia hinc nobis datur intelligi quod diuinitus ei reuelabãtur omnia*, sed cur à Deo reuelatur Rebeccæ, quod filius suus Iacob occidendus erat à fratre? vt agnosceremus singularissimam Deum habere iustorum prouidentiam.

S. August.

Ira suomet impetu ipsa perit.

228. *Nuntiata sunt hæc Rebeccæ, &c.* non solum igitur corde tractabat odium, sed verbis etiam sibi temperare non potuit, quin proderet consilium fratrem occidendi, quod auditum matri quispiam indicauit, vt sic per Dei prouidentiam impediretur, sed si præ nimia qua in fratrem æstuabat ira eum interficere statuerat, cur id aperit? sic enim effectum suum non sortiretur, optime Lippoman. *Sic impotens ira non tantum virium habet quantum vellet, suo ipsa perit impetu & vanescit.*

Lippoman.

Impio est voluptas ex vindicta.

229. *Frater minatur vt occidat te*, in Hebræo consolatur se de te, vt occidat te, sed quid habet commune consolatio cum minis vel cum insidiis? est enim in Chaldæo insidiatur tibi, nimirum iratus homo, dum vindictam molitur meditatione necis patrandæ aut iniuriæ inferendæ, atque interim struendis diligenter insidiis, magnopere dolorem suum lenire consueuit, *commune est*, inquit Oleast. *iratum vindicta delectari, vnde apud Isaiam legis, heu vindicabor de hostibus meis, & consolabor de inimicis meis.*

Oleast.

Mulieribus non deest prudentia.

230. *Frater minatur vt occidat te*, cur Isaacum non conuenisti, vt impiam ei mentem Esau aperires, sicque eum redargueret, vt à fratricidio abstineret? aduerte quod si Isaaco peruersum animum declarasset, non exigua eum affecisset tristitia: merito igitur solum Iacob consilii fratris participem facit, vt sic eluceat eius prudentia: est enim hoc signum prudentiæ quod non manifestè ipsum Esau arguit, vel coram patre accusat, ne vel patrem senem molestia afficiat, vel ipsum Esau plus exasperet, occultè igitur omnia agit.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XLIII.

VVLG. Nunc ergo fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haram.

Sept. Et nunc fili mi obedi voci meę, & surgens fuge in Mesopotamiam.

Chald. Et nunc fili mi, acquiesce mihi.

Arr. Audi vocem meam.

CONCORDIA.

שמע Samaa non solum audire, sed alicui acquiescere, nec non illius iussis obedire significat.

EXPOSITIO,

EXPOSITIO.

Nunc ergo fili audi vocem meam, consiliis meis, quæ iam verissima expertus es, acquiesce, & *consurgens fuge*, à domo paterna recedens, *vade ad Laban fratrem meum*, non Bathuel patrem suum nominat, à multis enim annis finierat vitam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iræ dandus est locus.

231. *Consurgens fuge ad Laban fratrem meum*, cur sic fugiet Iacob, ab irato & minante mortem fratre? cur non magis illum & muneribus & beneficiis placare nititur? equidem cum dives revertitur Iacob Genes. 32. non fugit fratris aspectum, sed præmittens illi munera, ait placabo illum muneribus, quæ præcedunt, quem enim munera & beneficia non placarent? cur igitur antea ad similem artem non confugit? cur maluit tūc à beneficiis abstinere, & fugam tacitus arripere? tūc Esau erat in ipso persecutionis feruore, & ira æstuabat, nil cogitans nisi vindictam & mortem in fratrem, vnde sapienter Iacob à beneficiis etiam abstinens maluit fugam arripere, iræ fratris dans locum quo securius obtinuit fructum benedictionis, pro quo ait D. Zeno Serm. de patr. *Iacob per patientiam & benedictionem lucratus est, & fratrem, dat iracundiæ locum securus, vt redeat domum, patri commendat sensum, misisque discedit, vt probet se & meruisse, & non ambiuisse quod meruit*, securius tacitæ fugæ commisit, & fructum benedictionis & fratris placationem, quam si tunc furentem beneficiis placare niteretur.

D. Zeno.

Gradus ad imperium labor.

232. *Consurgens fuge ad Laban fratrem meum*, si filius tuus Iacob filio seniori debet imperare, & dominium fratrum suorum obtinere, cur præmittis eum in Mesopotamiam, vbi pascendis Labani gregibus, inter diurnos æstus nocturnosque algores inseruiet, nec non plurima tolerabit incommoda? non immerito tamen illum in Mesopotamiam præmittit, sciebat enim ad honorem imperii, nullo aptius ex gradu quàm ex labore & afflictione conscendendum, quod Philo Alex. l. 2. de vita Moysis circa medium expressit, *qui fugit*, inquit, *laborem, fugit fœlicitatem, è diuerso qui fortiter patienterque difficultates tolerat ad beatitudinem properat, nam fieri non potest vt homo delicatus & effœminatus animo, corpore quoque labefactato, quotidianis voluptatibus virtuti domicilium præbeat.*

Philo Alexand.

Sapienter aliquando fugimus persecutionem.

233. *Consurgens fuge ad Laban fratrem meum*, fugam suadet filio suo Rebecca propter persecutionem fratris Esau, Isaac tamen solum ei dicit, vade ad domum Bathuel, Genes. 28. cur non dixit similiter Isaac, fuge in domum Laban, sed solum vade in domum Bathuel? inspiciamus quid Bathuel significat, interpretatur sapientia, & optime, *quia illa fuga persecutionis*, vt D. Ambros. exponit de fuga sæculi c. 4. *à prudentia & sapientia regebatur*, & addit, *non erubescamus igitur fugere, sic fugit Iacob matre suadente, dixit enim Rebecca exurgens fuge in Mesopotamiam.*

D. Ambros.

Deus tentandus non est.

234. *Consurgens fuge ad Laban fratrem meum*, cur ei fugam consulis, mortis inferendæ à fratre euitandæ gratia? nonne constituit eum Dominum fratris sui? nonne futurus est progenitor populi Dei? ne timeas igitur à fratre interficiendum, sicque domi tecum maneat, fugæ minimè se committens: prudenter humanis mediis vtitur, vt incolumem seruet Iacobū, cùm enim humana suppetunt non est cur solis diuinis nos committamus.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XLIV.

VVLG. Habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui.

Septuagint. Habita cum eo dies aliquot, donec auertatur furor.

Arr. Et sedebis cum eo vnos dies.

EXPOSITIO.

Habitabisque cum eo, nempe Laban auunculo tuo, *donec requiescat furor fratris tui*, donec scilicet ira illius tempore elanguescat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vt alienum delictum vitetur satagendum est.

235. *Habitabisque cum eo*, si tibi charissimus est Iacob, cur eum longius secedere satagis? nonne eum diuina proteget prouidentia? nota si permansisset Iacob, Esau executioni mandare potuisse suum scelus, nempe fratricidium, rectè igitur consulit Iacob fugam nunc meditari, vt fratris vitetur de-

D. Ambros. lictum, *exilium non reformidat*. inquit D. Ambros. lib. 2. de Iacob c. 4. *sed impigre suscipit, non tam vt periculum, salutis, quam vt incentiuum sceleris vitetur.*

Ira tempore consumitur, vel absentia illius cui irascimur.

236. *Habitabis cum eo dies paucos*, nonne tibi debitus honos Esau à fratricidio continebit? nonne reuerentia matris à scelere patrando comprimet? cur igitur filiū tuum dilectissimum à te remoues? alienas regiones peragrare compellis? ipsamet satisfacit; donec, inquit, requiescet furor fratris tui, & optimè, ira enim vel tempore consumitur, vel absentia illius cui irascimur, sic Abulens. *ira tempore consumitur, maximè quando aduersarius abest, & hoc verum est in duabus speciebus iracundorum, scilicet in acrocholis qui acuti dicuntur, & in amaris, soluuntur enim tempore & requiescunt.*

Abulens.

Cum iracundo non habitandum.

237. *Habitabis cum eo*, nempe cum auunculo tuo Laban, nonne frater charior est auunculo, & strictiori vinculo amicitiæ vniuntur fratres quam nepos & auunculus? cur igitur consulis Iacob, vt potius cum fratre tuo quam cum proprio moretur? imo iubes vt proprium fugiat: merito quidem, nam cum iracundiæ stimulis ageretur Esau, consortium eius omnino fugiendum erat, *feræ potius*, inquit Chrysostom. Homil. 29. ad popul. Antioch. *quam iracundo homini cohabitandum est, nam illa cum semel mansuefacta fuerit suam seruat legem, hunc autem quotiescunque mitigaueris, rursum efferatur, nisi quis in talē habitum eum induceret.*

Chrysost.

Parentes sequendi cum conformiter ad Deum consulunt, cum autem contraria suadent relinquendi.

238. *Habitabis cum eo dies paucos*, consilium matris in hoc sequutus fuerat Iacob, quod ad Laban auunculum suum fugerat, & ei hoc facile suasum fuerat, quia hæc fuga simul à Deo ordinabatur, at quomodo in hoc matris consilium non est sequutus, quod paucos dies non manserit in Mesopotamia apud Labanum? cur præscripto matris non contradicit dum iret ad Laban, non amplectitur autem cum cito non regreditur? sanè iter ad Mesopotamiam & moratio inibi à Deo ordinabatur, vocante Iacobum in terram peregrinam, sequitur ergo bonus filius matris præceptum in capessenda via, quæ Deo placebat, & quia Deo non placebat discessus, in eo matrem minimè sequitur.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XLV.

VVLG. Et cesset indignatio eius, obliuiscaturque eorum quæ fecisti in eum, postea mittam & adducam te inde huc, cur vtroque orbabor filio in vno die?

Septuagint. Et ira fratris tui à te & obliuiscitur, quæ fecisti ei, & mittens accersam te inde, ne forte orba filiis fiam ex ambobus vobis in die vna.

Chald. Donec reuertatur ira fratris tui à te.

Oleast. Quo vsque reuertatur calor fratris tui.

CONCORDIA.

QVamuis aliqua diuersitas videatur in his lectionibus, quoad verba, nulla tamen est quoad sensum, nam & cesset indignatio eius, & donec reuertatur ira vel calor fratris tui à te significant, donec odium quod aduersum te concepit, deponat.

EXPOSITIO.

ET *cesset indignatio eius*, ex sibi adempta benedictione, *obliuiscaturque eorum quæ fecisti in eum*, & è memoria eius labatur, quod ei fueris prælatus, & Dominus constitutus &c. *mittam & adducam te*, arbitrata est enim Rebecca quod solum apud Laban per aliquot menses maneret, sicque eum cito reuocaret, *cur vtroque orbabor filio vno die*? si enim hic maneas, pugnandum erit cum fratre, & vel mutuis concideretis vulneribus, vel vno cæso alter profugus erit, & ita vtriusque præsentia & solatio orbabor.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Homicida licet filius, talis non censetur.

239. ET *cesset indignatio eius, cur vtroque orbabor filio in vno die*? licet interficiatur Iacob, vno solum orbaberis, incolumis enim manebit tibi Esau, dic igitur cur charissimo pignore meo, nempe Iacob priuabor, ne arguas imprudenter loquutam Rebeccam, cum dixit vtroque orbabor filio, nam licet superstes mansisset Esau filius, eum tanquam indignum filii nomine propter cædem fraternam reiecisset, Fauet Thom. Angl. *si occiderit te, non reputabo eum filium meum & sic orbabor vtroque.*

Tho. Angl.

Malorum consortium fugiendum.

240. *Et cesset indignatio eius*, scilicet longè ab eo secede, vt temporis diuturnitate eius odium in te extinguatur, sed ô Sara, nonne tibi potest alia adesse ratio, cur Iacobum à fratre suo Esau separare statueris? alia equidem, & hæc sufficientissima Iacobi separationis ab Esau, scilicet

licet

fieret vt consortium & communicatio impii illius tanquam maxime nociua vitaretur, ne filius ætate ac virtute nouellus tyro praua consuetudine maioris ætate vitioque adulti corrumperetur, sic Philo Alexand. lib. de profugis, *quercinus ille & ob inscitiam contumax mox Esau nomine irascitur, & porrigens perniciosas escas pecuniam, gloriam, voluptates, cæteraque id genus, tuæ vitæ mortalis insidiatur, tu vero puer fuge præsens certamen, nondum enim es adultus robore, sed adhuc nerui tuę puerilis animæ sunt molliusculi*, fugiendum igitur sic in litterali & mystico sensu, fugiendam improborum consuetudinem tenerioribus adhuc in virtute animis suadet.

Philo Alexand.

Mystica Rebecca, nempe Maria, seruorum suorũ magis memor quam vera filiorum.

240. *Et cesset indignatio eius, mittam & adducam te inde*, dixit Rebecca charissimo filio suo, qui enim oppportuno tempore accerseret è Mesopotamia, & in patriam reuocaret, nihilominus si sacra historia diligenter consulatur, nusquam inuenietur Rebecca his suis promissis stetisse, nusquam filium suum ab externi hospitii seruitute in paternæ domus principatum reuocasse, cur obsecro datam fidẽ non seruauit? forte quia quamuis mater esset & mater filii sui indulgentissima, tamen domesticis curis occupata, sic in filio reducendo cunctabat, ac si omnem illius memoriam deposuisset, imo & sepelisse videretur: an ita immemor mystica Rebecca Maria seruulorum suorum? minimè equidem, nulla enim vnquam ei potuit eorum obliuio irrepere, & licet aliæ parentes etiam charissima pignora nonnunquam obliuiscantur, illa tamen etiam mancipia abiectissima perpetuo recordatur, vnde Pet. Dam. Serm. 1. de natiuit. Virg. *nunquid*, inquit, *quia ita Deificata, ideo nostræ humanitatis es oblita? nequaquam scis in quo discrimine nos reliqueris, vbi iaceant, quantum delinquant serui tui, non enim conuenit tantæ misericordiæ tantam miseriam obliuisci, quia etsi [illegible] gloria, renocat natura, neque ita es impassibilis vt sis incompassibilis.*

Petrus Damian.

Non minus homicida quàm occisus moritur.

242. *Cur vtroque orbabor filio in vno die?* quid ais Rebecca? quamuis Esau occidat fratrem suum Iacob, tamen Esau non occidetur, nec morietur, quare ergo ais quod orbaberis vtroque filio in eodem die? optime equidem dixit vtroque se cariturum filio, quia occisor post mortem quam alteri intulit miserabilior est occiso, ideo non minus iudicat mortuum fratricidam quàm alium occisum, verùm id satis accurate explicat Caiet. *altero quidem orbabitur, quia occidetur, altero quia non erit mihi vsus occisor.*

Card Caiet.

Peccatum mors animæ.

243. *Cur vtroque orbabor filio in vno die?* si vitam eripere Iacobo statuit Esau, sine dubio, eo fine vt ipse superstes maneat, benedictionisque paternæ fiat hæres, iurisque omnis primogenituræ successor; ne timeas ergo vtriusque filii iacturam vel mortem, sed solum vnius? merito tamen ait, quod vtroque priuaretur vno die Iacob quia occideretur, Esau autem quia lethale crimen mortem animæ admiserat, sicque vt mortuum reputabat, quod insinuat Procopius, *vtroque orbabor quasi fratricida quoad destinatam & conceptam cædem tamtam mortuo.*

Procopius.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XLVI.

VVLG. Dixitque Rebecca ad Isaac, tædet me vitæ meæ, propter filias Heth, si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.

Septuagint. Infensa sum vitæ meæ, propter filias filiorum Chet, si sumet Iacob vxorem de filiabus huius terræ vt quid mihi viuere?

Chald. Pœnitet me propter filias Hethi, si acceperit Iacob vxorem de filia Heth, similem istis ac filiabus terræ ad quid mihi vita?

Pag. Angustus affecta sum in vita mea, propter filias Chet.

Oleast. Defeci aut sinum me in vita mea à facie filiarum Chet.

Chrys. Ingressa Rebecca ad Isaac dixit mihi grauis est ista vita.

CONCORDIA.

VErbum קוץ Kus licet habeat alias significationes, vt ætatem transigere, tamen regulariter significat pœnitere, tædio affici, vel angustiis vrgeri, loco istorum verborum, *de stirpe huius terræ*, in Hebræo habemus de filiabus Heth, sicut istas vel similem istis, vtrobique tamen idem est sensus.

EXPOSITIO.

TÆdet me vitę meæ, non leuiter angor, *propter filias Heth*, quod Esau acceperit vxores filias Hetthæorum, *si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terrę*, si contingeret vt etiam Iacob eis coniungeretur, *nolo viuere*, ita grauis mihi erit vita, vt potius eligerem vitam cum morte mutare, quàm vitam dolore plenam ducere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Coniux virum suum filiis infensum non reddit.

244. *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth, &c.* scio hanc rationem proposuisse Isaac, vt ab eo consensum exigeret mittendi Iacob in Mesopotamiam, vt declinaret odium fratris sui, sed cur potius ei non aperuisti peruersam filii sui Esau voluntatem & consilium, de fratre interficiendo? sine dubio si illud rescivisset Isaac, ægre admodum tulisset: prudenter ergo Rebecca id viro nō aperuit, quia coniux maritum filiis infensum reddere non debet, *nota*, inquit Abul. *quod illa superior ratio de furore vel indignatione Esau non fuit proposita Isaac, ne propter hoc odio haberet Esau.*

Abulens.

Diuina gratia cooperante nihil nobis difficile.

245. *Tædet me vitæ meæ, propter filias Heth, &c.* dixit Rebecca Isaac vt hoc prætextu facilius à se remoueret Iacob, sed ô Rebecca, quid matri charius quam sibi præsens dilectissimus filius? cur ergo totis viribus absentiam eius meditaris? nonne molestissimè feres eius secessum in alienam regionem? minimè, imo gratissimus sanè mihi erit eius discessus *quia*, vt inquit D. Chrysost. *quando nobis diuina gratia cooperatrix & difficilia facilia sunt & grauia leuia*, superna autem gratia suadente filio absentiam consulebat.

D. Chrysost.

Mors anteponenda & seligenda præ peccato.

246. *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth, &c.* quomodo excusari potest Rebecca de impatientia, quod ita molestè tulerit, imo ita contristata fuerit, de hac aduersitate, vt vita illius verteretur in tædium, mortéque optaret? aduerte non tam hanc aduersitatem molestè tulisse, quia nurus habebat Chananæas, quam quod earum prauis moribus Deus offenderetur: impatientiæ igitur non est arguenda, quod mortem videatur optasse, quia potius eligenda, quā aliquod committatur delictum, si alio modo vitari non potest. Fauet Lippom. *dicendum est*, inquit, *quod de malo culpæ tam proprio quàm proximorum, & præsertim propriæ sobolis tristari oportet bona & moderata tristitia, ex quo sequi potest tædium rationale quo & Christus passione instante cœpit tædere, & potius appetenda est corporalis mors quàm mortalis culpa admittenda, si conuenienter vitari queat.*

Lippomanus.

Mors inquantum vitæ fœlicis ianua, desiderari potest.

247. *Tædet me vitæ meæ, propter filias Heth, &c.* exitum ergo ab sæculo desideras? sed an ignoras quod mors & vita in manibus Dei est, & ab eo vitæ nostræ pendet terminus? cur ergo sine tædio finem illius nō expectas? quia mors inquantū vitæ fœlicis ianua, licite desiderari potest: Fauet cit. auctor. *cæterū malum pœna potest esse appetendi mortem occasio inquantum vitæ fœlicis est ianua, sub conditione videlicet inquantum Deo placuerit.*

Cit. Auctor.

Mors potius eligenda est quàm filios habere immorigeris coniunctos mulieribus.

248. *Tædet me vitæ meæ*, si vita nihil dulcius, nec charius, cur illius tædio afficeris? propter filias Heth inquit illa, quid in te commiserunt, vt propter illas vitæ tuæ te tædeat? nonne immorigeræ erant & peruersæ? quid miraris igitur si molestè ferat diuturniorem ducere vitam, & mori desideret? mors enim potius eligenda est, quàm filios habere immorigeris coniunctos mulieribus, vnde Abul. sic introducit Rebeccam loquentem, *tantum doleo quod Esau accepit vxorem de filiabus Heth, quod nollem viuere.*

Abulens.

Quem magnanimum paupertas efficit, hunc timidum reddunt diuitiæ.

249. *Tædet me vitæ meæ*, dixit Isaaco Rebecca, & ideo mitte filium nostrum in Mesopotamiam, vt ex cognatione nostra vxorem sibi accipiat: licet hanc rationem discessus Iacob dederit, tamen ei fugere consuluerat, ne occideretur ab Esau, dicens, cur vtroque orbabor filio vno die? vel vt Septuag. ne fortè orba filiis fiam ex ambobus vobis in die vna: aliqui existimant quod hæc verba non dixisset, nisi Iacob respondisset, quod cum vim vi repellere liceat, nihil iniuriosum à fratre velle tollerare, seseque armis vitam suam tuiturum, imo & fratrem occisurum, si alio modo eius manus violentas euadere non posset, sed quid Iacob? vnde tibi tantus animus vt hominem robustissimum, bellicosum, laboribus assuefactum non formides? sed eum attente consideremus è Mesopotamia redeuntem, timet, deficit, Esau non ter, non quater, sed septies se illi subiiciens adorat, cur tantus animum tuum inuasit timor, cum redis ex Mesopotamia, ita autem magnanimus cum minas fratris tui Rebecca tibi aperit? aduerte regredientem è Mesopotamia ditissimum venisse in omni armentorum & pecudum genere potentissimum: cum autem consuleret fugam Rebecca nihil quod suum esset, possedisse, quid mirum igitur si nunc tanti animi, tunc autem ita humilis & pauidi? quia quem magnanimum paupertas efficit, hunc timidum, subiectum & ex Domino quasi seruum reddunt diuitiæ, vnde bene D. Chrysost. Hom. super illa verba Math. 6. nemo potest duobus Dominis seruire, sic exclamat, *si diuitiis seruiamus, grauissimæ subiiciemur tyrannidi; omni enim tyranno grauior est diuitiarum possessio, nullam enim voluptatem habet, sed curam, inuidiam, insidias, odia, calumnias, hæ liberum penitus in seruientem redigunt, & non horum tantum sed grauissimorum affectuum & morborum animæ seruum.*

S. Chrysost.

SYNOPSIS

SYNOPSIS CAPITIS VIGESIMI OCTAVI.

MITTITVR IACOB IN MESOPOTAmiam ad Labã pro vxore, Esau ducit Ismaelitidẽ: frater eius in via dormiens videt Deum scalæ innixum, per quam Angeli ascendunt & descendunt, inde locum vocauit Bethel, tandem votum Deo vouet.

VARIETAS LECTIONVM VERS. I.

VVLG. Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens, noli accipere coniugem de genere Chanaam.

Sep. Aduocans autem Isaac Iacob, benedixit eum, & mandauit ei dicens, non accipies vxorem de filiabus Chananæorum.

EXPOSITIO.

Vocauit itaque Isaac Iacob, persuasus à Rebecca vt eum mitteret in Mesopotamiam vxoris sibi coniungendæ gratia, *benedixit eum*, fausta in itinere & alibi ei exoptans, vel priores confirmans benedictiones, *noli accipere coniugem de genere Chanaan*, id est de filiabus Chananæorum: sumitur autem hic Chanaan vt est generale nomen omnium illorum populorum descendentium de Chanaan.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Pater filios semper hortetur vt Deo obsequantur.

1. *Vocauit Isaac Iacob & benedixit eum*, nonne amplã vt vidimus capite præcedenti, accepit benedictionẽ à patre, ita vt nulla ei benedictio restaret accipienda? quomodo igitur eũ denuo benedicere potest? ait Lipp. forte hoc in loco benedicere est valedicere, sed cum nihil commune sit inter benedicere & valedicere, cur vnũ pro alio vult Lipp. vsurpare? non sine ratione, sed vt declaret, quomodo Isaac in discessu filii sui, eum docuerit Deum benedicere, & in omnibus ei semper obsequi, *admonet enim pater*, inquit cit. Auct. *filium vt Deum omnipotentem timeat, credat, veneretur, & colat, à quo sit iuxta promissiones factas patribus numero & merito augendus.*

Auctor Catenæ.

Probis mulieribus filii à parentibus iungantur.

2. *Vocauit Isaac & præcepit ei dicens, noli accipere coniugem de genere Chanaan*, cur ita solicitus es de vxore filio tradenda? nonne ætatis perfectæ est, vt eam sibi posset eligere? liberum ergo ei relinque, vt quæ sibi placuerit, in vxorem ab eo sumatur: aduerte Chananæos regulariter nullis bonis moribus præditos: prudenter igitur Isaac præcipit filio, vt mulierem ex Chanaan genere non accipiat in vxorem, probis enim solũ mulieribus filii à parẽtibus iungẽdi sunt, *maxime soliciti debent esse parentes*, inquit Oleast. *de coniunctione filiorum, vt scilicet bonis fœminis eos copulent, quod olim fecerat sanctus Abraham.*

Oleaster.

Beneficiis alliciendi sunt quibus imperamus, vt promptius obediant.

3. *Vocauit Isaac & benedixit eum, præcepitque &c.* cur prius benedixit quàm ei aliquid iubeat? nonne nulla præmissa benedictione, cum esset illius pater potuit ei quodlibet exequendum præcipere? recte

prius benedictionem largitur, quàm imperet; beneficiis enim sunt alliciendi, quibus aliquid iubemus vt promptius obediant, *pulchre hunc ordinem seruat Isaac*, inquit Ferus, *antequam enim filio præcipiat, & graue illud præceptum imponat, prius benedicit, nimirum vt Iacob ex benedictione videns bonam patris voluntatem, promptius obediat.*

Nollet Ferus.

Vitandum contubernium periculosum.

4. *Vocauit Isaac & benedixit eum*, deinde vt in Mesopotamiam secedat, præcepit accepturus ibi coniugem, sed quænam est hæc benedictio, cum fuga in exteras regiones à parentum conspectu & domo? nonne sicut Abraham misit Eliezer vt ex Mesopotamia vxorem filio suo Isaac dandam adduceret, nonne potuit & debuit idem alium ex domesticis suis præcipere, non autem proprium filium in terram alienam mittere, vt inde vxorem sibi adducat? argumentum exiguum eum amoris esse videtur: sed ne Isaacum arguamus, imo eius prudentiam extollamus, securus enim non viueret Iacob cum parentibus vbi domesticum & infidum habebat hostem Esau: quare hac de re (vt egregie monet Cyprianus de Cleri. singul.) *præsumptores obsurgat Apostolus ad Gal. 6. dicens si quis putat se aliquid esse, cum nihil sit, seipsum seducit, qui non cauendo contraria noxiis rebus semetipse commiserat, ille autem tutus sibi consulit, qui circa malos semper insidus, species quascumque noxias extimescit, quorum distantiam Salomon differuit dicens, sapiens timendo declinabit à malo, insipiens autem confidens sui miscetur iniquo priori.*

Cyprian. Galat. 6. Prou 14.

Deus vult à nobis cognita esse sua auxilia.

5. *Vocauit Isaac & benedixit dicens, noli accipere coniugem de gente Chanaan*, cur Deus mouit Isaac, vt præciperet filio ne ex Chananæis vxorem duceret? optima est responsio Card. Palud. teste Pepino, *ne filii Israel descensuri ex Iacob putarent obtinuisse terram promissionis propter contractam amicitiam cum ipsis Chananæis & non virtute diuina*, en quomodo Deus vult à nobis cognita esse sua auxilia nec suorum immemores beneficiorum?

Palud.

VARIETAS LECTIONVM VERS. II.

VVLG. Sed vade & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui.

Sep. Surgens fuge in Mesopotamiam, in domum Bathuel & sume tibi inde vxorem de filiabus Laban fratris matris tuæ.

EXPOSITIO.

V*Ade & proficiscere in Mesopotamiam*, in Haran scilicet Charras vrbem Mesopotamiæ, quæ distabat à Bersabee, vbi habitabat Isaac itinere circiter octo dierum, *ad domum Bathuel*, quæ fuerat illius; sed eo mortuo iam erat filii eius, puta Laban auunculi, *& accipe inde vxorem de filiabus Laban*, credidit enim non denegaturum, imo potius quàm extraneis, in vxorem aliquam ex suis filiabus daturum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nihil siue difficile, siue facile sine obedientia præstandum est, vt meriti illius non fiat iactura.

5. V*Ade & proficiscere* in Mesopotamiam ad quam peruenit, in qua seruiuit, laborauit, & diu commoratus est, sed negotiis peractis, nondum in patriam remigrabat, nec omnino remigraret, nisi prius ab ipso Deo admoneretur, reuertere inquit in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam Genes. 31. quid hoc est, in exilium abire noluisse, nisi parentum imperio præeunte? mirum non est, erat enim difficile, ad quod non propria sponte sed externa vi compelleretur, at vero ab exilio in patriam redire cur quæso inuitus recusabat? cum nihil esse soleat hominibus gratius & iucundius quàm natale solum repetere, & exilium cum patria commutare, apte ad rem præsentem Oleast. *nihil*, inquit, *viris sanctis sine numine agendum est, Iacob enim licet reditum summe desiderasset, non tamen redire sine Dei imperio ausus est, voluit nimirum etiam in rebus facillimis & optatissimis diuino imperio subiacere, vt quod meritum obtinere non posset ex operis difficultate, quæ nulla erat, saltem virtute obedientiæ, quæ est optima meritorum conciliatrix, assequeretur.*

Oleaster.

Periculum fugiendum.

6. *Vade in Mesopotamiam & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban*. quare non præcepit vt acciperet vxorem de filiabus Ismaelis, quæ sibi etiam erant sanguine coniunctæ, sicut filiæ Laban? aduerte Esau contraxisse fœdus cum Ismaelis progenie; nam vt paulo inferius, in vxorem sumpsit Ismaelitidem, quid mirum si noluerit Isaac, consulente Rebecca, ne Iacob ex stirpe Ismaelis vxorem acciperet? sic enim furorem Esau, qui cum Ismaele fœdus inierat euadere potuit: fauet Abul. *hoc præcepit Isaac ad euadendam iram fratris sui, quod non putabat bene esse apud Ismaelem*, cum immediatè contraxerit fœdera Esau cum filiabus Ismaelis.

Abulens.

Pater potius saluti filii consulit quam propriæ suæ.

7. *Vade in Mesopotamiam*, quis non miretur Isaac, in extrema fere senectute positum adduci posse, vt filium sibi charissimum, moribus & ingenio suauissimum, vitaque sanctissimum, à sua præsentia domoque abire iubeat? an non doluit senex dulcissimo carere filio? doluit plane, at bonus pater filii saluti consuluit, non propriæ voluntati studuit, abegit filium vt seruaret incolumem, domo priuauit, vt dominum totius familiæ constitueret, expertus quantum ipsemet profecisset, cum à patre immolandus in rogum imponeretur: enimvero vt pulchre anno-

tum S. Zeno Vero. serm. 3. de Abrah. *Abraham verbus seruauit filium dum non pepercit, ita similiter Isaac Iacobum dum itinerum & mille calamitatum subeundo crimini commisit, securum ab omni periculo reddidit: & suæ saluti consuluit.*

S. Zeno.

Aduersa cedunt in iustorum vtilitatem.

8. *Vade & proficiscere in Mesopotamiam*, cur tam difficili parentum imperio, libenter obtemperas? cur te cōfers in exilium? sed cur Deus domi quietum Esau degere, Iacob autem mille calamitatum discrimine exulem à patria, à domo paterna tentari permittit? nonne conuenientius esset vt exul eiiceretur Esau, tanquam improbus? non sine Dei dispositione hæc aduersitas exilii Iacobo contigit, sed cessit in illius maximam vtilitatem, itaque inquit D. Amb. Ep. 82. *quoniam ob pietatem non propter improbitatem exulabat à parentibus, loquebatur cum Deo, augebatur censu, liberis, gratia.*

S. Ambr.

Verbum non naturam Angelicam sed humanam sibi vniuit.

9. *Vade & proficiscere in Mesopotamiam, & inde tibi accipe vxorem*, nonne facilius esset in terra Chanaam, cuius erat incola, coniugem sumere quàm in aliena inquirere? aduerte sicut Isaac fuit typus Dei patris, sic Iacob filii eius, & sicut filia Chanaan cuius erat incola Iacob, naturæ Angelicæ, cum qua verbum erat in eadem patria cœlesti, figura erat filia Laban naturæ humanæ, quo posito optime satisfacit D. Aug. serm. 79. de temp. dicens, *beatus Isaac Dei patris typum figurat, Iacob autem Christum Dominum significat, beatus ergo Isaac neglectis mulieribus regionis in qua habitabat misit filium suum, vt de regione longinqua sibi vxorem assumeret, quia Deus pater missurus erat vnigenitum suum in mundum qui repudiata natura Angelica, de humana sibi sponsam sociarit.*

S. August.

Castitas anteponenda matrimonio.

10. *Vade in domum Bathuel*, cur dissuasit vt matrimonium contrahat cum muliere Chanaan, sed proficisci consulit in domum Bathuel? aduerte ex glossa ordinaria, quod Chanaan interpretatur possessio, Bathuel continentia: prudenter igitur suadet vt negligat coniugium filiæ ex stirpe Chanaan, sed domum Bathuelis contendat, quia non est anteponendum matrimonium castitati, sicut cit. glossa, *ne contrahat carnale matrimonium quod habet annexam curam possessionum, sed vade ad domum Bathuelis id est continentiæ, quia Bathuel interpretatur virgo.*

Glossa Ord.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS III.

VVLG. Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet, vt sis in turbas populorum.

Sep. Deus autem meus benedicat te, & augeat te, & multiplicet te, & eris in congregationes gentium.

Cald. Et sis in turbas tribuum.

Pag. Et sis in cœtum populorum.

Oleast. Deus autem sufficiens fructificare faciat te.

Caiet. Et El victor.

CONCORDIA.

VErbum פרה parah licet vertatur crescere, tamen proprie significat fructificare, sed ab arboribus metaphorice transfertur ad homines: nomen קהל Kaal interpretatur congregatio, turba, cœtus, sicut עם populus siue gens.

EXPOSITIO.

DEus autem omnipotens benedicat tibi, pluribus beneficiis te cumulet, & crescere te faciat atque multiplicet, crescere, filiorum ortum importat, sicut multiplicare eorundem conseruationem, vel crescere ortum filiorum, multiplicare vero nepotum & eorum prolis multitudinem, *vt sis in turbas gentium*, vt de te tot turbæ nascantur, vt populos constituant.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Benedictio paterna præstat opibus.

DEus omnipotens benedicat tibi, misit Abraham in Mesopotamiam seruum suum Eliezer diuitem, magnisque muneribus onustum, quomodo Isaac filium suum in eandem regionem pauperem, & rerum omnium egenum dimittit? cur quæso liberalius cum seruo, quàm cum filio actum est? negabit aliquis ita factum, quia Isaac filio profecturo suam benedictionem impertiuit & à Deo bonorum omnium affluentiam illi precatus est, hæc autem duo præponderare videntur illis muneribus, quibus Abraham seruum suum cumulauit: fateor ita esse, ditior enim Iacob paterna benedictione & ipse diuina fretus, licet bonis temporalibus destitutus, è paterna domo excessit, quàm ille alius seruus Abrahæ, multis operibus oneratus.

Deo nomen conuenit secundum operationem.

11. *Deus omnipotens benedicat te*, Caiet. El victor, vel fortis victor, cur quæso Isaac Deum inuocat, sub his nominibus fortis & victoris? quem enim exercitum debellaturus est Iacob, vt Deum tanquam fortem & victorem habere debeat? aduerte fortitudine Dei Iacobum indiguisse, vt fratrem vinceret & superaret: consulto igitur nunc Deum fortem & victorem nominat, Deo enim secundum operationem suam nomina sunt tribuenda, ita Caiet. *El nomen Dei est penes attributum fortitudinis, significat enim Deum quatenus est fortis, victor quoque nomen est Dei*

Caiet.

ab eo quod vincit & superat omnia, & propterea interpretatum est ab aliis omnipotens, tanquam idem sit omnia posse & omnia vincere, & vt vnque attributum congruit statui Iacob, quem oportebat fugere iram Esau, significatur enim quod ille qui est summe fortis ac omnia vincit, non solum eruet te de ira fratris tui, sed prævalebit ad benedicendum te.

Deus in afflictione consolator.

12. *Deus omnipotens benedicat tibi, crescere te faciat*, & filium exilio condemnas, à domo tuo eiicis, cur igitur benedicis? cur multitudinem filiorum & eorum conseruationem polliceris? vt in afflictione qua domum paternā, ac charissimos parentes relinquebat, afficiebatur, consolatione non destitueretur, *vide* inquit Chrysost. *quomodo iustus et prædicit omnia & bona viatica ei dat & solatia.*

Chrysost.

Deus optimus conductor.

13. *Deus omnipotens benedicat tibi*, optima equidem & salutaris Dei benedictio, sed vbinam pecuniæ quibus in peregrinatione tueatur, ad cibos conquirendos? vbi equitatus quo deferatur? vbi comites quibus in itinere protegatur? quis filium pater omnibus destitutum mittit in alienas regiones, cum ei necessaria possit ministrare? cur igitur alio commeatu filium non instruit, nisi his verbis Deus benedicat? sciebat pius pater Deum esse optimum & nutritorem & conductorem, ideo filio Deum optat, nec simpliciter, sed Deum omnipotentem, & omnibus sufficientem.

A Deo omnis bonorum collatio.

14. *Deus omnipotens benedicat tibi*, cur non dixit tibi benedico? benedictionem meam impertio? cur autem per modum deprecationis & orationis ad Deum ab eo exoptat benedictionem pro filio? quia à Deo omnium donorum concessio, *forma benedictionis*, inquit Dionys. Carth. *per modum orationis profertur, quia à Deo est omnis boni collatio.*

Carth.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IV.

VVLG. Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te, vt possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est auo tuo.

Sep. Det tibi benedictionem Abrahæ patris mei tibi & semini tuo post te, vt hæres fias terræ incolatus tui, quam dedit Deus ipsi Abrahæ.

Cald. Vt possideas terram habitationis tuæ.

Pag. Vt hæreditate accipias terram peregrinationum tuarum.

CONCORDIA.

VErbum מגר gur proprie peregrinationem significat, vnde minus bene alii vertunt habitare, siue terram habitationis tuæ: verbum נתן natan non polliceri, sed dare denotat, sed quia nondum eam acceperat Abraham, ideo solum pollicitus est, posuit noster interpres.

EXPOSITIO.

DEt tibi benedictiones Abraham, de quibus supra cap. 25. & 22. sensus igitur est, conferat tibi beneficia & benefaciat sicut Abrahamo, & ei promissa in te & semine tuo compleantur, *vt possideas terram peregrinationis tuæ*, id est terram hanc, cuius nunc es incola, adhuc enim erant quasi in ea peregrini, etiam si Deus Abrahæ illam promiserit, aliqui, vt D. Aug. lib. 16. ciuit. Dei cap. 38. colligũt promissiones Dei de terra Chanaan possidenda, de numerosa prole, & opibus, de Christo ex se nasci-turo Abrahæ & Isaac factas, appropriatas esse Iacob & posteris eius, atque hac ratione Esau quasi ex semine & familia Abrahæ & Isaaci exclusum, externumque censeri & externæ gentis, puta Idumæorum patrem, & conditorem effectum fuisse.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ita Dei promissiones sunt certæ, vt quasi præteritæ annuntientur.

15. D*Et tibi benedictiones Abraha, vt possideas terram quam pollicitus est auo tuo*, aliæ lectiones habent, quas dedit Deus ipsi Abraham, quod pollicemur non dedimus, illud enim adhuc habemus in nostra potestate, quomodo ergo cum noster Vulgatus solum dicat quas pollicitus est auo tuo, aliæ lectiones habent quas dedit Deus Abraham patri tuo? quia ita certæ sunt Dei promissiones, vt quasi iam præteritæ annuntientur: fauet Lipp. *dicitur Deus dedisse terram patribus, quia promissioni illius certissime credebant*, quasi iam opere completum esset, quod promittebatur.

Parentes ita filiorum amore tenentur, vt non solum suas, sed etiam maiorum suorum dent illi benedictiones.

16. *Det tibi benedictiones Abraha*, nonne sufficiebat ei tuam tribuisse benedictionem? cur ergo etiam alienas largiris? quia parentes ita filiorum amore tenentur, vt non solum suas, sed etiam maiorum suorum eis impertiant benedictiones: sic fere Oleast. *solent parentes filiis non solum suas optare benedictiones, sed & maiorum suorum, vnde & Christus non dicit iustis, venite benedicti mei, sed patris mei.*

Oleast.

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERS. V.

VVLG. Cumque dimisisset Isaac eum, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ.

Pag. Et misit Isaac Iahacob, & perrexit in Padan Haram, ad Laban filium Bethuel, Aramæi fratris Ribchach, matris Iahacob & Esau.

EXPOSITIO.

Cumque dimisisset eum Isaac, data licentia vt itineri se accingeret, *profectus, venit in Mesopotamiam Syriæ*, non sine magno labore, tum propter distantiam locorum, tum propter vias asperas, *ad Laban filium Bathuel Syri*, vocatur Bathuel Syrus, quia in Mesopotamia genitus, & eam vsque ad obitum incoluit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nihil in sacra scriptura superfluum.

17. *Profectus venit in Mesopotamiam*, si non exiguos labores in itinere tulit, tum quia solus profectus est, tum quia viarum asperitati minime assuetus, cur hoc sacra non aperit scriptura? optime Abul. *quia solum curat de essentialibus, omittens alia, quia in ea nihil superfluum rep~~i debet, quod tamen esset, si omnia incidentia aut consummationes historiarum aperiret.* (Abulens.)

A Deo semper & vbique toti pendeamus.

18. *Profectus venit in Mesopotamiam*, quibus armis accinctus vt se à prædonibus, qui in longo itinere aliquando reperiuntur, tueatur? quibus sociis comitatus, vt leniat viarum longitudinem sermonibus? quo viatico munitus, vt vitam seruet incolumem? nihil tale legimus à patre ei datum fuisse; cur igitur ita solus & egenus accingit se itineri & in Mesopotamiam proficiscitur? audite Lipp. *fides fœlix illi viaticum, vt ex Deo totus semper & vbique penderet.* (Lippom.)

Fœlix qui alterius crimen auertit.

19. *Profectus est in Mesopotamiam*, quis non huius exulis calamitatem deplorat? quis illius miseriis non compatitur? quis labores cum eo non tolerat, considerans quod Esau indignus domo paterna eam incolat, & Iacob ea dignissimus teneatur eam deserere, & in aliena regione vitam ducere? ne infœlicem dicas, quamuis exulem, imo beatissimum prædica, qui hoc exilium subit vt à fratre auertat crimen fratricidii, testis est huius veritatis D. Amb. lib. 2. de Iacob c. 12. dicens, *an non beatus Iacob etiam cum patriam relinqueret, imo plane beatus qui dura exilii suscepit, vt fratris mitigaret iracundiam, nam si beatus est qui peccatum declinat, vtique negari beatus esse non potest, qui alterius culpam leuas, crimen auertit.* (S. Ambros.)

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VI.

VVLG. Videns autem Esau quod benedixisset pater suus Iacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret, & quod post benedictionem præcepit.

Sep. Ei dicens non accipies vxorem de filiabus Chanaan.

Pag. Et vidit Esau quod benedixit Isaac Iacob, & misit eum in Padam Aram, vt caperet sibi inde vxorem, quando benedixit & præcepit.

EXPOSITIO.

Videns Esau &c. sciuit enim quomodo benedictionem datam Iacob confirmauerit, *& misisset eum in Mesopotamiam Syriæ*, vt inde duceret vxorem, non cognouit enim à Chanaam discessisse indignationis suæ fugiendæ sed vxoris sumendæ gratia, & quod post benedictionem confirmatam præcepisse tanquam aliquid specialiter sibi commendatum, *non accipies vxorem de filiabus Chanaan*, propter inordinatos earum mores.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Corrigamus ea quæ male gessimus.

20. *Videns Esau quod benedixit pater suus Iacob*, & monuisset vt vxorem ex filiabus Chanaan non acciperet, sicut ipse fecerat decreuit Ismaelitidem vxorem ducere: sed cur duabus non contentus virginibus? & si satisfacere tuæ non potes libidini, sume aliam ex stirpe Chanaan, non ex ea stirpe ducere voluit tanquam parentibus exosam, sed Ismaelitidem, vt sic quod male gesserat, emendaret, mens est D. Chrysost. *vt didicit Esau*, inquit, *quod benedictus fuerit à patre Iacob, & quod mandatum sit ei ne accipias vxorem ex filiabus Chanaan, quasi corrigere volens erratum suum & ple-* (D. Chrysost.)

care patrem, addidit & accepit vxorem.

Aliorum bona opera æmulemur.

21. *Videns Esau quod benedixit pater suus Iacob*, eo fine vt mulierem Chananæam in vxorem non acciperet, tunc Esau decreuit non amplius ex Chananæis ducere, sed ex alio genere, scilicet vt etiam paternam consequeretur benedictionem: quid curas ô Esau, cum tibi duæ sufficiant coniuges alteram sumere? dices, vt etiam possim à patre benedici, quid curas patris benedictionem? maxime curare debet, æmulari enim debemus bona etiam spiritualia, quibus alii cumulātur & ea possidere: fauet Oleast. *hic docemur aliis spiritualia inuidere, non quod doleamus fratres ea habere, sed vt nos similia acquiramus.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII. & VIII.

VVLG. Quodque obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam.

Sep. Et Iacob audiuit patrem & matrem suam, & iuit in Mesopotamiam Syriæ.

Pag. Et obediuit Iacob patri & matri suæ, & iuit in Padam Aram.

VVLG. Probans quoque quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus.

Sep. Videns autem & Esau quia malæ sunt filiæ Chanaan coram Isaac patre suo.

Chald. Quod displicuissent filiæ Chanaan in oculis suis.

CONCORDIA.

PHrasis Hebraica scilicet quod displicerent filiæ Chanaan in oculis Isaac, recte vertitur à nostro interprete quod non libenter eas aspiceret Isaac, quod enim nobis displicet nec illud conspicere volumus.

EXPOSITIO.

QVodque obediens Iacob, parentibus suis nempe Isaac & Rebeccæ, de non ducenda in vxorem filia Chanaan, *isset in Syriam*, quam incolebat Laban auunculus suus.

Probans, conuiciens ex mandato patris facto fratri suo Iacob, *quod non libenter eas aspiceret pater suus filias Chanaan*, id est quod displicerent pro coniugio filiæ ex stirpe Chanaan, propter earum mores indisciplinatos.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Parentes potius debent exemplo quam verbo filiis imperare.

22. QVodque obediens Iacob parentibus suis, Septuaginta transtulerunt, & audiuit Iacob patrem & matrem, cur non dixere audiuit vocem patris & matris suæ? vox enim est quæ proprie auditur non autem eam proferens: dices hic esse vulgarem Metonymiam, causam pro effectu, audiuit patrem & matrem, pro audiuit vocem patris & matris, sed nonne aliud arcanum mysterium in his verbis deprehenditur, præter vulgarem metonymiam? audite Philonem Hebræum lib. de congressu quærendæ eruditionis gratia ante medium, *non dicit*, inquit, *vocem nec verba exaudiuit, decebat enim mediatorem hunc vitæ imitatorem fieri non sermonum auditorem, hoc enim discentis est, illud parantis se certamini, vt hinc quoque meditantis & discentis appareat differentia, dum alter præceptorem, alter præcepta sequitur*, quasi optimus filius non tam ad verba quam ad exempla parentum spectaret, & optimi parentes se præberent, non tam per verba audiendos quam per exempla imitandos, nam reuera parentum muneri desilent si pluribus verbis quam exemplis, filii mores informassent.

Philo. Hebr.

Optimus filius præceptum patris non discutit, sed ilico obtemperat.

23. *Quodque obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam*, si plurimæ difficultates in itinere exantlandæ, si pœne infiniti labores superandi, cur patri vt Mesopotamiam contenderes, imperanti non renuis, dicens, potes aliquem ex domesticis tuis ad Laban destinare, vt vnam ex filiabus suis in vxorem mihi concedat, non autem permittere, vt quasi exul in aliena regione, ducam vitam? nihil tale protulit, quia filius bonis ornatus moribus præceptum patris non discutit, sed ilico obtemperat.

Irati aliorum mansuetudine mitescunt.

24. *Probans*, nempe *Esau quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus*, apud se statuit ex alio genere aliam vxorem ducere, sed ô Esau, quomodo tibi hoc sanum arrisit consilium, patris sequi desiderium, & fratrem imitari? nonne eum statueras interficere? quomodo nunc illius sequeris vestigia? aduerte Esau victum patris & fratris mansuetudine, qui nihil aduersus eum moliti sunt: non mirum igitur si patris voluntatem & fratris exemplum imitatur, iratus enim aliorum mansuetudine mitescit, quod obseruat Lippomanus, *victus Esau mansuetudine patris, tolerantiaque fratris mitescit, ac si sic cogitet si pater tam dilectum filium Iacob quem mihi præposuit, cuique benedixit, amandat (cum te potius amandare debuerat) duntaxat vt tibi consulat, cur tam benignum patrem offenderes? cur quod ei displiceret post hoc faceres?*

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IX. & X.

VVLG. Iuit ad Ismaelem, & duxit vxorem absque iis quas prius habebat, Maheleth filiam Ismael filii Abraham sororem Nabaioth.
Sep. Iuit Esau ad Ismael, & sumpsit Maeleth filiam Ismael filii Abraham, sororem Nabeoth super vxores suas vxorem.

VVLG. Igitur egressus Iacob de Bersabee pergebat Haram.
Sep. Et exiit Iacob à puteo iuramenti & profectus est in Charran.

CONCORDIA.

TRansposita sunt hæc verba, scilicet absque his quæ prius habebat, nam in Hebræo, Chaldæo, nec non apud Septuaginta post sororem Nabaioth, ponuntur in aliis verbis super vxores suas, vxorem, vel in vxorem, sed tamen vtrobique idem est sensus.

Pluries diximus cur hic puteus nomen iuramenti sortitus est, nec non Bersabee dictus.

EXPOSITIO.

I*Vit* nempe Esau ad Ismaelem filium Abraham, *& duxit vxorem*, nempe filiam illius nomine Maheleth, *absque iis quas prius habebat*, quas nec à se dimisit, contrahens cum Ismaelitide, noluit vero accipere ex domo Nachor; licet id sciret forte gratius parentibus suis, idque ex quadam animositate, quia scilicet ea concesserat Iacob, ne videretur fratrem sequi & imitari, præsertim cum illo ipse esset senior.

Igitur egressus Iacob de Bersabee &c. extremos terminos à quo & ad quem itineris Iacob prius narrat Moyses, quam euentus medios in via, *pergebat*, Haram ciuitas est Mesopotamiæ, vbi remanserunt fratres & cognati Abrahæ defuncto eius patre Thare.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filii impii omnibus modis quibus possunt parentes offendunt.

24. **I***Vit ad Ismaelem & eius filiã duxit in vxorem*, si animus parẽtum tuorum non leuiter offensus fuit, cum ex stirpe Chanaan coniuges sumpsisti, cur nunc inconsultis parentibus ad seruilia declinas tabernacula, & cum muliere ex seruili genere matrimonium contrahis? nonne sic maiori tædio mentem vtriusque parẽtis afficies? ita se res habet, inquit Rupert. nec mirũ, impii enim filii omnibus modis quibus possunt parentes exulcerare nituntur: fauet cit. Abb. lib. 7. c. 20. *verius est, quia parentibus quoque propter Iacob iratus erat sicut Cain, & considerat vnitus eius, ideirco vt eos amplius offenderet, egit ita.*

Rupert.

Stultus est qui non derelictis prioribus peccatis per aliqua bona quæ operatur, Deo se reconciliari arbitratur.

25. *Iuit ad Ismaelem & filiam eius coniugem duxit*, eum citatus Abbas iterum atque iterum insipientem atque stultum appellat, eo quod non dimissis duabus prioribus vxoribus ex stirpe Chanaan, quæ animum suis prauis moribus Rebeccæ & Isaac exacerbauerant: sed nonne secundùm aliquos, ea intentione Ismaelitidem sumpsit vxorem, vt patri reconciliaretur, eiusque benedictionem consequeretur? quomodo igitur à Ruperto insipiens dicitur? quia si moraliter loquamur, ille talis censendus est, qui non derelictis prioribus peccatis (quæ denotantur per priores vxores ex Chanaan quas non dimisit) per bona subsequentia operatur, Deo se reconciliari posse arbitratur, sic Hugo Carens. *per hoc quod Esau non abiectis prioribus vxoribus superduxit aliam, significatur status illorum qui non relictis prioribus peccatis per bona quæ faciunt putant Deo reconciliari, contra quos 1. Esd. 10. si pœnitentia est in Israel abiiciamus vxores alienas* Prou. 28. *qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autẽ confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiã cõsequetur.*

Hugo Car.
1. Esd. 10.
Prouerb. 28.

Sicut tyroni praua societas nociua est, sic maxima statim perfectio periculosa.

26. *Egressus Iacob de Bersabee pergebat Haran ad Labanem*, sed si à prauo fratris contubernio & societate eius se subripit, quia sibi nociua futura est, cur suauissimum parentum conspectum, quo nihil desiderabilius est, deserit? aduerte per Iacob tyronem adhuc in virtutum exercitio intelligendum, sicut per Isaac hominem perfectissimum, quo posito sic acute respondet Philo lib. de profugis, *fugiendum hoc tempore, & quod pessimum & quod optimum, nam cohabitatio cum malo nocet maxime, cum bono autem perfecto periculosa est, itaque Iacob & ab Esau ausugit & ablegatur à parentibus, quippe qui meditatione cum sit dimicans adhuc in certamine fugit quidem vitium, sed non potest cum perfecta virtute viuere, vt nullius præceptoris opera indigeat, ideo proficiscitur ad Labanem*, periculosam dicit perfectam virtutem adhuc tyronibus, quippe qui egent multa prius & assidua exercitatione & magistrorum instructione, sine his enim inexpertus tyro perfectæ virtutis vmbra, quam sibi arrogat, turpiter insolescet.

Rupert.

A vitiis egrediens ad virtutes progrediatur.

27. *Egressus de Bersabee pergebat Haran*, apud Septuaginta legimus, egressus de puteo iuramenti, possumus ex Hebræo vertere, de puteo septem, cur dicitur ex puteo septem egressus vt Haram proficisceretur? aduerte ex Hugone Carensi per puteũ septem, intelligi peccata septem capitalia, per Haran quæ interpretatur sublimis, virtutem, quo posito non sine mysterio dicitur Iacob de Bersabee egressus, vt pergeret Haran, quia à vitiis egrediens, ad virtutes progredi debet, sic cit. Hugo Caren.

Hugo Car.

Psal. 68. Isa. 11.

iustus egressus de Bersabee id est de puteo peccatorum, de quo psalmus neque vrgeat super me puteus os suum, & bene dicitur Bersabee puteus septimus propter septem crimina quæ sunt septem flumina Ægypti Isa. 11. percutiet eum in septem riuis, hac sunt septem capita draconis Apocal. 12. pergebat Aran quæ interpretatur sublimis & est rectus ordo quod homo exiens de puteo peccatorum, ascendat in sublime peccatorum, vt vbi abundauit iniquitas, superabundet & gratia.

Apocal. 12.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI.

VVLG. Cumque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco.

Sep. Et occurrit loco, & dormiuit ibi, occiderat enim sol & sumpsit ex lapidibus loci, & posuit ad caput suum & dormiuit in loco illo.

Pag. Et occurrit in locum & pernoctauit.

Arias. Tulit de lapidibus loci, & posuit ceruicalia sua & iacuit.

Oleast. Obuium habuit locum.

Quidam teste Vatab. Tulit de lapidibus & posuit vice puluinaris.

CONCORDIA.

SEnsum optime reddidit interpres in his verbis, *cumque venisset ad quendam locum*, licet paululum varia sint in Hebræo, verbum לוּן lun proprie pernoctare significat, sed quia pernoctando requiescimus, ideo alii verterunt, & vellet in eo requiescere siue dormire: מראשׁת meraasot, ceruicalia siue puluinaria dicuntur, quæ expressit his verbis interpres quæ posuit sub capite suo.

EXPOSITIO.

CVmque venisset ad quendam locum, cuius nomen ignoratur, quamuis aliqui asserant fuisse montem Moria, quod tamen ab Abulensi reiicitur, *& vellet in eo requiescere*, tum quia nimium ex via defatigatus, tum quia sol occubuerat, ait enim post solis occasum, *tulit de lapidibus qui iacebant*, non habens in quo congruenter recumberet, & illos capiti suo vice ceruicalis aut puluinaris supposuit, *dormiuit in eodem loco*, scilicet sub dio.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vbi vnio, ibi Deus.

28. TVlit *de lapidibus qui iacebant & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco*, deinde in somnis scala illa mysteriosa apparuit, tandem è somno euigilans ait, vere Dominus est in loco isto, vnde inferre potuit, Dominum huic loco præsentem esse? innuit textus dicens, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo; si lapides supposuerat, quomodo vnicum tulit? aduerte quod ait Abul. ex Hebræorum sententia, quod omnes hi lapides in vnum lapidem redierunt, ita quod omnes lapides ita inter se vnirentur, vt vnus euaderet, quo posito: non mirum est Iacob dixisse Deum huic loco præsentem esse, quia vbi est vnio eorum quæ inter se antea diuisa fuerant, ibi certe Deus adest & inuenitur.

Delitiarum abdicatio consulitur.

29. *Tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco*, quomodo carens iumentis, ministris, viaticis, non solum se accingit itineri, sed etiam vt indulgeret quieti pro puluinari sumit lapides durissimos? cur post itineris defatigationem, dulci somno non indulget in molli & suauissimo cubili? sane vt suo exemplo ad deliciarum abdicationem prouocemur: sic Lipp. *lapidibus vsus pro puluinari super pauimento, rigor & patientia sanctorum docetur & deliciarum abdicatio.*

Lippomanus.

Solitudo diuinis reuelationibus accommoda.

30. *Tulit de lapidibus quos capiti suo supponens dormiuit in eodem loco*, quo in loco? sane sub dio, & in campo, vbi nulla domus ad quam diuertere potuerit pernoctandi gratia, quid tunc ei contigit? vidit Dominum innixum scalæ, multitudinem Angelorum descendentium & ascendentium &c. cur tot diuinis visionibus nunc fruitur? nonne diximus quod erat in campo vasto & deserto, non mirum igitur Dominum & Angelos conspexisse, quia solitudo diuinis reuelationibus accommoda, consentit Oleaster, *discimus hic quam accommodus sit solitudinis locus ad diuinas locutiones & visiones.*

Oleaster.

Aliquando iustus duriter à Deo excipitur.

31. *Tulit de lapidibus & supponens capiti suo dormiuit*, quomodo homini pedes eunti ex itinere nimium defatigato, datur pro cubili nudum solum, vice ceruicalis durissimi lapides? & non solum hoc dubium moueo, sed etiam Hierony. in consol. ad Iulia. cur Deus ad se primo reuertentem ita duriter excipit? ne hoc quæso anxie perquiras, nam ideo homini iusto ex nimia via lasso nihil aliud quàm lapidem vt requiescat, tribuit, vt homo duritiem & asperitatem non renueret, sed tanquam à Deo datam exciperet.

Hieron.

Deus aduersa iustis tribuit, vt deinde erga eos diuina appareat prouidentia.

32. *Tulit de lapidibus & supponens capiti suo dormiuit*, mirandum fortasse cuipiam accidet, quomodo Iacob ad ducendam vxorem missus ita pauper & egenus, vt humi cubare teneatur, cum potius pretiosa munera deferre deberet ad Laban socerum, aliol-

aliosque cognatos sibi demerendos, sed desine tantam paupertatem & alia tolerantem Iacob aduersa mirari, non enim sine Dei prouidentia ei contigerunt, sed potius, vt cũ deinde maximis onustus diuitiis rediret, maxime in eo leucesceret, ita D. Theod. quæst. 82. in Genes. *cur Iacob, inquit, rebus necessariis carens abiit peregre? sed hoc factum est quod manifestius diuina prouidentia declararetur in rebus, quæ videntur aduersæ, nam quibus omnia prospere succedunt, non satis intelligunt, quantis bonis fruantur, hac de causa Iacob aufugit, & solus est peregrinatus, vt locupletissimus postea rediens, & ipse experiretur quanta sit prouidentia, & alios doceret hanc Dei curam & prouidentiam.*

S. Theod.

In negotiis nostris simus prudentes.

33. *Tulit de lapidibus quos supponens capiti suo dormiuit*, cum nihil ita odiosum opulentissimis patribus, quam filios intueri pauperes & egenos, cur ita pauper Iacob patrem habens ditissimum, vt ne stratum quidem ceruical, in quo nocte quiesceret, haberet? non reiicienda responsio Thom. Angl. *Iacob voluit iter suum esse fratri occultum, quo melius consilia eius & insidias conatusque sibi nocendi falleret ac declinaret*, en vides, quanta solertia vsus est in negotio suo perficiendo! si enim pluribus diuitiis exuisset onustus, in occursum eius frater venisset, vitam ei adempturus, in vindictam benedictionis paternæ sibi ablatæ.

Thom. Angl.

Quæ durissima videntur & aspera delicatis, ea suauissima sunt virtutis cultoribus.

34. *Tulit de lapidibus quos supponens capiti suo dormiuit*, si diuites noctu dormituri super auratas spondas, pictosque tapetes decumbunt molliter, nonne videntes Iacob humi recumbentem, vice puluinaris, lapides capiti suo supponentem, dicent nihil durius hoc esse, nihilque asperius? quomodo ergo Iacob non conqueritur de huiusmodi duritie? quia quæ durissima videntur & aspera delicatis & mollibus, ea sunt virtutis cultoribus, è quorum numero erat Iacob, suauissima & dulcissima, ita Phil. in libro de somniis, *contemptores pecuniæ, voluptatis, gloriæ, atque etiam cibi & potus, nisi quantum ad arcendam famem, sitimque opus est parati propter virtutem perferre sitim, æstus, frigora, labores, & pericula qualibet, quos victus non pudet simplicissimi, imo luxum vestium vt ignominiosum fugiunt, hisce viris pro cubili pretioso, est solum herbidum, pro stragulis congestæ frondes, & folia, pro puluino saxum aliquod aut tumulus paulo acclinior, horum victum delicati homines durum & asperum vocant, honestatis autem sectatores existimant iucundissimum & peroptandum, conuenit enim viris qui reuera viri sunt, id est virtutis cultoribus.*

Phil. Heb.

Qui Christo inhærent, mira contemplantur.

35. *Tulit de lapidibus quos supponens capiti suo dormiuit*, deinde narrat Moyses visionem illam scalæ Angelorum, descendentium & ascendentium per eam, Deique scalæ innixi, sed cur potius hac cum dignatus est visione Deus, cum lapides capiti suo supposuit, non autem cum esset in domo paterna vel aliud operans? obsecro quæso quid ait Diuus Greg. Mag. libro 4. moral. tractans verba illa Iob quæ sunt in capite 4. quando solet sopor occupare homines, *caput in lapide ponere*, inquit, *est mente Christo inhærere*, quo posito, ne mireris Angelos conspexisse, Deumque ipsum intuitum, quia qui Christo Domino hæret, mira contemplatur.

S. Greg. Mag.

Quò quis se magis à rerum temporalium strepitu retrahit, eò verius ad superiora accedit.

36. *Tulit de lapidibus &c. & dormiuit in illo loco*, scilicet in itinere, cum autem indulgeret quieti, mirifica illa visione recreatus est, nempe beatorum spirituum eorumque creatoris, sed cur potius cum in itinere dormiret tot humanum superantia eloquium, hæc diuina contemplatur, quàm cum religiosam domum paternam incolit? inspiciamus allegorica verba citati Gregorii, in itinere dormire, inquit, est in hoc vitæ præsentis transitu à rerum temporalium amore quiescere: bene igitur visione tot cœlestium gaudet, quia quo quis se magis à rerum temporalium strepitu retrahit, eo ad superiora accedit: ita cit. Diuus Gregor. *sancta mens quo se magis à strepitu temporalis concupiscentiæ retrahit, eo verius interna cognoscit, & tanto alacrius ad intima vigilat, quanto magis se ab exteriorum inquietudine occultat, quod bene per Iacob in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem posuit, & obdormiuit & sic à terra scalam cœlo inhærentem & innixum scalæ Deum, ascendentes quoque & descendentes Angelos vidit, in itinere quippe dormire, est in hoc præsentis vitæ transitu à rerum temporalium amore quiescere, in itinere dormire est, in dierum labentium cursu, ab aspectu visibilium mentis oculos claudere, quos primis hominibus seductor aperuit.*

Cit. D. Greg.

Exempla sanctorum in corde nostro seruanda.

37. *Tulit de lapidibus, quos supponens capiti suo dormiuit*, non est dubium in sensu allegorico, nomine lapidum sanctos intelligi, cum Christus Dominus eorum caput se dicat petram, cur capiti suo huiusmodi lapides supponens secure dormit? *quia*, inquit Galfredus in alleg. Tilm. *locum vbi quiescimus inuenimus in sacra scriptura præteritorum in actiua vita vel præsentium, vbi exempla sanctorum ipsi sunt lapides, quos supponens capiti suo velut reponens in corde suo, & dormit & quiescit a secularibus negotiis faciens se alienum.*

Galfredus apud Tilma.

Deus iustorum afflictioni adest citissime.

38. *Tulit de lapidibus, quos supponens capiti suo dormiuit*, vt somnum caperet ex longo itinere fatigatus, nocte sub dio, nudo in pauimento sibi lapidibus pro ceruicali vsus, ac forte incœnatus recubuit, cur iuuenis innocens, tot grauibus opprimitur ærumnis, cum frater eius delicatis vtatur cibis, in molli requiescat lecto? ne compatiaris iuueni afflicto, Deus enim ilico ei adfuit visione sua, & Angelorum, afflictionem eius subleuans, quod optime animaduertit Procop. *Iacobo, inquit, in tristitiam coniecto quod auelleretur à parentum dulcissima consuetudine, & cogeretur in aliam proficisci regionem, opportune obuersantur Angeli inseruientes humano generi, vt cum consolentur. sic Deus semper suis qui aduersis premuntur præsto esse solet.*

Procop.

Necessitas vitæ condimentum.

39. *Tulit de lapidibus, quos supponens capiti suo dormiuit in eodem loco*, quomodo sõno potes indulgere, humi cubãs, vice puluinaris sub capite habens lapides durissimos? nõne necessitate cõpulsus requiẽ capessit? ne mireris igitur quomodo sub dio & in

sole cubans, pro ceruicali lapides substernens potuerit dormire? necessitas enim optimum vitæ condimentum est: quod prudenter annotauit S. Greg. Niss. libro de Virg. c. 21. *cum necessitate iucunditas sæpe commixta est, quoniam condimentum omne nouit indigentia, qua vehementi cibi appetitione id quod ad cibi vsum compertum est suauitate condit*, quod æquali ratione ad somnum & cibum spectat, in vtroque enim admirabilem vim habet necessitas, quæ pauperculis ac laborantibus hanc vtilitatem solet afferre, vt sapidius sua vilia comedant, & facilius ac suauius post laborem obdormiant.

S Gregor, Niss.

Vitæ conscientia pura, maxima est securitas.

40. *Tulit de lapidibus &c. & dormiuit in eodem loco*, itane Iacob in illa tam magna rerum omnium orbitate ac solitudine solus agit, vt humi recubans dulciter obdormiat? nonne ipsa nox & tenebræ in loco solitario timorem incutiunt? nonne timor ferarum oberrantium quietem adimit? nihil formidans suaues captat somnos; vitæ enim conscientia pura, etiam inter maximas solitudines reddit intrepidum: non longe abest ab hac ratione Diuus Ambr. libro de Ii. c. 3. *vir in quo est animæ pulchritudo solus sibi abundat, quia ipse sibi est satis, nec solus aliquando est cui præsul Dominus est*, nihil timeat iustus, quamuis solus videatur; Deus enim illius custos & protector.

S. Ambr.

Laudanda paupertas spiritus in his qui plurima possidere possunt.

41. *Tulit de lapidibus, quos supponens capiti suo dormiuit in eodem loco*, nonne pater eius ditissimus erat? sic enim paulo ante scriptum est, quia locupletatus est homo ille, & ibat proficiens atque succrescens donec magnus vehementer effectus est, intantum vt ipse Abimelech diceret, recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde, sed & auus eius Abraham, regum victor, nulli dubium quin diues & inclytus fuerit: quomodo igitur Iacob tot parentum diuitum filius & hæres, ita omnium egenus, vt solum ceruical non habeat, vt somni gratia caput supponat? in hoc maxime laudanda est eius spiritus paupertas, qui cum plurima possidere posset, omnibus renuntiat, *quid*, inquit Rupert. lib. 7. in Genes. cap. 21. *nisi magna & imitatione digna paupertas spiritus in hoc patre nostro Iacob spectanda nobis proponitur? in tali eius exitu cum ad accipiendam vxorem proficiscitur, fide paterna expectans quod de semine suo salus mundi & omnium gentium benedictio nasceretur.*

Rupert.

Labores pro Deo suscepti minime labores sunt.

42. *Tulit de lapidibus, quos supponens capiti suo dormiuit in eodem loco*, quis non diceret vere labores sustinere Iacobum, si lapides, si solum, si solitudo considerentur? nihilominus falleretur, nam si somnum attenderet, si visionem, si Angelos, inueniet lapides illos dulciores quouis puluinari, solum suauius quouis strato mollissimo; quod obseruauit D. Hier. Ep. 34. de consol. ad Iulianum, *Iacob ditissimi patris filius*, inquit, *solus & nudus in solo baculo pergit in Mesopotamiam, iacet lassus in itinere, & qui delicatissime à Rebecca matre fuerat educatus, lapide ad caput pro puluillo vtitur*, proloquitur sanctus, *vidit scalam à terra vsque ad cœlum & ascendentes per eam Angelos & descendentes, & desuper innitentem Dominum, vt lapsis manum porrigeret, vt ascendentes suo ad laborem prouocaret aspectu*, nil melius: expauisti lapides, considera Angelos, horruisti terreni durissima soli, attende scalam è terra iustum subleuantem, admiraris pauperiem, respice diuitiarum, cœlorumque Dominum scalæ innixum, suos ad labores ferendos animantem, ad quæ respiciens non equidem lapides illos dicas, sed quibusuis lapidibus dulciores.

S. Hieron.

Post laborem sit requies.

43. *Tulit de lapidibus &c. & dormiuit*, sed quandonam indulsit requiei? ait textus post solis occasum, cur Moyses voluit exprimere, quod priusquam dormierit, iam sol occubuerat? sine dubio vt doceret nonnisi transacto labore diurno, requiescendum esse; obseruatio est Hug. Card. *nota*, inquit, *quod dicitur cum venisset ad locum quendam voluit quiescere post solis occubitum, non in die quando laborandum est, vt faciunt voluptuosi, sed finito labore Matt. 20. cum sero factum esset dicit Dominus vineæ procuratori, voca operarios & redde illis mercedē, sic debet esse post laborē requies: sed Isai. 4. Lucifer antequam laborasset dixit, in cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti: Bern. miser quid laborasti, vt sedere debeas?*

Hugo Car. Matth. 20. Isai. 4. Bernard.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XII.

VVLG. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam.

Sep. Et somniauit, & ecce scala stabilita super terram, cuius caput pertingebat ad cœlum, & Angeli Dei ascendebant & descendebant in ea.

Cald. Et ecce scala erat defixa in terra,

Pag. Et ecce scala erecta erat super terram.

Procop. Vidit scalas è terra in cœlum vsque sursum rectas.

CONCORDIA.

מצב muzab dictio à iazab, quod stare, statuere, seu erigere significat, descendit, vnde fit quod alii vertezunt erectam, alii stantem & alii stabilitam. Procopius non vnam solum, sed plures existimauit esse scalas.

EXPOSI-

EXPOSITIO.

Viditque in somnis, cum requiesceret, *scalam stantem erectam super terram*, in terra, *& cacumen illius*, summitas extrema, *tangens cœlum*, contingere videbatur, *Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam*, beati spiritus videbantur à Iacob ascendere gradus illius scalæ, & ab eis descendere, quid autem hæc scala, nec non Angeli qui sunt in ea, significent, in conceptibus aperiemus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Diuina prouidentia tam cœlestia quàm terrestria gubernat.

44. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum*, extra controuersiam est scalam illam fuisse symbolum & signum magnæ cuiuspiam rei, cuius significandæ gratia potissimum dormienti Iacob visum illius scalæ oblatum est, sed cum multiplex illius sit significatio, ab aliqua primaria ordiamur. D. Theod. q. 82. existimat primariam illius scalæ significationem fuisse diuinæ prouidentiæ declarationem, sic enim ait, quanta sit Dei prouidentia apparitione sua confirmat, ostendit enim ei scalam ad cœlum vsque pertingentem, sed si eam exprimit, cur à terra illa scala cœlum pertingit? nonne super terram solum stare sufficiebat, vel solum cœlum tangere? minime, nam prouidentia tam cœlestia quam terrestria gubernat, atque moderatur, quod Ecclesia in quadam oratione fatetur dicens, *omnipotens sempiterne Deus qui cœlestia simul & terrena moderaris*, quod egregie explicatur in illo Sap. 8. *attingit à fine vsque ad finem*, quod exponens Diuus August. de gratia & lib. arb. ait, *id est, à cœlo vsque ad inferiores partes terræ, à maximo Angelo vsque ad minimum vermiculum.*

S. Theod. — Sap. 8. — S. August.

Diuina prouidentia à supremis ad infima.

45. *Vidit scalam stantem super terram & cacumen illius tangens cœlum*, cœlum primo tangit scala, deinde per intermedia elementa ad terram vsque descendit, sed cur primo cœlum quàm terram tangit, cum prius terram quàm cœlum deberet tangere? nam cum alicubi scala locatur, prius stabilitur super solum, vt eius summitas aliquem locum excelsum attingat: bene illa scala prouidentiæ diuinæ figura, prius cœlum quàm terram tangit, vt pote quæ à summis, ad infima veniat, quod demonstrauit Clem. Alexand. libro 6. ad verba Psal. 132. sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius, *quia diuina prouidentia inquit desuper ex iis quæ sunt principaliter tanquam ex capite peruadit ad omnia*, & D. Chrysostom. ad Psal. 45. prouidentiam comparauit flumio ab altissimo Deo tanquam à fonte impetum trahenti, *inde*, inquit, *fluuius hic profusam & inoffensam trahit bonorum suppeditationem, & cum susurro profluens implet omnia*, recte inoffensam dixit, & cum susurro profluentem, vt potenter simul & suauiter omnia penetrantem exprimeret.

Clem. Alex. lib. 6. strom. Psal. 132. — S. Chrysost. Psal. 45.

Prouidentia in infimis maxime firma.

46. *Vidit scalam super terram*, Sept. *stabilita erat super terram*, cur hoc de hac scala dicitur, quod firmitatem haberet in terra? potuit enim ab eo videri suspensa, solum non attingens: non sine mysterio stabilita conspicitur super terram, vt designaret prouidentiam in infimis, à quibus falso exulare putatur, magis esse ratam, quod satis expressit Dauid Psal. 138. imperfectum meum viderunt oculi tui, id est, non solum à natiuitate mea, sed à prima illa occultissima formatione in vtero matris, curam mei suscepisti, itaque, imperfectum meum vidisti, propter embrionem meum, cum nihil adhuc essem quàm massa quædam informis, & illud Luc. 8. 12. omnes capilli capitis vestri numerati sunt: quæ verba explicans Geometra in cat. Græcorum Patrum super Lucam ait, *accuratio diuinæ prouidentiæ quæ procedit vsque ad minima, per hoc significatur.*

Psal. 138. — Luc. 8. — Geometra.

Potentia & securitas diuinæ prouidentiæ.

47. *Vidit scalam stantem super terram*, cum non solum gradibus constet, sed etiam duo habeat latera, quibus gradus illi inhærent & firmantur? an huiusmodi latera scalæ aliquem tenent in diuina prouidentia ordinem? quidni? nam illa duo scalæ latera, duæ sunt illæ conditiones quas expressit Sapiens, scilicet attingens fortiter, disponens suauiter, inter enim hæc duo quasi prouidentiæ diuinæ latera, per accommodata cuilibet naturæ media tanquam per gradus descendit, nosque vicissim ad eum per eosdem ascendimus, vel vnum latus huius scalæ est fortitudo diuinæ prouidentiæ, est enim insuperabilis & indeclinabilis, cuius effectus non impedietur, non retardabitur, non deflectetur, nec vllomodo falletur, nec mirum, *nam si* vt inquit Boetius libro 5. de cons. Philosophica prosa tertia *cuncta prospicit Deus, neque falli vllomodo potest, euenire necesse est quod prouidentia futurum esse præuiderit, si enim res aliorsum, quàm prouisæ sunt detorqueri valent, non iam fu... firma præscientia, sed opinio potius incerta, quod ego de Deo credere nefas iudico*: alterum latus huius scalæ est inenarrabilis diuinæ prouidentiæ suauitas, quæ sic se rebus accommodat, vt nulli vim afferat, nihil contra cuiuslibet rei naturam faciat, sed ita res omnes & singulas moueat, vt poscit cuiusque rei natura: audias B. Dionysii in libro de diuin. nominibus capite 4. pulcherrimam de suauitate diuinæ prouidentiæ sententiam, *in omnibus*, inquit, *quæ subsistunt, diuina prouidentia est, nihilque non Dei prouidentia agitur, quin etiam iis qui sunt mali, benigne prouidentia vtitur ad illorum siue aliorum communem siue priuatam vtilitatem, ideoque absurdam multorum rationem non admittimus, qui aiunt oportuisse prouidentiam, inuitos etiam nos ad virtutem ducere, atqui non est diuinæ prouidentiæ violare naturam, sed est cuiusque naturæ conseruatrix, eis quæ per se mouentur & libere aguntur, arbitrio conuenienter prouidens omnibus & singulis proprie, vt omnium singulorumque natura*, ca-

Boetius. — S. Dionys.

pit, pro modo cuiusque prouidentissimas bonitates impartiens.

Præclaros heroas specialius curat Dei prouidentia.

48. *Vidit scalam stantem*, cur voluit Deus specialiter vt scala designans suam prouidentiam ab eo conspiceretur? nam si dicis, quia exul à domo paterna peregrinabatur, quia minatus ei mortem frater fuerat &c. obiiciam quod plures etiam à domibus parentum exules, similem suscepere peregrinationem, quod à fratribus appetiti eorum insidias sustinuere, nihilominus ab eis scala diuinæ prouidentiæ typus non est visa: nota Iacob fuisse hominem præclarum, maximum heroem, non inquiramus igitur cur Deus specialiter ei cum huiusmodi scala apparet, nam per hoc denotat, quod heroum & virtute præstantium singularem habeat prouidentiam: consentit Clem. Alex. lib. 6. stromat. *Deus quidem vt pastor singularum ouium curam gerit, eos vero maxime prouidendi ac visendi tenet studium, qui sunt & præclaro ingenio, & populo multum prodesse possunt, ii autem sunt qui ad regendum & docendum sunt apti, per hos enim cura prouidentiæ late eminet.*

Clem. Alex.

Genealogia Christi Domini figuratur.

49. *Vidit scalam stantem super terram, cuius cacumen cælum tangebat*, nulla alia ex re melius eruere possumus germanam alicuius visionis interpretationem, quam ex adiuncto oraculo, plerumque enim sibi respondent quæ imaginibus, & quæ verbis à Deo proponuntur, cum ergo Deus post scalæ huius visionem subiunxerit statim promissionem futuri Messiæ ex semine Iacob, benedicentur, inquit, in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ, id certe videtur in ipsa visione significare voluisse; igitur secundum aliquos interpretationem huius visionis pro incarnatione suscipiemus: sed si ita se res habet, cur scala dicitur à terra in cœlum vsque protendi, imo in ipsum Deum desinere? quia significabatur genealogia Christi Domini, quam Lucas à virgine per sponsum Ioseph, ac plurium auorum quasi gradus, vsque ad ipsum Adamum imo & Deum, prosecutus sic Abul. *ista tota scala*, inquit, *designat lineam Saluatoris nostri, diuersi gradus in ea signant diuersas personas positas in linea generationis Christi, & isti gradus incipientes à terra perueniunt vsque ad cælum, ad Dominum innixum scalæ, quia istæ generationes controuersæ, sicut eas B. Lucas enarrat, incipiunt à Maria, & Ioseph, qui ponuntur pro vna persona, licet nihil attineat Ioseph ad istam generationem, cum virgo sine virili semine conceperit, & licet fœminæ non computentur per se in linea, ponuntur ipsa & Ioseph pro vna persona, deinde peruenit contextio lineæ retrograda vsque ad Adam, deinde ad Deum, vt patet Luc. 3. capite, computatio autem genealogiæ Saluatoris posita à Matthæo nihil attinet ad istam scalam, quia illa incipit in Abraham, & perducit vsque ad virginem, nec reducit in Deum.*

Abulens.

Luc. 3.

Qui rebus omnibus temporalibus oculos claudunt, Dei prouidentiam præsentiorem experiuntur.

50. *Vidit in somnis scalam stantem super terram*, iam diximus hac scala Dei prouidentiam adumbrari: sed cur in somnis vidit, non autem vigilans, cum sic aptior esset ad videndum? in somnis autem quis videre potest? sensum moralē pro nobis elicuit Rich. Vict. de execrat. malor. l. 3. part. 1. c. 16. Iacob clausis oculis eos adumbrat, qui pietati incumbunt, hi enim rebus omnibus temporalibus oculos claudunt, eo autem tempore scalam vident, quia Dei sibi præsentiorem prouidentiam experiuntur, dum toto animi affectu & intentione spiritualibus rebus sese mancipant, audi loquentem Rich. *dum exteriorum omnium libenter obliuiscitur, animus eius, ad interiora euigilat, videtque ea quæ prius vigilans & videns videre non poterat.*

Richard. Vict.

Christi Domini incarnatio non ad causas naturales reducenda.

51. *Vidit scalam stantem super terram, cuius cacumen cælum tangebat*, non solum antea cœlum tangebat, sed etiam in Deum desinebat, sed cur genealogia Christi Domini conformiter ad scalam Deo clauditur? vt sciremus Christi Domini aduentum, non ad causas naturales, sed omnino ad æternam prædestinationem reducendum esse, ita Sophronius serm. de assumpt. qui falso tribuitur Hiero. *post salutationis obsequium, inquit, deinceps totū diuinū est*, id est, vterque, siue Angelus, siue B. Virgo qui duo maxime videri poterant opus ipsum incarnationis effecisse, vltra naturæ terminos non sunt progressi, Angelus quidem mandata exposuit, virgo obsecuta est; deinceps totum diuinum est.

Sophron.

Per incarnationem facilis aditus in cælum.

52. *Vidit scalam stantem super terram, cuius cacumen cælum tangebat*, à terra nempe transitum præbens in cœlum, extremum enim illius terram, summum autem cœlos tangebat, sed quā de causa scala Christi Domini genealogiam denotans, à cœlo in terram desinit, nisi quod per Verbi diuini incarnationem faciles ad cœlos patent aditus? vnde Chrysologus serm. 3. de Annun. Virg. *incarnationem iure, dixit commercium esse diuinitatis & carnis*, id est liberam vltro citroque commeandi & mercium vtrinque commutandi facultatem, quare idem Chrysolo. in probationem sui dicti respiciens illud, Aue gratia plena, & illud; ecce ancilla Domini, *ad virginem*, inquit, *Aligerum Deus portitorem mittit qui dat arrham, dotem suscipit, fert gratiam, refert fidem*, portitorem Angelum accommodatè in rem præsentem dicit, est enim proprie qui per apertos ac liberos portus mercibus inuehendis, ac euehendis incumbit, Deus ergo Angelum portitorem mittens, apertos deinceps vtrobique portus esse voluit in cælo, scilicet & in terra, ad familiaria colloquia.

S. Petrus Chrysol.

In incarnatione Verbum vnitum humanitati.

53. *Vidit scalam stantem super terram, cuius cacumen cælum tangebat*, cur voluit Deus quod scala cœlum tangeret, super terram stabilita? quia inquit Abulens. *per istam lineam generationis summa infimis coniuncta sunt*, scilicet deitas humanitati, vel vt honestius dicamus, Deus sibi naturam nostram assumpsit, ille ergo sic genitus vtrumque tangit, scilicet cœlum & terram, cœlum enim, quia Deus est, terram autem, quia verus homo est.

Abulens.

Christus

Christus in cruce prius occumbere voluit quàm Ecclesiam sibi desponsare.

52. *Vidit scalam stantem, &c.* per hanc D. Augustinus Serm. 79. de tempore, intelligit sanctissimam crucem, & Dominum ei innixum, pendentem Christum Dominum in ea, sed cur hæc visio scalæ prius ei contigit in itinere, quam vxorem acciperet? nota per vxorem quam accipere deberet, Ecclesiam intelligi, quo posito rectè satisfacit cit. Augustin. *quia verus Iacob Dominus noster prius in scala, id est in cruce occubuit, & postea sibi Ecclesiam sociauit, dans ei in præsenti arrham sanguinis sui, daturus dotem postmodum sui regni.*

Augustin.

Misericordia Dei & veritas in incarnatione maxime apparent.

53. *Vidit scalam stantem*, quæ lateribus duobus constat, nec non pluribus gradibus, quibus personæ quæ recensentur in genealogia Christi Domini denotantur, sed cum aliquæ ex iis fuerunt pessimæ, cur ab ea non exclusæ? indignum enim videtur, quod Christus pessimos haberet progenitores: sed quæso inspice latera scalæ, nempe misericordiam & veritatem, & dices licet complures earum personarum quæ in genealogia Christi recensentur, ob insignem eorum improbitatem atque impietatem, indignissimæ essent, vt ex ipsis Christus D. progigneretur, attamen veritas diuinæ promissionis præualuit, nec istorum hominum scelera Dei promissa mutare, aut exinanire potuerunt. Fauet Pererius disp. 4. *latera scalæ, quibus eius nititur stabilitas, & quibus inserti, fixique tenentur gradus, sunt Dei misericordia & veritas, siue fides: nam duabus hisce rebus maximè nititur diuina promissio venturi Messiæ, etenim magna Dei fuit misericordia ac benignitas, tanto seruum suum Abraham dignari voluisse, vt ex eius semine, filium suum hominem generatum iri promitteret, at veritatis & fidei ac iustitiæ diuinæ fuit: promissum hoc suum constanter tueri atque inuiolatum seruare & in tempore præstare.*

Pererius.

Primus ascensus scalæ religionis, est recessus à terra.

54. *Vidit scalam stantem super terram*, hanc mysticè interpretans D. Bernard. Serm. de verbis illis Euangelii, ecce nos reliquimus omnia, ait; esse disciplinam religiosam cuiusque ordinis Religiosorũ hominum probati in Ecclesia, quisquis enim habet certam & propriam disciplinam à fundatore eius ordinis præscriptam, quam obseruando qui in eo ordine seruiunt Deo, tanquam per scalam ascendũt perfectionem & cœlestem patriã, sed cum in quacunque scala conscendenda à primo gradu incipiẽdum est, terræ proximo, quisnam erit primus, quo incipere debet scalam religionis conscendens? aduerte quod in primo gradu scalæ qui scanditur, fit à terra recessus: dicamus igitur primum ascensum scalæ religionis, à rebus terrenis recessum esse, hoc annotauit D. Basil. in expositione primi Psalm. 1. cum ait, *declina à malo inquit scriptura & fac bonum, sapienter profectò & artificiosè, adducens nos ad virtutem, declinationem mali principium fecit bonorum, si enim statim perfecta tibi præciperet, piger esses ad conatum: nunc vero ad faciliora te assuefacit, vt postmodum ad sublimiora & difficiliora ardentior fias, equidem non dubitanter dixerim, studium pietatis assimilari scalæ illi, quam vidit Iacob, cuius infima humi erant, & vicina terræ, superna vero ad cœlum vsque porrecta: opus igitur est, vt qui virtutis ingredi viam cupiunt, primis gradibus vestigia admoueant, deinde insequentes & altiores ascendant donec ad summum fastigium paulatim, quantum humanæ fragilitati datum fuerit, euadant: quemadmodum itaque primus per scalam ascensus, est recessus à terra: sic in diuino negotio primus est profectus, à malis recessus.*

D. Basilius. Psalm. 1.

Per crucem cœlum conscendimus & saluamur.

55. *Vidit scalam stantem, cuius cacumen cœlum tangebat*, nescio qua de causa voluit Deus vt pluribus gradibus scala constans, terræ innixa, cœlum ipsum pertingat? si dicamus scalã lignum crucis denotari: accommode asseremus ideo constantem diuersis gradibus cœlum tangere, ad denotandum quod media cruce cœlum conscendemus & saluabimur; quod Sanctus Maximus Episcopus Tauri. Hom. de cruce & sepult. Domini egregie declarat, *grande crucis est Sacramentum*, inquit, *si intelligamus, per hoc signum etiam mundus ipse saluatur; nam cum à nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, in cruce Domini facta aquarum fluenta rumpuntur, & hoc dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis euadunt, figura enim sacramenti quadam est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in cruce, atque adeo confidentia de mysterio veniente homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota suscipiunt, sicut autem Ecclesia sine cruce stare non potest, ita & sine arbore nauis infirma est. statim enim diabolus inquietat, & illam ventus allidit, at vbi signum crucis erigitur, statim & Diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella sopitur.*

S. Maximus.

Ecclesia in terris degit, sed origine cœlestis est continens bonos & malos.

56. *Vidit scalam stantem super terram, cuius cacumen cœlum tangebat*, non est sensus disconueniens litteræ, vt in scala Iacob significetur vniuersalis Ecclesia, id sibi vult (vt Rupert. annotat) dilatatio illa promissa in oraculo, dilataberis ad Orientem & Occidentem, ad Septentrionem & Meridiem, quod non sensim Iacob, sed solum Ecclesiæ contigit post Christum natum, sed si huiusmodi scalã denotatur Ecclesia, cui dicitur stare super terram, & cacumine tangere cœlum, vel infima sui parte tangens solum summa ipsa sydera? aduerte, quæso cœli vacabulo, perfectos viros intelligi, sicut terræ nomine peruersos: quo posito, non sine mysterio dicitur videri à Iacob super terram stare, & tamen cœlum pertingere, sed vt ostendat Ecclesiam non solum bonos & malos continere, verum etiam in terris degere, origine tamen cœlestem esse, vnde D. August. de Dei ciuitat. capite decimo septimo, hæc verba Apocal. vigesimi primi, vidi ciuitatem sanctam Ierusalem, nouam, descendentem de cœlo à Deo, explicans ait, *de cœlo descendere ista ciuitas dicitur, quoniam cœlestis est gratia qua Deus illam fecit*; cum igitur iuxta D. Petrum gratia sit, per quam efficimur diuinæ consortes naturæ, aperte iam liquet, quomodo Ecclesia quam Dei ex gratia tanquam ex materia fecit, diuinam sibi originem sortiatur.

S. Augustin. Apocal. 21.

In via religionis & virtutis semper progrediendum est vlterius.

57. *Vidit scalam stantem*, cuius symbolo diximus vitam spiritualem, religionem intelligi, sed qua de causa huiusmodi disciplina spiritualis ascensui per gradus scalæ comparatur? non enim conferri deberet, cum, qui huiusmodi vitam suscepit constantissimus esse teneatur, qui autem ascendit de loco, mouetur in locum: nihilominus dicendum est Religionis viam recte ascensui per gradus scalæ comparari, quia sicut illic alios super gradus conscendere oportet, nec vnquam insistere, quoad perueniatur ad culmen scalæ, sic in disciplina capessenda religiose semper ad vlteriora currendum & magis in dies proficere conandum est, audi egregiam D. Bernardi. sentent. ex Epist. eius 253. ad Abbatem Guarinum Alphensem, hoc confirmantem, *nunquam vir iustus, inquit, arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit satis est, sed semper esurit sititque iustitiam, ita vt si semper viueret, semper quantum in se est iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conatetur, non enim ad annum vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum diuino se mancipat famulatui, audi verbum iusti, in æternum non obliuiscar iustificationes tuas.*

D. Bernard.

Psal. 118.

Somnia eorum qui delitiis valedixerunt, sancta sunt.

58. *Vidit scalam*, &c. quandonam? ait textus in somnis, si regulariter somnia sunt inordinata, & rerum friuolarum, quomodo somnians Iacob tam præclara, tam eximia, tantis plena mysteriis intuitus est? inspiciamus quod testimonium de eo protulerat Spiritus sanctus, nempe quod supponens capiti suo lapides pro ceruicali, somno indulgebat, omnibus sic renuntians corporeis etiam licitis delitiis: non mirum igitur est tali dignum fuisse somnio, qui enim valedicit voluptatibus, sancta & eximia somniat, *vides*, inquit Lippoman. *quod somnia sancta eorum sunt, qui corpora sua negagunt, parco victu nutriunt, ad delicias nō assuefaciunt, mollioru strata non subiiciunt, profundo somno non obruuntur.*

Lippoman.

Secundum afflictiones quibus premimur, Deus solatium præbet.

59. *Vidit scalam & in ea Angelos descendentes & ascendentes*, nec non Dominum scalæ innixum, nonne ad eius afflictionem leuandam, ad exilium à paterna domo lenendum, sufficiebat solius scalæ cœlum pertingentis visio, qua innuebatur ei, quod peregrinationem nihili faceret, cum ei regnum cœlorum futurum esset, cur etiam Angelos conspicit, imo etiam ipsum Dominum? aduerte quod aliis duabus premebatur aduersitatibus, nempe recessus à parentibus longissimi & diuturni, & odii fratris sui, merito igitur non solum ei conspicienda tribuitur scala, sed & Angeli & Deus, contemplandi obiiciuntur, vt secundum afflictionum genera quibus premebatur, solatium ei adhiberetur, *visio*, inquit Ioannes Ferus, *omnibus iusti aduersitatibus occurrens, tria eum grauabant, primo quod peregrinus in aliena terra omnibus incognitus erat, contra hoc ostenditur ei scala è terra ad cœlum vsque pertingens, quasi dicat Deus: noli ob hoc sollicitus esse, quod peregrinus es in terra, en tibi parata via ad cœlum, quid igitur tibi nocebit si nihil habeas in terra, dummodo tibi apertum sit? verè ingens consolatio, deinde iustum grauabat quod longè à parentibus abesset, contra hoc Deus seipsum ei ostendit, quasi dicat, quid obest etiam si longe à patre carnali sis, dummodo ego tibi pater sim, en adsum tibi &c. postremo vel maximè cum sollicitabat odium fratris, contra hoc vides Angelos in scala illa, quasi dicat Deus, fratrem & homines habes aduersarios, sed Angeli tibi sunt amici*, plures tecum sunt, quàm cùm fratre, quid igitur times?

Ioann. Ferus.

Maxima est Ecclesiæ firmitas.

60. *Vidit scalam stantem super terram*, Sept. ecce scala stabilita Chald. Et ecce defixa, defixam dixit, quod fortè intelligere debes visam esse scalam, infima sui parte aliquantulum in terram defossam ad firmitatem, cur in terram defoditur? nonne pro fundamento, sola superficies terræ ei sufficiebat? minimè, cum enim Ecclesia huiusmodi scalâ significetur, necesse est quod sit firmissima, imo & in terram defossa, vt illius immobilis firmitas denotetur, de qua loquens D. Chrys. Ser. de expulsione sua mirū quid dicit, ait enim, *Ecclesiam vincere nulla vis potest; Deus est Ecclesia, qui omnibus fortior est*, mira & noua ratio, quomodo enim Deus Ecclesia est; verum si velimus ad libram exigere prædictam Chrysostom. sententiam, magnificam reperiemus continere exaggerationem immobilitatis Ecclesiæ, nam Christus qui quatenus homo, est caput Ecclesię, cum sit etiam verus Deus, id profecto efficit, vt vigorem prorsus diuinum influat in totam Ecclesiam, quo aduersus omnes impiorum ictus inuicta persistat: quod melius intelligitur, si ad nostram scalam recurramus: nam Deus ipse stans in summitate, diuinam vim admotis manibus imprimens, sustentat illam ne corruat: quia vero immobilitas est maximè propria Deo: ita vt vel ea vnica differentia se quasi definierit Malach. 3. 6. ego Deus inquiens & non mutor, in luce iam manet, quare D. Chrysostom. dixerit Ecclesiam vincere nulla vis potest: Deus est Ecclesia, qui fortior omnibus est; quasi dicat, quicquid sit de cæteris in hac Ecclesia Deus est: quòd nulla vi conuelli possit.

S. Chrysost.

Malac. 3.

Licet plura sint virtutum genera, vna tamen est recta intentio.

61. *Vidit scalam stantem*, cuius quidem sunt plures gradus, *sed vnus ascensus*, inquit Zeno Veronens. Serm. octauo, de somnio Iacob, si plures gradus, cur vnicus est ascensus? Bruno in alleg. Tilm. per huiusmodi gradus, virtutum & operum bonorum concatenationem intelligit, per ascensum, rectam intentionem quæ Deum respicit, quis dubitat posse intelligi? dicamus ergo non mirum esse, si vbi plurimi gradus, vnicus est ascensus, quia licet plurima sint virtutum genera, vnica tamen est omnium recta intentio.

S. Zeno.

Pœnitentia sui sectatores in cœlum ducit.

62. *Vidit scalam cuius cacumen cœlum tangebat*, & aliquot per eam Angelos ascendentes, Petrus Blesensis de Ierosolymit. peregrinatione ascen-

Petrus Bles.

dendi, scalæ Iacob comparat pœnitentiā cum scalā, inspice quod illa scala cœlos pertingit, & Angelos eam conscendentes ad Deum perueniunt, non alienum igitur à ratione, si pœnitentia cum scala conferatur, cœlum enim pertingit, illucque amatores suos ducit, dum eorum crimina abolet, pulchre citat auctor de ea loquens ait, *hac est cœlorum scala, reconciliatio pacis, acquisitio vitæ, vitiorum abolitio*, huc spectauit etiam Bachiar. qui Epist. de recipiendis lapsis, lapsum ad pœnitentiam inhortans ait, *eia, eia quid dubitas scalam illam Iacob, vnde delapsus es, dum velis ascendere, adhuc posita, nondumque subtracta est.*

Bachiar.

Pœnitentia non solum in cœlum ducit, sed etiam aperit.

63. *Vidit scalam stantem, cuius cacumen cœlum tangebat*, an existimas superficiem cœli tetigisse? arbitror, & etiam ipsos penetrantem cœlos, ad ipsum Deum peruenisse, nonne sufficiebat, vt scala ista conspiceretur altissima, quod ipsius cœli cacumen tangeret? ad quid igitur ipsum cœlum aperiens illud penetrat? vt significaretur, quod pœnitentia per scalam denotata, non solum conscendimus, sed quod ipsa cœlum aperit, fidæ ostiariæ munere fungens. Fauet Gottfridus Abb. Serm. 2. de Natiuitat. Domini, *pœnitentia*, inquit, *more fidelis ostiariæ gerens officium, ostium paradisi peccantibus clausum, quando vult, aperit, & quos pœnitentes agnoscit, recipit intra, impœnitentes vero nec prece, nec pretio intrare permittit.*

Gotfridus.

Christus Dominus humiliat se, vt suos exaltet.

64. *Vidit scalam stantem super terram*, D. Anselm. explicans illud Luc. 3. factum est, cum baptisaretur omnis populus, arbitratur illam scalam per quam descendunt & ascendunt Angeli lapidi hæsisse, cui caput suum Iacob supposuerat, sed cur Deus voluit scalam Angelos ferentem innixam lapidi? nonne huiusmodi lapide Christū denotari diximus? non sine mysterio igitur scala plures Angelos erigens, lapidi qui est substernitur, inhæret, sed ad denotandum quod Christus Dominus qui est lapis, humiliat se, vt Angelos, nempe suos, exaltet. sic autem ait cit. auct. *lapis capiti suppositus, & velut fundamentum scalæ, factus Christus est, qui seipsum humiliauit, vt omnes suos exaltaret, qui situ fundamentum omnes portat, & per hanc scalam ascendunt qui proficiunt*, quid dignius de tanto Domino posset excogitari? ipse suis subijcitur vt eos erigat.

Luc. 3.

Cit. Auctor.

Sic Christus homines diligit, vt vniuersum Christi supplicium pro vno homine sumeret, qua voluntate pro cunctis tulit.

65. *Vidit scalam super terram*, deinde intuetur Dominum innixum scalæ, ecce tibi pro vno solo homine, nempe Iacob dormiente, excubat Dominus, cœlesti exercitu cinctus excubat, sanè scalæ innixus, hoc est crucis fulsultus brachiis, sicut explicat D. Eustac. in cat. Græc. sed cur vni soli homini tutando, cruci se ostendit suffixum? sic hominum Rex homines amabat, quod vniuersum crucis sumptum, vni homini porrigit, qua voluntate multis porrigit: huc respicit D. Zeno Serm. octauo de somnio Iacob, *vbi*, inquit, *scala proprie nomine crux vocatur, quia per ipsam Dominus Iesus Christus ministeria vniuersa conficiens Patri & Adam reportauit & iter ad cœlum omnibus se sequentibus patefecit*, expende illud patri & Adam reportauit, quippe sufficeisset, quod omnibus cœleste aperiret iter, vbi enim omnes, ibi & Adam, vbi omnes, ibi & vnus homo, sed maior fuit Christi charitas, quæ crucem ascendit, non solum pro omnibus, sed pro vno, adeo vt si solus esset homo, si solus maneret Adam, illi soli præstitit, quod præstat omnibus post illum.

D. Eustac.

D. Zeno.

Qui scit alienæ cedere iræ, maximis illustratur visionibus.

66. *Vidit scalam stantem, Angelos descendentes per eam* hæc ostensa sunt Iacobo dormienti, vt & dormiens sibi cerneret paratos cœlos, & scalas facile ascendendas & Angelos adiutores, & Deum maiora promittentem, vnde potuit dormiens tanta videre, nisi de animi lenitudine, qua loco cessit, & non dubitauit in deserto delitescere, dum frater occasionem haberet iter flectendi, ita D. Amb. lib. 2. de Iacob. cap. 10. *paratum itaque parricidium Iacob declinauit exilio voluntario, eoque facto sibi salutem quæsiuit, fratri innocentiam donauit, meritoque eum diuina vbique comitata est gratia, vt & cum dormiret, beatæ vitæ munus acquireret*, quod cœleste non acquirat ille, qui sic loco cedere nouit, vt & eius conspectu non haberet occasionem magis irascendi, frater qui talem medelam quæsiuit, fraternæ iræ, vt vel proprio commodo emeret eius lenitatem, non mirum si gloriose dormiat, & secure, vel si etiam dormiens cœlestibus fruatur, in quibus æternam possideat tranquillitatem.

D. Ambros.

Paulatim per virtutes ascendendum.

67. *Vidit scalam stantem super terram*, non est dubium quin virtutis studium, in celebri illa scala eidem Patriarchæ Iacob ostensa, per quam Angeli indesinenter ascendebant, fuisse designatum, sed si virtutis studium ea denotatur, cur tot sunt gradus in ea qui paulatim solum possunt conscendi? nonne conuenientius esset, quod solum vnicus foret, qui cito posset præteriri? minimè, nā paulatim per virtutes, vt in eis diutius exerceamur, ascendendum est, audiamus testimonium D. Chrysost. Hom. 82. in Ioann. *discamus igitur*, inquit, *& vitia nostra recensentes ea tempore corrigamus, & hoc mense vnum, alio aliud, & ita subsequenter meliores efficiamur, & sic tanquam per gradus quosdam ascendentes per scalam Iacob ad cœlum perueniamus: etenim scala illa mihi per illam visionem paulatim per virtutes ascensum significare videntur, per quam à terra in cœlum ascendere nobis licet, non gradibus sensibilibus sed morum incremento & correctione.*

D. Chrysost.

Verus obediens etiam antequam obedientiam compleat, maximas à Deo consolationes recipit.

68. *Vidit scalam stantem super terram, &c.* scalæ visionem ei ostendit, quæ cum Christi Domini Incarnationem denotaret, maximi gaudii Iacob ministra fuit, tum ipsi Iacob & semini suo largas pro-

missiones offert; deinde se futurum ei custodem, quomodo tot beneficiis à Deo cumulatur? tot visionibus illustratur? tot solatiis recreatur? dices quod patri præcipienti vt in Mesopotamiam proficisceretur, accipiendæ ibi vxoris gratia obtemperauerit, at nondum obedientiam adimpleuit, nondum enim Mesopotamiam peruenit, nondum ex genere suo duxit vxorem, nihilominus tot recreatur & perfunditur gaudiis, *verus enim obediens*, inquit Seraph. à Port. *etiam antequam obedientiam compleat, à Domino maximas consolationes recipit.*

Seraphin.

Voluntas pro opere remuneratur.

69. *Vidit scalam stantem super terram, &c.* diximus in præcedenti conceptu, ideo hac visione recreatum fuisse, & consolationibus plurimis affectum, licet nondum obedientiam adimpleuerit, sed solum adimplere inceperit, cur Deus illius complementum non expectat, vt præmium tribuat? non distulit tot consolationibus recreare, licet nondum adimpleta obedientia, quia voluntas aliquid bene operandi pro ipso opere remuneratur. Fauet cit. Auctor. *voluntatem igitur magis attendit Deus quàm opus ipsum, ideoque vbi voluntas aliquid propter Deum agere deliberauerit, Deus hanc voluntatem pro opere computat: aduerte tamen quod vt aliquid ob bonam voluntatem sit meritorium, requiritur opus intentum tempore suo exequendum.*

Cit. Auct.

Vera obedientia cœlestis est vita.

70. *Vidit scalam stantem super terram, cuius cacumen cœlum tangebat*, per hanc noster Bonauentura in lib. de Diætis salutis, tit. 4. c. 2. intelligit obedientiam, sed si eam denotat, cur Angeli per eam descendunt & ascendunt? curque cœlorum cacumen tangit? non enim necesse erat, vt quod typus erat obedientiæ, cœlum vsque pertingeret, sed audiamus cit. Seraphicum Doctorem, *quod Angeli descendant & ascendant per scalam, intelligitur quod obedientia est vita Angelica, quod tangat cœlos, innuitur quod est vita cœlestis.*

Seraph. Doct.

Neque in cœlo, neque in inferno, est pœnitentia.

71. *Vidit scalam stantem super terram*, diximus scalam pœnitentiæ fuisse symbolum, sed secundum aliquos summitas eius cœlum non penetrabat, sed solum cacumen eius tangebat: quo posito, cur solum stans vel erecta super terram visitur, non autem subtus eam vel super cœli sydera? *per hoc*, inquit Pepin. *aperte demonstratur, quod vera pœnitentia non habet locum in cœlo, cum nullus ibi doleat:* Apocal. 21. *abstergat Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum &c. item non habet locum in inferno, iuxta illud Eccle- siast. 29. quodcunque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt in inferno quo tu properas.*

Pepin.

Apocalyp. 21.

Eccles. 29.

In pœnitentia sit spes cum timore.

72. *Vidit scalam stantem*, sed cum dixerimus hac scala pœnitentiam repræsentari, quomodo cum sint illius duo latera, pœnitentiæ accommodari possunt? tria enim sunt ei nomina, confessio, contritio, & satisfactio: recte tamen in scala pœnitentiæ duo latera reperiemus, scilicet timorem & spem, quibus alii gradus, per quos conscendere debet pœnitens, scanduntur, lege Robert. Holcot. c. 10. in Sap. ver. 10. *duo latera illius scalæ sunt timor & spes, debet enim peccator timere non præsumere, de propitiatu peccatorum noli esse sine metu, debet sperare, non desperare, & sic inter Spem & timorem, quasi inter duo latera pœnitentialis scalas ascendere.*

Rob. Holc.

Angeli sunt diuinæ prouidentiæ ministri.

73. *Angelos ascendentes & descendentes per eam*, si scalâ Dei prouidentia denotatur, cur Angeli conscendentes & descendentes in ea conspiciuntur? superfluè enim in ea esse videtur Angelicus exercitus, cum Deus scalæ innitatur, imo cum ratione videntur Angeli in hac diuinæ prouidentiæ scala, beati enim spiritus huius sunt ministri & executores, quos idcirco Paul. ad Heb. 1. administratores vocat spiritus, missos in ministerium propter eos qui hereditatem capiunt salutis, de quibus ad litteram Apocal. 5. vidi agnum in medio throni, habentem cornua septem, qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram, vbi septem Spiritus ad vniuersi custodiam destinatos congruentissime vocat Ioannes Christi oculos, quoniam eos suæ generalis prouidentiæ administros habet, quod confirmat Clem. Alexand. lib. 6. Strom. *septem quidem sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes, per quos Deus omnibus hominibus prouidet, ideoque oculi Dei dicuntur in Apocalypsi*, hæc omnia comprehendit Oleast. *vigilat super nos maiestas ille diuina prouidentia oculus, mittens & remittens administratorios illos spiritus, qui nos custodiant in omnibus viis nostris.*

Hebr. 1.

Apocal. 5.

Clem. Alex.

Oleaster.

Angeli tunc magis inuigilant, cum sui laborant.

74. *Angelos ascendentes & descendentes per eam*, cur Angelorum ascendentium feruor supra Iacob profugum, ac ab itineris labore quiescentem? cur tot crebras eunt, redeuntque vias? qua de causa ita inquieti, vt nullus eorum consistat, sed omnes vel ascendant, vel descendant? quia tum maxime satagunt, ac feruet eorum custodia, cum alumnos suos laborantes, ac in angusto positos vident, quod confirmatur insigni exemplo quod habetur Act. 12. nam cum D. Petrus iussu Herodis iaceret in carcere, totaque Ecclesia solicitè pro illo oraret, eius tamen, vt videtur custos Angelus, multo solicitior, noctu intrauit carcerem, eumque solutis vinculis, & apertis ianuis, eduxit foras: ad domum vero Mariæ matris Ioannis cum veniret, ac pulsaret ianuam, puella agnita voce Petri, nuntiauit illum adesse pro foribus, at illi non credentes dixerunt, insanis, Angelus eius est: hic iure interrogans Chrysostom. ait, vnde venit illis in mentem adesse Angelum Petri? æque autem breuiter ac grauiter respondet, *à tempore*, inquit, *illud coniectabant*, quasi diceret, sciebant tempus esse persecutionis, periclitari in ea Petrum, detineri in carcere, idcirco & Angelum eius solicitum debere vagari, excubias agere, ne quid mali patiatur, à tempore illud coniectabant; non aliter in hac fuga Iacob illo præ solicitudine dormiente vigilant Angeli, ascendunt ad Deum, ac descendunt, solicite cum Deo agentes de securitate Iacob.

Act. 12.

S. Chrysost.

Angeli licet Deo adhæreant per amorem, ex charitate tamen nobis compatiuntur.

75. *Angelos ascendentes & descendentes*, si descendunt,

dunt quomodo conscendunt? si autem ascendunt, quomodo descendere dicuntur? vtrumque de eis recte verificatur, in quantum enim Deo per amorem adhærent, conscendunt; inquantum autem nostris compatiuntur miseriis, eas subleuaturi, descendere dicendi sunt, quod fatetur D. Greg. Mag. lib. quinto Moral. dicens, *Angelos ascendentes cernere est supernæ patriæ contẽplationi, vel quanto amore auctori suo semetipsos transcendendo inhæreant, vel quanta compassione charitatis infirmitatibus nostris condescendant.*

Greg. Mag.

Angeli nostra ad Deum referunt. & ad nos diuina deferunt.

76. *Angelos ascendentes & descendentes*, cur in aliquo scalæ gradu non sistitis? cur Iacob dormiente non requiescitis? descensu enim & ascensu vestro, à somno eum excitabitis, sed ne quæso eorum descensum arguamus, imo eis gratias immortales referamus, quod ascendentes deferant ad Deum preces, & vota, & necessitates mortalium, descendentes autem referant à Deo ad homines diuina consilia, & arcana eis reuelanda, & item dona & auxilia cœlestia eis præstanda: ac demum optatos lætosque petitionum & votorum effectus, quod paucioribus verbis comprehendit Card. Caiet. *in ea nempe scala continuè Angeli descendunt à nobis referendo nostra in Deum, & descendunt ad nos adferendo diuina nobis.*

Card. Caiet.

Angeli prouocantur meritis Ecclesiæ ad descensum è cœlo.

77. *Angelos ascendentes & descendentes*, nonne prior est descensus Angelorum ad homines, quam ascensus eorum ab hominibus? prius enim Angeli ad custodiam hominum venerunt, quam nostra detulerint in Deum, quomodo igitur in scala è terra in cœlum erecta prior est ascensus de terra quam descensus è cœlo? aduerte quod per hanc scalam Dei Ecclesiam intelligit Caiet. quo notato, sic difficultati satisfacit, *inchoata Ecclesia prius nostra referuntur ad Deum quam deferantur diuina ad ipsam congregationem iustorum, intelligendum enim est merita Ecclesiæ prouocare Angelos ad descendendum, & Angeli qui priusquam scala fieret, descendebant sine scala ad constituendam Ecclesiam, post eam iam constitutam, præueniunt ascendendo per scalam eos qui descendunt per eandem scalam, ideo enim prius nominantur in hoc loco ascendentes Angeli per scalam, quam descendentes per eam, nam etsi ascendentes prius descenderant, non enim nati fuerant in terris, sed venerant de cœlo, non tamen descenderant per scalam.*

Card. Caiet.

Angeli Christi Domini in carne pulchritudinem summopere cupiebant contemplari.

78. *Angelos descendentes & ascendentes per eam*, diximus illam scalam fuisse prophetiam de Christo Domino, & huius sententiæ etiam est D. Prosper. lib. de promiss. Dei part. prima cap. 25. & Ambros. lib. 2. de Iacob & vita beata, vbi ait Iacobum præuidisse Christum in terris, ad quem Angelorum caterua descendit, atque ascendit, sed cur ad Iacobum eum conspectum descendunt spiritus beati? quia ita tenebantur desiderio Christi, in carne pulchritudinẽ videre, vt nunc tunc descendant contemplaturi eam carnem Iacob, quam de Virgine matre filius Dei sibi erat assumpturus, & in qua benedicendæ erant omnes gentes, sed cur ascendunt & descendunt toties? quia nunquam ea visione humanitatis Christi satiantur, & quasi adhuc eis aliqua illius portio videnda restaret, descendunt eam adhuc visuri, quod re videtur D. August. cum ait Serm. 9. de Ascens. *descendebant frequenter ad, quod præmium eis gaudium est videre inopinatum spectaculum, ideirco descendebant nouum & inauditum illius spectaculi videndi desiderio.*

D. Augustin.

Miracula non quærenda cùm naturaliter quid fieri potest.

Angelos ascendentes & descendentes per eam, vt denotetur summa Angelorum velocitas & agilitas, cum alis nobis repræsentantur, quibus denotatur quam citissimè ad nos de cœlo descendunt, & à nobis ad Deum reuertuntur, sed Alcazar in cap. 4. Apocal. vers. 1. sect. 1. notat huiusmodi Angelos visos à Iacob, sine alis fuisse, sic enim ait, *porro Angelos ipsos, absque alis fuisse conspicere*, sed cur nunc potius considerandi sunt sine alis Angeli, quam alias? acutè satisfacit, *apposita fuit scala cui Deus adhærebat: vt Angeli ascenderent atque descenderent*, & optimè, si enim habent scalam, cuius gradibus conscendere & descendere possunt, cur requirendæ sũt alæ? cum enim humanis mediis aliquid consequi possumus, non alia diuina requirenda sunt.

Alcazar.

Vnio cœlum implet, quod vacuauit diuisio.

79. *Angelos ascendentes & descendentes per eam*, in vna cœlesti scala, simul sunt qui ascendunt & descendunt, qui ascendunt, terrẽni homines sunt Angelicis virtutibus decorati, qui descendunt Angeli sunt cœlestis patriæ ciues, sed vnde tam diuersas nationes cœleste regnum capit? sunt omnes etsi diuersi intima vnitate fundati, idem terunt iter, easdem affectiones habent, & sic de vnitate perfecta regnum cœlorum instaurant, quod antea Angelorum diuisio vacuauerat, ad rem facit D. Zeno Serm. 8. de somnio Iacob fatus, *vnde dubium non est vnum esse iter aetes culminis, Angelis lucis & hominibus iustis, hæc igitur omnia combinata vnius fructus redigantur in summam, quoniam vniuersa quamuis gemina esse noscantur, tamen vna radice fundantur*, ô vnitas omnis reparationis radix!

D. Zeno.

Locus in quo obsequium Deo præstitum, nobis confert egregia.

80. *Angelos ascendentes & descendentes per eam*, non prius descendentes Angeli, vt ascendant, sed prius dicuntur ascendentes, deinde descendentes, quasi sit talis locus ille quod ipse proferat Angelos, & præmittat in cœlum, euigilans Iacob & totus expauescens ait, quàm terribilis est locus iste, de quo Rupert. lib. 7. in Genes. c. 23. *notandum quod non ipsum Dominum, sed locum pauescit & dicit terribilem esse.* ex tanta visione hoc deducit, vt loco exhibeat reuerentiam, & in illum conferat causam tanti boni, quod emittantur Angeli, quod scala paretur cœlestis, quod Deus ipse adstet dormienti. sed vnde huic loco hæ virtutes venerunt? quid locus ille singulare habuit, propter quod ipse videatur causa tantorum bonorum esse? respondet Vatablus, *ibi hic locus erat vbi obtulerat Abraham filium suum*, & quidem quod locus tanto Abraham sacrificio illustris non miror, si Angelos parturiat, & scalam & Deum ipsum exhibeat protectorem Abrahamidum generis.

Vatablus.

Iusti sunt Angeli.

81. *Angelos ascendentes & descendentes per eam,* si Angeli sunt, non egent scala, talis enim sunt naturæ, vt velocissimè sine iuuamine externo cœlum conscendere possint, quomodo igitur, ait Moyses, Iacobum vidisse Angelos per scalam ascendentes? cur non dicemus cum Zenone, vidisse quidem Angelos non natura, sed gratia, nempe iustos? ita cit. auct. Ser. de somnio Iacob, *ascendentes sunt iusti, qui probis moribus per gradus diuinorum obseruantiæ præceptorum, quotidie spiritualis itineris gloria feruntur in cœlum.* (D. Zeno.)

Virtutum terminus Deus est.

82. *Angelos ascendentes & descendentes per eam,* per gradus scalæ conscendunt, per quos virtutes intelligi debere diximus, sed si se ita res habet, non possumus de virtute in virtutem progredi, sed aliquando sistendum in via perfectionis, cum detur vltimus gradus vltra quem non est progrediendum, sed oro quid dicat textus, videamus, vidit Dominum innixum scalæ, ne dicas igitur non sistendum in via virtutum, quamuis detur vltimus scalæ gradus, sed Deum earum esse finem & terminum: huc respexit D. Gregor. Niss. de vita Moysis, *magnus ille Moyses cum semel per scalam, in qua Deus innixus erat, vt Iacob dicit, ascendere cœpisset, nunquam stetit, nunquam terminum motus nouit, sed semper de gradu in gradum ascendebat, neque deficere vnquam potest altior gradus,* quasi diceret, licet possit dari vltimus gradus scalæ, nunquam tamen deficiet, quia illo conscenso Deum inuenimus virtutum finem. (D. Greg.)

Angeli nostra bona suas vtilitates arbitrantur.

83. *Angelos ascendentes & descendentes,* cum nihil fœlicius post possessionem obiecti beatifici, quam omnium societate beatorum Angelorum perfrui, cur huiusmodi Angeli à Iacob conspecti, reliquos beatos spiritus in cœlo relinquentes, in terram descendunt, hominem inferiorē Angelo conspecturi? diximus vt eum aliqua consolatione dignarentur, sed summe commodum præferre debent nostro solamini? audi B. Chrys. Serm. de Ascensione respondentem, *nostra bona, suas vtilitates arbitrantur.* (B. Chrysostom.)

Iusti etiam non sunt immunes ab aliqua imperfectione.

84. *Angelos ascendentes & descendentes per eam,* Bruno cit. in allegoriis Tilm. sic ait, sicut per scalam quibusdam gradibus ad altiora conscenditur, ita de virtute in virtutem proficiscentibus videbitur Deus Deorum in Sion Angeli vero qui per scalam ascendebant & descendebant sanctos viros significant, qui virtutum gradibus & bonis operibus ad cœlestia regna conscendunt, sed ô Bruno per Angelos descendentes viros iustos intelligis, qui virtutum gradibus cœlos conscendunt, quod mihi difficilimū videtur, nam iidem Angeli descendere dicuntur, qui autem de virtute in virtutem non progreditur, sed ab ea descendit, iustus minimè nuncupandus est, bene tamen dicuntur iusti etiam descendentes, quia non sunt ab aliqua immunes imperfectione, ita cit. Auct. *quod descendere dicuntur, hoc significat, quia sancti viri in hac vita sine peccato esse non possunt.* (Cit. Auct.)

Qui non laborat etiam si iustus, extraordinariam Dei gratiam requirit.

85. *Angelos quoque descendentes & ascendentes per eam,* ecce Angelorum millia obsequia, mille excubias, imo totus Deus cum omnibus Angelis suis videtur in illum solum intendere, nonne cum itineri se accingit versus Mesopotamiam, à domibus paternis egrediēs, nec eivnus socius datur? ait enim, in baculo meo, transiui Iordanem hunc; nec Angelus custos in figura visibili mittitur, cur ergo cum somno indulget dantur, super illum Angelorū millia per scalam ascendentes & descendentes? quia dormit, & sic noua & inusitata auxilia Dei requirit, vt in tuto sit, nam nihil agens sed dormiens homo, vt illæsus conseruetur, & in sanctitate se contineat, nouum Dei miraculum est, & necessaria sunt pro illo omnium cœlestium excubia, dum laborat in itinere, nec vno socio gaudet, sed solus relinquitur, qui operibus se exercet honestosque labores subit, is pro sufficienti custodia habet honestam occupationem, solus inter labores bonos, quasi inter fortissimos custodum exercitus securus viuit.

Iustus quanto magis proficit, tanto humilior.

86. *Angelos ascendentes & descendentes per eam,* si gradus scalę sunt vitæ profectus, & Angeli per eam ascendentes, sunt sectatores Angelicæ puritatis, & æmulatores societatis eorum, cur descendunt? cur vltra non progrediuntur? aduerte quod per descensum humilitas designari potest, bene ergo Angeli ascendentes, id est in virtutis via maximè proficientes dicuntur descendere, quia iustus quanto magis proficit, tanto fit humilior, nobiscum est Galfridus in allegoriis Tilm. *descendunt dum sectatores Angelicæ puritatis, quanto magis proficiunt tanto humiliores existunt.* (Galfridus.)

Christi Domini mors est præcipuum fundamentum quo iusti cœlos conscendunt.

87. *Angelos ascendentes & descendentes per eam,* si per Iacob Christus Dominus intelligitur, quomodo cum Angeli sint eo inferiores, (est enim eorū caput,) vidit eos super se ascendentes; qui autem habet supra se aliquem ascendentem, eo inferior est, aduerte quid ait D. Isidorus Hispal. *dormitio Iacob in itinere, Christi mors est in via,* quo posito dices rectè Angelorum ascendentium cœtus conspici, quia cum Iacob dormiens significet Christi mortem, mirum non est, si supra eum conspiciantur Angeli, id est iusti cœlum ascendentes, quia vt optimè cit. Alcaz. sect. 2. *Christus mortuus siue mors Christi, est præcipuum fundamentum quo nixi huiusmodi Angeli ascendunt & descendunt ex terra, nempe Ecclesia.* (Isid. hisp.; Alcazar.)

Deus etiam ipsos homines honorat.

88. *Angelos ascendentes & descendentes per eam,* cum dictum à nobis sit hos beatos spiritus esse ministros diuinæ prouidentiæ, qui nostra satagunt, nobis in necessariis inseruientes, sed cum excellentior sit natura Angelica humana, cur Deus Angelos mittit ad nobis obsequium præstandum? optima est responsio D. Chrys. Hom. 3. in Ep. ad Hebr. dicentis, *vt multum Dei erga nos honorem ostendat, si quidem constituit vt Angeli nobis superiores hoc habeant pro nobis ministerium, propter nos laborent, circa nos cursitent, & vt ita dicam nobis inseruiant.* (S. Chrysost.)

Angeli per vitam actiuam non impediuntur à contemplatiua.

89. *Angelos ascendentes & descendentes per eam,* plures

plures inter quos Alcazar arbitrantur non esse diuersos ascendentes & descendentes, sed eosdē esse qui ascendunt & descendunt: sed cur idem Angelus descendere & ascendere dicitur? S. Tho. 22. q. 181. ar. vltimo ad secundum, per illum descensum & ascensum ait significari actiones vitæ contēplatiuæ & actiuæ: sed cum angeli nunquam cessent à contemplatione diuinæ essentiæ, quomodo descendere possunt vitæ actiuæ studentes? quia per vitā contēplatiuam ab actiua non impediuntur *Angeli*, inquit cit. Angel. Doctor, *non sic à diuina visione foras exeunt, vt interna cōtemplationis gaudiis priuentur; quo fit vt in eis non separetur vita actiua à contemplatiua, sicut in nobis separatim quipe opera vitæ actiuæ impedimur à contēplatiua*, vnde optime D. Bern. ser. in dedicatione Eccl. ait, *Angelicū est istud ascendere & descendere simul, nec enim aliqua vicissitudo in eorum ascensionibus & descēsionibus est, simul & mittuntur in ministerium & assistunt vultui maiestatis, Angeli eorū* Matt. 18. *in cœlis semper vident faciem patris, sic videlicet paruulorum custodiæ deputati vt non priuati, vllomodo beatitudine sua, hinc est quod Ioannes sanctus ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem vidit non cadentem.*

Angel. doct.

S. Bernard

Matth. 18.

Concionatores non semper humilia, sed etiam sublimia vel è contra annuntiare debent.

90 *Angelos ascendentes &c.* Hugo Card. explicans scalam Iacob, ait, scala Christus per quam ascendūt in cœlum Ioann. 10. *ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur*: per Angelos autē scalā ascendentes & descendentes concionatores Christū Dominum annuntiantes intelligit: sed cur ascendere & descendere dicuntur, cum sufficeret, imo requireretur quod solum conscenderent cum in ascensu consistat persuasio, sed falleris, nam vt optime cit. Card. *prædicatores qui Angelis designantur, nunc humilia, nunc sublimia prædicant* 2. Corint. 5. *siue mente excedimus Deo, siue sobrii sumus, vobis: & Ioan.* 1. *sapientiā loquimur inter perfectos.*

Ioann. 10.

Hugo card

2. Cor. 5.
Ioann. 1.

Angeli etiam dormientibus adsunt.

91 *Angelos ascendentes & descendentes*, scio descendere vt necessitatibus nostris subueniant, scio cōscēdere vt gemitus nostros & suspiria ad Deum referāt: non ignoro per manus Angelorum ante sublime altare Dei in conspectu diuinæ maiestatis nostra deferri sacrificia &c. sed quod mihi facessit negotium est, quomodo nō potius vigilanti quā dormienti apparent? ne quæso miteris hoc ita contingere; indiciū enim est quod etiā nobis dormientibus adsunt, semper nos & vbique protegentes sic D. Aug ser. 46. ad fratres in Eremo, *ipsi sunt*, inquit, *qui pro nobis contra dæmones pugnant, & victoriam obtinent, ipsi sunt qui valde nos diligunt, nos vbique instruunt, in cunctis nos protegunt nostrum aduentum expectātes ad cælum, & sedes Paradisi per nos repleri affectant, ipsi sunt sanctissimi spiritus qui nobis dormientibus custodes adsunt.*

S. August.

Commorans inter parentes, diuinis non recreatur visionibus.

92 *Angelos ascendentes & descendentes*, scilicet vidit, imo etiam Dominum innixum scalæ, sed quibus meritis nunc diues quibus in domo paterna nō fuit? cur igitur hîc potius quā ibi diuina recreatur visione? cur potius hîc Deus ab eo inuenitur & videtur, quam cum apud patrem commorabitur licet sanctissimum? sane per hoc nobis denotatur, quod si plene diuinis consolationibus recreari volumus, parentibus valedicere, si Deum inuenire ab eis separari debemus, quod Lucas cap. 2. confirmat cum narrat virginem sanctissimam non inuenisse Christum Dominum inter cognatos & notos quod attente considerans noster Didacus Stella ait, *si Christus non inuenitur inter cognatos & notos, quid est quod plerique religiosam vitam professi, postquam parentes suos cognatos & mundum propter Deum reliquerint, cœnobiis suis relictis inter cognatos & notos in sæculo vagari conspiciuntur? si Christus non est inuētus inter cognatos & notos, qui fieri potest vt inter cognatos & notos illum reperias?*

Didacus.

De virtute in virtutem debemus progredi.

93 *Videns Iacob scalā pertingentē cœlum in ea conspexit Angelos Dei ascendentes & descendentes per eā*, miror, quomodo nullū ex his vidit in scala subsistentē, vel in ea sedentē, sed omnes vel ascendentes aut descendentes? respondet D. Ber. ep. 253. *ingis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur; nolle perficere deficere est, deinde vidit scalā Iacob, & in scala Angelos, vbi nullus residens nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere vel descendere iubebantur vniuersi, quatenus palā daretur intelligi inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inueniri.*

S. Bern.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIII.

VVLG. Et Dominum innixum scalæ dicentē sibi, ego sum Dom. Abrahā patris tui & Deus Isaac, terram in qua dormis tibi dabo & semini tuo.

Sept. Et Dominus incumbebat super eam, & dixit ego sum &c. noli timere, terra super quam dormis super eam, tibi dabo illam, & semini tuo.

Cald. Et ecce gloria Domini stabat super eā, ego sū &c. terra super quā cubas tibi dabo, eā & filiis tuis.

Pag. Et ecce Dominus stabat super eum.

Oleast. Dominus stabat iuxta eam.

CONCORDIA.

VErbum נצב iazab quod vulgatus vertit inniti, Septuaginta incumbere, proprie significat stare vel consistere vel assistere על al non solū significat super, sed etiam iuxta, addiderunt Septuaginta, noli timere.

EXPOSITIO.

ET *Dominum innixum scalæ*, quāuis cōmunis opinio sit Deū in scalæ summitate & cacumine fuisse scalā tenentē, vel ei adhærentē, Iacob cū dormiret inspicientē, vt quantā illius haberet prouidentiā denotaret, non deest tamen doctus Alcaz. in c. 4. Apoc. v. 1. le. 1. dicēs Deū non in sūma sed in ima parte scalæ esse innixū, quasi scalam teneret atque firmaret, quo Angeli ascēdere & descēdere securius possent, quod equidem nō improbo nā vt vidimus ex Oleastro על al non super, sed etiam iuxta significat, verbū autem inniti vel accūbere non cogit asserere, vt potius fuerit Deus in suprema parte scalæ quàm in infima, imo ratio videtur impellere vt potius dicatur fuisse in ima quam in suprema parte, quia confirmari solet scala, si quis imæ eius parti firmiter adhæreat, *dicentem sibi ego sum Dominus Abrahæ & Isaac*, hos duos nominat, quia promissiones illis duobus viris sanctissimis factæ fuerunt, *terram in qua dormis tibi*

dabo, terra hæc intra Palæstinam erat, porro *tibi* intelligendum est sicut sequitur: id est *semini tuo*, itaque coniunctio illa &, pro id est, ponitur, *tibi* id est & semini tuo, non enim actualiter ipse Iacob illius possessor fuit, sed eius posteri.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Solus Deus mundum gubernat.

95 ET *Dominum innixum scalæ*, cur etiam Angeli huic scalæ non innituntur? cur super eam stare non visuntur? non Angeli, sed solus Deus stat super culmen scalæ, quia sicut solus fuit qui cōdidit orbem, ita solus est qui eum regit & gubernat. *per se quippe mundum regit*, inquit D. Gregor. Mag. libro vigesimo quarto Moral. explicans illa verba cap. 34. Iob quem constituit alium super terram aut quem posuit super orbem quem fabricatus est, *quem per se condidit nec eget alieni adiutorio ad regendum, qui non eguit ad faciendum solus auctor fuit in creatione.*

S. Greg. ma. Iob. 34.

Deus omniū iudex alios condēnat, alios beatificat.

96. *Et Dominum innixum scalæ*, per quam aliqui ascendebant & descendebant, si Dominus scalæ innititur & accumbit, cur aliqui descendere videntur? aduerte quod Dominus de se loquens ipsi Iacob dormienti ait, ego sum Dominus Deus, in Hebræo est Elohim, id est iudices, adoratus est tanquam supremus iudex, & per descensum scalæ casum aliquorum per peccatum, qui iam in virtute profecerant, sed ab ea cessauerant: quo posito ne mireris quod quamuis sit Dominus scalæ innixus, non omnes descendant nec ascendant, sed aliqui sint descendentes, & alii conscendentes, quia Deus est in ea etiam tanquam supremus iudex, qui alios propter sua demerita condemnat, & hi descendere vel cadere dicuntur, & alios ex bonis operibus beatificat, qui cœlum conscendere *visi* sunt nitor testimonio Tertull. lib. 3. contra Marc. dicentis, *cum Iacob somniat scalas obfirmatas in terra ad cœlum, & Angelos alios ascendentes, alios descendentes innixum desuper Dominum temere si forte interpretabimur scalis his iter ad cœlum demonstrari, quò alii perueniant vnde alii decedant Domini constitutum est iudicium.*

Tertullian.

Infirma est doctrina, si non exemplo vitæ & operibus firmetur.

97 *Et Dominum innixum scalæ*, nempe vidit Iacob, si tam eximia contemplaris, ô Patriarcha, si Angelos conspicis, si ipsummet Deum intueris, cur à somno cui indulges, non excitaris? cur Deo aliquod obsequium non præstas, qui te tam præclara visione dignatur? consideremus quomodo Deus illi appareat, stans, non se mouens, non descendit, non ascendit per gradus scalæ, quibus virtutes denotantur: non mirum igitur si tunc aliquod obsequium Deo non præstiterit, si semper tunc dormierit, quia infirma & inanis est doctrina hominis stantis & non operantis, hominis accumbentis, & non gradus virtutum ascendentis, vnde sanctissimus ille Cheræmon pulchre se excusabat (vt habet Cassian coll. vndecima cap. 4.) cum a iunioribus illius monita & consilia peterentur, ex eo quod senex centum annorum docere non posset exemplo quæ verbis inculcaret, ait, *quid verbis præsumam conferre doctrinæ? cum imbecillitas senectutis vi rigorem pristinū relaxauit ita quoque loquendi ademit fiduciam, quomodo enim docere præsumam quod ipse non facio, aut alium in eo instruam quod me iam vel minus vel tepidius exercere cognosco.*

S. Cheræm. Ab.

Virtutum baculo innitamur.

98 *Et Dominū innixū scalæ*, si scala stabat super terrā, & cœlorū cacumen tangebat, nonne satis firma consistebat? cur igitur Deus ei innititur, vt eā firmet & stabiliat? aduerte à nobis dictū fuisse hanc scalā viam virtutum denotare: merito igitur ei Deus innititur, vt nos doceret semper virtutum baculo innitēdū esse. Fauet Bruno cit. in alleg. Tilm. *bene huic scalæ inquit innixus siue obfirmatus Dominus stare videtur, vt nos quoque doceat, quod semper virtutum baculo debemus inniti.*

Bruno.

Ex humilitate cognitio veritatis.

99 *Et Dominum innixum scalæ*, si in typo humilitatis teste Bern. ad hæc scala Iacob monstrata est, quomodo in ea Deū altissimum intuetur, ei incūbentē? humillimū enim cernere deberet; sed falleris, nā vt optime citatus Ber. in alleg. Tilm. *Domin' innixus nihil aliud innuit nisi quod in culmine humilitatis cognitio cōstituitur veritatis, Dominus quippe de summitate scalæ prospiciebat super filios hominum tanquam veritas cuius oculi sicut fallere nolunt, ita falli non possunt.*

Bernard.

Sic Deus totus ita iusto incumbit, ac si alia omnia non curaret.

100 *Et Dominum innixum scalæ*, Septuag. Dominus incumbebat. quomodo ita Iacob dormientē consideras, vt quasi totus in eum videndum incumbis? scalæ enim innixus & demissus nihil aliud conspicere videris, ita se res habet, quia apud Deum tanti pretij est iustus, vt in eum totus incumbat, ac si alia omnia non curaret: quod admiratur Bern. ser. 68. considerans sponsæ gloriationē illam cant. 2. *dilectus meus mihi & ego illi, quid sibi vult* (inquit) *ista tam dispar comparatio, aut illa in immensum gloriatur, aut is in immensum amat quam admirabile est quod illius intentionem ista sibi quasi propriam vendicans, dilectus meus mihi, itane huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio vniuersitatis incumbit & cura sæculorum ad sola transfertur negocia, imo otia amoris? ita plane, ipsa est enim Ecclesia electorum de quibus Apostolus omnia inquit propter electos, ergo prouidentiam cæteris creaturis non negamus, curam Dei sola sponsa vendicat sibi*, cum ergo Iacob speciali nomine electus à Deo ac dilectus esset, vere sibi diuinæ prouidentiæ intentos vendicet oculos.

S. Bernar.

Cœleste brauium ob oculos positum, viam virtutis asperam reddit facilem.

101. *Dominum innixum scalæ*, nullo labore Angeli scalam conscendunt, quomodo tanta facilitate altissimæ scalæ, quæ à terra cœlum pertingit, gradus ascendunt? obserua tum plures dictum à nobis per huiusmodi scalam, virtutum viam intelligi, tum paraphrasim Chaldæam esse, & ecce gloria Domini stabat super eum, quid mirum igitur ita altissimæ scalæ & culmen ipsius cœli contingentis facillime gradus conscendere? qui enim gloriam & cœleste brauium ob oculos positum habet, viam virtutis asperam facillimam reperit. Fauet D. Chrysostomus oratione de illo: diligamus

S. Chrysost.

per [illegible] [illegible], ait enim, quemadmodum Reges in equorū cursu & certamine, in ipso agone coronas, vestes, cæteraque munera ante certantium oculos ponunt, sic & Dominus in medio stadio præmia locauit, scilicet vt quæ sunt difficillima spe præmij possidendi fiant leuia.

Deus ita auide petitiones nostras audit vt in ostio cœlorum stet ad illas excipiendas.

103 *Dominum innixum scalæ*, siue vt habent Septuaginta, *incumbebat*, cur in throno suo non residet, expectans pios Angelos quos vt ministros suæ prouidentiæ misit, piorum & aliorū petitiones delaturos? indignum est enim vt Rex è solio suo egrediatur, vsque ad ianuam palatij, expectās quid sibi ministri sui velint communicare, & quæ negotia absoluere, nō ergo Rex Regū potentissime scalæ incumbas Angelos tuos expectans, ne Deum accuses, imo maximis laudibus extollas, quod ita auide petitiones audiat vt extra maiestatis solium exire videatur, vt eas ab Angelis delatas citius accipiat, ita Oleast. *Dominus stat super scalā vt cōsideres, qua auiditate nostras res audiat, qui ad ostium accedit ad nuntios suscipiendos.*

Oleast.

Sine Dei gratia in cœlum tendere non possumus.

104 *Et Dominū innixum scalæ*, quasi manibus suis eā tenens, & firmās, nōne Angeli gradus scalæ possent cōscendere, quamuis scalæ innixus non accuberes? minime, nā in cœlū ad Deū tendere non possumus nisi speciali eius adiuti auxilio, fauet cit. Oleast. *Dom. stat super scalam vt ostenderet neminem ad eum ire posse, nisi ille tenuerit viam eius scalamque sustentauerit.*

Amori cedit maiestas.

105 *Et Dom. innixum scalæ*, vidimus in expositione litteræ, quod secundū Alcazarum, Dom. non erat in summitate scalæ, sed potius in infima illius parte, eā manu tenens, vt firmiorem redderet, sicque securius Angeli per eā ascendentes, securius progrederētur; sed quæso nōne prorsus regia maiestate indignū esset humeris suis vel manibus, scala firmare, vt aulici sui eā conscenderent? quomodo igitur Dominus dicendus est tenere manibus scalā, vt per eam ascendat Angeli? nonne in signū eximij amoris erga Iacob eū hac visione dignatus est? quid mirū igitur si scalam quā creaturæ suæ cōscendunt, manibus ipse teneat? quia amori cedit maiestas, quod confirmat D. Hier. cum obseruat quod Salomon se Regis filiū nominat in h. Prou. 1. ait enim, parabolæ Salomonis filij Dauid Regis Isr. & in Eccl. 1. verba Ecclesiast. filij Dauid Regis Hierus. in Cantico autem canticorū, vbi amātis personā induit nomē filij Regis non assumit, nā solum est canticū canticorum Salomonis, quod obseruans inquam Hier. in Eccl. ait *nescit se esse Regem*, quasi diceret cum induit personam amantis, exuit se persona Regiæ maiestatis.

Prouer. 1.
Eccl. 1.
Cant. 1.
Hierem.

Virtutis via nullo temporū termino circūscribitur

106 *Et Dom. innixum scalæ*, si hac scalā virtutū via describitur, in virtute autē videatur esse terminus vltra quem progredi non valeamus, quomodo huiusmodi scala nullo alio clauditur nisi Deo ei incūbente? quia illud vel maxime in exercitationis via animaduertendū, vt nec tēporum, nec operum termino circūscribatur, cum scala per gradus à terra in cœlū, subrecta, nonnisi in Deo consistat, qui omnino infinitus ac sempiternus est, *vera enim virtus inquit*, D. Ber. *finē nescit, tēpore non clauditur, vnde est illud: charitas nunquā excidit & item [illegible] [illegible] [illegible] in finem, & timor Domini sanctus permanet in sæculū sæculi, nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit satis est, sed semper esurit, sitit [illegible], ita vt si semper viueret, semper quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur.*

Deus Verbum ita incarnationem suam expectabat, vt non poterat se continere.

107 *Et Dominū innixū scalæ*, vel vt habent Septuag. super eā incūbebat, D. Aug. ait *somniū hominis nō scriberetur, nisi magnum in illo aliquod figuraretur mysteriū*, prædictum autē in illa scala maximū Incarnationis mysterium, nam inferior pars scalæ quæ terræ hærebat superna vero cœlum tangens præfigurabat duas Christi D. naturas diuinam & humanam. Angeli ascendentes per scalam erant ij, qui ferebant ad Deum ardentissima desideria Prophetarum, super aduentu Messiæ in terris, descendebant vero Angeli deferentes ad sanctos homines diuina oracula de tempore aduentus illius, sed cur Dominus innititur scalæ? vel vt explicat Abul. cur Dominus cubat super eam? scio illum respondere, quia super humanitatem diuinitas se inclinauit, sed vt satisfaciamus, aduerte illum Iacob, cui facta est scalæ visio fuisse Christi Domini progenitorem secundum carnem, cur non igitur dicemus, ideo Deum scalæ innixum, quasi immotis oculis Iacobum conspicientem, vt denotaret quanto desiderio in incarnationem suam ferebatur, cū scalæ accumbat, è solio suo exeat intuiturus, à quo carnem humanam sumere deberet.

S. Aug. serm. 4. de verb. Dom.

Genes. 49.

Summa Dei bonitas in trahendis etiam dormientibus & indignis.

108 *Ego sum Deus Abrahā &c.* in vtrimque aurem dormienti Iacob hæc verba, scalæ inni[illegible] dixit Deus; si sepultus est somno Iacob, cur dignatus sibū alloqui? cur illi tuā pollicetur gratiā? quia tāta est Dei bonitas, vt etiā somno sepultis adsit, imo & indignos attrahat. vnde dicebat Petrus Cellēs. Abb. lib. 7. epis. ep. 17. *Iacobi oculus sursum palpebras erexit & videt Dominū innixū scalæ vocātē & expectātē male soporatū*; non iam Deus solos vigilātes respicit, dormit homo, alto peccatorū sopore grauatur nec dedignatur De[us] cum dormiente miscere colloquia.

Petrus Celleus.

Vt solus perfectus fauore à Deo cumulatur, sic imperfectus Dei virgam sentit, vt ad perfectionem perueniat.

109. *Ego sū Deus Abr. &c.* quibus verbis illud notādū venit, nimirū quod respectu Abr. dicatur esse Dñs & Deus, verū respectu Isaac solus dicatur Deus, nec non animaduertēdū est, quod in Dño quædā seueritas virgæ exprimitur in Deo autem sit cōmoda suauitas & beneficētia quo posito cur qui Isaaco solū se præbuit Deū gratiosū & suauē, Abr. Deū se præbuit & simul Dñm rigorosū & seuerū? Abr. non sēper sāct[us] imo in vr Caldæorum natus & educatus inter idololatras & peccatores egit is dum adhuc imperfectus erat Deum, seuerissimum experitur, dum iubetur à patria egredi, cognationem dimittere, nec non diu super terram peregrinari. Isaac vero à parentib[us] sanctissimis natus, & pie & sancte educatus, Deum sibi omni gratiarum genere affluentem inuenit, nullaque castigatione regebat, vt proficeret in melius; accipe Phil. lib. de somniis loquentem *caue autē putes temere dici hic Abraham Dominum Deumque, Isaaci vero Deum tantummodo, ille enim omissa externa barbaraque lingua Caldæorum vertit se ad cultum creatoris re-*

Hebr. Phil.

rum omnium, cuius nodi hominis, duarum potentiarū opus est auxilio dominantis & beneficæ, vt & imperio legibusque Domini sit obediens, validéque adiuuetur eius beneficentia, alter vero sola indiget gratia, nec enim castigatione proficit in melius innatam virtutem habens.

A

Solus Deus habet bona quæ largiatur in promptu & facili negotio.

110 *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui & Deus Isaac*, quamuis in præcedenti conceptu inquisiuimus, cur respectu Abrahā se Dominū & Deum, respectu autē Isaac solum Deū se nominat, non importunum censeas, si iterū hoc moueamus dubiū, cur non vtriusque dicitur Dominus & Deus? vel vtriusque solum Deus appellatur? rationem reddit Philo lib. de somniis dicens, *caue autem putes temere dici hic Abrahami Dominum Deum, Isaac vero Deū tantummodo, nam hic figura est facile ingenio partæ absque præceptoris opera scientia, Abraham autem ex præceptoribus cognitæ.* Abraham qui longo cursu & magistrorum ferulis addiscentem significabat, Dominū expertus est, at Isaac cui omnia erant in promptu & sine scholarū labore sine ferula sine præceptorū opera & vigiliis, facili negocio scientiam pertingebat, is non Dominū sed Deū solūmodo experiebatur, quippe solius Dei natura & perfectio in promptu habet quicquid tibi opus est.

Cit. Philo.

B

Deus in aliqua afflictione constitutos consolatur.

111. *Ego sum Deus Abrahā patris tui, & Deus Isaac*, addūt Septuaginta, noli timere, cur potius hac in occasione tales Deus cum Iacob cōserit sermones? nōne sciebat Iacob creatorē cœli & terræ esse Deum Patris sui Abr. & Isaac? adde quod tunc non exiguo premebatur dolore, cum propter odium fratris sciebat se esse exulem, quid mirum igitur si tūc Deus cum suo dignatur colloquio, si ei blanditur, nā in aliqua anxietate positos consolatur, *quia videbat* (inquit Chrys.) *iuxta consilium matris propter timorē fratris suscepturum peregrinationem, & quasi erronem quēdam viam facere, nullamque habere consolationem villo ex loco, sed totum in supernum auxilium proiectum, statim in ipso initio volens confirmare alacritatem eius dicit, ego sum Dominus Deus Abraham &c. ego Patriarcham & patrem tuum in tantam gloriam prouehere feci: ne igitur timeas sed crede quod ego quoque implebo illas suas promissiones, & te mea cura & prouidentia dignabor.*

S. Chrysost.

Qui bonorum terrestrium immemor eximia à Deo consequitur.

112 *Ego sum Dominus Deus, terram, in qua dormis tibi dabo & semini tuo*, ecce terram in qua dormit se daturum ei pollicetur: quasi ideo donet, quia dormit, estne in somno meritū aliquod, quod Deum pertrahat, & ob quod ditionem regionis illius Iacob & filiis largiatur? est sane, inquit Chrys. in hoc mystico somno, Iacobus enim plurimorū futurus hæres bonorū, nullam tamē rerū tēporalium curam egit, sed humi cubabat, præceptis diuinis & paternis tantū obedire intētus, vnde meruit illius regionis imperiū, audiamus S. Chr. *vide pueri robur, lapide propuluinari vsus est, igitur quoniā bene moratam animā habebat, & in seculi ipsi itum ab omni vanitate liberū, admirabilem visionē illam meruit, hoc enim more agit Dominus noster, quando viderit animam præsentia non magni facientem plurimam sibi illius curam declarat, vide igitur iustū illum super solo cubantem, & visionem habentem, imo visione Dei dignum videri.*

Chrysost.

F

Vult Deus vt promissionibus suis fidē adhibeamus.

113 *Ego sum Dominus Deus Abrahā &c.* deinde subiungit *terram in qua dormis, tibi dabo & semini tuo*, cur vt terrā in qua somno indulgebat, polliceretur, præmisit se esse Deū? certum est nullū aliū posse eum possessorē terræ Canaā reddere nisi Deū, merito tamē præmisit se Deū esse, cum talia promittit, vt promissionibus suis fides adhiberetur, consentit Abul. *Deus repromissiones faciēs, declarat se quis sit, vt ei credi debeat.*

Abul.

Pater est in filiis.

114 *Ego sum Dominus Deus Abraham*, illico addit *terram in qua dormis, tibi dabo & semini tuo*, si in ea fuit sēper Iacob peregrinus, nec illius fuit possessor, quomodo promittit Deus se illi eā daturū? dices quod semen vel posteri Iacob illius possessores fuere, sed quāuis ita se res habeat, debebat ergo solum dicere, dabo semini tuo terram in qua dormis, recte additur *& tibi dabo* quia licet soli posteri illius fuere possessores, ipse tamen, vt sicut pater in filiis viuens, dicendus est eam habuisse, sic Alphons. Tost. *ista terra non fuit data Iacob in possessionem, sed in ea fuit peregrinus, sed dicitur ei data quia data fuit sibi, non in se sed in semine suo, quia pater est aliquomodo in filiis, & saluat se in eis, & propter hoc est tantū desiderium naturaliter generandi, illo ergo modo quo pater manet in filiis, eorum bonum vel malum recipere dicitur.*

Tost.

C

Christus Dom. etiā crucifixus afflictorū solatiū.

115 *Ego sum Dominus Deus Abrahā*, quis est ille Dominus qui loquitur? sine dubio ille qui scalæ incumbebat, quis autē est ille qui scalæ innititur? audiamus Eustat. in cat. græca dicentem, *dormiens Iacob primo vidit in spiritu corporeā Christi speciem, quæ pateret oculis, & loco circūscribe etur; secundo crucem illi trophæū scala pr. assignauit cui superfusus fuit & affixus ad se cuncta Dominus trahens.* Sed si diximus Deum in scala apparere vt Iacob fugitiuū solaretur, quomodo si sit Christus in cruce pendēs, ab afflictione eū leuare potest? cū potius maximo premamur cruciatu cū Chr. morientē in cruce cernimus, sed audi satisfacientē. Ber. ser. 4 de Ascent. Christi, *miseriæ mundi illi deliciæ sunt.*

Eustat.

D

Bernardus

Incarnatio nō cōfundit diuinitatē in humanitate.

116 *Ego sum Dom. Deus*, nōne per Dominū innixum scalæ, quæ terræ inhærebat, intelleximus verbū vnitū humanitati, terra eam designante, scala autem incarnationē; sed si vniūtur, quomodo vtrūq; extremū ita distinctū vt sine cōfusione cōspiciatur, nēpe Deus, quia Iacob loquebatur, & terra signās humanitatē? quia licet maxima vnione verbū & natura humana coniungatur, humanitas tamen diuinitatis maiestatē nec cōfundit nec extenuat, vel cōtra. Sic subscribit Euse. Em. ho. 2. de natal. *verbū caro factū venit in mūdum, non deposita, sed seposita maiestate; ita est pro salute nostra misericors humiliata maiestas, vt tūc nō amitteret dignatio dignitatē, assumpta est humanitas, nō abrūpta diuinitas, ad nos quidē per matrem venit, sed tamē cū patre regnauit, & quid mirū? lux ipsa quælibet infundatur terris, ordine tamen suo nihilominus fulget in cœlis.*

E

Eufeb. Emiss.

Virtutes aliorum imitemur & eorum benedictionis participes erimus.

117 *Ego sum Dom. Deus Abrahā & Deus Isaac*, cur in mediū adducit Iacob, duos illos Patriarchas, auū & patrē? nā sufficeret dicere, ergo sum creator cœli & terræ, illis duobus innominatis: aduerte virtuti hos duos maxime studuisse, & promis. nec non benedictionū Dei participes fuisse, recte igitur ante oculos benedictionis

Iacobi proponūtur Abr. & Iacob vt ei significaretur quod si virtutes, patrum suorum imitaretur, eorum benedictionis & bonorum fieret particeps, hæc verba enim ego sum Dominus quandā habent emphasim, nam ipsis eum admonet vt & ipse discat fidē & exēpla Patrū imitari, quasi diceret, ego sum qui tāta præstiti patribus tuis, imitare eos, & ero etiā tuᵘ Deus.

Ex meritis parentum filiis plura à Deo tribuuntur.

118 *Ego sum Dominus, terram in qua dormis dabo tibi & semini tuo*, si nondum est semen illius, cur illi polliceris terram Palestinæ? cūr cū nullius meriti sit, cum nondū existat in rerum natura, terram abundantē te daturū ei promittis? pollicetur nō propter sua merita, sed patris nēpe Isaac, cuius intuitu dicit terrā Chanaan daturū semini suo, mecum est Abul. *dicitur dari patri & filiis, quia licet non sit datum patri, tamen datum meritis patris.* Abulens.

Bona mundi contemnentibus concedit Deus possessionem eorum.

119 *Ego sum Dominus, terrā in qua dormis tibi dabo & semini eius*, erat Bethel in terra Chanaā, quæ postea data est à Deo in possessionē filiis Israel, Iosue 1. sed cur eā nunc cū à terra egreditur, ei pollicetur? quoniā patriā suam relinquens & contemnens paternas possessiones, ita properabat alacer, ac si non amplius sibi in eas remigrandū esset, ideo Dominus ad eū dixit, terrā in qua dormis tibi dabo, videlicet hoc vnū expectat Deᵘˢ, vt bona mūdi pœnitus cōtēnātur, tūc enim perfectū in eodē nobis cōcedit dominiū, nā vt recte notauit D. Chry. ho. 25. in ep. ad Heb. *Deus propterea cupidis bona temporalia sæpe negat, ne cupiditatis vinculis alligati ipsis amplius bonis tēporalibus irretiātur solue teipsū inquit primo seruitute & tūc accipe, ne scilicet sicut seruus accipias, sed sicut Dominus*, ille ergo verè Dominus est temporaliū rerū, qui eas vere contēpsit. S. Chrysost.

Quem benefactorem reueremur iudicē timeamus.

120 *Ego sum Dominus Deus Abrahā*, in Hebræo est Iehoua Elohe, si Iehoua est nomē denotans liberalitatem, & Elohim iustitiā & seueritatē, quomodo Deus alloquens & cōsolans Iacob, se non solū Iehoua sed & Elohim dicit? hoc enim secundū silentio premere deberet, ne eū terrore nimio cōmoueret, vtrūque tamen coniunxit, vt sciret Iacob quod quē benefactorē reuereri teneretur, iudicē timere deberet: nō alienus est ab hac mente Card. Caiet. dicens, *manifestat Deus stans supra scalam in cœlis seipsum esse Deum, qui dat esse omnibus & qui specialiter cultus adoratusque summus iudex, tum ab Isaac tum ab Abraham, vt ipse Iacob confidat in ipso Deo*, adde & ipsum timeat. Card. Caiet.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIV.

VVLG. Eritque semē tuum quasi puluis terræ, dilataberis ad Occidentē & Orientē, & Septentrionem & Meridiem, & benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ.

Sept. Et erit semē tuū sicut arena maris, & dilatabitur super mare & Africum, & Aquilonem, & ad Orientem &c.

Cald. Et erunt filij tui multi quasi puluis terræ, & præualebis ad Occidentem, & benedicentur propter te omnes cognationes terræ, & propter filios tuos.

Pag. Et erit semen tuū sicut puluis terræ, & multiplicaberis.

Oleast. Multiplicabis te, spargès te ad Occidentem.

Caiet. Et crescet ad Occidentem.

CONCORDIA.

VErbum פרץ paraz licet alias plures significationes retineat, tamē multiplicare, crescere, dilatare denotat, hebraice est ימה iamma, quod verterunt Septuaginta ad mare, quia sinus Iudaicus in occasum spectat, id quod non latebat interpretem, atque eo certe modo melius explicuit veritatem, vertens ad Occidentem, etiam & de Oriente habetur Mentio, & de meridie & de Septentrione.

EXPOSITIO.

ET *erit semen tuum sicut puluis terræ*, id est sicut præ numero puluis numerari non potest, sic nec posteri tui præ multitudine, *dilataberis ad orientem &c.* versus enim quatuor plagas terræ promissionis propagata est illius posteritas, *benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ*, in te quasi in origine & in parente, sed in semine tuo nempe per Christum ex te nasciturū proxime & immediate benedicētur, id est iustitia, gratia & salute donabūtur *cūctæ tribus terræ*, quæ Christum recipient, illi credent & obedent.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Adeo certa est diuina promissio vt res à Deo promissæ quasi iam possessæ censeantur.

120 ERis *semen tuū sicut puluis terræ, dilataberis ad orientē* &c. ad hæc autē expergefactus gratitudine plenus, gratias Deo referens, erigit lapidem in titulum, & votum vouit Deo dicens, si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad vescēdum & vestimentū ad induēdū, erit mihi Dominus in Deum: valde miratur Chrysost. quod sanctus Iacob, vbi tantarū rerū promissiones accepit, nihil illarū meminerit, imo quasi immemor regnorū, populorū, & tam eximiæ benedictionis, solius panis, vini, & vestimēti mentionē fecerit, & ea solū petierit, cur non potius vt sancta & firma habeat ingentiū gloriarum data promissa, pro assequenda eorum adimpletione, votum non emittit? quia vir sanctus quas glorias in promissione accepit, adeo æstimat illas vt iā possessas & habitas, vt magis pro acceptis illis vota facere quam petitiones curet instituere, sic obseruat D. Chr. ho. 45. in Gen. *iam fidei oculis nō multo post futurā prauidēs abundantiam suā, declarabat gratitudinem, & qui nihil adhuc acceperat, vouet digniorem fide æstimans promissionem Domini quàm rerum possessionē, neque enim ita fidere debemus his quæ in manibus habemus & videmus, vt promissionibus Dei, etiam si non eueniant statim primo tempore.* sic æstimant sancti viri promissiones diuinas. D. Chrysost.

Iustorum virtutes exercet Deus.

121 *Erit semen tuum sicut puluis terræ*,&c. si tot egregia Iacob polliceris, cur statim ea non adimples, vel saltē post exiguū tēpus? vel nō tot promitte & ea adimples, neū diu differētē promissa ne accuses, nō enim ea differt adimplere, nisi vt virtus sanctorū in eorū adimpletione exequēda exerceretur, fauet cit. chrys. *vide quomodo iam, omnia ei quæ post longum tempus euentura erant, prædicit, hic enim mos est omnium Domino & opifici atque hoc de omnibus iustis dici inuenies vt polliceatur quidem, non autem continuè promissiones impleat, sed exerceat iustorum obedientiam & patientiam atque sic adimpleat promissa.*

D. Chrysost.

Deus nescit pauca largiri.

122 *Erit semen tuum sicut puluis terræ, dilataberis ad orientem &c.* nonne sufficiebat homini egeno terram in qua dormiebat se daturum polliceri? cur nunc dicit se nō solum in oriente vel occidente, sed etiam in septentrione & meridie eum, & semen suum sicut puluerem terræ multiplicaturum? quia Deus cum sit liberalissimus, nescit pauca largiri, *ne putaret Iacob* (inquit Abul.) *quod solum danda erat sibi terra in qua dormiebat quæ satis angusta erat, subiungit dominus, quasi dicat non solum tibi dabo terram istam, sed te dilatabo ad occidentis positionem &c.*

Abulens.

Promissis non minis ad Dei cultum alliciendi sunt mortales.

123 *Erit semen tuum sicut puluis terræ, dilataberis ad orientem &c.* cur hæc omnia promisit, cum se dominum & Deum dicit? vt innueret non minis sed promissis alliciendos homines esse ad cultum Dei amplectendum, *admonet*, (inquit Oleast.) *locus iste homines ad fidem & cultum vnius Dei fore promissis alliciendos.*

Oleast.

Deus inter alia bona sit nostra hæreditas.

124 *Erit semen tuum sicut puluis terræ*, dixerat antea terram in qua dormis, tibi dabo, non solum hæc protulerat, sed præmiserat, se Deum & Dominum esse, cur cum tot bona pollicetur, & eorum possessorem prædicit, se Deum esse præmisit? non sine mysterio, sed vt significaret ipsum inter alia bona, nostram hæreditatem esse, *disce* (inquit cit. Oleast.) *Deum velle homines iure hæreditario inter alia paterna bona ipsum in hæreditatem habere, ideo dicit ego sum Dominus Deus Abraham & Isaac.*

Promissio de Messia, omnium maxime necessaria est.

125 *Benedicentur in te cunctæ tribus terræ*, Messias, inquit Caietanus, hic promittitur, ex progenie Iacob, sed cur toties idem pollicetur, nempe 1. parenti, Abrahamo, & Isaac promisit, cur quarto eandem promissionem reiterat? quia inter Dei promissiones hæc de Christo Domino generi humano maxime necessaria est, ita noster Ferus *hæc promissio ad Christum pertinet huius promissionis nunquam obliuiscitur, quia omnium maxime necessaria est, ideo eam nunc quarto renouat.*

Noster Ferus.

Propagatio Ecclesiæ ad omnes mundi plagas prædicitur.

126 *Benedicentur, dilataberis ad orientem, occidentem* &c. si de terra Iacobæis promissa hoc intelligēdum venit, nequaquam vniuersaliter de toto orbe, sed de sola terra promissionis accipiendum est, nam nec tota ipsa terra promissa Numer. 34. possessa est vnquam à Iudæis, cum igitur sit tam absoluta promissio dilatationis in Orientem, Occidentem, Septentrionem & Meridiem, necessario dicendum est continere mysterium. Sed quod mysterium potest habere? sine dubio propagationis Ecclesiæ per totū orbem ad ipsas quatuor cœli plagas, quam propagationem Ecclesiæ suæ Dominus etiam figurauit, auct. August. tract. 118. in Ioann. in discussione vestis suæ in quatuor partes quadripartitæ inquit autē *vestis Domini Iesu quadripartitam eius figurauit Ecclesiam, toto scilicet quæ quatuor partibus constat terrarum orbe diffusam, & omnibus eisdem partibus æqualiter id est concorditer distributam.*

Num. 34.

S. August.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Et ero custos tuus, quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam nisi compleuero vniuersa quæ dixi.

Sep. Et ecce ego sum tecum, custodiens te in omni via quacumque ibis, & reducam te in terram hanc, quia non te derelinquam, donec faciam omnia quæ locutus sum tibi,

Cald. Et ecce verbum meum in adiutorium tuum erit, &c.

Pag. Et ecce sum tecum, & custodiam te in omnibus ad quæ perges.

CONCORDIA.

NEscio cur noster Vulgatus hæc verba quæ sunt in Hebræo, *ecce ego tecum*, omisit, dicere enim aliquid amplius videntur quam custodiam, quæ à Deo promittitur, nisi quod includi in illis ero custos tuus asserat, qui enim alterius custos est, cum eo esse videtur.

EXPOSITIO.

ET *ero custos tuus*, timore enim correptus hoc iter aggressus fuerat, imo non adhuc deposuerat, & ideo pollicetur Deus se suæ custodiæ inuigilaturum, *& reducam te in terram hanc*, non solum te custodiam in via, imo te saluum & incolumem restituam, & reducam, *nec dimittam te nisi compleuero vni-*

uersa, quæ dixi. hic nisi ponitur negatiue non includens aliquam affirmationem, scilicet quod non dimitteret eum vsquequo compleuerit omnia quæ promiserat ei, sed non dicit quod postea dimitteret vel semper custodiret.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus à nimio timore iustos subleuat.

127 ERo *custos tuus quocũque perrexeris*, si Angelis tuis præcepisti, vt nos custodiãt in omnibus viis nostris, cur specialem te futurum Iacob custodem polliceris? & cur potius hac in viã quam in domo paterna, cum non exiguæ tentationes in eã subortæ fuerint? aduerte tunc maximo timore perculsum, cum solus iter faceret, merito igitur tunc Deus se futurum ei custodem pollicetur, quia a nimio timore iustos subleuat, sensus est Abul. *te ab aduersitatibus itinerum & locorum protegam, hoc fuit ad magnam consolationẽ Iacob, quia valde timebat pericula illius itineris, & propter hoc non audebat declinare ad loca habitata, sed manebat in agris.*

Abulens.

Deo præsente difficillima, facilia sunt.

128. *Ero custos tuus quocumque perrexeris*, in Hebræo est, & ecce ego tecum, cur cum eo te esse asseris specialiter, cum à nullo absens censearis? & quamuis illi sis præsens, nonne iter inceptum perficere nonne labores qui ei in via contigerant, tolerare debet? exilium à domo paterna ferre? in quam ergo cedet vtilitatem tua præsentia? in maximam sane, nam ex ea quæ ei difficillima forent, leuissima futura sunt, *ne putes*, inquit D. Chrysost. *quod solus iter facias, me habebis itineris comitem, me habebis custodem in omni via, omnia tibi difficilia facilia reddentem.*

S. Chrysost.

Deus præsens adest iustis, vt eos custodiat.

129 *Ero custos tuus*, in Hebræo hæc verba præcedunt, & ecce ego tecum, nulla in hac promissione speciali gratia Iacobum dignaris; omnibus enim creaturis præsens ades, per potentiam, præsentiam, & essentiam, sed fallens, nam vltra hos modos essendi in omnibus creaturis, præsens adest Iacob & aliis iustis, vt eos specialiter custodiat & protegat, sed hoc præstat audire à D. Bern. serm. 6. de dedicatione Ecclesiæ, *qui vbique est*, inquit, *in cælis tamen esse dicitur non diuersus, sed diuersa distinguens apud homines, erga malos est præstans atque dissimulans, apud electos est operans & seruans; apud superos pascens & cubans: apud inferos arguens & damnans.*

S. Bernard.

Quod propter pacem seruandam amisimus, Deus abundanter restituit.

130 *Ero custos tuus, & reducam te in terram hanc*, si es pollicitus, quod quocumque perrexerit, te futurum ei custodem, cur etiam terram, à qua nunc exul egreditur, dicis te ei restituturum, imo ad quatuor mundi plagas te eum multiplicaturum? reuoca in memoriam à domo paterna abiisse, vt sedaret odium quo in eum æstuabat frater, vt iracundiam eius temperaret: quid mirum igitur si Deus ei pollicetur terram à qua exul abierat, imo longe alia plura? quia quod propter pacem seruandam amisimus, abundantiori cumulo illud restituit, vnde Lipp. ait, *quanquam solus pauper ignotus & omni humano præsidio destitutus incedat*, scilicet conseruandæ pacis cum fratre gratia, *me custodem, propugnatorem, & ductorem tenebis, fœliciterque redibis*, nempe longe plura possidens quàm antea.

Lippom.

Non temere in pericula nos conіicere debemus.

131 *Ego ero custos tuus quocumque perrexeris*, quid liberalissime Deus polliceris? si Iacob pergit incedere per vias impiorum, vbi omnia plena sunt periculis, certumque solet esse exitium animæ sempiternum, nunquid inter illa discrimina eris custos illius? non hoc promittit Dominus, nec enim temerariis & inuerecundis, qui sponte ruunt in huiusmodi pericula, diuinæ gratiæ promittitur auxilium, cui si confidunt inaniter confidunt, *aduersa enim est confidentia* inquit S. Cypri. lib. de sing. cleric. *quæ periculis vitam suam pro certo commendat, & lubrica spes est quæ inter somenta peccati saluari se sperat.*

S. Ciprian.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS. XVI.

VVLG. Cumque euigilasset Iacob de somno ait, vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.

Spe. Et surrexit Iacob de somno suo, & dixit quia Dominus est in loco hoc.

Cald. Euigilauitque Iacob de somno suo & ait, vtique in veritate gloria Domini habitat in loco isto, & ego non noueram.

EXPOSITIO.

CVmque *euigilasset Iacob de somno ait*, visio enim tum scalæ, tum Angelorum, tum Iacobi loquentis absoluta est, antequam à somno excitaretur, cum autem ab eo expergefactus, ait, *vere Dominus est in loco isto*, quasi dicat, non est hic locus cõmunis, sed à Deo electus, vt scilicet in eo seipsum ostendat, & secreta sua aperiat, & multa sacramenta perficiantur, quod antea non noueram; solebant enim antiquitus loca in quibus Dominus apparebat, magna veneratione coli.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ibi vere Dominus eſt, vbi Angelorum amor erga homines declaratur.

S. Bernard.

131 Vere *Dominus eſt in loco iſto & ego neſciebam*, dixit Iacob poſt viſionem ſcalæ,& Angelorum ad ſe deſcendentium. D.Bern. ſerm.6. in dedic. Eccleſ. ſic loquitur, quomodo tantus Patriarcha neſcire potuerat, quod non eſſet locus vbi non eſſet Deus? ſi enim credebat Deum eſſe & immenſum, fateri debebat omni loco præſentem; reſpondet cit. Bern. *forte aliud miratus eſt, vbi ait, vere Dominus eſt in loco iſto, ibi vere Dominus eſt, vbi in eius nomine Angeli ſimul & homines congregantur*: præclare præſentiam Domini præſagit, ex eo quod ſe videat à deſcendentibus per ſcalam Angelis humaniter tractari & eorum amorem in ſe declarari.

Per obedientiam Chriſtus Dominus genus humanum ſtatuit reparare.

Philipp. Abba. Ad Coloſ. 1. ad Philip. 2.

132. *Vere Dominus eſt in loco iſto*, ſic exclamat Iacob, quia eum innixum ſummitati ſcalæ viderat. ſed cum Dominus Chriſtum Saluatorem noſtrum deſignet, genus humanum reparaturum, cur ſummitati ſcalæ innititur? Philipp. Abb. in cāt. in ſecūda moralitate, cuiꝰ titulꝰ eſt, incipit moralitas ſecūda, floribꝰ allegorię intermixta, ait, ponamus huius ſcalę, quę ad Deum ducit primum ſcalionem, humilitatem Dei, & in ſummitate huius ſcalæ ponamus obedientiam, quia ipſa eſt quæ nos ducit ad ſupernæ maieſtatis contemplationem: ſed cur Dominus obedientię quæ in ſummitate huius ſcalæ poſita eſt, innixus cernitur? optime ſatisfacit prædictus Abbas, quia *per obedientiam diſponebat genus humanum ſibi reconciliare & iuxta Paul. ad Coloſſ. 1. quæ in cœlo ſunt & quæ in terra ſpirituali concordia pacificare, vnde idem Paulus dicit ad Phil. 2. Chriſtus factus eſt obediens patri vſque ad mortem.*

Vbique, tanquam ſi Deus præſens viſibiliter adeſſet, modeſte viuendum.

Oleaſt.

133 *Vere Dominus eſt in loco iſto*, licet ſit in hoc loco, quid refert? nihil noui aperis nobis, non ſine emphaſi hæc verba protulit, ſed quaſi diceret, ſomno indulgebam cum exigua modeſtia, & tamen hîc Deus aderat, ante cuius conſpectum ſummo cum timore, & maximo honore conſiſtendum eſt, *docet hic locus* (inquit Oleaſt) *quam caute nobis vbique agendum ſit, cum ſciamus præſentem eſſe vbique Deum, quod cum ſciuerimus metuendum eſt.*

Qui cum Deo familiariter non eſt conuerſatus, eum neſciſſe videtur.

S. Greg. Ma.

134 *Vere Dominus eſt in loco iſto & ego neſciebam*, nonne per ſoporem quietis Dominum vidiſti, ſcalæ innixum? à ſomno ergo euigilans ne dicas te Deum neſcire, hic præſentem adeſſe, quamuis Deum in viſione non contemplatus fuiſſet, Deum vtique vbique præſentem eſſe non ignoraſſet, nihilominus cum veritate dixit ſe neſcire, quia nondum cum eo familiariter conuerſatus fuerat. mens eſt D. Greg. Ma. in librū 1. Reg. cap. 3. dicentis, *neque illic eſſe Dominum antequam dormiret dubitare poterat, qui eſſe hunc vbique ſentiebat, ſed quia tunc enim perfectius didicit, ignoraſſe ſe illum perhibuit cum familiarius non agnouit.*

Qui contemplationi ſtudent, tunc ſolum Deum ſe ſciuiſſe arbitrantur.

135 *Vere Dominus eſt in loco iſto & ego neſciebam*, neſciebas? ergo fidei lumine priuatus, cum Deum vbique eſſe ignores, aduerte per Iacob euectum ad illam eximiam viſionem ſcalæ & Angelorum, nec non ipſius Dei, denotari eos qui contemplationi rerum cœleſtium indulgent: quid mirum igitur ſi tunc Deum Iacob agnouit, quem ante ſe ignoraſſe fatetur? quia qui in obedientiæ ſubiectione humilibuſque ſeruitiis, & laudabilibus pietatis ac miſericordiæ miniſteriis vtiliter verſati & exercitati ſunt, ſi quando excitante iuuanteque Deo aſcendant ad ſtatum contemplationis Dei & cœleſtium rerum, tanto eos plerumque diuinæ cognitionis lumine illuſtrari, tantoque diuinæ ſuauitatis guſtu affici, vt tunc vere Deum noſſe, & antea ignoraſſe eum ſibi videantur: ſed audiamus beatum Greg. ſupra cit. *plerique ſub aliena inſtitutione bene proficiunt, & nouitatis ſuæ tempore omnipotenti Deo miniſteria ſedulo perſoluunt, qui tamen puritate contemplationis ad internæ pulchritudinis eius ſpeciem non pertingunt: verum ſi ſubiectionis ſuæ merito donum diuinæ contemplationis accipiant, experientia internæ viſionis intelligunt, quia ſic nondum ſciebant cui miniſtrabant*: deinde ſubiungit, *Iacob dormit in via cum fidelis ſubiectus & maligni ſpiritus ſupplantator, per laborem obedientiæ ad quietem internæ viſionis admittitur, qui profecto tunc Dominum agnouiſſe fatebitur, quia dum eam ad quam nouiter eſt aſſumptus, internæ lucis miratur ſpeciem, quantum antea neſcierit experientia reuelatæ pulchritudinis agnoſcit; fide namque velut fama Deum cognoſcimus, amore autem contemplationis is qui fama innotuit, velut ex oſtenſione præſentiæ nobis reuelatur.*

Cit. Greg.

Quanto quis à vecordia ſe ſeparat, tanto maiorem Dei cognitionem conſequitur.

136 *Vere Dominus eſt in loco iſto*; ait Iacob euigilans de ſomno, cur obſeruat Moyſes quod ſtatim vt à ſomno expergefactus, Deum eſſe præſentem huic loco cognouit quem antea neſciebat? ſine dubio per ſomnum, vecordiam intelligere poſſumus, & dicere quod ſolum hæc verba protulit poſt ſomnum, vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam, quia quanto quis à vecordia ſe remouet, tanto maiorem Dei cognitionem aſſequitur. Fauet gloſſa moralis *quiſquis poſt torporem inertiæ euigilauerit, & per exercitium boni operis vere exurrexerit, in Eccleſia ſupereminentem gratiam Dei & introitum regni cœleſtis intellexit.*

Gloſſ mor.

In templis diuino cultui dicatis, maxima cum reuerentia immorandum.

137 *Vere Dominus eſt in loco iſto & ego neſciebam*, cur teipſum reprehendis & excuſas, quod hunc locum non cognoueris, minuſque te reuerenter habueris, quia in eo ſomno indulſiſti? aduerte doctiſſimos viros exiſtimaſſe hunc locum fuiſſe montem Moria, in quo Abraham immolare voluit filium, & in quo multa poſt ſæcula conſtructum eſt templum à Salomone, qui mons erat in Hieruſalem. Sic enim

ſcribit

scribit D. Aug. quæst. 83. in Genes. Dominus est in loco isto, ad prophetiam pertinet, quia futurum erat ibi tabernaculum, quod constituit Dominus in hominibus & primo populo suo. August. sequuntur noster Lyran. Lipp. & Caiet. ne mireris igitur cur seipsum Iacob accusauerit quod hunc locum non agnouerit, & eo quod ibi dormierit, quia locus erat in quo templum Dei ædificandum erat vt sic significaret, quanta cum reuerentia commorandum est in Ecclesia in qua adoratur & colitur ipse Deus, quamque ipse sua etiam corporali præsentia inhabitat, vnde si ibi dormire indecuit insignum Iacob, quid hic peccare, diuinamque bonitatem lædere, negocia sæcularia tractare? & tamē vt inquit D. Chrysost. hom. 38. in epist. ad Corinth. 1. num. 14. *multi pergunt* (inquit) *ad templum Domini, non vt orent, sed vt negotientur, vt ciuilium domesticorumque negotiorum sermones faciant, vnde cætera omnia facilius in Ecclesia deprehendis quàm Ecclesiam ipsam.*

S. August.

S. Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. pauensque: quàm terribilis est, inquit, locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli, *sic Pagninus.*

Cald. Et timuit & ait, quàm terribilis est locus iste, non est locus communis, sed locus in quo beneplacitum est coram Deo è regione loci huius est porta cœli.

Oleast. Pauensque quàm timendus est locus iste.

Procop. Locus ille religiosus est.

CONCORDIA.

IN Hebræo est נורא nora quod interpretatur rectè timendus à verbo ירא timuit, tamen noster Vulgatus non incongrue vertit terribilem à terrore, non in malam partem, sed in bonam, nempe quod magno honore & tremore colendus erat locus ille.

EXPOSITIO.

PAuensque, sacro timore nec non reuerentia, *quam terribilis est locus iste*, non quia nociuus, sed admirandus & omni veneratione dignus, *non est hic aliud nisi domus Dei*, cum enim in summitate scalæ Deum stantem conspexit, scala autem cœlorum cacumen tāgeret, hinc est quod locus ille in quo Deus erat, domum ipsius Dei dixit, *& porta cœli*, vidit enim è cœlo Angelos egredientes, cum per scalam descenderent, & ingredientes, cum per eam ad Deū regrederentur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ne ingratitudinis arguamur maxime timere debemus.

138 PAuensque, quid times? nonne vidisti in custodiam tuam è cœlo descendentes Angelos, imo Deum ipsum dicentem se futurum tuum custodem, quocumque perrexeris? nihil igitur habes timendum, nec in media animalium ferocitate, nec in desertissimis locis, cum custodem Deum habeas simul cum suo exercitu Angelico: pauet tamen & merito timet, ne satis sufficientes gratiarum actiones reddere possit, pro visione à Deo accepta & consolatione habita, nec tot eximiis factis sibi promissionibus, sic D. Chrysost. *timuit ne pro tam multis acceptis beneficiis à Deo ingratum animum exhiberet.*

S. Chrysost.

Timor inter mundanas prosperitates conseruandus.

139 *Pauensque*, Deum tibi defuturum non times, pollicitus est enim tibi adfuturum, exulem à paterna domo reuersurum non formides, dixit enim tibi Deus, reducam te in terram hanc, omnem igitur depone timorem: aduerte Deum maximas ei prosperitates promisisse pollicitus enim est, non solum terram, in qua somno indulgebat, se & semini suo quod multiplicandum foret sicut puluis terræ, daturum, sed ad quatuor mundi plagas dilataturum, Christique Domini progenitorem constituturum, quid mirum igitur etiam inter fauores diuinos timorem nunquam deposuisse, vt suis in exemplum posteris esset? ne vnquam inter mundanas prosperitates satis tuti ac securi viderentur, sed ruinas sibi possibiles præcauerent, vnde optime Bernard serm. de ligno, fœno & stipula, ait. *nunquam est securitas, fratres, neque in cœlo, neque in paradiso, multo minus in mundo, in cœlo enim cecidit Angelus, sub præsentia diuinitatis, Adam in paradiso de loco voluptatis, Iudas in mundo de schola Saluatoris.*

S. Bernard.

Timendum ne à fauoribus Dei decidamus.

140 *Pauensque*, securus viue, cum te tot fauoribus dignatus est Deus, tot consolationibus, tot beneficiis cumulauit, tot amoris indiciis prosequutus est: imo prudenter timet, formidandum est enim ne à fauoribus quos adepti sumus, decidamus, *lætos*, inquit Bern. serm. 3. in Psal. Qui habitat, suos monachos alloquutus, *vos volo, sed nondum securos, gaudentes in Spiritu sancto, sed tamen pauentes adhuc & cauentes à recidiuo.*

Cit. Bern.

Dona Dei timorem nobis incutere debent.

141 *Pauensque*, nullibi cœlum serenius & patentius, nullibi Deus propitior, nullibique dulcedines manans, & tamen Iacob nunquam timidior, nunquam pauidior apparet, quid times Iacob? Caiet. ait. *timuit diuinum iudicium.* à Dei conspectu benefactorisque Dei facie indignus seruulus timorem

Card. Caiet.

ebibit, & ingentem terrorem concipit, non enim possunt ingentia Dei dona in homine vili timorē & tremorem non generare, Isaias cap. 60. *tunc videbis & efflues*, vbi significantius Septuaginta reddidere tunc videbis & timebis, & stupebis corde, quasi nulla à Deo bonorum affluentia veniat, quin & timorem incutiat & tremorem.

Isa. 60.

Admiratione dignum viros iustos & Angelicos cum impuris hominibus conuersantes non contrahere impuritatem.

142 *Pauensq; quàm terribilis est locus iste*; nescio vnde tanto timore percellatur, & in admirationē vir iste agitur; nam scala ista per quam Angeli descendunt & ascendunt, prouidentiam Dei erga homines designat, quis autem est qui nesciat Deum hæc infima per Angelos administrare ad homines descendere, & ad Deum ascendere? vnde ergo tanto timore corripitur, & admiratione rapitur? sane illud mihi videtur excitasse in viro sancto admirationem, quod ait *ascendentes & descendentes Angelos*, non mirum est Angelos ad homines descendere, seruata natura Angelorum, & puritate: cæterum illud est mirabilius puritatem Angelos seruare postquam cum hominibus conuersati sunt, ergo miratur vir sanctus tantam esse Angelorum munditiam, & puritatem, & candorem, vt etiam ad homines descendentes, & inter impuros conuersantes, nihil tamen de proprio candore, & puritate deperdant, quod sane multo mirabilius est in hominibus; Angeli quidem cum Deo clare viso fruantur, nihil deponere possunt de propria puritate, neque aliquo modo infici, illud autem valde mirandum est, viros religiosos lapsui obnoxios, relicta cum Deo collocutione, ad salutem animarum descendere & conuersari in medio nationis prauæ, atque peruersæ, & tamen nihil deponere de animi candore, quod si quando que videas instar miraculi, admirare: hoc diuerum in Philone libro de somniis his verbis. *Hæc est enim illa mundi scala quam in præsenti intelligimus figura, quod si eam quæramus in hominibus, inueniemus animam cuius basis est pene corporea & tanquam terrea, scilicet sensus, caput verò tanquam cœleste mens illa purissima per eam sursum & deorsum feruntur indesinenter diuina intelligentia, quoties ascendunt trahentes eam, seruum deuellentes à rebus mortalibus, & pro dignitate ostendentes ei spectacula, sed non detrahentes secum quando descendunt.*

Eb Pil Alex.

Primus gradus quo scalam virtutum conscendimus timor est.

143 *Pauensque quàm terribilis est locus iste*, cur scala sibi ostensa, & in inferiori eius parte consistens, in hæc verba prorupit, *quam terribilis est locus iste!* verba enim potius sunt timoris quàm amoris, vt patet ex verbo antecedente, *pauensque*, nonne diximus illam scalam viam virtutum designare, quid mirum igitur si in infima illius parte consistens, paueat & verba timoris proferat? quia primus gradus quo scalam virtutum conscendimus, timor est, hunc sensum habet Baltazar Paezius annot. vnica in versum vndecimum cant. Moysis cantemus] Domino, ait enim, *si virtutes gradus scalæ huius per quam ad Deum ascendimus, quis asserat, primum gradum timorem dixerim, quo iam à terra eleuamur, quem videtur proclamasse Iacob quando in inferiori parte ostensæ sibi scalæ, dixit quàm terribilis est locus iste, quæ vox profectò potius timoris videtur esse quàm amoris & ascendentis primum scalæ gradum timorem.*

Baltazar Paezius

Confidentia & diuina misericordia, ne nimium nos reddat securos.

144 *Pauensque*; quis non mirabitur Iacob pauidum in medio Angelorum, nec non sibi Deo præsente modicæ fidei videbitur si Deo fidem non adhibuerit dicenti, te futurum tuum custodem? non modicæ fidei argumentum est illius timor, sed conscientiæ bene timoratæ, quod confirmat D. Chrysost. hom. 54. cum ait, *stupens iustus propter magnam misericordiam timuit*, quasi diceret ex diuina misericordia sibi promissa non in peccandi temeritatem prorupit, sed potius ad quandā peccandi timiditatem se contraxit.

Pauci saluantur.

145 *Pauensque ait quam terribilis est locus iste*, scalam vidisti qua medijs gradibus in cœlum conscenditur, imo secundum Procopium, multitudinem scalarum, quibus diuersa hominum genera & diuersæ conditionis in cœlum conscendere possunt, & plurimos Angelos descendentes, vt manum tibi porrigerent quo facilius scandere scalam valeres, imo Deum scalæ innixum, vt te ascendentem adiuuet, quomodo igitur ais locum terribilem? imo potius gratum, iucundum, facilem, deberes dicere, cum tot sint auxilia, quibus iter scalæ confici possit, tamen terribilem annuntiat, & exclamat, vt innueret vel tot adminiculis, tot Angelis manum porrigentibus, ipso Deo inspirante, paucissimos scalam conscendere, qua portam cœli ingrediantur, quod autem sint paucissimi ex sancto Vincentio Ferreri serm. 6. in Septuagesima sic dicente, nota hic de Archidiacono Lugdunensi qui quadraginta annos fuit in Eremo, in magna pœnitentia, postquam reliquit sua beneficia, qui post mortem apparuit *Archiepiscopo Lugdunensi qui quæsiuit ab eo diceret sibi aliquid de alio mundo, qui respondit quod in die quo ipse obiit, mortui fuerant in mundo triginta millia, de quibus solum quinque fuerunt saluati, scilicet, ipse, & beatus Bernardus qui illa die obierat, qui statim sine purgatorio ascenderant ad paradisum, & tres descenderant ad purgatorium, alij quidem descenderant ad infernum.*

Tanta est Dei erga homines benignitas vt solum admiratione possit exprimi.

146 *Pauensque*; quid paues, cum nulla tibi subsit timoris occasio? non dubito quin antequam indulgeres somno, aliquis tuam occupauerat mentem timor, ne te etiam frater insequeretur formidare debuisti, sed nunc à te deponendus erat, cum te præsentia sua & Angelorum consortio dignatus est, ne paueas ergo, imo timeas, ex admiratione propter eximiam in se & ineffabilem Nostri Dei benignitatem; ita noster Lyran. *pauens id est admirans de Dei benignitate.*

Si in locis Deo dicatis pie non viuamus maxime timendum est à Dei iusto furore.

147 *Pauensque quàm terribilis est locus iste*, inquit Iacob à somno euigilans, vidisne gehennam;

nam; flammas ignis æterni aut alium infœlicitatis & miseriarum locum? immo vero non est hic aliud inquit, nisi domus Dei & porta cœli, cur ad domus Dei conspectum paues? cur terribilem locum & non potius amabilem, iucundum & gratum dicis? vis nosse? audi Caldæum Paraphr. qui ea verba sic legit, quàm terribilis est locus iste, is non est locus communis, sed locus in quo bene placitum est coram Domino, pende illud: *non est locus cõmunis &c.* & domui Deo consecratus accommoda, vt noueris ad eam pauere, & terribilem existimare, quod nõ sit communis, nec triuialem viuendi modum & communem cum aliis, sed purum, peculiarem, acuratum & eximium ferat, alioquin tanquam inutilis & ingratus seruus domo expelleris. Sed audiamus Galfridum ad caput septimum Ieremiæ in allego Tilm. hæc verba cum illis Ieremiæ septimo, *nolite confidere in verbis, dicentes templum Domini, templum Domini, templum Domini est, quoniam si bene direxeritis vias vestras, & studia vestra, habitabo vobiscum in loco isto*, hunc in modum componentem, *timeamus & nos, excogitemus quomodo nos oporteat conuersari in domo Dei, væ nobis si & propter mala opera nostra relinquatur domus nostra deserta, pauens sanctus Iacob quàm terribilis est inquit locus iste:* bene illud cogitemus, quomodo nos oporteat conuersari in domo Dei, sed quomodo? si sane in domo Dei, in loco in quo beneplacitum est coram Domino; scilicet dissimulabit ille in domo sua eos qui communia cum sæcularibus studia habent? imo crediderint eos de domo sua iuxta ex vindicta eiecturum, inquiens *domus mea, domus orationis, vos autem fecistis illam speluncam latronum, Matth. 20.*

Galfrid. Ierem. 7.

Matth. 20.

Ecclesia dæmonibus terribilis.

148 *Pauensque dixit quam terribilis est locus iste,* cur? non Deo, non Angelis, dicemus quod Iacob, non arbitror, quis enim eum timore percellit? non Deus, qui eum benigne alloquens plura pollicetur beneficia, non Angeli, qui cum consolatione dignantur. Cur igitur ait quàm *terribilis est locus iste*? aduerte hunc locum Ecclesiæ figuram esse, dicamus igitur terribilem hunc locum dixisse, quia prædicebat Ecclesiam futuram dæmonibus terribilem esse, sic Rupertus libro septimo in Genes. capite vigesimo quarto, *hæc dicta Iacob euigilantis & exclamantis, vere Dominus est in loco isto* & cætera quæ sequuntur bene Catholica Christi Ecclesia, de ore eius rapuit, & de omni loco in quo inuocatur nomen Dei, veraciter protestatur, & constantissime dicit, *terribilis est locus iste, hic domus Dei & porta cœli*, vbi suum sanctum celebratur baptisterium, Sacrosancti Corporis ac Sanguinis Domini conficitur sacramentum, vnde animæ fideles cœlo renascuntur, & Angelorum ascendentium & descendentium manibus feruntur in Cœlum, quid nisi porta cœli, & infernalibus potius terribilis locus est?

Rupert.

Non potest exprimi reuerentia, quæ loco cultui diuino dicato debetur.

149 *Pauensque dixit quàm terribilis est locus iste,* cur non dixit quàm locus iste Deo gratus? cum eum ad tot ministeria aperienda elegerit, & dicatus omni cultu & reuerentia dignus? hæc non protulit, sed solum admiratione plenus, in hæc verba prorupit, ad innuendum non posse verbis denotari, quanta loco cultui diuino dicato debeatur, sensus est Seraph. à Porrecta, *quasi dicat inquit, ego nescio in totum exprimere reuerentiam, quam sibi domus Dei exposcit, sed per modum admirantis stupens dico quàm terribilis est locus iste.*

Seraphin.

Iustus in aliorum conspectu plenum defectibus se arbitretur.

150 *Pauensque dixit quàm terribilis est locus iste,* cur postquam contemplatus est angelos descendentes & ascendentes, timore corripitur, cum potius ab eis accipiens consolationem, omni cum securitate esse deberet? merito considerans Angelos, pauet, iustus enim in aliorum conspectu, præ humilitate, plenum defectibus se arbitratur, & mens est Card. Caiet. *timuit Iacob considerando seipsum relatiue ad præsentiam Angelorum, ne imputarentur sibi defectus sui.*

Card. Caiet.

Maxima cum modestia in templis agendum.

151 *Non est hic aliud nisi domus Dei*, cur alio nomine hunc locum non appellat? aduerte quod in domum Regis, maxime si eum præsentem non arbitremur, cum ingredimur, maximam gerimus in corpore modestiam, ne oculis regis indignum in nobis videatur, bene igitur hoc nomine domus Dei præsentem locum Ecclesiæ figuram appellat, vt quanta cum modestia in eo agendum esse denotaret, *in aulam Regiam intraturus* ait Chrysost. hom. 15. in epist. ad Hebr. *& habitu, & oculis, & incessu, & in cunctis aliis componis & ornas temetipsum, in templum autem ingressurus, vbi vere aula Regia est, & talis qualis est cœlestis, vides, in quidem non vides, audi tamen quia Angeli præsentes sunt vbique, maxime in domo Dei, vbi assistant Regi, & omnia plena sunt incorporeis illis virtutibus.*

S. Chrysost.

Ecclesia locus orationis non confabulationis.

152. *Non est hic aliud nisi domus Dei*, si per hunc locum Ecclesia designatur, quomodo nullæ voces ne Angelorum quidem in eo personuerunt? sine dubio ne intelligas domum Dei non esse domum confabulationis sed orationis, vnde optime sanctu Nilus in diuersis cap. *Ecclesiam in cœlum adi, & nihil in ea aut loquere aut age quod terram sapiat*, quia vt bene diuus Ambr. in 19. cap. Luc. *Deus vult templum suum esse, non mercatoris diuersorium, sed sanctitatis domicilium.*

S. Nilus.

S. Ambr.

Afflictis cœlum panditur.

153. *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli*, portam cœli dicit, quia secundùm Dionys. Carth. apparuit in ea parte cœlum apertum, atque per illam veluti ianuam quam scalæ summitas attingebat, Angeli de cœlo egrediebantur & in terram descendebant, sed cuinam panditur cœlum quod vndequaque clausum est? dicet quod Iacobo, verum huic Patriarchæ, quia afflictus erat, mœrens & profugus, ita Rupert. *o profugum cœlestis asyli protectione dignum, quàm veraciter dictum sit, iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, Ps. 33.*

Rupert.

Psalm. 33.

Afflictionum nostrarum requies vera tantum in cœlo.

154 *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli,* portam dixit, quia vt in conceptu superiori à nobis dictum est, cœlum apertum conspexit cur Iacob ex longo itinere nimium defesso, multisque aliis sui exilii miserijs laboranti cœlum panditur? sine dubio vt intelligeremus omnium anxietatum, laborum, & ærumnarum, vno tantum in cœlo constitutam esse requiem, ibi est enim inquit diuus Bernardus de inter. domo cap. 16. *requies à laboribus, pax ab hostibus, amoenitas de nouitate, securitas de æternitate, suauitas atque dulcedo de Dei visione.*

S. Bernard.

Huius vitæ terminus cœlum esse deberet.

155 *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli,* nescio cur homini ex itinere defesso, ab ipsis Angelis non aliqua præparatur requies? cur homini ex inedia pœnè deficienti dapes non apponuntur? sed cur homini peregrino sub dio dormienti non datur habitaculum, sed solum cœli porta & cœlum ipsum ostenditur? mirari desine, quia peregrino nihil aliud debet offerri quam cœlum, vt meta & finis itinerũ, peregrinationum terminus, hucusque licet hospitẽ esse ac peregrinum in terris: at in cœlo, vt loquitur diuus Bern. cit. cap. de inter. dom. *Nullus est peregrinus, sed quicumque illuc venire merebuntur securi in propria patria manebunt semper læti, & semper satiati de Dei visione.*

S. Bernard.

Pauperum spiritu regnum est cœlorum.

156 *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli,* si pauper & omnium egenus erat Iacob & Deus qui ei apparuit liberalissimus, cur ei diuitias, & opes nõ tribuit, vel saltem non pollicetur, vt suæ posset subuenire necessitati & indigentiæ; sed solum ei cœlum & illius ianuam ostendit? quia pauperibus spiritu (quales sunt qui Iacob depositis mundique terræque sarcinis expedito denotantur) ipsum est regnum cœlorum, nihil aliud in hoc sæculo satagentes, Fauet Rup. lib. 7. in Genes. cap. 21. *Iacobum imitãtur quicumque depositis seculi oneribus, nudi & expediti ad destinatum tendunt cum Apostolo dicente ad Hebræos. 13. Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus, illis porta cœli aperitur, & ascendentibus scala hæc erigitur, scala vero ipsa erecta nostra est vita in hoc seculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad cœlum.*

Hebr. 13.

Rupert.

Christus Dominus cœli ostium.

157 *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli,* si solum Deum in summitate scalæ stantem vidisti, quomodo dicis te portam cœli conspexisse, itaut asseris, quod nihil aliud sit quàm domus Dei, cœlorumque ostium? nonne diximus hunc Dominum esse Christum redemptorem nostrum benè igitur & vere ait se cœli portam vidisse, quia Christus Dominus ostium est cœlorum *ego sum inquit, ipsemet Saluator Ioann. 10. ostiũ per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet* sed Procop hanc scalam interpretans ait, *porta cœli nominatur, per ipsam enim intramus in cœlum summum Dei palatium.*

Ioan. 10.

Procop.

Quod Deo datur non minuitur, sed nobis seruatur.

158 *Non est hic aliud nisi domus Dei,* & deinde hunc locum Deo consecrauit, erexit enim ibi titulum & oleum effudit, sed si Deus ei dixerat, terram in qua dormis tibi dabo & semini tuo, cur ipsimet Deo eam dicat & consecrat? quia quod Deo datur nõ minuitur, sed seruatur & augetur, quod grauiter confirmat Aug. ep. 45. *neque enim quod redditur inquit, reddendo minuetur, sed potius seruabitur, & augebitur, benignus est enim exactor, non egenus; huic ergo quod non redditur perditur, quod autẽ redditur reddenti additur.*

S. August.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVIII.

VVLG. Surgens ergo mane Iacob tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper.

Sept. Sumpsit lapidem quem supposuerat ibi ad caput suum, & statuit illum titulum, & superfudit oleum in cacumen eius.

Cald. Statuit eum in titulum, & effudit oleum super caput eius.

Pag. Posuit eum statuam, & effudit oleum supra summitatem eius.

Vatab. Posuit eum vice metæ,

Oleast. Posuit illum Eleuationem.

Lipp. Posuit eum in signum.

Alii. Posuit eum in monumentum,

Chrys. In columnam.

CONCORDIA.

מצבה Mazeuah exponitur à Rabi Dauid Kimchi lapis quæ ad adorãdum erigitur, vel in titulum sepulchri sed latius sumi potest pro omni eo quod memoriæ causa, aut ad rei alicuius significationem statuitur & erigitur vnde fit quod alij titulum, alii monumentum verterunt, quia omnia hæc denotant Iacobum posuisse ibi lapidem in tantæ visionis memoriam.

EXPOSITIO.

SVrgens ergo mane Iacob, vt itineri se coniungeret, *tulit lapidem quem supposuerat capiti suo,* forsalle plures fuerunt, & singularis numerus vt sæpe fit, positus est pro plurali, nam superius dictum, quod ad dormiendum posuerat sub capite suo lapides, aut si vnus dũtaxat fuit principalis lapis quo vsus est Iacob vice puluinaris & erexit in titulum, qui hic non significat superscriptionem, aut statuam cum lineamentis

mentis siue aliter politum lapidem, siue columnam cum agri communis lapis esset, sed potius informem, absque vlla artis politura. Sed prius in solo iacentem, deinde in sublime erectum ad perpetuam recordationem eorum quæ ibi Iacob contigerant.

Fundensque oleum desuper, oleum istud secum detulerat ex domo paterna, cibatus aut vnctionis gratia ad facilius iter perficiendum, fudit autem non super totum lapidem, sed super summitatem eius, fudit autem afflatu & instinctu Dei, aut etiam forte maiorum exemplo & documento, in signum consecrationis, quia res consecratæ vnguntur oleo.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Christus Dominus non solum ex peccatoribus, sed ex gentilibus nasci voluit.

185. **T**VLIT lapidem quem supposuerat capiti suo, & qui vt D. Hier. in Psal. 133. D. August. lib. 16. de ciuit. Dei c. 33. D. Gregorius Nazianzenus cap. 34. & plures Interpretes exponunt Christum Dominum repræsentabat: sed cur Christo Domino lapidis solum nomen tribuitur? dices quia sicut lapis vtique angularis duos parietes ligat, ac nectit, vt firmius & tenacius coalescant, ita Christus Dominus synagogam & Ecclesiam in vnius fidei vinculum coniunxit, vt eodem vtraque colligata modo in diuinum cultum maiori cum amicitia conspirent: ipse enim inquit Apost. ad Eph. 2. *est pax, qui fecit vtraque vnum*. Sed vt satisfaciamus instituto, aduerte gentiles lapides appellari, vnde illud Bapti. ad Iudæos, de cognatione cum Abrahamo, sic maniter gloriantes, potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham Luc. 3. hoc est de istis gentilibus & infidelibus, fideles: vnde D. Amb. lib. 2. in Luc. cap. 2. *Quid aliud*, inquit, *quam lapides habebantur, qui lapidibus seruiebant? similes vtique iis qui faciebant eos*: & paulo post addit, *non immerito comparari lapidibus eos homines qui ita*, inquit, *humanæ sensum naturæ amiserant, vt dum lapidibus putant diuinitatis alicuius inesse rationem, ipsi in naturam lapidum non vsu corporis, sed mentis habitu verterentur*: nota insuper Rahab, & Ruth, in quibus Christus Dominus originem traxit Gentiles fuisse: quibus notatis, cur non dicemus Christum Dominũ parentum nomine minime dedignatum lapidem voluisse appellari, non vt ipse in lapidis rigorem obdurescerct, sed vt cognatos suos in charitatis ardorem emolliret.

Ephes. 2.

Luc. 3.

S. Ambros.

Christus Dominus viam in cœlum demonstrat.

186. *Tulit lapidem & erexit in titulum*, Vatablus posuit eum vice metæ, si lapide illo Christum Dominum denotari diximus, cum eum vice metæ fungentem asserit Vatablus, quid enim habet commune lapis metatorius cum Christo? aduerte quod lapis metatorius est viarum index & discriminator, qui certa locorum spatia, & quam quisque viam carpere debeat, demonstrat: optime igitur hunc lapidem dixit metam Vatab; quia si quis scire velit quam diuersus à cœli ianua peregrinetur, seu quam vicinus cœli aditum aggrediatur, Christum Dominum consulat non modo loquentem, verum etiam operantem facta factis componat, & ex factoris similitudine, vel dissimilitudine quantum ipse accedat, vel recedat à via salutis non obscure deprehendet, nam vt bene D. Bernard. serm. ad milites templi cap. 11. *Factus est inter nos, vt nos non solum sanguine fuso redimeret, sed etiam ostenso exemplo commutaret*: planius D. Basil. in Constit. Monast. cap. 2. *Omnis*, inquit, *actio, item sermo Saluatoris nostri Iesu Christi, excolendæ pietatis virtutisque obeundæ regula est, propter hoc enim humanam sumpsit naturam, vt in se velut in tabula quadam, veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamque omnibus nobis ante oculos statutam vnicuique pro viribus imitandam, seu Archetypum proponeret*: vt igitur lapis viarum inscriptis notulis viam in vrbem, ita Christus Dominus verbis, & factis viam in cœlum demonstrat.

S. Bernard.

D. Basil.

Summa Christi Domini humilitas.

187. *Tulit lapidem & erexit in titulum*. Si hic lapis grauissimus est & in infimum terræ punctum cæteris corporibus subijciendus, descendit propter natiuam grauitatem, vnde illud Exod. 15. *descenderunt in profundum, quasi lapis*, vbi profundus Ægyptiorum descensus cum descensu lapidis qui profundior esse non potest, comparatur Christus Dominus in benefaciendo velocissimus, in sanando leuissimus, quomodo igitur hoc lapide designari potest, recte equidem bene cohæret cum lapidis grauitate Christi Domini humilitas, qua se ille ad infima terræ loca quasi natiuo quodam pondere abiecit: nam à sinu patris desiliit in vterum matris, ab hoc in stabulum, hinc in sepulchrum, deinde in infernum, tandem *à summo cœlo egressio eius & occursus eius vsque ad summum terræ*, Psalm. 18. hoc est ex altissimo diuinitatis fastigio ad vilissimum humanitatis nostræ exilium descendit: quod D. August. *expendens ipse*, inquit, *tanquam sponsus cum caro verbum factum est, in vtero vs genali thalamum inuenit atque inde naturæ coniunctus humanæ tanquam de castissimo procedens cubili humilis misericordia intra omnes fortes maiestate super omnes exultauit ad currendam viam.*

D. August.

Christus Dominus denotatur à mortuis surrecturus.

188. *Tulit lapidem, erexit in titulum, fundens oleum desuper*, D. Cyrill. Alex. lib. 10. in Genes. ait lapidem qui perfusus oleo fuerat, Christum repræsentare quis dubitet? quum & ipse oleo lætitiæ præ consortibus suis linitus esset? sed cur obseruatur à Moyse, quod hic lapis oleo perfusus erectus fuerit à Iacob? quid enim refert vtrum erexerit illum Patriarcha, vel pronum & humi iacentem reliquerit, maxime quidem refert, erectio enim illius lapidis oleo inuncta Christum Dominum suscitandum denotat. Ita citat. Cyril. *à mortuis surrexisse erectio lapidis perbelle significat quamuis mortem sponte obijsset*, idem habet Isid. Hisp. *erectio lapidis resurrectio Christi est.*

Psalm. 44.

Cyrillus.

Isid. Hisp.

A

Christus nostrarum mentium splendor.

189. *Tulit lapidem fundens oleum desuper*, diximus lapide Christum Dominum designari, sed lapide oleo peruncto, *quid denotatur Christus etiam*, inquit Procop. *perunctus oleo lætitiæ præ cõsortibus suis*, & D. Euch. lib. 3. in Genes. quod perficit lapidem oleo, signum est Prophetiæ euidentissimæ constitutum, quæ pertinet ad vnctionem, vnde Christi nomen à Chrismate est: sed cur oleo vnctus potius quam aliquo liquore, vt vini, balsami &c. aduerte quod vna ex proprietatibus olei est lumini ministrare, & splendorem tribuere, quod doctissimus Thomas Monach. Cister. lib. 4. in cant. obseruat, cum de sponsa loquens ait, *in cella vinaria non solum credimus sponsam inebriatam vino lætitiæ, sed inde accepisse, oleum non quo proximum seduceret sed quo filios vngeret, consolatione mulceret, amoris affectione illuminaret charitatiue operis splendore*, hæc verba expende & dicas verè Christum Dominum lapide in quantum oleo inuncto denotari, quia Christus Dominus nostrarum mentium lumen & splendor est; quod D. Hieronym. explicans hunc vers. Psal. 17. *tu illuminans lucernam meam Domine, non videt*, inquit, *intellectus animæ nisi à Christo illuminetur, ille enim est inquit Ioann. qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Procopius.
D. Euches.
D. Hieronym.

B

C

Christi gratia peruncti victores sumus vitiorum & tentationum.

190. *Tulit lapidem fundens oleum desuper*, nescio quomodo Christus Dominus oleo designari debeat, cum David Deum deprecans ait, *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*; & Salomon Prouerbio quinto (*fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius quasi absynthium*) oleum hic in malam partem sumitur, vt eruditissimus Rodolphus Baynus libro primo capit. quinto in Prouerb. annotat, inducens Salomonem dicentem, imprudens iuuentus deliciis seduci solet, tu mi fili exitus verum non initia perpende, omnia amœna, omnia iucunda, qualia sunt fauus & oleum, pollicetur caro, cuius desideria si sequantur postrema illius quouis absynthio amariora experiemur, si ergo oleum in malam partem sumitur, cur Christus Dominus oleo cõparabitur? aduerte quod licet in malam possit partem detorqueri, longe pluries in bonam sumitur, condit enim cibos, sanat vulnera, leuat labores, molestias minuit, sed hoc habet quod vegetat, roboratque artus corporis, ita vt illud reddat habile ad luctandi certamen, vnde Athletæ ingressuri palæstram oleo vngebantur, merito igitur lapis vnctus oleo, Christi Domini est symbolum, quia in agone virtutum suos Athletas suauissima pariter atque fortissima gratia perunctos in aciem deducit, vt illi habeant & causas certaminum & occasiones triumphorum, quod quidem à diuina clementia in nostrum cõmodum inuigilante profectum est, iuxta illud D. Cyprian. libr. de sing. cler. *inæstimabilis misericordia, inquit, quæ vndique honori suo contulit gloriam, & incomprehensibilis pietas quæ scilicet pugnas dedit & palmas.*

D

E

Cyprianus.

F

Omnia nostra Deo tribuamus.

191. *Tulit lapidem fundens oleum desuper*, nõne hoc oleũ vel pro cibo vel pro vnctione corporis contra membrorum lassitudinem secum detulerat, cur ergo super lapidem illud effundit? nonne tibi adhuc longa restat via conficienda? illud igitur in remedium tum mediæ, tum lassitudinis serua, quamuis oleum sibi charissimum fuerit & necessarium; illud tamen libenter consumit, hac liberalitate denotans omnia nostra Deo tribuenda, sic noster Ferus, *oleum secum detulerat vel pro cibo, vel pro vnctione corporis, hoc autem nunc in Dei cultum effundit, quasi paratus & sua impendere tam benefico Domino.*

Noster Ferus.

Christo Domino Rege à Sacerdote comparente, figuræ eum signantes euasere.

192. *Tulit lapidem fundens oleum desuper*, mysteriorum plurium instrumentum fuit oleum, quo vsus primus legitur, ac hunc lapidem oleo perunxit Iudæis, postea Deus præcepit, vt ex oleo factum conficerent vnguentum, quo perungi possent ii qui vocabantur ad Sacerdotium & regnum, & sicut nunc inquit Lactantius lib. 4. Romanis indumentum purpuræ insigne est Regiæ dignitatis assumptio, sic illis vnctio sacri vnguenti nomen & potestatem regiam conferebat; addit Gul. Hamerus, quæ inter multa sacra quæ secundo templo, quod post Babylonicam captiuitatem extructum erat, defecerūt, erat quoque hæc sacra vnctio, Arca enim fœderis Domini, quam iubente Domino Moyses in deserto construxerat, priori templo quod Salomon ædificauerat illata fuit, asseruabat hæc præter alia, quæ Iudæis sacrosancta erant vnctiones, hoc oleum, deinde vastato templo à Chaldæis Arca hæc in Babylonam translata est, nec postea Iudæis redeuntibus restituta est, neque in secundo templo illo post Babyloniam cõdito, Arca hæc fœderis Domini, in qua vnctionis oleum asseruabatur, erat, eoque magna dignitas huic templo detracta existimabatur, eratque prior domus à Salomone extructa, hoc titulo longe clarior, hæc sine dubio sine diuino consilio peracta non fuere, sed cur dicimus non hæc contigisse sine speciali Dei Prouidentia? gloria inquit eit. Ham. domus huius vltimæ, nempe Ecclesiæ, longè clarior erat, quam prioris, nam non erat in 2. domo Arca hæc fœderis Domini, non vnctio, quæ Iudæis erat sacrosancta, atqui Christus Dominus sua præsentia secundum hoc templum nobilitauit, & longe illustrius reddidit, neque enim fas erat vt visibile hoc & typicum oleum, in secundo hoc templo esset, quod Messias ingressurus erat, diuino oleo vnctus dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Psalm. 44. typicum hoc oleum & verum sic describit, *quoniam oportebat vt figuraretur vnctio illa vmbratilis, & vmbratiles reges & sacerdotes & tunc vngeretur vera vnctione, caro Domini aduentu Spiritus sancti, in ipsam, appellatur verè oleum exultationis, virtus vero est præ consortibus suis, id est supra omnes homines, qui cum Christo consortes sunt, ideo illis quidem dabatur particularis quadam Spiritus communio, at in filium Dei descendens, Spiritus sanctus, super ipsum, vt Ioannes ait, mansit.*

Leuissima obsequia sibi præstita Deus habet gratissima.

193. *Surgens tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit titulum fundens oleum desuper*, quasi benefactorem Deum exigui olei effusione demirere vellet, mirum equidem, nam videns Deum cœli dominatorem & Angelorum, audiensque eundē magnificum bonorū sponsorem, quomodo audet tanto Domino opulentissimo, parui olei munusculum offerre, vt de adeo exiguo munere Deum sibi deuinctum redderet, quia Deus etiam leuissima munuscula, & exigua obsequia sibi præstita etiam habet accepta sic D. Theod. quest. 83. in Genes. *nō respuit*, inquit, *etiam minima benignissimus Deus gratā habens operis intentionem.*

D. Theod.

Quodlibet pietatis opus Deo gratum est.

194. *Tulit lapidem & erexit titulum fundens oleum desuper*, cum bonorum nostrorum non egeat Deus omnium possessor & distributor, ad quid oleo lapidem inungis? illud tertia tibi adhuc longa restat via; nonne illud fudit in indicium in Deum pietatis & animæ deuotionis? ab hoc opere igitur Iacobum ne diuellas, quia quodlibet pietatis opus Deo gratum, non dissentit cit. Theod. *bona sua munificentissimo Domino commutauit, nam cum erexisset lapidem quem capiti supposuerat, perfudit eum oleo, quod etiam nunc fieri solet à permultis vxoribus fidelium, qui Christo crediderunt, nam consueuerunt in templis diuinis oleo vngere adytorum cancellos & sanctorum martyrum thecas, ad demonstrandam animi pietatem.*

D. Theod.

Etiam exiguum munusculum templo oblatum maximè Deus remunerat.

195. *Tulit lapidem & erexit titulum fundens oleum desuper*, hic lapis in quo templum fuit postea constructum, secundum doctissimos aliquos fuit, quasi oblatus à Iacob, ad futuram illius constructionem; quid plura, factus Liæ & Rachelis sponsus ingentisque familiæ dominus, multisque pecoribus & armentis ditatus, accepitā Deo responsum, vt reuerteretur in terram suam securus & diues, vndenam? scire cupis, propter obsequium Deo præstitum, sic ei fuit propitius ipsemet ait, Genes. 31. *ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi, nunc ergo surge, &c.* nonne vides, quam manet alta Dei mente repostus lapis illi Deo oblatus fœlix qui in domo Dei vel lapidem vnum afferat, eo sane habebit Deum sibi deuinctum, qui quem posueris lapidem æternum, meminit & tibi acceptum refert, sed felicior, si tibi facultas permittit aurum & argentum in templi structionem, & illius conseruationem tribuere, non enim latet, inquit Orig. Hom. 13. in Exodum, *vnusquisque, quid ei offerat quā gloriosum tibi est, si dicatur in tabernaculo Dei aurum istud v. g. quo Arca testamenti contegitur, illius est argentum, ex quo bases & Columna, illius æs de quo amiculi, candelabrum, & nonnulli columnarum bases facta sunt.*

Origen.

Deus labores etiam asperos suaues efficit.

196. *Tulit lapidem quem supposuerat capiti suo fundens oleum desuper*, at quorsum oleo lapidem perunxit? si enim oleum vegetiorem hominem reddit, lapis eo fortior non efficitur, forte oleum lapidi infudit, vt significaret non fuisse sibi illum cubitum durum & asperum, sed potius mollem & iucundum, in quo cum Deo labores suos subleuante familiariter somniares, quod si Deus vel per somnium tantum socius, omnem laborum duritiem, sic emollit, vt durum saxum blando oleo blandius efficit, quid solatii in omnibus aliis tibi non exhibebit? audi D. Hieron. in Epi. 1. ad Heliodorum ad hūc locum alludentem, qui ita illum ad monasticæ vitæ tolerantiam sic hortatur, *paupertatem times*, *sed beatos Christus pauperes appellat, labore terreris? at nemo Athleta sine sudore coronatur, de cibo cogitas? sed fides famem non timet, super nudam metuis humum exesa ieiuniis membra collidere? sed Dominus tecum iacet.*

Trinitas cum vnitate essentiæ.

197. *Tulit lapidem quem supposuerat capiti suo*, nonne plures cum requiescere voluit, lapides supposuerat sub capite suo? quomodo igitur vnicū inuenit, quem erexit, in titulum? si enim plures fuerant quos posuerat, plures amouere debuit, plures dicit licet vnus fuerit ad denotandam cum pluralitate essentiæ vnitatem, sic expresse Abul. *possumus nos*, inquit *melius interpretari, scilicet, quod signat vnitatem personarum, intra vnam singularem essentiam.*

Abulens.

Beneficiorum Dei semper simus memores.

198. *Tulit lapidem & erexit in titulum fundens oleum desuper*, alii legunt posuit Deum in monumentum, cur in titulum vel monumentum, lapidem erigit, habita tum eximia visione, tot sibi factis promissionibus? sine dubio illū erexit, vt tanti mysterii, & sibi & posteris memoria vigeret, neoq; omnium bonorum auctori debitæ gratiæ redderentur, sic Chrysost. inducens Iacobum loquentem ait, *iustum fuit vt debitam hic gratiarum actionem Domino reddam, & offeram* & merito præclarum est enim teste Cæsario 1. Dialogo, *in prædicatione diuinorum operum ad omnes perpetuo vocalem esse.*

Chrysostom.

Diabolus Dei simia piæ religionis fictor.

199. *Tulit lapidem & erexit in titulum fundens oleum desuper*, videtur factum illud Iacob olere paganorum superstitionem, eorum namque magna putabatur religio & pietas, lapides, ligna, nemora vngere, ornare, coronare, vnde Arnobius de seipso loquens, cum adhuc paganismi detineretur erroribus hæc in primo lib. aduersus gentes scribit: si quando perspexeram lubricatum lapidem, & ex oliuæ vnguine irrigatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam de nihil sentiēte trunco, cur igitur in morem paganorum fugit lapidem, vel vt habet Pag. statum & oleo inungit? inungit equidem, sed non more Ethnicorum, nam nec illi vncto lapidi diuinum cultum honoréque adhibuit nec lapidi vota fecit, sed Deo, nec in eo lapide numinis quidpiam diuini esse putauit, vt Ethnici arbitrabātur, verum cur Diabolus suos impulit, vt lapides erigerent, oleo vngerēt, sicut Iacob fecerat, quia Dei simia est, & diuinitatis affectator: vnde quæ à sanctissimis uiris in colendo vero Deo, magna cum laude & eximia pietate cernebat, ea sibi quoq; adhiberi voluit, ab iis quos impiis erroribus à se deceptos, sui cultores fecerat, de hoc dæmone Dei simia loquens B. Iust. Mart. in Dialog. cum Tryphone ait, *scito igitur, ô Trypho, dicere pergens intuli, eum qui Diabolus dicetur, quæ ad imitationem veritatis falso apud Græcos assimilauit inscripta referri, & sermonibus curasse: quemadmodum & per magis in Ægypto opera sua, & per eos qui sub Elia fuere, pseudeprophetas efficit &c.*

Non Deo displicet prouocare ad promissa sua ad implenda.

154. *Tulit lapidem & erexit in titulum &c.* nudum lapidem eleuat in signum, propter promissiones sibi hoc in loco à Deo factas, sed cur erigit aliquid in signum promissionis diuinæ sibi factę; vt eo Deũ ad implẽdam prouocaret, testis est Oleast. *docet nos hic sanctus Iacob testes vocare ad promissiones Dei, qui ad memoriam pollicita deferant, neque hoc ipsi Deo displicere.*

Oleaster.

Qui pauperi Eleemosynam tribuit lenit iustitiæ Dei rigorem.

155. *Tulit lapidem fundens oleum desuper*, in Hebræo super caput eius, non est dubium, nomine lapidis, pauperes posse denotari, nam si cœlestis Hierusalem construitur viuis ex lapidibus, quis dubitat inter eos plures pauperes esse? nec non lapidum huiusmodi Christum esse caput, sed si caput est Christus, cur dicitur, quod Iacob fudit oleum super caput istius lapidis? non est dubium olei proprietatem esse lenitiuam: quo posito, quis vetat dicere ideo Iacob caput lapidis inunxisse, ad denotandum quemlibet fidelem pauperibus distribuere facultates suas, vt hoc oleo Christi Domini leniat & demulceat iustitiam, non dissentit Pepinus, cum ait, *Iacob infundens oleum super illum lapidem, est deuotus Christianus, qui propter Christum dat Eleemosynam pauperi, & hoc est quod præcipis esse faciendum ipse Christus Matt. 6. cũ ait, tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, quod est Christus, quia faciendo misericordiam pauperi, propter ipsum, mitigat rigorem suæ iusti. iæ erga se ipsum, & prouocat eum ad miserendum sibi similiter.*

Pepinus.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIX.

VVLG. Appellauitque nomen vrbis Bethel, quę prius Luza vocabatur.

Sept Et vocauit nomen loci illius domus Dei, Veulã Luz erat nomen ciuitati prius.

Chald. Nomen autem ciuitatis Luz prius vocabatur.

Caiet. Et vero Luz nomen ciuitatis primum.

CONCORDIA.

SEptuaginta, vt moris eorum est, non nomen ipsum, sed quod nomen interpretaretur, verterunt; dixerunt enim οἶκος θεοῦ vbi habemus Bethel, quæ idem sonat, constat hoc loco apud Septuaginta lapsus, nam aduerbium Hebraicum ואולם Veulam, quod est verumtamen, seu verè, arbitrati sunt partem esse nominis eius vrbis vnde ex nomine Luz & Veulam, vnum nomen constituerunt, hoc modo λαμμαους neque hoc mirum, nam & eiusdem generis plurima apud eos reperies: hoc idem annotauit & apud Græcos grauissimus scriptor Acacius, inquiens sciendum Vlam, non in partem nominis reddidisse Aquilam, sed vt significans, & prius, ipsam vero vrbem apertè & expressè postea vocat Luzam.

EXPOSITIO.

APpellauitque nomen vrbis Bethel, hæc vrbs non fuit Ierusalem, sed alia est ab ea ciuitas, quod ex illo 3. Reg. cap. 12. deducitur: nam ibi dicitur, quod Ierobam posuit in Bethel vitulum aureum, vt in eius cultu detineret populum, ne iret in Hierosolymitanum templum, vbi regnabat Roboam, ex quo apparet locum Bethel dissitum fuisse à monte Moria, & vrbe Hierusalem, quæ tamen quia templum Dei in ea erat, dicta est Bethel, id est domus Dei: plures sunt tamen, qui eandem cum Hierusalem esse asserant, licetque locus in quo Iacob, erexit lapidem, fuerit extra vrbem, tamen postea in ea inclusus fuit, *quæ prius Luza vocabatur*, Luza autem interpretatur amygdalus, quod his arboribus maxime abundabat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Dei beneficiorum in nobis sit semper memoria.

156. VOcauitque nomen vrbis illius Bethel, cur nouum nomen ei indidit? nonne antiquius, quod est Luza, quod ibi maxima amygdalorum esset multitudo, conuententius esset? diximus Bethel interpretari domum Dei, quam ita nominauit, quod in eo loco ostium cœli apertum, & famulos DEI scilicet Angelos ascendentes & descendentes conspexerit, merito igitur hoc nomen nouum, nempe Bethel, ei imposuit vt memoria tanti beneficii à DEO accepti semper permaneret, *optimum est*, inquit Oleast. *loca quibus nobis DEI beneficia contigere, adnotare, vt nobis diuinorum beneficiorum semper admoneant.*

Oleaster.

Domus Dei ex aliquorum impietate sortitur nomen iniquitatis.

157. *Vocauitque nomen vrbis illius Bethel*, quæ interpretatur domus DEI, tamen posteriori tempore dictam Bethauen conspicio, sic enim appellatur ab Osea c. 4. his verbis, nolite ingredi in Galgala, & ne ascenderitis in Bethauen, & cap. 5. vlulate in Bethauen, post tergum tuum, Beniamini & cap. decimo vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, in tribus illis locis Bethauen esse positam, pro Bethel oratio ipsa & sanitate Prophetæ demonstrat, & docet Hieronym. Euarrtæus ea prophetæ loca, nomen autem Bethauen cõpositũ est ex Beth, quod significat domũ & Aue, quod Theod. vertit

vertit iniquitatem, Symmachus & Aquila transtulerunt inutile siue nihilum, quo modo locus qui nomen domus Dei sortitus fuerat, in nomen domus iniquitatis commutatur, quid enim commune habet domus Dei, cum domo iniquitatis? aduerte quod in Bethel execrabilis idololatria celebrata fuit à populo, vt constat ex tertio Reg. cap. decimo secundo, vbi dicitur de Ieroboam duos vitulos fecit aureos, posuitque in Bethel, & alium in Dan, & dixit populo, nolite vltra ascendere in Hierusalem, ecce dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti eo, ne mireris igitur Bethel postea dictam Bethauen, quia domus Dei ex aliquorum impietate sortitur nomen iniquitatis, *est autem Bethel*, inquit Hieronym. cap. quarto Oleæ, *quæ prius vocabatur domus Dei, & postquam in ea vituli positi sunt Bethauen dicta est, idest domus inutilis, vel domus idoli, vel vt habet Theodotio, domus iniquitatis.*

Oleæ.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XX.

VVLGATA. Vouit etiam votum dicens, si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum.

Chaldæus. Si fuerit verbum Dei in adiutorium meum & custodierit me in via hac qua ego vado.

EXPOSITIO.

Vouit etiam votum Deo, promisit voto se obstringens, si fuerit Deus mecum, dirigens studia & negotia mea, *& custodierit me in via per quam ambulo*, viam appellat viam non solum de Bersabee vsque ad Mesopotamiam, sed totam suam peregrinationem, *& dederit mihi panem ad vescendum*, quo vita conseruatur; petit autem ea quæ ad vitam sunt necessaria, *& vestimentum ad induendum*, quo ab aeris intemperie nuditas mea protegatur, intelligit etiam per vestimentum, habitaculum, vel tentorium quod incolat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ille imperfectus qui cum Deo alia postulat.

158. *Votum vouit si Dominus fuerit mecum & dederit mihi panem &c.* quid ais Iacob, si Dominus tecum fuerit; quid aliud in desideriis habere potes? ipse est enim tibi sufficientissimus cùm in eo sint omnes thesauri, cur ergo præponens, si Dominus fuerit tecum, addidisti, & dederit mihi panem? Iacobum ne mireris hæc protexentem, imperfectione enim detinebatur, ille enim imperfectus, qui Dei consortio non contentus simul cum eo alia postulat: quod annotat D. Greg. Magn. lib. 9. Moral. cap. 30. *videas*, inquit, *velle Dei consortium Iacob, & velle temporalia bona, duplex habens videlicet cor, & adhuc inconstans in viis suis, sed postea vir factus & Israel, id est videns Deum, vno mox pede claudicauit, quia qui nec amore sublimi respicit, iam in hoc mundo duplicibus incedere desideriis.*

D. Greg.

Vota etiam si sint eorum quibus naturaliter tenemur soluere, Deo sunt grata.

159. *Votum vouit, si fuerit mecum*, subiungit, *erit mihi Dominus in Deum*, nonne lege naturæ teneri Deum omnium auctorem vereri? naturali enim lumine Deum esse cognoscere potuisti, cur ergo votum misisti & eo te obstringis te Deum, si custos viæ tuæ fuerit, panemque dederit, eum habiturum? quia vota etiam si sint eorum quæ etiam naturaliter debemus soluere, Deo sunt grata. Fauet Oleast. *ostendi hic locus Deo vota nost. a placere, etiam si illorum sint ad quæ natura tenemur.*

Oleaster.

Deum nobiscum esse maxime desiderare debemus.

160. *Votum vouit Deo dicens, si fuerit Deus mecum. &c.* si tot egregia tibi Deus est pollicitus, vt quod in numerum pulueris terræ posteri tui multiplicarentur, quod possessurus esses terram Chanaan, &c. cur ab eo non exigis, quod adimpleat sua promissa, non autem solum quod tecum sit? prudenter hoc secundum deprecatur, quia nihil ita in desideriis habere debemus, quam Deum habere nobiscum, ita cit. Oleaster, *disce quod optet sanctus vir, vt scilicet cum eo Deus sit, & custodiat eum in via.*

Oleaster.

Deus quia bonus in se diligendus.

161. *Votum vouit Deo, si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem*, deinde concludit, *erit mihi Dominus in Deum*, arguitur Iacob imperfectionis, ex eo quod vouerit se Creatorem cœli & terræ, pro Deo habiturum, illius adorationi & cultui sese dediturum, dummodo sibi victum & vestitum præstet, cum absolutè dicere debuisset, voueo te in summum bonum adoraturum, nulla alia conditione posita, sed cur arguitur tanquam imperfectus, cum laudabile sit votum emittere de Deo semper obsequendo, propter sua beneficia laudabile, sed longè maiori laude dignum, Deo obsequium præstare, ipsum vnicè diligere, non quia bona concedit temporalia, sed quia in se est optimus, quod consulit regius Vates, Psalm. 117 cum ait, *Confitemini Domino quoniam bonus*, ad hæc verba sic loquitur D. Bern. Ep. 11. *qui magis aut certe solum diligit suum, conuincitur non castè diligere bonum, quod vtique propter se diligit, non propter ipsum confitetur Deum, quia fortassis bonus est sibi, non autem quoniam bonus est in se:* deinde subiungit, *est qui confitetur Domino quoniam potens est, & est qui confitetur quoniam sibi*

Psalm. 117.

bonus est, & item qui confitetur quoniam simpliciter bonus est, primus seruus est, & timet sibi secundus mercenarius est & cupit sibi, tertius filius, & defert patri, itaque & qui timet, & qui cupit vterque pro se agit, sola quæ in filio est charitas non quærit quæ sua sunt.

Humilitas in Dei gratiis habenda.

162. *Votum vouit Deo, si fuerit Deus mecum &c.* votum certe illud emisit, fortè timet ne Dei promissio ei facta foret conditionalis, scilicet modo ipse in Dei obsequio & cultu permaneret, & se ab omnibus vitiis illæsum ac purum custodiret, sed cur times, cum tot tibi facta fuerint à Deo promissa, tibique tot benedictiones largitus fuerit, totque fauoribus fueris cumulatus? timet equidem, sed ex magna summissione & humilitate, ne tanquam obnoxius peccato, aliquid in Deum delinqueret, quod Dei promissionum adimpletioni contrarium esset, hæc enim humilitas decentissima erat Iacobo, quia quo maiora à Deo beneficia accipimus, eo humiliores esse debemus, *est enim*, inquit D. Augustinus, in Psalm. centesimũ trigesimũ, *exultatio de abundantia gratiarum valde timenda, ne quis de dono Dei superbiat, sed magis seruet humilitatem & faciat quod scriptum est, Ecclesiast. tertio, quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.*

Augustin.

Ecclesiast. 3.

Miseria diuitiarum.

163. *Votum vouit Deo si fuerit Deus mecum & dederit mihi panem*, dedecet à potentissimo pauca postulare, quis autem Deo potentior? quid autem pane communius? cur igitur panis solius tua est petitio? sit auri, sit argenti, sit plurimarum opum, quibus nihil præstantius, nihil fœlicius: sed falleris, nihil enim his infœlicius, *etenim*, inquit Prosper. lib. primo de vita cont. cap. decimo tertio, *qui militat Deo, fugiendæ sunt ex toto corde diuitiæ, quas qui habent sine labore non quærunt, sine difficultate non inueniunt, sine cura non seruant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.*

Prosper.

Panis Eucharisticus indignis sit lapis durissimus.

164. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum*, panem à Deo postulans, haud dubio, diuino afflatus spiritu, Christum ipsum in Sacramento altaris, panem de cœlo verum, panem vitæ, mortis antidotum, spem pignusque æternitatis expetebat, vnde Rupert. ad hunc locum admonet, precemur à patre panem vitæ æternæ, de quo dixit Ioann. 6. & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita, sed si panem Eucharisticum postulabat non solum sibi, sed posteris suis illum summopere exoptabat, quomodo Deus Iudæis ait Isai. vigesimo octauo, ecce pono in Sion lapidem, id est in templo meo; lapidem inuenietis pro pane, nonne Iudæi, nempe posteri Iacob, sanctissimo pane indignos se exhibuerunt? quid mirum igitur si panem vitæ respuentes, lapidem offensionis & interitus inuenerunt? quam in sententiam pulchre Sanctus Petrus Chrysol. Serm. quinquagesimo quinto, ad illa verba Domini Luc 11. quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? [illegible] dixerit, *Christus venerat panis de cœlo, sed Iudæus conuersus est in lapidem offensionis & in petram scandali, ecce pono in Sion lapidem: quare petram, quia mordere petram, non panem quærere gestiebant, circumdederunt me canes multi*, Psalm. vigesimo primo. *postea quam illi ex hominibus in canes probantur esse conuersi, cœlestis ille conuersus est panis in petram, non dantis vitio, sed accipientis nequitia.*

Rupert.

Ioan. 6.

Isayæ 28.

S. Pet. Chrys.

Psalm. 21

Panis Eucharisticus omnem depellit famem.

165. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum*, si panis non sufficit ad omnem famem depellendam, si enim multum panis comederis, ad alios cibos habendos non tibi deest desiderium, cur igitur simul cum pane alios non deprecabatur cibos habere? nonne diximus hac petitione panis, panem Angelorum exoptasse? quid mirum igitur si solum panem petierit? quia Eucharisticus omnẽ facit famem repellere: nobis adstipulatur D. Leo Serm. 3. de Egyp. qui rationem præbens cur Christus Dominus puer in Ægyptum secedere voluit, ait, *qui sanguinem suum pro mundi Redemptione fundendum, in aliam differt ætatem Ægypto se parentum ministerio subiectus intulit, repetens Hebrææ scilicet gentis antiqua cunabula, & principium veri Ioseph maioris prouidentiæ potestate dispensans, in illam duriorem omni inedia famem qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborant, veniens de cœlo panis vitæ & cibus rationis auferet, nec sine illa regione pararet singularis hostiæ Sacramentum, in qua primum occisione agni salutiferum crucis signum, & Pascha Domini fuerat præformatum.*

Panis Eucharisticus non datur otio indulgentibus.

166. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum*, quo Eucharisticum diximus designari, sed cur dictum est à Moyse, quod surgens mane hoc à Deo deprecatus est? nonne humi iacens potuit hunc panem petere? cur obseruat Moyses quod mane surgens, hanc orationem ad Deum habuerit? bene non humi iacens, sed surgens & itineri se accingens hunc panem petiit, quia panis Angelorum non dormientibus, nec otio indulgentibus exhibetur, ita Cyrill. Alex. cap. trigesimo, *panis nempe Christus cum labore & sudore inuenitur; magna enim & eximia bona non percipiuntur ab iis qui iacent & delitiantur.*

Isayæ 30.

Nullæ delitiæ nisi in hoc Sacramento Eucharistico.

167. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum*, tu dignus es certe, quod à Deo exaudiaris, cum ab eo, id quod etiam inimicis suis tribuit, postules, delitias & omnes voluptates quæ licite possunt haberi, ab eo exige, cum enim fidele præstes ei obsequium, petitioni tuæ acquiescet, prudenter nihil aliud quam panem postulat, quia cum ille sit typus Eucharistici, omnes delitias quæ cogitari possunt, continet, *vt manna*, inquit D. Cyprian. de cœna Domini, *sic & hic panis omne delectamentum in se habet virtute mirifica, omnibus qui deuote & digne sumant secundum suum desiderium sapit, implet, satiat edentium appetitus, & omnium exuperat dulcedinum voluptates.*

Cyprian.

Ne superflua, sed tantum necessaria postulemus.

168. *Si Dominus fuerit mecum & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum*, si panis in cibum ordinatur, sicut vestimentum in operimentum, cur igitur à Deo panem petens, addidisti ad vescendum? vestimentum similiter postulans, subiunxisti ad induendum? recte vtrumque posuit, ad denotandum non superflua, sed solum necessaria concupiscere, non panem in abundantiam, sed ad necessitatem subleuandam, non vestimentum, ostentationis sed solius operimenti gratia, quod notat D. Chryso. *non diuitias inquit, non abundantiam quandam petiuit, sed panem & vestem hanc ad tegendum corpus, illum vero vt necessarium alimentum tanto ante à magistra natura prælibans, quod postea Christus Dominus nobis effusurus erat*, sic prosequitur, *considera quomodo nobis Apostolicum caracterem petitione sua significauit tanto sapientiæ studio plenus erat iusti animus, nam id quod Christus dicebat, ne possideatis vel aurum, vel argentum, vel duas tunicas, hoc iste nūdum à quoquam doctus, sed à se ipso & ab insita natura magistra nostra, didicit & optauit.*

D.Chrys.

Liberalitas maxima Christi Domini in hoc cibo eucharistico largiendo agnoscitur.

169. *Si fuerit Dominus mecum & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum*, videamus quæso quem cibum esurit Iacob? respondeat D. Pasch. lib. de corp. & sang. Domini, cap. 21. *hunc cibum Iacob Patriarcha esuriebat, si fuerit Dominus mecum & dederit mihi panem ad edendum; quotquot ergo baptisantur Christum induūt & panē Angelorum comedunt*, quo posito difficultas esse potest, expendendo verba Patriarchæ, cur modò non antea, imo cur non potius antea, quam modò Deum vult habere, cum illi vitam concesserit? pro intelligentia aduerte, quod ait Phil. Iudæus libro de insomniis, cæterum beneficæ potentiæ Deus nomen est, regiæ vero Dominus, respondeo ergo ideo optime dixisse Iacob Dominum futurum sibi in Deum, si cum & suos satiaret Christi Domini corpore, pane Angelorum, quia maxime suam manifestat liberalitatem, illum largiendo hominibus, quod admirans Aug. in Psal. 32. ait, *ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant sempiternæ virtutes, manducant cælestes spiritus & manducant ac saginātur, & integer manet, satiat & lætificat, quis autem homo posset ad illum cibum? quomodo ergo de ipso pane nos sapientia Dei? quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis, videte ergo humilitatem*, adde & liberalitatem, *quia panem Angelorum manducauit homo, vt scriptum est, panem cœli dedit eis.*

D.Pasch.

Phil.

S. August. Psal.32.

Maiora nobis præstat beneficia in huius sacramenti elargitione quàm si virtutem concederet maxima perpetrandi miracula.

170. *Si fuerit Dominus mecum &c. & dederit mihi panem ad manducandum, erit mihi Dominus in Deum*, dubium excutiamus, cur totum deitatis siue beneficæ potentiæ atque benignitatis in seipsum? ad hoc cibi atque indumenti beneficium, tam signate, tam peculiariter Iacob retulit? ac si quodammodo Dominus Deus non foret sibi futurus, nisi hoc præstaret, nonne splendidius illi ac magnificentius donum tribueret, si cœli solisque, ac lunæ rectorem constituisset? maius & excellentius donum nobis confertur in hoc cibo Augustissimo, quam si nos moderatores & gubernatores ad libitum efficeret: ad hoc alludit D. Chrysost. ho. 27. in Ep. ad Heb. occasione Iosue solis cursum cohibentis, in medio suo cursu, *forsasse vnusquisque vestrum vellet esse eiusmodi vt posset imperare soli & lunæ, sed his maiora assequemur si velimus, nam quanam nobis promisit Christus non fore vt solem sistamus, neque Lunam, neque solis retrogradationem*, sed quid? *veniemus inquit, apud ipsum ego & pater meus & mansionem apud eum faciemus, quid mihi opus est sole & his miraculis? cum ipse omnium Deus ad me descendat, & apud me firmus maneat & stabilis*, quomodo autem ad nos descendit, nonne etiam mediante receptione illius pretiosissimi corporis? secundum illud, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.

S. Chrysost.

Deus in liberalitate quamuis non videatur, agnoscitur.

171. *Si fuerit Dominus mecum & custodierit me in via perquam ambulo & dederit mihi panem ad vescendum & vestimentum ad induendum*, subiungit, *erit mihi Dominus in Deum*, ô Patriarcha, cur tibi erit Dominus in Deum? vel vt Paraphrastes Caldaicus habet, erit mihi verbum Domini in Deum? cur modò non antea? imo potius antea quam modò, nonne verbo Domini cœli firmati? Psal. 32. nonne in principio erat verbum & Deus erat verbum? respondeat ipse Iacob, premens illud, *mihi*, ac si diceret, bene quidem verum est Dei verbum ab æterno, Deum ac Dominū esse, mihi tamē benefica ipsi⁹ natura velut de facie notum reddat, tum sigillatim innotescet, cum erga me liberalis erit in administrandis ad vitam necessariis, ita Phil. lib. de insomniis, *cæterum beneficæ potentiæ Deus nomen est, regiæ vero Dominus*: sed luculentius lib. de plantat. Noe. *Iam. Hæ voces Deus æternus, idem valet ac si dicat, non qui aliquando largitur, aliquando non, sed semper & continuo, qui sine intermissione benefacit, qui dona donis cumulando continuat, cuius gratiæ inter se connexæ semper in orbem redeunt, hoc ille mediator Iacob postulauit, in fine precum, dicens & erit mihi Dominus in Deum, ac si dicat, iam non herili potestate libera erga me vtitur sed benefica, propitia, & vndequaque salutari potentia, sublato dominationis metu, & anima deuincta beneficiis mutuam gratiam conciliantibus.*

Psal.32.

Philo Alex.

Nihil, licet eximia possideamus, nos habere credamus nisi pane Eucharistico donemur.

172. *Si fuerit Deus mecum &c. & dederit mihi panem ad vescendum*, ô Iacob, quid ais? regnum tibi promittitur, & panem quæris? dixerat enim tibi Deus superius, dilataberis ad Orientem, & Occidētem, & Septentrionem, & Meridiem, benedicentur in te & semine tuo cunctæ tribus terræ, terram in qua dormis, dabo tibi, vide quot & quanta promittat? quot beneficiis hominem cumulet? nempe latissimam regionem ei pollicetur, diuinam curam & protectionem &c. cur ergo post tot magnifica & eximia promissa, panem postulat? quia notante Ruperto lib. 7. de Trinit. c. 25. panis quem Iacob petit, panis Eucharisticus est, ergo quamuis multa ei concesserat Deus, multa promiserat, nihil tamen habere iudicauit, nisi tamen & his omnibus panis accederet, & propterea aliis omissis, de pane fecit mentionem, quia Eucharistiā rebus omnibus prætulit, & præter hanc nihil esse iudicauit, vnde non meminit eorum, quæ Deus promiserat, sed tantum panem in medium attulit, vide quanti fecerit hunc

panem, quem regno & aliis omnibus quæ Deus promisit, prætulit? sed hoc testatur Rupert. *verum neque ipsa vouentis oratio condi tionalis prætereunda est, nam cum dixisset si Dominus fuerit mecum & custodierit me in via qua ambulo, hoc etiam adiedit filius potentis, magni vehementer ac diuitiis hominis, & dederit mihi panem ad vescendum.*

Rupert.

Bona temporalia à Deo esse fateamur.

173. *Si fuerit Dominus mecum & dederit mihi panem*, panem visualem sine dubio postulas, ais enim si dederit panem ad vescendum: sed ô Iacob, cum Deus in necessariis non deficiat, panis autem sit ad vitæ conseruationem necessarius, hac petitione Deum interpellare non deberes: imo prudenter panem postulat, vt etiam illud bonum temporale à Deo esse fateatur, *non solum panem spiritualis alimoniæ*, ait Rupert. libro 7. cap. 25. *sed panem quoque victualem dignemur à patre omnium Deo efflagitare, vt illum quoque ex dono eius fateamur esse, qui solus potuit, & dignatus est curare non minus regi in solio fulgenti, quam sedenti ad molam necessariam viduæ.*

Abundantia & nimia inopia homini periculosa.

174. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum &c.* diuitias non petiisti, quia nihil eis infœlicius, cum earum desiderium, inquit Diuus Paul. 1. ad Timot. 6. nociua mergant homines in interitum & perditionem, sed cum diuitiarum non sis cupidus, cur panem quo vita conseruaretur, & vestimentum quo nuditas corporis tui operiretur, postulasti? pauperrimam vitam dege, quamuis opes non requiras, panem suum prudēter à Deo deprecatur, quia sicut abundantia, sic nimia turpis homini nociua est, quod D. Hiero. illud Prou. 30. *mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, sed tribue victui meo tantum necessaria, exponens ait, ne scilicet copia & inopia transeuntium rerum in obliuionem decidat, æternorum hanc inopiamne intelligas paupertatem voluntariam sed coactam.*

1. Timot. 6.

Sobrietatis simus amantissimi.

175. *Si dederit mihi panem Dominus ad vescendum*, cur ab eo cuius in potestate est vniuersus orbis terrarum, & quidquid in eius ambitu continetur, non cibos delicatissimos, perdices, turtures non postulas, sed solum panem? tibi enim ita facile concedi posset, ac frustum panis: non cibos delicatiores, sed solum panem dari exoptat, vt doceat quanta cum sobrietate vitam ducere debeamus, quod annotat Chromatius, Aquileæ Episcopus, explicans illud Matth. 6. panem quotidianum da nobis hodie, *non iubemur*, inquit, *diuitias petere, aut affluentiam sæcularium rerum, sed panem quotidianum, quod Christianis fide viuentibus ad præsentem vitam solummodo necessarius est, vsus autem hominis panis, aqua, & vestimentum, his quidem natura sobria contenta est, licet humana cupiditatis expleri nequeat vorago.*

Chromatius.

Matth. 6.

Adolescentes non excusari possunt, quin sint sobrii.

176. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum*, cum o Iacob sis adhuc adolescens, cui plures cibi non deberent sufficere, quomodo solo pane contentus arbitraris te vitam transigere posse? vt adolescentes hoc exemplo excusari non possint, quin sobrietatem amplectantur, multi enim, ait D. Greg. Nyss. lib. de virgin. cap. 24. *adolescentes in simplici temperantia consenuerunt, rationeque senectutem præripuerunt, & moribus cursum temporis antecerterunt.*

Vestimentorum luxus fugiendus.

177. *Si dederit Dominus panem ad vescendum & vestimentum ad induendum*, cur absolute non petiisti vestem, sine vlla conditione restringente, scilicet ad induendum, cum vestimentum debeat esse indumentum? recte hanc conditionem posuit vt denotaret vestes ad necessitatem, scilicet vt nuditatem corporis contegeret, non autem ad solum ornatum vel ad luxum petiisse, *caro enim*, inquit D. Petr. Dam. opusc. 29. in illius Prolog. *quæ nunc fucatis vestibus adornatur, flamma post modum studente perfricatur, an non medicinale ferramentum ambitioni vestium, etiam Saluator apposuit, cum diuitem bysso, & purpura decoratum, flammis infernalibus perhibuit? scriptura quippe teste, nil aliud in hoc diuite reprehenditur, nisi quia sub nitore vestium, etiam sine misericordia legitur splendide conuiuatus:* deinde concludit, *ad hoc quisque cultioribus indumentis enitescere concupiscit, in se mirantium mitidulus oblectet aspectum, vt alienorum pascat illecebras oculorum, sed dum mulcet oculos extrinsecus, intuentium interni iudicis offendit obtutum.*

D. Petrus Dami.

Quamuis opulentissimi simus, tamen tanquam inopes postulemus.

178. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum &c.* si opulentissimi patris filius, quomodo panem quo nihil etiam apud pauperes communius est postulas? sed si verba regii Psalmistæ inspiciamus, scilicet quæ profert Psal. 39. ego sum mendicus & pauper, & Psal. 85. inops & pauper sum ego, quæ profert inquam licet sit ditissimus, dicemus quod quibus diuitiis simus præpotentes, tamen diuinam gratiam pane denotatam tanquam inopes petere possumus: obseruatio est Rupert. lib. 7. cap. 28. *hoc tanquam pauper & vere mendicus dicit, scilicet, si dederit mihi panem ad edendum, nec mirum, cum & rex maximus & fortissimus Dauid in Psalmis egenum se ac pauperem & mendicum professus sit, bonum ergo ex patribus exemplum nobis filiis promissum est, vt quantùcumque diuites simus, dicamus tamen mendici omnes ante fores supernæ gratiæ panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Rupert.

Humilitas etiam in petitionibus nostris habenda.

179. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum &c.* si tot eximia prædecessoribus tuis concessit Deus, qui erga omnes, & præcipue in sibi obsequētissimos liberaliss. est, cur tam exigua ab eo deprecaris? quia ex humilitate maiora petere & accipere indignum se indicat: mens est Ioann. Feri, *quamuis sciret Deum & patri & auo suo magna & multa dedisse, ipse tamen non tanta audet petere, indignum se existimans, ac sanctis illis patribus longe inferiorem in quo notatur eius humilitas.*

Ioannes Ferus.

In Deo nostram spem locare non in creaturis debemus.

180. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendū*, inquit Iacob, respiciens regius vates Psal. 145. ait, beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, cur quæso beatum eum dicit, habentem Deum Iacob adiutorem? cur enim potius Deum Iacob quam alterius nominat, cum omnium

omnium sit Deus: aduerte quæso, quod hæc coniunctio si, non semper dubitationem aut conditionem significat scriptura, sed nonnunquam certitudinem vt in Psal. 94. si introibunt in requiem meam, si hic non est dubitantis particula, sed affirmantis, ita eodem modo possumus dicere, quod hæc verba Iacob conditionem vel dubitationē nō includunt, sed affirmationem, scilicet quod certus sum, quod Deus mihi panem tribuet ad edendum, aduerte insuper quod hæc verba protulit cum Esau fratris sui iram fugeret, exulque & omni humano auxilio destitutus peregrinaretur, recte igitur Psalmista ad verba Iacob, si dederit mihi panem ad edendum alludens dixit beatum fore cuius Deus Iacob adiutor eius, & spes eius in Deo ipsius, vt denotaret quantæ confidentiæ Iacob in Deum fuerit, qui minis fratris de patria fugatus, omnisque subsidii egens, ac pœno nudus, certum habuit Dei auxilium, & non alicuius hominis, beatumque fore illum qui exemplum eius sequutus, in solo Deo spem suam ponebat, *vanissima est enim*, inquit Bap. Folengio in cit. Psal. *spes ea est quæ in tam tenui ponitur recula, vt homo est, firmissima vero quæ in Deo, quare hic exclamat vates, fœlix nimirum atque iterum fœlix is est cui Deus Iacob, Deus inquam ille quem sanctæ colunt animæ, est præsidio, cuiusque fiducia solum Domino suo non conseruis se interdum debilioribus nititur.*

Bap. Folengio.

Primum spiritualia à Deo petenda, deinde temporalia.

203. *Si fuerit Dominus mecum & custodierit me in via hac*, deinde subiungit, *si dederit mihi panem &c.* cur ab his primis verbis deprecationem suam orditur? cur autem non ab vltimis dicens, si dederit mihi Dominus panem ad edendum? aduerte quod hæc verba priora spiritualiter intelligi possunt, scilicet vt cum eo esset in tribulatione & custodiret à peccatis: bene igitur ab istis prioribus verbis orationis principium sumit, quia primum spiritualia à Deo petenda, deinde temporalia, vnde Chrysostomus, *ait credamus ei admonenti & dicenti, quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis, ne igitur ea quæ sunt accessoria, quasi primaria pete.*

S. Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXI.

VVLG. Reuersusque fuero prospere ad domū patris mei, erit mihi Dominus in Deum,

Sep. Et reduxerit me cum salute &c.

Cald. Et reuersus fuero in pace in domum patris mei, & erit mihi verbum Domini in Deum.

Vatab. Si reuersus fuero incolumis.

CONCORDIA.

IN Hebræo est בשלום besalom quod proprie interpretatur cum pace, tamen aliæ versiones admittendæ sunt, nam Phrasis Hebraica recte declarat, qui enim in pace regreditur, prospere incolumis debet reuerti.

EXPOSITIO.

REuersusque fuero, id est incolumis ad domum patris mei, non enim intendebat manere in Mesopotamia, sed vt promiserat Rebeccæ ad domum paternam redire, *erit mihi Dominus in Deum*, quæ verba non sic intelligenda sunt, vt si Deus tribueret ei victum & vestitum, reduceretque à Mesopotamia eum pro vero Deo habiturum, si autem e hæc denegaret, non tanquam verum numen eum veneraturum, hoc enim votum non solum fuisset, sed plane stolidum, vouit igitur si Deus largiretur quæ postulabat, se speciali cultu & non debito Deum adoraturum, scilicet vt locum in quo Deus ei apparuerat, dicaret & consecraret diuino cultui, & quod ei decimas offerret.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Timor in amorem desinat.

204. REuersusque fuero prospere in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, cur Dominus in Deum non Deus in dominum? æternum enim numen vt Dominus est omnium, sic etiam Deus est, aduerte ex Philone lib. de somniis, Dominum est, nomen regiæ maiestatis, quam timere debemus, Deum autem nomen beneficæ potentiæ quam diligimus, quo posito, ordinate dixit erit mihi Dominus in Deum, non è contra, vt timor enim noster in amorem desinere debet præstat audire Phil. *cæterum beneficæ potentiæ Deus nomen est, regiæ vero Dominus, vtrumque igitur dicendum est an dignum habere pura, putaque beneficia? vtrum autem posterius nonne quod ex Domino temperatur ea gratia? quod intelligens meditatur vt mihi videtur, precatur rem mirificam, vt ei Dominus fiat in Deum, volebat autem non amplius timere vt principem, sed amanter honorare vt benemeritum.*

Philo.

Deo speciale obsequium præstemus.

205. *Reuersusque fuero &c. erit mihi Dominus in Deum*, quid votum emisistis? quod si prosperum efficiat reditum, incolumēque te custodiat, eum pro tuo numine habiturum, sin autem desideriis tuis non acquieuerit, pro Deo eum non est habiturus? minime, cur igitur dicis erit mihi Dominus in Deum? nonne omnium Deus est? & licet votum tuum non exaudiat, nonne naturali lege teneris eum agnoscere? hæc certe non est mens Patriarchæ, sed ista, nempe si hanc Domini benignitatem expertus fuerit, vt ei necessaria subministret; sic ipsum deinceps vt Deum habiturum spondet, vt illi omnino deuoueat totumque animum (imo plures animos si fieri posset vt haberet) ad ipsius singulare obsequiū

Dion. Carth. intenderet: obseruatio videtur esse Dion. Carth. *non solum nouit quod Dominus sibi esset in Deum, sed & coleret eum per actus speciales deuotionis.*

A

Opera supererogationis Deo sunt gratissima.

206. *Reuersusque fuero erit mihi Dominus in Deum,* diximus mentem Patriarchæ fuisse se speciali obsequio dicare voluisse Deo, & particulari cultu eum colere, sed nonne sufficiebat Deum tanquam omnium creatorem communi reuerentia colere? ad quid igitur specialiter se deuouet? potuit quidem communi cultu ei obsequi, sed speciali voluit, sciens Deum opera supererogationis gratissima esse, *voluit enim,* ait cit. Carthus. *quod coleret eum per opera supererogationis.*

B

Cit. Carth.

Beneficiis in nos collatis manifestat creator cœli Deum nostrum esse.

207. *Reuersusque fuero prospere,* vel vt habent Septuaginta, *si reduxerit me Dominus cum pace erit mihi Dominus in Deum,* cur postquam dixisti, quod acceptis beneficiis nempe pane ad edendum, vestimento ad induendum à creatore cœli & terræ eum tanquam Deum agnosceres, quia beneficiis in nos collatis maxime se Deum manifestat, *precatur rem mirificam,* inquit Phil. Heb. lib. de somno, *volebat enim non amplius, timere vt principem, sed amanter honorare vt benemeritum,* expende illud vltimum, vt bene meritum, scilicet, à quo accepit beneficia.

C

Philo.

Voti emissio etiam in temporalia potest ordinari.

208. *Et reuersus fuero prospere, erit mihi Dominus in Deum,* tenebaris Iacob quia non solum filius Abrahæ, sed quia rationalis creatura Deum verum pro Deo habere, tamen votum emittis te eum pro Deo habiturum, vt doceas posse pluribus titulis obligari, respectu eiusdem rei efficiendæ, sed inspiciamus qua de causa votum emisisti? scilicet vt panem habeas in cibum, vestem in operimentum & tuus sit ex Mesopotamia cum incolumitate regressus, nonne hæc omnia temporalia? ita equidem, cur igitur voues ad ea habenda, *vt scias,* inquit Oleast. *quod possunt vota ad temporalia ordinari.*

D

Oleaster.

Totos ob beneficia accepta nos Deo committamus.

209. *Et reuersus fuero prospere, erit mihi Dominus in Deum,* quid si redieris? nonne patris & matris eris? nonne si matrimonio coniungeris vxoris eris tuæ? quomodo ais quod Dominus erit in Deum? nam his verbis & hac promissione innuis te totum Dei; si in memoriam reuocamus beneficia quæ à Deo obtinuit, dicemus merito hæc protulisse, erit mihi Dominus in Deum, ita scilicet vt me totum eius obsequio committam, nihil alia specialiter curans, sic aduertit Lipp. *possumus dicere quod votum hic largo modo accipiatur, videlicet quod te totum Deo donauit, commisit, dicauit, quasi dicat quomodo non me totum Deo meo crederem, qui tanta gratia me semper & in omnibus persequitur, qui sine dubio mecum erit, vt fuit, custodit in via sicut in patria dormientem, sicut vigilantem cibum præbens, & amictum, reducturus me, sicut pollicetur ad domum patris, à quo nunc velut in exilium relegatus mortis timore propellor.*

E

Lippom.

F

Non solum initium operis, sed & consummatio à Deo dependet.

210. *Et reuersus fuero in domum patris mei erit mihi Dominus in Deum,* nonne sufficiebat egressum à domo paterna regressumque viæ tuæ Deo commendasse, ita vt tibi necessaria ad eam absoluendam præstet cur igitur etiam de regressu in domum paternam sollicitus eum à Deo deprecaris? quia non solum initium regressus alicuius actionis sed & consummatio illius à Deo dependet, sic D. Eucher. *initium bonæ voluntatis & perfectionem operis illius sancto nomini consecrabo, quasi diceret ab eo enim vtrumque dependet.*

D. Eucher.

Tanta est hominum stoliditas, vt beneficiorum Dei cito sint immemores.

211. *Et reuersus fuero in domum patris mei erit mihi Dominus in Deum,* quid non alia antea à Deo accepisti beneficia? vt quod fratri in benedictione prælatus fueris, quod promissionem de terra Chanaan possidenda acceperis quod multiplicandum semen tuum sicut puluis terræ? cur igitur tunc non dixisti erit mihi Dominus in Deum? quia tanta est aliquando hominum stoliditas vt beneficiorum à Deo acceptorum sint immemores: sic Procopius Iacobum videtur carpere, *nunc tandem post tanta accepta beneficia Deum tuum Dominum agnoscere volebas.*

Procop.

Opus factum ex voto melius est quàm sine eo.

212. *Et reuersus fuero in domum patris mei erit mihi Dominus in Deum,* votum emisisti te speciali cultu Deum veneraturum, si incolumem ad domum patris regressum præstaret: sed nonne hoc speciali obsequio Deo seruire potuit? sine voti emissione, potuit sed noluit, opus enim factum ex voto melius est quam eo non interueniente, quod rationibus vrgētibus probat Barth. à sancto fausto, prior in ordine cistere, in thesauro Relig. q. 3. 10. *quia consilium est de meliori bono, sed Deus consulit facere votum, ergo opus factum ex voto melius est quam sine voto 2. omissio operis voto promissi est maius peccatum, quam si non esset promissum, ergo etiam facere illud est maius bonum, quia expositorum eadem est disciplina, & quia maior malitia priuat maiori bonitate.*

Barthol. à sancto fausto.

Dominus se Deum manifestat, cùm auxiliatorem se præbet.

213. *Et reuersus fuero in domum patris mei erit mihi Dominus in Deum,* cur ex regressu prospero in domū paternam te Dominum in Deum dicis te habiturū? quia tunc maxime vt sibi auxiliantem sentit, & sic Deum præcipue agnoscet, sensus est Procop. *præterea & hoc deerat quominus esset instructus Dominus Deus Iacob, scilicet, vt auxilio Domini Dei rediret incolumis in patriam domum.*

Procop.

Mediocritate simus contenti.

214. *Et reuersus fuero in domum patris mei prospere,* quid ais Iacob? in illone aduerbio *prospere* rerum humanarum affluētiam postulas? prosperitas enim hoc denotat, minime equidem, sed mediocritatem, quia tanquam maxima prosperitate foret contentus: sic Hamerus, *optauit his votis Iacob non summas & splendidas diuitias, quæ semper dominis suis inuidiam cōciliare solent, & sordidam inopiam à se abesse volebat, vt quæ non raro ingentium malorum causa mortalibus esse assolet, frugalem victum & vestitum dumtaxat à Deo rogauit, nempe medium illud & bonorum mediocris fortunæ possessionem.*

Guill. Hamerus.

VARIE-

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXII.

VVLG. Et lapis iste quem erexi in titulum vocabitur domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi.

Sep. Et lapis hic quem statui titulum, erit mihi domus Dei, & omnium quæcumque mihi dederis, decimam decimabo eam tibi.

Cald. Et lapis iste quem posui in titulum, erit super quem seruiam coram Domino, & omnium quæ dederis mihi, vnum ex decem separabo corã te.

Pag. Et lapis iste quem posui statuam, erit domus Dei ex omnibus quæ dederis mihi decimas prorsus dabo tibi.

Oleast. Mihi decimando decimabo illud tibi.

Chrysost. Columnam hanc in domum Dei habebo, & omnium quæ mihi suppeditabuntur, decimas dabo.

CONCORDIA.

Aliquid expressius habet Hebræus quam noster vulgatus, hic enim habet, vocabitur domus Dei, iste autem erit domus Dei, plus est autem esse quam vocari. Caldæus autem declarans quid sit, quod ait, Iacob erit lapis domus Dei, vertit & lapis iste, quem posui in titulum, erit super quem seruiam coram Domino.

EXPOSITIO.

Et lapis est quem erexi in titulum, in signum memoratiuum visionis diuinæ, vocabitur domus Dei diuino cultui cõsecrabo, ita vt sit quasi templum Deo dicatum, in eo enim sacrificia obtulit, sicut & in templo offeruntur, *cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi*, hoc est eas insumam & impendam in vsum & exercitium diuini cultus, à me celebrandi.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Etiam natura dictante templa ædificantur.

215. *Lapis iste quem erexi in titulum vocabitur domus Dei*, vel vt habet Heb. erit domus Dei: à quonam didicisti templum Deo dicare? nullum enim vsque ad tua tempora videmus extructum, nullam domum ei consecratam conspeximus, quomodo igitur lapidem, quem erexisti, te vocandum, imo futurum esse asseris? quia licitum est etiam natura dictante ædificare templa seu domos Dei, & maxime vbi aliquid diuinum apparuit, vnde optime Seraph. à Port. ait, *Iacob erat ante legem, tamen de dictamine legis naturalis Spiritu sancto mouente, in loco vbi sibi apparitio facta erat, domum Dei erexit.*

Seraph. à Porto.

Ita certi esse debemus de exaudiendis nostris iustis petitionibus, vt tanquam de iam obtentis disponere valeamus.

216. *Cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi*, nihil adhuc eorum quæ à Deo petisti possides, nescies te ab eo exauditum, cur igitur de iis tanquam si eorum fores possessor asseris te in decimas distributurum? quia ita certi esse debemus de accipiendis nostris petitionibus iustis, vt tanquam de iam obtentis disponere valeamus, non dissentit Lipp. cum ait, *pro soluenda gratia decimas designabo, & reddam de omnibus diuitiis, quas mihi nunc pauperrimo traditurum minime diffido.*

Lippom.

Maxime grati esse debemus.

217. *Cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi*, nihil adhuc à Deo accepisti, quid igitur ei polliceris? expecta quousque votis tuis annuat, quæ petisti tribuat, ita gratus est vt eorum quæ desiderat adimpletionem præueniat, & Deo ea largiturum polliceatur, quod admirans Chrysost. ait, *vide iusti gratitudinem, petebat quidem, at nihil præstiosum, sed panem & vestem, promittebat autem & sua domino & qui nihil acceperat, vouet & promittit, eleemosynas se Deo oblaturum, dignorem fide existimans, Dei promissionem quam rerum possessionem.*

Chrysost.

Oratoria in quibus preces fundamus, apud nos habeamus.

218. *Cunctorumque quæ dederis mihi &c. lapis iste quem erexi in titulum vocabitur domus Dei.* Sept. erit mihi domus Dei, cur tibi? nonne sufficiebat dixisse erit domus Dei, sine vlla restrictione? bene addidit mihi, vt denotaret se hunc locum tanquam speciale oratorium se velle habere, in quo suas Deo funderet orationes, *iustus enim*, inquit Oleaster, *locum peculiarem habere debet ad orandum & sacrificandum.*

Oleaster.

Homo se totum Deo consecrare debet.

219. *Cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi*, cur potius decimam quam aliam partem bonorum tuorum, sicut tertiam, quartam &c. offerre decernis? aduerte quod ait Bruno cit. Alleg. Tilm. nempe quod illa decima pars est homo, cum nouem sint ordines Angelorum: si ita se res habet, recte decimam partem bonorum Deo pollicitus, sic enim se totum Deo vouet & consecrat: audiamus cit. auct. *nondum de decimis lex scripta erat, & iam se Iacob decimas daturum esse promittit, hoc autem Abraham fecisse legitur, mirum nisi per hoc significare volebat vt quia decimus est homo, nouem enim sunt ordines Angelorum, illuc quasi pro pignore suo decimas insererent.*

Bruno.

Deo pro omnibus siue prosperis, siue aduersis gratias agamus.

220. *Cunctorum quæ dederis mihi decimas offeram*, Phil. Hebr. lib. de cong. quæ, erudit gratia, expen-

dit vocem illam, *cũctorum*, vel vt ille legit, omnium: sed cur solum aliquorum primitias Iacobo obtulit DEO? cur omnium? quia nulla vult excipere, nam siue aduersa illa sint, siue prospera primitias Deo offeramus, idest gratias referamus: audi Philonem, *hac occasione permotus ille mediator inter precandum ait, omnium quæ mihi dederis sepo nam tibi decimas.*

Philo.

Diuitum in se ipsos crudelitas.

221. *Cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi*, cur ita liberalis? quæ tibi à Deo data fuerint, serua, nonne ditissimi homines aliquando ne vnum quidem Deo vel in nomine eius tribuunt pauperibus? ita quidem est, sed eorum tanquam perniciosa fugienda est auaritia, non solum enim in alios, sed in seipsos ferissimi sunt & crudeles, *tanta enim*, inquit Saluian. in præf. lib. ad Eccl. Cath. *est incredulitas hominum & tam grauis infidelium languor animarum, vt cum multi maximas opes hæredibus interdum & extraneis derelinquant, solum hoc se putant perdere quod pro spe sua dederint & salute.*

Saluian.

Quamuis omnia sint Dei, tamen nostra nominat, vt cum eleemosynam ex eis fecerimus, maius meritum consequamur.

222. *Cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram*, cur non mouit linguam Iacobi Deus vt diceret cunctorum quæ dederis mihi decimas offeram tibi, non autem cunctorum quæ dederis mihi, ergo ex tuis bonis dicis te aliquid oblaturum, cur non ais ô bone Deus, tua tibi offeram dona? sed vt concludamus conceptum aliam auctoritatem Prouerb. 3. expendamus, ait Salomon, *honora Dominum de tua substantia*, cur non ait Salomon honora Dominum de sua substantia, cum orbis terræ & omnia quæ in eo sunt sint ipsius Dei? quia quamuis omnia sint illius, tamen nostra nominantur, vt cum eleemosynam ex eis fecerimus, maius consequamur meritum, quam eleganter id nobis aperuit Saluian. lib. 10. ad Eccl. Catho. ponderans illud *de tua: cum vtique totum suum sit*, inquit, *quod ab eo accepimus nostrum esse dicit vt demus, ideo scilicet nostrum appellans proprietate possessionis vt maior sit merces operantis, quia plus fructum necesse est largiter habeat vbi de suo videtur esse largitio*, ergo bonus Deus suam substantiam vocat nostram, vt nos beneficos reddat, nostramque eleemosynam gratuitæ liberalitatis titulo gloriosam honorat.

Saluian.

Ea quæ Deo offerimus, cum magna animi perfectione præsentemus.

223. *Cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi*, cur potius decimam partem bonorum, quã aliam daturam te polliceris? cur numeri denarii potius mentionem facit, quam alterius, cum ait se Deo obsequium præstiturum, in suorum bonorum oblatione? certum est denarium numerum perfectionem dicere, recte igitur cum ait se Deo bona sua oblaturum, denarium ponit numerum, vt significet quod ea quæ Deo offerimus cum magna animi perfectione præsentemus, quod Salui. cit. lib. 10. ad Eccl. Cath. recte expendit, *substantiam suam Deo offerat cum compunctione, cum dolore, cum luctu, aliter quippe oblata non posuit, quia non pretio sed affectu placent: non enim animus dantis datis sed animo commendatur data, nec pecunia fidem insinuat, sed pecuniam fides, ac per hoc qui prodesse Deo sibi vult, quod Deo offert hoc modo offerat, neque enim homo Deo præstat beneficium in his quæ dederit, sed in his homini quæ acceperit, quia etiam quod Deo habet Dei ac Domini sui munus est, ac per hoc in iis quæ offeruntur ab homine, homo non suum reddit, sed Deus suum recipit.*

Saluian.

Quod Dei ministris datur, ipsimet Deo datur.

224. *Cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi*, si inquiras cui debebat tradere decimas, ait Oleaster, *qui putent Melchisedech cui antea obtulerat Abraham*, sed si sacerdoti Melchisedechi daturus erat decimas, cur ait Iacobus Deum alloquens decimas offeram tibi? deberet enim dicere offeram eas sacerdoti tuo? recte tamen dixit DEUM alloquens dabo tibi, quãuis sacerdoti daturus esset, quia quod Dei ministris tribuitur, ipsimet Deo dari censetur: sic noster Ferus, *signanter dixit tibi offeram decimas, nõ quod ipse Deus his rebus indigeat, sed DEO datur, quod ad cultum eius ministrorumque sustentationem datur.*

SYNOPSIS

SYNOPSIS CAPITIS VIGESIMI NONI.

VENIT IACOB AD LABAN, PRO RAchel, quam vxorem maxime optabat, seruit, Lia supponitur, quæ quatuor filios peperit, manente adhuc Rachele sterili, quam duxerat post Liam, cùm pro vtraque quatuordecim annis seruisset.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS 1.

VVLG. Profectus ergo Iacob, venit in terram Orientalem.

Sep. Et eleuauit Iacob pedes, iuit in terram Orientis ad Labā filium Bathuel Syri, fratrem autem Rebeccæ matris Iacob & Esau.

Cal. Et leuauit Iacob pedes suos, & abiit in terram filiorum Orientis.

Pag. Perrexit ad terram filiorum Orientalium,

CONCORDIA.

IN Hebræo est וישא יעקב רגליו & leuauit pedes suos, quod noster interpres vertit, *profectus est*, & optime hac translatione exprimit Phrasim Hebraicam, leuare enim pedes est proficisci, solum etiam habet terram Orientalem, vbi Heb. & Cald. legunt terram filiorum Orientis vel Orientalium, qui modus dicendi, Phrasis est horum idiomatum, sicut & genus humanum appellant filios Adam, abundant autem alia verba quæ habent Septuaginta.

EXPOSITIO.

PRofectus ergo Iacob, à loco à quo vidit scalam cacumen cœli tangentem, profectus inquam inde magna cum animi alacritate, *venit in terram Orientalem*, in Mesopotamiam, quæ est Palæstinorum terræ, Orientalis, sed maxime Bersabee de qua ante visionem scalæ, exierat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Gloriæ cognitio ad perfectionem nos vrget.

1. PRofectus ergo Iacob venit in terram Orientalē, in Hebr. est, eleuauit Iacob pedes suos, quid sibi vult hic dicendi modus? cur non ante scalæ Dei innixi visionem adhibitus? cum iter in Mesopotamiam institueret? an quia visione diuina adeo recreatus, vt postea ita peragerat iter, vt vix terram tāgere præ celeritate videretur? acute vt solet Caiet. *profectus ergo Iacob iuxta Hebræum habetur, & eleuauit Iacob pedes suos, significans quod diuina visione, ac promissione animæ quiete redditus Iacob accelerauit iter*, qua celeritate nos edocet, post cœlestis gloriæ meditationem, vrgendum nobis iter esse per Dei præcepta, vt scilicet cum cor nostrum æternæ mercedis cogitatione dilatatur, diuinorum mandatorum viam velocissime curramus, scalam vides, Deumque innixum scalæ, ita per Dei legem excurre, vt vix terram tangere videaris, leua cordis pedes, iter vrge, vt possidere merearis, quod contemplatus es.

Car. Caiet.

Ad obtinendam gloriam maxima cum celeritate curramus.

2. *Profectus Iacob*, Caldæus, *leuauit Iacob pedes suos venit in terram Orientalem*; cur cum ad Oriẽtem proficiscitur, tanta cum celeritate progreditur, vt vix pedibus tangere terram videatur? hoc enim denotat Paraphrasis Cald. leuauit pedes suos per Orientem, non solum Christum Dominum, (Oriens enim est nomen eius) sed etiã gloriã denotari, credimus: quid mirum si leuans pedes suos, in terram proficiscitur Orientalem? quia ad gloriam consequendam maxima cum celeritate currendum est: hoc docere videtur S. Damian. ser. 55. qui postquam eximia de beatorum fœlicitate præmisit, vt nos ad eam consequendam hortetur & impellat, ait, *indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum abstrahendus, & vtriusque substantiæ materia repurganda, si ad proprios ortus volumus euolare*, expende quomodo ortum propriam gloriam nominat, amanda est interim tenuitas paupertatis, sermo suspendendus amarior, elatio fugienda, sustinendi labores, cum vitiis congrediendum, eliminandæ diuitiæ seculares.

S. Petrus Dam.

Deum habens præsentem, magna cum alacritate etiam inter pericula iter suum perficiet.

3. *Profectus Iacob*, Septuaginta legunt, *& eleuauit pedes suos, profectus est in terram Orientalem*, nonne pluribus te periculis tum prædonum, tum indigentiæ, te obiicis solus iter faciens in terram alienigenam? sed quæso reuoca in memoriam, quid ei Deus in ea visione scalæ pollicitus fuerit, scilicet se futurum illi custodem quocumque pergeret, insuper obserua quod hæc phrasis eleuauit pedes suos nouam quandam alacritatem iter aggrediendi denotat: ne mireris igitur si solus viæ se committit, quia qui Deum habet præsentem & custodem, magna cum animi alacritate, etiã inter media versatur pericula, fauere videtur D. Chrys. cũ ait, *iustus sumpta ex his quæ Deus dixerat, fiducia maxima, peregrinationem obiit, quo pacto enim non securus esset cui dictũ erat, ego ero tecum, quasi diceret, Deus erat cum eo, Deum habebat præsentem, quid igitur ei formidandum erat? nihil equidem.*

S. Chrysost.

Sapientia in hoc mari vitæ inconstantissimo portus securus.

4. *Profectus Iacob venit in terram Orientalem*, id est in Mesopotamiam, Septuaginta aliquid amplius habent quam vulgatus: sic enim insuper vertunt ad Laban filium Bathuel, vel ad Laban Bathuel, cur obseruant Septuaginta quod in Mesopotamiam descendit, vt ad domum Bathuelis perueniret? obserua ex Phil. Alex. quod sicut Mesopotamia medium torrentem huius vitæ denotat, sic Bathuel sapientiam Dei, quo posito non inconsiderate loquuntur quod Iacob veniens in Mesopotamiam quærit domum Bathuelis, quia in solo huius vitæ, in qua tot periculis appetimur, sola & vera sapientia asylum præbet, & portum, sed hoc præstat audire à cit. Phil. *fuge dixerunt Isaac & Rebecca ad filium in Mesopotamiam, hoc est in medium torrentẽ huius vitæ, & caue ne vndis eius mergaris sed sustinens aduersos impetus & vndique prementes vortices, propulsa hos fortiter, nam in sapientiæ domo tranquillam stationem inuenies, in quã te facile queas recipere, scilicet in domo Bathuel, vocabatur enim in sacris litteris sapientia Bathuel, quod nomen interpretatur filia Dei.*

Dei præsentia alas operibus nostris adhibet.

5. *Profectus ergo Iacob*, Sept. eleuauit ergo pedes suos, Oleast. hanc Phrasim explicans ait, id est maturauit iter, seu festinauit, cur ita festinat? nonne lente deambulãdo lõgum conficitur iter? paulatim & non festinanter iter prosequere, cur ita festinas? respice quid ei antea promiserit Deus, ecce ego tecum sum: merito igitur festinanter iter conficit, vt patris mandatum impleret, quia vt optime animaduertit Oleast. *ecce quam securum auxilium diuinum reddit hominem, & qualiter eum festinare facit.*

Oleaster.

In afflictione communi abstinendum etiam à licitis voluptatibus.

6. *Profectus ergo Iacob venit in terram Orientalem*, non sine summa admiratione legimus Iacobum Abrahæ nepotem Isaaci filium, viri prædiuitis, in longe dissitam terram missum, sed cum nullo famulitio, quo patris fœlicitatem declaret, suamque, sed neque iumentis vehitur, quorũ apud patrem sine dubio magna erat copia, tanquam inopis schemate baculum manibus ferentem longinquam peregrinationem aggredi, cur ita pauper & egenus proficiscitur? nonne post infœlicitatem suam lachrymis fateri cogetur? iumentis igitur patris vtatur, famulos illius comites sui itineris suscipiat, nec non copiam auri & argenti, vt in via opipare epuletur, sed quæso animaduerte non leui dolore & mœstitia ipsum nec non parentes eius affectos, cum ab eis discessit, speciali enim eos amore prosequebatur, nec ab illorum consuetudine sese distrahi, vel latum vnguem sustinuisse, hinc ergo sancto iuueni ingens mœstitia oboritur, & vehemens dolor cor eius vellicat quod à sancta parentum consuetudine diuellẽdus esset, nec minori angustia premebantur Isaac & Rebecca, filii sibi amantissimi iacturam facientes, nec non domestici absentem filium domini sui deflentes: quo posito, dicamus prudenter egisse Iacob, cum exiens à domo paterna, nec comitatum quo itineris difficultatem subleuare posset, accepit, nec aurum aut argentum vt posset opipare epulari accepit, quia in afflictione communi abstinendum etiam à licitis deliciis, obseruatio est Hameri, *nõ alienum à vero est*, inquit, *si profectionis huius tam humilis tamque sine apparatu causa sit dolor & mœstitia Iacob:* deinde subiungit, *oderat omnem viæ apparatum, neque seruorum comitatum & iumentorum operam habere voluit, vt hac rerum humilitate afflictionem suam declararet, fuit enim hic mos clarissimis viris, vt domestico aliquo dolore affecti, minime corporibus ad voluptatem quid indulgerent, sed potius animi vulnus, corporis quoque afflictione grauarent.*

Hamer.

Iustus semper ad maiorem tendat perfectionem.

7. *Profectus Iacob venit in terram Orientalem*, cur potius in terram Orientalem venisse, quàm in aliam Moyses obseruat? dices, quia se res ita habuit, cur alia phrasi id nobis non aperit, dicens venit in Mesopotamiam? si quod protulit Diuus Paulus ad Phil. 3. Vers. 13. obseruemus, facilis & moralis erit responsio, ait autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, prius autem & Oriens pro eodem sumuntur, his autem verbis, vt optime obseruat Theoph. legitur de spatiis perfectionis, quæ non erat consequutus: sic enim teste Theoph.

Ad Philipp.

Theoph. inquit Paulus, persequor quæ ante me sunt, vt semper existimem hoc mihi ad perfectionem deesse, & quousque tandem cœptū peregero, à cursu nunquam desistam, quo obseruato: cur non dicemus recte potuisse Moysem quod venerit Iacob non in Mesopotamiam, sed in Orientem, vt denotaret se immemorem eorum quæ retro erant, sed semper ad anteriora se extendere, verum Orientem inquirere, & ad maiorem perfectionem tendere, vnde optime D. Fulgent. Epistola quarta ad Probam, sic loquitur, *sicut qui ad patriam tendit, donec perueniat semper habet vbi ambulet, sic etiam nos quandiu in hoc mortali corpore constituti peregrinamur à Deo, præsens vita nobis est via, in qua semper habemus vbi possimus proficere, donec Deo perducente ad illam valeamus beatæ immortalitatis æternam patriam peruenire.*

S. Fulgen.

Natura virtutis suaui quadam violentia ad se omnes allicit.

8. *Profectus Iacob venit ad terram Orientalem*, cur tanta celeritate ad terram Orientis vis proficisci, in qua tot annos tanquam seruus obsequia præstabis auunculo? si per Orientem diximus intelligi, virtutem acquirendam, siue perfectionem, quid mirum igitur si quamuis sese offerant plura incommoda, in terram Orientis proficiscitur? quia natura virtutis etiam si difficilis videatur, suaui quadam violentia ad se omnes allicit, quod indicat S. Greg. Niss. lib. de vita Moys. sic inquiens, *attrahit enim ad se natura ipsius boni, omnes qui ad pulchritudinis radios sanis possent oculis respicere, ita fit vt cælestium desiderio semper ad maiora, vt Apostolus ait, consurgat, & semper ad altiora peruolet.*

S. Greg. Niss.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS 11.

VVLG. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accumbentes iuxta eum, nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur.

Sep. Et videt, & ecce puteus in agro, erant autem ibi tres greges ouium requiescentes super eum, de puteo enim illo potabant greges, lapis autem erat magnus super os putei.

Pag. Ecce tres greges pecudum, qui cubabant iuxta illum, quia ex puteo ipso potum dabant pecudibus.

Oleast. Et ecce ibi tres ordines ouium.

CONCORDIA.

עדר Hadar, à quo עדר heder, significat secundùm aliquos priuare, deesse, fodere, tamen melius ordinare, hinc heder id est grex, sic ab ordinatione dicitur, vnde etiam vertere poteris, & ecce ibi tres ordines ouium.

EXPOSITIO.

Vidit puteum in agro, non plures, aquis enim non abundabat, *tres quoque ouiū greges*, qui plurium erant dominorū, *accūbentes iuxta eum*, scilicet post pastum, *nam ex illo adaquabantur pecora*, reddit rationē, cur iuxta puteū iacebāt pecora? quia scilicet cum nō essent aliæ aquæ, quibus adaquarentur, expectabant, quousque lapis ab ore illius remoueretur, & ex eo hauriretur aqua, vt eorū sitis extingueretur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Virginitas bestiarum volutabris non polluitur.

9. *Vidit puteum & in agro tres greges ouium accūbētes iuxta eum, & os eius grandi lapide claudebatur*, forte ne in eum animalia laberentur & cōspurcarent, cum murus in gyrum circa puteum non assurgeret, vt in vsu apud nos est: vt conceptum exprimere valeamus suppono quod vbi legimus puteū, possumus dicere fontē ex Hebræo, & in mediū propono illud quod laudibus extollens dilectam ait Cant. 4. fons signatus, id est sigillatus, sic Hebraici verbi græcique vis requirit, sed cur sponsa dicitur sigillata, vel quo sigillo munita? sigillo quidem virginitatis, teste D. Amb. tract. de Hort. ad virg. dicēte, virginitatis signaculum pudoris, & claustrum integritatis genitale custodit: sed cur quæso sponsam voluit esse fontem sigillatum vel munitum? quia sicut putei claudebantur, ne vel bestiæ in eos decidérent, vel cœno illorum aquam polluerent, sic Dei sponsa fons signatus dicitur, ne spiritualium bestiarum volutabris puritas eius impuretur, ac nitida fluenta inficiantur, scite idem pater lib. de virginit. *fons*, inquit, *signatus ideo quod expressam imaginem Dei sinceri fontis vnda retineat, ne volutabris spiritualium bestiarum sparsa cœno fluenta turbentur.*

Cant. 4.

S. Ambros.

Oris nostri fons nisi coerceatur, cœnum & lutum colligit.

10. *Vidit puteum & os eius grandi lapide claudebatur*; quid denotat mystice puteus, os lapide clausum habens? nonne conuenientius foret, quod omnibus patens aperiretur, ne pecudes tandiu adaquari expectarent? aduerte quod puteus potest occludi, ne si aquæ eius super ripas efferantur, & campos abluāt, lutum colligant, & impuræ & lutulentæ fint, cur igitur nō dicemus quod ad putei, cuius os clausum est, similitudinē, os linguæ nostræ claudēdum ne in nimiam loquacitatem effusum, & nullis modestiæ ripis coercitum quiduis effutiendi libertate peruadat & peccati lutum sibi colligat, audiendus est beatus Laur. Iust. lib. de ligno vitæ cap. 5. de contin. *alliga*, inquit, *o homo qui continentiam custodire moliris, sermonem tuum, ne lasciuiat, nec luxurietur, & in turpiloquio peccata sibi colligat, sit restrictior & ripis coerceatur, cito lutum colligit animus superfluitate verborum*, in quibus verbis ad fontē siue puteū respicit, qui nisi occludatur dum aliena peruadit lutū contrahit, & impuritatē vt quod puteo vel fonti accidit, accidat animo, nisi sermonis vndas intra suos terminos concludat.

S. Laurentius.

Scriptura Christum Dominum nasciturum prædixit.

10. *Vidit puteum*, non est dubium aliquod mysterium in hoc puteo contineri, sed quid puteus hic denotare potest? videamus quomodo præcedentem versum explicet Phil. Abb. in moralitatib. super Cant. in prooemio, quis ille est qui ad terram orientalem proficiscitur, nisi Christus de quo Propheta, ait Zach. 6. *ecce vir Oriens nomen eius*, quæ vero est terra orietalis, nisi beata & perpetua Dei genitrix virgo Maria, de qua Christus oriri dignatus est? quam Ezechiel portam Orientalem appellat, quo posito nempe quod Iacob Christum designat, terra autem Orientalis virginem sanctissimam, quid inquam puteus ille designare potest? satisfacit cit. Auctor. *præfigurat mysticam & occultam scripturam, quæ Christum nasciturum esse prædixit.*

Philip. Abb.

Scripturam quam alii aperire non poterant, Christus Dominus reuelauit.

11. *Vidit puteum, tres quoque greges ouium accumbentes iuxta eum, & os eius grandi claudebatur lapide*, quid refert quæso, vtrum tres fuerint greges, vel duo, aut quatuor, qui requiescerent iuxta puteum? & etiam quid refert, vtrum puteus clauderetur lapide, vel alio operculo? ridicula sane inquit Rupert. lib. 7. cap. 26. & cætera quæ sequuntur vel inania, publicisque auribus indigna, sed inspice quid addat, plane sapientes huius sæculi iudicarent nisi palam sub grosso volumine litteræ splendidam sensuum maiestatem, dispensatores mysteriorum Dei monstrare consueuissent, quid magnum sane & admirabile mysterium: sed quod mysterium ô Ruperte, per illos tres greges? Samaritanos, Iudæos, Gentiles intelligit, per puteum, sacram scripturam, per Iacob Christum, quo posito sic satisfacit, *venit in terram Orientalem vt iste, iuxta prophetam, nomen est Oriens & ipso aduentu suo terram suam quam, iuxta psalmistam, benedixit, fecit esse Orientalem, illuminando scilicet his qui in teneb. is & in vmbra mortis sedebant, venit ad puteum cuius os grandi lapide claudebatur, iuxta quem tres ouium greges accumbebant, id est venit ad aperiendam scripturam, quam & Iudæi & Samaritani, atque Gentiles modis omnibus disgregati exquirebant, nam & Iudæi & Samaritani scripturam sanctæ legis eandem apud se habebant & tamen sic ab inuicem erant disgregati, vt sicut Euangelista testatur, nec salutem in haustu putei id est aquæ elementaris contenerentur Iudæi Samaritanis: porro Gentiles ab vtrisque longius diuersi erant, quippe qui nec Deum cæli colebant, & tamen eandem scripturam per septuaginta interpretes translatam scire tendebant, sed frustra hi vel illi taliter accumbebant, nam scripturæ sacræ puteum Scribæ & Pharisæi grandi lapide clauserant, id est traditionibus Dei relictis propter traditiones suas, prauo sensu obstruxerant: vnde illis in Euangelio manifeste improperatur, dicente Domino, væ vobis legisperitis, quia tulistis clauim scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis, item quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras: nam Deus dicit honora patrem tuum & matrem tuam, vos autē dicitis, quicumque dixerit patri suo vel matri suæ, munus quodcumque est, ex me tibi proderit & his similia.*

Rupertus.

Ioa. 4.

Cordis duritia lacrymarum abundantiam impedit.

12. *Vidit puteum, cuius os grandi lapide claudebatur*, noster Bonna in lib. de dictis salutis tract. 7. de beatitud. cap. de fletu ait per os putei irriguum deuotionis intelligitur, sed si irriguum deuotionis eo denotatur, cur clauditur lapide? nā potius apertus puteus esse deberet, ita se res habet, sed tunc inquit cit. Seraph. doctor. *grandi lapide clauditur, quando fletus propter cordis duritiam impeditur.*

S. Bonau.

Nostra negotia media oratione Deo committenda sunt.

13. *Vidit puteum in agro*, ad quem iter suum dirigit, sed ô Iacob cur vltra non progrederis? prope est ciuitas, eam ingredere, non enim siti laboras, vt ex puteo aquam velis haurire non sine causa iuxta puteum sistit, sed vt coram Deo preces fundat, vt omnia sibi prospere contingant, ita Lipp. *prope vrbem Aram peruenerat tardando orationis causa, vt negotium pro quo venerat solita Deus gratia dirigere dignaretur.*

Lippom.

Iusti dum impii prosperantur, afflictionibus probantur.

14. *Et vidit puteum quem non transgrediur*, cum eo paulū persiste & considera, cum iustus Iacob ad puteum iaceat, mirum in modum ex itinere fatigatus, solus & egenus, & ferus homo frater eius parentibus & Deo ipsi ob morum prauitatem exosus, tranquillam in patria vitam agat, insidiatuique sanguini fratris illum secedere atque exulare compulerit: sed non mirum, nam iusti dum impii fœlicium rerum omnium prospero euentu fœliciter potiuntur, afflictionibus variis à Deo probantur, hoc Diuus Cyrill. Alex. lib. 10. in Genes. his verbis colligat, *qui rectam viam Deumque sequi voluerint suppliciis persecutioneque durissima afficientur, nam iniquitatis suis cum clarorum virorum virtutem reprehensionem quodammodo suæ prauitatis existiment, veluti immanes quædam feræ in eos crudeliter ruunt.*

S. Cyrill.

Sacræ scripturæ profunditas & illius sententiarum obscuritas.

15. *Et vidit puteum cuius os grandi claudebatur lapide*, puteo non est dubium sacrā scripturā denotari, sed cur puteo figuratur & maxime cuius os ingenti saxo clauditur? quia in ea profunditas est arcanorum, obscuritasque sententiarum, vnde non sine hominū labore & sudore, nec non speciali Dei auxilio, ipsa intelligentia eruitur, in quam sententiam hæc à beato Aug. Ep. 2. ad Volusianum dicuntur, *tanta est inquit christianarum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerent si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, deinde hoc subiungit, non quod ad ea quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate, sed cum quisque ibi fidem tenuerit sine qua piè rectèque non viuitur, tam multa tamque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus quæ intelligenda sunt, latet altitudo sapientiæ vt annosissimis, acutissimis flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet Eccles. 18. cum consummauerit homo, tunc incipit.*

August.

Humilitas necessaria cum aliis virtutibus, ad intelligentiam sacræ scripturæ.

16. *Et vidit puteum tres quoque greges accumbentes iuxta*

iuxta eum, vidit puteum in agro, inquit Hugo Car. id est sacram scripturam in patulo, tres quoque greges, id est eos qui scripturæ intelligentiam cognitionemque expectant, sed cur dicuntur accubantes iuxta puteum, non autem stantes super eum? potuissent enim, cũ hic fons ingẽti lapide clauderetur, super eum stare, aduerte quod per humi iacere, humilitas & quies denotatur, per ipsas oues mansuetudo: quo posito rectè dicuntur eiusmodi pecudes esse oues accubantes iuxta puteum, vt quænam virtutes necessariæ forent ad hauriendas aquas salutares sacræ paginæ denotaretur: ita cit. Card. *notantur hic quinque quæ necessaria sunt, accedenti ad puteum sacræ scripturæ, scilicet humilitas, simplicitas, mansuetudo diligentia, quies, quies enim humilis & simplex & mansueta est, per hoc quod dicitur accubẽtes, quies, per hoc quod dicitur iuxta puteum, diligentia, humilitas quidem necessaria est, superbis enim resistit Dominus, humilibus autem dat gratiam Iacobi 4. Matt. 11. confiteor tibi Domine pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, simplicitas necessaria est Sap. 1. sentite de Domino in bonitate & in simplicitate cordis, quærite illum, mansuetudo necessaria est Psal. docebit mites vias suas: diligentia necessaria est, Exod. 2. Moyses fugiens de Ægypto id est de mundo sedit iuxta puteum, id est sacram scripturam, cuius præceptis firmiter inhærere debet quisquis mundum deseris, Deut. 5. erunt verba hæc ego præcipio tibi, in corde tuo & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua & ambulans in itinere dormiens & consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, item quies à curis huius mundi est necessaria 2. Timot. 2. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, Eccl. 38. scribe sapientiam tempore vacuitatis & qui minoratur actu sapientiam percipit.*

Hugo Car. — Iacob. 4. — Matth. 11. — Sapien. 1. — Exod. 2. — 2. Timot. 2. — Eccl. 38.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS III.

VVLG. Morisque erat, vt cunctis ouibus congregatis, deuoluerent lapidem, & refectis gregibus, rursum super os putei ponerent.

Sep. Et congregabantur illuc omnes greges, & reuoluebant lapidem ab ore putei, & potabant oues, & reponebant lapidem super os putei, in locum suum.

Pag. Et congregabant se ibi omnes greges, & reuoluebant lapidem ab ore putei, & potum dabant pecudibus, & restituebant lapidem super os putei, in locum suum.

Chrys. Et deuoluebant lapidem, & adaquabant oues & educebant.

CONCORDIA.

LIcet ex suo addiderit vulgatus interpres, *morisque erat*, tamen non vt aliquid superfluum, sed ad expressius rem declarandam adiunxit, solebant enim pastores lapidem reuoluere ab ore putei, cum omnes greges conuenerant.

EXPOSITIO.

MOrisque erat vt cunctis ouibus congregatis, hoc ita constitutũ apud eos erat, forte etiam cum inflictione alicuius pœnæ, si aliter fieret, *deuoluerent lapidem ab ore putei, & refectis gregibus*, siti pecorum *quis putei extincta, rursum super os putei ponerent*, ne ad libitum quilibet ex eo hauriens eam deturparet, vel inordinate sumens consumeretur, sicque potu hoc solito pecudes priuarentur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Quod rarum & vtile maxima cum diligentia custodiendum.

16. MOris erat vt ouibus congregatis deuoluerent lapidem & refectis gregibus rursum super os putei ponerent, cur tantum laborẽ & tollendo & restituendo lapide consumunt, nonne satius esset semel ablatum non restituere? aduerte quod propter inopiam aquæ in illa regione, illa putei maximè necessaria erat, & ideo conseruanda erat, quod aliter fieri non poterat nisi lapide restituto, ne aqua à quolibet transeunte consumeretur: ne igitur hos arguas quod laborem impendunt in lapide putei toties ponendo, quod enim rarum & vtile, maxima cum diligentia custodiendum, non dissentit Lipp. *multa cura custodiendos puteos pro iumentorum & animalium potu salubri non caret ratione, nec indignum quod à pastoribus esse mandum doceatis, sicte enim negligẽtia in his maxima illis damno fieri.*

Lippom.

Sacræ scripturæ intelligentia apud nos semper inuiolata remanet.

17. *Moris erat vt deuoluerent lapidem & refectis gregibus rursum super os putei ponerent*, si lapis quo puteus significans scripturam claudebatur, erat intelligentiæ illius difficultas, cur ablatus lapis restituitur? si enim denuo redit difficultas, & obscuritas intelligentiæ illius scripturæ, ad quid autem eam aperire, si illico adhuc clausa debet remanere, & intellectu difficilis esse? clauditur puteus lapide ne ab animalibus lutum intermittatur, cur non dicemus similiter ideo postquam pastores gregis Domini potum eis salutem dedere scripturæque intelligentiam bibendam, tunc claudere huiusmodi mysticum lapidem, id est eum immunem ab erroribus hæreticorum, magna cum sollicitudine custodire, fauet cit. Lipponianus, *figura hæc fuit eius quæ nunc in sancta Ecclesia moris est, vt fidelium gregibus in ea adunatis prædicatores & prælati easdem scripturas exponunt, amouentes saxũ obscuritatis, sicque ouibus Christi, refert quod os putei rursus claudatur, id est scripturæ*

Auctor Cat.

in sua synceritate & integritate relinquatur & custodiatur, nec ei pulueres falsitatum valeant commisceri, sed inuiolata seruetur.

Sine deuotione humanum cor aridum est.

18. *Moris erat vt ouibus congregatis deuoluerent lapidem*, congregabantur huiusmodi greges iuxta puteum, vt sibi satisfacerent & adaquarentur, Hugo Card. hoc exponens mysthice ait, tres greges ouium accumbentes iuxta puteum, sunt cogitationes simplices, desideria sanctorum, suspiria crebra quæ iuxta cor accumbant, expectātia potum deuotionis, cur hunc potum expectāt? nonne suspiria crebra in cœlum, sancta desideria, & optimæ cogitationis sufficiunt? minime respondet cit. auctor. *sine deuotione enim aridum est cor humanum Psal. 143. anima mea sicut terra sine aqua tibi, Iohel 10. mugierunt greges armenti, quia non est, pascua eis & greges pecorū disperierunt: & postea, sed & bestiæ agri quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te quoniam exsiccati sunt fontes aquarum.*

Hugo Card.

Psa'. 103.

Iohel 10.

Cum Christum Dominum vere cogitamus, duritia tollitur.

19. *Moris erat vt ouibus congregatis deuoluerent lapidem*, lapis positus super puteum, cordis duritiam nostri denotat, sed quomodo potest fieri, quod ouibus in vnum congregatis, huiusmodi lapis remoueatur? reuoca in memoriam quid in præcedenti conceptu, Hugo Card. per illos tres greges expectantes intellexerit, nempe cogitationes sanctas, bona desideria, crebra in Deum desideria, & dices, merito auferri lapidem ab ore putei cum congregantur oues in vnum, *quia quando omnes cogitationes* inquit cit. Card. *omnia desideria, & cuncta suspiria conferuntur in vnum, id est in Christum, tum tollitur lapis, id est cordis duritia, & adaquantur greges aqua deuotionis.*

Deuotio aliquando in nobis cessat vt ardentius desideretur.

20. *Moris erat vt ouibus congregatis deuoluerent lapidem, & refectis rursum super os putei ponerent*, si vt diximus per ablationem huius lapidis, intelligenda est cordis nostri duritia remota, vt potu deuotionis recrearetur, cur accepto iterum clauditur? cur perpetuo huiusmodi aqua non manat? cur medio lapide restituto fluxus illius interrumpitur? quia aliquando in nobis deuotio cessat, vt ardentius desideretur, ita cit. Hugo Card. *non tantum est continuus potus deuotionis, quantumcumque spiritualis sit sed aliquando interrumpitur, vt maius desideretur, & quia fit homo spiritualis quasi acidiosus, super quo conqueritur beatus Bern. ab heri & nudius tertius inuasit me languor quidam, & insolita quadam hebetudo spiritus, nec legere, nec meditari, nec orare delectat, ideo Psalmista clamat, redde mihi lætitiam salutaris tui.*

Hugo Card

Bonau.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXI.

VVLG. Dixitque ad pastores, fratres vnde estis? qui responderunt de Haran.

Pag. Et dixit ad eos Iacob, fratres mei vnde estis? & dixerunt de Charan nos.

CONCORDIA.

HEbraice est מחרן אנחנו mecharan anahun de Charam nos, sed supplendum est, sumus, vt habent Septuag. nec non Chald. est enim Hebraismus supplendus.

EXPOSITIO.

DIxit ad pastores, qui conuenerant vt greges suos adaquent, *fratres vnde estis?* eos sic appellat, non vt affinitate coniunctos, sed amore, quo omnes tanquam fratres prosequebatur, *qui responderunt de Aran*, quæ erat ciuitas propinqua.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vrbane omnibus loquamur.

21. DIxit ad pastores fratres vnde estis vos? si pastores sunt, tu autem patris ditissimi & potentissimi filius, quomodo eos fratres nominas? cum nullo nec etiam affinitatis vinculo sis eis coniunctus? non immerito, nomine amoris & vrbanitatis appellat, quia omnibus nobis etiam inferioribus maxima cum vrbanitate loquendum est, *docet nos hic locus*, ait Oleast. *optima ad extraneos habere verba, non superbire.*

Oleaster.

Amicitiæ eorum quibus indigemus nos, insinuare debemus.

22. Dixit *ad pastores fratres vnde estis?* ignotis loqueris, si autem fratres tui essent, tibi cogniti forent, ne fratrum igitur nomine eos digneris, aduerte Iacobum pastoribus his indiguisse, vt quod sibi ignotum ab illis aperiretur insuper fratris appellationem amicitiæ vel acquirendæ, vel conseruandæ argumentum esse, quid mirum igitur licet extraneos, fratres nominet, quia amicitiæ eorū quorum opera indigemus, nos insinuare debemus, non dissentit Abul. dicēs? *fratres vocauit pastores vt familiaritatem captaret, quia fratris nomen amoris & æqualitatis est.*

Abulens.

Iustorum humilitas.

23. *Dixit ad pastores fratres vnde estis?* si pastores sunt, & ideo alicuius Domini famuli & serui, tu autē teste diuino oraculo, ore patris tui pronuntiato, ita sublimis, quod seruient tibi populi, & adorabunt te Tribus, imo si omne secluderetur oraculum, eorum Dominus potes esse, cur igitur fratris nomine æqualitatem dicente cohonestas? quia tanta est iustorum humilitas, vt omnes sibi æquales arbitrantur, *ex hoc* inquit Dion. Carth. *patet humilitas Iacob & charitas*

Dion. Cart.

quod ipse tanti filius Patriarcha, vocauit pastores ouium fratres.

Prauus moribus & præcipuè hypocrita ignorari debet à iusto.

24. *Dixit ad pastores fratres vnde estis?* In his verbis contrarietas esse censetur, si enim eos fratrum nomine appellas, eos habes cognitos, si autem ab eis, vndenam sint sciscitaris tibi sunt incogniti, aliàs non inquireres, quomodò ergo tibi sunt noti & incogniti? quid responderint pastores inspiciamus, dixerunt de Haran. quomodo interpretatur Haran? iracundus siue decorus, nempe solum exterius, quo nomine non bonis moribus ornatos intelligere possumus, imo & hypocritas; ne dicamus igitur eum sibi in dictis contrarium; quia licet verum sit quod eos vt homines cognouerit. & ideo fratres, tamen vt iracundos ignorauit, sensus est Rupert. Abb. lib. 7. cap. 17. *Aran iracundus interpretatur, quod nomen illis pastoribus bene congruit, qui pascebant semetipsos, quos & fratres vocat, quasi notos, & tamen vt ignotis dicit, vnde estis? quia videlicet secundum carnem quidem eius erant, sed secundum spiritum nesciebat illos, qui vel vnde essent iracundi, namque erant decori, id est intus rapina & homicidio pleni, deforis autem religiosi ac seueri, veluti sepulchra dealbata, quæ foris pulchra parent oculis hominum, intus autem sunt plena ossibus mortuorum.* Rupert.

VARIETAS LECTIONVM VERS. V.

VVLG. Quos interrogans, nunquid ait nostis Laban filium Nachor? dixerunt nouimus.
Sept. Et dixit ad eos sic Chald. cum Heb.
Vulg. Sanusne inquit? valet, inquiunt, & ecce Rachel filia eius venit cum grege suo.
Sep. Dixit autem eis valet, at illi dixerunt valet, & ecce Rachel filia eius venit cum ouibus suis.
Cald. Nunquid pax est eis, & dixerunt pax.
Pag. *Sicut Cald. vertit, deinde addit*, & ecce Rachel filia eius venit cum pecudibus.
Oleast. Nunquid integritas illi est?
Vatab. Recte ne habet?

CONCORDIA.

השלום. Asalom quod propriè verti deberet, nunquid pax? sed hoc est familiare Hebræis, vt non solum hac voce vtantur, cum bellorum rabies & hostilis gladius procul abest, sed cum inquirunt de statu amicorum, & de illorum valetudine sciscitantes, vtrum sani sint, si omnia ex sententia illis contingant, integritatem autem vertit Oleaster, quia inquit hominem integrum dicunt Hebræi, qui nihil infortunii passus est.

EXPOSITIO.

NVnquid nostis Laban? de hoc præcipuè interrogat, quia ad eum mittebatur, *filium Nachor*, hic filius debet sumi mediatè, pater enim Labani erat Bathuel, sed nominauit non Bathuelem sed Nachorem, quia is erat caput familiæ; vnde & Haran vocatur vrbs Nachor.

Sanus ne est inquit, incolumitate ne gaudet? dixit Iacob pastoribus, *valet inquiunt*, prospera valetudine fruitur, *& ecce Rachel filia eius venit cum grege suo*, quasi diceret si aliquid specialius nosse desideras, filia eius Rachel notum tibi faciet.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Dignior aliis præferendus est.

26. NVnquid nostis Laban filium Nachor? nonne Laban filius est Bathuelis, non autem Nachoris? cur igitur non ais nosti filium Bathuelis? aduertite quod Nachor erat caput familiæ & Patriarcha illius, merito igitur eum prius nominat, quia dignior aliis præferendus est: obseruatio est Abulens. secundùm communem regulam denominatio à digniori fit, & quia Nachor nobilior & dignior erat Bathuele, ideo denominatur prior.

Vrbanitas amicitiæ incitamentum.

27. QVi dixit sanus ne est, accede ad vrbem, ingredere domũ illius, & scies vtrum ei omnia sint prospera, cur igitur à pastoribus de illius bona valetudine inquiris? vrbanitatis gratia inquit Lippom. sed cur tantæ vrbanitatis? quia amicitiæ nexus, & illius conseruatio, *comitatem hac littera docet*, inquit cit. Episc. *vero non ignobilem virtutem inter homines charitatisque fomentum.* Lippoman.

Ab antiquis in pudicitia superamur.

28. *Ecce Rachel filia eius venit cum pecudibus*, Rachel inter pastores fœmina inter viros, & quidem puella diues, nobilis, speciosa, nubilis, in agro per pascua versatur, quomodo nec vlla suspicio mali? nullum periculum iacturæ castitatis? nonne ait D. Cyprian. de singul. cler. *quantosque domuit leones vna infirmitas delicata*: quomodo igitur rara Rach. pulchritudo illos pastores non domuit? quia in maiori honore & cultu pudicitia habebatur apud antiquos, etiam nequissimos quam nostris temporibus. Fauet Abulens. *licet tunc gens nequam esset non tamen tantum in libidinem efferuebat, vt nunc, ideo mulieres erant securiores inter viros.* D. Cyprian. Abulens.

Parentes inuigilare debent filiarum pudicitiæ.

29. *Ecce Rachel filia eius venit cum pecudibus*, si sibi inuicem vir & mulier bellum inferunt, incendium conflant, pestem ac mortem inducunt, suis inuicem libidinibus illecti & irretiti cupiditatibus, quomodo Rachel speciosissima inter tot homines & eos infimæ sortis castissimè degit? quia eius pudicitiæ pater Laban inuigilabat, hanc rationem etiã adhibet cit. Episcop Abulens. *credendum est quod aliqui fratres eius minores ambulabant cum ea in pascuis, vt ipsa honestius & sine suspicione esset, & fortè Laban pater eius erat ibi custodiens pecora vel respiciens pastores suos.*

Abulens.

Nobiles infima officia ne despiciant.

30. *Ecce Rachel filia eius venit cum pecudibus*, quænam est illa Rachel? filia Laban quisnam ille Laban? homo potentissimus & ditissimus, nec non nobilissimus, quomodo ergo filia eius ita vili fungitur officio, quale est, oues pascendas in pascuis regere? sine dubio vt hinc discant nobiles officia etiam infima non contemnere, *hoc muneris*, inquit Oleaster, *non solum sancti patres, sed & matres Israel habuerunt, quæ tamen Deo fuerunt gratissimæ, nunc vero abominabile est nobis fœminas oues pascere.*

Oleaster.

Pulchræ natiuo decore sint contentæ.

31. *Ecce Rachel filia eius venit cum pecudibus*, cur non domi ad vmbram in penetralibus assides? cur studium non impendis poliendæ cuti, ori colorando & crinibus eleganti lenocinio comendis? cur venusta agros & saltus peragras, non æstum, non frigora non imbres timens, pastoritiam & laboriosam vitã agens? quia pulchræ & venustæ mulieres, natiuo decore contentæ esse debent: vnde merito Clemens Alexand. lib. tertio Pædag. cap. primo reprehendit eas quæ aliter se gerunt, *quæquidem*, inquit, *domus apud maritos seruandæ ad administrandæque familiæ curam habent exiguam, sed soluta mariti crumena, quæ eis suppeditantur conuertunt in suas cupiditates, & quod pulchræ videantur, multos testes habent, & ornandi artificio die vacant, carnem ergo mollem & suauem reddunt, & interdiu quidem in thalamis versantes arti ornandi affixæ sunt, ne floridis coloribus depictæ deprehendantur, vespere autem tanquam ex antro ad lucernam prorepit, hæc adulterina pulchritudo, nam lux paulo obscurior, incrustationi eius affert opem.*

Clemens Alexand.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII.

VVLG. Dixitque Iacob, adhuc multum diei superest, nec est tempus, vt reducantur ad caulas greges, date ante potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite.

Sep. Adhuc est dies multa, non est hora, vt congregentur pecora cum potaueritis oues abeuntes pascite.

Cald. Non est tempus vt colligantur pecora, adaquate oues, & ite ad pastum.

Pag. Non est tempus, vt congregetur grex potum date pecudibus, & ite pascite.

Ar. Ecce dies adhuc magnus, non tempus congregari acquisitionem &c.

VVLG. Qui responderunt non possumus, donec quia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges.

Sept. Non poterimus donec congregati fuerint omnes pastores & reuoluent lapidem ab ore putei, & potabimus oues.

CONCORDIA.

NOmen מקנה Mikne, à radice קנה Kana acquisitionem propriè significat, licet transferatur ad pecudes, quarum multitudo pro magna acquisitione pecuniæ, siue possessione censebatur.

עדרים Adarim tam minorum quam maiorum animantium greges sunt, non ita vertère Sept. sed pastores; respexerunt enim non verba, sed mentem pastorum, qui omnes non aderant, vt lapidem reuoluerent, licet etiam omnia expectanda essent pecora, vt simul adaquarentur.

EXPOSITIO.

ADhuc multum diei superest, quasi diceret, si potũ vestris gregibus nũc daretis, possent ante solis occasum per pascua cibum quærere, sic enim ait, *non est tempus vt reducantur ad caulas greges*, reducuntur enim solum sole advesperascente; caula autem dicitur omnium receptaculum.

Qui responderunt non possumus, scilicet gregibus potum præbere donec omnia pecora congregentur; ita enim apud nos statutum est vt amoueamus lapidem de ore putei, id est, vt simul omnes quia nimij ponderis est & grauitatis deuoluamus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Aliorum commodum nostræ preferamus voluptati.

32. TEmpus est vt reducantur greges ad caulas date potum &c. quid consulis Iacob, nonne tibi dixere, quod venit pulcherrima Rachel cum ouibus suis, si autem pastores suis potum præbent gregibus, eius aspectu non frueris, expecta igitur parumper, quousque ipsa accesserit & tunc quid facturi sint consules: hunc non seruat ordinem, sed

prius

prius consulit quod eis conueniens, quam pulcherrimam intueatur puellam, quia aliorum commodum nostræ præferendum est voluptati: consentit Lippom. *hortabatur*, inquit, *mansuetè viros pro illorum commodo, quod diligentius curare se ostendebat quam vt curiose agnosceret virginem cognatam, tamque elegantem interim ostensam.* (Lippom.)

Nostram vilitatem aperire non erubescamus.

33. *Tempus est vt reducantur greges ad caulas &c.* si abiectissimum est officium pastorum, quomodo in his quæ præbes vtilia pastoribus consilia, pastorem te esse declaras? quia dedecori cedere non debet, nec inhonestum est vilitatem nostram manifestam facere. Fauet auctor cat. aureæ in Genes. *omnium se pastorem comprobat, nihil veritus artem suam & exercitium.* (Auct. cat.)

Prælati prius exemplo vitæ doceant quàm verbo.

34. *Tempus est &c. date potum ouibus & sic eas ad pastum reducite*, cur potius ita non consulis Iacob, vt prius ad pastum ducant oues quam potū eis præbeant? prior enim præsupponitur cibus quàm potus: per pastores prælatos intellige, per potum dandum ouibus, vitæ sanctæ exemplum, quo posito rectè prius consulit vt potum præbeant ouibus, quàm ad pastum reducant, quia prius vitæ exemplo subditos docere debent prælati, priusquam vt aliquid operentur, consulant: mens est Ruperti Abb. lib. 7. in Genes. cap. 27. *quid est ergo*, inquit, *dicere ante date potum ouibus & sic eas ad pastum reducite? nisi præcipere pastoribus quatenus sic dicant vt priores faciant, id est vt quod verbis prædicant factorum suorum exemplo prædoceant.* (Rupert.)

Nulli incommodum inferamus.

35. *Non possumus donec omnia pecora congregentur.* Sept. donec congregati fuerint omnes pastores, cur omnes congregati debent? nonne duo vel tres ad amouendum lapidem sufficiet, cum esset tanti ponderis saxum quo puteus claudebatur non poterant facile illud deuoluere, nisi omnes simul congregati essent, quamuis aliqui solum mouere valuissent, sed sua reuolutione aquā luto inficere possent, sed quid eis curæ est aquam fœdare, dūmodo sui greges adaquentur? imo maxime, nulli enim nec minimum inferre debemus incommodum, ita Lipp. *tanti ponderis est lapis voluendus, vt nisi plures simus amouere non possumus, ne forsan si solus euolueret aquam fœdare vel inficere posset quispiam, aliis in exitium vel pestem.* (Lippom.)

Prælati legis antiquæ animarum saluti parum inuigilabant.

36. *Non possumus donec omnia pecora congregentur*, scilicet potum gregibus exhibere nō solemus nisi omnes in vnum cōuenerint, cur omnes addiderunt? potuissent enim si vellent aliquos adaquare: Rupert. per illos pastores Israelitici populi prælatos intelligit; per pecora, ipsum populum Israel, qui certis quibusdam diebus omnis in Hierusalem conueniebat, vt vitæ doctrinam acciperet, & Deo sacrificia offerret, rectè dixerunt, donec omnia pecora congregentur, nō autem aliqua, vt significarēt prælatos futuros populi Israelitici, illius animarū saluti parum inuigilare, scilicet cum in Hierusalem statutis anni temporibus cunctus congregabatur, ita Rup Abb. l. 7. in Genes. c. 28. *tales erant pastores Israel, quibus moris erat ab omnium animarum instructione vacare, donec de cunctis regionibus & de gentibus etiam ad diē festum v. g. Pascha vel scenopegiæ, ad adorandum in Hierusalem congregarentur, & nunc pro arbitrio suo quasi amoto lapide leuem exiguæ doctrinæ aquam illis fundebant, scilicet docentes decimare mentam, cyminūque, & anetum & nullo vitæ exemplo propinantes, quæ grauiora sunt legis iudicium, iustitiam & fidem.* (Rupert.)

VARIETAS LECTIONVM VERS. IX.

VVLG. Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui, nam gregem ipsa pascebat.

Sept. Adhuc eo loquente cum illis, & ecce Rachel filia Laban veniebat cum ouibus patris sui, ipsa enim pascebat oues patris sui.

Pag. Rachel venit cum pecudibus, quæ erant patri suo, quia pastor erat ipsa.

CONCORDIA.

ALium sensum habere videtur Hebr. à nostro vulgato, qui habet, *nam gregem ipsa pascebat*, Pag. autem quia pastor erat; sic enim officium pastoris ad patrem non ad ipsam referre videtur, tamen sensus vtrobique idem est, nam si Pag vertit *pastor*, ideo est, quia nomen non habuit quo in fœminino genere hoc officiū pastoritium exercens significaret in Hebr. enim est in fœminino genere רעה הוא hi roa.

EXPOSITIO.

CVm *adhuc loquebantur*, scilicet de pecorum adaquatione, & de lapidis ab ore putei reuolutione, *ecce Rachel venit cum ouibus patris sui*, scilicet vt adaquaret eas, cum aliis pastorum gregibus, *nam gregem ipsa pascebat*, non sola, sed fratribus suis comitata, propter maiorem honestatem.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Seruorum copia, insania est.

37. *Ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui*, quid ait textus, nonne Rachel erat filia potentissimi Laban, quomodo ergo domi non consistit, & famuli eius gregem illius non ducunt, forte pauca erant

ei famuli, sed cum esset ditissimus, cur plures nō habebat, vt saltem filiam ab hoc labore eximeret, vel eos illam comitari iuberet? sine seruis Rachel comparet, nec Laban plures possidet, quia seruorum nimia copia insania est, quod eleganter ostendit D. Chrys. Hom. 28. in Ep. ad Hebr. *sine quibus*, inquit, *viuere valemus, illa superflua sunt & frustra vsurpantur, viuere poterimus etiam si duos tantum seruos habeamus, nonne sunt plurimi qui sine seruulis viuunt? qualem ergo nos excusationem habere possumus, quibus non sufficiunt duo serui?* & statim sibi obiicit nescio quam alicuius intemperantis verecūdiam, *sed pudor*, inquit, *est si cum duobus seruulis matrona procedat, verum facile retorquet, non est pudor, ait, sed magis pudor est cum plurimis ambulare*, & paulo post *factum est illud ex vana gloria, illud autem philosophia, & honesta moderatio, matronam quippe non ex numerositate seruorum condecet conspicuam esse, quæ namque vel virtus vel laus est seruos plurimos possidere? hoc quippe ad animam non pertinet, nullum ostendit liberalitatis vel honestatis indicium.*

Chrysostom.

Castitas & aliæ virtutes duritie non mollitie conseruantur.

38. *Ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui*, nouum & incredibile tibi videbitur, Rachelis venustatem cum pudicitia coniunctam in puellari ætate per agros etiam inter viros illæsam conseruari, sed si rigidam & ab omni deliciarum genere abhorrentem, ductrix illa ouium vitam transigebat, non incredibile tibi videbitur, castitatem illæsam conseruasse, nam non nisi inter spinas rosa nascitur, nec suam diu gratiam & decorem retinet, nisi inter spinas, vnde optime & verissime Tertul. lib. ad Marc. *virtus duritia extruitur, mollitie vero destruitur*, cur igitur Rachel agresti & pastoritio amictu induta, laboriosam vitam & non mollem transigens, corporis & animæ pudicitiam non conseruaret?

Tertulian.

In aqua baptismi Christus adinuenit suā Ecclesiā.

39. *Ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui*, inquires, cur hic Patriarcha vxorem sibi futuram circa aquam inuenit? dices, hoc nullum habere mysteriū, aut aliquam significationem, sed hoc casu accidisse, tamē nō hoc nō est admittendum, quia si hoc semel accidisset, posset dici quod fortuito euenisset, at idem contigit Isaac, Genes. 24. n. 11. idem Moysi Exod. 2. nam Rebecca quæ iungenda erat Isaac, ad puteum inuenitur, & Sephora quæ Moysi iuncta est, in puteo inuenitur; aliqua ergo significatio mysteriosa innuitur, cur hi Patriarchæ iuxta aquas suas coniuges repererint: nota hos tres Patriarchas typū Christi Domini fuisse, per aquam, baptismum significari, respondet ergo D. Augustin. Serm. 30 de tempore, *ideo ad fontes vel ad puteos inueniunt matrimonium, quia Christus ad aquam baptismi inuenturus erat Ecclesiam.*

Genes. 14. Exod. 2.

D. August.

Iusti non illico ad nuptias conuolant, sed Dei voluntatem expectant.

40. *Ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui*, futura sponsa Iacob cur septuagesimū ad minus annum attingens, matrimonio coniunctus non erat, imo nō nisi post completū adhuc septennium primam accepit vxorem? cum à multis annis non vnam sed plures Esau frater eius vterinus coniuges duxerit? quia iusti, vt erat Iacob, non illico ad nuptias conuolant, sed Dei voluntatem expectant, sic obseruat Lipp. *Iacob si iuxta scripturas ætatis illius annos supputemus, cum multorum esset annorum, erat cœlebs & castus à Domini enim ordinatione pendebant in vxoribus accipiendis illi sancti viri, non temere neque ad luxum sibi arripiebant.*

Lippoma.

Spes iustorum diu non differtur.

41. *Ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui*, quādonam hoc contigit? cum loquebatur inquit textus cū pastoribus qui ei dixerant, aduenturam Rachelē filiam Laban auunculi sui, quomodo cum de ea est sermo ilico venit? nonne maximo desiderio ferebatur Iacob visendæ Rachelis futuræ suæ sponsæ? quid mirum igitur, si ilico aduenerit? nam spes iustorum à Deo diu non differtur, videmus hîc prouidentiam Dei circa iustum, statim enim quod quærebat, ipsōte occurrit, id quod & supra, seruo Abrahæ contigit.

VARIETAS LECTIONVM VERS. X.

VVLG. Quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesque Laban auunculi sui, amouit lapidem quo puteus claudebatur.

Sept. Factum est autem vt vidit Iacob Rachel filiam Laban fratris matris suæ, & oues Laban fratris matris suæ, & accedens Iacob, reuoluit lapidem ab ore putei.

EXPOSITIO.

QVam cum vidisset, scilicet ad puteum accedētem, *& sciret*, ex relatione pastorum, *consobrinam suam*, vt pote filiam fratris matris suæ, *amouit lapidem quo puteus claudebatur*, vel solus vt Hebræi ferunt, ostendens suam fortitudinem, vel simul cum pastoribus familiarem se illis exhibens.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus etiam iustis plurima dona naturalia tribuit.

42. AMouit lapidem quo puteus claudebatur, quod multi pastores efficere non poterant, ipse solus secundum plurium sententias aggreditur, si solus, & illi plures, quomodo exequi viribus suis potuit, quod illi attentare non audebant? quia Deus hoc speciale ei robur tribuerat, etiam in naturalibus erga iustos liberalissimus: sic Cyrill. in alleg. Tilm. *hic scriptura demonstrat non opibus modo Deum communire iustos, sed vires quoque & corporis afflare dignitatem, vt alios quoque prouocet ad se & ad veri cognitionem inuitet.*

Castitas

Castitas vires etiam corporis adauget.

43. *Amouit lapidem quo puteus claudebatur*, nonne ingens erat saxum, itaut plurium vires necessariæ essent ad illud amouendum? quomodo igitur Iacob solus remouet? quia præ aliis robore præstans erat, sed vnde tantum robur vnico homini? nonne castum diximus? cur non igitur has vires castitati tribuemus cum Lippom. dicentes, *lapidis reuolutio multorum opus erat, quod nunc Iacob solus exequitur auxilio diuino suffultus, & robore naturali ob castitatis vigorem donatus.*

Lippom.

Amor difficillima aggreditur.

44. *Amouit lapidem quo puteus claudebatur*, mihi difficile creditu est hunc ingentem & grauissimum lapidem amouisse, si enim ipsius pastores fatentur se expectare quousque omnes congregentur ad eum amouendum, quomodo solus, & ex itineris longitudine defessus, id attentare præsumit? nonne pulcherrimam Rachel conspexit, cuius amore illico captus est? ne scisciteris igitur quomodo solus, quem tot pastores non potuerunt, lapidem abstulit, quia amor difficillima aggreditur, *hoc fecit*, inquit Abulens. *amore consobrinæ suæ, cui complacere volebat*, Chrysost. Hom. 15 in Epist. ad Roman. *hac est immensa*, inquit, *nempe ipsius amoris potentia quæ grauia esse videntur, ea nobis leuia reddere.*

Abulens. Chrysost.

Solliciti sumus de rebus consanguineorum.

45. *Amouit lapidem quo puteus claudebatur*, qua de causa? vt potus exhiberi possit Rachelis ouibus? ait enim textus, cumque vidisset Iacob, & sciret cōsobrinā suam, ouesque Laban, sed quid sibi sunt oues Rachelis? nonne alii pastores remouere lapidem poterunt ab ore putei? cur igitur ipse hunc laborem impendit? quia ea quæ sunt consanguineorū nostrorū tanquam nostra solliciti curare debemus: *docemur hic*, inquit Oleast. *curare ea quæ sunt consanguineorum, quemadmodum nostra, neque solum homines, sed etiam alias eorum res.*

Oleaster.

Amicitiæ aliorum, quibus indigemus, nos insinuemus.

46. *Amouit lapidem quo puteus claudebatur*, amoueant lapidem pastores, cum iam ad puteum accesserint, tu autem quieti indulge, vt ex itinere recreatus, in vrbem possis pergere, nonne viderat oues Laban auunculi sui? prudenter igitur ipse solus nullo alio expectato, putei lapidem remouet, vt hoc beneficio beneuolentiam auunculi sibi conciliet. Fauet Chrysost. *cum greges auunculi sui oculis spectasset, videretque pastores non sufficere vt lapidem ipsi à fonte amouerent, & aquarent oues, occurrit, & id quod ipsi facere non valebant, ipse superno auxilio roboratus, praueniens beneficiis Laban, amouit lapidem*, expende illa verba, *praueniens beneficiis Laban*, scilicet vt se illius amicitiæ insinuaret.

Chrysost.

Simus prompti ad benefaciendum.

47. *Amouit lapidem quo puteus claudebatur*, quis te compulit lapidem ab ore putei amouere? an rogatus à pastoribus astantibus, vel à Rachele? minimè quidem, cur igitur hunc laborem in amouendo lapide impendere voluisti, cum nullus id deprecatus fuerit? quia etiam non rogati omnibus benefacere debemus, non dissentit D. Cyrill. Alexand. lib. 11. in Genes. *à Rachele filia Laban agnoscitur Iacob veluti primitias suæ bonitatis exhibens, oues eius potare curam adhibuisset, nam cum optimis semper moribus educatus fuisset, insignibusque virtutibus praditus, considerabat quam turpe est virginem nubilem ætatem gerentem pastores expectare, & vbi lapidem ipsi reuoluerent, ob imbecillitatem fœmineam pudoremque virgineum oues suas omnium vltima potaret.*

Cyrill. Alex.

Exemplum vitæ maximè necessarium est Prælato & Doctori.

48. *Amouit lapidem quo puteus claudebatur*, vt gregibus potum præberet, sed si mysticè loquamur, per Iacob prælatum intelligentes, cur necesse lapidem amoueri à puteo ad greges adaquandos? per lapidem quid vetat denotari petram offendiculi, nempe scandalum, quod ex vita minus syncera & probata nascitur? & sic dicemus merito lapidem amouisse, vt ouibus potum daret, quia Prælati vt doctrinæ salutaris potum præbeant subditis, ante omnia tollant oportet lapidem putei operculum, ne quid videlicet in ipsis vitiosum ac minus syncerum appareat, hoc sensit ita Procop *lapis ille magnus offendiculi erat quod amoueri oportebat pastores præfectos gregi singulis suas vires afferentibus.*

Procop.

Indignis sacra scriptura non aperienda.

49. *Amouit lapidem quo puteus claudebatur*, deinde vt vidimus, adaquatis gregibus, lapis ore putei claudebatur, quid mysterii in hoc latere potest quod lapide non semper puteus claudatur, sed illo interdum amoto ad hauriendam aquam sit patens, atque iterum occultatur? reuoca in memoriam dictum à nobis fuisse puteo sacram designari scripturam, ne scisciteris igitur cur aliquando clausus, quia hoc denotat non semper & omnibus, præcipuè indignis, sacram aperiendam esse scripturam, sed claudendam: hoc sic euoluit Procop. *quemadmodum thesaurum in agro absconditum si quis inueniat, non statim ipsum in propatulum protrahit imprudenter, sic quoque oportebat operculum lapideum puteo impositum auferri donec sitim, quos decebat compescerent, & deinde reduci ne aquæ vsus ad indignos promanaret.*

Procop.

Solus Christus perfectè scripturas aperuit.

50. *Amouit lapidem quo puteus claudebatur*, nonne vidimus plures circa puteum congregatos pastores? quomodo ergo lapidem non amouent ab eo, sed solus Iacob? si per Iacobum Christum Dominum intelligimus, sicut per puteum sacram scripturam, facilis est solutio, scilicet solum Redemptorem perfectè ex se, & per se, non autem quoscunque alios sacræ intelligentiam dedisse scripturæ, *tum enim*, inquit Eucherius, *amouet vmbras & imagines quibus legis operiebatur historia, quando vniuersa quæ de eo fuerant scripta, in se expleri promisit vel expleta esse ostendit, à passione enim*

Eucherius.

Domini cunctis fidelibus lex spiritali intelligentia patet, nam antea licet in scenopegiæ solemnitate concurrentibus undique populis liber Deuteronomii à sacerdotibus recenseretur, in ipsum tamen claudebatur, quia nec tum aduenerat qua in veritate expleta sunt omnia : sed clarius auctor catenæ in Genes. *Christus est qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit, sine quo nec intelligi rectè scriptura potest, nec haberi salutaris scientia.*

Aug. cat.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XI.

VVLG. Et adaquato grege, osculatus est eam, & eleuata voce fleuit.

Sept. Et potauit oues Laban fratris matris suæ, & osculatus est Iacob Rachel, & exclamans voce sua fleuit.

Chald. Leuauit vocem suam, fleuit.

Pag. Et potum dedit pecudibus Laban fratris matris suæ.

CONCORDIA.

Aliqua deficiunt in nostro Vulg. interprete, scilicet: *Laban fratris matris suæ*, sed ea omisit, cum ex superioribus tacitè hoc colligi posset.

EXPOSITIO.

Et *adaquato grege*, non enim solum lapidem remouit ab ore putei, sed etiam gregibus potum præbuit & *osculatus est eam*, tanquam propinquus propinquam, quamuis aliqui per prolepsim hoc dictum intelligant, ita ut Iacob prius indicauerit Racheli, quisnam esset, & tunc fleuit & postea osculatus est eam more solito inter consanguineos, & *eleuata voce fleuit*, scilicet præ gaudio quod absoluto longo itinere, sibi proximam & consanguineam vt optabat, adinueniret.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Amor vehemens nisi magna conferat, tristatur.

51. *Osculatus est eam, eleuata voce fleuit*, cur lachrymas effudit, cum potius exultare deberet inueniens suam cognatam? scio vere aliquos fleuisse, vt solent cognati, ex lætitia, dum occurrunt cognatis, quos tenere diligūt, quosque multo tempore non viderunt, ita tenet Abulen. dicamus tamen ad rem, ideo fleuisse quia cū eam amore ardenti diligeret, nō habebat munera quæ illi posset conferre sicut Eliezer, contulerat Rebeccæ. hanc rationē non reprobat Abul. & approbat Nic. de Lyr. ex Iudæis dicentibus, *ideo fleuisse quia donaria auri & argenti danda non habuit.*

Abulens.

Faciles sunt in lachrymis effudendis fœminæ.

52. *Osculatus est eam, & eleuata voce fleuit*, diximus, cur fleuerit, nunc sese offert mihi difficultas, si Iacob fleuit, cur non dicitur etiam Rachel fleuisse? textus non refert lachrymas Rachelis, quia præsupponit eam non ab eis temperasse, cum procliues sint ad fletum fœminæ, ita Abul. *scriptura solum facit hic mentionem quod Iacob fleuit, sed credendum etiam fleuisse Rachel, fœminarum enim sunt teneriores affectus, ideo eis facilius præcordia commouentur, sed scriptura illas lachrymas non recolit, quia satis est cognitū satis esse putauit cum diceret Iacob fleuisse, Rachel à lachrymis non abstinuisse, quia si illud quod minus videtur inesse ei inest, ergo id quod magis scilicet fleuisse Iacob.*

Abulens.

Per aquam Baptismi Deo reconciliamur.

53. *Osculatus est eam adaquato grege*, cur non prius fuerit eam osculatus quam adaquaret gregem, cum eam tunc agnouit consobrinam? hoc enim mysterium aliquod innuit; respond. D. August. Sermone 80. de tempore, *quia nisi Christianus populus à malis omnibus abluatur, pacem Christi habere non meretur, expectabat enim vt per gratiam baptismi ab omni iniquitate, vel discordia liberaretur Ecclesia, & sic pacem cum Deo habere mereretur.*

D. August.

Quod licitum est vni, aliis aliquando prohibitum est.

54. *Osculatus est eam*, imprudentiæ & indecentiæ accusandus videtur Iacob, eo quod in oscula formosissimæ Rachelis ruerit, quam antea non cōspexerat, nam osculari etiam notissimam mulierem (præter concessa inter coniuges & liberos oscula) pudendum & turpe dicitur: nonne dixit textus consobrinam eius fuisse, & id à pastoribus accepisse: ne in eo osculum datum Racheli vituperemus, quamuis in aliis maxime indecens & pluries criminosum sit, quod enim aliquando licitum est vni, aliis est prohibitum, *germana pietate*, inquit Lippoman. *ruebat in oscula Iacob, vt non necesse sit excusare peccatum in osculo, quod sanctum est in sanctis, & pium in consanguineis.*

Lippom.

Nuntia læta à nobis etiam lachrymas eliciunt.

55. *Osculatus est eam & eleuata voce fleuit*, existimat Iosephus ipsam fuisse Rachelem, quæ fleuerit, sed cur in lachrymas prorumperet ipsa Rachel cum nulla occasio tristitiæ sese ei obtulisset? aduerte

aduerte quod p ast pponit Rachelem iam Iacobum agnouisse, & cuiusnam filius esset scilicet Rebeccæ, quæ quomodo se haberet summopere scire cupiebat, Laban cum tota sua familia: non mirum igitur si Rachel etiam fleuerit, quia nuntia læta à nobis diu expectata etiam lacrymas eliciunt. sic autem ait Ioseph libro primo antiq. *Rachel memor eorum quæ de Rebecca ex patre audierat, sciensque parentes desiderare aliquid de ea cognoscere præ amore patris lachrymabunda ruit in collum Iacob, complexoque eo, inquit, optatissimam & maximam voluptatem affers patri cum tota familia qui nunquam matris tuæ obliuiscetur, crebram illius mentionem faciens, quare tale nuntium cum quantauis fœlicitate non commutaret?*

Iosephus.

Amor animum subministrat ad quodcumque etiam arduum.

56. *Osculatus est eam*, adaquato scilicet grege illius, nonne sufficiebat lapidem ab ore putei remouisse? cur igitur aquam, quod maxime laboriosum est in canales refundis? quia amor quo erga Rachelem ferebatur ad omne facinus quantumuis arduum & difficile subministrat animos: vnde optime Petr. Chrysol. serm. quadragesimo non minus vere quam eleganter amoris vim expressit his verbis, *nihil durum, nihil amarum, nihil graue, nihil lethale computat verus amor.*

Chrysol.

Moleste ferant etiam vsque ad lacrymas puellæ cum ab eis oscula extorquentur.

57. *Osculatus est eam & eleuata voce fleuit*, quis fleuit? an Rachel? an Iacob? ait Ambr. quod Rachel, quænam iniuria tibi illata est, speciosissima puella, vt in lamenta prorumpas? imo de aduentu consanguinei summo affici deberes animi gaudio, sed inspice quid ait textus, Iacob osculatus est eam, & dices iustissimas esse illius puellæ lacrymas, cum moleste ferre etiam vsque ad fletum debeant, cum ab eis oscula extorquentur, *quid Rachel?* inquit cit. doctor lib. 3. de virg. *quemadmodum extorto osculo fleuit & gemuit, nec flere desiisset nisi proximum cognouisset, ita & pudoris seruauit officium, & pietatis non amisit affectum.*

S. Ambr.

Simplicitas & candor viguit priscis temporibus.

58. *Osculatus est eam*, quomodo tanquã maxime castũ laudibus extollimus Iacobũ qui cõspecta pulcherrima virgine, in eius oscula ruerit? nonne si iuuenem conspiceremus deosculantem puellam, male de vtroque suspicaremur? quomodo igitur Iacob deosculatur Rachelem, & id approbamus? quia longe priscis temporibus, fuit maior animi candor & simplicitas quàm præsentibus, nunc vero omnia libidinibus ita ardent, vt vix inuenias qui fœminam syncero animo osculetur.

Cum boni alicuius possessio differtur maxime spiritualis, molestissime a nobis toleratur.

59. *Osculatus est eam & eleuata voce fleuit*, lacrymas comprimere deberes, cum absoluto itinere obuiam habes consanguineam pulcherrimam; Iacob ex quo conspexit Rachelem summo arsit desiderio eam in vxorem habere, non mirum igitur in lacrymas prorupisse, quia cum boni alicuius maximè spiritualis differtur possessio molestissime toleratur, vnde hoc exponens mystice Hugo Card. ait *hoc est quod cõsideratio æternorum in nobis cumulat profluuium lacrymarum, pro dilatione gloriæ.*

Hugo Card.

VARIETAS LECTIO. VERSVS XII.

VVLG. Et indicauit ei quod frater esset patris sui, & filius Rebeccæ, at illa festinans nuntiauit patri suo.

Sept. Et indicauit ipsi Rachel, quia frater patris eius est, & currens illa nunciauit patri suo, secundùm verba hæc.

Cald. Et narrauit Iacob Rachel, quod filius sororis patris sui ipse esset.

CONCORDIA.

Abundant apud Septuaginta *secundum verba hæc*, minime enim in Hebræo habentur: Caldeus autem expressius legit, cuiusnam filius esset Iacob, ait enim, filius sororis patris sui, cum nos solum habeamus quod frater esset patris sui.

EXPOSITIO.

ET *indicauit ei* nempe Iacob Racheli, *quod frater esset patris sui*, fratrem hic accipio pro nepote, apud Hebræos enim omnes eiusdem cognationis fratres nominabantur, *at illa festinans nuntiauit patri suo*, qui non longe aberat & forte in pascuis.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Magna fuit veterum hospitalitas.

60. *At illa festinans nuntiauit patri suo*, Septuag. at illa currens, nonne dedecet puellam currere? lento enim gressu modestiæ manifestandæ causa progredi deberet cur igitur currit Rachel pulcherima? quia

tanta erat antiquorum hospitalitas, vt gaudium, peregrinis sibi aduenientibus continere non valentes, ilico & cum festinatione, omnibus hæc sola nuntia dicebant, quod obseruauit D. Chrys. *Considera obsecro dilecte diuinæ scripturæ euidentiam, quomodo nobis omnia manifeste recenseat docendo nos mores veterum, & quantæ in excipiendis hospitibus fuerint alacritatis, non simpliciter dixit quod abiit & nuntiauit quæ facta sunt, sed quod cucurrit præ magno gaudio.*

Chrysost.

Virgines cum viris plures non misceant sermones.

61 *At illa festinans nuntiauit patri suo*, nonne tibi indicauit cuiusnam filius esset? quo vinculo affinitatis tibi coniunctus? cur similiter non ei aperuisti vrbanitatis gratia, cuiusnam esses filia? cur eum simul tecum colloquentem ad patrem non adduxisti? imo quod obseruatione dignum, nec legimus ei vnicum verbum dixisse cur ita inurbana? ne arguas inurbanitatis, sed modestam & verecundam nec non pudicissimam commenda, virgo enim cum viris sermones miscere non debet, imo eius colloquia fugiat necesse est, pulchra erat sed verecunda, adeo vt nec cum consanguineo, plura loqueretur, sed ad domum currens patri nuntiat, hæ sunt conditiones virginum, imo ipsarum ornamenta, tunc enim virgo vere pulchra est, cum proba, verecunda est &c.

Verbum naturam humanam per incarnationem sibi sociauit.

62. *At illa festinans nunciauit patri*, scilicet dixisse sibi Iacob se filium Rebeccæ, imo osculum dedisse, sed quid est quod sanctus Iacob Racheli indicauit, quod consanguineus eius esset? ait Phil. Abb. proœmio Moral in Cant. nisi hoc quod Dominus per Prophetam dixit, narrabo nomen tuum fratribus meis, Psalm. vigesimo primo & in Euangelio Matthæi vigesimo octauo, ite nuntiate fratribus meis, sed quid designare potest osculum quod dedit Iacob Racheli? si per Rachelem naturam humanam intelligimus, sicut per Iacob filium Dei, dicemus cum cit. Philippo. significari *quod Christus naturam generis humani per incarnationis mysterium sibi sociauit, vnde idem genus humanum de eodem Christo dicit, osculetur me osculo oris sui, idem ille qui quondam à Patriarchis præfiguratus & à Prophetis prænuntiatus est, ille inquam veniat, & me ad pa adisi gaudia quæ per Adam perdidi, mirabiliter perducat.*

Psal. 21. Matth. 28. Phil. Abb. Cant. 1.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIII. & XIV.

VVLG. Qui cum audisset venisse Iacob filium sororis suæ, cucurrit obuiam ei, complexusque & in oscula ruens duxit in domum suam, auditis autem causis itineris.

Sept. Factū est autem vt audiuit Laban nomen Iacob, &c. & narrauit Laban omnes sermones hos:

Cald. Et factum est cum audisset Laban rumorem de Iacob, &c. & narrauit Laban omnia verba hæc

Pag. Et fuit cum audisset Laban auditionem Iacob &c.

Oleast. Cum audisset Laban auditum Iacob.

Arias. Et fuit sicut audire Laban auditionem Iacob.

Lippom. Cum audisset Laban famam Iacob.

VVLG. Respondit os meum es & caro mea, & postquam impleti sunt dies mensis vnius.

Sept. Et dixit ei Laban de ossibus meis, & de carne mea es tu, & fuit cum eo mensem dierum.

Cald. Vtique consanguineus meus & caro mea es tu, & habitauit cum eo mensem dierum.

Pag. Profecto os meum & caro mea es.

CONCORDIA.

IN Hebræo est שמע & semaa quod ad litteram bene verterunt Oleaster & Pagninus auditionem vel auditum, sed quia plures vsurpat Hebraismus pro obiecto potentiam, vt auditum pro re audita, hinc est quod alij aliomodo verterunt, scilicet rem ipsam, nempe vel famam, nomen, vel rumorem, &c.

DEest in nostro vulgato particula emphatica profecto, est enim in Hebræo אך quod vtique, profecto, & certe interpretatur, omisit autem existimans in alijs verbis affirmatiuis contineri.

EXPOSITIO.

QVi nempe Laban, *cum audisset*, à filia sua *venisse Iacob filium sororis suæ* scilicet Rebeccæ, *cucurrit obuiam ei* præ nimia lætitia, ex eo quod filium sororis suæ charissimæ conspecturus esset, *amplexus est eum & in oscula ruens* repetitis pluries osculis *duxit in domum suam* vt aduentū eius maiori cum gaudio celebraret, *auditis autem causis itineris* scilicet, qua ratione dimissus esset à patre, & de vxore ducenda ad patris mandatum ex filiabus suis.

ET *dixit Labā Iacob, os meū & caro mea*, quasi diceret causā itineris tui mihi aperuisti, scilicet ad me accessisse, vt vnam ex filiabus meis vxorem duceres, libētius tibi quàm alteri tradā, quia sanguine sumus coniūcti, es enim nepos & filius sororis meæ, *& postquam expleti sunt dies mensis vnius*, scilicet post aduentum Iacob in domum Laban.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Peregrinos summa cum alacritate suscipiamus.

63. *Cucurrit obuiā ei & cōplexus est eum*, scilicet ex nimio gaudio, quo ex aduētu suo afficiebatur, cū in occursū illius procedit, cur tanta cum lætitia amplectitur & osculatur? nā si Rachel eum gaudens suscepit, nō miror, mulieres enim cōpassione ducūtur erga peregrinos, sed quod Labā homo barbar9 & rusticus & malę indolis, ita lætus susceperit, hoc admiratione non caret, sed ne mireris, nam peregrinos sūma cū alacritate suscipere debemus. Fauet Chrys. *cōsidera quomodo sacra scriptura nos doceat mores veterū & quāta excipiēdis hospitibus fuerint alacritatis ecce Labā qui cucurrit & ipse in occursum Iacob & salutauit eum.*

Chrys.

Maximo

Maximo amore inuicem nos prosequi debemus.

64 *Cucurrit obuiam ei, complexusque eum, & in oscula ruens*, cur non simpliciter dixit & osculatus est eum non autem iuit in oscula? hoc emphatice dictum censeas vt ex crebris osculis, & pluries repetitis, amor maximus quo se inuicem prosequebantur, declararetur: testis est Abul. *ruere, in oscula est cum impetu osculari quod pertinet ad diligentes se, qui a magnis temporibus se mutuo non viderunt, quia sibi rapetus amoris & gaudii excedentes osculari leuiter non sinit.*

Abulens.

Consanguineorum iustæ petitioni acquiescendum.

65 *Os meum & caro mea est*, cur aliis vrbanioribus non excipis? si enim tibi aperuit se nepotem tuum esse, qua de causa id repetis? non superfluè sed emphaticè hæc verba protulit, ei significans se nihil ex iis quæ ab eo, quia consanguineus erat, petierat, denegaturum. Sic Lippom. *horum verborum est sensus cum sororis meæ filius sis, & mihi proximus nefas est negare tibi quicquam maxime tanti viri filio.*

Lippom.

Veritas vel nuda potentissima est vt persuadeat.

66 *Os meum & caro mea est*, quid ô Laban? ecce homo peregrinus, pauper, incomitatus, qui ditissimi & opulentissimi Isaac esse filium & hæredem se dicit, & ei in tantum fidem adhibes, vt eum amplectens appelles carnem tuam? quibus persuasus ita cito ei credidisti? nam in Iacob nihil erat quod patris diuitias demonstraret, imo multa sunt quæ eum non esse filium Isaaci concludunt, vt paupertas, nullius comitatus &c. quid ergo persuadere potuit Labano hunc esse suum nepotem? sane in illo erat veritas, quæ nuda ex mentibus humanis fidem extorquet, vnde pulchrè D. Cyrill. Alexand. libro 10. de adoratione, ait. *Falsitas ipsa per se infirma est, adhibitis autem extrinsecus fucis ornatur, vt impermuliercula solent; illud porro diuinum altare cum pulcherrima veritatis specie fulgeret, quænam externa ei adiumenta, aut vana ornamenta requireret?* mihi crede, in quo veritas est nullo ornatu indiget vt sibi auditorum animos deuinciat.

D. Cyrill. Alexandr.

Anima non est de terra sed cœlestis.

67 *Os meum & caro mea est*, cur non dixit anima mea? nam sic magis dilectionis indicium exhiberet, nihil enim intimius anima, cur igitur solum os vel carnem esse dixit? Respondet Orig. hom. 1. in Exod. *Non amplius videtur aliquid audere dicere suum nisi quod terrenæ consanguinitatis agnoscit*, quasi diceret, non dixit Laban Iacobo anima mea es, sicut caro mea, quia non terrenam agnouit, sed cœlestem animam.

Orig. hom. 1. in Exod.

Famuli probandi sunt, antequam mercede conducamus eos.

68 *Os meum & caro mea &c. postquam completi sunt dies mensis vnius*, scilicet post aduentum Iacobi in domum Laban auunculi sui, tunc Laban de mercede ei danda loquitur, cur à die vel paulo post ingressum in domum tuam cum eo non conuenisti de præmio, ob obsequium ei dando? quia famuli omnino probandi sunt antequam mercede cōducantur, ita Antonius Honcala, *Laban tanquam homo prudens per vnum mensem vigilanter explorauit, nepotis sui mores, solertiam, diligentiam & in rebus gerendis fidem, quibus ad vnguem exploratis & cognitis, optauit eum secum habere, à tenuitate eidem greges suos curandos, pascendos, atque custodiendos committere.*

Honcala

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Dixit ei, num quia frater meus es gratis seruies mihi? dic, quid mercedis accipies?

Sept. dixit autem Laban ipsi Iacob, quia enim frater meus est, non seruies mihi gratis, indica mihi quæ tua merces?

EXPOSITIO.

N*Vm quia frater meus es*, idest nepos, *gratis seruies mihi*? quasi diceret, minime rationi consentaneum, quod licet sis mihi consanguinitate coniunctus, sine retributione mihi tot obsequia præstes *dic, quid mercedis accipies*? tu ipsemet præmium & mercedem laboris tui elige,

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Inter nos beneficiis certemus.

69. **N***Vm quia frater meus es, gratis seruies mihi*? quasi diceret, minime, ideo de mercede tibi danda cōueniamus, si a mente ô Iacob apud Laban commoraris, cur gratis & tot obsequia præstitisti? & tu ô Laban, si Iacob libentissime tibi seruiens obsequitur, cur de mercede sibi danda vis conuenire? quia beneficiis inuicem certare debemus: obseruandum enim est quomodo Iacob & Laban inter se certēt modestia & beneficiis, Iacob enim totum mensem seruit ipsi Laban, & gratis, nec mentionem quidem fecit mercedis, contra Laban offert mercedem, iniquum existimans talem virum gratis seruire.

Labori non otio indulgere debemus.

70. *Num quia frater meus es gratis seruies mihi*. ei ergo seruiebat, sed ô Iacob si ex itinere nimiū defessus accessisti domum auunculi tui, cur non requiescis? cur molli otio non indulges, vt à laboribus præteritis recreeris? nescit otiose agere, ignorat sui delitias, scit enim labori non otio indulgendum, vnde vere animaduertit Abulensis *quod in isto mense seruiuit*

Iacob Laban & probauit illius omnes fationem & diligentiam in re sibi commisso. en quomodo nec in domo auunculi sui degere voluit Iacob otiosus, sed ad opera domestica omniumque curam se accinxit?

Abulens.

Seruitiis famulorum non abutamur.

71. *Num quia frater meus es gratis seruies mihi?* imo quia frater tuus, tibi gratis obsequium præstare deberet: cur ergo mercedem ei offerendam indicas? cur gratuitum ac liberale non admisit obsequium? vt pudeat plerosque dominos ita barbaros & impios se ostendere in famulorum sudoribus, ac sanguine vt ad omne seruitii genus abutantur, nec miseros debita mercede solentur, sed retinere mercedē famulis vel mercenariis inuitis. vnū sane ex sceleribus illis quæ clamare in cœlum dicuntur, par videlicet homicidio, naturæ abusui, & oppressionī pauperum, vnde beatus Iacobus c.5. ecce merces operariorum, qui messuerunt operationes vestras (agros videlicet amplissimos) quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit, vbi non dixit Apostolus pauperem clamare, quoniam sæpe vt Sapiens ait Eccles. 13. pauper etiam læsus tacet, sed mercedem ipsam denegatam aut fraudatam quam diues rapter domi suæ continet, & scelus ipsum suum vel conscientia tacente, sicut sanguis interfecti Abel, ad Deum clamat & vindictam exposcit, quo loquendi modo huius delicti insignis enormitas ostenditur, quod scilicet tantæ sit improbitatis, quod illud committentes diuinam in se vltionem prouocent, nam clamor ibi nihil aliud est nisi enormis grauitas intuitu Dei, & intoleranda inhumanitas respectu proximi, vnde optime Philipp. Presb. in Iob cap. 24. vers. 11. ait *malum est hoc magnum & iniquissimum vt sub laboribus & fructibus aliorum requiescant.*

Iacob 5.

Ecclesi. 13.

Philip.

Præmium propositum inducit animum ad laborem.

72. *Num quia frater meus es gratis seruies? quid mercedis accipies?* cur mercedem proponis, si libenter tibi præstat obsequia? tum etiam poteris non indicta ei mercede, eum ad libitum remunerare? merito ille præmium proponit, quia nihil ita animum inducit quam spes mercedis consequendæ, obseruatio est Guill. Hameri, *vix aliud quid in humanis reperitur quod hominem ad ardua quæque, & difficilia subeunda fortiorem reddat atque merces optima, quæ labori ad finē vsque deducto proposita sit contra iacere illum necesse est qui circa illam mercedis spem inuitus magis quam voluntarius operam nauat.*

Hamer.

Famulos beneficiis prouocare debemus vt eximia nobis præstent obsequia.

73. *Num quia frater meus es gratis seruies? quid mercedis accipies?* cur non dixit, tantam tibi & determinatam tribuam mercedem, cur autem ei eligendam proponit? ei merito remunerationis optionem præbet, vt hoc beneficio eum prouocet ad maiora sibi præstanda beneficia. *volebat Laban* inquit Abul. *complacere Iacob vt diligens esset circa rerum suarum custodiam, & meliorationem, ideo dedit ei electionem in mercede.*

Abul.

LECTIO VERSVS XVI.

VVLG. Habebat vero duas filias, nomen maioris Lia, minor vero appellabatur Rachel.

EXPOSITIO.

H*Abebat duas filias*, quarum mentionem facit quia pro mercede è duabus vnam in vxorem petiit Iacob, prima *dicitur Lia* quæ laboriosa, fatigata interpretatur, secunda Rachel id est ouis.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Actio contemplationi præsupponitur.

74. NOmen maioris Lia, minor vero appellabatur Rachel, S. Greg. in lib. 6. moral. cap. 18. ait & quid per Rachelem nisi contemplatiua, quid per Liam nisi actiua vita signatur? sed si vtraque cōtemplationem & actionem significat, cū contemplatio sit actione excellentior, cur Rachel Liæ non præponitur? quia actio per Liam designata, contemplationis designatæ per Rachelem est fundamentum, ita Nicetas apud D. Greg. Nazianz. oratione 42. *Lia Hebræis laborem aut laborantem sonat, ac proinde accipitur, Rachel autem idem est quod pascens aut quæ pascitur, ac contemplationem designat, hanc post Liam Iacob vxorem accepit, actio enim est contemplationis fundamentum*: videamus ergo illos qui ante omnem actionem soli student contemplationi, nihili facientes actionem.

S. Greg. mag.

Nicetas.

Cōtemplatiuus sicut ouis suauiter pascitur à Deo, actiuus laborat propter veritatem.

75. *Nomen maioris Lia, minor vero appellabatur Rachel,* diximus Rachelem ouem interpretari, sicut Liam laboriosam, sed si Rachele designatur anima contemplatiua, quomodo ouis dicitur? nam ea laborat vt pascua inueniat, vt herbis nutriatur sapidis, qui autem vacat contemplationi, sancto potius indulget otio quàm labori, nihilominus recte Rachel dicitur ouis, & contemplatiuam designat animam, quia illa sicut ouis mansuetissima, Deo ipso tanquam suo cibo suauissimo pascitur, accipe citatum Nicet. *Rachel est omnis anima contemplationis studiosa, quæ lege Dei velut agna pascitur, & secundum legis diuinæ præscriptum suos motus regit, carnisque cogitationes & affectus, virtutis procreationi primum subiicit, atque ita post introitū ad cognitionem omnino abolet, Lia vero omnis anima actionem*

Cit. Nicet.

aEt one n amplectens, quæ virtutis causa laboribus premitur quàm quisquis ad diuinæ philosophiæ studium animum adijcit primam fere sibi contubernalem asciscit.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII.

VVLG. Sed Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie & venusto aspectu.

Sept. Oculi autem Liæ infirmi, Rachel autem erat pulchra specie, & decora aspectu valde.

Cald. Oculi autem Liæ erant pulchri, & Rachel erat decora forma & decora aspectu,

Syrus Oculi autem Liæ erant elegantes &c.

Pag. Et oculi Leah erant teneri, sic *Caiet.*

Oleast. Oculi Leah erant molles

Vatab. Et oculi Liæ erant debiles,

Alij. Et oculi Liæ erant oblongi,

Alij. Delicati siue infirmi.

CONCORDIA.

IN fonte Hebræo ponitur רכות רכות raccoc cuius vocis radix רכך racat, idest mollescit, tenerescit, ideoque vertunt plerique, oculi Liæ teneri siue molles, debiles, infirmi, deformes, vitium quidem est in oculis ex humidiore temperie, qua redduntur sic molles ac debiles, vt proni sint ad lacrymas, & irretorti obiectum contueri non possint, eo quod ipsæ in orbibus pupillæ quodammodo fluitare & innatare videantur, male igitur cum Caldæo pulchros dixit etiam Syrus elegantes, quasi Lia solis oculis pulchra, Rachel vero non tantum oculis, sed tota facie totoque habitu corporis pulchritudinem præ se ferret, nec etiam docti approbant quod ab aliquibus confingitur deficere, in voce Hebræa aleph א subintelligi que ארוכות arucot hoc est oblongos, atque ideo haberi deformes, sed frequentior in oculis morbus lippitudinis debilitatem illam ac mollitudinem Latinus interpres optime explicuit.

EXPOSITIO.

SEd *Lia lippis erat oculis*, lippitudine oculorum laborabat, quæ non exigua est in mulieribus deformitas, quam in medium proponit Moyses, vt innueret cur eam in vxorem non petierit. *Rachel autem decora facie*, quod spectat ad pulchram totius corporis compositionem, decentemque omnium membrorum inter se proportionem.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Decor oculorum maxima pars pulchritudinis.

76. SEd *Lia lippis erat oculis*, cur lippitudinis oculorum mentionem facit, potius quàm alterius partis corporis deformitatis? nam sic ex oculorum Liæ deformitate voluit venustatem oculi Rachelis denotare: sed cur pulchritudinem illius partis vultus præ aliis intendit extollere? quia vt vere Chrys. ho. 7. 2. ad Corin. *pars est pulchritudinis maxima violentia, oculorum decor.* [S. Chrys.]

Vita contemplatiua actiuæ præferenda.

77. *Lia lippis erat oculis, Rachel autem decora facie* ideo venustatem vnius præ alia, in medium proponit Moyses, vt non ineptam fuisse optionem Iacobi manifestaret, & merito vnam antepoluisse scilicet Liæ Rachelem sed mystice, cur minor maiori anteponitur? cur Liæ Rachel? diximus Lia vitam actiuam, & Rachele contemplatiuam denotari, quid mirum igitur minorem maiori præferri? vita enim contemplatiua actiuam superat & excedit fauet D. Greg. Ma. lib. 6. mo. cap. 18. *contemplatiua quidem minor tempore est, sed meritis maior quam actiua sacri Euangelii verbis ostenditur, in quo duæ mulieres diuersa egisse referuntur, Maria quippe redemptoris nostri verba audiens ad pedes illius residebat, Martha autem corporalibus ministeriis insistebat*, deinde subiungit *Marthæ cura non reprehenditur, Maria vero laudatur, quia magna sunt actiuæ vitæ merita sed contemplatiuæ potiora vnde nec auferri vnquam Mariæ pars dicitur, quia actiuæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplatiuæ autem melius ex fide conualescunt.* [S. Greg.]

In actione non deest aliquando deformitas & lippitudo.

78. *Lia lippis erat oculis*, cum per Liam diximus vitam actiuam designari, nescio cur lippitudine oculorum scribimus laborare? actiua enim perfecta est & integra, perfecta quidem deberet esse sed nequaquam, vel difficile fieri potest, vt Liæ lippitudinem non contrahat, qui nimium consuetudine illius implicatur, & singularia pertractans negotia, puluere lutoque non aspergatur, vnde alloquens Monachum nimium vitæ actiuæ deditum sexto Petrus Damianus libro de omnipotentia capite vndecimo inquit, *qui confidit se sibi Monachum esse, & Curiæ deseruire, vndis erutus, sanus est piscis, non vt sibi viuat, sed vt alios pascat, vocamur & attrahimur sed vt aliis viuamus, moriamur nobis amat venator ceruum sed vt saciat sibi cibum persequitur lepusculos sed vt ipsi bene sit, illi nihil sit, amant & homines nos, sed non nobis sibimet diligunt vt suas nos vertere delicias concupiscunt.* [Petr. Damian.]

In contemplatione est labor, sed melior requie.

A

79 *Lia lippis erat oculis, Rachel autem decora facie*, quam diximus Symbolum fuisse vitæ contemplatiuæ, sed cum in contemplatione sit requies, secundum illud sponsæ, ego dormio, Rachel autem ex interpretatione sui nominis, dicatur ouis, non dormiens, sed potius pascens, quod autem pascitur, laborat quomodo contemplatiuam, quiescentem, sancto otio vacantem denotabit? quia etiã in contemplatione labor est sed suauissimus & ipsa requie eligibilior, audiamus Petrum Abb. libro de panib. cap. 7. *forte in contemplatione*, inquit, *labor est, sed melior requie, sed otio suauior, sed somno dulcior sed cunctis voluptatibus delectabilior, labor inquam sed sine sudore, opus sed sine vexatione, occupatio sed sine distentione, studium sed fine afflictione, profectio sed sine amotione, eleuatio sed sine ambitione, quies sed sine rubigine.*

Petrus Abba.

B

Licet contemplatio sit excellens tamen ab affectu amoris superatur.

80 *Lia lippis erat oculis Rachel decora facie & venusto aspectu*, per quam diximus intelligi vitam contemplationi deditam, sed hæc ne est illa pars optima, quam elegit Maria, & quæ non auferetur ab ea? non equidem, licet enim contemplatio vitam actiuam sicut dignitate, ita & nobilitate excedat, sic ardor animi contemplationem, quæ est Rachel excedit, audiendus est Hugo Carthus. tract. de via vnitiua, in illa quæstione vtrum anima secundum suum affectum, possit aspirando vel desiderando moueri in Deum, sine aliqua cogitatione præuia intellectus, vel concomitante, ait, *ergo duplex est via excellentiæ, vna quæ dicitur contemplatio, & hæc figuratur per Rachelem, quæ dicitur venusta aspectu, quãdo scilicet mens lumine desuper infuso, diuinitus habet meditando vel cogitando solum cœlestia contemplari: alia est in affectu & hæc dicitur ardor amoris quando scilicet igne Spiritus sancti desuper misso anima flammigeris affectionibus ad solum Deum aspirans ipsum solum desiderat, vt sibi per strictiorem amorem intimius vniatur, & hæc dicitur optima pars Mariæ, quæ ardebat desiderio, vt dicitur in Ioanne, vnde sicut nouum testamentum præstantius est veteri, sic via amoris quæ est designata per Mariam, est nobilior omni meditatione & contemplatione intellectuali quæ designatur per Rachelem.*

C

Hugo Carthus.

D

Contemplatiua vita & actiua duo fontes limpidissimi.

E

81 *Lia lippis erat oculis Rachel autem decora facie*, si vna speciosa, elegans, & pulchra, altera autem deformis, cur simul vtriusque mentio fit à Moyse? cur vnam ab alia non separat? si dictum à nobis fuit vtramque vitam contemplatiuam & actiuam denotari, recte deducemus vtramque simul coniunctam esse, vtraque enim est fons limpidissimus, quo recreamur, *omnis disciplina* (inquit) Etherius Episcopus vxamensis, cum Betto Presbytero libro 10. aduersus Elipand. *religionis ex illo duplici scientiæ fonte emanat, idest quæ actiua & contemplatiua vita dicitur actiua in qua mores suos emendat contemplatiua in contemplatione cœlestium & diuinarum scripturarum disputatione.*

Etherius Epis.

F

Synagoga oculis lippis, Ecclesia autem pulcherrima.

82 *Lia lippis erat oculis, Rachel autem decora facie*, Victorinus martyr teste glossa ordinaria, ait Liam synagogæ, Rachelem autem Ecclesiæ figuram esse, sed ô Victorine, potius per Liam denotari deberet nostra Ecclesia, quia sicut illius lippi erant oculi, sic Ecclesia de gentilibus congregata, idololatriæ vitæ sorduerat, & vitiis innumeris, quæ contraxerat, vis rationis hebes reddita fuerat, itaut videre non posset claritatem eius, quæ in cœlo est vnius veræque deitatis, nec non etiam per Rachelem synagoga, quia sicut illa decora facie fuit, sic illa etiã venusta cogitatione vnius diei, nihilominus & synagogam Liâ & Rachele Ecclesiam significari cõcludit, quia prima, si cum secunda comparetur non speciosa, sed lippis erat oculis, sic autem ait, *prior nempe synagoga populum Dei genuit, quæ oculis lippa dicitur, quia lex per Moysen data & cooperta est & signata, Rachel autem minor & pulchra, quæ prius sterilis fuit, post fœcunda Ecclesiam indicat, quæ tempore posterior & sancta corpore & spiritu, quia oculis eius decori, quia Euangelium videre meruit.*

Victorinus.

Vita præsens lachrymis plena, futura plena delitiis.

83. *Lia lippis erat oculis*, itaut secundum Abul. exteneritudine ac debilitate oculorum, Liæ, fluebat assiduè crassus humor ex oculis, itaut videretur lippa & similis lacrimanti, Robertus Holcotius cap. 10. in Sap. lect. 130. existimat Liã vitam præsentem, denotari, sed si vita præsens iucundissima, imo illius amatoribus pulcherrima videatur, ita vt eam vitæ futuræ præferant, cur per Liã lippis oculis & lachrymanti similem dicit denotari? imo speciosæ & decoræ Racheli comparet? ne Holcotium arguamus, sensatè enim cum Lia vitam præsentem confert, quia lachrymis plena præsens vita est, Lia lippis oculis, inquit, *nec mirum quia manet in hac lacrymarum valle plena miseriis & afflictionibus futura vero vita est quasi Rachel decora, amabilis, pulchra & plena delitiis.*

Holcotius.

Peccatum mentem obscurat.

84 *Lia lippis erat oculis*, per huiusmodi Liam, peccatricem animam intelligit D. Gregor. Mag. quod minus rectè denotari mihi videtur, nam anima peccatrix existimat se venustam, non deformẽ, maximo & acutissimo naturali lumine præditam, non autem hebetem, sed decipitur, & toto cœlo aberrat; peccatum enim si non lumen rationis extinguit, illud obscurat, consulendus est Greg. prima parte past. curæ cap. 11. *Lippus est cuius ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed id tamen per opera carnalia obscuratur, in lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt: sed humore defluente infirmatæ palpebræ crassescunt & quia infusione crebra atteruntur etiam acies pupillæ vitiatur, similiter nonnulli sunt quorum sensum operatio carnalis vitæ sauciat, qui profecto videre subtiliter per ingenium recta poterant sed vsu prauorum actuum caligant. Lippus itaque & cuius sensum natura exacuit sed conuersationis prauitas confundit, cui benè per Angelum dicitur: collyrio inunge oculos tuos, vt videas, hoc tunc bene fit cum ad cognoscendam veri luminis claritatem per medicamen bonæ operationis intellectus nostri aciem adiuuamus.*

S. Greg. Mag.

Apoc. 3.

VARIE-

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVIII.

VVLG. Quam diligens Iacob ait, seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis.

Sept. Dilexit autem Iacob ipsam Rachel, & dixit seruiam tibi septem annos, pro Rachel filia tua iuniore.

EXPOSITIO.

QVam diligens Iacob, non quod propter pulchritudinẽ eximiam quàm inesset Racheli, cognouit, tanquam propter causam finalem, cum ea contrahere noluerit, eamque dilexerit, nam illius venustas & decor solum fuit quoddam motiuum propter quod eam prætulerit sorori suæ, *seruiam tibi pro Rachele septem annis*, cum Iacob muneribus & pecuniis careret, eorum vice operam suam locauit, & septennem ipsi Laban pro ducenda in vxorem filia sua seruitutem obtulit, nam apud omnes gentes solemne fuisse legimus, vt in contrahẽdis matrimoniis, sicut vxor afferebat dotem marito, ita vicissim maritus pecunias & munera (quasi dotem quandã) futuræ vxori, vel eius parentibus daret, & perinde quasi se inuicem maritus & vxor coëmerent, itaut maritus esset quodammodo vxoris, & vxor quodãmodo mariti, hæc autem consuetudo viguit etiam apud Hebræos, vt viri dato pretio sibi vxores acquirerent, ita Dauid coëmit Michel centum præputij Philistinorum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Dilectionis præmium res ipsa dilecta.

85 SEruiam tibi pro Rachel septem annis, si quam mercedem optares pro obsequiis tibi præstitis à te petiit Laban, cur ei non aperies dicens, singulis mensibus tot mihi numerabis pecunias? cur igitur tibi dare Rachelem postulas? inspice quid dixerit textus, dilexit Iacob ipsam Rachel merito igitur nihil præmij ex dierum æstu noctiúmque gelu consequi desiderat, præterquam Rachelem quam tenerè diligebat, dilectionis enim operatio ipsius solo dilectionis obiecto præmiatur, neque aliam amplius recompensationem exoptauit, liberam hanc sancti iuuenis Iacob mentem dilectionemque ab omni prorsus spe præmij nudam, ex hoc loco demonstrat D. Chrysost. eiusque amorem tanquam perfectum comprobat & confirmat, *vide* (inquit) *quomodo ipse quidem petebat nihil; Laban autem mercedem apponit iusto.*

S. Chrysost.

Amor non pecunia paratur sed gratia.

86 *Seruiam tibi pro Rachel septem annis*, cuius remunerationis gratia? nam pecuniam accipies pro tot annorum seruitio? nullam exigis vt video, sed cum sit egenus & omnib⁹ rebus destitutus, cur à Laban tibi oblatam mercedem non admittis? nonne dixerat textus quod diligebat Iacob Rachelem? non mirum igitur omnem pecuniariam mercedem contempsisse, quia verus amor non debet lucro inniti, *non sunt fideles* (inquit) D. Isid. libro 3. de summo bono, *in amicitia quos munus non gratia copulat, dilectio quæ munere gloriatur, eodem suspenso dissoluitur, illa vera est amicitia quæ nihil quæm ex rebus amici nisi solam beneuolentiam scilicet vt gratis amet* & Euseb. Emiss. hom. 1. de natal. Apost. *non est*, inquit, *vera dilectio quæ temporales vtilitates attendit.*

D. Isidor.

Eusebius.

Iustorum maxima est castitas, ea autem seruatur medio labore.

87 *Seruiam tibi pro Rachel septem annis*, si simul in eadem domo est habitatio tua, cum Rachele venustissima, quomodo ab actu coniugali per tot annos abstinere poteris? quid enim fortius impellit ad libidinem, quàm pulcherrima visà quotidie, nihilominus cum ea castissime vixit, mira est enim iustorum castitas, sed quomodo hanc potuit ita cõsequi virtutem & tenaciter possidere? medio sane labore & ciborum parcimonia, accipe hoc à Lippom. *seruiam tibi septem annis argumentum id est non solum sed castitatis quoque & continentiæ mirabilis qui tot annis expectare nuptias licet cohabitando valuerit, Dei enim timor solet refrenare libidinem simul cum labore assiduo & parcimonia victus pastoralis.*

Lippomanus.

Ad terrena sumus alacres; ad diuina tepidi.

88 *Seruiam tibi pro Rachel septem annis*, quid à Iacob dignam ducis puellam, pro illius amore molestissimam pati seruitutem? nonne mortales pro Deo atque pro animæ suæ immortali gloria aliquid efficere aut pati molestum renuunt? quia proh pudor! ad terrena sumus propensissimi; ad diuina tepidissimi, hoc maximo cum animi dolore deflet Chrysost. hom. 55. *qualem nos habebimus excusationem qui non pari studio erga Dominum nostrum & benefactorem & curatorem, & qui nobis sit omnia afficimur sed quando proponitur lucrum temporale omnia alacriter sustinere, volumus etiam si quid laboriosum sit, & valde ærumnosum & sordidum & pœnam in præsenti & in futuro præbens, propter autem nostram salutem & vt supernum nobis conciliemus fauorem, remissi & supini & dissoluti videmur.*

S. Chrysost.

Non qui in dignitate prior est, potior est in virtute.

89 *Seruiam tibi pro Rachel septem annis*, cui seruies, Labano? Dominus igitur tuus erit, sed si te longe inferior est meritis, cur in dominatu superior? non mirum equidem, nam non qui in dignitate honoribus, & prælaturis prior est, hic in virtute potior. quod expendit D. Chrysost. hom. 35. in Matt. *ne quis* (loquitur de ambiente dignitatem) *talis in appetendo primatum, profectum pietatis pie prætendat,*

S. Chrysost.

dico, nunquid qui in ordine prior est, iam & meritis est melior.

Nihil ſapientia ardentius diligitur.

90 *Seruiam tibi pro Rachel ſeptem annis*, cur tot annos in obſequio hominis ingrati vis conſumere? dicet propter amorem, quo proſequitur ſpecioſiſſimam Rachelem, ſed cur erga puellam ſpecioſæ & egregiæ formæ tanto fertur amore, cum pulchritudine nihil breuius ac fugacius inter bona huius vitæ habeatur? vnde quidam veriſſime dixit decore nihil gratius, ſed nihil breuius, ſed ſi quid Rachel ſignificet nobis apertum ſit, dilectionem Iacobi erga eam non ſatis mirabimur ſic de ea loquens Richard. à S. Vict. lib. qui dicitur Beniamin minor cap. 10. Lia fœcundior, Rachel formoſior, Lia fœcunda, ſed lippa, Rachel fere ſterilis, ſed forma ſingularis, Rachel doctrina veritatis, Lia diſciplina virtutis. Rachel ſtudium ſapientiæ, Lia deſiderium iuſtitiæ; ne miremur igitur tanto ardore Rachelis amore Iacobum, nihil enim ſapientia ardentius debet diligi. *Scimus Iacob* (inquit cit. auct.) *ſeptem annis pro Rachele ſeruiſſe & tamen videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine, quid miraris, ſecundum magnitudinem pulchritudinis erat magnitudo dilectionis, certe ſi in laude ſapientiæ aliquid tentare voluero minus erit quantumque dixero, quid enim ſapientia ardentius diligitur? dulcius poſſidetur? eius decor omnem ſuperat pulchritudinem, eius dulcor omnem excedit ſuauitatem, eſt enim vt ait quidam ſpecioſior ſole & ſuper omnem ſtellarum diſpoſitionem luci comparata inuenitur prior, illi enim ſuccedit nox, ſapientiam autem non vincit malitia, attingit ergo à fine vſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter, hanc amaui, inquit, & exquiſiui à iuuentute mea & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere & amator factus ſum formæ illius quid ergo mirum ſi in huiuſmodi ſponſæ amore flagrabat, ſi talis ignis, ſi tantæ dilectionis flammas temperare non poterat? ò quantum amabat, ò qualiter in eius amore flagrabat qui dixit ſuper ſalutem & omnem pulchritudinem dilexi ſapientiam; nihil enim hac, vt diximus, ſapientia ardentius diligitur, nihil dulcius poſſidetur, hinc eſt enim quod ſapientes omnes eſſe volunt pauci autem admodum ſapientes eſſe poſſunt.*

Richardus Victorinus.

Sap. 7.

Sap. 8.

Virtus iuſtitiæ à pluribus contemnitur.

91 *Seruiam tibi pro Rachel ſeptem annis*, cum altera ſit filia Laban, nempe maior natu, cur vt eam in vxorem habeas, non polliceris per aliquot menſes obſequium patri eius præſtiturum? diximus in præcedenti conceptu, Lia, deſiderium iuſtitiæ deſignari, ſed cur Iacob connubium Liæ non etiam eſt amplexus, cum iuſtitiam deſignet? aduerte perfectam iuſtitiam præcipere inimicos diligere: ablata reſtituere &c. quod quidem difficillimum eſt, quid miraris igitur, ſi Lia à Iacob ſed præcipue ab aliis tanquam vxor non admittitur? quia vera & perfecta iuſtitia, non ſatis diligitur, quod optime agnouit cit. Hugo. Victor cap. 2. qui poſtquam dixit, quærendum eſt cur fere omnes coniugia Liæ tantopere abhorreant, qui in amplexus Rachel tantum ſuſpirant, ait. *Perfecta iuſtitia iubet inimicos diligere, parentes, propria quæque relinquere illata mala patienter ferre, oblatam gloriam vbique declinare, ſed ab huius mundi amatoribus quid ſtultius, quid laborioſius eſſe reputatur? hinc eſt quod ab eis Lia & lippa creditur & laborioſa, vocatur Lia namque laborioſa interpretatur, magnus namque labor ſed non minor error videtur eis eſſe in tribulatione gaudere, proſpera mundi quaſi peſtem fugere, ſed quia copiam mundi ad neceſſitatem non reſpuit, & ad voluptatem non admittit, Liam lippam non cæcam vocant, quam in rerum iudicio errare putant, ſi igitur per Liam deſiderium iuſtitiæ per Rachel vero ſtudium ſapientiæ intelligitur, patet ratio quare vel Lia ab omnibus contemnitur vel Rachel tantum diligitur.*

Hugo Victorinus.

A labore quantum poſſumus, fugimus.

92 *Seruiam tibi pro Rachel ſeptem annis*, o infœlix Lia, quæ quamuis maior natu à Iacob contemnitur & ſolum Rachel minor ætate diligitur, huius contemptus rationem inueſtigemus; nonne Lia laborioſam vel laborantem deſignat? ne mireris igitur quod nolit Iacob Liam in vxorem habere, nec pro ea velit per aliquod tempus ſeruire, quia nullus, ſi in libera eſt poteſtate eius, laborem amplectitur, ſed ab eo longiſſime ſe remouet, ita ſentit Hugo. Carens. *ſeruiuit non pro Lia, quia nulli aut pauci affectant laborem actionis aut paſſionis.*

Hugo Carenſis.

Toto huius vitæ tempore, pro aſſequenda gloria laborandum eſt.

93 *Seruiam tibi pro Rachel ſeptem annis*, cur potius ſeptenarium annorum numerum poſuit, quàm maiorem aut minorem? potuit enim dicere tibi ſeruiam quatuor aut quinque annis, ſi autem voluiſſet etiam paucos menſes acceptare, potuiſſet aliquos addere, tibi obſequium impendam octo vel nouem annorum ſpatio, aduerte numero ſeptenario vniuerſitatem deſignari, ſicut Rachele decorâ, beatitudinem futuram, bene igitur pollicetur ſe ſeptem annos pro Rachel in obſequio, completurum, quia toto huius vitæ tempore pro aſſequenda & poſſidenda gloria laborandum eſt, ſenſus eſt Robert. Holcot. lect. 30. verſ. 11. *futura vita eſt quaſi Rachel decora, amabilis, pro iſta filia oportet vos ſeruire ſeptem annis id eſt vniuerſo tempore præſenti, ſeptenarius enim eſt numerus vniuerſitatis.*

Holcotius in Sapient. cap. 10.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIX.

VVLG. Reſpondit Laban melius eſt, vt tibi eam dem quam alteri viro, mane apud me.

Sept. Melius eſt dare me eã tibi, quam dare eam me viro alteri, habita mecum.

EXPOSITIO.

RESpondit Laban, conſentiens iis quæ dixerat Iacob, *melius eſt vt tibi eam dem*, quia conſanguineus es, ſanguine enim coniunctos extraneis præferebant, *quam alteri viro* nempe incognito, *mane apud me* operi paſtoritio te exercens, & curam pecudum habens.

CONCE-

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Parentes potius virtutum cultoribus quamuis sint egeni, tradant filias suas in vxores, quam alijs.

94 *Melius est vt eam tibi tradam*, quid agis Laban? omnibus rebus destituto & egeno homini filiam te traditurum in vxorem polliceris? nonne in Mesopotamia sunt homines potentissimi, quibus tradere eam in coniugē poteris? aduerte quod quãdiu secũ permãsit Iacob, Labanus experimento didicit quantæ esset modestiæ, animi candoris, virtutisque: merito igitur Rachelem pulcherrimam pauperi pollicetur Iacob vxorem, & non alteri etiam opulentissimo ex Mesopotamia, quia parentes potius virtutum amatoribus, quamuis sint egeni, tradere filias suas debent in vxores, quàm alijs si improbi fuerint: non dissentit Lippom: *propter tuas virtutes, & quia propinquus es, præstat eam tibi quàm alteri iungere*, expende illa verba *propter tuas virtutes*, quasi diceret, virtutem præfero diuitijs, & licet ad me omnibus rebus accesseris destitutus, tamen quia in te sum bonam expertus indolem, animi candorem, &c. filiam meam in vxorem tradam expleto septennio.

Ita viles æstimantur vxores, vt quasi pretio coemantur.

95 *Melius est vt eam tibi tradam*, hoc solum ei pollicitus est Laban, postquam dixit se per septem annos obsequium ei præstiturum in præmium, & mercedem Rachelis, sed cur eam, cum sit consanguinea, gratis non exhibet vxorem, cum ipse nihil cum ea Iacob tradiderit? vnde ipsa necnõ soror sua Lia de patre suo amantissimo conquestæ sunt, capite 31. dicentes. nunquid habemus residui quidquã ex facultatibus, & hæreditate domus patris nostri? nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrũ, & non tradit eam gratis, sed mercede, quia ita viles æstimabantur mulieres, vt quasi mancipia pretio coemerentur. *solebant illo tempore*, inquit Oleast. *viri vxores pretio acquirere, quod & Saraceni hodie faciunt.* O'easter.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XX.

VVLG. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

Sept. Fuerunt in conspectu eius tanquam pauci dies, eo quod ipse diligebat eam.

Cald. Et fuerunt in oculis eius quasi dies pauci.

Arias. Quasi dies vni in diligendo se eam.

CONCORDIA.

IN Hebræo est אחדים Echadim quod rigorose loquendo, vni interpretatur, sed quia vnus in idiomate latino caret plurali, hinc est quod paucos vertit noster interpres.

EXPOSITIO.

SEruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis, sicut promiserat Labano, vt sibi Rachelem in vxorem traderet, *& videbantur illi pauci dies*, tot annorum labor paucissimus, & exiguus videbatur, *præ amoris magnitudine*, quo Rachelem prosequebatur, obserua autem quod licet quoad affectum & desiderium potiundi Rachela viderentur Iacob seruitutis menses plurimi, verum appretiatiuè, id est pro re tam pulchra pretium seruitutis huius ei videbatur exiguum, diesque laboris tam longi *videbantur esse pauci & parui*, id est labor suus sibi videbatur esse paruus, comparatus cum tanto præmio.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Cum fruimur conspectu rei amatæ, nihil nobis laboriosum videtur.

96 VIdebantur illi pauci dies, quot menses imo quot annos in obsequio & in seruitute Laban exhibitos consumpsisti? ait textus, seruiuit septem annis, quomodo tot anni tibi pauci dies videntur? imo plures quàm septem tibi videri deberent, quia spes quæ differtur affligit animam Prouerb. 13. afflictio autem quæuis illa sit, longa videtur: sed quæso considera quotidie Iacobum frui conspectu Rachelis, & dices merito septem annos seruitutis sibi visos esse paucos dies, quia qui conspectu rei amatæ fruitur, nihil sibi videtur laboriosum. Sic Gregor. Nazianz. oratione ad Maximũ, *vel vnicus dies totius vitæ humanæ est desiderio laborantibus, nam illud Patriarchæ Iacob nihil se alioquin habere videtur, qui pro duabus virginibus quatuordecim annis Labani Syro seruiens, haud quaquam labore frãgebatur, cuius rei hæc fortassis causa erat, quia rei expectatæ conspectu fruebatur.* En quomodo qui fruitur cõspectu rei amatæ nihil laboriosũ sibi videtur?

Prouer 13.

Greg Naz.

Amans nihil rei amatæ comparari posse arbitratur.

A

97. *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*, quod equidem miror, nam amanti nulla mora est parua, quia cum amor sit vinculum vnitiuum, iungens amantem amato, & quælibet mora eos inuitos & renitentes distrahat omnis mora eis est odiosa, quomodo igitur tot anni seruitutis pauci videbantur? D. Hier. ait quod dies pro labore dierum debet accipi. Sed licet sensus hic sit verus, difficultatem non diriniit, nam, nonne labor & seruitus tot annorum grauissima videri debet? minime, si cum re amata conferatur, amans enim nihil æquiualere rei dilectæ existimat. *Hic non dicitur* (inquit magister historiæ scholast.) *quod videbantur illi dies parui, sed pauci, quia desideranti animo etiam ipsa velocitas tarda est, sed dicitur pauci, quia videbatur ei quod rem tam amabilem pauco pretio emisset, pluribus enim annis pro ea seruiuisset priusquam cognouisset*, idem fere habet Abul. *istos dies exspectare Iacob satis durum erat, sed tamen adhuc non existimabat hunc laborem tanto bono æqualem esse, quia si etiam dictum fuisset Iacob quod seruiret annis pro Rachel seruiret etiam amplius, tanto amore honesto tamen tenebatur, nullus enim labor magnus videtur amanti, ignes non timet, niues spernit, gladiis se opponit, & omnia pericula sibi grata reputat, dum tamen amatum consequatur.*

Petrus Comes.

B

Abulens.

C

Spe aduersa patienter sustineamus.

98. *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*, quomodo hoc potest fieri, aut dici? quid enim æque impatiens ac amor? amor enim inquit Chrys. ser. 147. modum nescit, amor non accipit de impossibilitate solatium, non recipit de difficultate remedium amor nisi ad desiderata peruaserit, necat amantem & ideo vadit quò ducitur, non quò debeat. Si igitur necat amantem dilatio, quomodo pauci dies videbantur tot anni præ amoris magnitudine? nonne spe possidendæ Rachelis sibi promissæ à Laban alebatur? ne mireris igitur seruitutem ita duram tot annos tolerasse, & etiam annos vt in ea consumptos breues ei visos, spe enim quælibet aduersa patienter sustinemus, & quasi nulla arbitramur. Fauet D. August. explicans versum Psalm. 26. expecta dominum viriliter age, ait *& quando illud erit* (inquit) *arduum est mortali, tardum est amanti, sed audi non fallentem vocem dicentis sustine dominum, tolera vstionem renum viriliter & vstionem cordis velociter non tibi negatum putes quod nondum accipis.*

D

S. August. Psalm. 26.

E

Amor temporis longitudinem præscindit.

99. *Videbantur illi pauci dies*, quid durius seruitute, & illa molestius? quomodo igitur annos in illa præstandà consumptos laboresque in ea exantlatos indicat esse paucissimos? inspice quid addiderit Moyses, *præ amoris magnitudine*, & non vlterius inquires, quomodo fieri potuit, quod tot anni dies paucissimi ei visi fuerunt, amor enim temporis longitudinem præscindit, annuit Chrisost. *vt ostendat nobis scriptura, quomodo amor magnus & laborem & temporis longitudinem succidit, & breue videri facit, dicit videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.*

F

Amanti nihil difficile.

100 *Videbantur illi pauci dies*, si tu ipsemet fateris à Iacob, quod diu noctuque vrgebat te gelu, & somnus fugiebat ab oculis tuis, cum obsequium Labano præstabas propter Rachelem, quomodo de te verissime testatur Spiritus sanctus, quod tot anni tibi paucissimi visi sunt? quia quamuis durissima passus sit tamen quia maximo persequebatur amore Rachelem, omnia sibi visa sunt leuia. *Leuia* (inquit Oleast.) *omnia facit facilia amor, vnde Christus Ioann. 14. si quis inquit diligit me sermonem meum seruabit, ac si dicat qui me dilexerit lex mea non lex illi videbitur, sed sermo neque multæ leges sed vnus sermo.*

Oleast.

Ioann. 14.

Amor honestus rationem non impedit.

101 *Videbantur illi pauci dies*, decipitur ergo Iacob, quia septem anni plurimos continent menses & dies, sed reuoca in memoriam, id quod diximus nempe quod Iacob reputanti secum præstantiam rei amatæ, sibi septenne illud seruitium videbatur exiguum pretium quo tantum illud bonum compararetur, sed cum cæcus fingatur amor, & rationem obtenebrans, quomodo ei iudicium remansit liberum, vt æquissime iudicare de dignitate Rachelis amatæ? æquissime iudicauit, quoniam non libidinoso erga eam ferebatur amore. Sic Thom. Anglic. *Si amor Iacob inquit fuisset libidinosus, non nisi pauci dies sed plurimi, eo quod talis est amor impatiens moræ nec rationem attendit*, expende hæc vltima verba, quasi diceret rationem obtenebrat, non honestus sed amor libidinosus.

Thomas Anglic.

Patriam amanti cælestem laboriosæ huius vitæ dies paucissimi.

102 *Videbantur illi pauci dies*, nonne tibi laboriosi erant dies traducendi ô Iacob, vt Rachele potireris? quomodo igitur tibi pauci, vel vt est in Hebræo parui videntur? ob amoris magnitudinem ait textus, potuit hoc in illo puellæ amor, nonne idem in nobis cælestis patriæ poterit dilectio? audi monentem S. Bernard. serm. de fallacia præsentis vitæ, *suspiremus*, inquit, *ad delectationes illas Hierusalem cælestis, vt sicut breue est omnino tempus, etiam pauci nobis videntur dies præ amoris magnitudine*, amore isto omnia aspera redduntur leuia, amaritudo quælibet in dulcedinem vertitur.

S. Bernard.

Ita Christus nostri amantissimus vt grauissima quæ pro nobis pertulit, leuissima esse arbitratur.

103 *Videbantur illi pauci dies*, nonne dixerat quod septem annis seruiret, ne dicat igitur paucos dies seruitutis fuisse? sed si per Iacob Christum dominum intelligimus sicut per Rachelem, Ecclesiam ex gentibus, per septem annos totum illius vitæ tempus, quomodo verificari potest, quod pauci visi sunt illi dies, cum triginta tres annos in perpetuo fuisset labore, quod innumera tolerasset, quod etiam morti ignominiosissimæ & sæuissimæ condamnatus fuisset? inspice quid ait textus præ amoris magnitudine & sic omnis quæstio soluitur, ita enim Christus Dominus nostri amantissimus, vt grauissima quæ pro nobis pertulit leuissima esse

arbitretur

Hugo Car. tretur. Sic Hugo Caren. *Iacob Christus, Rachel Ecclesia seruiuit igitur Iacob, id est Christus, quia exinaniuit semetipsum formam serui accipiens pro Rachele id est pro Ecclesia de gentibus habenda, secundū quod dixerat ei pater, postula à me, dabo tibi gentes &c. vel pro Rachel id est vice Rachelis vt simile iugum ab ea excuteret Galat. 4. factum sub lege vt eos qui sub lege erant redimeret, vel pro Rachel id est pro Ecclesia lauanda, mundanda à sordibus peccatorum, Esaiæ 43. seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis, ipse enim est hircus emissarius qui vniuersa peccata populi ferebat in deserto scilicet crucis Leuit. 16. Esaia 53. vnusquisque in viam suam declinauit & Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum, Petri 2. peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum vt peccatis mortui iustitiæ viuamus. septem annis id est tota vita sua quæ septem diebus agitur, à primo enim instanti conceptionis suæ cœpit Deus nobis misereri, id est Christus Iob 31. ab infantia mea creuit mecū miseratio & de vtero matris meæ egressa est mecū Eccl. 5. miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum eorum miserebitur, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine, quia Christus leuia & breuia reputauit quæ pro electis sustinuit, Esaiæ 11. qui creauit terminos terræ non deficiet neque laborabit.*

Galat. 4. — Esai. 43. — Leui. 16. — Isa. 53. — 1. Pet. 2. — Iob. 31. — Eccl. 5. — Isai. 11.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXI. & XXII.

VVLG. Dixitque Laban, da mihi vxorē, quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad illā.

Cald. Da mihi vxorem meam, quoniā impleti sunt dies seruitutis meæ, & ingrediar ad illam.

VVLG. Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias.

Sept. Congregauit autem Laban omnes viros loci & fecit nuptias.

Cald. Fecit conuiuium, *sic etiam Pagninus.*

CONCORDIA.

Noster interpres hæc verba nempe *fecit nuptias* adiecit non ex Hebræo, in eo enim non reperiuntur, sed ex septuaginta, qui ita habent ἐποίησε γάμον, nuptias autem dixerunt, id est conuiuium, in idem enim vtraque vox recidit, nam nuptiæ non solum vocantur vnio & congressus viri & mulieris, sed etiam conuiuium ipsum vocantur; sic ergo Laban fecit conuiuium, id est nuptias.

EXPOSITIO TEXTVS.

D*ixitque Laban, Iacob da mihi vxorem*, ex quo patet Rachelē ante finē septennij fuisse per matrimonium ratum, legitimam vxorem Iacob, & Iacob non expectasse finem septennij, vt matrimoniū conficeret, sed vt id consummaret per copulam carnalem, vnde quia ex pacto inter Laban & Iacob facto suspensa fuit consummatio eius matrimonii secundum carnalem copulam, vsque ad finem septennij, hinc factum est vt toto tēpore Rachel maneret in potestate patris, non autem mariti, & quod Iacob non posset eam cognoscere, quia ipse sibi data fide, talem vsum matrimonij ad tempus illud interdixerit, *quia iam expletū est tempus*, nempe seruitutis, vt matrimonium cum amantissima Rachele vxore mea consummare possim.

Q*Vi vocatis multis amicorum turbis*, scilicet priuatibus illius loci, conuiuium nuptiale adhibuit, nuptias autem conuiuali lætitia celebrari solitas antiquissima consuetudo est, non solum apud Ethnicos, sed etiam apud Hebræos, vt constat ex libro Hester Iud. 14. & Tobiæ 9.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Domini immemores mercedis reddendæ famulis.

104 D*ixitque Labā da mihi vxorē*, Iamne ô Labā è memoria pactū excidit quod cum Iacob pepigisti, nēpe quod impleto seruitutis septennio ei traderes Rachelem in vxorem? si iam ergo dies seruitutis illius adimpleti sunt, cur expectas, quod ipse quod suum est, postulet? quia regulariter Domini immemores sunt mercedis reddendæ famulis, *quod malum*, (inquit Oleaster) *Domini habent quod obliuiscuntur mercedis, neque computant tēpus mercenarii.*

Oleaster.

Mira iustorum castitas.

105. *Dixitque Laban da mihi vxorem*, quandonam iam petit coniugem? septennio scilicet expleto, sed cum à septem annis matrimonium ratum esset, cur à te non perfectum & consummatum? filii enim qui ab eo nascerentur legitimi censerentur: cum ab vxore sua legitima abstinuisse per tot annos cognoueris, iusti hominis castitatem mirabaris, non enim petit eam nisi post expletum septennium, tanto tempore ab ipsa abstinuit cum tamen ipsam quotidie videret, cum ipsa esset, sciretque sibi desponsatam, magnum testimonium castitatis sed rarum exemplum nostris temporibus, nihil tale nunc videtur in iuuentute nostra.

Conuiuia non sunt damnanda.

106 *Vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium.* miror Iacob hominem abstinentiæ amantissimum, die quo tradenda sibi vxor Rachel esset, consensisse conuiuium nuptiale fieri, cum in eo non solum gula dominetur sed & impudicitia vigeat, regnet & inuerecundia, non in omnibus hæc vitia regnant: & ideo tāquam legitimum hoc nuptiale potuit etiam vir sanctus permittere, vnde optime Oleast. *non sunt dānanda conuiuia cum causa legitima sunt.*

Oleast.

Quos amicos conciliasti eos conserua.

107. *Conuocatis multis amicorum turbis ad conuiuium*, cur amicos conuocas? conuiuium soli, & toti familiæ exhibe, nonne tibi sunt plurimi famuli? cur in epulis extraneorum exhibendis facultates consumis? prudenter amicos ad conuiuium conuocat, vt quos sibi acquisiuit hoc genere beneficii sibi conseruet *extructis*, inquit Lippom. *de more epulis, & gaudio amicorum amicitiam conciliante, fecit nuptias.*

Moderata nuptiarum celebritas cõmendatur.

108. *Conuocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias*, nonne inuerecunda & intemperans esse solet nuptiarum celebritas, in qua ludibria introducuntur, plena sunt ebrietate & satietate? nuptias igitur remoue, vt tot peccatorum cessent occasiones; ne remoueat, sed celebret, laudandæ enim dummodo modestè & moderatè fiant *mulierem ducis*, inquit D. Chrys. hom. 12. ad Colos. *ob têperantiam & liberorum procreationem licet exhilarare nuptias lautis mensis & vestimentis licet piascutia venerandorum virorum & venerandarum mulierum, quid ludibria, quid monstra inducis? omnia oportet esse plena temperantia, modestia, grauitate ac honestate, virgini solus est aptus thalamus*, deinde quasi alludens ad amicos quos conuocauerat Laban, ait, *quando facturus es nuptias, ne domo abeas specula & vestes commodato accipiens, res enim non sit ad ostentationem, neque filiam adducis ad pompam, sed iis quæ in ea sunt domum exhilarans, voca vicinos & amicos, & cognatos quos nosti quidem bonos & probos, eos voca.*

S. Chrysost.

Honori aliorum consulendum.

109 *Conuocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias*, cur tot turbas amicorum conuocat? vnus aut alter ad conuiuij nuptialis celebritatem nonne sufficit? vel quid extraneos conuocas? cum familia illud celebra: aduerte quod si pluribus amicis non præsentibus nuptiæ celebrarentur, aliquando dubitari posset, vtrum quis alicui fœminæ legitime coniunctus esset, sicque aliquando oriri posset suspicio, vtrum qui nascerentur filii censendi essent legitimi: merito igitur tot conuocantur à Laban amici, vt filiæ suæ honori & famæ consuleretur, hoc innuit Abulens. *Vocat amicos ad solemnizandum nuptias, vt publice traderetur filia sua viro, ne quasi concubina reputaretur & quantum ad hoc licet non sit de substantia, nec sit solemnitas nuptialis magna tamen honestas est & vtilitas reipublicæ, ne filii deputentur degeneres sed cognoscantur legitimi ab adulterinis.*

Abulens.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIII.

VVLG. Et vespere Liam filiam suam introduxit ad ipsum.

S. p. Et facta est vespera, & sumens Liam filiam suam introduxit ad Iacob, & ingressus est ad eam Iacob.

Pag. Et fuit vesperi, accepit Leath filiam suam, & venire fecit eam ad eum, & ingressus est ad eum.

CONCORDIA.

PLura videntur habere aliæ lectiones, scilicet *ingressus est ad eam Iacob*, quam noster interpres, sed quod in hoc versu posuere in subsequenti habet vulgatus.

EXPOSITIO.

ET *vespere*, Semotis luminibus, pudoris seruandi gratia in cubile virgo violanda inferebatur, sed Laban non ob verecundiam filiæ lumina amoueri iussit, sed vt facilius, quem ipsi Iacob struebat dolum supponendo ei pro Rachele Liam, exequeretur, peccauit autem grauiter Laban tum perfidiæ crimine, quia contra datam fidem non dedit tempore constituto Rachelem; tum crimine pellicatus, Lia quippe extra coniugium mixta cum Iacob marito Rachelis fiebat eius pellex: Lia etiam licet patri obsequendum putaret, à graui non excusatur peccato, cum voluntariè stuprum passa fuerit, & quantum in ipsa fuit Iacob induxerit ad committendum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Tanti æstimanda est virginitas à puellis, vt etiam si nuptæ fuerint, significent se inuoluntariè illius iacturam fecisse.

110 VEspere *Liam filiam suam introduxit ad ipsum*, vna ex cæremoniis quæ obseruari solebant, erat, quod ducerentur sponsæ ad nouum maritum sub noctem, atque in solis occasu. Sed alia à nobis silentio non prætereunda, scilicet quod noua nupta limen maritalis domus pedibus non tangebat, sed aliorum manibus in ædes sponsi ferebatur, nonne maturæ erant ætatis puellæ, vt pedibus ingredi sponsorum ædes valerent? cur ergo introducendæ aliorum manibus feruntur? vt hac consuetudine significaretur, eas inuitas illuc ire, vbi virginitatis iacturam facturæ erant, hanc significationem consuetudinis in medium proponit Guillel. Hamerus dicens, *causa huius est quod quasi inuitæ in domum veniant in qua virginitatem amissuræ sint.*

Guillel. Hamer.

Pudor & verecundia maxime decent.

111. *Vespere Liam filiam suam introduxit ad eum*, cur vespere sponsa ducitur ad virum? nonne conuenientius fuisset, quod meridiana luce ad eum introduceretur, vt sic omnis dolus fraus que cessaret, agnosceretque sponsus quænam sibi in coniugem sponsa traderetur? merito tamen solum nocturno tempore, & in tenebris ad virum puella introducitur, ad pudorem & verecundiam omnibus decentissimam seruandā, *introduxit*, inquit Abul. *per tenebras ad vitandam spōsarum verecundiam, quia primo nubentes adhuc verecundantur, in quo conditionis nostræ miseria designatur, quia ipsum quod naturaliter maximè concupiscimus dicto erubescimus.*

Abulens.

Iniquissimum parentum facinus cùm filiabus consulunt prostitutionem vt sibi maritos comparent.

112. *Vespere Liam filiam suam introduxit ad eum*, dignum encomio dices quod intromiserit filiam vt ex virginei pudoris iactura maritum nobilem sibi cōpararet, sed sane omni vituperio dignum merito iudicare debemus, quod enim iniquius facinus? quod delictum maiori abominatione dignum, quam proprios parentes, qui vitam profundere deberent pro seruanda filiarum integritate, nihilominus eas stuprari patiuntur, vt furtiuis amplexibus maritos sibi acquirant? quid de iis parentibus sentiat Cyrill. Alex. lib. 7. de adorat. aud. *non prophanabis, inquit lex filiam tuam vt fornicari facias eam: igitur parentes oportet vt ad res quam optimas sint autores, sint resupini: & negligentes erunt pædagogi, atque adeo secus quam ratio postulat si ad turpia facta duces, ac magistri, deprehenderentur, extrema supplicia sustinebunt, vt qui suos ipsi foetus corrumpant, & in exitij foueas impellant, profecto æquum erat mortem oppetere, nam id patribus natura ipsa præscribit.*

Cyr. Alex.

Impii sub pretextu boni suas fraudes moliuntur.

113. *Vespere Liam filiam suam introduxit ad eum*, diximus virgines dum nubebant, verecundiæ causa, in tenebris viri thalamum adire solitas, sed vespertamne elegit eo fine Laban, cum Liam pro Rachele supposuit? minimè, nam cum esset impius, sub hoc prætextu tenebrarum suam fraudem est molitus, *adducitur*, inquit Lippom *ipsi Iacob Lia in tenebris, vt dolus exerceretur*, & Oleast. *ars est mala bonis miscere, vt cum bonis transeant.*

Oleaster.

Fraudis punitio decipi.

114. *Vespere Liam filiam suam introduxit ad eum*, quomodo permittit Deus, vt sic decipiatur Iacob, eique mulier lippis oculis pro pulcherrima supponatur, & cuius amore septem seruierat annis? reuoca in memoriam Iacobum, patrem decepisse, cum ad consequendam illius benedictionem pelliculis hædorum manus circumdedit, vt Esau pilosus videretur: cur non dicemus ideo Deum permisisse Iacobum deceptum fuisse in punitionem fraudis commissæ? *forte hac fraude*, inquit Oleast. *voluit Dominus punire illam quam fecerat ipsi Esau.*

Oleast.

Vitæ contemplatiuæ dulcedo non datur cito possidenda, ne tanquam vilis contemnatur.

115. *Vespere Liam filiam suam introduxit ad eum*, nonne promissa ei fuerat Rachel, absoluto septem annorum obsequio? cur ei non traditur in coniugē? si à nobis dictum fuit Rachele vitam denotari contēplatiuā, non miraberis traditam illi nō fuisse illico, vitæ enim contemplatiuæ dulcedo non datur cito possidenda, ne tanquam vilis contemnatur, accipe D. Greg. Mag. lib. 1. Reg. cap. 11. *Iacob Rachelem coniugem habere desiderat, sed tamen ei prius Lia substernitur, vt pro obtinenda illius specie septenarius annorum numerus in soceri seruitio geminetur, quia amator vitæ contemplatiuæ hanc in vbertate æterni gaudij cito adipisci desiderat, sed tamen ei omnium donorum largitor spiritus cito non tribuit, ne habitum quasi vilem despiciat, si facilitas ei hanc pro voto repræsentat, sed tāto cosi vatur dulcius, solicitiusque custodiat quanto hanc difficilius promeretur.*

D. Gregor.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIV.

VVLG. Dans ancillam filiæ Zelpham nomine, ad quam cum ex more Iacob esset ingressus, facto manè vidit Liam.

Sep. Dedit autem Laban Liæ filiæ suæ Zelphā, ancillam suam, ei ancillam, factum est autem manè & erat Lia.

Chald. Dedit Laban Zelpham ancillam suam filiæ suæ Liæ in famulam.

Oleast. Et fuit & discreuit, & ecce ipsa Leah.

Ar. Et fuit diluculo.

CONCORDIA.

NOmen בקר Boker, id est mane à בקר Bakar, quod est discernere, ortum habuit, quia diluculo vel manè res quæ in tenebris erant, discernuntur, vnde fit quod vbi habemus manè, legit Oleaster, discreuit,

EXPOSITIO.

DAns ancillam filiæ Zelpham nomine, in obsequium, *ad quam*, existimans esse Rachelem, cū ex more ingressus esset copula carnali, perficiens matrimonium, *facto manè, vidit Liam*, quam ex ignorantia cognouerat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Inter coniuges non meretricia quæratur voluptas sed propagatio.

116. *Facto mane vidit Liam*, quomodo Iacob per totam illam noctem non ex tactu, non ex voce cognouerit Liam & à Rachel discreuerit, præsertim quod tot annos in eorum domo versatus fuerit, dices cum Iosepho l. 1. antiquit. causam ignorantiæ fuisse tenebras & temulentiam, quia in conuiuio nuptiali, multo largius solito biberat, tamen indignum est, sanctissimo viro impingere, quid ergo dicemus, quod Rachelem non esse deprehenderit? nisi hanc ignorantiam castissimi & prudentissimi animi argumentum fuisse, quippe qui tantum spectando solum coniugii fructum, generationem prolis, non blanditiis vsus est, cum Lia meretriciis, nec lasciuos adhibuit tactus, nec amatorios miscuit sermones, hæc enim Iacob penitus abhorrens, eo solum animo, eoque modo coniugalem copulam exercuit, vt filiorum generationi conducere posse existimabat, mens est nostri Lyran. *si res gis eam*, inquit, *carnaliter ostenditur hic quod non quæsiuit in vxore sua blanditias meretricias in tactibus & verbis, sed magis vsus est in castitate maritali.*

Lyran.

Famæ aliorum consulamus.

117. *Facto mane vidit eam*, iam carnali copula cognitam, cur eam a thalamo nuptiali non eiicis, cum fraudi tibi illatæ à patre suo consenserit? cum cum matrimonium non perficiatur sola copula, sed mutuo consensu, tibi liberum tanquam fraudulentam in vxorem non admittere in pœnam suæ inuerecundiæ, quæ ab homine non marito virginitatis iactura m passa est: aduerte quod si post copulam dimisisses tanquam nō suam, dedecori illius cessisset, quod innupta & violata mansisset, laudemus igitur Iacobum qui quamuis deceptus, vindictam non exercuit, sed Liam in vxorem accepit, vt illius honori & famæ consuleret, non dissentit Abulensis, cum ait, *postquam Iacob cognouit eam carnaliter misertus illius, & sic delusus accepit eam in vxorem, & ibi fuit mutuus amborum consensus.*

Virtus etiam impiis grata & mirabilis.

118. *Facto mane vidit Liam*, seque deceptum conspexit, cur ô Laban hominem qui tibi per tot annos fideliter seruierat, ita fraudulenter retentasti, vt mulierem deformem ac adeo despectam pro specio sa ei supponeres? non fefellit ex odio sed ex amore, vt sic eum quem iustum agnoscebat, diutius retineret, & virtutis amatorem apud se haberet, sic D. Chrysost. Hom. 56 in Genes. *possumus*, inquit, *& hic videre, quomodo Laban magna affectione dilexit Iacobum, hic enim commentus vt iustum apud se diu sus retineret sciebat enim quod amore alterius flagrabat, & sic compos fieret non eligeret postea seruitutem propter Liam sustinere nec vellet cum eo habitare*, per fas nefasque omnia molitur Laban homo improbus & impius vt Iacobum iustum Deoque amicum, apud se retineat, ea quidem virtutis pulchritudo est, vt illam etiam qui in seipsis refugiunt & oderunt in aliis, post eam suspiciant & ament.

Cupidus bonorum, nullum non flagitium molitur.

119. *Facto mane vidit Liam*, lippitudine deformem atque adeo exosam, quam veterator Laban supposuerat, sed quot propter tuam fraudem ô Laban à te flagitia committuntur, in primis stuprum defloratæ virginis à viro non marito, deinde adulterium cum alia coniuge, erat enim Iacob verus iam Rachelis maritus, præterea duplicatus incestus, vbi Iacob cum cognata, & sorore suæ vxoris rem habebat, denique fraus & iniustitia cum nolentem adigeret, vt duceret, vel cognatum ignominiæ obiicere, horum omnium auctor fuit Laban scelerum, persuasitque illa scelera filiæ maiori, ac minorem filiā suo iure thoro ac marito spoliauit, quid te ad tot perpetranda scelera compulit? aduerte optime agnouisse Laban ex diligentia & solicitudine Iacobi bona sua multiplicari, si autem Rachelem duceret quod forte simul cum ea in patriam ad patrem rediret, sicque bonorum suorum cessaret multiplicatio, non miremur igitur tot criminum auctorem fuisse, quia cupidus bonorum & auarus nullum non flagitium molitur, ad ea sibi comparanda, vnde optime S. Paulus 1. ad Timot. 6. ait radix omnium malorum est cupiditas, quæ ex ea flagitia oriantur enumerans, Theod. ait, *cædes & præstigiæ, furta, & rapinæ, fraudes, & mendacia, iusiurandi violatio, & alia generis impuritatis ex hac radice pullulant*, & Theoph. *neque viuentibus parcit, neque mortuis, sed hos quoque deprædatur, tum in parentes & fratres insurgit, ac quæ Dei sunt spoliat, tolle hanc è medio & nullum bellum aut immunditia aderit.*

Vnusquisque alios ex seipso iudicat & metitur.

120. *Facto mane vidit Liam*, Rachelem esse existimans, sed ô Iacob, cur cum ad te introducta fuit Lia, lampadem, vt quænam esset agnosceres, non adhibuisti, sed si ob verecundiam puellæ amota fuit, cur nocturno tempore amatorios sermones non contulisti, vt deprehenderes ex eius loquela tibi cognita, verum esset Rachel dilectissima? reuoca in memoriam de Iacob dictum, fuisse simplicem: quid mirum igitur si nullam sibi fraudem structam suspicatus est? vnusquisque enim alios ex seipso metiri & iudicare solet, nec simplicem & sincerum Iacobi animum subire potuit vllam posse fraudem & iniustitiam ab auunculo & socero strui, *quare* (vt annotauit Chrysost.) *primum considerari potest simplicitas Iacob, & quomodo ab omni malitia alienus deceptus sit.*

Misera est hominum conditio cum in ducendis vxoribus pluries decipiantur.

121. *Facto mane vidit Liam*, cuius consortium habuerat, Rachelem sibi dilectissimam esse arbitrans, sed vt cum vestes emimus nō solum eas agnoscimus in emptione, sed cum eis induimur: cum equos nobis comparamus, omnibus modis, quinam sint inquirimus, & experimento discimus, cur ergo tenebris & facta vespera inquit textus Iacob matrimonium perfecit, itaut quænam esset, sua coniux cognoscere non potuerit? quia misera est hominum conditio, cum in ducendis vxoribus pluries decipiantur.

cipiantur saltem, quo ad illarum morum cognitionem quam infœlicitatem ita deplorat D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinia. *nulla sit vxoris electio, sed qualiscunque sit obuenerit habenda, si iracunda, si deformis, si superba, si fœtida, quodcum que vitii est post nuptias discimus, equus, asinus, bos, mancipia, vestes, denique, lebetes, sedile ligneū calix & vrceolus fictilis probantur prius & sic emuntur sola vxor non ostenditur ne ante displiceat quam ducatur.*

Hieronym.

Filiæ a parentibus subleuandæ cum matrimonio copulantur.

122. *Facto mane vidit Liam*, cui pater Laban dederat famulam nomine Zelpham, cur hanc ancillam dono accepit à patre? & cur id nobis significatur? quid enim refert scire vtrum cum Lia datur in vxorem Iacobo quod tunc Laban ei famulam tribuit? merito id non prætermisit Moyses, vt ostenderet quod filiæ à parentibus subleuandæ sunt, cum matrimonio copulantur, subleuantur autem ancillarum ministerio, *Zelpha* inquit Lippom. *obsequio filia dicatur, quo leuius ferret labores domesticos atque honoris gratia, multa sunt enim quæ per se mater familias expedire honorifice non potest.*

Lippom.

Sensualitas affectionem nostram circa res terrenas fouet & allicit.

123. *Facto manè vidit Liam*, cui data est à patre ancilla nomine Zelpha, itane delicatula est Lia, vt indigeat ancillæ ministerio? vt mysticè satisfaciam? aduertendum est ex Ricardo Sancto Victore, in lib. qui dicitur Beniamin cap. 5 quod Lia denotat affectionem, Zelpha autem sensualitatem, sed itane necessaria est affectioni sensualitas, vt ei tanquam ancilla detur? ita necessaria est, inquit cit. Auctor, vt sine illa totus mundus nihil ei posset conferre, quid ais Ricarde? nonne affectio nostra potest dirigi etiam si nulla ei obsequeretur sensualitas? minime inquit, *vt quid enim ait Lia circa labentium rerum amorem tam vehementer afficitur? nisi quia in ea per ancillæ suæ, hoc est sensualitatis obsequium multiformiter delectatur, hæc est quæ illi solet carnalium delectationum cibos condire, & apponere, & ad earum vsum ante horam inuitare & vltra modum furari prouocare, quæ enim alia est, quam sensualitas, quæ animi affectionem carnalium voluptatum desiderio inflammat & earum delectatione inebriat? hæc est quæ laboriosam illam Dominam suam egredientem procedit, & huc illucque circumducit: nam quia Lia lippa est & parum videt illius manuductionem sequi eam non pudet hinc est quod Lia animi scilicet affectio, nunc contemnenda diligit, nunc diligenda contemnit, quia dum eius oculus in verum iudicio caligat, carnis appetitum sequi non erubescit.*

Richar. à S. Vict.

Cit. Auct.

Appetitus sensualitatis satiari non potest.

124. *Facto manè vidit Liam*, cui pater dederat Zelpham, cuius nominis interpretatio varia est, alii enim distillationem oris, alii vilitatem, aut contemptum oris dixere, sed mihi arridet illa interpretatio, quam præbet cit. Vict. cap. 6. scilicet, quod os inhians dicitur, cur talis ancilla, quæ hanc interpretationem sortitur, Liæ tribuitur? nonne Lia potententissimi hominis filia poterat est diuitiis suis extinguere sitim ancillæ suæ Zelphæ, vt os illius clauderetur, & non sit semper inhians? si d ctum est à Ricard. Zelpham denotare sensualitatem, rectè os inhians interpretatur, quia sensualitatis appetitus minime potest satiari. Fauet cit. Auctor, *Zelphæ sitim Dominæ suæ copia tanta omnino extinguere non potest vinum quod Zelpha sitit, gaudium est voluptatis de quo quanto plus bibit, tanto plus sitit, nam ad satiandū sensualitatis appetitum totus mundus non sufficit, quia ergo quantumcumque bibat semper ad bibendum inhiat, rectè Zelpha, hoc est os inhians vocatur sitis cuius nunquam extinguitur.*

Richar. Victor.

Cit. Auctos.

Coniuges nuptiarum nocte orationi studeant, vt omnia sibi prospere eueniant.

125. *Facto manè vidit Liam*, quam nouit non esse vxorem sibi promissam à Laban, sed cur diligenter non obseruasti quæ in thalamum puella tibi adducebatur? aut postquam introducta est cur eam ad loquendum non compulisti, vt ex colloquio tibi esset cognita? de neutro solicitus, sed totum de oratione habenda vsque ad mediam noctis partem, vt Deo omnia sua committeret, sicque cum silentio & verecundia ad Liam accessit, *sunt*, inquit Hamerus, *qui hic verecundiam & continentiam Iacob arguere putant, quod non continuo fuit in vxorem, in venerem præcipitauerit, sed sapiens Deo sueuit, quo deinceps fœlicius successu fortunaret omnia, quod alias à religiosis viris etiam factitatum legimus, tanquam satis habuerit vir modestè lasciuus rem nuptiarum magis libasse, nunc quam sese ea ingurgitasse, & hoc quidem fœlicis matrimonij & fœlicis perseuerantiæ initium censetur*, ab hac sententia non deflectit Lyranus.

Hamerus.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXIV. & XXV.

VVLG. Et dixit ad socerum suum, quid est quod facere voluisti? nonne pro Rachel seruiui tibi, quare imposuisti mihi?

Sep. Et vt quid decepisti me?
Chald. Quare ergo mentitus est mihi?
Oleast. Quare despexisti me, aut proiecisti me?

CONCORDIA.

VErbum רמה Ramah in Pihel, significat decipere, defraudare, fallere, in Cal. autem proiicere, & ex consequenti despicere, quod despecta proiici solent, quod autem proiicere, sit idem Hebræis, quod despicere, patet 1. Reg. 14. vbi Dominus dicit Ieroboam proiecisti me post corpus tuum, id est despexisti me.

EXPOSITIO.

ET *dixit ad socerum suum*, nempe Laban, *quid est quod facere voluisti?* quasi diceret, cur pro Rachele Liam mihi supposuisti? pro qua tecum non conueneram in seruitio per septem annos tibi præstito, sed pro Rachele, *quare imposuisti mihi*, impostor dicitur, qui alios decipit, vnde sensus est, cur me fraude circumuenisti, vel decepisti cum te nulla affecerim iniuria, imo quem fidelissimum es expertus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non est tanta inter consanguineos fidelitas, quin inter eos fraus non reperiatur.

116. CVr *imposuisti mihi*. Septuaginta, cur decepisti me? nonne Laban auunculum tuum aliòquin maiori cum vrbanitate sic tibi cum eo sermo deceptorem, fallacem, imo me fallacem eum nominas, quid miraris eum deceptorem dicere, quamuis auunculum? quia inter consanguineos non est tanta fidelitas, quin etiam fraus & dolus inter eos non inueniatur, *vnde*, inquit Oleast. *ab initio fuisse fraudes etiam inter cognatos.*

Oleaster.

Iusti pro malo reddere malum nesciunt.

127. *Cur imposuisti mihi?* cur ô Iacob Liam, à nuptiali thalamo non expellis, cum illa fraude tibi illatæ cognosceres? cur de Laban non sumis vindictam, postquam relinquens filiam suam maiorem natu, & minorem contemnens, neutram ducens vxorem? cur opprobrium tibi factum simulas? quia iustus qualis erat Iacob nescit malum malo compensare.

Fallaci mundo ne credamus.

128. *Cur imposuisti mihi?* vbi lux matutina dolum nocturnum patefecit, indignatus Iacob, quod Liam, sibi exosam vtpote lippam & deformem, & non sponsam, pro Rachele vxore habuerit, Labanum fraudis & mulctæ obiurgat, & increpat, sed cur ita consanguineum obiurgas? cur multum & fallacem nominas? si Labanum huius mundi figuram esse dicimus: non inquirimus, cur eum deceptorem appellat: quia nihil ita fallax ac fraudulentum, quam mundus, qui miseros homines concepta spe debitoque præmio fraudat, ac per Rachelem quam speciosam adamarunt & multis sudoribus, quodammodo coemerunt, miseris ad mortem vsque fœdam quam detestabantur, velint nolint Liam introducit: cum igitur mundus sit plenus fraudibus, quid restat nisi quod suggerit D. August. explicans illa verba Psalm 32. non saluatur Rex per multam virtutem &c. *spes tua Deus sit*, inquit, *fortitudo tua, Deus sit exoratio tua, ipse sit laus tua, ipse sit finis in quo requiescas, ipse sit adiutorium cum laboras.*

D. August. Psalm. 32.

Cum indigni adhuc sumus sapientia & scientia altissimi, compungimur & flemus.

129. *Cur imposuisti mihi?* scilicet Liam pro Rachele supponens, quomodo à Iacob quærente, tota animi affectione pulcherrimam Rachelem, solũ Liæ amplexibus potitur? aduerte per cubiculum Rachelis scripturam sacram, per ipsam Rachelem Dei sapientiam intelligere possumus, per Iacob qui nondum præualuerat aduersus Angelum, nec ab eo benedictionem acceperat, hominẽ adhuc imperfectũ: quo posito, cur non dicemus, ideo Iacob inuenisse postquam diu quæsiuit, solam Liam pro Rachele? quia cum adhuc imperfecti sumus, non sapientiam Dei, non illius scientiam in sacra scriptura reperiemus, sed solum compunctionem, lachrymas, quibus nostram imperfectionem deflemus & plangimus quod erudite docuit Ricard. à S. Vict. lib. qui dicitur Beniamin minor c. 4. *quemadmodum Lia supponitur dum Rachel speratur, facile recognoscunt qui hoc quã sæpe contingat, non tam audiendo quam experiendo didicerunt, sæpe contingit, vt animus antiqua conuersationis sordibus minus mundatus, & ad cœlestium contemplationem nondum idoneus, dum se in cubiculo collocat, dũ se in eius amplexus totum parat, dum illam iam se se tenere putat, subito & inopinate inter amplexus Liæ se esse deprehendat, quid enim scripturã sacrã, nisi Rachel cubiculum dicimus in qua sapientiam diuinam sub decenti allegoriarum velamine latitare non dubitamus: in tali cubiculo Rachel toties quæritur, quoties in lectione sacra spiritualis intelligentia indagatur: sed quam diu adhuc ad sublimia penetranda minime sufficimus diu cupitam, diligenter quæsitam Rachel, nondum inuenimus: incipimus ergo gemere, suspirare nostram cæcitatem, non solum plangere sed & erubescere. dolentibus ergo nobis & quærentibus, vnde hanc cæcitatem meruimus, occurrunt mala quæ fecimus, quinimo ipsa diuina lectio, nobis nolentibus & aliud quiddam in ea molientibus fœditatem nostram frequenter ingerit, & corda nostra in eius consideratione compungit, quoties ergo in diuina lectione pro contemplatione compunctionem reperimus, in cubiculo Rachel non ipsam sed Liam nos inuenisse non dubitemus, nam sicut Rachelis est meditari, contemplari, discernere, intelligere, sic profecto pertinet ad Liam flere gemere, dolere, suspirare.*

Ricard. à S. Vict.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXV.

VVLG. Respondit Laban, non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias.

Sep. Non est in loco nostro, vt detur iunior priusquam senior.

Chald. Non solet fieri, hoc in loco nostro, vt detur minor antequam maior.

Pag. Non fit ita in loco isto, vt detur minor ante primogenitam.

EXPOSITIO.

Respondit Laban, videns suam fraudem detectã, *non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias*, nullam habet vim hæc excusatio, tum quia vel nulla erat talis consuetudo, sed eam ipse fingebat, vt vxorem genero obtruderet, quam ille nolebat, & eum vel inuitum diutius in suo famulatu retineret; vel si erat eam iam ipse violarat ante septennium Rachelem promittendo, & re ipsa dando in matrimonium, & mox cum offensione hominum Rachelis nuptias quam iuniorem esse constabat, publicè celebrando.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Sic stultè afficiuntur homines erga humana statuta & traditiones, vt pro illis tuendis nulli aduersus Deum parcant delicto.

130. NOn *est in hoc loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias*, sit hæc consuetudo à vobis statuta, & vsque in hũc diem obseruata; cur tot, vt eam inuiolatam seruares criminibus fœdasti? his enim leno tuæ maioris filiæ, quam producis in stuprum, ei quem sciebas non esse maritum, fis reus adulterii cum coniugato viro filiam permittis, imo & incestus, quia Lia affinis erat in primo gradu, vt pote soror veræ coniugis nempe Rachelis, accusaris perfidiæ, pacta & promissa etiam cum grauis seruitutis onere comuncta violans, imo & iniustitiæ aduersus Rachelem, cui cupiebas eripere maritum, in Iacobum quem in matrimonium inuitum quodammodo cogebas, in Liam quam amissa virginitate infamiæ periculo obiicis, tot hæc crimina in Deum & in naturam incurris ô Laban, cur tot flagitia committis? ipse respondet non est consuetudinis in loco isto vt minores antea tradantur ad nuptias, sic vt loci tueatur consuetudinem, vt gentis traditionem obseruet, & statuta, non dubitat tot criminibus & sceleribus aduersus Deum se obstringere, ô perniciosa hominum malitia, quod sic afficiantur erga humana statuta, vt pro illis seruandis nulli sceleri parcant, vnde optimè à Pasch. l. 7. in Matth. explicante illa verba Christi Domini dicta Pharisæis c. 15. Matt quare & vos transgredimini mandatum Domini propter traditionem vestram, ait, *iniquum est, mandatum Dei propter traditiones humanas, etiam superfluas & vanas prætermittere.* D. Paschas. Matth. 15

Filiæ natu maiores prius iungendæ sunt matrimonio quàm minores.

131. *Non est in loco consuetudinis vt minores antea tradamus ad nuptias*, cur à vobis hæc consuetudo statuta? liberum sit vnicuique vxorem eligere, siue minorem siue natu maiorem? non omnino vituperanda hæc consuetudo, filiæ enim maiores prius matrimonio iungendæ sunt, quàm minores, *audiant hoc patres*, inquit Lippom. *audiant & matres omnes, iuniores filias pulchritudine es eo fortè quod facilius eis maritos inueniant, ante tradentes ad nuptias, primogenitas vero domi veterascere & consenescere in graue animarum illarum dispendium, corporis iacturam, ac quandoque familiæ ipsius perpetuum permittentes opprobrium.* Lippom.

Aduenæ leges locorum in quibus sunt obseruent.

132. *Non est in loco consuetudinis vt minores antea tradamus ad nuptias*, sit hæc consuetudo posita, cur eam Iacobo significas aduenæ, qui venit in Mesopotamiam præcipuè vt vxorem duceret? non imprudenter hanc loci consuetudinem aperit, quamuis alienigenæ, quia etiam leges locorum in quibus sunt, si fuerint iustæ & sibi cognitæ, obseruare tenentur, *hic disce*, inquit Oleaster, *aduenas debere locorum ad qua veniunt, seruare consueta placita.* Oleaster.

Nulla consuetudo iuri naturali contraria seruari debet.

133. *Non est in loco consuetudinis vt minores antea tradamus ad nuptias*, erat consuetudo probabilior, hodieque quoad fieri possit obseruanda, cur ergo accusatur Laban perfidiæ & aliorum scelerũ, si hanc consuetudinem obseruari voluit? aduerte hanc vigere potuisse, vt filiæ natu maiores traderẽtur nuptui ante minores, verùm illæ prius despõsabantur, & apertè tradebantur marito, vt autem marito nõ volẽti nec scienti latẽter aut fraudulẽter iũgerẽtur, nullis ante præmissis cõiugii pactis, nullisq; sponsalibus, nec mutuo vtriusque postulato consensu, id sane nulla fert consuetudo. in hoc enim includitur fornicatio, quæ manifestè aduersatur legi naturali, dicimus igitur non accusari Laban, eo quod hanc consuetudinem voluerit obseruari, sed quod flagitiosè & inique ea vsus sit, nulla autem contra ius naturale vel primũ induci, vel iã inducta debet obseruari, vnde optime Salian. in ann. veteris testamenti in anno mundi 2283. ait, *ea consuetudo si obseruanda fuit cum fraude & iniustitia, & tot criminibus minime obseruanda fuit.* Salian.

Vita beata sine labore vitæ præsentis non datur.

134. *Non est in loco consuetudinis vt minores antea tradamus ad nuptias*, si pulcherrima est Rachel, & in dotibus corporis facile sororem suam superat, cur Lia prior ducenda erat cum sit ob lippitudinem exosa? diximus per Liam vitam præsentem, plenam lachrymis, sicut per Rachelem vitam futuram, beatam denotari, bene ergo non prius datur Rachel Lia, sed prius quam illa ducitur, *quia non est consuetudo*, inquit Robertus Holkot. lect. 131. in Sapient. cap. 10. vers. 11. *cœlestis patria iuniorem illam Rachelem id est beatitudinem pulchram, & decoram, dare ante laborem præsentis vitæ, & ideo prius oportet accipere Liam lippam, vt postea habeamus Rachelem decoram, sic enim Deus dat coronam pro cinere, oleum gaudii pro fletu, pallium laudis dabit pro spiritu mœroris Isayæ 61.* Robert. Holk. Isayæ 61.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXVII & XXVIII.

VVLG. Imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoque tibi dabo pro opere quo mihi seruiturus es septem annis aliis.

Sep. Consumma itaque septimanam illius, & dabo tibi pro hoc opere, quod operaberis apud me, adhuc septem annos alios.

Chald. Imple Hebdomadam huius, & dabimus tibi quoque hanc pro seruitute, qua seruies mihi, adhuc septem annis aliis.

D. Amb. Imple ergo septena huius, &c.

VVLG. Acquieuit placito & hebdomada transacta Rachel duxit vxorem.

Sep. Fecit autem Iacob sic, & impleuit septimanam illius, & dedit ei Laban Rachel filiam suam in vxorem.

Chald. Et fecit Iacob sicut dixerat.

CONCORDIA.

ADdidit interpres ea verba *dierum copulæ*, quæ in Hebræo non habentur, nec apud Septuaginta; prudenter tamen ea posuit, vt exprimeret, quod hæc Hebdomada intelligenda erat, non annorum, sed solum dierum, Ai autem Septuaginta apud Ambrosium per plurale efferentes Hebdomada τὰ ἑβδομα si intelligunt omnes annos ipsius septenarii, ne admittas, quamuis aliquibus non displiceat.

In Hebræo habemus ויעש כן Vaiaas Chen, & fecit sic, sed æquiualent illis quæ vertit noster interpres & acquieuit placito.

EXPOSITIO.

IMple hebdomadam dierum huius copulæ, cum celebritas nuptialis septem diebus duraret, hinc est quod voluit his verbis Laban significare Iacobo, imple prius Liæ nuptias, atque conuiuium illud, post Hebdomadam autem harum nuptiarum, (non vt aliqui volunt septem annorum) tibi tradam etiam Rachelem, quod autem hic sit germanus verborum sensus patet, nam Laban ait imple Hebdomadam dierum, non autem annorum, quare septem dies, non autem septem anni expectandi erant Iacob, dum ei traderetur Rachel, & hoc constat etiam ex verbis sequentibus, *hanc tibi dabo pro opere quo seruiturus es mihi, aliis septem annis*: nã non dixit dabo tibi eam postquam seruieris mihi septem alios annos, quare Rachel tradita est Iacob ante alios annos septem seruitutis.

Acquieuit placito, conditioni sibi propositæ à Laban Iacob consentit & accepit, *& Hebdomada transacta*, in qua celebrabantur nuptiæ Liæ, *Rachel duxit vxorem*, cum ea per copulam matrimonium conficiens.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nimis durum est re amata per diurnum tempus carere.

135. IMple hebdomadam huius copulæ &c. D. Hieronym. in traditionibus in Genes. sic ait, non vt quidem malè existimant post septem annos alios Iacob vxorem accepit Rachelem, sed post septem dies nuptiarum prioris vxoris, sed cur malè existimant? nam nonne Hebdomada, in diuinis litteris propriè de annis intelligitur? sic Danielis, cap. 9. Septuaginta Hebdomadæ commemorantur annorum videlicet non dierum, non ergo indoctè verba Laban possent de annorum Hebdomada intelligi: nihilominus bene Hieronymus ait aliquos male ita existimasse, quia præter rationes datas, *quid durius*, inquit Lippom. *obtingere potuisset Iacob, quam septem adhuc expectare annos pro ardenter amata & sibi debita vxore.*

Hieronym.

Lippom.

Polygamia antiquis licita.

136. *Acquieuit placito & Rachel duxit vxorem*, Lasciuiæ accusaberis, & nimiæ libidinis ô Iacob quod nondum octo dies elapsi sunt à quibus Liam coniugem accepisti, & nunc aliam ducis vxorem? nonne hoc prorsus indignum? sed ne Iacobum arguamus, quod plures habuerit vxores, hoc enim tunc diuina dispẽsatione licitum erat, non actus libidine sed desiderio gignendi filios ad augendum Dei populum pluribus se coniunxit vxoribus. quod contra Faustum Manich. D. Aug. lib. 22. contra eum cap. 47. sic ostendit, *quando mos erat, crimen non erat, & nunc propterea crimen est, quia mos non est, alia enim sunt peccata contra naturam, alia cõtra mores, alia contra præcepta: quæ cum ita sint quid tandem crimini est, quod de pluribus simul vxoribus obiicitur sancto viro Iacob? si naturam consulas, non lasciuiendi sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur, si morem illo tempore atque in illis terris, hoc factitabatur, si præceptum nulla lege prohibebatur, nunc vero cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus non licet?*

D. Aug.

A nuptiis absint diabolicæ choreæ.

137. *Acquieuit placito & Rachel duxit vxorem*, non est dubiũ conuiuiũ nuptiale factum, sicut cum ei copulata est Lia, sed quomodo in omnibus cũ sit dignissimus scriptor Moyses, tripudia, choreas, saltationes in his nuptiis factas, non scribit? quia in puris

in puris nuptiarum gaudiis non facile inter veros Dei cultores admittendæ sunt choreæ, verba Chrysostomi ho. 56. in Genes. à memoria non excidant, *vidisti, inquit, cum quanta honestate nuptias olim egerint, audite qui satanicas pompas admiramini, & statim ab initio nuptiarum honestatem dedecore afficitis, num tunc tibiæ? num tunc cymbala? num tunc choreæ diabolicæ? quare enim dic mihi tantum statim ab initio damnum inducis in domum tuam, & eos qui in scenis & orchestris operam locant vocas? vt cum intempestiuo sumptu virginis lædas continentiam, & iuuenem impudentiorem facias? satis enim arduum erat absque illis sufflationibus illam ætatem posse ferre moderate tempestatem affectionum, cum autem & hæc accedunt, tam quæ videntur, quam quæ audiuntur, maiusque accenditur incendium, & fornax concupiscentiarum magis inflammatur, quomodo non pessum it adolescentis anima? hinc enim omnia pereunt & corrumpuntur, quia ab initio castitas oppugnatur eorum qui inter se côuenturi sunt, & sæpe primo die iuuenis, oculis videns incontinentibus, telo diabolico in anima vulneratur, & puella per ea quæ audit & videt captiua fit, & ab eo die postea crescunt vulnera, maiusque fit malum, etenim illinc statim dissuunt, vt & mutuam concordiam dilacerent & amorem corrumpant.*

S. Chrysost.

Ne consuetudinem si iuste interrupta, in actionibus nostris prætexamus.

138. *Acquieuit placito Rachel duxit vxorem*, si Iacob cum vir esset sanctitate vitæ præditus, & continentiæ gratia insignitus, non vnam sed plures & illas sorores habuit, cur accusabitur qui nunc pluribus iungeretur? aduerte antiquis Patribus polygamiam permissam, vt fidelis populus multiplicaretur: quo quidem maxime dilatato, iam cessasse, ne in exemplum igitur adducas Iacobum pluribus coniunctum vxoribus, vt similiter plures habeas, quia consuetudinem si iuste interrupta fuerit, prætexere non possumus, *audiens*, inquit D. Chryso. *quod accepit & maiorem natu, & postea minorem, ne turberis, neque iuxta statum qui nunc est, opera quæ nunc facta iudices, tunc enim quia principia, permissum fuit eum duabus vel tribus vel pluribus vxoribus misceri, vt humanum genus propagaretur, nunc vero quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum est, & pietas incrementum accepit, adueniens vtique Christus & virtutem hominibus plantauit, Angelosque, vt ita dicam, ex hominibus faciens omnem illam consuetudinem aboleuit: vides quomodo non oportet consuetudinem prætexere, sed quod iustum est inquirere, nusquam igitur consuetudinem inquiramus. sed vbique quod est vtile, & si quid est bonum, etiam si non sit consuetudo, fiat à vobis, si vero perniciosum est, etiam si consuetudo sit, fugiamus & auersemur.*

S. Chrysost.

Soli Deo seruire omnia alia excellit.

139. *Acquieuit placito & Rachel duxit vxorem*, considerans D. Theodor. q. 85. in Genes. duas accepisse Iacobum vxores, deinde plures, ait, aduertendum est tunc temporis nondum datam esse legem, quæ multiplices nuptias prohiberet, & quod fœlicissimi tunc existimabantur, qui multorum liberorum patres erant, vt testificantur diuinæ promissiones, & D. Cyrill. Alex. lib. 11. in Genes. maximæ curæ maioribus nostris fuit, fœlicitatem summam existimabant si complures filios procreassent: si fœlices se arbitrabantur esse in plurimorum filiorum generatione, quomodo nunc plures simul non ducuntur vxores, vt ex eis plurimi habeantur filii, sicque beati euadant? vel saltem, cur sacerdotes nunc cum vna non contrahunt? quam optimè eit. Cyrill. satisfacit, *nos qui in Christum traducti sumus, vt fructum spiritualem afferamus, & si matrimonium honore prosequimur, munus tamen quod excellentius sit, magnisque laudibus apud scripturam commendatur, omni studio eligimus atque sectamur, vt soli scilicet Deo adhæreamus, nullæque nobis res mundanæ impedimento sint, qui enim, inquit Apostol. 1. Corin. 7. cum vxore est sollicitus quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori & diuisus est.*

S. Cyril. 1. Corint. 7.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIX.

V*VLG*. Cui pater seruam Balam tradiderat. *Sep.* Dedit autem Laban filiæ suæ Balam ancillam suam ei ancillam. *Cald.* In famulam.

CONCORDIA.

PLura sunt in Hebræo, imo apud Caldæum & Septuaginta, scilicet, *dedit autem filiæ suæ*, deinde, *in ancillam*, quam apud nostrum interpretem, tamen ea omisit, maioris elegantiæ gratia.

EXPOSITIO.

CVi nempe Racheli, *pater* Laban, *seruam Balam tradiderat*, fuit hæc Bala, si authori testamenti Patriarcharum credimus, filia Rhethæi fratris Deboræ, nutricis Rebeccæ, quæ Bala eadem die qua Rachel, nata est, erat autem Rhethæus de genere Abranam Caldæus, Deum venerans, liber & nobilis, sed cum esset captiuus, emptus est à Laban, & dedit ei Euam ancillam suam in vxorem, quæ vocauit filiam, & vocauit eam Zelphom cognomine castelli, in quo captus erat, deinde peperit Balam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vt ratio à visibilibus ad inuisibilia surgat, imaginatione indiget.

140. CVi pater seruã Balã tradiderat, Richard. à sancto Vict. in lib. qui dicitur Beniamin minor cap. 5. symbolice hoc intelligẽs ait, quod Rachel est ratio diuina reuelatione illuminata, & Bala imaginatio, & quod imaginatio obsequitur rationi, intantum autem inquit hæc ancilla illi necessaria esse cognoscitur, vt sine ea totus mundus ei nil possit conferre, quid ais Ricarde? nonne ratio superior est imaginatione, & ab ea in suo esse independens? cur ergo ais rationem sine ea nihil posse? si aduertas imaginationem rerum visibilium formam rationi repræsentare, recte dixit sine ipsa illam nihil scire, vt ratio enim à visibilibus ad inuisibilia surgat, imaginatione indiget, audiamus citatum authorem, *cum scriptum sit*, inquit, *quia inuisibilia Dei à creatura mũdi per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciuntur, vnde manifeste colligitur, quia ad inuisibiliũ cognitionem, nunquam ratio assurgeret, nisi ei ancilla sua imaginatio videlicet rerum visibilium formam repræsentaret: per rerum enim visibilium speciem surgit ad rerum inuisibilium cognitionem, quoties ex iis ad illam quandam trahit similitudinem, sed constat quia sine imaginatione corporalia nesciret, sine quorum cognitione ad cælestium contemplationem non ascenderet: visibilia enim solus intuetur sensus carnis, inuisibilia vero solus oculus videt cordis, est ergo sensus carnis totus extrinsecus, sensus vero cordis totus intrinsecus, ratio foras exire non potest, sensus corporeus ad illam intrare non valet, non enim decebat filiam delicatam & teneram & singulariter formosam foris per plateas discurrere, sed nec seruum conueniebat dominæ suæ penetralia secretiora irreuerenter irrumpere: discurrit ergo imaginatio (vt pote ancilla) inter dominam & seruum, inter rationem & sensum, & quidquid extrinsecus haurit per sensum carnis, intus repræsentat ad obsequium rationis: semper ergo imaginatio rationi assistit, nec ad momentum quidem ab eius famulatu se substrahit, nam sensu etiam deficiente ipsa ministrare non desinit, nam in tenebris positus nihil video, sed qualibet illic imaginari possum si volo, sic semper & in omnibus imaginatio præsto est, & eius obsequio vbique ratio vti potest.*

Richar. Victor.
Hebr. 11.

Et orantibus rerum externarum imagines repræsentantur etiam inuitis.

141. *Cui pater seruam Balam tradiderat*, cuius proprietatem describens citat. Ricard. capite 6. dixit esse garrulam, ita vt loquacitatem eius, nec ipsa eius domina Rachel compescere possit, quod equidem mihi difficile videtur, nam domina nonne imperium habet in ancillam, eique præcipere potest vt taceat? quomodo ergo Rachel loquacitatem garrulæ Balæ comprimere non potest? si reuocas in memoriam dictum à nobis Rachelem esse rationem, Balam autem imaginationem, recte colliges dictum esse à Richardo, Rachel garrulitatem Balæ compescere non posse, quia etiam orantibus vel meditantibus, rerum externarum imagines ab imaginatione repræsentantur, etiam inuitis, quod eleganter ostendit cit. Auctor. *imaginatio cum tanta importunitate in auribus cordis perstrepit, quatenus eius clamorem vt diximus, ipsa Rachel vix vel omnino cohibere non possit, hinc est quod sæpe dum psallimus vel oramus phantasias cogitationum vel quaslibet imagines rerum ab oculis cordis amouere volumus, vel valemus, quoniam ergo huiusmodi perstrepentium cogitationum tumultus quotidie etiam inuiti patimur, qualis vel quanta sit Balę garrulitas quotidiano experimento docemur: quæque etenim visa vel audita, quandoque quæ ipsi gessimus vel diximus ad memoriam reuocat, & quæ ipsa iam enarrando explicauerit, eadem iterum atque iterum replicare non cessat: & sæpe cum nulla voluntas cordis ei audiendi assensum præbeat, ipsa nihilominus, quamuis nullo quasi audiente narrationem suam explicat, sic vtique decrepiti senes vel inueteratæ anus solent qualibet absque omni auditore referre, & quasi aliquibus præsentibus cum eis sermonem conferre, vnde non immerito Bala (hoc est inueterata) dicitur quæ inueteratorum morem imitatur.*

Rich. Vict.

Fœminas diuites non decet esse solas.

142. *Cui pater seruam Balam tradiderat*, nonne ipsa Rachel ministerio domus suæ vacare potest? ad quid igitur datur ei à patre ancilla in obsequium? quia non decet fœminam diuitem, qualis erat Rachel, solam commorari, hanc rationem præbet Abulensis, *quia cum istæ fœminæ essent diuites & potentes, non erat honestum eas solas manere, ideo decuit eis ancillas dari.*

Abulens.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXX.

VVLG. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, seruiens apud eum septem aliis annis.

Sep. Et intrauit ad Rachel, dilexit autem Rachel magis quam Liam, & seruiuit ibi septem alios annos.

Cald. Et ingressus est etiam cum Rachel, dilexit & Rachel magis quam Liam.

CONCORDIA.

ALiter se habent Hebraica quam apud nostrum vulgatum, in Hebræo enim sic legimus ויבא אל רחל vaiabo el Rachel venit vel intrauit ad Rachel, vulgatus autem sic vertit tandem potitus optatis nuptiis, sed vtrobique est idem sensus.

EXPO-

EXPOSITIO.

TAndemque potitus optatis nuptiis, non post septem alios annos seruitutis, vt arbitrantur D. Chrys. & Iosephus, sed post dierum hebdomadam, quod patet ex his verbis, prius enim Iacob potitus est nuptiis Rachelis quam seruierit, *amorem sequentis prio i prætulit*, & merito fuit vel hoc titulo, quod Lia in fraudem consensisset, & matrimonium cum ea pene coactum fuisset.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vt nos amore mutuo prosequamur vult Deus.

143. *TAndemque potitus optatis nuptiis*, nempe Rachelis, cur Deus permisit, vt Iacob non solum duas vxores duceret, sed eas sorores haberet? nam si polygamia ei fuit licita, vt populus fidelis cresceret, nonne sufficiebat plures coniuges habere, non autem eas germanas? Deus ita voluit, vt filii qui ex duabus sororibus, & eodem patre nascerentur, strictiori amoris vinculo vnirentur, ita Lipp. *forte & ideo duas sorores suscepisse Iacob Dominus Deus permisit, vt filiorum eius & ex eis propagandarum tribuum tanto esset arctior amicitia necessitudo, quanto scilicet strictiori sanguinis connexione iungerentur, si se amarent familia ius, & ad vnius populi consensum, & studia concordi magis animo conuenirent.*

Lippom.

Non solum septem præcepta secundæ tabulæ, sed alia septem in lege Euangelica statuta seruanda, vt possis beatitudine perfrui.

144. *Tandemque potitus optatis nuptiis*, seruiens apud eum septem aliis annis, nonne iam septennium Labano seruierat, vt potiretur amplexibus Rachelis? cur igitur necesse est, ve per septem alios annos ob equatur? aduerte quod præter septem decalogi præcepta secundæ tabulæ, alia nobis consuluntur in lege Euangelica, vt quod sinius pacifici, pauperes spiritu; &c. dicamus ergo non solum per septem annorum spatium, sed etiam per quatuordecim necessarium fuisse, vt pro Rachel seruiret, quia non solum septem præcepta secundæ tabulæ, sed alia septem in lege Euangelica statuta seruanda, vt possis beatitudine, Rachele designata, perfrui, *omnis Deum quærentis*, inquit Petr. Damia. opus 56. cap. 26. *intentio hoc spectat, vt ad requiem quandocunque perueniat, & in summa contemplationis gaudio, velut in pulchræ Rachel amplexibus requiescat, videlicet vt per verbum quod audit, ascendat ad videndum principium quod quæsiuit, sed necesse est vt hunc diuersorum certaminum labor exerceat, antequam ad quietis intimæ suauitatem quam concupiscit attingat, prius seruitute deprimitur, vt iure post modum ad perfectæ libertatis titulos promoueatur: septem vero annis sub dealbationis gratia seruit, & ea nea quæ ad proximi dilectionem pertinent, decalogi mandata custodit, videlicet vt primo timore constrictus atque ideo seruituti iugo depressus, saltem â vestibulo legis incipiat instituti, vt minirum parentes honoret, non mœchetur, non occidat, non furetur, non falsum testimonium proferat, non vxorem alterius nec rem proximi concupiscat, quibus rite seruatis non mox, vt sperabat, ad contemplationis oblectamenta perducitur, vt velut expectata diu Rachel pulchritudine perfruatur, sed Lia sibi per noctem inopinate supponitur, quia inter humanæ huius ignorantiæ tenebras, tolerantia sibi laboris iniungitur, ex qua tamen iam numerosam sobolem suscipit, qui vberes spiritualis lucri per hunc laborem fructus acquirit: hanc itaque tolerat vt ad illam quandoque perueniat, quam perseueranter amat: suadetur ergo vt per alios septem annos seruire desudet, quia profecto necesse est vt adhuc alia septem præcepta obseruet, sed iam aliquanto liberior, non legalia tanquam seruus sed Euangelica sicut gener, videlicet, vt sit pauper spiritu, sit mitis, lugeat, esuriat, sitiatque iustitiam, sit misericors, mundum cor habeat sit postremo pacificus: enim vero velit vero si fieri posset nullas laborum molestias agendo perferre, sed protinus in ipsis suis tyrocinii rudimentis ad pulchræ contemplationis delitias peruenire, verumtamen hoc non in terra morientium fit, sed in terra viuentium.*

S. Petrus Damianus: opus 56.

Coniugium quasi inuitum exosam reddit vxorem.

145. *Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit*, cur ita ingratus? potitus es Lia, & iam illius es immemor. quid in te commisit vt tibi displiceret? reuoca in memoria Liam illatæ fraudi Iacob consensisse, & quasi inuitum ad contrahendum cum ea compulisse, non mirum igitur Rachelis amorem Liæ prætulisse, quia coniugium quasi inuitum, exosam reddit vxorem: sic Rupert. lib. 7. cap. 31. *prætulit amorem sequentis priori, nec iniuria, nam hæc data iure vel accepta, illa autem fraude ad eius thorum introducta fuerat.*

Rupertus.

Christus Dominus vtrique populo Iudæo & gentili coniunctus.

146. *Tandemque potitus optatis nuptiis*, nempe Rachelis, en Iacob mitis & sapiens, duas sorores simul matrimonio sibi copulat? sed non sine diuino consilio, quo actum est vt omnia Patriarchis in figura contingerent, atque illis quasi inuoluens, mysteria in lege gratiæ tandem euulganda symbolice depingerentur: sed quid denotare potest, vnius Iacob matrimonium cum duabus sororibus Rachele & Lia? diximus Liam synagogam, Rachele Ecclesiam, & Iacobo Christum dominum significari: hoc igitur coniugio cum duabus sororibus innuitur, id quod contingere debebat in lege gratiæ, nempe quod eam Christus Dominus duobus populis nempe Iudæo & gentili per fidem iungere deberet, ita beatus Augustinus in sermon. teste Lippomano, *quod in hac peregrinatione duas vxores accepit Iacob, duos populos significabat, Iudæorum & gentilium, nam in aduentu Christi, non paruus numerus etiam de Iudæorum populo in eum credidisse legitur sic enim in Apostolorum Actibus 2. continetur, quia crediderunt vna die tria millia, item alia die quinque millia, item postea multa millia: quod autem duo populi in Christum crediderint, etiam ipse Dominus in Euangelio confirmat, vbi ait habeo alias oues quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, vt fiat grex & vnus pastor*, Ioan. Io.

S. Augustinus.

Act. 2.

10. *duæ ergo illæ mulieres, id est Lia & Rachel quæ beato Iacob fuerunt iunctæ, istos duos populos figurauerunt, Lia Iudæorum, Rachel gentilium, istis duobus populis velut duobus parietibus tanquam lapis angularis iunctus est Christus, in ipso enim se osculati sunt & in ipso æternam pacem inuenire meruerunt, sicut Apostolus dicit ad Eph. 2. ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum quomodo fecit vtraque vnum? vtrique duos greges iungendo & duos parietes sibinuicem copulando.*

Eph. 2.

Contemplatio amabilior actione.

147. *Amorem sequentis priori prætulit*, personarum acceptor es ô Iacob, nam si ambæ sunt sorores, & teste Gene. r. nec non Seder Olam sunt gemellæ, quamuis Lia maior appellatur, sicut Esau respectu Iacob, cur maiori dilectione vnam quam aliam prosequeris? si pluries à nobis dictum est Rachele contemplationem designari, sicut Lia actionē, non tibi alienum à ratione videbitur, quod Rachelis amorem Liæ præferat, quia contemplatio eligibilior est actione, huius maioris dilectionis rationem assignat Suidas, *quoniam effectus contemplationis est circa preciosa, actio vero est circa agibilia, & quæ ad nos pertinent, contemplatio spectat diuina.* D. Thom. 2. 2. q. 182. ar. 1. id docet & octo rationibus confirmat, consule hunc eximium doctorem, & in medium referam dictū Aug. lib. 19. de Dei ciuit. cap. 19. *otium*, inquit, *sanctum quærit charitas veritatis, negocium iustū, suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati*, en quomodo contemplatio eligibilior actione?

Suidas.

D. Tho. 2. Angelic.

S. August.

Pulchritudo ad amorem nos allicit.

148. *Amorem sequentis priori prætulit*, æqualem erga vtramque te exhibe, cum vtraque sit tua legitima coniux, sed si testimonium sacræ paginæ dicenti Rachelem forma speciosam, & aspectu decoram, Liam autem lippis oculis, non mirabimur intensiori amore Rachelem prosequutum fuisse, quam Liam, pulchritudo enim & formæ venustas ad amorem maxime nos allicit ita D. Chrys. *vel quia ab initio magis dilexit propter venustatem formæ puellam, & difficilius eam consequutus est, ideo eam magis dilexit quam Liam, etenim illius venustas allexit eum ad magis amandum.*

S. Chrys.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXI.

VVLG. Videns autem Dominus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius sterili sorore permanente.

Sep. Videns autem Dominus Deus quod odio habebatur Lia, aperuit vuluam eius, & Rachel erat sterilis.

Cald. Et manifestum fuit coram Domino, quod odiosa esset Lia, & dedit ei vt conciperet, & Rachel erat sterilis.

Pag. Et vidit Dominus quod exosa esset Leah.

Oleast. Et Rachel erat eradicata.

CONCORDIA.

VErbum שנא sana odit, vel exosum habuit interpretatur, vnde שנואה senuah exosa siue odiosa dicitur, quod alia phrasi aperuit ... ster interpres, dicens quod Liam despexit, qui autem aliam contemptui habet, eam odio prosequi videtur.

EXPOSITIO.

VIdens Dominus quod despiceret Liam, scilicet eam minori amore diligens, quam Rachelem, non autem eam odio positiuo, sed solum negatiuo prosequens, *aperuit vuluam eius*, Hebraismus est, id est fœcundam reddidit dans ei liberos, *sorore sterili permanente*, scilicet pro aliquo tempore.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ab hominibus despectos colligit Deus.

149. VIdens *Dominus quod despiceret Liā aperuit vuluā eius*, cur ilico Moyses postquā aperuit despectam fuisse à Iacob Liam, indicat Deum fœcundam reddidisse, & liberos habuisse, quod ab antiquis tanquam fœlicissimum habitum est? quæ enim connexio inter contemptum Liæ illatum, & eius fœcunditatem? maxima equidē, declarat enim quod qui ab hominibus contemptui habentur, viles censentur, hos à Deo colligi, æstimari, & locupletari donis, vnde optime concludit Seraphinus à Porrec. *hic melius est nobis ergo quod ab hominibus vilipendamur, quam ab ipsis magnificaremur, tunc enim in via sumus ad dona magna, sicut erat antiquitus fœcunditas à Deo summa perueniendi, malum est tibi igitur ò homo gratiam hominum aliquando habere, videns enim Dominus quod Iacob despiciens Liam quid acciderit inde? quod Dominus Liā magis fauit quam Racheli.*

Seraphinus.

Qui ab hominibus æstimatur à Deo contemnitur.

150. *Videns Dominus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius sorore sterili permanente*, cur fœcunditatem Liæ, cum sterilitate Rachelis coniungit? vel qua de causa postquam Moyses dixit quod Iacob potitus optatis nuptiis Rachelis, illius amorem Liæ prætulit, subiungit quod fuerit sterilis? quid enim commune habet maximus Iacobi amor erga Rachelem, & Rachelis infœcunditas? hoc equidem commune, quod qui ab homine æstimatur qualiter Rachel à Iacob, à Deo contemnitur: Fauet cit. Auct. in suis veritatibus aureis in Genes. *litera assignat pro ratione doni collati Liæ, quod Dominus*

Dominus vidit Liam despici à Iacob, ergo ab oppositis pro assignatione non latentis huiusmodi doni Racheli assignandum videtur, quod Dominus vidit Rachelem multum amari, cur igitur homo hominum gratiam affectat ad ipsam habendam anhelat, ipsam toto conamine inquirit, ipsam tota vigilantia custodit, & si aliorum gloriam non habuerit, si illam amiserit, quare torquetur, tabescit, exsiccatur, moritur? o homo insipientium omnium insipientissime: bonum est tibi quandoque hominum gratiam minus habere, & malum est tibi aliquando eorumdem magis gratiam habere, & totum oppositum esse animmas &c. lege quarto citatum Seraphinum & non negligenda pro hominum fauore contemnendo, documenta reperies.

Seraphin.

In Deo minimorum prouidentia.

151. *Videns Deus quod despiceret Liam*, in Hebræo est videns Iehoua, cur Deo sub nomine ineffabili totius essendi principii, tribuit cognitionem exigui amoris Iacobi erga Liam? vt declararet Deo minimorum etiam prouidentiam inesse, *primo essendi principio*, inquit Card. Caiet. *tribuitur videre hæc minima, & prouidere efficiendo vnius fœcunditatem, & alterius sterilitatem prout factum est.*

Card. Caiet.

Coniuges cooperationem Dei postulent in liberis suscipiendis.

152. *Videns Deus quod despiceret Liam, aperuit vuluam eius*, cur dicitur quod Dominus vuluam Liæ aperuerit? nonne ex semine viri fœcunda mulier redditur? dicat igitur, Iacob Liam effecit fœcundam: rectè dixit Deum vuluam Liæ aperuisse, vt non arbitretur homo à se solo fœcunditatem venire, sed ab ipso Deo auxiliante & cooperante, sicque ab eo hoc beneficium postulet, ita Chrysost. *disce hic dilecte quod conditor omnium naturam ipsam ad partum excitat, & quod nulla sit vtilitas concubitus, si absit diuina cooperatio, propterea dixit quod aperuit vuluam eius, ipse est qui in vulua figurat & animat fœtus, sicut & Dauid dicit Psal. 138. suscepisti me de vtero matris meæ.*

S. Chrys.

Psal. 138.

Deus prospera miscet aduersis.

153. *Videns Deus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius*, Rachele sterili manente, cur fœcunditatem Liæ tribuit, & non formæ venustatem, vt adamaretur à Iacob? & cur si decorem maximum contulit Racheli, eam sterilem reliquit? cur pulchritudinem simul cum fœcunditate, & deformitatem simul cum sterilitate non coniunxit? quia Deus prospera cum aduersis miscet, ne vel nimium quis tumesceret, si omnia sibi ad libitum prospera contingerent, vel nimium deprimeretur, si omnia aduersa euenirent, ad hoc respiciens D. Chrys. dixit, *hic vide Dei omnipotentis sapientiam, quoniam illa quidem pulchritudine sua concilia et sibi gratiam viri, quæ altera prinata fuit, odio haberi visa est, hanc idoneam fecit partui, illam vero inutilem, ambo hæc sua misericordia dispensans, vt & hæc per liberos solatium haberet, in sui amorem virum alliciens, & ista non propter pulchritudinem & formositatem aduersus sororem insurgeret.*

Cit. Chrys.

Patientia à Deo maxima consequitur beneficia.

154. *Videns Deus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius*, cum nihil munieri sit sensibilius contemptu, ita vt mors eo eligibilior esset, quomodo Lia tulit à viro despici? ait Abul. patienter: quo posito vellem inquirere, cur ita fœcunda vt non solum quatuor susceperit liberos, verum ex ea Christus Dominus secundum carnem traxerit originem? sed inquirere iam non est animus, quia cum notum sit, quod æquanimiter viri contemptum tulerit, hinc facile deduces, quod variis à Deo beneficiis cumulanda erat, *respicit Deus miseros*, inquit Abul. *erat enim Lia boni animi fœmina, in cuius semine voluit Deus complere promissiones, & non in semine Rachel, quod patet quia Christus fuit de semine Iudæ secundum carnem, vt patet Matt. 1. Iudas autem fuit filius Liæ, despiciebatur tamen quia soror eius pulchrior ea quo angustiabatur intra se sed patienter tolerabat.*

Abulens.

Qui donis aliquibus carent, aliis compensantur.

155 *Videns Deus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius*, despicit Liam Iacob, & Deus ini confert fœcunditatem, cur sicut deformem ita etiam sterilem non effecit? cur fœcundam? quia qui donis aliquibus carent, non omnibus destituuntur, sed aliquando aliis compensantur, *mirabilis valde est*, inquit Oleast. *Dei omnipotentia, & cuncta summa ratione distribuit, vnde contingit omnes qui aliis videntur inferiores & deteriores, aliquid habere in quo alius præstant, & hoc in fœminis cernere est, vtique pulchræ facie non sunt optimis adornatæ moribus, nec summa pietate præstant.*

Oleaster.

Vitæ actiuæ deditus non ex contemplatione solum sed ex bonis operibus salutem consequetur.

156. *Videns Deus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius*, nonne o Deus, cum sis omnipotens potuisti Liæ maximum decorem conferre, vt à viro diligeretur, & indecoram formam eius, decoram reddere nec non ab ea lippitudinem oculorum amouere? quomodo igitur in pulchritudine similem Racheli non effecisti, sed solum fœcundam? cum dictum sit pulchritudine Rachel, denotatam côtemplationem, cur nô asseremus Liam eleuatam non fuisse ad venustatem & decorem, sed solum fœcundam fuisse? quia vitæ actiuæ deditus, non ex contemplatione, sed ex bonorum operum fœcunditate Deo gratus erit, salutemque consequetur: sic Rupert. lib. 7. cap. 31. *notandum quia videns Dominus quod Liam despiceret, non in eo miseratus est, vt de Lippa venustam aspectu faceret, sed in eo vt sorore sterili permanente, vuluam eius aperiret: semper enim actiuæ vita manus videt & lippis persæuerat oculis, & est talis qualem Apost. 1. Timot. 2. mulierem in Ecclesia docere non permittit, salwabitur autem inquit per filiorum generationem, id est per apertum misericordiæ exhibitionem, quam enim causam subiecit rex sedens in sede maiestatis suæ cum dixerit Matt. 25. venite benedicti patris mei percipite regnum vobis paratum ab origine mundi, esuriui & dedistis mihi manducare, & quandiu fecistis vni ex minimis mihi fecistis, Matt. 25. salwabitur ergo per filiorum generationem, illa quæ ad virilem non peruenit perfectionem, id est si vita illorum qui in filiis actibus remanserunt, & nunquam ad contemplatiuæ gratiam profecerunt, iustificabuntur per bonorum operum executionem.*

Rupert.

1. Timot. 2.

Matth. 25.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXII.

VVLG. Quæ conceptum genuit filium, vocauitque nomen eius Ruben, dicens, vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.

Sep. Et concepit Lia, & peperit filium ipsi Iacob, vocauit nomen eius Ruben, dicens; quoniam vidit Dominus humiliationem meam, & dedit mihi filium, nunc itaque diliget me vir meus.

Cald. Quoniam manifesta fuit coram Domino iniuria mea, nunc enim diliget me maritus meus.

Pag. Quia vidit Dominus afflictionem meam.

Caiet. Vidit in afflictione mea.

Syrias. Vidit in afflictionem meam.

CONCORDIA.

HEbraice est בעניי est autem עני oui, afflictio, humilitas, paupertas, vnde Septuaginta verterum ταπείνωσιν humilitatem, Caldæus autem vt solet, paraphrasi vtitur.

EXPOSITIO.

QVæ conceptum genuit filium, quæ concepit & peperit, *vocauitque nomen eius Ruben*, Hebraice est Ruben, id est videte filium, quem scilicet mihi Deus dedit oculis misericordiæ suæ aspiciens me cum à marito despicerer: hoc est enim quod Lia subdit, *vidit enim Dominus humilitatem meam*, idest humiliationem, deiectionem, & contemptum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Humiles erigit & exaltat Deus.

157. QVæ conceptum genuit filium, deinde ait, vidit Dominus humilitatem meã, cur postquam filium suscepit quod aliquid eximium & sublime arbitrabantur antiqui, mentionem suæ fecit humilitatis? sine dubio vt indicaret Deum humiles erigerẽ, & despectos exaltare, fauet Abul. *potest hic humilitas duo designare, primum quod humilitas sit virtus secundum quam aliquis seipsum subiicit & despicit, & hoc satis fuit in Lia, quia cum ipsa esset maior deberet præesse sorori suæ, sed subiecta tacebat & tunc erit sensus, quia Dominus vidit quod bono corde me humiliaui, dedit mihi filium & in hoc me exaltauit.* — Abulensis.

Coniugati grates semper pro susceptis filiis rependant immortales.

158. *Quæ conceptum genuit filium, vocauitque nomen eius Ruben*, qui interpretatur videns filium, cur nomen filio suo imponere voluit, rememoratiuum beneficii Dei, nec non illius erga se misericordiæ, quod despectæ filium tribuerit? vt coniugatos commonefaceret, grates pro susceptis liberis immortales rependere, *grata Deo mulier*, inquit Lippom. *ventris sui fructum Domino consecrat & commendat, patri suo & fratribus tantæ gratiæ reminiscendæ necessitatem imponit, ex nomine videte filium beneficium fœcunditatis.* — Lippomanus.

Pro minimis etiam Deum interpellemus.

159. *Vidit Dominus humilitatem meam*, si Deus vidit, non est dubium coram eo tuum contemptum præsentasse, sed cur Deum pro contemptu viri conuenisti? quia cum pro minimis etiam interpellare debemus, *optimum est*, inquit Oleaster, *in minimis Deum rogare, vt nostra minima pro sua benignitate curet, putarem Deum optimum, maximum, nos vehementer aucturum si hæc minima in eum referremus.* — Oleast.

Ita Deus est misericors, vt tot adhibeat consolationes, quot afflictiones habentur.

160. *Quæ conceptum genuit filium*, & non solum vnum, sed alios ordine suscepit, nonne vt à marito diligeretur, sufficeret vnicum habuisse filium? ad quid igitur eam Deus aliorum fœcundam efficit? aduerte in quatuor maxime afflictam, primum enim à Deo abiecta videbatur, deinde ab omnibus neglecta, tertio à sorore contempta, tandem viro suo exosa: laudemus igitur Deum, non quod vnicum, sed quatuor liberos Liæ dederit, & sic tot adhibuerit consolationes quot afflictionibus premebatur, *considerandum*, inquit noster Lyra: *quod ex quatuor affligebatur, scilicet quia videbatur omnibus abiecta, à Rachele despecta, viro extranea, & à Deo neglecta, & ideo dedit Dominus illi quatruplicem consolationem, ex quatuor filiis.* — Noster Lyranus.

Prima virtutum proles, timor.

161. *Quæ conceptum genuit filium*, Ricardus à sancto Vict. lib. qui dicitur Beniamin minor, cap. 7. septem filios Liæ, quatuor sine intermissione, deinde tres alios considerans inquit, septenaria Liæ proles, septem sunt virtutes, siquidem nihil aliud est virtus quam animi affectus, ordinatus quidem, quando ad illud est ad quod esse debet moderatus, quando tantus est quantus esse debet, principales ergo affectus septem sunt, qui ab vna animi affectione surgunt, timor, spes, gaudium, dolor, odium, amor, & pudor, sed quo ordine generentur videamus, deinde capite subsequenti incipit à timore, quem dicit esse Ruben: sed o Ricarde, cur ab alia virtute non ducis initium, siue ab alio affectu quàm à timore? quia timor prima virtutum proles est, *scriptum* — Ricard.

primum est, inquit cit. Richard. *initium sapientiæ timor Domini, hæc est ergo prima virtutum proles, sine qua cæteras habere non potest, qui talem filium habere desiderat, mala quæ fecit non solum frequenter sed & diligenter attendat, hinc magnitudinem sui sceleris, illinc potentiam iudicantis, ex tali consideratione timor nascitur, scilicet filius ille, qui iure Ruben filius visionis vocatur.*

Quanto quis perfectius delicta sua cognoscit, maiori afficitur timore.

162. *Quæ conceptum genuit filium, vocauitque nomen eius Ruben*, hoc est filius visionis, siue videns filium, quo diximus timorem denotari, sed cur timorem significans, videntis vel visionis Ethymologiam sortitur? quia sine dubio qui sua delicta videre incipit, sine dubio timet, & quo perfectius ea cognoscit eo maiori afficitur timore, *quodammodo cæcus est*, inquit cit. Author, *& minime videt qui peccare non timet, qui futura mala prauidet, qui non erubescit prauitatem suam, qui non expauescit potestatem diuinam, sed si incipiat ista videre, incipiet pariter & timere, & quanto perfectius cognouerit, tanto vehementius timebit, vides vt arbitror quam iuste Ruben vocetur, qui ex tali visione generatur.*

Cit. Rich.

Deus pietatis affectu se timentem amplexatur.

163. *Quæ conceptum genuit filium, vocauitque nomen eius Ruben, vidit Dominus humilitatem meam*, cur nato Ruben, exclamat Lia, Deum humilitatem suam vidisse? quid enim speciale habet natus Ruben cum Dei visione, cum omnes etiam antequam hac vita potiantur, à Deo videantur? si per Ruben denotatur timor Dei, recte exclamat mater eius Lia, vidit Dominus, Deus enim pietatis affectu timentes se amplectitur: fauet cit. Ricard. cap. 8. *recte nato Ruben exclamat, vidit Dominus humilitatem meam, eo quod tunc veraciter incipiat videre, & videri, Deum cognoscere, & à Deo cognosci, videre Deum per intuitum formidinis, videri à Deo per respectum pietatis.*

Cit. Ricard.

Coniugum finis, proles.

164. *Quæ conceptum genuit filium*, deinde subiungit, nunc diliget me vir meus, cur hæc verba protulit suscepto filio? cur non dixit despectui me habuit soror mea, sed nunc omnium risui exponetur, quod illa sterili manente, facta sum fœcunda? prudenter postquam filium suscepit, dixit, diliget me vir meus, quia coniugum in matrimonio finis debet esse proles, quod Abulens. recte intellexit, cum ait, *quia totum desiderium & finis viri sui erat proles, in qua compleretur diuina promissio, & ideo quia ista proles reperiebatur in Lia, necesse erat quod diligeretur à viro.*

Abulensis.

Nihil pretiosius esse potest coniugatis quam filii.

165. *Quæ conceptum genuit filium, vocauitque nomen eius Ruben*, in Hebræo est Ruben, quod interpretatur videte filium, cur aliud nomen non imposuit, quod significaret, videte diuitias meas, &c. vel quid simile excellens? recte cum quadam emphasi, nihil aliud dixit quam videte filium, nihil enim inter res creatas sub cœlo arbitrantur coniugati pretiosius, quam filios habere, *quasi diceret*, inquit Procop. *videte filium charissimum, quem, qua amatur, non præbet amanti, vt pote sterilis existens.*

Procopius.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIII.

VVLG. Rursumque concepit, & peperit filium, & ait, quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit mihi etiam istum, vocauitque nomen eius Simeon.

Sep. Et peperit filium secundum Iacob, & dixit quoniam audiuit me Dominus quod odio habear, & addidit mihi etiam hunc.

Cald. Quia auditum est coram Domino, quoniam odio habita essem, dedit mihi etiam hunc.

Pag. Quia audiuit Dominus quod exosa essem &c. vocauit nomen eius Simeon.

CONCORDIA.

QVod Hebraice habemus שנואה אנכי senua anachi vertit noster interpres haberi contemptui, quod non est alienum à vero sensu, quia licet שנא sane interpretetur odit, vel exosum habuit, odium autem sit duplex, nempe positiuum & negatiuum, recte poterit huiusmodi odium Iacob, cum fuerit solum negatiuum, ad contemptum reduci.

EXPOSITIO.

R*Vrsumque concepit & peperit filium*, quo suscepto in hæc verba prorupit, *quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui*, eo quod deformis, *dedit mihi etiam istum secundum; vocauitque nomen eius Simeon, idest exauditio*, quia audiuit Dominus quod contemnerer.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus nouis nos cumulat beneficiis.

166. R*Vrsumque concepit & peperit filium*, nonne satis erat, iam vnum suscepisse, vt à coniuge propter fœcunditatem diligeretur? cur igitur Deus adiecit & alium? quia nouis nos semper cumulat beneficiis, *specta hic*, inquit Chrys. *iterum quomodo Deus muneribus certare contendit, cum ea & beneficia accumulat.*

S. Chrysost.

Pro singulis beneficiis singulas rependamus gratias.

167. *Rursumque concepit & peperit filium*, deinde hæc verba subiungit, *quoniam audiuit me Dominus*, cur Dei mentionem fecit iterum? nonne sufficiebat primo suscepto filio, Deum nominasse? non equidem, sed iterum nomen Iehoua repetit, quia pro singulis beneficiis, singulæ rependendæ sunt gratiæ, *attendite*, inquit Chrys. *quomodo per singulos pueros gratias agit Domino, & ob beneficia gratitudinem declarat.*

Cit. Chrys.

Vir ad diligendam vxorem ex vxoris fœcunditate inducitur.

168. *Rursumque concepit & peperit filium*, cui nomen imposuit, Simeon, *dicens quoniam audiuit me Dominus*, cur nomen auditionis Dei, filio suo indidit? vt prouocaret virum suum ad rependendum sibi amorem, cum sciret se à Deo exauditam? *secundo admonetur Iacob*, inquit Lippom. *vt vxorem diligat, tam fœcundam filiorum, nominis exauditionis gnato imposito, quia pro marito sui gratia promerenda orantem secundo filio dato, exaudiisset Deus.*

Lippom.

Magnum timorem sequitur dolor.

169. *Rursumque concepit & peperit filium*, quem dicit Ricard. à sancto Vict. lib. qui dicitur Beniamin minor, cap. 9. esse dolorẽ, sed qua de causa secundo Liæ libero, potius hunc affectum doloris, quam vel amoris, vel odii tribuit? nonne dixerat primum fuisse timorẽ? merito igitur secundũ asserit esse dolorẽ, quia timorẽ sequitur dolor, ita Cit. Author. *primo filio nato & paulatim crescente, secundus nascitur, quia magnum timorem necesse est vt dolor sequatur, quanto enim quis vehementius accipit pœnam, quam meruit, tanto acerbius plangit culpam quam fecit.*

Hugo Vict.

Qui vere dolet de peccatis, indulgentiam consequitur.

170. *Rursumque concepit & peperit*, nempe Simeonẽ, qui exauditio interpretatur, vnde ipsa Lia rationem reddens cur tale nomen filio imposuerit, ait, quoniam audiuit me Dominus, cur quæso quem dixit fuisse dolorem, ait à Deo exauditum? quia qui vere dolet de peccatis à Deo exauditur, vt indulgẽtiam & remissionem consequatur, *sciendum*, inquit cit. Ricard. *quod quacumque hora peccator conuersus fuerit & ingemuerit, saluus erit, secundum illud Psal. 50. cor contritum & humiliatum ne despicias, quid tibi videtur? nonne merito talis filius Simeon, idest exauditio vocatur? quia qui vere pœnitet, qui veraciter dolet, absque dubio & absque mora indulgentiam accipiet.*

Cit. Author. Psal. 50.

Angeli pro miseris deprecantur.

171. *Rursumque concepit & peperit*, nempe filium secundum, cui nomen Simeonis imposuit, & quo suscepto, in hæc verba prorupit, quoniam audiuit me Dominus, sed si exaudiuit te Deus, preces coram eo fudisti, vel aliquis alius pro tua fœcunditate: ait Dionys. Carth. quod Angelus custos pro ea Deum deprecatus est, cur Angelus pro ea coram Deo fundit orationem? nonne erat misera & contemptæ? ne igitur sciscitens, cur Angelus preces pro Lia Deo præsentat, quia miseris & afflictis eo modo quo possunt subueniunt. *forsan Angelus eius*, inquit cit. Cart. *orauit pro eius fœcundatione, quasi compatiens contemptui eius, eiusque aspernationem qua aspernabatur iniuste coram Deo commemorauit, vt impetraret gratiam Dei.*

Dion. Cart.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXIV.

V*VLG.* Concepitque tertio, & genuit alium filium, dixitque, nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios, & idcirco appellauit nomen eius Leui.

Sep. Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit in hoc nunc tempore, apud me erit vir meus &c.

Cald. Nunc hac vice copulabitur mihi maritus meus.

Oleast. Vice hac mutuabit se mihi maritus meus.

Vatab. Hac vice sociabitur mihi maritus meus.

Aquila. Applicabitur mihi vir meus.

Alii Heb. teste Hier. vertunt, prosequetur me nunc vir meus.

CONCORDIA.

VErbum לוה lauah asserit Oleast. solum debere sumi pro mutuare, vnde hunc sensum adhibet huic verbo, non poterat virum habere nisi cum soror mutuabat illum, illi, aut mutuabit se mihi, quasi pro filiorum mercede: vnde Leui idem est quod mutuatus aut mutuo acceptus, hæc ille, sed pace illius dicam, quod non solum mutuare, sed etiam adhærere, sociari, siue copulari significat, sunt enim plures auctoritates sacræ scripturæ quæ aliter exponi non possunt, nisi per verbum adhærere aut sociari, vt Numer. 18. 4. ונלוו veniluu & adhærebunt tibi Zach. 2. 11. idem habetur prouerb. 1. 9. quia לוית liuat copulatio, societas, &c. consule Pagninum in suo thesauro linguæ sanctæ, Hebræi autem sic vertentes, prosequetur me vir meus, hunc sensum præbent, non ambigo de amore in me viri mei.

Numer. 18.

Zach. 2.

EXPOSITIO.

EXPOSITIO.

Dixitque, eo suscepto tertio filio, *nunc quoque copulabitur mihi maritus meus*, maiori amore quam antea, eo quod pepererim ei tres filios, digna est enim mulier, quæ tot liberos suscipit, à viro suo eximie diligi, *& idcirco appellauit nomen eius Leui*, quod interpretatur adhæsio, coniunctio, fuit autem hic Leui parens omnium Leuitarum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vere Deum timentibus & de peccatis lugentibus, sit spes veniæ.

172. Concepit tertio & genuit filium, quem dicit Ricard. à sancto Victore lib. cit. cap. 10. esse spem veniæ, cur ad timorem & dolorem, hunc tertium affectum addidit? quia vere Deum timentibus & de peccatorum commissione lugentibus, spes veniæ certa est, *quæ quaso consolatio*, inquit cit. Doctor. *potest esse pœnitentibus vere & lugentibus amare nisi vna spes veniæ? hic est ille tertius filiorum Iacob, qui idcirco Leui, hoc est additus, vel additio vocatur, quia duobus illis prioribus prius datis hic superadditur.*

Hugo Vict.

Qui sine lachrymis & dolore remissionem peccatorum consequi existimat, non sperare dicendus est, sed præsumere.

173. *Concepit tertio & genuit filium & vocauit nomen Leui*, qui interpretatur additus, si hunc diuino acceperat beneficio, sicut & alios, cur non appellat datum sed additum? si diximus spem denotari hoc filio, recte dicit solum additum, quia nisi præcesserint timor & dolor de peccatis, spes non dabitur remissionis criminum, potius talis præsumens dicendus est quam vere sperans, *non datum sed additum*, ait cit. Ricard. *sermo diuinus hunc filium nominat, ne ante timorem & condignum pœnitentiæ dolorem quis de spe veniæ præsumat, qui enim post perpetrata scelera sine satisfactione sibi de impunitate blanditur, non tam spe erigitur, quam præsumptione eliditur, ex tali itaque nomine voluit scriptura diuina certos efficere, hunc nos videlicet filium nec ante duos illos priores posse habere, nec post illos præcedentes hunc tertium posse deesse.*

Cit. Doct.

Coniuges propter prolem non propter voluptatem mutuo se diligant.

174. *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus eo quod pepererim ei tres filios*, cur non ait delitiis eius fruar, cum traham blanditiis? quia coniuges non propter voluptatem aut illecebras, mutuo amore se debent prosequi, sed propter prolem habendam, *ecce quod Lia*, inquit Seraph. in suis veritatibus aureis in Genes. *adducit amorem prolis tanquam causam principalem copulæ coniugalis, non autem sensus delectationem.*

Seraphinus.

Nimius amor carnalis, etiam inter coniuges à beneplaciti diuini cognitione auertit.

175. *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus*, D. Chrys. ait, videtur mihi hoc significari, quod natis duobus filiis, nondum potuerit allicere virum, qui adhuc in Rachelem propentior erat, ideo dicit nunc temporis erit apud me vir meus, fortassis accessio tertii filii virum reddet beneuolum, & melius mihi affectum, ecce enim tres filios ei peperi, sed quomodo ex duobus iam susceptis filiis non agnouit Deum velle quod Liam coniugem suam exosam non haberet, sed diligeret? reuoca in memoriam quod maximo prosequebatur Rachelem amore: forte igitur voluntatem Dei non agnouit, quia nimio amore carnali erga coniugem Rachelem ferebatur, fauet Lippomanus, *sic amor carnalis etiam inter coniuges à diuini beneplaciti agnitione non modice mentem deprimit.*

Lippemanus.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS xxxv.

VVLG. Quarto concepit & peperit filium, & ait modo confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam, cessauitque parere.

Sep. Et concipiens adhuc peperit filium, & dixit nunc etiam hoc confitebor Domino, ob id vocauit nomen eius Iudam, & stetit à pariendo.

Cald. Hac vice confitebor Domino.

Oleast. Hac vice eleuabo Dominum.

CONCORDIA.

הפעם Hapaam quod ab aliis vertitur, nunc etiam, vel modo, significat proprie hac vice, verbum ידה iadah licet asserat Oleaster melius transferri per laudare, quam per confiteri, tamen pluries à nostro vulgato doctissimo & peritissimo idiomatis Hebræi vertitur prædictum verbum per confiteri, quam per eleuare, imo rarissime inuenies aliter translatum.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXVII & XXVIII.

VVLG. Imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoque tibi dabo pro opere quo mihi seruiturus es septem annis aliis.

Sep. Consumma itaque septimanam istius, & dabo tibi pro hoc opere, quod operaberis apud me, adhuc septem annos alios.

Chald. Imple Hebdomadam huius, & dabimus tibi quoque hanc pro seruitute, qua seruies mihi, adhuc septem annis aliis.

D. Amb. Imple ergo septena huius, &c.

VVLG. Acquieuit placito & hebdomada trãsacta Rachel duxit vxorem.

Sep. Fecit autem Iacob sic, & impleuit septimanam istius, & dedit ei Laban Rachel filiam suam in vxorem.

Chald. Et fecit Iacob sicut dixerat.

CONCORDIA.

ADdidit interpres ea verba *dierum copulæ*, quæ in Hebræo non habentur, nec apud Septuaginta, prudenter tamen ea posuit, vt exprimeret, quod hæc Hebdomada intelligenda erat, non annorum, sed solum dierum, Alii autem Septuaginta apud Ambrosium per plurale efferentes Hebdomada τὰ ἑβδομα si intelligunt omnes annos ipsius septenarii, ne admittas, quamuis aliquibus non displiceat.

In Hebræo habemus כן ויעש Vaiaas Chen, & fecit sic, sed æquiualent illis quæ vertit noster interpres & acquieuit placito.

EXPOSITIO.

IMple hebdomadam dierum huius copulæ, cum celebritas nuptialis septem diebus duraret, hinc est quod voluit his verbis Laban significare Iacobo, imple prius Liæ nuptias, atque conuiuium istud, post Hebdomadam autem harum nuptiarum, (non vt aliqui volunt septem annorum) tibi tradam etiam Rachelem, quod autem hic sit germanus verborum sensus patet, nam Laban ait imple Hebdomadam dierum, non autem annorum, quare septem dies, non autem septem anni expectandi erant Iacob, dum ei traderetur Rachel, & hoc constat etiam ex verbis sequentibus, *hanc tibi dabo pro opere quo seruiturus es mihi, aliis septem annis:* nã non dixit dabo tibi eam postquam seruieris mihi septem alios annos, quare Rachel tradita est Iacob ante alios annos septem seruitutis.

Acquieuit placito, conditioni sibi propositæ à Laban Iacob consentit & accepit, *& Hebdomada transacta*, in qua celebrabantur nuptiæ Liæ, *Rachel duxit vxorem*, cum ea per copulam matrimonium conficiens.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nimis durum est re amata per diurnum tempus carere.

135. IMple hebdomadam huius copulæ &c. D. Hieronym. in traditionibus in Genes. sic ait, non vt quidem malè existimant post septem annos alios Iacob vxorem accepit Rachelem, sed post septem dies nuptiarum prioris vxoris, sed cur malè existimant? nam nonne Hebdomada, in diuinis litteris propriè de annis intelligitur? sic Danielis, cap. 9. Septuaginta Hebdomadæ commemorantur annorum videlicet non dierum, non ergo indoctè verba Laban possent de annorum Hebdomada intelligi? nihilominus bene Hieronymus ait aliquos male ita existimasse, quia præter rationes datas, *quid durius*, inquit Lippom. *obtingere potuisset Iacob, quam septem adhuc expectare annos pro ardenter amata & sibi debita vxore.*

Hieronym.

Lippom.

Polygamia antiquis licita.

136. *Acquieuit placito & Rachel duxit vxorem*, Latemiæ accalaberis, & nimiæ libidinis ò Iacob quod nondum octo dies elapsi sunt à quibus Liam coniugem accepisti, & nunc aliam ducis vxorem? nonne hoc prorsus indignum? sed ne Iacobum arguamus, quod plures habuerit vxores, hoc enim tunc diuina dispẽsatione licitum erat, non actus libidine sed desiderio gignendi filios ad augendum Dei populum pluribus se coniunxit vxoribus. quod contra Faustum Manich. D. Aug. lib. 22. contra eum cap. 47. sic ostendit, *quando mos erat, crimen non erat, & nunc propterea crimen est, quia mos non est, alia enim sunt peccata contra naturam, alia cõtra mores, alia contra præcepta: quæ cum ita sint quid tandem criminis est, quod de pluribus simul vxoribus obiicitur sancto viro Iacob? si naturam consulas, non lasciuiendi sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur, si morem illo tempore atque in illis terris, hoc factitabatur, si præceptum nulla lege prohibebatur, nunc vero cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus non licet?*

D. Aug.

A nuptiis absint diabolicæ choreæ.

137. *Acquieuit placito & Rachel duxit vxorem*, non est dubiũ conuiuiũ nuptiale factum, sicut cum ei copulata est Lia, sed quomodo in omnibus cũ sit dignissimus scriptor Moyses, tripudia, choreas, saltationes in his nuptiis factas, non scribit? quia in puris

in puris nuptiarum gaudiis non facile inter veros Dei cultores admittendæ sunt choreæ, verba Chrysostomi ho. 56. in Genes. à memoria non excidant, *vidisti, inquit, cum quanta honestate nuptias olim egerint, audite qui satanicas pompas admiramini, & statim ab initio nuptiarum honestatem dedecore afficitis, num tunc tibiæ? num tunc cymbala? num tunc choreæ diabolicæ? quare enim dic mihi tantum statim ab initio damnum inducis in domum tuam, & eos qui in scenis & orchestris operam locant vocas? vt cum intempestiuo sumptu virginis lædas continentiam, & iuuenem impudentiorem facias? satis enim arduum erat absque illis sufflationibus illam ætatem posse ferre moderate tempestatem affectionum, cum autem & hæc accedunt, tam quæ videntur, quam quæ audiuntur, maiusque accenditur incendium, & fornax concupiscentiarum magis inflammatur, quomodo non pessum it adolescentis anima? hinc enim omnia pereunt & corrumpuntur, quia ab initio castitas oppugnatur eorum qui inter se conuenturi sunt, & sæpe primo die iuuenis, oculis videns incontinentibus, telo diabolico in anima vulneratur, & puella per ea quæ audit & videt captiua fit, & ab eo die postea crescunt vulnera, maiusque fit malum, etenim illinc statim discunt, vt & mutuam concordiam dilacerent & amorem corrumpant.*

S. Chrysost.

Ne consuetudinem si iustè interrupta, in actionibus nostris prætexamus.

138. *Acquieuit placito Rachel duxit vxorem*, si Iacob cum vir esset sanctitate vitæ præditus, & continentiæ gratia insignitus, non vnam sed plures & illas sorores habuit, cur accusabitur qui nunc pluribus iungeretur? aduerte antiquis Patribus polygamiam permissam, vt fidelis populus multiplicaretur: quo quidem maxime dilatato, iam cessasse, ne in exemplum igitur adducas Iacobum pluribus coniunctum vxoribus, vt similiter plures habeas, quia consuetudinem si iuste interrupta fuerit, prætexere non possumus, *audiens*, inquit D. Chryso. *quod accepit & maiorem natu, & postea minorem, ne turberis, neque iuxta statum qui nunc est, opera quæ nunc facta indices, tunc enim quia principia, permissum fuit enim duabus vel tribus vel pluribus vxoribus misceri, vt humanum genus propagaretur, nunc vero quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum est, & pietas incrementum accepit, adueniens vtique Christus & virtutem hominibus plantauit, Angelosque, vt ita dicam, ex hominibus faciens omnem illam consuetudinem aboleuit: vides quomodo non oportet consuetudinem prætexere. sed quod iustum est inquirere, nusquam igitur consuetudinem inquiramus. sed vbique quod est vtile, & si quid est bonum, etiam si non sit consuetudo, fiat à vobis si vero perniciosum est, etiam si consuetudo sit, fugiamus & auersemur.*

S. Chrysost.

Soli Deo seruire omnia alia excellit.

139. *Acquieuit placito & Rachel duxit vxorem*, considerans D. Theodor. q. 85. in Genes. duas accepisse Iacobum vxores, deinde plures, ait, aduertendum est tunc temporis nondum datam esse legem, quæ multiplices nuptias prohiberet, & quod fœlicissimi tunc existimabantur, qui multorum liberorum patres erant, vt testificantur diuinæ promissiones, & D. Cyrill. Alex. lib. 11. in Genes. maximæ curæ maioribus nostris fuit, fœlicitatem summam existimabant si complures filios procreassent: si fœlices se arbitrabantur esse in plurimorum filiorum generatione, quomodo nunc plures simul non ducuntur vxores, vt ex eis plurimi habeantur filii, sicque beati euadant? vel saltem, cur sacerdotes nunc cum vna non contrahunt? quam optimè eis. Cyrill. satisfacit, *nos qui in Christum traducti sumus, vt fructum spiritualem afferamus, & si matrimonium honore prosequimur, munus tamen quod excellentius sit, magnisque laudibus apud scripturam commendatur, omni studio eligimus atque sectamur, vt soli scilicet Deo adhæreamus, nullaque nobis res mundanæ impedimento sint, qui enim, inquit Apostol. 1. Corin. 7. cum vxore est sollicitus quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori & diuisus est.*

S. Cyrillus.

1. Corint. 7.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIX.

VVLG. Cui pater seruam Balam tradiderat.
Sep. Dedit autem Laban filiæ suæ Balam ancillam suam ei ancillam.
Cald. In famulam.

CONCORDIA.

PLura sunt in Hebræo, imo apud Caldæum & Septuaginta, scilicet, *dedit autem filiæ suæ*, deinde, *in ancillam*, quam apud nostrum interpretem, tamen ea omisit, maioris elegantiæ gratia.

EXPOSITIO.

CVi nempe Racheli, *pater* Laban, *seruam Balam tradiderat*, fuit hæc Bala, si authori testamenti Patriarcharum credimus, filia Rhethæi fratris Deboræ, nutricis Rebeccæ, quæ Bala eadem die qua Rachel, nata est, erat autem Rhethæus de genere Abranam Caldæus, Deum venerans, liber & nobilis, sed cum esset captiuus, emptus est à Laban, & dedit ei Euam ancillam suam in vxorem, quæ vocauit filiam, & vocauit eam Zelphom cognomine castelli, in quo captus erat, deinde peperit Balam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vt ratio à visibilibus ad inuisibilia surgat, imaginatione indiget.

140. CVi pater seruam Balam tradiderat, Richard. à sancto Vict. in lib. qui dicitur Beniamin minor cap. 5. symbolice hoc intelligēs ait, quod Rachel est ratio diuina reuelatione illuminata, & Bala imaginatio, & quod imaginatio obsequitur rationi, intantum autem inquit hæc ancilla illi necessaria esse cognoscitur, vt sine ea totus mundus ei nil possit conferre, quid ais Ricarde? nonne ratio superior est imaginatione, & ab ea in suo esse independens? cur ergo ais rationem sine ea nihil posse? si aduertas imaginationem rerum visibilium formam rationi repræsentare, recte dixit sine ipsa illam nihil scire, vt ratio enim à visibilibus ad inuisibilia surgat, imaginatione indiget, audiamus citatum authorem, *cum scriptum sit*, inquit, *quia inuisibilia Dei à creatura mūdi per ea quæ facta sunt intellecta cōspiciuntur, vnde manifeste colligitur, quia ad inuisibiliū cognitionem, nunquam ratio assurgeret, nisi ei ancilla sua imaginatio videlicet rerum visibilium formam repræsentaret: per rerum enim visibilium speciem surgit ad rerum inuisibilium cognitionem, quoties ex iis ad illam quandam trahit similitudinem, sed constat quia sine imaginatione corporalia nesciret, sine quorum cognitione ad cælestium contemplationem non ascenderet: visibilia enim solus intuetur sensus carnis, inuisibilia vero solus oculus videt cordis, est ergo sensus carnis totus extrinsecus, sensus vero cordis totus intrinsecus, ratio foras exire non potest, sensus corporeus ad illam intrare non valet, non enim decebat filiam delicatam & teneram & singulariter formosam foris per plateas discurrere, sed nec seruum conueniebat dominæ suæ penetralia secretiora irreuerenter irrumpere: discurrit ergo imaginatio (vt pote ancilla) inter dominam & seruum, inter rationem & sensum, & quidquid extrinsecus haurit per sensum carnis, intus repræsentat ad obsequium rationis: semper ergo imaginatio rationi assistit, nec ad momentum quidem ab eius famulatu se substrahit, nam sensu etiam deficiente ipsa ministrare non desinit, nam in tenebris positus nihil video, sed qualibet illic imaginari possum si volo, sic semper & in omnibus imaginatio præsto est, & eius obsequio vbique ratio vti potest.*

Richar. Victor.

Hebr. 11.

Et orantibus rerum externarum imagines repræsentantur etiam inuitis.

141. *Cui pater seruam Balam tradiderat*, cuius proprietatem describens citat. Ricard. capite 6. dixit esse garrulam; ita vt loquacitatem eius, nec ipsa eius domina Rachel compescere possit, quod equidem mihi difficile videtur, nam domina nonne imperium habet in ancillam, eique præcipere potest vt taceat? quomodo ergo Rachel loquacitatem garrulæ Balæ comprimere non potest? si reuocas in memoriam dictum à nobis Rachelem esse rationem, Balam autem imaginationem, recte colliges dictum esse à Richardo, Rachel garrulitatem Balæ compescere non posse, quia etiam orantibus vel meditantibus, rerum externarum imagines ab imaginatione repræsentantur, etiam inuitis, quod eleganter ostendit cit. Auctor. *imaginatio cum tanta importunitate in auribus cordis perstrepit, quatenus eius clamorem vt diximus, ipsa Rachel vix vel omnino cohibere non possit, hinc est quod sæpe dum psallimus vel oramus phantasias cogitationum vel quaslibet imagines rerum ab oculis cordis amouere volumus, vel valemus, quoniam ergo huiusmodi perstrepentium cogitationum tumultus quotidie etiam inuiti patimur, qualis vel quanta sit Balę garrulitas quotidiano experimento docemur: quæque etenim visa vel audita, quandoque quæ ipsi gessimus vel diximus ad memoriam reuocat, & quæ ipsa iam enarrando explicauerit, eadem iterum atque iterum replicare non cessat: & sæpe cum nulla voluntas cordis ei audiendi assensum præbeat, ipsa nihilominus, quamuis nullo quasi audiente narrationem suam explicat, sic vtique decrepiti senes vel inueteratæ anus solent qualibet absque omni auditore referre, & quasi aliquibus præsentibus cum eis sermonem conferre, vnde non immerito Bala (hoc est inueterata) dicitur quæ inueteratorum morem imitatur.*

Rich. Vict.

Fœminas diuites non decet esse solas.

142. *Cui pater seruam Balam tradiderat*, nonne ipsa Rachel ministerio domus suæ vacare potest? ad quid igitur datur ei à patre ancilla in obsequium? quia non decet fœminam diuitem, qualis erat Rachel, solam commorari, hanc rationem præbet Abulensis, *quia cum istæ fœminæ essent diuites & potentes, non erat honestum eas solas manere, ideo decuit eis ancillas dari.*

Abulens.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXX.

VVLG. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, seruiens apud eum septem aliis annis.

Sep. Et intrauit ad Rachel, dilexit autem Rachel magis quam Liam, & seruiuit ibi septem alios annos.

Cald. Et ingressus est etiam cum Rachel, dilexit & Rachel magis quam Liam.

CONCORDIA.

ALiter se habent Hebraica quam apud nostrum vulgatum, in Hebræo enim sic legimus ויבא אל רחל vaiabo el Rachel venit vel intrauit ad Rachel, vulgatus autem sic vertit tandem potitus optatis nuptiis, sed vtrobique est idem sensus.

EXPO-

EXPOSITIO.

T*Andemque potitus optatis nuptiis*, non post septem alios annos seruitutis, vt arbitratur D. Chrys. & Iosephus, sed post dierum hebdomadam, quod patet ex his verbis, prius enim Iacob potitus est nuptiis Rachelis quam seruierit, *amorem sequentis priori praetulit*, & merito sane vel hoc titulo, quod Lia in fraudem consensisset, & matrimonium cum ea pene coactum fuisset.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vt nos amore mutuo prosequamur vult Deus.

143. T*Andemque potitus optatis nuptiis*, nempe Rachelis, cur Deus permisit, vt Iacob non solum duas vxores duceret, sed eas sorores haberet? nam si polygamia ei fuit licita, vt populus fidelis cresceret, nonne sufficiebat plures coniuges habere, non autem eas germanas? Deus ita voluit, vt filii qui ex duabus sororibus, & eodem patre nascerentur, strictiori amoris vinculo vnirentur, ita Lipp. *forte & ideo duas sorores suscepisse Iacob Dominus Deus permisit, vt filiorum eius & ex eis propagandarum tribuum tanto esset arctior amicitia necessitudo, quanto scilicet strictiori sanguinis connexione iungerentur, sese amarent familiarius, & ad vnius populi consensum, & studia concordi magis animo conuenirent.*

Lippom.

Non solum septem praecepta secundae tabulae, sed alia septem in lege Euangelica statuta seruanda, vt possis beatitudine perfrui.

144. *Tandemque potitus optatis nuptiis*, seruiens apud eum septem aliis annis, nonne iam septennium Labano seruierat, vt potiretur amplexibus Rachelis? cur igitur necesse est, vt per septem alios annos obsequatur? aduerte quod praeter septem decalogi praecepta secundae tabulae, alia nobis consuluntur in lege Euangelica, vt quod simus pacifici, pauperes spiritu, &c. dicamus ergo non solum per septem annorum spatium, sed etiam per quatuordecim necessarium fuisse, vt pro Rachel seruiret, quia non solum septem praecepta secundae tabulae, sed alia septem in lege Euangelica statuta seruanda, vt possis beatitudine, Rachele designata, perfrui, *omnis Deum quaerentis*, inquit Petr. Damia. opus 56. cap. 26. *intentio hoc spectat, vt ad requiem quandocumque perueniat, & in summa contemplationis gaudio, velut in pulchra Rachel amplexibus requiescat, videlicet vt per verbum quod audit, ascendat ad videndum principium quod quaesiuit, sed necesse est vt hunc diuersorum certaminum labor exerceat, antequam ad quietis intimae suauitatem quam concupiscit attingat, prius seruitute deprimitur, vt iure post modum ad perfectae libertatis titulos proueharitur: septem verò annis sub dealbationis gratia seruit, & cuncta quae ad proximi dilectionem pertinent, decalogi mandata custodit, videlicet vt primo timore constrictus atque ideo seruitutis iugo depressus, saltem à vetustae legis incipiat institutis, vt nimirum parentes honoret & non moechetur, non occidat, non furetur, non falsum testimonium proferat, non vxorem alterius nec rem proximi concupiscat, quibus rite seruatis non mox, vt sperabat ad contemplationis oblectamenta perducitur, vt velut expectatae diu Rachel pulchritudine perfruatur, sed Lia sibi per noctem inopinato supponitur, quia inter humanae huius ignorantiae tenebras, tolerantia sibi laboris iniungitur, ex qua tamen iam numerosam sobolem suscipit, quia vberes spiritualis lucri per hunc laborem fenus acquirit: hanc itaque tolerat vt ad illam quandoque perueniat, quam perseueranter amat: suadetur ergo vt per alios septem annos seruire desudet, quia profectò necesse est vt adhuc alia septem praecepta obseruet, sed iam tanquam liberior, non legalia tanquam seruus sed Euangelica sicut gener. videlicet, vt sit pauper spiritu, sit mitis, lugeat, esuriat, sitiatque iustitiam, sit misericors, mundum cor habeat sit postremo pacificus: enimuero vellet homo si fieri posset nullas laborum molestias agendo perferre, sed protinus in ipsis sui tyrocinii rudimentis ad pulchrae contemplationis delitias peruenire, verumtamen hoc non in terra morientium fit, sed in terra viuentium.*

S. Petrus Damianus: opus 56.

Coniugium quasi inuitum exosam reddit vxorem.

145. *Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori praetulit*, cur ita ingratus? potitus es Lia, & tamen illius es immemor: quid in te commisit vt tibi displiceret? reuoca in memoria Liam illatae fraudi Iacob consensisse, & quasi inuitum ad contrahendum cum ea compulisse, non mirum igitur Rachelis amorem Liae praetulisse, quia coniugium quasi inuitum, exosam reddit vxorem: sic Rupert. lib. 7. cap. 31. *praetulit amorem sequentis priori, nec mirum, nam haec data iure vel accepta, illa autem fraude ad eius thorum introducta fuerat.*

Rupertus.

Christus Dominus vtrique populo Iudaeo & gentili coniunctus.

146. *Tandemque potitus optatis nuptiis*, nempe Rachelis, en Iacob iustus & sapiens, duas sorores simul matrimonio sibi copulat? sed non sine diuino consilio, quo actum est vt omnia Patriarchis in figura contingerent, atque illis quasi inuoluerentur, mysteria in lege gratiae tandem euulganda symbolice depingerentur: sed quid denotare potest, vnius Iacob matrimonium cum duabus sororibus Rachele & Lia? diximus Lia synagogam, Rachele Ecclesiam, & Iacobo Christum dominum significari: hoc igitur coniugio cum duabus sororibus innuitur, id quod contingere debebat in lege gratiae, nempe quod cum Christus Dominus duobus populis nempe Iudaeo & gentili per fidem iungere deberet, ita beatus Augustinus in sermon. teste Lippomano, *quod in illa peregrinatione duas vxores accepit Iacob, duos populos significabat, Iudaeorum & gentilium, nam in aduentu Christi, non paruus numerus etiam de Iudaeorum populo in eum credidisse legitur sic enim in Apostolorum Actibus 2. continetur, quia crediderunt vna die tria millia, item alia die quinque millia, item postea multa millia: quod autem duo populi in Christum crediderint, etiam ipse Dominus in Euangelio confirmat, vbi ait habeo alias oues quae non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, vt fiat grex & vnus pastor, Ioan.*

S. Augustinus.

Act. 2.

Ioa.

10. *duæ ergo illæ mulieres, id est Lia & Rachel quæ beato Iacob fuerunt iunctæ, istos duos populos figurauerunt, Lia Iudæorum, Rachel gentium, istis duobus populis velut duobus parietibus tanquam lapis angularis iunctus est Christus, in ipso enim se osculati sunt & in ipso æternam pacem inuenire meruerunt, sicut Apostolus dicit ad Eph. 2. ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum quomodo fecit vtraque vnum? vtique duos greges iungendo & duos parietes sibi inuicem copulando.*

Eph. 2.

Contemplatio amabilior actione.

147. *Amorem sequentis priori prætulit*, personarum acceptores ô Iacob, nam si ambæ sunt sorores, & teste Gene. r. nec non Seder Olam sunt gemellæ, quamuis Lia maior appellatur, sicut Esau respectu Iacob, cur maiori dilectione vnam quam aliam prosequeris? si pluries à nobis dictum est Rachele contemplationem designari, sicut Lia actionē, non tibi alienum à ratione videbitur, quod Rachelis amorem Liæ præferat, quia contemplatio eligibilior est actione, huius maioris dilectionis rationem assignat Suidas, *quoniam effectus contemplationis est circa pretiosiora, actio vero est circa agibilia, & quæ ad nos pertinent, contemplatio spectat diuina.* D. Thom. 2. 2. q. 182. ar. 1. id docet & octo rationibus confirmat, consule hunc eximium doctorem, & in medium referam dictū Aug. lib. 19. de Dei ciuit. cap. 19. *otium*, inquit, *sanctum quærit charitas veritatis, negocium iustū, suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati*, en quomodo contemplatio eligibilior actione?

Suidas.

D. Thom. 2. Angelic.

S. August.

Pulchritudo ad amorem nos allicit.

148. *Amorem sequentis priori prætulit*, æqualem erga vtramque te exhibe, cum vtraque sit tua legitima coniux, sed si testimonium faciat pagina dicens Rachelem forma speciosam, & aspectu decoram, Liam autem lippis oculis, non mirabimur intensiori amore Rachelem prosequutum fuisse, quam Liam, pulchritudo enim & formæ venustas ad amorem maxime nos allicit ita D. Chrys. *vel quia ab initio magis dilexit propter venustatem formæ pullam, & difficilius eam consequutus est, ideo eam magis dilexit quam Liam, etenim illius venustas allexit eum ad magis amandum.*

S. Chrys.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXI.

VVLG. Videns autem Dominus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius sterili sorore permanente.

Sep. Videns autem Dominus Deus quod odio habebatur Lia, aperuit vuluam eius, & Rachel erat sterilis.

Cald. Et manifestum fuit coram Domino, quod odiosa esset Lia, & dedit ei vt conciperet, & Rachel erat sterilis.

Pag. Et vidit Dominus quod exosa esset Leah.

Oleast. Et Rachel erat eradicata.

CONCORDIA.

VErbum שנא sana odit, vel exosum habuit interpretatur, vnde שנואה senuah exosa siue odiosa dicitur, quod alia phrasi aperuit noster interpres, dicens quod Liam despexit, qui autem aliam contemptui habet, eam odio prosequi videtur.

EXPOSITIO.

VIdens Dominus quod despiceret Liam, scilicet eam minori amore diligens, quam Rachelem, non autem eam odio positiuo, sed solum negatiuo prosequens, *aperuit vuluam eius*, Hebraismus est, id est fœcundam reddidit dans ei liberos, *sorore sterili permanente*, scilicet pro aliquo tempore.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ab hominibus despectos colligit Deus.

149. VIdens Dominus quod despiceret Liā aperuit vuluā eius, cur illico Moyses postquā aperuit despectam fuisse à Iacob Liam, indicat Deum fœcundam reddidisse, & liberos habuisse, quod ab antiquis tanquam fœlicissimum habitum est? quæ enim connexio inter contemptum Liæ illatum, & eius fœcunditatem? maxima equidē, declarat enim quod qui ab hominibus contemptui habentur, viles censentur, hos à Deo colligi, æstimari, & locupletari donis, vnde optime concludit Seraphinus à Porrec. *hic melius est nobis ergo quod ab hominibus vilipendamur, quam abiectis magnisducamur, tunc enim in via sumus ad dona magna, hæc erat antiquitus fœcunditas à Deo summa peruenendi, malum est tibi igitur à homo grattam hominum aliquando habere, videns enim Dominus quod Iacob despiciens Liam quid accidit inde? quod Dominus Liā magis fauit quam Racheli.*

Seraphinus.

Qui ab hominibus æstimatur à Deo contemnitur.

150. *Videns Dominus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius sorore sterili permanente*, cur fœcunditatem Liæ, cum sterilitate Rachelis coniungit? vel qua de causa postquam Moyses dixit quod Iacob potitus optatis nuptijs Rachelis, illius amorem Liæ prætulit, subiungit quod fuerit sterilis? quid enim commune habet maximus Iacobi amor erga Rachelem, & Rachelis infœcunditas? hoc equidem commune, quod qui ab homine æstimatur qualiter Rachel à Iacob, à Deo contemnitur: Fauet cit. Auct. in suis veritatibus aureis in Genes. *litera assignat pro ratione doni collati Liæ, quod Dominus*

Dominus vidit Liam despici à Iacob, ergo ab oppositis pro assignatione non lactionis huiusmodi doni Racheli assignandum videtur, quod Dominus vidit Rachelem multum amari, cur igitur homo hominum gratiam affectat ad ipsam habendam anhelat, ipsam toto conamine inquirit, ipsam tota vigilantia custodit, & si illorum gloriam non habuerit, si illam amiserit, quare torquetur, tabescit, exsiccatur, moritur? o homo insipientium omnium insipientissime bonum est tibi quandoque hominum gratiam minus habere, & malum est tibi aliquando eorumdem magis gratiam habere, & totum oppositum esse autumas &c. lege quarto citatum Seraphinum & non negligenda pro hominum fauore contemnendo, documenta reperies.

Seraphin.

In Deo minimorum prouidentia.

151. *Videns Deus quod despiceret Liam*, in Hebræo est videns Iehoua, cur Deo sub nomine ineffabili totius essendi principii, tribuit cognitionem exigui amoris Iacobi erga Liam? vt declararet Deo minimorum etiam prouidentiam inesse, *primo essendi principio*, inquit Card. Caiet. *tribuitur videre hæc minima, & prouidere efficiendo vnius fœcunditatem, & alterius sterilitatem prout factum est.*

Card. Caiet.

Coniuges cooperationem Dei postulent in liberis suscipiendis.

152. *Videns Deus quod despiceret Liam, aperuit vuluam eius*, cur dicitur quod Dominus vuluam Liæ aperuerit? nonne ex semine viri fœcunda mulier redditur? dicat igitur, Iacob Liam effecit fœcundam: recte dixit Deum vuluam Liæ aperuisse, vt non arbitretur homo à se solo fœcunditatem venire, sed ab ipso Deo auxiliante & cooperante, sicque ab eo hoc beneficium postulet, ita Chrysost. *disce hic dilecte quod conditor omnium, naturam ipsam ad partum excitat, & quod nulla sit vtilitas concubitus, si absit diuina cooperatio, propterea dixit quod aperuit vuluam eius, ipse est qui in vulua figurat & animat fœtus, sicut & Dauid dicit Psal. 138. suscepisti me de vtero matris meæ.*

S. Chrys.

Psal. 138.

Deus prospera miscet aduersis.

153. *Videns Deus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius, Rachele sterili manente*, cur fœcunditatem Liæ tribuit, & non formæ venustatem, vt adamaretur à Iacob? & cur si decorem maximum contulit Racheli, eam sterilem reliquit? cur pulchritudinem simul cum fœcunditate, & deformitatem simul cum sterilitate non coniunxit? quia Deus prospera cum aduersis miscet, ne vel nimium quis tumesceret, si omnia sibi ad nutum prospera contingerent, vel nimium deprimeretur, si omnia aduersa euenirent, ad hoc respiciens D. Chrys. dixit, *hic vide Dei omnipotentis sapientiam, quoniam illa quidem pulchritudine sua conciliata est sibi gratiam viri, quæ alteri priuata fuit, odio haberi visa est, hanc idoneam fecit partui, illam vero inutilem, ambo hæc sua misericordia dispensans, vt & hæc per liberos solatium haberet, in sui amorem virum alliciens, & illa non propter pulchritudinem & formositatem aduersus sororem insurgeret.*

Cit. Chrys.

Patientia à Deo maxima consequitur beneficia.

154. *Videns Deus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius*, cum nihil mulieri sit sensibilius contemptu, ita vt mors eo eligibilior esset, quomodo Lia tulit à viro despici? ait Abul. patienter: quo posito vellem inquirere, cur ita fœcunda vt non solum quatuor susceperit liberos, verum ex ea Christus Dominus secundum carnem traxerit originem? sed inquirere iam non est animus, quia cum notum sit, quod æquanimiter viri contemptum tulerit, hinc facile deduces, quod variis à Deo beneficiis cumulanda erat, *respicit Deus mitiores*, inquit Abul. *erat enim Lia boni animi fœmina, in cuius semine voluit Deus complere promissiones, & non in semine Rachel, quod patet quia Christus fuit de semine Iudæ secundum carnem, vt patet Mat. 1. Iudas autem fuit filius Liæ, despiciebatur tamen quia soror eius pulchrior ea quo angustiabatur multa, sed patienter tolerabat.*

Abulens.

Qui donis aliquibus carent, aliis compensantur.

155 *Videns Deus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius*, despicit Liam Iacob, & Deus illi confert fœcunditatem, cur sicut deformem ita etiam sterilem non effecit cur fœcundam? quia qui donis aliquibus carent, non omnibus destituuntur, sed aliquando aliis compensantur, *mirabilis valde est*, inquit Oleast. *Dei sui prouidentia, & cuncta summa ratione distribuit, vnde contingit vt omnes qui aliis videntur inferiores & deteriores, aliquid habere in quo aliis præstant, & hoc in fœminis commune est, vtique pulchra facie non sunt optimis adornatæ moribus, nec summa pietate præstant.*

Oleaster.

Vitæ actiuæ deditus non ex contemplatione solum sed ex bonis operibus salutem consequetur.

156. *Videns Deus quod despiceret Liam aperuit vuluam eius*, nonne o Deus, cum sis omnipotens potuisti Liæ maximum decorem conferre, vt à viro diligeretur, & indecoram formam eius decoram reddere nec non ab ea lippitudinem oculorum amouere? quomodo igitur in pulchritudine similem Racheli non effecisti, sed solum fœcundam? cum dictum sit pulchritudine Rachel, denotatam contemplationem, cur nô asseremus Liam eleuatam non fuisse ad venustatem & decorem, sed solum fœcundam fuisse? quia vitæ actiuæ deditus, non ex contemplatione, sed ex bonorum operum fœcunditate Deo gratus erit, salutemque consequetur: sic Rupert. lib. 7. cap. 31. *notandum quia videns Dominus quod Liam despiceret, non in eo misertus est, vt de Lippa venustam aspectu faceret, sed in eo vt sorore sterili permanente, vuluam eius aperiret: semper enim actiuo vita manus videt & lippis perseuerat oculis, & est talis qualem Apost. 1. Timot. 2. mulierem in Ecclesia docere non permittit. saluabitur autem inquit per filiorum generationem, id est per operum misericordiæ exhibitionem, quam enim causam subiecit rex sedens in sede maiestatis suæ cum dixerit Matt. 25. venite benedicti patris mei percipite regnum vobis paratum ab origine mundi, esuriui & dedistis mihi manducare, & quandiu fecistis vni ex minimis mihi fecistis, Matt. 25. saluabitur ergo per filiorum generationem, illa quæ ad virilem non peruenit perfectionem, id est vita illorum qui in suis actibus remanserunt, & nunquam ad contemplatiuæ gratiam profecerunt, iustificabitur per bonorum operum executionem.*

Rupert.

1. Timot. 2.

Matth. 25.

primum est, inquit cit. Richard. *initium sapientiæ timor Domini. hæc est ergo prima virtutum proles, sine qua cæteras habere non potest, qui talem filium habere desiderat, mala quæ fecit non solum frequenter sed & diligenter attendat, hinc magnitudinem suæ sceleris, illinc potentiam iudicantes, ex tali consideratione timor nascitur, scilicet filius ille, qui iure Ruben filius visionis vocatur.*

Quanto quis perfectius delicta sua cognoscit, maiori afficitur timore.

162. *Quæ conceptum genuit filium, vocauitque nomen eius Ruben*, hoc est filius visionis, siue videns filium, quo diximus timorem denotari, sed cur timorem significans, videntis vel visionis Ethymologiam sortitur? quia sine dubio qui sua delicta videre incipit, sine dubio timet, & quo perfectius ea cognoscit eo maiori afficitur timore, *quodammodo cæcus est*, inquit cit. Author, *& minime videt qui peccare non timet; qui futura mala præuidet, qui non erubescit prauitatem suam, qui non expauescit potestatem diuinam, sed si incipiat ista videre, incipiet pariter & timere, & quanto perfectius cognouerit, tanto vehementius timebit, vides ut arbitror quam iuste Ruben vocetur, qui ex tali visione generatur.*

Deus pietatis affectu se timentem amplexatur.

163. *Quæ conceptum genuit filium, vocauitque nomen eius Ruben, vidit Dominus humilitatem meam*, cur nato Ruben, exclamat Lia, Deum humilitatem suam vidisse? quid enim speciale habet natus Ruben cum Dei visione, cum omnes etiam antequam hac vita potiantur, à Deo videantur? si per Ruben denotatur timor Dei, recte exclamat mater eius Lia, vidit Dominus, Deus enim pietatis affectu timentes se amplectitur: fauet cit. Ricard. cap. 8. *recte nato Ruben exclamat, vidit Dominus humilitatem meam, eo quod tunc veraciter incipiat videre, & videri, Deum cognoscere, & à Deo cognosci, videre Deum per intuitum formidinis, videri à Deo per respectum pietatis.*

Coniugum finis, proles.

164. *Quæ conceptum genuit filium*, deinde subiungit, nunc diliget me vir meus, cur hæc verba protulit suscepto filio? cur non dixit despectui me habuit soror mea, sed nunc omnium risui exponetur, quod illa sterili manente, facta sum fœcunda? prudenter postquam filium suscepit, dixit, diliget me vir meus, quia coniugum in matrimonio finis debet esse proles, quod Abulens. recte intellexit, cum ait, *quia totum desiderium & finis viri sui erat proles, in qua complectetur diuina promissio, & ideo quia ista proles reperiebatur in Lia, necesse erat quod diligeretur à viro.*

Nihil pretiosius esse potest coniugatis quam filii.

165. *Quæ conceptum genuit filium, vocauitque nomen eius Ruben*, in Hebræo est Ruben, quod interpretatur videte filium, cur aliud nomen non imposuit, quod significaret, videte diuitias meas, &c. vel quid simile excellens? recte cum quadam emphasi, nihil aliud dixit quam videte filium, nihil enim inter res creatas sub cœlo arbitrantur coniugati pretiosius, quam filios habere, *quasi diceret*, inquit Procop. *videte filium charissimum, quem, quæ amatur, non præbet amantis, ut pote sterilis existens.*

Cit. Ricard. | Cit. Rich. | Abulensis. | Procopius.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIII.

VVLG. Rursumque concepit, & peperit filium, & ait, quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit mihi etiam istum, vocauitque nomen eius Simeon.

Sep. Et peperit filium secundum Iacob, & dixit quoniam audiuit me Dominus quod odio habear, & addidit mihi etiam hunc.

Cald. Quia auditum est coram Domino, quoniam odio habita essem, dedit mihi etiam hunc.

Pag. Quia audiuit Dominus quod exosa essem &c. vocauit nomen eius Simeon.

CONCORDIA.

QVod Hebraice habemus שניאה אנכי senua anachi vertit noster interpres haberi contemptui, quod non est alienum à vero sensu, quia licet שנא sane interpretetur odit, vel exosum habuit, odium autem sit duplex, nempe positiuum & negatiuum, recte poterit huiusmodi odium Iacob, cum fuerit solum negatiuum, ad contemptum reduci.

EXPOSITIO.

R*Vrsumque concepit & peperit filium*, quo suscepto in hæc verba prorupit, *quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui*, eo quod deformis, *dedit mihi etiam istum secundum; vocauitque nomen eius Simeon, idest exauditio*, quia audiuit Dominus quod contemnerer.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus nonis nos cumulat beneficiis.

166. R*V.ſumque concepit & peperit filium*, nonne ſatis erat, iam vnum ſuſcepiſſe, vt à coniuge propter fœcunditatem diligeretur? cur igitur Deus adiecit & alium? quia nouis nos ſemper cumulat beneficiis, *ſpecta hic*, inquit Chryſ. *iterum quomodo Deus muneribus certare contendit, cum ea & beneficia accumulat.*

S. Chryſoſt.

Pro ſingulis beneficiis ſingulas rependamus gratias.

167. *Rurſumque concepit & peperit filium*, deinde hæc verba ſubiungit, *quoniam audiuit me Dominus*, cur Dei mentionem fecit iterum? nonne ſufficiebat primo ſuſcepto filio, Deum nominaſſe? non equidem, ſed iterum nomen Iehoua repetit, quia pro ſingulis beneficiis, ſingulæ rependendæ ſunt gratiæ, *attende*, inquit Chryſ. *quomodo per ſingulos pueros gratias agit Domino, & ob beneficia gratitudinem declarat.*

Cit. Chryſ.

Vir ad diligendam vxorem ex vxoris fœcunditate inducitur.

168. *Rurſumque concepit & peperit filium*, cui nomen impoſuit, Simeon, *dicens quoniam audiuit me Dominus*, cur nomen auditionis Dei, filio ſuo indidit? vt prouocaret virum ſuum ad rependendum ſibi amorem, cum ſciret ſe à Deo exauditam? *ſecundo admonetur Iacob*, inquit Lippom. *vt vxorem diligat, tam fœcundam filiorum, nominis exauditionis gnato impoſito, quia pro mariti ſui gratia promerenda orantem ſecundo filio dato, exaudiſſet Deus.*

Lippom.

Magnum timorem ſequitur dolor.

169. *Rurſumque concepit & peperit filium*, quem dicit Ricard. à ſancto Vict. lib. qui dicitur Beniamin minor, cap. 9. eſſe dolorē, ſed qua de cauſa ſecundo Liç libero, potius hunc affectum doloris, quam vel amoris, vel odii tribuit? nonne dixerat primum fuiſſe timorē? merito igitur ſecundū aſſerit eſſe dolorē, quia timorē ſequitur dolor, ita Cit. Author. *primo filio nato & paulatim creſcente, ſecundus naſcitur, quia magnum timorem neceſſe eſt vt dolor ſequatur, quanto enim quis vehementius accipit pœnam, quam meruit, tanto acerbius plangit culpam quam fecit.*

Hugo Vict.

Qui vere dolet de peccatis, indulgentiam conſequitur.

170. *Rurſumque concepit & peperit*, nempe Simeonē, qui exauditio interpretatur, vnde ipſa Lia rationem reddens cur tale nomen filio impoſuerit, ait, quoniam audiuit me Dominus, cur quæſo quem dixit fuiſſe dolorem, ait à Deo exauditum? quia qui vere dolet de peccatis à Deo exauditur, vt indulgētiam & remiſſionem conſequatur, *ſciendum*, inquit cit. Ricard. *quod quacumque hora peccator conuerſus fuerit & ingemuerit, ſaluus erit, ſecundum illud Pſal. 50. cor contritum & humiliatum ne deſpicias, quid tibi videtur? nonne merito talis filius Simeon, id eſt exauditio vocatur? quia qui vere pœnitet, qui vere, acriter dolet, abſque dubio & abſque mora indulgentiam accipiet.*

Cit. Author. Pſal. 50.

Angeli pro miſeris deprecantur.

171. *Rurſumque concepit & peperit*, nempe filium ſecundum, cui nomen Simeonis impoſuit, & quo ſuſcepto, in hæc verba prorupit, quoniam audiuit me Dominus, ſed ſi exaudiuit te Deus, preces coram eo fudiſti, vel aliquis alius pro tua fœcunditate: ait Dionyſ. Carth. quod Angelus cuſtos pro ea Deum deprecatus eſt, cur Angelus pro ea coram Deo fundit orationem? nonne erat miſera & contempta? ne igitur ſciſciteris, cur Angelus preces pro Lia Deo præſentat. quia miſeris & afflictis eo modo quo poſſunt ſubueniunt, *forſan Angelus eius*, inquit cit. Cart. *orauit pro eius fœcundatione, quaſi compatiens contemptui eius, eiuſque aſpernationem qua aſpernabatur, iuſte coram Deo commemorauit, vt impetraret gratiam Dei.*

Dion. Cart.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXIV.

V*VLG.* Concepitque tertio, & genuit alium filium, dixitque, nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios, & idcirco appellauit nomen eius Leui.

Sep. Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit in hoc nunc tempore, apud me erit vir meus &c.

Cald. Nunc hac vice copulabitur mihi maritus meus.

Oleaſt. Vice hac mutuabit ſe mihi maritus meus.

Vatab. Hac vice ſociabitur mihi maritus meus.

Aquila. Applicabitur mihi vir meus.

Alii Heb. teſte Hier. vertunt, proſequetur me nunc vir meus.

CONCORDIA.

VErbum לוה lauah aſſerit Oleaſt. ſolum debere ſumi pro mutuare, vnde hunc ſenſum adhibet huic verbo, non poterat virum habere niſi cum ſoror mutuabat illum, illi, aut mutuabit ſe mihi, quaſi pro filiorum mercede: vnde Leui idem eſt quod mutuatus aut mutuo acceptus, hæc ille, ſed pace illius dicam, quod non ſolum mutuare, ſed etiam adhærere, ſociari, ſiue copulari ſignificat, ſunt enim plures auctoritates ſacræ ſcripturæ quæ aliter exponi non poſſunt, niſi per verbum adhærere, aut ſociari, vt Numer. 18. 4. נלוו veniluu & adhærebunt tibi Zach. 2. 11. idem habetur prouerb. 1. 9. quia לוית liuat copulatio, ſocietas, &c. conſule Pagninum in ſuo theſauro linguæ ſanctæ, Hebræi autem ſic vertentes, proſequetur me vir meus, hunc ſenſum præbent, non ambigo de amore in me viri mei.

Numer. 18. Zach. 2.

EXPOSITIO.

EXPOSITIO.

Dixitque, eo suscepto tertio filio, *nunc quoque copulabitur mihi maritus meus*, maiori amore quam antea, eo quod pepererim ei tres filios, digna est enim mulier, quæ tot liberos suscipit, à viro suo eximie diligi, *& idcirco appellauit nomen eius Leui*, quod interpretatur adhæsio, connexio, fuit autem hic Leui parens omnium Leuitarum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vere Deum timentibus & de peccatis lugentibus, sit spes veniæ.

172. *Concepit tertio & genuit filium*, quem dicit Ricard. à sancto Victore lib. cit. cap. 10. esse spem veniæ, cur ad timorem & dolorem, hunc tertium affectum addidit? quia vere Deum timentibus & de peccatorum commissione lugentibus, spes veniæ certa est, *quæ quæso consolatio*, inquit cit. Doctor. *potest esse pœnitentibus vere & lugentibus amare nisi vna spes veniæ? hic est ille tertius filiorum Iacob, qui idcirco Leui, hoc est additus, vel additio vocatur, quia duobus illis prioribus prius datis hic superadditur.*

Hugo Vict.

Qui sine lachrymis & dolore remissionem peccatorum consequi existimat, non sperare dicendus est, sed præsumere.

173. *Concepit tertio & genuit filium & vocauit nomen Leui*, qui interpretatur additus, si hunc diuino acceperat beneficio, sicut & alios, cur non appellat datum sed additum? si diximus spem denotari hoc filio, recte dicit solum additum, quia nisi præcesserint timor & dolor de peccatis, spes non dabitur remissionis criminum, potius talis præsumens dicendus est quam vere sperans, *non datum sed additum*, ait cit. Ricard. *sermo diuinus hunc filium nominat, ne ante timorem & condignum pœnitentiæ dolorem quis de spe veniæ præsumat, qui enim post perpetrata scelera sine satisfactione sibi de impunitate blanditur, non tam spe erigitur, quam præsumptione eliditur, ex tali itaque nomine voluit scriptura diuina certos efficere, hunc nos videlicet filium nec ante duos illos priores posse habere, nec post illos præcedentes hunc tertium posse deesse.*

Cit. Doct.

Coniuges propter prolem non propter voluptatem mutuo se diligant.

174. *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus eo quod pepererim ei tres filios*, cur non ait delitiis eius fruar, cum traham blanditiis? quia coniuges non propter voluptatem aut illecebras, mutuo amore se debent prosequi, sed propter prolem habendam, *ecce quod Lia*, inquit Seraph. in suis veritatibus aureis in Genes. *adducit amorem prolis tanquam causam principalem copulæ coniugalis, non autem sensus delectationem.*

Seraphinus.

Nimius amor carnalis, etiam inter coniuges à beneplaciti diuini cognitione auertit.

175. *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus*, D. Chrys. ait, videtur mihi hoc significari, quod natis duobus filiis, nondum potuerit allicere virum, qui adhuc in Rachelem propensior erat; ideo dicit nunc temporis erit apud me vir meus, fortassis accessio tertii filii virum reddet beneuolum, & melius mihi affectum, ecce enim tres filios ei peperi, sed quomodo ex duobus iam susceptis filiis non agnouit Deum velle quod Liam coniugem suam exosam non haberet, sed diligeret? reuoca in memoriam quod maximo prosequebatur Rachelem amore: forte igitur voluntatem Dei non agnouit, quia nimio amore carnali erga coniugem Rachelem ferebatur, fauet Lippomanus, *sic amor carnalis etiam inter coniuges à diuini beneplaciti agnitione non medice mentem deprimit.*

Lippomanus.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXV.

VVLG. Quarto concepit & peperit filium, & ait modo confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam, cessauitque parere.

Sep. Et concipiens adhuc peperit filium, & dixit nunc etiam hoc confitebor Domino, ob id vocauit nomen eius Iudam, & stetit à pariendo.

Cald. Hac vice confitebor Domino.

Oleast. Hac vice eleuabo Dominum.

CONCORDIA.

הפעם Hapaam quod ab aliis vertitur, nunc etiam, vel modo, significat proprie hac vice, verbum ידה iadah licet asserat Oleaster melius transferri per laudare, quam per confiteri, tamen plures à nostro vulgato doctissimo & peritissimo idiomatis Hebræi vertitur prædictum verbum per confiteri, quam per eleuare, imo rarissime inuenies aliter translatum.

EXPOSITIO.

ET *ait modo confitebor Domino*, hoc non innuit ante Deum non laudasse, sed significat quod promptiori animo laudes Deo rependet, ob ablatum omnino opprobrium, *& vocauit Iudam*, qui confessio interpretatur, *cessauitque parere*, scilicet vsque ad aliquod tempus, nam postea tres alios suscepit liberos.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui perfecte gratus, nil aliud ei agendum videtur.

176. M*Odo confitebor* Domino, *& ob hoc vocauit Iudam & cessauit parere*, ter autem pepererat, nec confitetur Domino, nec hymnum dicit nomini eius, nec gratias fundit, vbi autem quarto concepit, & peperit, tunc iam confitetur Domino, tunc ei immortales gratias, propter tot accepta beneficia, rependit, tunc cessat parere, post confessionem, post gratiarum actionem, cur statim ponitur partuum cessatio? nimirum vbi quis Domino confitetur, ad summum peruenisse videtur, nihil amplius habet quod faciat, ita Philo Alex. lib. de plant. Noe fatur, *dicitur destitisse parere, quando non haberet quo se verteret, iam ad perfectionis progressa terminum, nam inter omnia recte facta nullus partus est præstantior quam hymnus in Deum patrem omnium*, qui Deo gratias perfecte refert, non est quid agat amplius, quasi omnem absoluit obligationem, & cursum consummauit, vnum restat, vt Dei salutari potiatur.

Philo Alex.

Dona naturæ etiam in Deum referenda.

177. *Modo confitebor Domino*, id est nunc gratias immortales ei rependam, cur? quia concepi & quartum filium peperi, nonne est donum naturæ fœcunditas, quæ etiam impiis mulieribus tribuitur? cur ergo speciales Deo tribuis gratias? quia non solum dona gratiæ, sed & naturæ in Deum referenda sunt, *omnia*, inquit Oleast. *beneficia etiam naturalia in Deum refert sancta fœmina.*

Oleast.

Post timorem amor.

178. *Modo confitebor Domino*, in hæc verba prorupit, cum quartum genuit filium, quem Ricard. à sancto Victor. cap. 11. lib. cit. dicit esse amorem, si primum dixisti esse timorem, cur hunc amorem esse asseris? si timuit quomodo diligit? nonne quæso post primum illum natum filium, plura à Deo beneficia accepit? quid mirum igitur, si quem antea timuerat, nunc diligat? quia qui beneficiis obstringitur, benefactorem diligere tenetur, *quem consueuerat*, inquit cit. Doct. *prius multum formidare, incipit post modum ardenter amare, vides iam quod post crescentem quotidie timorem necessario subiectus est dolor, sic vtique post spem natam, & per quotidiana incrementa proficientem nascitur amor, hic itaque est ille filiorum Iacob qui quarto loco nascitur, & Iudas id est confitens in scriptura nominatur.*

Ricard. Vict.

Quem diligimus, continuò laudibus extollimus.

179. *Modo confitebor Domino, & vocauit nomen eius Iuda*, hoc est confessio, nempe laudis, nonne diximus per hunc filium, amorem designari? quomodo igitur dicitur confessio? nam nihil commune habere videtur amor cum confessione: sed si concipias hanc confessionem esse laudis, dices maximam esse connexionem inter confessionem & amorem, quia qui diligit, dilectum certe laudibus extollit continuis, *attende nunc animum aliquem*, inquit Ricard. Victo. cap. 12. *nimium amantem, & nimio amore feruentem, attende quid sentiat, quid secum loquatur de eo quem multum amat, quem valde miratur, quid ergo dicit? quid secum tacitus loquitur?* inquit, *quàm bonus, quàm benignus, ô quàm suauis, quàm dulcis, ô quam amandus, quantum amplectendus, quàm totus admirabilis, quàm totus desiderabilis, ô beatum quem amat, ô fœlicem quem suo amore dignum indicat, me fœlicem si eo frui liceat, me beatum si eum possidere contingat, hæc* (nisi fallor) *est illa vox exultationis & confessionis quæ semper ex ore Iudæ resonat in auribus diuinæ pietatis, quid tu dicis Lia? quid tu proclamas pro Iuda? quid tu reddis Domino? quid retribuis pro tali puero? nunc* (inquit) *confitebor Domino, confitebor inquit Domino nimis in ore meo: vere vtique & absque dubio non solum frequenter, sed etiam indesinenter Domino confiteris, si tamen perfecte diligis, benedicam inquit Dominum in omni tempore semper laus eius in ore meo, semper quidem laudas, si semper amas & semper desideras, nam non amares si non apprebares, quid est enim, vt dictum est, apprebare, nisi laudare? & ipsa laudatio ipsa est confessio.*

Citat. Doct.

Confessio criminis Deo gratissima.

180. *Modo confitebor Domino, & vocauit nomen eius Iuda*, sibi gratus fuit Iudas, nomen confessionis præferens, sed cum duplex sit confessio, vna laudis, altera criminis, an Iudas Iacobo gratus, quia solum interpretatur confessio laudis? minime, sed quia etiam confessio criminis intelligitur, hæc enim etiam Deo gratissima, cum eius bonitatem maxime commendet, *quid dicemus de confessione criminis?* inquit Ricard. Vict. cap. 12. *an forte Iudas istam ignorat, quamuis illam tam excellenter agnoscat? ego non sic existimo, quia & hanc & illam ad honorem Dei multum pertinere cognosco, & scio: quia qui veraciter diligit, libenter facit quidquid bono ei Dei militare cognouerit: multum commendat bonitatem Dei non solum largitas sua, sed etiam iniquitas nostra, si enim magnum est nil promerentibus gratis impendere multa, quale quantumue erit tribuere bona promerentibus mala? ô qualis pietas, cum multa nostra potest superare impietas.*

Ricard. Victor.

Pro pluribus beneficiis à Deo nobis collatis videtur vnicam gratiarum actionem exigere.

181. *Modo confitebor Domino*, Caldæus *hac vice*, solū enim nūc Deo gratias egisse videtur, & tamē ab illo repre-

prehensam non accepimus: nonne plura illi largitus est beneficia? ipsa enim primo accepto filio dixit, vidit Dominus humilitatem meam, secundo suscepto, ait, audiuit me Dominus, & tertium habuit: quomodo ergo tot dona, vnica compensat gratiarum actione, & Deus non conqueritur? quia scit hominum genus infirmum, & ideo nec vnicam respuit, *vtinam in nobis*, inquit noster Ferus, *hæc verba seinuicem consequerentur, videt quidem nos Dominus, exaudit nos, apponit denique sua bona, sed pauci sunt qui dicant, modo confitebor Domino, & quid leuius à nobis exigere posset? ipse tria facit, à vobis non nisi vnum exigit, idque admodum leue, quid enim facilius quam gratias agere? laudare benefactorem?* quam ergo excusationem præbebit? quod subterfugium quæret, qui nesciunt gratiarum actiones pro beneficiis rependere?

Noster Ferus.

Cæcus est vel lippus qui vltimo loco parit confessionem.

182. *Modo confitebor Domino, & vocauit nomen eius Iudam*, quem ordinem tenet hic filius inter alios? quarto concepit & peperit eum, inquit textus, cur non primo concepit hunc Iudam qui interpretatur confessio? quænam illa est quæ concepit? nonne Lia lippa oculis? quid mirum igitur eum tunc concepisse? quia ille lippus imo cæcus dicēdus est qui non primo parit Iudam, nēpe confessionem, idest qui de peccatis pœnitudinem ad vltimum vitæ spiritum distrahit, cæcus omnino est, hoc accipiamus ex Philone lib. 2. alleg. legis, *quapropter*, inquit, *præcedentem Liæ bonam progeniem, quando fœtus ad animam pertinentes, in Iuda, idest in confessione desinerunt.*

Philo.

SYNOPSIS CAPITIS TRIGESIMI.

RACHELI AC LIÆ ET ADOPTIVI ET naturales naſcuntur filii, poſt quorum ortum, pater Iacob in patriam ſuam redire deſiderat, qui à Laban, precibus & mercedis promiſſione retinetur, ex cuius præmii conuentione, ſapienter vltra modum ſibi diuitias parat.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS 1.

VVLG. Cernens autem Rachel, quod infœcunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ, & ait marito, da mihi liberos, alioquin moriar.

Sep. Videus Rachel quod non peperiſſet ipſi Iacob &c. dixit da mihi filios, ſin autem non, moriar ego.

Pag. Sin minus mortua ſum.

Cald. Alioquin moriar.

Chryſ. Æmulata eſt Liam ſororem ſuam.

EXPOSITIO.

CErnens *Rachel quod infœcunda eſſet*, tot annorum ſpatio didicerat ſe eſſe ſterilem, *inuidit ſorori ſuæ*, inuidia duplex, vna, quæ proprie eſt triſtitia de bono alterius, vel gaudium de illius infœlicitate, alia vero quæ improprie ſic dicitur, cum quis ſcilicet triſtatur de proprio defectu, comparatiue ad alterū qui eo caret; cū alii probabiliter ſolū aſſerāt fuiſſe improprie inuidiā in Rachele, alii autē proprie, hinc eſt quod vtrāque ſententiam conceptibus aperiemus, *& ait marito da mihi liberos*, ſicut ſoror mea fœcunda eſt, cur etiam à te non ſuſcipiā prolē? da mihi igitur, *alioquin moriar*, non ſecundum ſimplicem vocis ſignificationem verba accipienda ſunt quaſi liberos vitæ præferret, ſed per hyperbolicum tropum, vt vehementiſſimum habendæ prolis deſiderium exprimeret, vnde morior, id eſt mœrore vſque ad mortem tabeſco.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Qui alios contemnit deſpicitur.

1. CErnens *Rachel quod infœcunda eſſet*, & ideo contemptui habita, ſterilitas enim antiquis maxime inuiſa erat, nonne illa eſt Rachel, quæ tanti decoris erat, vt per Antonomaſiam ſpecioſa diceretur? quomodo ita deſpecta? nonne ſororem contempſit deformem? ne mireris igitur, ſi iam contemptui habeatur, quia qui alium contemnit iuſto Dei iudicio deinde contemnitur, audiamus Abul. hoc aperientem, *antea ſororem ſuam deſpexerat, quia ipſa pulchrior erat, & magis à marito amabatur, nunc autem vice verſa, quia Lia facta eſt fœcunda, multum amabilis erat, quia totum bonum & finis habendi vxorem, conſiſtebat in prole, Rachel autem quia non pariebat, videbat ſe opprobrio haberi, ideo anguſtiabatur, ecce quanta diuinæ ſapientię in rebus ordinatio, Rachel quæ antea ſibi ipſi fœlix videbatur, vt ſororem deſpiceret per ſterilitatē depreſſa eſt, vt ſe miſeram recognoſceret.*

Abul.

In fœminis ſæpius non verus amor, ſed Zelotypia.

2. *Cernens Rachel quod infœcunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ &c.* putares ob viri amorem, ſic filios expetere, & equidem hoc honeſtum eſſet, ſed nō tantus amor in fœ-

in fœminis reperitur, quæ se solas amare nouerũt, sanè Iacob ardentissimè diligebat Rachelem, adeo vt præ amore illius, parui duceret Liæ fœcunditatem eiusque liberos, hoc solum curabat, vt sua Rachel viueret, è contra autem Rachel virum pro liberis molestabat, eumque maximè angebat, dicens, da mihi liberos, alioquin moriar, quæ ista sollicitudo Rachelis pro liberis? an erat mariti sui amor? minimè, sed carnalis amor sui, sed Zelotypia, quæ frequentior est in fœminis quæ matrimonio coniunctæ sunt, Chrysostom. Hom. quinquagesima sexta in Genes. ait, *graue malum est Zelotypia, vidit viri erga sororem amorem, & putabat illa de causa tot liberos habuisse, vnde dicit da mihi filios*, non coniugis, non filiorum amor, sed Zelotypia erat, non sollicitudo de filiis habendis, ex dilecto viro, sed Zelotypa cura, quod magis amaretur Lia.

Chrysost.

Non inuidia aduersus alios ducamur propter eorum fœlicitatem, sed potius nobis compatiamur propter nostros defectus, vt Deus nobis subueniat.

3. *Cernens Rachel quod infœcunda esset, inuidit sorori suæ*, si soror illius est, quomodo erga illam inuidiæ zelo ducitur? existimant aliqui, vt noster Lyr. quod inuidia propriè dicta, quæ de alterius fœlicitate dolet, non ducebatur aduersus sororem, quomodo igitur Abulensis Rachelem sorori suæ inuidisse intelligit? non tanquam doleret de sororis fœcunditate, sed potius sibimet compatiens de propria sterilitate, ait enim, *aliomodo accipitur inuidia importans dolorem de defectu propio in comparatione ad aliquem habentem id quo iste caret, & isto modo inuidebat Rachel dicens, Domine Deus sorori meæ dedisti prolem, mihi autem non*, quo posito quomodo sacra pagina ait, recordatus Dominus Rachelis exaudiuit eam & aperuit vuluam eius? quomodo ex sterili fœcundam, ex contempta fœlicem constituit, si sorori inuidebat? nam diximus ex Abulensi, non doluisse de fœcunditate sororis, sed erga seipsam cõpassione ductam propter defectum sterilitatis, & ideo non mirum, auxilium & donum fœcunditatis à Deo accepisse.

Abulens.

Inuidia desinit in insipientiam.

4. *Cernens Rachel quod infœcunda esset inuidit sorori suæ, & ait da mihi liberos*, nonne inconsiderata est hæc petitio? nam sciebat quod non viri concubitus fœcunditatem sorori contulerat, sed quod Dominus Deus vuluam eius aperuerat, cur igitur inquit D. Chrys. petit ea quæ supra naturam sunt, & relicto naturę Domino, virum arguit, qui ad hoc nihil conferre poterat? tandem concludit, quod Rachel in hoc desipuerit, vnde nam orta est illi insipientia? lege Moysem dicentem. *inuidebat sorori suæ*, & vlterius non inquires, inuidia enim insipientiæ comes, *graue malum est*, inquit cit. Chrysost. Hom. 56. in Genes. *Zelotypia & desinit in insipientiam, id quod & hunc euenit, videns enim chorum filiorum sororis, & cogitans suam sterilitatem non ferebat dolorem, neque continere poterat cogitationem qua se turbabat, sed illa insipientiæ verba loquebatur, da mihi liberos.*

Chrysost.

Inuidia aliena torquetur fœlicitate.

5. *Cernens Rachel quod infœcunda esset inuidit sorori suæ*, quid in te commisit Lia, si sterili manente ipsa fœcunda plures suscepit liberos? non enim tibi virum ademit, cum tibi pluries debitum coniugale reddat, quam ei, ne liuore igitur erga sororẽ ducaris, imo vt æmula ducitur, fœcunditate enim sororis quæ maxima est fœlicitas, torquetur, *nam inuidia*, ait D. Hieron. in cap. 5. ad Galat. *aliena fœlicitate torquetur, & in duplicem scinditur passionem, cum aut ipse est aliquid in eo in quo alium esse non vult, aut aliũ videns esse meliorem, dolet se ei non esse consimilem, pulchre quidam de inuidia dixit, iustius inuidia nihil est, quæ protinus ipsum, authorem rodit, discruciatque animum.*

Hieronym.

Inuidia comes superbiæ & eius filia.

6. *Videns Rachel quod infœcunda esset inuidit sorori suę*, vnde tibi hic liuor, pestis animæ & cordis putredo? ait textus, videns quod infœcunda esset, quamuis sis infœcunda, deberesne zelo tabescere? aduertite, quod quia speciosissima erat, arbitrata est superbe sibi deberi fœcunditatem, imo & sororem suam despexit, quia deformis erat, & viro suo exosa. non miror igitur sorori inuidisse, inuidia enim comes est superbiæ, & eius filia, *quoniam superbiæ comes est inuidentia*, inquit D. Aug. st. in Psalm. 58 *fieri non potest vt superbus non inuideat* D. Prosper. autem 3. de vit. contemp. cap. 4. *inuidia in tantum de superbia fonte manauit, vt Diabolus qui per superbiam periit, hominem primum statim successus inuidiæ felle perdiderit.*

D. August. D. Prosper.

A parente impio proles male morigera.

7. *Cernens Rachel quod infœcunda esset inuidit sorori suæ*, Zelotypia Rachel qua etiam Lia laborauit, turbatur, cur vtraque soror inuidia in alterutram tabescit? nonne pater eorum impius? quid mirum igitur si inuidæ, quia ex parente idolis dedito, filiæ male moratæ oriuntur, & instituuntur: quod cognouit D. Theod. q. 8). in Genes. *imperfectiores erant & hominis impii filiæ, nempe qui statuas deos nominabat, hac de causa, Deus cum leges conderet, tales nuptias prohibuit, non accipies inquit vxorem Zelotypam aduersus sororem suam*, expẽde illa verba, imperfectiores erat, & hominis impii filiæ, his enim significat, quod proles non solum infecta næuis maculisque parentum nascitur, sed quod illorum mores, gestus & voces, vitia, ipsaque consuetudine continua, in seipsa ad viuum exprimit.

D. Theodot.

Parum rationi consentaneæ sunt aliquando mulierum petitiones.

8. *Dixit marito da mihi liberos*, an in sola potestate viri tui situm est tibi liberos tribuere? minime; nam Deus est, qui præcipuè vuluas sterilium aperit, eisque confert fœcunditatem, cur ego ab eo liberos postulas? ne sciscitaris, quia parum rationi consentaneæ sunt aliquando mulierum petitiones; *quam irrationabilia sunt*, inquit Oleaster, *sæpius fœminarum placita, ostendit locus iste.*

Oleast.

Precibus aliorum commendemus ea quæ nostris consequi non possumus.

9. *Dixit marito da mihi liberos*, non desunt qui asserant Rachelem non petiisse absolutè filios à Iacob, sed cùm eum virum iustum agnosceret vt precibus suis à Deo liberos consequeretur, postulasse, sicut Isaac Deum deprecatus fuerat, vt à Rebecca

sterilitas amoueretur, fieretque fœcunda, sed ô Rachel, cur coram Deo preces non fundis, vt prolem assequaris? cur rogas Iacobum, vt à Deo hoc imploret beneficium? quia precibus aliorum commendare debemus, ea quæ nostris consequi non possumus, *hic locus*, inquit Oleast. *docet nos patronos quærere, qui pro nobis petant ea quæ non valemus nostris precibus impetrare.*

Oleaster.

Studium sapientiæ si non proficit, citius deficit.

10. *Dixit marito da mihi liberos, alioquin moriar*, quid putas in corde Rachel agitur? quibus existimas desideriorum æstibus agitatur, cum videat sororem suam matrem filiorum lætam, se autem sterilem permanentem? quid ergo dicit viro da mihi liberos, alioquin moriar? si vsque ad hæc tempora sterilis permansisti, & tamen cum incolumitate, cur si nunc non suscipias, morieris? reuoca in memoriam à nobis dictum fuisse Rachele speciosa studium sapientiæ denotari, vere igitur Rachel asserit, quod si maneat sterilis, quod si filios non habeat morietur, quia vt optimè Ricard. a Sancto Vict. l. qui dicitur Beniamin minor c. 13. *absque dubio studium sapientiæ si non proficit, citius deficit.*

Ricard. à S. Vict.

Proprium amantis velle videre rem dilectam.

11. *Dixit marito, da mihi liberos, alioquin moriar*, quænam ratio esse potest quod nato Iuda, Rachel ad amorem prolis solito amplius inardescit? vidit Ruben primogenitum Liæ, vidit Simeonem, vidit Leui, & desiderium habendi liberos non exprimit, cur igitur nato Iuda cum tanto affectu declarat, itaut dicat se morituram, nisi det illi prolem maritus? aduerte quod sicut ad Liam, id est animi affectionem pertinet diligere, sic Rachelis, idest rationis est cognoscere, ex illa nascitur quilibet affectus ordinatus, ex ista sensus seu intellectus purus: & quid aliud per Iudam intelligimus, nisi amorem ordinatum? amorem cœlestium? amorem Dei, amorem summi boni? quo posito, cur potius nato Iuda, quam aliis, Rachel ad amorem prolis inardescat? satisfacit cit. Ricard. cap. 13. *quia eo nato, idest bonorum inuisibilium desiderio exurgente atque feruente, incipit amoris prole æstuare, qui incipit velle cognoscere, vbi amor, vbi oculus, libenter aspicimus quem multum diligimus, nulli dubium, quia qui potuit inuisibilia diligere, quin velit statim cognoscere, & per intelligentiam videre, & quanto plus crescit Iudas affectu videlicet, tanto amplius in Rachel feruet desiderium pariendi, hoc est studiũ.*

Ricard cap. 13.

Inuidia liuore tabescenti infert mortem.

12. *Dixit marito, da mihi liberos, alioquin moriar*, cum plures in partu mulieres, vitam morti commutent, potius tuæ propositionis contrarium inferre deberes, scilicet non moriar, cum fœtus tibi necem non sit allaturus: sed si præcedentia verba Moysis attente consideremus, scilicet quod inuidit, dicemus recte collegisse Rachelem se morituram; inuidia enim nisi ei remedium adhibeatur, liuore tabescenti infert interitum, *sicut aiunt*, inquit D. Aug. Serm. 1. Dom. 3. in quadr. *viperas dilacerato materno vtero nasci, ita & inuidia natura illa animam à qua concepta est consumit & perdit.*

D August.

Mira antiquorum continentia.

13. *Dixit marito, da mihi liberos*, nonne generationi dat operã? quid ergo de eo conquereris? aduerte cũ Proc. quod cum Iacob agnouisset Rachelis sterilitatem ab eius concubitu abstinebat: quomodo à speciosissima, & quam ardenter amauerat, abstines? licet enim non sit fœcunda, delitias & alias quæres matrimonii voluptates: ne arguamus Iacobum, miram eius honestatem & continentiam laudibus extollamus, qui cum à prole habenda desperaret, ab eius concubitu cessabat, sed præstat audire Procop. *antiquo gentis instituto abstinebant à grauidis, nec accedebant ad lactantes & nutrientes infantes, sed eo tantum tempore quo conceptus non negabatur, sese dabant vxoribus, hanc traditionem confirmat Iacob, nam cum cognouisset sterilitatem Rachelis, non amplius cum ea concubuit, illa vero sperans ex concubitu prolem venturam, virum alloquitur, da mihi liberos, cum hæc diceret, satis illum non esse creatorem sciebat, verum ad eum modum viri concubitum flagitabat, siquidem maritus concubitum vt cum infœcunda detrectabat*, sic ille super c. 16. Genes.

Procop.

Mira est mulierum ad habendam prolẽ propẽsio.

14. *Dixit marito, da mihi liberos, &c.* si quot incommoda à grauidis tolerantur, experientia tibi notum esset, non ita anxiè liberos concupisceres, tũ in partu animam exhalabis, laboriosa & acerba morte, occumbens; desiderium igitur filios habendi reponere; uno eo æstuat, quia tanta est mulierum ad habendam prolem propensio, vt ipsi vitæ filios anteponere videantur, *mirum est*, inquit Hamerus, *muliebre genus tanto studio liberos affectare, quos & per tot mensium fastidia, & per sęuos partus, dolores mundo edunt: extant huius amoris crebra exempla in puellis haud dum nubilibus, quas videmus puppas in sinu atque in cunis circumferre, identidem exosculari iam tum opus nuptiarum meditantes.*

Hamerus

Ab antiquis Christus summopere desiderabatur.

15. *Dixit marito, da mihi liberos, alioquin moriar*, nonne vita omnibus tanquam charissima præferenda est? cur igitur ais morituram, si filios non susceperis? aduerte Iacob aperuisse coniugibus suis in suo semine, quod erat Christus, benedicendas omnes esse terræ nationes: ne vituperes igitur Rachelem, si tãto desiderio erga prolem habendam ferebatur, & vitæ præferre videbatur, quia se futuram matrem Messiæ secundũ carnem ardentissime exoptabat, *sibi erat afflictio maxima*, inquit noster Lyran. *non habere filios, eo quod eos habere desiderabat à Iacob de quo Christus erat nasciturus.*

Lyran.

VARIETAS LECTIONVM VERS. II.

VVlg. Cui iratus respondit Iacob, num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui?

Chald. Et iratus est furor Iacob in Rachel, & ait, nunquid à me tu petis filios? nonne à facie Domini debuisses petere, qui prohibuit à te generationem ventris tui?

Pagnin.

Pag. Nunquid pro Deo sum, qui priuauit te fructu ventris tui? ¶ Vatab. Nunquid Dei loco sum ego &c.

EXPOSITIO.

Cui, nempe racheli, *Iratus respondit Iacob*, non ira quæ esset odium, sed motu subito indignationis, eo quod prolem debito modo non postulasset, à Deo enim hanc deprecari enixè debuisset, vnde prudenter ei respondet, *nunquid pro Deo ego sum?* Hebraismus est, qui significat à Deo fœcunditatem & sterilitatem prouenire, sensus igitur verborum Iacobi est, iniuste de me conquereris, quod filios non susceperis, hoc in mea potestate non est situm, sed Dei, qui naturam, prout libitum fuerit, in contrarias commutat partes.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Molestè feramus ea quæ dicuntur aduersus Dei potentiam.

16. *Cui iratus respondit Iacob*, nonne est illa, quam ob pulchritudinem Liæ præferebas, & pro cuius amore tibi pauci videbantur septem anni seruitutis? quomodo igitur eam cum indignatione alloqueris? nam insolitum est nos seuere gerere etiam quantum ad verba, cum iis quos dilectione nostra prosequimur: inspice quæso quidnam dixerat Rachel, da mihi liberos; quibus verbis significauit in potestate viri sui sitam esse fœcũditatem & sterilitatem, quod falsum est, & potentiæ Dei aperientis vuluas & claudentis derogat: merito igitur Iacob Rachel quamuis dilectissimæ indignatur, quia moleste ferre debemus, ea quæ dicuntur aduersus potentiam Dei, sic Lippom. *licet Iacob vehementius quam par erat amare Rachel, Deum tamen cum timeret æquanimiter ferre Dei blasphemiam non potuit, munus scilicet filiorum quod solo Deo donante, conceditur, sibi tribui.* Lippom.

Fœcunditas & sterilitas mulierum à Deo.

17. *Cui iratus respondit Iacob*, si maxima est propensio mulieribus ad prolem habendam, & à te tanquam vxor legitima filios petiit, cur ei indignaris? non irascitur quod liberos petierit, sed quod indebite voluit habere, non enim à viro suo petenda erat fœcunditas, sed à Deo illius auctore, sicut & sterilitatis, *quare derelicto naturæ Domino*, inquit Chrys. *reprehensionem mihi inducis? ille est qui te priuauit fructu ventris tui, quare non ab illo petis, qui potest aperire naturæ officinam & fœcundam facere vuluam? disce quod ille qui te priuauit fructu ventris tui, sorori tantam fœcunditatem præstitit, non igitur à me petas quæ præbere non possum, & cuius non sum Dominus.* Chrysost.

Viri coniugum suorum desideriis immoderatis non acquiescant.

18. *Cui iratus respondit Iacob*, si afflictio non est addẽda afflicto, Rachel autẽ non leui angustia ex sterilitate sua premitur, cur vlteriorem ei addis afflictionem, seuere & iracunde ei respondens? nonne diximus in versu præcedenti, hac petitione da mihi liberos, rationi dissentaneam voluisse? merito igitur Iacob non pacificè, sed iracundè respondet Racheli, quia viri coniugum suarum stultis desideriis minime debent acquiescere, *viri*, inquit Oleaster, *immoderata vxorum desideria arguere & temperare debent.* Oleaster.

Errantes doceamus.

19. *Cui iratus respondit Iacob, num pro Deo sum qui priuauit te fructu ventris tui?* quasi ei diceret, cum in manu Dei sit fœcunditas & sterilitas, non à me sed à Deo petere deberes, vt tuam vuluam aperiret, sed ô Iacob, nonne sufficiebat eam grauiter arguere, nullo ei dato responso? & ei præcipere vt obmutesceret, cum vt vna ex stultis mulieribus loquuta fuisset? prudenter Iacob eam instruit, non à se fœcunditatem esse vel sterilitatem, quia non solum cõpescere errantes cum aliquid rationi dissonum effutiunt, debemus, sed etiam docere tenemur. *vide tuæ intellectum*, inquit D. Chrysost. *quomodo ei succensus, responsum illi dat sapientissimis verbis, docens diligenter omnia, causamque manifestat, vt non relicto Domino quærat ab alio ea quæ ille solus præstare potest.* Chrysost.

Irascendum non personæ sed illius defectibus vel vitiis.

20. *Cui iratus respondit Iacob*, aliquid emphatice amplius habet Chald. iratus est hiror Iacob in Rachel: si Moyses propter simplicitatem te laudibus extulit, à simplicibus autem abest iracundia, vnde Christus Dominus simplices contulit columbis quæ felle carere dicuntur, vt ab eis omnem iram abesse sciremus, quomodo Iacob irascitur, & furor eius æstuat? cum ira nonne inter capitalia vitia numeratur? en dicendus igitur Iacob lethaliter peccasse? minime, nam non Racheli quamvnicè diligebat, sed eius loquacitati, vel falsæ opinioni, qua fœcunditatem à Deo esse arbitrabatur, nam iuri vitiis enim licet non personæ, cum furore irasci vnde regius Dauid Psalm. 4. nobis consulit dicens. *irascimini & nolite peccare*, quæ verba exponens Cassiod. ait, *peccatis irasci debemus.* Psalm. 4. Cassiod.

Iniuriæ propriæ tolerandæ, Deo illatæ non sustinendæ.

21. *Cui iratus respondit Iacob*, miror dilectæ indignari Iacobum, nam attente considero fratrem ei mortem minantem, & eius occasione à domo paterna exulem; ei tamen iratum non lego, conspicio Labanum Liam pro Rachele ei supposuisse fraudulenter, & contra fidem datam, quod completis septem annis seruitutis ei traderet in vxorem; ei autem indignatum non conspicio, quid in te commisit vxor dilectissima, vt ei soli furor tuus irascatur? reuoca in memoriam Deo iniuriam irrogasse, cum homini quod solius Dei erat, tribueret: ne mireris igitur, si nec fratri suo Esau, nec perfido suo socero, sed soli Racheli indignatur, quia in-

iuriæ propriæ quales quæ ab Esau & Laben illatæ fuerant Iacob, ferendæ sunt, non autem quæ Deo inferuntur, sic noster Lyr. exponens illud Iob, *quasi vna de stultis mulieribus locuta est, dixerat autem blasphemans benedic Deo & morere*, sic autem ait, *vir sanctus quamuis afflictiones proprias patienter sustinuerit, tamen iniuriam Dei absque reprehensione sustinere non potuit, quia iniuriæ propriæ sunt tolerandæ, diuina autem vendicandæ.*

Lyran. Iob. 2.

Pœna superbæ mulieris sterilitas.

22. *Cui iratus respondit, num pro Deo sum ego qui priuauit te fructu ventris tui?* cur ais à Deo fructu ventris tui, idest liberis priuatam fuisse vel cur Deus potius infœcundam Rachelem quam Liam effecit? aduerte Rachelem ob eximiam suam pulchritudinem intumuisse: ne inquiras ergo cur Rachel sterilis reddita, quia pœna superbæ mulieris est infœcunditas. Fauet Pacius ann. 1. text. 3. in cant. Ezech. *agnoscens sapiens Iacob*, inquit, *sterilitatem Rachelis loco pœnæ, fuisse irrogatam à Deo, quod Rachel superba ob pulchritudinem, & quod flagrantissime diligeretur à marito, aspernabatur sororem Liam, &c.*

Pacius.

VARIETAS LECTIONUM VERSUS III.

VULG. At illa, habeo inquit famulam Balam, ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios.

Sep. Ecce ancilla mea Bala, intra ad eam, & pariet super genua, & filios faciam ego etiam ex ea.

Pag. Et erit etiam mihi filius ex ea.

Vatab. Et filiabor.

Oleast. Ædificabor ego etiam ex ea.

CONCORDIA.

בנה Banah propriè ædificare denotat, sed Metaphoricè dicitur de liberorum procreatione, hinc est quod aliqui verterunt ædificabor, alii filiabor, siue erit mihi filius ex ea.

EXPOSITIO.

HAbeo famulam Balam, quæ forte non laborat sterilitate, *ingredere ad eam*, tanquam ad vxorem minus præcipuam, cognosce eam carnaliter, *vt pariat super genua mea*, idest vt pariat filios quos postea super genua mea, & in gremio meo, & in sinu suscipiam, quasi filios vt pote adoptiuos.

CONCEPTUS IN HUNC VERSUM.

Tanta est mulierum propensio ad filios suscipiendos, vt cum naturales habere non possint, saltem adoptiuos desiderent.

23. HAbeo famulam Balam ingredere ad eam, si Zelo quodam ducuntur fœminæ erga viros, ne alias agnoscant mulieres, quomodo adeo libenter Rachel Balam tradidit viro suo in coniugem? nonne erat Rachel sterilis? ne mireris igitur ancillam suam tradidisse Iacob in vxorem, quia tanta est mulierum propensio ad filios suscipiendos, vt cum naturales habere non possint, saltem adoptiuos desiderent, *mirabilis erat quondam*, inquit Oleast. *in fœminis prolis amor, quæ ex ancillis filios suscipere volebant, quando ex se non poterant.*

Oleast.

Cum iustè arguimur taceamus.

24. *Habeo famulam Balam ingredere ad eam*, nonne iratus est tibi Iacob ô Rachel? nonne te seuere arguit, cum ab eo liberos peteres? cur igitur non solum non indignaris, imo hoc ei beneficium præstas, vt aliam habeat vxorem ex qua filium suscipiat? aduerte iuste reprehensam fuisse Rachelem à Iacob, non enim ab eo, sed a Deo filios petere deberet: prudenter igitur tacet speciosa Rachel, quia cum iustè arguimur patienter sustinendum, *Videns Rachel*, inquit Abulens. *quod iuste Iacob responderat ipsi iniuste petenti redargutionem factam patienter tolerauit.*

Abulens.

Ita solatii sumus cupidi, vt saltem aliquod optemus exiguum, si maius consequi non possumus.

25. *Habeo famulam Balam ingredere ad eam*, quamuis ad illam ingrediens Iacob ipsa, concipiat & pariat, sterilitatene carebis, & fœcunda ne efficieris? minimè, cur ergo famulam in vxorem Iacobo tribuis, vt ex ea suscipiat filios? dices vt filii futuri sint mei, non naturales, sed adoptiui, sicque aliquomodo solabor ex sterilitate, cum aliud consequi solatium non valeam, *vt didicit Rachel*, ait Chrysost. *quod sterilis facta esset à Deo, & videns se liberis carere, vel mediocre solatium requirens, dicit ad Iacob, quoniam nunc me docuisti, quod non culpa tua liberis caret, ancillam meam accipe, filiosque procrea ex ea, vt parum aliquod solatium inuenire possim, mihi vendicans eos qui ab ea nascuntur.*

Chrysost.

Ita magnus est dolor in muliere nupta cum prolem non habet, vt omnes alias cogitationes absorbeat.

26. *Habeo famulam Balam ingredere ad eam*, cur tuũ cum ancilla vis honorem communicare? nonne didicisti quod Agar videns se ex Abraham concepisse, Dominam superba despexit? nonne tibi idem cõtingere potest? nam Bala cum se fœcundam ex con-

sortio

sortio Iacob conspexerit, te tanquam sterilem fortè contemnet, adducite nimia fuisse oppressam afflictione ex infœcunditate, & ita assero non cogitasse, nec de superbia, vel contemptu famulæ suæ, forte futuro, quia ita est ingens dolor in muliere nupta, cum liberis caret, vt omnes alias cogitationes absorbeat. *dedit illi*, testatur Salian. in suis annalibus anno mundi 2286. *Balam in coniugium & suum cum ancilla honorem communicauit, vt fœcunditatis eius quodammodo particeps fieret, nec timuit ne illa insolesceret, vt Agar, quia ita ægritudo animi cæteras omnes curas, cogitationesque absorbebat.*

Salianus.

Sapientia rerum diuinarum præditus, contendere debet exprimere auditoribus quod dicit.

27. *Habeo famulam Balam, ingredere ad illam*, an tuç remedium infœcunditati adhiberetur, ex suscepti filiis ex ancilla? minime, ne igitur Balam tradas Iacobo in coniugem? diximus per Rachelem studium sapientiæ intelligi, per Balam imaginationem, qua visibiles formæ & corporeæ repræsentantur, rectè ergo Rachel tradit ancillam Iacob, vt ex ea filios procreet, quia sapientia rerum diuinarum præditus, contendere debet exprimere auditoribus, quod didicit, quod efficit mediante Bala parturiente, ita obseruat Petrus Dam. opusculo 60. cap. 18. *Rachel maluit vtcumque filios ex ancilla suscipere, quam omnino sterilis permanere; quia doctrina sapientiæ siue gratia contemplationis per exteriorem scientiam siue visibilium rerum formas auditoribus intimat quid sibi de inuisibilibus intra arcana occultat, & sic quodammodo per ancillam filios accepit, dum per eam quæ sub se est scientia, spirituales Deo filios parit.*

Petrus Dam.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS IV. & V.

VVLG. Deditque ei Balam in coniugium.

Sept. Et dedit ei Balam ancillam suam ei vxorem, & intrauit ad eam Iacob.

VVLG. Quo ingresso ad se viro concepit, & peperit filium.

Sep. Et concepit Bala ancilla Rachel, & peperit ipsi Iacob filium.

Pag. Et ingressus est ad eam Iacob, & concepit Bilhae, & peperit ipsi Iacob filium.

EXPOSITIO.

DEdit illi Balam, quam acceperat à patre in famulam, *in coniugium*, non in concubinatum, vti ab aliquibus in malam partem sumitur, eam enim ei tradidit tanquam legitimam vxorem, licet minus præcipuam.

Ingresso ad se viro, ingredi ad mulierem est ad morem Hebræorum generationi incumbere, ob verecundiæ studium, sic loquentium, quod secreto fiat, & quidem videtur ex more illarum gentium atque ætatum orta locutio, quia scilicet moris erat, vt vir ad fœminam non hæc ad illum ingrederetur: in nuptiis quidem in lecto prior fœmina collocabatur, & deinde vir ad eam in tenebris accedebat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Viri coniugum suarum cum licite possunt, desideriis satisfaciant.

28. **D**Editque illi Balam in coniugium, nonne duæ tibi vxores sufficiunt? nonne satis onus graue est bona coniux? nonne aliquando seligenda potius foret quam vnica, præcipue si vana, vel si garrula, nam si vana, quid ab eo tolerandum non erit: si enim eam domi manere præcipis, tyrannum vocabit, non maritum: se miseram lamentabitur, non vxorem sed seruam in ergastulo teneri compeditam, siccine dicet, cum cæteræ libertate potitæ, quocumque lubet procedunt, sola ergo vti mancipium, in tenebris, in vinculis, in sepulchro iacebo? non feram, non patiar, sic illa si domi continere cogatur: quod si foras prodeundum erit ad pingendum, ad instruendum vanitatis apparatum, quid obsecro satis est in domo mariti? atque in cauponantium officinis? si autem garrula: quot querimoniæ nocturnæ & diurnæ? illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, at ego in conuentu fœminarum misella despicior: quisnam igitur tanto pondere oppressus, non corruet? cur igitur aliam admittere vxorem non renuit, vt à tot molestiis se eximat? reuoca in memoriam quali desiderio Rachel æstuabat quomodocumque filios habendi: non renuit igitur Iacob, adhuc etiam Balam vxorem admittere, quia viri, coniugum cum licite possint, desideriis sati facere debent, quod annuit Abul. *Iacob non desiderabat accipere aliam vxorem, quia satis se reputabat contentum, habendo duas vxores, sed ne vxori valde molestus esset, accepit & aliam vxorem; sperabat enim Rachel vsque ad mortẽ, quia sterilis erat, si ergo non consensisset dans ei spem prolis saltem ex ancilla, præ mœrore & tædio contabesceret, quod valde contristabile erat Iacob, cum eam tenero amore diligeret, nec eius tristitias poterat sustinere.*

Abulens.

Vxores non concubitum viri ad libidinem, sed ad prolem habendam desiderent.

29. *Deditque illi Balam in coniugium*, cur ô Rachel alienam tradis viro vxorem? fruere delitiis cõiugii tui, quamuis nunc sis sterilis, fœcunda poteris fieri: ideo Iacob famulam tradit in coniugem Rachel, vt denotaret, quod si concubitum viri sui concupierit, non libidinis, sed prolis habendæ gratia, cum ei cedat sciens se sterilem esse, *satis eluxet ipsam*, inquit S. August. lib. 22. cont. Faust. cap. 48. *nihil aliud in concubitu appetisse quam filios, quippe vbi se minime parere viderunt, famulas suas dederunt viris suis, vt eas matres facerent carne, ipsæ fierent voluntate.*

D. August.

Semper nouam consequi perfectionem desideremus.

30. *Ingresso ad se viro, concepit & peperit filium,* nonne tibi iam quatuor filii sufficiunt ex Lia? cur igitur aliam ducens vxorem vacas generationi & adhuc liberos procreas? sine dubio sicut per Iacob iustum, sic per filios eius bona opera intelligi non repugnat: dicamus igitur Iacob non contentum quatuor liberis, adhuc alios procreare, quia iustus nouæ semper acquirendæ perfectioni debet studere: ita D. Dam. opus 60. cap. 27. *quia electus quisque perfectionis suæ limite non contentus ideo filios gignere speciali fœcunditate desiderat, postquam coniugale fœdus Iacob cum duabus sororibus iniuit ad propagandum vberioris germen sobolis ancillas quoque ad generandi vsum suscipere non refugit.*

Petrus Dam.

Satius est qualicumque modo vera bona cogitare, quam in falsis cogitationem figere.

31. *Ingresso ad se viro, concepit & peperit filium,* quomodo Rachel prius de ancilla quam de seipsa habet liberos? nam cum prior tradita fuerit in vxorem Iacob quam Bala, prius suscipere filios deberet. aduerte mentem carnalem & adhuc in spiritualibus rudem, qualis per Rachelem sterilem denotatur, ad inuisibilium intelligentiam assurgere, & in illis contemplationis oculum figere difficile posse, nulla quippe nouit adhuc nisi corporalia, nil aliud adhuc cogitanti occurrit, nisi quæ cogitare consueuit, sola visibilia quærit, & nil occurrit, nisi formæ rerum visibilium, nō desiderat intueri incorporea, & nil somniat nisi imagines rerum corporalium, quid igitur faciet? quid aget? nonne melius est qualicumque modo illa cogitare quam obliuioni & negligentiæ tradere? imo si bene amat, rerens ea non facile obliuiscitur, multo tamen diu ... ad eorum contemplationem subleuatur, facit tamen quod potest, intuetur ea quomodo potest, cogitat per imaginationem, quia needum videre valet, per intelligentiæ puritatem, nonne hæc est ratio cur potius ex famula suscipit filios quam ipsa procreet? ita Ricard. Vict. lib. qui dicitur Beniamin minor cap. 14. *hæc est causa, inquit, cur Rachel prius liberos habet de ancilla quam generet de seipsa, quia dulce est ei saltem imaginando eorum memoriam retinere, quorum intelligentiā nondum valet ratiocinando apprehendere sicut enim per Rachel rationem, sic per eius ancillam, intelligimus imaginationem, suadet ergo ratio commodius esse qualicūque modo vera bona cogitare & imaginatia quadam saltem pulchritudine ad eorum desiderium animum accendere, quam in falsis & deceptoriis bonis cogitationem figere,* & hæc est ratio cur Rachel voluerit ancillam suam viro suo tradere.

Ricard.

Imaginatio nostra non sit bestialis, sed sit rationalis, & ex corporeorum formis futurorum inuisibilium nobis vtilium imaginem colligens.

32. *Ingresso ad se viro, concepit & peperit filium,* quem sibi adoptauit Rachel, & hic inter filios Iacob reputatur, sed cum symbolicè locuti fuerimus de Bala & Rachel, diuersimodéque imaginationem Bala, sicut rationem Rachele denotari, omnis ne effectus imaginationis, erit proles saltem adoptiua Rachelis? vt id facilius concipere valeamus aduertendum duplicem esse imaginationem, vnam bestialem, rationalem alteram, bestialis est, quando per ea quæ ante vidimus, vel fecimus, sine vlla vtilitate absque omni deliberatione, huc & illuc vaga mente discurrimus, hæc vtique bestialis est, nam ex hoc bestia facere potest: rationalis autem est illa quando ex iis quæ per sensum corporeum nouimus, aliquid imaginabiliter fingimus, verbi gratia aurū vidimus, domum vidimus auream autem domum nunquam vidimus, auream tamen domum imaginari possumus si volumus, hoc vtique bestia facere non potest, soli rationali creaturæ hoc possibile: huiusmodi imaginatione sæpe vtimur, cum quæ sint futuræ vitæ bona, vel mala diligentius rimamur, nusquam hic sola bona, nusquam hic sola mala, sed permixta simul & bona & mala, & quamuis in vtroque genere sint multa, nunquam tamen inueniuntur sola, ibi inueniri possunt, & bona sine admixtione malorum, & mala nihilominus sine admixtione bonorum, itē hic sicut nec sola, si nec summa inuenimus ibi & summa & impermixta, bona & mala esse non dubitamus: quo posito dicamus non quemlibet imaginationis effectum, sed solum rationalis quæ nobis vtilis est, & qua ad futurorū cognitionem tendimus esse prolem Iacob, & quam sibi Rachel adoptat, sic cit. Ricard. c. 16. *quoties ex multis bonis, vel malis, quæ in hac vita sensus corporeus experitur, quale & quantum possit esse illud futuræ vitæ summum bonum sine malum, colligitur, & ex horum imaginatione, quadam futurorum imago figuratur, talis vtique imaginatio rationalis esse facile conuincitur, & ad Balam & ad Rachel pertinere videtur; ad Balam pertinet inquantum imaginatio est, talis itaque proles & imaginationis est per natiuitatem, & rationis per adoptionem, huiusmodi enim prolem vna generat, sed altera educat, ex Bala namque nascitur, sed per Rachel moderatur.*

Ricard.

VARIETAS LECTIONUM VERSUS VI.

VULG. Dixit Rachel iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium, & idcirco appellauit nomen eius Dan.

Chald. Iudicauit me Deus, & suscepit orationem meam, & dedit mihi filium, &c.

Oleast. Litigauit mihi Dominus.

Alii Ius dixit pro me.

CONCORDIA.

Verbum דן Dun iudicium exercuit, ius dixit, disceptauit, litigauit significat, hinc oritur lectionum varietas.

EXPOSITIO.

Ivdicauit mihi Dominus, quasi diceret, iudicium siue causam pro me egit, siue in fauorem meũ, sicut antea pro sorore eius dixerat, dans ei liberos, nunc & pro me illos mihi ex ancilla concedens, vel iudicauit me dignam filiis, *& exaudiuit vocem meam*, qua quotidie corã eo preces fundebam, vt mihi filios tribueret, *dans mihi filium* ex ancilla, quem tamen adoptans meum efficiam, *& idcirco appellauit nomen eius Dan*, Dan interpretatur iudiciũ, siue lis, scilicet mihi adiudicata est à Domino, porro à Dan dicta est ciuitas Dan, quæ prius Lais dicebatur. postea Paucas.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iudicium Dei etiam ad minima extenditur.

33 Ivdicauit mihi Dominus, nonne omnium iudex est? cur igitur specialiter ad tuam causam, Dei iudicium reuocas? vt eo nobis denotetur, Dei iudiciũ non omnia in communi respicere, sed etiã ad qualibet infima descendere *etiam ad minima* inquit Hier. ab Oleast. *iudicia diuina extendi credendum est.* Oleaster.

Cum coram Deo preces fundimus, quasi ex iustitia tribuere debet quod postulamus.

34 *Indicauit mihi Dominus*, id est mecum iuste gessit Deus, non est cur hoc nobis aperis Rachel, scimus enim Deum nemini iniustitiam inferre, inspiciamus verba subsequẽtia, exaudiuit vocẽ meã, vel vt habet Caldæus, suscepit orationem meam, cur postquam dixit quod Deus iuste se gesserat in sua causa, subiungit quod eius orationẽ exaudierit? quid enim habet commune iudicium Dei, cum deprecatione nostra? quæ connexio inter vtrumque? maxima equidẽ, nempe quod quasi ex iustitia nobis tribuit Deus quod ratione ab eo petimus: non dissentit Abul. *quando Rachel sterilis manebat, & petente ipsa prolem non exaudiebatur, videbatur Deus crudelis erga eam, nunc autem quia dedit prolem, dicitur iudicasse, id est iuste se habuisse condescendendo iustis precibus Rachelis, & ideo subdit, & exaudiuit vocem meam, quia quotidie deprecabar vt daret mihi prolem.* Abulens.

Etiã pro exiguo beneficio gratiarũ agenda actio.

35. *Indicauit mihi Dominus*, cur Deo tanquam æquissimo iudici refert gratiarum actionem? tu enim nec concepisti, nec peperisti, sed solum famulæ tuæ aduerte beneficium existimasse, quod ex ancilla liberos habuerit; merito igitur domino grata existit, quia etiam pro exiguo beneficio gratiarum est agenda actio, *habuit aliquomodo* inquit D. Chrys. hom. 56. *pariente ancilla vel breuem consolationem, ideo puero nomen imponit, & gratias agit Domino pro nato.* D. Chrysost.

Abiectum & inuidum fœminæ ingenium.

36 *Iudicauit mihi Dominus*, ex eo quod tibi filium ex ancilla tua dederat, Deo gratias egisti, nonne potius pro liberis concessis sorori tuæ, prudentius saperes, si grata fores, eosq; tanquam filios susciperes & amares? cur ergo ad ancillæ partum amandum & celebrandum te demittis? quia abiectum & vile fœminarum est ingenium, vnde optime Lippo. *quæsiuit Rachel vel mediocre sola tum, per Zelotypiam errorem contra sororẽ ex ancilla sua prolem ambiendo, cum iuxta sanguinis propinquitatem, sororis filios magis adamasse debuerit quam ancillæ.* Lippom.

Quanto quis maiorem Dei cognitionem possidet, tanto magis dolet de suis criminibus.

37. *Iudicauit mihi Dominus*, Rachel non potuit nisi ex Bala filios habere, quia contemplatiua de diuina essentia per se non valet aliquid perfecte speculari, & ita Deo filios procreat per quasdam imagines corporeas: de Bala igitur suscepit filium Dan, quem iudicium nominauit cur hoc nomine appellat prolem, cum mediante ancilla ad cognitionem diuinæ essentiæ peruenit? quia inquit Hug. Carens. *quanto quis maiorem de Deo notitiam habet, tanto distinctius iudicat de peccatis suis.* Hugo Caren.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII. & VIII.

Vvlg. Rursumque Bala concipiens peperit alterum filium.

Sep. Et concepit adhuc Bala ancilla Rachel, & peperit filium secundũ ipsi Iacob.

Vvlg. Pro quo ait Rachel, comparauit me Deus cum sorore mea, & inualui, & vocauit eum Nephtali.

Sep. Et dixit Rachel coassumpsit me Deus, & collocata sum cum sorore mea, & valui

Cald. Suscepit Deus deprecationem meam cũ deprecata sum in oratione mea, concupiui vt esset mihi filius, sicut sorori meæ, quod vtique concessum est mihi.

Pag. Luctationibus vehementibus luctata sum cum sorore mea, etiam præualui.

Caiet. Colluctationibus Elohim colluctata sum cũ sorore mea, etiam potui.

Oleast. Calliditatibus Dei callide egi cum sorore meã, etiam præualui, vel inuolutionibus Dei inuoluta sum, sorore mea.

Hiero. Alia littera habet, habitare me fecit Dominus habitatione cum sorore mea.

Rab. Menachẽ, coniunctionibus Dei coniuncta sum.

A'n duplicationibus Dei duplicata sum.

Rabi Salom. conatibus multis conata sũ sorore mea.

Aliqui etsi Lipp. legunt, subuersione Domini subuersa sum cum sorore mea.

Alij, Additione vel coniunctione Dei adiuncta sum cum sorore mea: imo excellui ipsam.

Lipp. Peruersitate insigni peruersa sum cum sorore mea.

Rabi David, verti me & conatum feci cum sorore mea, vt illam vincerem, tandemque inualui.

Varab. Vicissitudinib. Dei paria feci cũ sorore mea.

Alii habent, Luctationibus magnificis eximiis vel diuinis, luctata sum.

CONCORDIA.

NOn facilis est concordia tot versionum, tamen si recte intelligantur, non multum dissentiunt nam verbum פתל patal, modo sumitur pro peruertere, aliquando pro luctari, vel pro conari, vel distorqueri, cum autem Luctatores complicatione & distorsione membrorum, se inuicem subuertere conentur, calliditate magis & astutia, quàm virtute & robore, hinc est quod Oleast. legit calliditatibus egi callide, alij conatibus conata sum, cum autem פתיל patil fasciam seu vittam ex filis intertis, ligationem vel ligulam ex multiplicibus filis, qua quis alligatur, vel quæ alligatur, dicant aliqui significare, hinc est quod verbum פתל patal reddant per coniungere, vel addere, cum autem quis ligulam ex filis efficit, eam contorquet, hinc est quod alij interpretantur per intorquere. D. autem Hieron. existimat prædictum verbum significare, etiam comparare, itaut omnium harum lectionum posset esse sensus, Ego cum Lia fœcunditate & prolis gloria quasi contendi, & quasi colluctata sum, iamque callide eam amplius non parientem vici, dum pro me sterili ingeniose & astute ancillam meam fœcundam marito meo subrogaui, & ideo ei comparabor, quia si filios Iacob suscepit ex Lia, etiam ex me habuit mediante ancilla mea, quam in coniugem tradidi, cum autem aliqui putent nomen אלהים Elohim hîc non accipi pro Deo sed pro magnifico, eximio, vel aliquo excellenti, hinc est quod dixerunt, colluctationes magnificas, eximias, vel diuinas, Caldaica autem paraphrasis, quid diuersum ab alijs habet, & ad orationem deflectit.

EXPOSITIO.

COmparauit me Deus cum sorore mea, id est assimilauit me sorori meæ, in hoc quod iam habeo filios, scilicet ex ancilla, quamuis non naturales nec numero pares, cum natis illius, & inualui, id est desiderium meum adimpletum, cupieram enim saltem ex ancilla liberos habere, quod mihi contigit, & tam fœliciter, quod non vnum solum, sed iam duos susceperim, *vocauitque eum Nephtali*, quem ex diuersa significatione verbi Patal interpretati sunt, scilicet vel colluctantem, vel vafrum, vel tortuosum, aut inuolutum, vel comparatum, seu assimilatum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filij orationibus impetrandi sunt.

58 COmparauit me Deus cum sorore mea, Cald. suscepit Deus deprecationem meam, cum deprecata sum in oratione mea, nonne cum primum suscepisti filium ex ancilla tua, orationibus tuis datum fuisse asseruisti? cur igitur secundo habito idem repetis? vt doceret filios orationibus impetrandos & pro quolibet habendo orationem coram Deo fundendam, *in hoc notatur* (ait Abul.) *quod istos duos filios Rachel à Deo precibus extorserit.*

Abulens.

Vexatio dat intellectum.

39 *Comparauit me Deus cum sorore mea*, Oleast. calliditatibus magnis callide egi cum sorore mea, vnde nam Racheli hæc calliditas & versutia, vt filios habeat? famulam in vxorem tradat Iacobo? si enim fœminarum ingenium simplex, quomodo Rachelis astutum? nonne maxime augebatur ex infœcunditate? quid miraris igitur callide egisse? vexatio enim & necessitas dat intellectum *excitare solet*, inquit Oleast. *ingenium cupiditas vehemens, & etiam miseria, inuenerat fœmina subtilem valde modum ædificandi domum suam, nec de inuentione parum gaudet.*

Ridicula fœminarum iactantia.

40 *Comparauit me Deus cum sorore mea, & inualui*, quid ais Rachel, non solum æquiparatam te esse sorori tuæ, sed illâ longe excellentiorem & superiorem esse, ob ancillæ partum duplicatum asseris: quomodo in hæc verba prorumpis? nonne quatuor liberos suscepit Lia, tu autem nullum ex vtero, sed ancillæ? non est ergo cur glorieris: imo non solùm gloriatur, sed longe superiorem sorore sua se prædicat, vt quam ridicula sit mulierum iactantia agnoscamus, cû hæc de duobus ex ancilla filiis glorietur seseque hoc nomine audeat præferre sorori, quæ naturalis est quatuor liberorum mater.

Vir fidelis vxori infideli ad pietatem dux & magister.

41 *Comparauit me Deus cum sorore mea*, nonne Rachel sicut & Lia parentibus ethnicis genitæ, superstitionibus & impurissimis ritibus inanium deorum infectæ? quomodo ergo vnius Dei memores? nam pluries eum confessæ sunt, eiq; gratias retulerũt cõparauit me Dominus inquit Rachel sorori meæ, Lia autem, vidit Dominus humilitatem meam: imo Dei nomen in filiorum nominibus ad iugem recordationem beneficij inseruere, vnde Procop. quasi admirans ait, memoratu dignum est, quod vxores Patriarchæ vbique commemorãtur fideles & agnoscentes Deũ bonorum omnium authorem, Deus inquit vna, mihi dedit mercedem, altera vt prolẽ adipisceretur, precibus Deum sollicitauerat, quomodo à patriis ritibus, ad veram pietatem inductæ? nõne Iacob iustus & cultor virtutum? quid mirũ igitur, si ad veritatem vnius Dei conuersæ? vir enim fidelis vxori infideli ad pietatem dux & magister, quod D. Paulus annuit 1. Cor. 7. *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*, quæ verba exponens D. Bruno ait. *nam plerumque mulier sanctificata est accept a fide per virum fidelem, inde docentem eam.*

1. Corint. 7.

D. Bruno.

Nec mulier quàmuis male morigera, si velis, te à salute tua auocabit.

42 *Cõparauit me Deus cum sorore mea*, ex cognitione & confessione vnius Dei collegit Procop. fidelẽ fuisse, cum edocta fuisset viri sui sanctitate, pietate & exẽplo, sed quomodo Rachel mariti cõsilio inducta, omni quã cum lacte ebiberat, exuta impietate veram Dei religionem tã facili negotio suscepit, non autem maritus impiæ vxoris, quam vnice amabat, periculoso commercio in barathrum impietatis cum illa pariter fuit prolapsus, nonne primus parens vel ad vnam vxoris vocem persuasus, Deum, Deique gratiam

gratiam & paradisum amisit? & sapientissimus mortalium Salomon, Ethnicarũ vxorum amoribus inescatus, ac præstigijs deceptus, miserandum veræ sapientiæ ac pietatis idolis inseruiẽs, fecit naufragium? quomodo ita fortis Iacob in pulcherrima vxoris specie ad impietatem nõ fuit adductus? quomodo illius captus pulchritudine, ipsius patris impietate ritibusque non fuit irretitus? vt inde discas quod nec mulier, si vere sis religiosus, neque fidelis seruus, quamuis male morata, si velis a salute consequenda non te auocabit quod his verbis Clem. Alex. 3. pæda. cap 7. expressit *incedendum est vt conuenienter verbo ingrediamur & si qua adsit vxor & filij domus, nequaquam est onus, qua cum prudenti viatore migrare didicerit*, quasi diceret, si quis pater familias vere fidelis fuerit, non modo coniugii nullum sentiet onus, nec obstaculum ad virtutem & animæ salutem, sed sese viatorem ac peregrinum in hac vita gerens, vxorem nec non liberos pariter ad cœlum atque ad Deum deducet.

VARIETAS LECTIO. VERSVS IX.

VVLG. Sentiens Lia quod parere desisset Zelpham ancillam suam marito tradidit.

Sep. Vidit autem Lia, quia steterat à pariendo & sumpsit Zelpham ancillam suam, & dedit eam ipsi Iacob vxorem, *sic Heb. & Cald.*

CONCORDIA.

NEscio cur noster vulgatus omisit tradidisse Liam ancillam suam Iacobo in vxorem, cum in Heb. Cald. & Sep. ita legatur, nisi quod præsupponat aliter Iacobum non recepturum ancillam, nisi in coniugem, sicque facile id aperire omiserit.

EXPOSITIO.

S*Entiens Lia quod parere desisset*, videns se plurimos iam menses, præter pristinum morem non concipere, timens ne mutata sorte ipsa sterilesceret, Rachel autem ope ancillæ suæ filiis abundaret, institit orare coniugem, vt ne se in deteriore conditione haberet quam sororẽ, & si quid de ipso bene merita esset, cui quattuor liberos procreasset, ancillam suam Zelphã loco suo substituere ne grauaretur. vt sic via panderetur implendis Dei promissis de semine eius, stellarum & pulueris instar multiplicando, non tam habiturum ipsum nouam coniugem, quam veterem renouatum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iisdem artibus quibus alios fallimus, aliquando decipimur.

43 S*Entiens Lia quod parere desisset, Zelpham marito tradidit*, nonne ò Rachel gloriabaris te superiorem sorore euasisse, teque callide & fraudulenter cum ea egisse, cum ancillam tuam Iacobo in vxorem tradidisti, vt sic ex ea, filios haberes? quomodo soror similem astutiam adinuenit, quomodo etiam famulam tradit in vxorem, sicque filios ex eo habet? sane vt cognoscamus, quod iisdem artibus quibus alios fallimus, aliquando decipimur, *artibus nostris nonnunquam* ait Oleast. *inimicos instruimus & nonnunquam dolosus capitur arte qua alium capere voluit.*

Oleaster.

Quando veri prædicatores non inueniantur mercenarij non fugiendi.

44 *Videns Lia quod parerẽ desiisset, Zelphã tradidit marito*, per Liam, Ecclesiam intellexit Rupertus, sed qua de causa, cum filios amplius suscipere non potest, nec Iacobo procreare, tradidit ei ancillam, cum ancilla sit mercenaria? *quia Ecclesia*, inquit Stepha. Cant. cita. in alleg. Tilm. *quãdo per veros prædicatores non potest habere filios, placet vt per mercenarios habeat, Zelpha enim os hians interpretatur, & tales, os amplum quãdoque habent ad prædicandum, & si per auaritiam habeant, cor constrictum, hoc est quod Apost. dicit, siue ex occasione, siue ex veritate, Christus annunnietur, in hoc gaudeo, & gaudete.*

Steph Cantuar

VARIETAS LECTIONVM VERSVS X. & XI.

VVLG. Quæ post conceptum edente filium.

Sept. Et intrauit ad eam, & concepit Zelpha ancilla Liæ, & peperit ipsi Iacob filium.

VVLG. Dixit fœliciter; & idcirco vocauit nomen eius Gad.

Sep. Et dixit Lia, fortuna, & cognominauit nomen eius Gad.

Cald. Et dixit Lia venit fœlicitas.

Pag. Et dixit venit prosperitas.

Caiet. Venit sors.

Oleast. Et ecce exercitus.

Rabi Dauid, Venit qui augeat turmam.

Rabi Salo. Venit sidus bonum.

CONCORDIA.

VBi legimus fœliciter Hebraice est בגד begad quod dupliciter legi & verti potest, primo diuisim בא גד ba gad, idest venit exercitus vel turma, vel accinctus, admodum militis גדד gadad enim significat cōgregare, siue cogere exercitum, aut ducere exercitum vel turmam, & ita sensus Liæ, tantam filiorum copiam habeo, quod possent exercitum construere, secundo legitur coniunctim, vti passim legunt Hebræi codices בגד begad idest in fortuna, siue fortunate, vel cum prosperitate, siue fœlicitate, vnde & Rabi Sal. vertit venit sidus bonum, siue planeta bonus, quasi diceret, affulsit mihi benignius astrum, breuiter ergo sic concordem versionum varietatem efficies, dicens quod cum gad proprie significet accinctum, siue procinctum scilicet militem, siue exercitum, inde translatum est ad Martem militiæ Deum, qui cum crederetur à Gentilibus præbere bonam victoriam, fortunam, & spolia militibus, hinc est quod pro gad septuaginta verterunt ἐν τύχῃ in fortuna vel euentu fœlici.

EXPOSITIO.

QVa post conceptum edente filium, persuasus est Iacob, & suscepit preces Liæ, & quartæ mulieris factus est maritus, nulla id tum lege prohibente, & consuetudine permittente facta diuinitus vt creditur à diluuio dispensatione circa illam legem erunt duo in carne vna, Zelpha igitur facta Iacobi vxor quam primum concepit.

Dixit fœliciter, idest prospere mihi contigit, quod ancillam meam tradiderim Iacobo in coniugem, sic enim iam filium adoptiuum ex ea consequuta sum, *vocauit nomen eius gad*, quem vt vidimus diuerse plures interpretantur, nos autem dicemus quod denotat fœlicitatem, quasi diceret, nomen illius erit fœlix euentus, vel prosperitas.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Inter coniugatos rixarum occasio adimenda.

45 QVa post conceptum edente filium, cur ô Iacob hanc tibi traditam accepisti quartā vxorem, cum quatuor tibi nati sunt ex Lia filij? nam ideo precibus Rachelis acquieuisti, quia carens liberis & infœcunda, Lia autem mater quatuor iā est facta, renuce ergo petitionem Liæ, quæ tibi ancillam in vxorem exhibet: aduerte quod si Iacob precibus Liæ nō obtemperasset, conquesta de eo fuisset quod maiori amore sororem suā prosequeretur, cū ancillam precibus suis in coniugem accepisset: prudenter igitur etiam hanc quartam persuasione Liæ admittit, vt omnem rixarum occasionem adimeret: *istā quartam vxorem* (inquit Abul.) *non desiderauat nec petebat, nec etiam ad preces Liæ suscepisset, quia iam Lia cōceperat filios quatuor, nec erat ei necesse concipere ex ancilla, sed suscepit eam ne odij & dissentionis materia oriretur, quia diceret Lia ego sum infœlix, ego sum despecta, quia ad preces sororis meæ suscepit vir meus ancillam in vxorem, ad preces autem meas suscipere noluit.*

Abulens.

Sensualitatis appetitus reprimitur, si imaginationis euagatio coerceatur.

46 *Quæ post conceptum edente filium*, cur prius ancilla Rachel tradita est sub potestate viri, quam famula Liæ, vt filios pareret? nonne diximus Rachelis ancillā denotari imaginationem, sicut famulam Liæ sensualitatem? bene igitur prior Bala redigitur sub viri dominio, quam Zelpha, quia nisi imaginationis euagatio coerceatur, difficillime sensualitatis appetitus reprimitur, quod docet Rich. à S. Vict. lib. qui dicitur Beniamin minor ca. 27. *prius semper est vt redigatur ancilla, ne a fit per inutiles cogitationes, prius nō reprimitur absque dubio sensualitatis appetitus immoderatus, minime temperatur, qui igitur vult corporalium voluptatum desideria temperare, prius assuescat carnales delitias nunquam vel saltem raro cogitare profecto nanque quanto talia rarius cogitauerit, tanto rarius, tanto tepidius nimirum ea desiderabit, hæc ni fallor est causa cur sub virili dominio prior incurnetur Bala quam Zelpha.*

Rich. Victor.

Filij sunt tanquam exercitus ad tuendam pacem tum domi, tum foris.

47 *Dixit fœliciter*, Oleaster *ecce exercitus*, cur ita vertis? quid habet puer recenter natus commune cum exercitu? nam puer viribus debilis, pro armis solum vagitum habens, exercitus autem constat fortissimis militibus, omni armorum genere præcinctus, omnibus formidolosus, sed nonne ad tuendam pacem ordinantur milites? merito igitur Lia secundum versionem Oleastri, filios, exercitum dixit, quia maxime cōducunt liberi, ad tuendā tam domi quàm foris pacem, *non solum ad pacem* inquit cit. Hier. ab Oleast. *sed ad tuendam patriam & patrios mores nutriendi filij.*

Oleaster.

Mali vitiorum habitus non facile exuuntur.

48 *Dixit fœliciter*, Sep. *fortuna*, nonne fortuna pro numine celebratur ab Ethnicis, iam autem in pietate & vnius Dei cultu instructa erat, cur ergo adhuc fortunam nominat? non id tibi mirum videatur nam licet à Iacobo iam edocta, ritus impios idolorum cum vera vnius Dei religione commutauerit, non tamen à vestigio antiquæ vitæ atque infidelitatis omnem labem næuumque abstersit, supererant priorum sordium aliqualia signa, cuiusmodi est aut Martis aut Fortunæ appellatio. Fauet D. Theod. qu. 86. *verbum prospera fortuna non est verbum Iacob sed vxoris eius Liæ quæ vt dixi in impietate erat educata & parum in diuinis instituta*, quis enim cum à vitiorum cœno, ad virtutis puritatem sese reduxit, nullum in se prioris fœditatis vestigium retinet? quis à diabolo ad Deum transfugiens, sic illius nuntium remisit vanitatibus, vt ne veniali quidem labecula inspersus, esse videatur?

S. Theod.

Licet

Licet caro per abstinentiam affligatur, tamen inde fœlicitatem consequitur.

49 *Dixit fœliciter*, cur ita fœliciter te prædicas in vnius susceptione filij? Richard. Doctor in lib. qui dicitur Beniamin minor cap. 25. per hunc filium abstinentiam intelligit. Sed cum abstinentia corpus nostrum affligatur, & vbi est afflictio, ibi non est fœlicitas, cur ergo habens hunc filium, fœlicem se dicit? recte fœliciter exclamat, *quia licet per abstinentiam,* (inquit cit. auctor) *caro affligatur, ad magnam, inde pacem & tranquillitatem animus componitur*, quid enim nobis aliud consulunt oracula diuina nisi corporis mortificationem.

VARIETAS LECTIORVM VERS. XII. & XIII.

VVLG. Peperit quoque Zelpha alterum,

Sep. Et concepit adhuc Zelpha ancilla Liæ, & peperit ipsi Iacob filium secundum.

VVLG. Dixitque Lia, hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres, propterea appellauit eum Aser.

Sept. Beata ego, quia beatificabunt me mulieres.

Cald. Laus mihi erit, quoniam laudabunt me nunc mulieres.

Pag. Et beata dicar, quia beatam me dicent filiæ.

Caiet. In beando me, quia beabunt me filiæ.

Oleast. In rectitudine mea, quoniam rectificabunt me filiæ.

Arias. In fœlicitate mea, quia beatificabunt me filiæ.

CONCORDIA.

TAm variæ tribuuntur ab Hebræis & nostris significationes verbo אשר Assar & nomini אשר asser, vt difficile quænam sit illius germana, assequi possimus: sed vt breuiter concordiam versionum assignemus, radicem illius inuestigabimus, tenet Oleaster aser à radice ישר iassar deriuari, quod est rectum esse, seu rectificare, vnde fit quod ipse vertat in rectitudine, alij autem ab אשר asar, quod fœlicitauit, beauit, beatam prædicauit, interpretatur, hinc est quod dixerunt in vel, cum vel, propter beatitudinem meam, be enim pro his omnibus sumitur ponitur autem in hebræo verbum præteritum אשרוני isserum beatificauerunt me. pro futuro beatificabunt.

EXPOSITIO.

PEperit quoque Zelpha alterum, sine dubio Lia videns sororem duos filios adoptiuos habuisse ex ancilla, non contenta vnico ex suis persuasit marito vt iterum ancillæ copularetur, sicque iterum grauida alterum filium peperit.

DIxitque Lia hoc pro beatitudine mea, quasi diceret, propter hunc filium, qui mihi est sextus, beatam & fœlicem me arbitror, beatam quippe me dicent mulieres, quæ se fœlices existimant ex filiorum multitudine, & ideo ab eis beata prædicabor, propterea appellauit eum Aser, id est rectitudo, si versionem Oleastri, si autem communem, beatitudo, recipias.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Prius ad bona propria temperantes simul vt ad toleranda aliena mala simus patientes.

50 PEperit quoque Zelpha alterum, quem Aser nominauit, cit. toties Richard. Vict. cap. 25. loquens de gemina prole Zelphæ ait, si per Zelpham sensualitatem debemus accipere, quam aliam quæso virtutis prolem potest ipsa gignere, nisi vt discat & in rebus prosperis temperanter viuere, & in aduersis patientiam habere, isti sunt Gad & Aser duo filij Zelphæ rigor scilicet abstinentiæ & vigor patientiæ, sed cur prior natus dictus est Gad, posterior autem Aser? *quia* inquit, *prius est vt temperantes simus ad bona propria, postea etiam vt fortes simus ad toleranda mala.* Richar.

Mulier se beatam arbitretur, si ex viro iusto plures suscipiat filios.

51 *Beatam me dicent mulieres*, ex eo quod iam quatuor filios habens naturales, duos adhuc adoptiuos ex ancilla susceperim, ergo mulieres impiæ, quæ plurimorum libertorii matres sunt fœlices se prædicabunt, & tales ab omnibus censebuntur, quod nō exigua dementia est, cum impietas & fœlicitas simul nō sint passibiles, cur ergo Lia beatam se prædicat, habens sex filios? nō ex numero filiorū fœlicem se arbitratur, sed quod eos à viro iusto qualis erat Iacob, susceperit, ita Dio. Carth. *cum non sit rarū nec valde magnū vt vna mulier habeat quatuor filios naturales legitimos, duosque adoptiuos, imo cū multæ & pessimæ mulieres habeant filios mul o plures, cur Lia pro his sex filiis dici se à mulieribus beatificandā? respondetur inquit quod ipsa cognouit viri sui virtutes, & quod primogenita fuerunt ei collata, benedictionesque Abrahæ & Isaac desuper factas in Iacob esse adimplendas, ideo magnum valde imputauit habere ex eo tot filios, seque ob hoc beatificandā à mulieribus fidelibus hoc ipsum scientibus.* Dion. Carth.

Qui virtutem patientiæ possidet, non solum mala non timet sed de eis quasi lætabundus exultat.

52 *Beatā me dicēt mulieres & vocauit nomē eius Aser*, qui beatus interpretatur, Ricard Vict. lib. qui dicitur Beniamin minor c. 25. per Aser, qui est filius Zelphę dicit intelligi vigorē patientiæ, quo habito Zelpha

quæ est sensualitas, pronuntiat, dicens hoc pro beatitudine mea, mea inquit non sua, vnde enim sensualitas per carnem exterius atteritur, vnde cordis affectio ad puritatis integritatem reparatur, sed quomodo Lia quæ per Aser exercetur in malis tolerandis, potest se fœlicem dicere? quomodo beatam prædicabunt, quam tot mala ferentem contemplantur? imo tenemur ita celebrare; quia qui virtutem patientiæ possidet, non solum mala non timet, sed de eis illatis exultat. Sic cit. auct. *quid de huius mundi aduersis timeat, qui virtute patientiæ roboratus de illatis etiam malis triumphat? sicut de Apostolis scriptum est: ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliã pati Act. 5. & sicut per Paulum præcipitur Rom. 12. in tribulatione gaudentes, quid igitur illius gaudium imminuat qui etiam de illata contumelia vel qua libet pressura exultat? ad beatitudinem ergo animi spectat quidquid pro Dei amore caro durum tolerat, vnde enim corpus atteritur, conscientia exhilaratur, & quo exterius videtur infœlicior, eo interius constat esse beatior.*

Richard Vict.

Rom 12.

Act. 5.

Nisi vel tormenta vel præmia æterna consideremus, nec de abstinentia delectationum vel malorum patientia curaremus.

53 *Beatam me dicent mulieres & vocauit nomen eius Aser*, alium antea habuerat, quem Gad nominauerat, sed hos filios incipere voluit, quia sororem, alios duos nempe Dan & Nephtalim, habere conspexit, tunc inquiro mysticè, vtrum Lia sollicita esset hos duos liberos adoptiuos habere, si Rachel duos priores non procreasset? dices, quid? sed obseruemus quarto, ex Ricard. cap. 18. cit. lib. quod ad Dan specialiter pertinet consideratio futurorum malorum, ad Nephtalim autem speculatio futurorum bonorum: quo posito dicamus quod Lia non curaret habere filios adoptiuos Aser & Gad, nisi prius Rachel Dã & Nephtalim suscepisset, quia nisi tormenta futura, vel præmia æternæ vitæ ante oculos haberemus, nec de abstinentia delectationum vel malorum tolerantia curaremus. Sed hoc præstat audire à cit. Richardo cap. 27. *patet quod de Gad & Aser abstinentia videlicet & patientia nunquam adoptiuos filios faceret, nisi sororis sua Rachel adoptiuam sobolem assidue cerneret: quis enim vnquam affectioni cordis posset persuadere mundi huius prospera contemnere & eius aduersa non formidare, nisi suggerentibus Dan & Nephtalim futura vitæ tormenta vel præmia æterna non solum frequenter, imo pene indesinenter rogeretur aspicere? nunc autem per assiduam considerationem futurorum malorum facile ei persuadetur contemptus præsentium bonorum, & iterum per iugem contemplationem æternæ fœlicitatis inflammatur ad voluntariam tolerantiam pressuræ temporalis.*

Richardus.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIV.

Vulg. Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mãdragoras, quas matri Liæ detulit. dixitque Rachel, da mihi partem de mandragoris filij tui.

Sep. Iuit autem Ruben in die messis triticeæ, & inuenit poma mandragorarum in agro, & attulit ea ad Liam matrem suam.

Oleaster Reperit Lilium album, *sic etiam Georg. Venet. prob.* 215.

CONCORDIA.

VOx Hebraica דודאים Dudaim non significat Lilium, vt visum est Oleast. & Georg. Veneto sed mãdragoram, vt habent omnes Græci & Latini codices, cum enim ea vox nusquam alibi reperiatur nisi hoc in loco, & Cant. 7. cum dicitur mandragoræ dederunt odorem suum, vtrobique Septuaginta interpretes verterunt mandragoram, erant autem illi Hebreæ linguæ doctissimi, & nomina herbarum, arborum & animalium terræ suæ, vt sacris libris commemorata, optime nouerant, sed obijciunt cit. Oleast. & Georgius mãdragoram non esse odoratam quod tamen per dudaim scriptum est Cant. 7. sed eis opponatur auctoritas S. August. lib. 22. contra Faust. qui visu, olfactu, gustuque naturam mandragoræ periclitatus, affirmat eam suaueolentem esse Septuaginta vbi habemus דודאים Dudaim legunt *μῆλα μανδραγορῶν* poma mandragorarum, vt quod de toto frutice diceretur ipsi ad partem reducerent.

EXPOSITIO.

E*Gressus autem Ruben*, qui iam grandæuus erat, qui forte ludens cum aliis pueris, iuit in agrum *tempore messis triticeæ*, ad discrimẽ messis hordeaceæ quæ primo fiebat, *reperit mandragoras*, mandragora est herba folia lata habens, pomaque inter folia sita, odorata quidem & coloris cethriæ, radices continet ternas, quæ mutuis complexibus comunguntur, quas Liæ matri detulit. existimans aliquid preciosum inuenisse matrique iucundum, *dixitque Rachel* nempe Liæ, *da mihi partem de mandragoris filii tui* non leuis est difficultas, cur tantopere has concupierit Rachel mandragoras: Cosmas Damianus cit. a Mich. Gisler in cap. 7. Cant. vers. 13. cum ipse non dissentit tenet hanc herbam fructusque illius ad amorem spectare, amoremque cõciliare, forte igitur hac ratione voluit Rachel has habere mandragoras, quibus amorem mariti sibi magis conciliaret, qui propter suam sterilitatem parumper sibi aduersus erat: alij opinantur pomũ mandragoræ acceptum in escam sterilibus fœminis fœcunditatem afferre, & idcirco putant tantopere institisse Rachelem sumere, id à Ruben filio Liæ cupiditate videlicet pariendi: sed instabis mandragora est frigidissima, ergo non prodest sed obest conceptui, respondet Leuinus Lemnius lib. de Herbis sacræ script. cap. 2. mandragoram, quia frigidissima est, in frigidis regionibus, sterilitatem causare, sed in calidis & torridis, qualis est Iudæa & Mesopotamia, in qua habita-

Cosmas Dam.

habitabat Iacob & Rachel efficere fœcunditatem, quia æstum & siccitatem vteri temperat, & humectat: tandem D. August. libro 22. contra Faust. cap. 56. existimat mandragoras à Rachele expetitas, non ad conceptum, sed ad pomi raritatem & odoris iucunditatem, ergo arbitror quod quamuis mandragora hanc virtutem fœcundandi non haberet, communem tamen apud mulieres fuisse opinionem huius virtutis, & ideo eam expetisse Rachel vt facile concipere posset.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mulieres odorum amantissimæ.

54 D*A mihi partem de mandragoris filij tui*, cur tantopere mandragoras à puerulo inuentas concupiscis? loquimur in opinione eorum qui dicunt ineptas esse conceptui: nonne id feret soror molestè, & ægre tuo acquiescet desiderio? aduerte odoriferas esse, iuxta illud Cant. 7. mandragoræ dederunt odorem suum: ne inquiras ergo, cur ita eas ardenter expetierit, quia mulieres odorum suauissimorum sunt amantissimæ. Fauet D. Cypria. prol. lib. de operibus cardi. *Rachel*, inquit, *ad odorem non ad esum Liæ mandragoras concupiscit.*

S Cypr.

In humana opulentia etiam paupertas.

55 *Da mihi partem de mandragoris filij tui*, nonne Rachel apud Iacobum, cui gratissima & acceptissima erat, lautioribus epulis abundabat? vel si eius erant insipidæ, nonne alia magis odorifera possidebat? cur igitur minoris odoris requirit mandragoras? respondet Oleast. *quia quidquid pauperes habent, volunt sibi diuites habere, & si propriis bonis indigentes ditescere velint alienis, & in opulentia pauperes se faterentur.*

Oleaster.

Inuidia vitium muliebre.

56 *Da mihi partem de mandragoris filij tui*, nonne tibi alia sunt domi odorifera? munus à puero suo oblatum Liæ relinque, delectantur enim matres infantulorum munusculis; nihilominus eas appetit, nec patitur sororem eas possidere integras, forte ex inuidia muliebris animi vitio, quod obseruauit Hier. ab Oleast. *mulieres est fœmina quæ etiam minimis inuidet.*

Cit. Losit.

Fama acquirenda ex labore bonæ operationis.

57 *Da mihi partem ex mandragoris*, nempe ex illis quas Ruben in agrum egressus, inuenerat: existimat Hug. Carent. Ruben, qui interpretatur filius visionis, designare prælatum, qui debet esse filius visionis non cæcitatis, vt multi de quibus Isa. speculatores eius cæci omnes nescierunt, vniuersi canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia. hic Ruben, nempe prælatus egreditur in agrum, per prædicationem, & tunc colligit mandragoras: quid est quod prælatus cum labore prædicationi insudans, inuenit mandragoras? dicimus eas esse insipidas, tamen odoriferas: respondet ergo cit. Carent. *ideo inuenit in agro mandragoras quæ sunt poma insipida, sed odorifera, hoc est odorem bonæ opinionis quæ prouenit ex labore operationis.*

Isa. 56.

Timere Deum propter seipsum, homines autem propter eum debemus.

58. *Da mihi partem de mandragoris*, de quibus? de illis quas Ruben in campum egrediens, inuenit, sed cum dixerimus Ruben timorem designare, cur nunc egreditur? cur intus non egrediens permanet? si enim timor est, foras, vbi tot sunt pericula, progredi non deberet: merito tamen & aliquando intus est, & aliquando foris est Ruben, *quia quando in secreto cordis*, inquit Rich. Vict. lib. toties cit. cap. 28. *in conspectu Dei de nostra conscientia trepidamus, tunc Ruben est intus, tunc autem foras exit, quando propter Deum hominibus etiam nos ad obedientiam inclinamus, timere itaque Deum propter seipsum, homines autem propter Deum, est Ruben nunc intus morari, nunc foris inuenari.*

Richard.

Ex voluntaria abstinentia & patientia ad omnem obedientiam inclinamur.

59. *Da mihi partem de mandragoris*, quas Ruben egressus in agrum reperit, per Ruben in campum egredientem ex imperio patris, intelligit cit. Rich. hominem timore Dei affectum, sed iam obedientem, operibusque iustitiæ ex obedientia vacantem, sed cur solum natis Gad & Aser dicitur Ruben egressus in campum: quia tunc quod libet imperium amplectitur, & perfecte obtemperamus, cum à rebus terrenis abstinemus, & mala toleramus, *si semel animus* inquit prædictus doctor cap. 28. *amore abstinentiæ vel patientiæ perfecte incaluerit, protinus Ruben ad omnem obedientiam absque vlla contradictione se subdit, qui enim tam aduersa perpeti, quam in prosperis non delectari, apud semetipsum statuit, quæ difficultas eius obedientiam vlterius minuere poterit? si enim dura quæque & aspera pro Dei amore etiam per memet ipsum appeto, cur non magis hæc ex adiuncta obedientia ad maioris meriti gloriam tolero? recte ergo post natum Gad & Aser Ruben exire dicitur, quia timor Domini ex voluntaria abstinentia & patientia ad omnem obedientiam roboratur.*

Cit. Richard.

Difficile laudibus non collætamur, vel bona æstimatione nostra non tangimur.

60. *Da mihi partem de mandragoris filij tui*, tot necerant mandragoræ oblatæ à Ruben, matri suæ, vt cas omnes sibi dari non petierit? cur solum partem mandragorarum, & non omnes postulas? aduerte per eas, quæ odorem suum late solent spargere, bonæ opinionis famam debemus accipere, quas quidem tunc Lia accipit, quando oblata laus affectum tangit, quando in laudis suæ præconiis animus afficitur, & in aura popularis fauoris iucunde delectatur, quo posito recte dicemus ideo non omnes, sed partem mandragorarum solū à sorore Rachelē petiisse, quia sciebat difficile cedere debere in totum mandragoris, quæ bonam opinionem vel laudem humanam denotant, nam vtraque quilibet desiderat, responsio est prædicti Richard. cap. 29. *notandum*, inquit, *quam temperata Rachel non mandragoras sed mandragorarum partem petat, nam nec hoc tamen in Lia est, valde esse difficile vt animus quamuis renuens ex oblata laude non hilarescat.*

Ricard à S. Vict.

Vera laus est de recta voluntate, quæ per opus bonum innotescit.

iuriæ propriæ quales quæ ab Esau & Laben illa tæ fuerant Iacob, ferendæ sunt, non autem quæ Deo inferuntur, sic noster Lyr. exponens illud Iob, *quasi vna de stultis mulieribus locuta est, dixerat autem blasphemans benedic Deo & morere*, sic autem ait, *vir sanctus quamuis afflictiones proprias patienter sustinuerit, tamen iniuriam Dei absque reprehensione sustinere non potuit, quia iniuriæ propriæ sunt tolerandæ, diuinæ autem vendicandæ.*

Lyran. Iob. 2.

Pœna superbæ mulieris sterilitas.

22. *Cui iratus respondit, num pro Deo sum ego qui priuauit te fructu ventris tui?* cur aīs à Deo fructu ventris tui, idest liberis priuatam fuisse? vel cur Deus potius infœcundam Rachelem quam Liam effecit? aduerte Rachelem ob eximiam suam pulchritudinem intumuisse: ne inquiras ergo cur Rachel sterilis reddita, quia pœna superbæ mulieris est infœcunditas. Fauet Pacius ann. 1. text. 3. in cant. Ezech. *agnoscens sapiens Iacob*, inquit, *sterilitatem Rachelis loco pœnæ fuisse irrogatam à Deo, quod Rachel superba ob pulchritudinem, & quod flagrantissime diligeretur à marito, aspernabatur sororem Liam, &c.*

Pacius.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS III.

VVLG. At illa, habeo inquit famulam Balam, ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios.

Sep. Ecce ancilla mea Bala, intra ad eam, & pariet super genua, & filios faciam ego etiam ex ea.

Pag. Et erit etiam mihi filius ex ea.

Vatab. Et filiabor.

Oleast. Ædificabor ego etiam ex ea.

CONCORDIA.

בנה Banah propriè ædificare denotat, sed Metaphoricè dicitur de liberorum procreatione, hinc est quod aliqui verterunt ædificabor, alii filiabor, siue erit mihi filius ex ea.

EXPOSITIO.

HAbeo famulam Balam, quæ forte non laborat sterilitate, *ingredere ad eam*, tanquam ad vxorem minus præcipuam, cognosce eam carnaliter, *vt pariat super genua mea*, idest vt pariat filios quos postea super genua mea, & in gremio meo, & in sinu suscipiam, quasi filios vt pote adoptiuos.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Tanta est mulierum propensio ad filios suscipiendos, vt cum naturales habere non possint, saltem adoptiuos desiderent.

23. HAbeo famulam Balam ingredere ad eam, si Zelo quodam ducuntur fœminæ erga viros, ne alias agnoscant mulieres, quomodo adeo libenter Rachel Balam tradidit viro suo in coniugem? nonne erat Rachel sterilis? ne mireris igitur ancillam suam tradidisse Iacob in vxorem, quia tanta est mulierum propensio ad filios suscipiendos, vt cum naturales habere non possint, saltem adoptiuos desiderent, *mirabilis erat quondam*, inquit Oleast. *in fœminis prolis amor, quæ ex ancillis filios suscipere volebant, quando ex se non poterant.*

Oleast.

Cum iustè arguimur taceamus.

24. *Habeo famulam Balam ingredere ad eam*, nonne iratus est tibi Iacob ô Rachel? nonne te seuere arguit, cum ab eo liberos peteres? cur igitur non solum non indignaris, imo hoc ei beneficium præstas, vt aliam habeat vxorem ex qua filium suscipiat? aduerte iuste reprehensam fuisse Rachelem à Iacob, non enim ab eo, sed a Deo filios petere deberet: prudenter igitur tacet speciosa Rachel, quia cum iustè arguimur patienter sustinendum, *Videns Rachel*, inquit Abulens. *quod iuste Iacob responderat ipsi murmuranti, sic petenti redargutionem factam patienter tolerauit.*

Abulens.

Ita solatii sumus cupidi, vt saltem aliquod optemus exiguum, si maius consequi non possumus.

25. *Habeo famulam Balam ingredere ad eam*, quamuis ad illam ingrediens Iacob ipsa, concipiat & pariat, sterilitatene carebis, & fœcundane efficieris? minimè, cur ergo famulam in vxorem Iacobo tribuis, vt ex ea suscipiat filios? dices vt filii futuri sint mei, non naturales, sed adoptiui, sicque aliquomodo solabor ex sterilitate, cum aliud consequi solatium non valeam, *vt didicit Rachel*, ait Chrysost. *quod sterilis facta esset à Deo, & videns se liberis carere, vel mediocre solatium requirens, dicit ad Iacob, quoniam nunc me docuisti, quod non culpa tua liberis cares, ancillam meam accipe, filiosque procrea ex ea, vt parum aliquod solatium inuenire possim, mihi vendicans eos qui ab ea nascuntur.*

Chrysost.

Ita magnus est dolor in muliere nupta cum prolem non habet, vt omnes alias cogitationes absorbeat.

26. *Habeo famulam Balam ingredere ad eam*, cur tuū cum ancilla vis honorem communicare? nonne didicisti quod Agar videns se ex Abraham concepisse, Dominam superba despexit? nonne tibi idem cōtingere potest? nam Bala cum se fœcundam ex consortio

sortio Iacob conspexerit, te tanquam sterilem fortè contemnet, aduerte nimium fuisse oppressam afflictione ex infœcunditate, & ita assero non cogitasse, nec de superbia, vel contemptu famulæ suæ, fortè futuro, quia ita est ingens dolor in muliere nupta, cum liberis caret, vt omnes alias cogitationes absorbeat. *dedit illi*, testatur Salian. in suis annalibus anno mundi 2286. *Balam in coniugium & suum cum ancilla honorem communicauit, vt fœcunditatis eius quodammodo particeps fieret, nec timuit ne illa insolesceret, vt Agar, quia ita ægritudo animi cæteras omnes curas, cogitationesque absorbebat.*

Salianus.

Sapientia rerum diuinarum præditus, contendere debet exprimere auditoribus quod dicit.

27. *Habeo famulam Balam, ingredere ad illam*, an tuç remedium infœcunditati adhiberetur, ex iam ceptis filiis ex ancilla? minime, ne igitur Balam tradas Iacobo in coniugem, diximus per Rachelem studiû sapientiæ intelligi, per Balam imaginationem, qua visibiles formæ & corporeæ repræsentantur, rectè ergo Rachel tradit ancillam Iacob, vt ex ea filios procreet, quia sapientia rerum diuinarum præditus, contendere debet exprimere auditoribus, quod dicit, quod efficit mediante Bala parturiente, ita obseruat Petrus Dam. opusculo 60. cap. 28. *Rachel maluit vtcumque filios ex ancilla suscipere, quam omnino sterilis permanere; quia doctrina sapientia siue gratia contemplationis per exteriorem scientiam siue visibilium rerum formas auditoribus intimat quid sibi de inuisibilibus intra arcana occultat, & sic quodammodo per ancillam filios accepit, dum per eam quasi sub secretis scientia, spirituales Deo filios parit.*

Petrus Dam.

VARIETAS LECTIONUM VERSUS IV. & V.

VVLG. Deditque ei Balam in coniugium.

Sept. Et dedit ei Balam ancillam suam ei vxorem, & intrauit ad eam Iacob.

VVLG. Quo ingresso ad se viro concepit, & peperit filium.

Sep. Et concepit Bala ancilla Rachel, & peperit ipsi Iacob filium.

Pag. Et ingressus est ad eam Iacob, & concepit Bilhac, & peperit ipsi Iacob filium.

EXPOSITIO.

Dedit illi Balam, quam acceperat à patre in famulam, *in coniugium*, non in concubinatum, vti ab aliquibus in malam partem sumitur, eam enim ei tradidit tanquam legitimam vxorem, licet minus præcipuam.

Ingresso ad se viro, ingredi ad mulierem est ad morem Hebræorum generationi incumbere, ob verecundiæ studium, sic loquentium, quod secreto fiat, & quidem videtur ex more illarum gentium atque ætatum orta locutio, quia scilicet moris erat, vt vir ad fœminam non hæc ad illum ingrederetur: in nuptiis quidem in lecto prior fœmina collocabatur, & deinde vir ad eam in tenebris accedebat.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Viri coniugum suarum cum licitè possunt, desideriis satisfaciant.

28. Deditque illi Balam in coniugium, nonne duæ tibi vxores sufficiunt? nonne satis onus graue est bona coniux? mors aliquando seligenda potius foret quam vnica, præcipuè si vana, vel si garrula, nam si vana, quid ab eo tolerandum non erit? si enim eam domi manere præcipis, tyrannum vocabit, non maritum, se miseram lamentabitur, non vxorem sed seruam in ergastulo teneri compeditam, siccine dicet, cum cæteræ libertate potitæ, quocumque lubet procedunt, sola ergo vti mancipium, in tenebris, in vinculis, in sepulchro iacebo? non feram, non patiar, sic illa si domi contineri cogatur: quod si foras prodeundum erit ad pingendum, ad instruendum vanitatis apparatum, quid obsecro satis est in domo mariti? atque in cauponantium officinis? si autem garrula: quot querimoniæ noctur næ & diurnæ? illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, at ego in conuentu fœminarum misella despicior: quidnam igitur tanto pondere oppressus, non corruet? cur igitur aliam admittere vxorem non renuit, vt à tot molestiis se eximat? reuoca in memoriam quali desiderio Rachel æstuabat quomodocumque filios habendi: non renuit, igitur Iacob, adhuc etiam Balam vxorem admittere, quia viri, coniugum cum licitè possunt, desideriis satisfacere debent, quod annuit Abul. *Iacob non desiderabat accipere aliam vxorem, quia satis se reputabat contentum, habendo duas vxores, sed ne vxori valde molestus esset, accepit & aliam vxorem; sciebat enim Rachelem instare vsque ad mortẽ, quia sterilis erat, si ergo non consensisset dans ei spem prolis saltem ex ancilla, præ mœrore & tædio contabesceret, quod valde tristabile erat Iacob, cum eam tenero amore diligeret, nec eius tristitias poterat sustinere.*

Abulens.

Vxores non concubitum viri ad libidinem, sed ad prolem habendam desiderent.

29. *Deditque illi Balam in coniugium*, cur ô Rachel alienam tradit viro vxorem? nuere delictus côiugii tui, quamuis nunc sis sterilis, fœcunda poteris fieri: ideo Iacob famulam tradit in coniugem Rachel, vt denotaret, quod si concubitum viri sui concupierit, non libidinis, sed prolis habendæ gratia, cum ei cedat sciens se sterilem esse, *satis elucet ipsum*, inquit S. August lib. 22. cont. Faust. cap. 48. *nihil aliud in concubitu appetisse quam filios, quippe vbi se minime parere viderunt, famulas suas dederunt viris suis, vt eas matres facerent carne, ipsa fierent voluntate.*

D August.

EXPOSITIO.

Iudicauit mihi Dominus, quaſi diceret, iudicium ſiue cauſam pro me egit, ſiue in fauorem meũ, ſicut antea pro ſorore eius dixerat, dans ei liberos, nunc & pro me illos mihi ex ancilla concedens, vel iudicauit me dignam filiis, *& exaudiuit vocem meam*, qua quotidie corã eo preces fundebam, vt mihi filios tribueret, *dans mihi filium* ex ancilla, quem tamen adoptans meum efficiam, *& idcirco appellauit nomen eius Dan*, Dan interpretatur iudiciũ, ſiue his, ſcilicet mihi adiudicata eſt à Domino, porro à Dan dicta eſt ciuitas Dan, quæ prius Lais dicebatur poſtea Paucas.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iudicium Dei etiam ad minima extenditur.

33 Iudicauit mihi Dominus, nonne omnium iudex eſt: cur igitur ſpecialiter ad tuam cauſam, Dei iudicium reuocas? vt eo nobis denotetur, Dei iudiciũ non omnia in communi reſpicere, ſed etiã ad quælibet infima deſcendere *etiam ad minima* inquit Hier. ab Oleaſt. *iudicia diuina extendi credendum eſt.*

Oleaſter.

Cum coram Deo preces fundimus, quaſi ex iuſtitia tribuere debet quod poſtulamus.

34 *Iudicauit mihi Dominus*, id eſt mecum iuſte geſſit Deus, non eſt cur hoc nobis aperis Rachel, ſcimus enim Deum nemini iniuſtitiam inferre, inſpiciamus verba ſubſequẽtia, exaudiuit vocẽ meã, vel vt habet Caldæus, ſuſcepit orationem meam, cur poſtquam dixit quod Deus iuſte ſe geſſerat in ſua cauſa, ſubiungit quod eius orationẽ exaudierit? quid enim habet commune iudicium Dei, cum deprecatione noſtra? quæ connexio inter vtrumque? maxima equidẽ, nempe quod quaſi ex iuſtitia nobis tribuit Deus quod ratione ab eo petiimus: non diſſentit Abul. *quando Rachel ſterilis manebat, & petente ipſa prolem non exaudiebatur, videbatur Deus crudelis erga eam, nunc autem quia dedit prolem, dicitur iudicaſſe, id eſt iuſte ſe habuiſſe condeſcendendo iuſtis precibus Rachelis, & ideo ſubdit, & exaudiuit vocem meam, quia quotidie deprecabar vt daret mihi prolem.*

Abulenſ.

Etiã pro exiguo beneficio gratiarũ agenda actio.

35. *Iudicauit mihi Dominus*, cur Deo tanquam æquiſſimo iudici refert gratiarum actionem? tu enim nec concepiſti, nec peperiſti, ſed ſolum famula tua; aduerte beneficium exiſtimaſſe, quod ex ancilla liberos habuerit; merito igitur domino grata exiſtit, quia etiam pro exiguo beneficio gratiarum eſt agenda actio, *ba...uit aliquomodo* inquit D. Chryſ. hom. 56. *pariente ancilla vel breuem conſolationem, ideo puero nomen imponit, & gratias agit Domino pro nato.*

D. Chryſoſt.

Abiectum & inuidum fœminæ ingenium.

36 *Iudicauit mihi Dominus*, ex eo quod tibi filium ex ancilla tua dederat, Deo gratias egiſti, nonne potius pro liberis conceſſis ſorori tuæ, prudentius ſaperes, ſi grata fores, eoſq; tanquam filios ſuſciperes & amares? cur ergo ad ancillæ partum amandum & celebrandum te demittis? quia abiectum & vile fœminarum eſt ingenium, vnde optime Lippo. *quæſiuit Rachel vel mediocre ſolatium, per Zelotypiæ errorem contra ſororẽ ex ancilla ſua prolem ambiendo, cum iuxta ſanguinis propinquitatem, ſororis filios magis adamaſſe debuerit quam ancillæ.*

Lippom.

Quanto quis maiorem Dei cognitionem poſſidet, tanto magis dolet de ſuis criminibus.

37. *Iudicauit mihi Dominus*, Rachel non potuit niſi ex Bala filios habere, quia contemplatiua de diuina eſſentia per ſe non valet aliquid perfecte ſpeculari, & ita Deo filios procreat per quaſdam imagines corporeas: de Bala igitur ſuſcipit filium Dan, quem iudicium nominauit cur hoc nomine appellat prolem, cum mediante ancilla ad cognitionem diuinæ eſſentiæ peruenit? quia inquit Hug. Carens. *quanto quis maiorem de Deo notitiam habet, tanto diſtinctius iudicat de peccatis ſuis.*

Hugo Carenſ.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII. & VIII.

VVLG. Rurſumque Bala concipiens peperit alterum filium.

Sep. Et concepit adhuc Bala ancilla Rachel, & peperit filium ſecundũ ipſi Iacob.

VVLG. Pro quo ait Rachel, comparauit me Deus cum ſorore mea, & inualui, & vocauit eum Nephtali.

Sep. Et dixit Rachel coaſſumpſit me Deus, & collocata ſum cum ſorore mea, & valui

Cald. Suſcepit Deus deprecationem meam cũ deprecata ſum in oratione mea, concupiui vt eſſet mihi filius, ſicut ſorori meæ, quod vtique conceſſum eſt mihi.

Pag. Luctationibus vehementibus luctata ſum cum ſorore mea, etiam præualui.

Caiet. Colluctationibus Elohim colluctata ſum cũ ſorore mea, etiam potui.

Oleaſt. Calliditatibus Dei callide egi cum ſorore meã, etiam præualui, vel inuolutionibus Dei inuoluta ſum, ſorore mea.

Hiero. Alia littera habet, habitare me fecit Dominus habitatione cum ſorore mea.

Rab. Menachẽ, coniunctionibus Dei coniuncta ſum.

Aliꝗ duplicationibus Dei duplicata ſum.

Rabi Salom. conatibus multis conata ſũ ſorore mea.

Aliqui teſte Lipp. legunt, ſubuerſione Domini ſubuerſa ſum cum ſorore mea.

Aliꝗ, Additione vel coniunctione Dei adiuncta ſum cum ſorore mea: imo excellui ipſam.

Lipp. Peruerſitate inſigni peruerſa ſum cum ſorore mea.

Rabi David, verti me & conatum feci cum ſorore mea, vt illam vincerem, tandemque inualui.

Vatab. Viciſſitudinib. Dei paria feci cũ ſorore mea.

Alii habent, Luctationibus magnificis eximiis vel diuinis, luctata ſum.

CONCORDIA.

NOn facilis est concordia tot versionum, tamen si recte intelligantur, non multum dissentiunt nam verbum פתל patal, modo sumitur pro peruertere, aliquando pro luctari, vel pro conari, vel distorqueri, cum autem Luctatores complicatione & distorsione membrorum, se inuicem subuertere conentur, calliditate magis & astutia, quàm virtute & robore, hinc est quod Oleast. legit calliditatibus egi callide, alij conationibus conata sum, cum autem פתיל patil fasciam seu vittam ex filis intortis, ligationem vel ligulam ex multiplicibus filis, qua quis alligatur, vel quæ alligatur, dicant aliqui significare, hinc est quod verbum פתל patal reddant per coniungere, vel addere, cum autem quis ligulam ex filis efficit, eam contorquet, hinc est quod alij interpretantur per intorquere. D. autem Hieron. existimat prædictum verbum significare, etiam comparare, ita ut omnium harum lectionum posset esse sensus. Ego cum Lia fœcunditate & prolis gloria quasi contendi, & quasi colluctata sum, iamque callide eam amplius non parientem vici, dum pro me iterum ingeniose & astute ancillam meam fœcundam marito meo subrogaui, & ideo ei comparabor, quia si filios Iacob suscepit ex Lia, etiam ex me habuit mediante ancilla mea, quam in coniugem tradidi, cum autem aliqui putent nomen אלהים Elohim hîc non accipi pro Deo sed pro magnifico, eximio, vel aliquo excellenti, hinc est quod dixerunt, colluctationes magnificas, eximias, vel diuinas, Caldaica autem paraphrasis, quid diuersum ab alijs habet, & ad orationem deflectit.

EXPOSITIO.

COmparauit me Deus cum sorore mea, id est assimilauit me sorori meæ, in hoc quod iam habeo filios, scilicet ex ancilla, quamuis non naturales nec numero pares, cum natis illius, & inualui, id est desiderium meum adimpletum, cupieram enim saltem ex ancilla liberos habere, quod mihi contigit, & tam fœliciter, quod non vnum solum, sed iam duos susceperim, *vocauitque eum Nephtali*, quem ex diuersa significatione verbi Patal interpretati sunt, scilicet vel colluctantem, vel vafrum, vel tortuosum, aut inuolutum, vel comparatum, seu assimilatum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filij orationibus impetrandi sunt.

38 *COmparauit me Deus cum sorore mea*, Cald. suscepit Deus deprecationem meam, cum deprecata sum in oratione mea, nonne cum primum suscepisti filium ex ancilla tua, orationibus tuis datum fuisse asseruisti? cur igitur secundo habito idem repetis? vt doceret filios orationibus impetrandos & pro quolibet habendo orationem coram Deo fundendam, *in hoc notatur* (ait Abul.) *quod istos duos filios Rachel à Deo precibus extorserit.*

Abulens.

Vexatio dat intellectum.

39 *Comparauit me Deus cum sorore mea*, Oleast. calliditatibus magnis callide egi cum sorore mea, vnde nam Racheli hæc calliditas & versutia, vt filios habeat? famulam in vxorem tradat Iacobo? si enim fœminarum ingenium simplex, quomodo Rachelis astutum? nonne maxime angebatur ex infœcunditate? quid miraris igitur callide egisse? vexatio enim & necessitas dat intellectum *excitare solet*, inquit Oleast. *ingenium cupiditas vehemens, & etiam miseria, inuenerat fœmina subtilem valde modum ædificandi domum suam, nec de inuentione parum gaudet.*

Ridicula fœminarum iactantia.

40 *Comparauit me Deus cum sorore mea, & inualui*, quid ais Rachel, non solum æquiparatam te esse sorori tuæ, sed illâ longe excellentiorem & superiorem esse ob ancillæ partum duplicatum asseris: quomodo in hæc verba prorumpis? nonne quatuor liberos suscepit Lia, tu autem nullum ex vtero, sed ancillæ? non est ergo cur glorieris: imo non solùm gloriatur, sed longe superiorem sorore sua se prædicat, vt quam ridicula sit mulierum iactantia agnoscamus, cû hæc de duobus ex ancilla filijs glorietur seseque hoc nomine audeat præferre sorori, quæ naturalis est quatuor liberorum mater.

Vir fidelis vxori infideli ad pietatem dux & magister.

41 *Comparauit me Deus cum sorore mea*, nonne Rachel sicut & Lia parentibus ethnicis genitæ, superstitionibus & impiissimis ritibus inanium deorum infectæ? quomodo ergo vnius Dei memores? nam pluries eum confessæ sunt, eiq; gratias retulerût cõparauit me Dominus inquit Rachel sorori meæ, Lia autem, vidit Dominus humilitatem meam: imo Dei nomen in filiorum nominibus ad iugem recordationem beneficij inseruere, vnde Procop. quasi admirans ait, memoratu dignum est, quod vxores Patriarchæ vbique commemorãtur fideles & agnoscentes Deû bonorum omnium authorem, Deus inquit vna, mihi dedit mercedem, altera vt prolẽ adipisceretur, precibus Deum solicitauerat, quomodo à patriis ritibus, ad veram pietatem inductæ? nõne Iacob iustus & cultor virtutum? quid mirû igitur, si ad veritatem vnius Dei conuersæ? vir enim fidelis vxori infideli ad pietatem dux & magister, quod D. Paulus annuit 1. Cor. 7. *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*, quæ verba exponens D. Bruno ait. *nam plerumque mulier sanctificata est accep: a fide per virum fidelem, inde docentem eam.*

1. Corint 7.

D. Bruno.

Nec mulier quàmuis male morigera, si velis, te à salute tua auocabit.

42 *Cõparauit me Deus cum sorore mea*, ex cognitione & confessione vnius Dei colligit Procop. fidelẽ fuisse, cum edocta fuisset viri sui sanctitate, pietate & exẽplo, sed quomodo Rachel mariti cõsilio inducta, omni quã cum lacte ebiberat, exuta impietate veram Dei religionem tã facili negotio suscepit, non autem maritus impiæ vxoris, quam vnice amabat, periculoso commercio in barathrum impietatis cum illa pariter fuit prolapsus, nonne primus parens vel ad vnam vxoris vocem persuasus, Deum, eiusque

gratiam & paradiſum amiſit? & ſapientiſſimus mortalium Salomon, Ethnicarũ vxorum amoribus ineſcatus, ac præſtigiis deceptus, miſerandum veræ ſapientiæ ac pietatis idolis inſeruiẽs, fecit naufragium? quomodo ita fortis Iacob in pulcherrima vxoris ſpecie ad impietatem nõ fuit adductus? quomodo illius captus pulchritudine, ipſius patris impietate ritibuſque non fuit irretitus? vt inde ediſcas quod nec mulier, ſi vere ſis religioſus, deique fidelis ſeruus, quamuis male morata, ſi velis a ſalute conſequenda non te auocabit quod his verbis Clem. Alex. 3. pæda. cap. 7. expreſſit *incedendum eſt vt conuenienter verbo ingrediamur & ſi qua adſit vxor & filii domus, nequaquam eſt onus, qua cum prudenti viatore migrare didicerit*, quaſi diceret, ſi quis pater familias vere fidelis fuerit, non modo coniugii nullum ſentiet onus, nec obſtaculum ad virtutem & animæ ſalutem, ſed ſeſe viatorem ac peregrinum in hac vita gerens, vxorem nec non liberos pariter ad cœlum atque ad Deum deducet.

VARIETAS LECTIO. VERSVS IX.

VVLG. Sentiens Lia quod parere deſiiſſet Zelpham ancillam ſuam marito tradidit.
Sep. Vidit autem Lia, quia ſteterat à pariendo & ſumpſit Zelpham ancillam ſuam, & dedit eam ipſi Iacob vxorem, *ſic Heb. & Cald.*

CONCORDIA.

NEſcio cur noſter vulgatus omiſit tradidiſſe Liam ancillam ſuam Iacobo in vxorem, cum in Heb. Cald. & Sep. ita legatur, niſi quod præſupponat aliter Iacobum non recepturum ancillam, niſi in coniugem, ſicque facile id aperire omiſerit.

EXPOSITIO.

S*Entiens Lia quod parere deſiiſſet*, videns ſe pluri-mos iam menſes, præter priſtinum morem non concipere, timens ne mutata ſorte ipſa ſterileſceret, Rachel autem ope ancillæ ſuæ filiis abundaret, inſtitit orare coniugem, vt ne ſe in deteriore conditione haberet quam ſororẽ, & ſi quid de ipſo bene meruta eſſet, cui quatuor liberos procreaſſet, ancillam ſuam Zelphã loco ſuo ſubſtituere ne grauaretur. vt ſic via panderetur implendis Dei promiſſis de ſemine eius, ſtellarum & pulueris inſtar multiplicando, non tam habiturum ipſum nouam coniugem, quam veterem renouatum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iiſdem artibus quibus alios fallimus, aliquando decipimur.

43 S*Entiens Lia quod parere deſiiſſet, Zelpham marito tradidit*, nonne ò Rachel gloriabaris te ſuperiorem ſorore euaſiſſe, teque callide & fraudulenter cum ea egiſſe, cum ancillam tuam Iacobo in vxorem tradidiſti, vt ſic ex ea, filios haberes? quomodo ſoror ſimilem aſtutiam adinuenit, quomodo etiam famulam tradit in vxorem, ſicque filios ex eo habet? ſane vt cognoſcamus, quod iiſdem artibus quibus alios fallimus, aliquando decipimur, *artibus noſtris nonnunquam* ait Oleaſt. *inimicos inſtruimus & nonnunquam doloſus capitur arte qua alium capere voluit.*

Oleaſter.

Quando veri prædicatores non inueniantur mercenarij non fugiendi.

44 *Videns Lia quod parerẽ deſiiſſet, Zelphã tradidit marito*, per Liam, Eccleſiam intellexit Rupertus, ſed qua de cauſa, cum filios amplius ſuſcipere non poteſt, nec Iacobo procreare, tradidit ei ancillam, cum ancilla ſit mercenaria? *quia Eccleſia*, inquit Stepha. Cant. cita. in alleg. Tilm. *quãdo per veros prædicatores non poteſt hàbere filios, placet vt per mercenarios habeat, Zelpha enim os hians interpretatur, & tales, os amplam quã loque habent ad prædicandum, & ſi per auaritiam habeant, cor conſtrictum, hoc eſt quod Apoſt. dicit, ſiue ex occaſione, ſiue ex veritate, Chriſtus annunciatur, in hoc gaudeo, & gaudete.*

Steph Cantuar.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS X. & XI.

VVLG. Qua poſt conceptum edente filium.
Sept. Et intrauit ad eam, & concepit Zelpha ancilla Liæ, & peperit ipſi Iacob filium.

V*VLG.* Dixit fœliciter; & idcirco vocauit nomen eius Gad.
Sep. Et dixit Lia, fortuna, & cognominauit nomen eius Gad.
Cald. Et dixit Lia venit fœlicitas.
Pag. Et dixit venit proſperitas.
Caiet. Venit ſors.
Oleaſt. Et ecce exercitus.
Rabi Dauid, Venit qui augeat turmam.
Rabi Salo. Venit ſidus bonum.

CONCORDIA.

VBi legimus fœliciter Hebraice eſt בגד begad quod dupliciter legi & verti poteſt, primo diuiſim בא גד ba gad, ideſt venit exercitus vel turma, vel accinctus, admodum militis גדד gadad enim ſignificat cõgregare, ſiue cogere exercitum, aut ducere exercitum vel turmam, & ita ſenſus Liæ, tantam filiorum copiam habeo, quod poſſent exercitum conſtruere, ſecundo legitur coniunctim, vti paſſim legunt Hebræi codices בגד begad ideſt in fortuna, ſiue fortunate, vel cum proſperitate, ſiue fœlicitate, vnde & Rabi Sal. vertit venit ſidus bonum, ſiue planeta bonus, quaſi diceret, affulſit mihi benignius aſtrum, breuiter ergo ſic concordem verſionum varietatem efficies, dicens quod cum gad proprie ſignificet accinctum, ſiue procinctum ſcilicet militem, ſiue exercitum, inde tranſlatum eſt ad Martem militiæ Deum, qui cum crederetur à Gentilibus præbere bonam victoriam, fortunam, & ſpolia militibus, hinc eſt quod pro gad ſeptuaginta verterunt ἐν τύχῃ in fortuna vel euentu fœlici.

EXPOSITIO.

QVæ poſt conceptum edente filium, perſuaſus eſt Iacob, & ſuſcepit preces Liæ, & quartæ mulieris factus eſt maritus, nulla id tum lege prohibente, & conſuetudine permittente facta diuinitus vt creditur à diluuio diſpenſatione circa illam legem erunt duo in carne vna, Zelpha igitur facta Iacobi vxor quam primum concipit.

Dixit fœliciter, ideſt proſpere mihi contigit, quod ancillam meam tradiderim Iacobo in coniugem, ſic enim iam filium adoptiuum ex ea conſequuta ſum, *vocauit nomen eius gad*, quem vt vidimus diuerſe plures interpretantur, nos autem dicemus quod denotat fœlicitatem, quaſi diceret, nomen illius erit fœlix euentus, vel proſperitas.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Inter coniugatos rixarum occaſio adimenda.

45 *QVæ poſt conceptum edente filium*, cur ô Iacob hanc tibi traditam accepiſti quartã vxorem, cum quatuor tibi nati ſunt ex Lia filii? nam ideo precibus Rachelis acquieuiſti, quia carens liberis & infœcunda, Lia autem mater quatuor iã eſt facta, re[illegible]ce ergo petitionem Liæ, quæ tibi ancillam in vxorem exhibet: aduerte quod ſi Iacob precibus Liæ nõ obtemperaſſet, conqueſta de eo fuiſſet quod maiori amore ſororem ſuã proſequeretur, cũ ancillam precibus ſuis in coniugem accepiſſet: prudenter igitur etiam hanc quartam perſuaſione Liæ admittit, vt omnem rixarum occaſionem adimeret: *iſtã quartam vxorem* (inquit Abul.) *non deſiderabat nec petebat, nec etiam ad preces Liæ ſuſcepiſſet, quia iam Lia cõceperat filios quatuor, nec erat ei neceſſe concipere ex ancilla, ſed ſuſcepit eam ne odij & diſſentionis materia oriretur, quia diceret Lia ego ſum infœlix, ego ſum deſpecta, quia ad preces ſororis meæ ſuſcepit vir meus ancillam in vxorem, ad preces autem meas ſuſcipere noluit.*

Abulenſ.

Senſualitatis appetitus reprimitur, ſi imaginationis euagatio coerceatur.

46 *Quæ poſt conceptum edente filium*, cur prius ancilla Rachel tradita eſt ſub poteſtate viri, quam famula Liæ, vt filios pareret? nonne diximus Rachelis ancillã denotari imaginationem, ſicut famulã Liæ ſenſualitatem? bene igitur prior Bala redigitur ſub viri dominio, quam Zelpha, quia niſi imaginationis euagatio coerceatur, difficillime ſenſualitatis appetitus reprimitur, quod docet Rich. à S. Vict. lib. qui dicitur Beniamin minor ca. 27. *prius ſemper eſt vt redigatur ancilla, ne fit per inutiles cogitationes, prius nõ reprimitur abſque dubio ſenſualitatis appetitus immoderatus, minime temperatur, qui igitur vult corporalium voluptatum deſideria temperare, prius aſſueſcat carnales delitias nunquam vel ſaltem raro cogitare profecto namque quanto talia rarius cogitaueris, tanto rarius, tanto tepidius nimirum ea deſiderabis, hæc ni fallor eſt cauſa cur ſub viriſi dominio prior incuruetur Bala quam Zelpha.*

Rich. Victor.

Filij ſunt tanquam exercitus ad tuendam pacem tum domi, tum foris.

47 *Dixit fœliciter*, Oleaſter *ecce exercitus*, cur ita vertis? quid habet puer recenter natus commune cum exercitu? nam puer viribus debilis, pro armis ſolum vagitum habens, exercitus autem conſtat fortiſſimis militibus, omni armorum genere præcinctus, omnibus formidoloſus, ſed nonne ad tuendam pacem ordinantur milites? merito igitur Lia ſecundum verſionem Oleaſtri, filios, exercitum dixit, quia maxime cõducunt liberi, ad tuendã tam domi quàm foris pacem, *non ſolum ad pacem* inquit cit. Hier. ab Oleaſt. *ſed ad tuendam patriam & patrios mores nutriendi filij.*

Oleaſter.

Mali vitiorum habitus non facile exuuntur.

48 *Dixit fœliciter*, Sep. *fortuna*, nonne fortuna pro numine celebratur ab Ethnicis, iam autem in pietate & vnius Dei cultu inſtructa erat, cur ergo adhuc fortunam nominat? non id tibi mirum videatur nam licet à Iacobo iam edocta, ritus impios idolorum cum vera vnius Dei religione commutauerit, non tamen à veſtigio antiquæ vitæ atque infidelitatis omnem labem næuumque abſterſit, ſupererant priorum ſordium aliqualia ſigna, cuiuſmodi eſt aut Martis aut Fortunæ appellatio. Fauet D. Theod. qu. 86. *verbum proſpera fortuna non eſt verbum Iacob ſed vxoris eius Liæ quæ vt dixi in impietate erat educata & parum in diuinis inſtituta*, quis enim cum à vitiorum cœno, ad virtutis puritatem ſeſe reduxit, nullum in ſe prioris fœditatis veſtigium retinet? quis à diabolo ad Deum transfugiens, ſic illius nuntium remiſit vanitatibus, vt ne veniali quidem labecula inſperſus eſſe videatur?

S. Theod.

Licet caro per abstinentiam affligatur, tamen inde fœlicitatem consequitur.

49 *Dixit fœliciter*, cur ita fœliciter te prædicas in vnius susceptione filij? Richard. Doctor in lib. qui dicitur Beniamin minor cap. 25. per hunc filium abstinentiam intelligit. Sed cum abstinentia corpus nostrum affligatur, & vbi est afflictio, ibi non est fœlicitas, cur ergo habens hunc filium, fœlicem se dicit? recte fœliciter exclamat, *quia licet per abstinentiam* (inquit cit. auctor) *caro affligatur, ad magnam, inde pacem & tranquillitatem animus componitur*, quid enim nobis aliud consulunt oracula diuina nisi corporis mortificationem.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XII. & XIII.

VVLG. Peperit quoque Zelpha alterum,

Sep. Et concepit adhuc Zelpha ancilla Liæ, & peperit ipsi Iacob filium secundum.

VVLG. Dixitque Lia, hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres, propterea appellauit eum Aser.

Sept. Beata ego, quia beatificabunt me mulieres.

Cald. Laus mihi erit, quoniam laudabunt me nunc mulieres.

Pag. Et beata dicar, quia beatam me dicent filiæ.

Caiet. In beando me, quia beabunt me filiæ.

Oleast. In rectitudine mea, quoniam rectificabunt me filiæ.

Arias. In fœlicitate mea, quia beatificabunt me filiæ.

CONCORDIA.

TAm variæ tribuuntur ab Hebræis & nostris significationes verbo אשר Assar & nomini אשר asser, vt difficile quænam sit illius germana, assequi possimus: sed vt breuiter concordiam versionum assignemus, radicem illius inuestigabimus, tenet Oleaster aser à radice ישר iassar deriuari, quod est rectum esse, seu rectificare, vnde fit quod ipse vertat in rectitudine, alij autem ab אשר asar, quod fœlicitauit, beauit, beatam prædicauit, interpretatur, hinc est quod dixerunt in vel, cum vel, propter beatitudinem meam, be enim pro his omnibus sumitur ponitur autem in hebræo verbum præteritum אשרוני isseruni beatificauerunt me. pro futuro beatificabunt.

EXPOSITIO.

PEperit quoque Zelpha alterum, sine dubio Lia videns sororem duos filios adoptiuos habuisse ex ancilla, non contenta vnico ex sua persuasit marito vt iterum ancillæ copularetur, sicque iterum grauida alterum filium peperit.

DIxitque Lia hoc pro beatitudine mea, quasi diceret, propter hunc filium, qui mihi est sextus, beatam & fœlicem me arbitror, beatam quippe me dicent mulieres, quæ se fœlices existimant ex filiorum multitudine, & ideo ab eis beata prædicabor, propterea appellauit eum Aser, id est rectitudo, si versionem Oleastri, si autem communem, beatitudo, recipias.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Prius ad bona propria temperantes simul vt ad toleranda aliena mala simus patientes.

50 PEperit quoque Zelpha alterum, quem Aser nominauit, cit. toties Richard. Vict. cap. 25. loquens de gemina prole Zelphæ ait, si per Zelpham sensualitatem debemus accipere, quam aliam quæso virtutis prolem potest ipsa gignere, nisi vt discat & in rebus prosperis temperanter viuere, & in aduersis patientiam habere, isti sunt Gad & Aser duo filij Zelphæ rigor scilicet abstinentiæ & vigor patientiæ, sed cur prior natus dictus est Gad, posterior autem Aser? *quia* inquit, *prius est vt temperantes simus ad bona propria, postea etiam vt fortes simus ad toleranda mala.* [Richard.]

Mulier se beatam arbitretur, si ex viro iusto plures suscipiat filios.

51 *Beatam me dicent mulieres*, ex eo quod iam quatuor filios habens naturales, duos adhuc adoptiuos ex ancilla susceperim, ergo mulieres impiæ, quæ plurimorum liberorũ matres sunt fœlices se prædicabunt, & tales ab omnibus censebuntur, quod nõ exigua dementia est, cum impietas & fœlicitas simul nõ sint passibiles, cur ergo Lia beatam se prædicat, habens sex filios: nõ ex numero filiorũ fœlicem se arbitratur, sed quod eos à viro iusto qualis erat Iacob, susceperit, ita Dio. Carth. *cum non sit rarũ nec valde magnũ vt vna mulier habeat quatuor filios naturales legitimos, duosque adoptiuos, imo cũ multæ pessimæ mulieres habeant filios mul o plures, cur Lia pro his sex filiis dici se à mulieribus beatificandã? respondetur inquit quod ipsa cognouit viri sui virtutes, & quod primogenita fuerunt ei collata, benedictionesque Abraha & Isaac desuper factas in Iacob esse adimplendas, ideo magnum valde imputauit habere ex eo tot filios, sique ob hoc beatificandã à mulieribus fidelibus hoc ipsum sciendus.* [Dion. Carth.]

Qui virtutem patientiæ possidet, non solum mala non timet sed de eis quasi lætabundus exultat.

52 *Beatã me dicẽt mulieres & vocaui: nomẽ eius Aser*, qui beatus interpretatur, Richard. Vict. lib. qui dicitur Beniamin minor c. 25. per Aser, qui est filius Zelphę dicit intelligi vigorẽ patientiæ, quo habito Zelpha

quæ est sensualitas, pronuntiat, dicens hoc pro beatitudine mea, mea inquit non sua, vnde enim sensualitas per carnem exterius atteritur, vnde cordis affectio ad puritatis integritatem reparatur, sed quomodo Lia quæ per Aser exercetur in malis tolerandis, potest se beatam dicere? quomodo beatam prædicabunt, quam tot mala ferentem contemplantur? imo tenentur ita celebrare; quia qui virtutem patientiæ possidet, non solum mala non timet, sed de eis illatis exultat. Sic cit. auct. *quid de huius mundi aduersis timeat, qui virtute patientiæ roboratus de illatis etiam malis triumphat? sicut de Apostolis scriptum est: ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliã pati Act. 5. & sicut per Paulum præcipitur Rom. 12. in tribulatione gaudentes, quid igitur illius gaudium minuat qui etiam de illata contumelia vel qualibet pressura exultat? ad beatitudinem ergo animi spectat quidquid pro Deo animo caro durum tolerat, vnde enim corpus atteritur, conscientia exhilaratur, & quo exterius videtur infœlicior, eo interius constat esse beatior.*

Richard Vict.

Rom 12.

Act. 5.

Nisi vel tormenta vel præmia æterna consideremus, nec de abstinentia delectationum vel malorum patientia curaremus.

53 *Beatam me dicent mulieres & vocauit nomen eius Aser*, alium antea habuerat, quem Gad nominauerat, sed hos filios suscipere voluit, quia sororem, alios duos nempe Dan & Nephtalim, habere conspexit, tunc inquiro mysticè, vtrum Lia sollicita esset hos duos liberos adoptiuos habere, si Rachel duos priores non procreasset? dices, quidni? sed obseruemus quæso, ex Ricard. cap. 18. cit. lib. quod ad Dan specialiter pertinet consideratio futurorum malorum, ad Nephtalim autem speculatio futurorum bonorum: quo posito dicamus quod Lia non curaret habere filios adoptiuos Aser & Gad, nisi prius Rachel Dã & Nephtalim suscepisset, quia nisi tormenta futura, vel præmia æternæ vitæ ante oculos haberemus, nec de abstinentia delectationum vel malorum tolerantia curaremus. Sed hoc præstat audire à cit. Richardo cap. 27. *patet quod de Gad & Aser abstinentia videlicet & patientia nunquam adoptiuos filios faceret, nisi sororis suæ Rachel adoptiuam sobolem assidue cerneret: quis enim vnquam affectioni cuidam posset persuadere mundi huius prospera contemnere & eius aduersa non formidare, nisi suggerentibus Dan & Nephtalim futura vitæ tormenta vel præmia æterna non solum frequenter, imo pene indefinenter ingereretur aspicere? nunc autem per assiduam considerationem futurorum malorum facile ei persuadetur contemptus præsentium bonorum, & iterum per ingens contemplationem æternæ fœlicitatis inflammatur ad voluntariam tolerantiam pressuræ temporalis.*

Richardus.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIV.

Vulg. Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mãdragoras, quas matri Liæ detulit, dixitque Rachel, da mihi partem de mandragoris filii tui.

Sep. Iuit autem Ruben in die messis triticeæ, & inuenit poma mandragorarum in agro, & attulit ea ad Liam matrem suam.

Oleaster Reperit Lilium album, *sic etiam Georg. Venet. prob. 215.*

CONCORDIA.

VOx Hebraica דודאים Dudaim non significat Lilium, vt visum est Oleast. & Georg. Veneto sed mãdragoram, vt habent omnes Græci & Latini codices, cum enim ea vox nusquam alibi reperiatur nisi hoc in loco, & Cant. 7. cum dicitur mandragoræ dederunt odorem suum, vtrobique Septuaginta interpretes verterunt mandragoram, erant autem illi Hebreæ linguæ doctissimi, & nomina herbarum, arborum & animalium terræ suæ, vt sacris libris commemorata, optime nouerant, sed obiiciunt cit. Oleast. & Georgius mãdragoram non esse odoratam quod tamen per dudaim scriptum est Cant. 7. sed eis opponatur auctoritas S. August. lib. 22. contra Faust. qui visu, olfactu, gustuque naturam mandragoræ periclitatus, affirmat eam suaueolentam esse Septuaginta vbi habemus דודאים Dudaim legunt μῆλα μανδραγορῶν poma mandragorarum, vt quod de toto frutice diceretur ipsi ad partem reducerent.

EXPOSITIO.

EGressus autem Ruben, qui iam grandæuus erat, qui forte ludens cum aliis pueris, iuit in agrum *tempore messis triticeæ*, ad discrimẽ messis hordeaceæ quæ primo fiebat, *reperit mandragoras*, mandragora est herba folia lata habens, pomaque inter folia sita, odorata quidem & coloris citrinæ, radices continet ternas, quæ mutuis complexibus coniunguntur, quas Liæ matri detulit, existimans aliquid preciosum inuenisse matrique iucundum, *dixitque Rachel* nempe Liæ, *da mihi partem de mandragoris filii tui* non leuis est difficultas, cur tantopere has concupierit Rachel mandragoras: Cosmas Damianus cit. à Mich. Giller in cap. 7. Cant. vers. 13. cui ipse non dissentit tenet hanc herbam fructusque illius ad amorem spectare, amoremque cõciliare, forte igitur hac ratione voluit Rachel has habere mandragoras, quibus amorem mariti sibi magis conciliaret, qui propter suam sterilitatem parumper sibi aduersus erat: alij opinantur pomũ mandragoræ acceptum in escam sterilibus fœminis fœcunditatem afferre, & idcirco putant tantopere institisse Rachelem sumere, id à Ruben filio Liæ cupiditate videlicet pariendi: sed instabis mandragora est frigidissima, ergo non prodest sed obest conceptui, respondet Leuinus Lemnius lib. de Herbis sacræ scrip. cap. 2. mandragoram, quia frigidissima est, in frigidis regionibus, sterilitatem causare, sed in calidis & torridis, qualis est Iudæa & Mesopotamia, in qua habita-

Cosmas Dam.

habitabat Iacob & Rachel efficere fœcunditatem, quia æstum & siccitatem vteri temperat, & humectat: tandem D. August. libro 22. contra Faust. cap. 56. existimat mandragoras à Rachele expetitas, non ad conceptum, sed ad pomi raritatem & odoris iucunditatem, ego arbitror quod quamuis mandragora hanc virtutem fœcundandi non haberet, communem tamen apud mulieres fuisse opinionem huius virtutis, & ideo eam expetisse Rachel vt facile concipere posset.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mulieres odorum amantissimæ.

54 DA *mihi partem de mandragoris filij tui*, cur tantopere mandragoras à puerulo inuentas concupiscis? loquimur in opinione eorum qui dicunt ineptas esse conceptui: nonne id feret soror moleste, & ægre tuo acquiesceet desiderio? aduerte odoriferas esse, iuxta illud Cant. 7. mandragoræ dederunt odorem suum: ne inquiras ergo, cur ita eas ardenter expetierit, quia mulieres odorum suauissimorum sunt amantissimæ. Fauet D. Cypria. prol. lib. de operibus cardi. *Rachel*, inquit, *ad odorem non ad esum Liæ mandragoras concupiscit.* (S Cypr.)

In humana opulentia etiam paupertas.

55 *Da mihi partem de mandragoris filij tui*, nonne Rachel apud Iacobum, cui gratissima & acceptissima erat, lautioribus epulis abundabat? vel si eius erant insipidæ, nonne alia magis odorifera possidebat? cur igitur minoris odoris requirit mandragoras? respondet Oleast. *quia quidquid pauperes habent, volunt sibi diuites habere, & si propriis bonis indigentes dici fiere velint alienis, & in opulentia pauperes se faterentur.* (Oleaster.)

Inuidia vitium muliebre.

56 *Da mihi partem de mandragoris filij tui*, nonne tibi alia sunt domi odorifera? munus à puero suo oblatum Liæ relinque, delectantur enim matres infantulorum munusculis; nihilominus eas appetit, nec patitur sororem eas possidere integras, forte ex inuidia muliebris animi vitio, quod obseruauit Hier. ab Oleast. *inuidiæ res est fæmina quæ etiam minimis inuidet.* (Cit. Lasit.)

Fama acquirenda ex labore bonæ operationis.

57 *Da mihi partem ex mandragoris*, nempe ex illis quas Ruben in agrum egressus, inuenerat: existimat Hug. Carens. Ruben, qui interpretatur filius visionis, designare prælatum, qui debet esse filius visionis non cæcitatis, vt multi dequibus Isa. speculatores eius cæci omnes nescierunt, vniuersi canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia. hic Ruben, nempe prælatus egreditur in agrum, per prædicationem, & tunc colligit mandragoras: quid est quod prælatus cum labore prædicationi insudans, inuenit mandragoras? diximus eas esse insipidas, tamen odoriferas: respondet ergo cit. Carens. *ideo inuenit in agro mandragoras quæ sunt poma insipida, sed odorifera, hoc est odorem bonæ opinionis qua prouenit ex labore operationis.* (Isaiæ 56.)

Timere Deum propter seipsum, homines autem propter eum debemus.

58. *Da mihi partem de mandragoris*, de quibus? de illis quas Ruben in campum egrediens, inuenit, sed cum diximus Ruben timorem designare, cur nunc egreditur? cur intus non egrediens permanet? si enim timor est, foras, vbi tot sunt pericula, progredi non deberet: merito tamen & aliquando intus est, & aliquando foris est Ruben, *quia quando in secreto cordis*, inquit Rich. Vict. lib. toties cit. cap. 28. *in conspectu Dei de nostra conscientia trepidamus, tunc Ruben est intus, tunc autem foras exit, quando propter Deum hominibus etiam nos ad omnem obedientiam inclinamus, timere itaque Deum propter seipsum, homines autem propter Deum, est Ruben nunc intus morari, nunc foris incurri.* (Richard.)

Ex voluntaria abstinentia & patientia ad omnem obedientiam inclinamur.

59. *Da mihi partem de mandragoris*, quas Ruben egressus in agrum reperit, per Ruben in campum egredientem ex imperio patris, intelligit cit. Rich. hominem timore Dei affectum, sed iam obedientem, operibusque iustitiæ ex obedientia vacantem, sed cur solum natis Gad & Aser dicitur Ruben egressus in campum? quia tunc quodlibet imperium amplectitur, & perfecte obtemperamus, cum à rebus terrenis abstinemus, & mala toleramus, *si semel animus* inquit prædictus doctor cap. 28. *amore abstinentiæ vel patientiæ perfecte incaluerit, protinus Ruben ad omnem obedientiam absque vlla contradictione se subdit, qui enim tam aduersa perpeti, quam in prosperis non delectari, apud semetipsum statuit, quæ difficultas eius obedientiam vlterius minuere poterit? si enim dura quæque & aspera pro Dei amore etiam per memet ipsum appeto, cur non magis hæc ex adiuncta obedientia ad maioris meriti gloriam tolero? recte ergo post natum Gad & Aser Ruben exire dicitur, quia timor Domini ex voluntaria abstinentia & patientia ad omnem obedientiam roboratur.* (Cit. Richard.)

Difficile laudibus non collætamur, vel bona æstimatione nostra non tangimur.

60. *Da mihi partem de mandragoris filij tui*, tot ne erant mandragoræ oblatæ à Ruben, matri suæ, vt eas omnes sibi dari non petierit? cur solum partem mandragorarum, & non omnes postulas? aduerte per eas, quæ odorem suum late solent spargere, bonæ opinionis famam debemus accipere, quas quidem tunc Lia accipit, quando oblata laus affectum tangit, quando in laudis suæ præconiis animus afficitur, & in aura popularis fauoris iucunde delectatur, quo posito: recte dicemus ideo non omnes, sed partem mandragorarum solū à sorore Rachelē petiisse, quia sciebat difficile cedere debere in totum mandragoris, quæ bonam opinionem vel laudem humanam denotant, nam vtrāque quilibet desiderat, responsio est prædicti Richard. cap. 29. *notandum*, inquit, *quam temperata Rachel non mandragoras sed mandragorarum partem petat, nam nec hoc ratione latet, valde esse difficile vt animus quamuis renuens ex oblata laude non hilarescat.* (Ricard a S. Vict.)

Vera laus est de recta voluntate, quæ per opus bonum innotescit.

61 *Da mihi partem de mandragoris*, quas non post natos tres fratres suos inuenit Ruben, nec post geminos liberos Balæ, sed post natiuitatem filiorum Zelphæ. cur solum post huiusmodi filiorum ortum inuentæ leguntur? nota quoad filios Liæ desideria ad filios Balæ cogitationes, ad filios autem Zelphæ pertinent actiones: recte igitur solum mandragoræ quibus laus & bona fama denotatur, inueniuntur statim post natiuitatem filiorum Zelphæ, quia perfecta laus debet esse solum de recta voluntate, quæ per bonum opus innotescit: *voluntates seu cogitationes quamuis rectas* (inquit Richard. Vict cap. 30. cit. lib. *quantumlibet videas, quomodo miramur vel quando laudamus quas minime videmus? & quamuis vera laus sit de certa ratione, cum tamen non laudamus nisi appareat in opere, per opus enim bonum bona voluntas innotescit, vt inde bona opinio eius laudem quasi quasdam late fragrantes mandragoras inuenire possit, quasi ergo post partum Zelphæ proles Liæ inuenire creditur, quando voluntas bona per opus bonum manifesta miris laudum præconiis vndique bonoratur.*

Cit. Richard.

Si Dei timorem in corde habeamus, ex bonis operibus non superbiemus.

62 *Da mihi partem de mandragoris*, quas egressus Ruben in campum inuenerat, si Ruben in agrum secedit, non puerulus est, sed iam fere adultus, nonne solent, quæ per Gad & Aser fiunt hominibus miranda, abstinentiæ videlicet & patientiæ opera, operantem non timidum, sed tumidum reddere? nō tam humilem quam contumacem efficere? quomodo igitur Ruben post huiusmodi filios Zelphæ natos, mandragoras defert quibus laudem ex bonis operibus meretur? nonne diximus Ruben post eiusmodi natiuitatem filiorum zelphæ grādæuum factum itaut egrederetur in campum, & per eum timorem Dei denotari? non mirum igitur si post Aser & Gad defert mandragoras, quia si post bona vel tolerantiæ vel abstinētiæ opera timor Dei crescit in nobis & non tumor, non exiguum laudis promeremur encomium. sic toties cit. Rich. cap. 30. *quid amplius mirandum? quid magis omnium laude prædicandum, quam cum vnde in aliis sæpe extinguitur humilitas, diuini timoris reuerentia non minuitur, sed augetur: quia ergo singulari solemus laude efferre quem vidimus etiam post virtutum opera, non solum de Dei sed de hominum parua offensa non paruum trepidare, recte Ruben mandragoras post natos Gad & Aser inuenisse dicitur, quia quemlibet ex operibus præclaris ad timorem, non ad tumorem profecisse miramur.*

Richar. cit.

Aliquando contemplatiuus vellet habere odorem bonæ famæ sicut & actiuus.

63. *Da mihi partem de mandragoris filii tui*, sufficiat tibi pulchritudo tua propter quam tanto amore Iacob te prosequitur, cur poma mandragoræ oblata Liæ concupiscis? non ignoras per Rachel, cōtemplationem, per Liam actionem, per mandragoras odoriferas, intelligi odorem bonæ famæ cur igitur non peteret Rachel à Lia mandragoras? cum contemplatiuus ab actioni dedito odorem bonæ famæ debet habere? *per hoc quod Rachel desiderauit mandragoras Liæ*, (inquit Dionys. Cartus.) *& à filio suo Ruben oblatas, signatur quod anima contemplatiua quandoque appetit bonæ famæ odorē quē anima habet actiua per opera fidei, coram aliis facta quæ designantur per Ruben primogenitum Liæ, qui filius visionis interpretatur, per quem opera fidei quæ est spiritualis oculus animæ, intelliguntur.*

Chartus.

Contemplatiuus omnino vult à rebus temporalibus abalienari.

64 *Da mihi partem de mandragoris filij tui*, ne sorori inuideas, quod possidet poma odorifera, sibi habeat, quid tibi curæ? obseruemus quod ait Ioannes Halgrinus Cardi. libro 11. in Cant. nempe quod mandragora, herba est quæ tam profundum odorem inducit, quod posset homo incidi, nec sentiret dolorem, cur non dicemus igitur Rachelem ita ardenter mandragoras concupisse, vt studio contemplationis omnino à rebus terrenis se abalienaret, nec eas vllomodo sentiret, ita cit. auct. *per mandragoras studia contemplationis designantur, quia ita dormire faciunt hominem in deliciis suis, vt abscisionem ab inimicis suis carnalibus àrcubus sæcularibus nec sentiat nec attendat.*

Cardinal. Halgrinus.

VARIETAS LECTIO. VERSUS XV.

VLG. Illa respondit, parumne tibi videtur, quod præripueris maritum mihi; nisi etiam mandragoras filij mei tuleris? ait Rachel, dormiat tecum hac nocte, pro mandragoris filii tui.

Sept. Non satis est tibi quod accepisti virum meum? nunquid & mandragoras filij mei accipies? dixit Rachel non ita, dormiat tecum nocte hac, &c.

EXPOSITIO.

P*Arumne tibi videtur quod præripueris maritum*, Lia sorori improperare videtur, quod Iacobum sua pulchritudine à blanditiis sibi eripuisset, quippe quæ prior in coniugium thorumque venerit, nihilominus pluries illa cum possideat, *nisi etiam mandragoras filij mei tuleris*, id est accipere tentes, *ait Rachel, dormiat tecum hac nocte*, hæc nox Racheli ad habendum sibi maritum obuenerat, sed illam pro mandragoris filij sui iuri suo cedens sponte remisit.

CONCEP-

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mulier conceptum dolorem diu nequit dissimulare.

65 P*Arumne tibi videtur quod præripueris maritum?* cur aliomodo desideriis Rachelis nō satisfacis vel renuis? si enim à te mandragoras petit, vrbane posses respondere, nisi aliquid pro eis commutaueris non concedam, vel eas gratis accipe, cur tibi eripuisse maritum obiicis? quia impatientissima est mulier, nec conceptum dolorem ex iniuria, quam sibi illatam suspicatur diu nequit dissimulare *pro re leuicula* (inquit Lippom.) *ansam Lia accipit vindicandi dolorem, quem tenebat in pectore more fœmineo.*

Lippom.

Mulieris Zelotypia.

66 *Parumne tibi videtur quod præripueris maritum?* cur sorori irasceris? aliquidne in te commisit, partem mandragorarum postulans? ei denega si tibi visum fuerit; ita impatiens est in amore mulier & ita ardet zelotypia, ne sibi maritus eripiatur vt eiulet, indignetur, in rabiem furiasque agatur, *vide* (inquit Chrysost.) *quomodo Zelotypiæ affectio huc & illuc trāsferat, nunc hæc nunc illa impugnabatur, quam affectionem animæ verbis Lia manifestam facit.*

Aliorum ira temperanda modo suaui.

67 *Parumne tibi videtur, &c. Dormiat hac nocte, nempe vir meus pro mandragoris filii tui*, nonne tibi locuta est soror cum magna indignatione? cur ergo tibi exprobranti non exprobras, vel saltem eius lippitudinem non arguis, propter quam charam non habet Iacob? ad quid ei pro iniuria tibi illata virum tuum tribuis? quia aliorum suauiori modo quo possumus iram temperare & deliniare debemus. *Rachel sororis iram mitigans* (ait Petr. Comest. in sua hist. scho. lib. Genes. cap. 77. *ait dormiat hac nocte pro mandragoris filii tui.*

Petrus Comest.

Pulchritudo non obest continentiæ.

68 *Parumne tibi videtur &c. dormiat hac nocte vir meus*, nonne iunior erat ac pulchrior Rachel, atque idcirco ad voluptatem propensior, quæque adhuc prolem non susceperat? quomodo tam leui fereque nulla de causa viro renunciat? vt sciremus simul cum pulchritudine coniunctam esse continentiam, cum conspiciamus Rachel speciosissimam iuri suo facile cedere, quod ex ipso contextu elicit D. Aug. lib. 22. cont. Faust. cap. 49. *quod enim & ab vxore conducitur, ibi vera nostra manifestatur assertio, quid enim opus erat vt ad eum maritus intraret, neque enim ad aliam vnquam accessisset nisi eum conduxisset, Sed vtique iustis ad eam vicibus accedebat, de qua tot filios procreauerat, sed tunc Rachel habebat noctem in ordine vt maneret cum viro, tunc penes eam potestas illa erat de qua Apost. dixit 1. Corinth 7. similiter & vir non habet potestatem sui corporis sed mulier, ideo iam cum sorore pacta erat, cui facta debitrix eam transtegaret ad debitorem suum*, & ita vbi tam mira inter fœminas erat concordia, tamque iustus ordo, procul dubio non effrenis concupiscentia locum habere poterat, quæ omne ius & debitum conculcat, *modum quippe nescit libido* (inquit Chrysost. hom. 32. in 19. Math. *sed quanto exercetur, tanto magis accenditur, non leniter nec inter limites vnius coniugii capit libido.*

S. August.

1. Corint 7.

S. Chrysost.

Qui digni sunt regimine, non semper vacent contemplationi sed necesse est vt etiam studeant actioni.

69 *Parumne videtur quod præripueris maritum?* ô Lia libidinis argueris, cum sorori exprobras tibi virum ademisse? aduerte per Liam vitam actiuam intelligi, per maritum eius, eos qui digni sunt aliorum regimine, & cum vtilitate aliorum saluti inuigilant, qui tamen propter turbulentas occupationes, hoc regimen fugiunt, & in doctrinæ otium toto pectore, tanquam in speciosæ Rachel feruntur amplexum: merito igitur Lia de Rachele cōqueritur, quod sibi virum eripuerit, quia qui digni sunt regimine, nec debent omnino vacare contemplationi, sed necesse est vt Liæ copulentur, actionique seruiant. Fauet cit. August. lib. 22. cont. Faust. *per vnum virum quem conqueritur Lia sibi ereptum, significans eos omnes qui cum sint agendi virtute habiles, & digni quibus regimen Ecclesiæ committitur, ad dispensandum fidei sacramentum, illi accensi studio doctrinæ atque indagandæ & contemplandæ sapientiæ, se ab omnibus actionum molestiis remouere, atque in otio discendi condere volunt, ita ergo dictum est parum est quod homines ad laborem rerum gerendarum necessarios in otio desit nec vita studiorum insuper & popularem gloriam requirit, proinde vt eam iuste comparat impertit Rachel virum suum sorori suæ illa nocte, vt scilicet qui virtute laboriosa regimini populorum accommodati sunt, etiam si scientiæ vacare delegerunt suscipiant experientiam, tentationum curarumque sæc. nam, pro communi vtilitate, ne ipsa doctrina sapientiæ cui vacare studuerit, blasphemetur.*

S. Augustinus.

Paterfamilias concordiam in sua familia conseruare satagat.

70 *Parumne tibi videtur &c, dormiat hac nocte, nempe vir meus*, an in tua potestate virum, quatuor vxoribus communem tribuere vni ex eis sine aliarum consensu? nonne Bala & Zelpha conquerentur etiam sibi ereptum fuisse? ne dicas ergo Liæ sorori, vt hac nocte viro copuletur: aduerte quod Iacob posuerat quendam ordinem inter vxores, concedendo cuilibet determinatum tempus, in quo apud illam manere deberet, hoc autem tempore quo Rachel mandragoras à Lia petiit, Iacob apud eam manere tenebatur: sed cur talem ordinem inter vxores constituerat? nonne pro libito apud eam quæ sibi gratior arrisisset, diuertere potuit? ideo talis ordo ab eo constitutus est *vt nulla* inquit Abulens. *oriretur dissensio, dato cuilibet quod ei ex communi determinatione pertinebat.*

Abulen.

61 *Da mihi partem de mandragoris*, quas non post natos tres fratres suos inuenit Ruben, nec post geminos liberos Balæ, sed post natiuitatem filiorum Zelphæ. cur solum post huiusmodi filiorum ortum inuentæ leguntur? nota quoad filios Liæ desideria ad filios Balæ cogitationes, ad filios autem Zelphæ pertinent actiones: recte igitur solum mandragoræ quibus laus & bona fama denotatur, inueniuntur statim post natiuitatem filiorum Zelphæ, quia perfecta laus debet esse solum de recta voluntate, quæ per bonum opus innotescit: *voluntates seu cogitationes quamuis rectas* (inquit Richard. Vict cap. 30. cit. lib. *quantumlibet viles, quomodo miramur vel quando laudabimus quas minime vide mus? & quamuis vera laus sit de certa ratione, cum tamen non laudamus nisi appareat in opere, per opus enim bonum bona volun'as innotescit, vt inde bonæ opin onis laudem quasi quasdam late fragrantes mandragoras inuenire possit, quasi ergo post partum Zelphæ proles Liæ inuenire creditur, quando voluntas bona per opus bonum manifesta miris laudum præconiis vndique honoratur.*

Cit. Richard.

Si Dei timorem in corde habeamus, ex bonis operibus non superbiemus.

62 *Da mihi partem de mandragoris*, quas egressus Ruben in campum inuenerat, si Ruben in agrum secedit, non puerulus est, sed iam fere adultus, nonne solent, quæ per Gad & Aser fiunt hominibus miranda, abstinentiæ videlicet & patientiæ opera, operantem non timidum, sed tumidum reddere? nō tam humilem quam contumacem efficere? quomodo igitur Ruben post huiusmodi filios Zelphæ natos, mandragoras defert quibus laudem ex bonis operibus meretur? nonne diximus Ruben post eiusmodi natiuitatem filiorum zelphæ gradæuum factum itaut egrederetur in campum, & per eum timorem Dei denotari? non mirum igitur si post Aser & Gad defert mandragoras, quia si post bona vel tolerantiæ vel abstinētiæ opera timor Dei crescit in nobis & non tumor, non exiguum laudis premeremur encomium. sic toties cit. Rich. cap. 30. *quid amplius mirandum? quid magis omnium laude prædicandum, quam cum vnde in aliis sæpe extinguitur humilitas, diuini timoris reuerentia non minuitur, sed augetur? quia ergo singulari solemus laude efferre quem vidimus etiam post virtutum opera, non solum de Dei sed de hominum parua offensa non parum trepidare, recte Ruben mandragoras post natos Gad & Aser inuenisse dicitur, quia quemlibet ex operibus præclaris ad timorem non ad tumorem profecisse miramur.*

Richar. ci.

Aliquando contemplatiuus vellet habere odorem bonæ famæ sicut & actiuus.

63. *Da mihi partem de mandragoris filii tui*, sufficiat tibi pulchritudo tua propter quam tanto amore Iacob te prosequitur, cur poma mandragoræ ob. lata Liæ concupiscis? non ignoras per Rachel, cōtemplationem, per Liam actionem, per mandragoras odoriferas, intelligi odorem bonæ famæ cur igitur non peteret Rachel à Lia mandragoras? cum contemplatiuus ab actioni dedito odorem bonæ famæ debet habere? *per hoc quod Rachel desiderauit mandragoras Liæ*, (inquit Dionys. Cartus.) *& à filio suo Ruben oblatas, signatur quod anima contemplatiua quādoque appetit bonā famā odorē quā anima habet actiua per opera fidei, coram aliis facta quæ designantur per Ruben primogenitum Liæ, qui filius visionis interpretatur, per quem opera fidei quæ est spiritualis oculus animæ, intelliguntur.*

Chartus.

Contemplatiuus omnino vult à rebus temporalibus abalienari.

64 *Da mihi partem de mandragoris filij tui*, ne sorori inuideas, quod possidet poma odorifera, sibi habeat, quid tibi curæ? obseruemus quod ait Ioannes Halgrinus Cardi. libro 11. in Cant. nempe quod mandragora, herba est quæ tam profundum odorem inducit, quod posset homo incidi, nec sentiret dolorem, cur non dicemus igitur Rachelem ita ardenter mandragoras concupisse, vt studio contemplationis omnino à rebus terrenis se abalienaret, nec eas vllomodo sentiret, ita cit. auct. *per mandragoras studia contemplationis designantur, quia ita dormire faciunt hominem in deliciis suis, vt abscissionem ab inimicis suis carnalibus à rebus sæcularibus nec sentiat nec attendat.*

Cardinal. Halgrinus.

VARIETAS LECTIO. VERSVS XV.

VVLG. Illa respondit, parumne tibi videtur, quod præripueris maritum mihi; nisi etiam mandragoras filij mei tuleris? ait Rachel, dormiat tecum hac nocte, pro mandragoris filii tui.

Sept. Non satis est tibi quod accepisti virum meum? nunquid & mandragoras filij mei accipies? dixit Rachel non ita, dormiat tecum nocte hac, &c.

EXPOSITIO.

PArumne tibi videtur quod præripueris maritum, Lia sorori improperare videtur, quod Iacobum sua pulchritudine à blanditiis sibi eripuisset, quippe quæ prior in coniugium thorumque venerit, nihilominus pluries illa eum possideat, *nisi etiam mandragoras filij mei tuleris*, id est accipere tentes, *ait Rachel, dormiat tecum hac nocte*, hæc nox Racheli ad habendum sibi maritum obuenerat, sed illam pro mandragoris filij sui iuri suo cedens sponte remisit.

CONCEP-

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mulier conceptum dolorem diu nequit dissimulare.

65 P*Arumne tibi videtur quod praeripueris maritum?* cur aliomodo desiderus Rachelis nō satisfacis vel renuis? si enim à te mandragoras petiit, vrbane posses respondere, nisi aliquid pro eis commutaueris non concedam, vel eas gratis accipe, cur tibi eripuisse maritum obiicis? quia impatientissima est mulier, nec conceptum dolorem ex iniuria, quam sibi illatam suspicatur diu nequit dissimulare *pro re leuicula* (inquit Lippom.) *ansam Lia accipit vindicandi dolorem, quem tenebat in pectore more fœmineo.*

Lippom.

Mulieris Zelotypia.

66 *Parumne tibi videtur quod praeripueris maritum?* cur sorori irasceris? aliquidne in te commisit, partem mandragorarum postulans? ei denega si tibi visum fuerit; ita impatiens est in amore mulier & ita ardet zelotypia, ne sibi maritus eripiatur vt eiulet, indignetur, in rabiem furiasque agatur, *vide* (inquit Chrysost.) *quomodo Zelotypiae affectio huc & illuc trāsiuat, nunc hac nunc illa impugnabatur, quam affectionem animae verbis Lia manifestam facit.*

Aliorum ira temperanda modo suaui.

67 *Parumne tibi videtur, &c. Dormiat hac nocte, nempe vir meus pro mandragoris filii tui*, nonne tibi locuta est soror cum magna indignatione? cur ergo tibi exprobranti non exprobras, vel saltem eius lippitudinem non arguis, propter quam charam non habet Iacob? ad quid ei pro iniuria tibi illata virum tuum tribuis? quia aliorum suauiori modo quo possumus iram temperare & deliniare debemus. *Rachel sororis iram mitigans* (ait Petr. Comest. in sua hist. scho. lib. Genes. cap. 77. *ait dormiat hac nocte pro mandragoris filii tui.*

Petrus Comest.

Pulchritudo non obest continentiae.

68 *Parumne tibi videtur &c. dormiat hac nocte vir meus*, nonne iunior erat ac pulchrior Rachel, atque idcirco ad voluptatem propensior, quaeque adhuc prolem non susceperat? quomodo tam leui fereque nulla de causa viro renunciat? vt sciremus simul cum pulchritudine coniunctam esse continentiam, cum conspiciamus Rachel speciosissimam iuri suo facile cedere, quod ex ipso contextu elicit D. Aug. lib. 22. cont. Faust. cap. 49. *quod enim & ab vxore conducitur, tibi vera nostra manifestatur assertio, quid enim opus erat vt ad eum maritus intraret, neque enim ad aliam vnquam accessisset nisi eum conduxisset, Sed vtique iustis ad eam vicibus accedebat, de qua tot filios procreauerat, sed tunc Rachel habebat noctem in ordine vt maneret cum viro, tunc penes eam potestas illa erat de qua Apost. dixit 1. Corinth 7. similiter & vir non habet potestatem sui corporis sed mulier, ideo iam cum sorore pacta erat, cui facta debitrix eam transferret ad debitorem suum*, & ita vbi tam mira inter fœminas erat concordia, tamque iustus ordo, proculdubio non effrenis concupiscentia locum habere poterat, quae omne ius & debitum conculcat, *modum quippe nescit libido* (inquit Chrysost. hom. 32. in 19. Math. *sed quanto exercetur, tanto magis accenditur, non leniter nec inter limites vnius coniugii capit libido.*

S. August. 1. Corint. 7

S. Chrysost.

Qui digni sunt regimine, non semper vacent contemplationi sed necesse est vt etiam studeant actioni.

69 *Parumne videtur quod praeripueris maritum?* ô Lia libidinis argueris, cum sorori exprobras tibi virum ademisse? aduerte per Liam vitam actiuam intelligi, per maritum eius, eos qui digni sunt aliorum regimine, & cum vtilitate aliorum saluti inuigilant, qui tamen propter turbulentas occupationes, hoc regimen fugiunt, & in doctrinae etiam toto pectore, tanquam in speciosae Rachel feruntur amplexum: merito igitur Lia de Rachele cōqueritur, quod sibi virum eripuerit, quia qui digni sunt regimine, nec debent omnino vacare contemplationi, sed necesse est vt Liae copulentur, actionique seruiant. Fauet eit. August. lib. 22. cont. Faust. *per vnum virum quem conqueritur Lia sibi ereptum, significans eos omnes qui cum sint agendi virtute habiles, & digni quibus regimen Ecclesiae committitur, ad dispensandum fidei sacramentum, illi accensi studio doctrinae atque indagandae & contemplandae sapientiae, se ab omnibus actionum molestiis remouere, atque in otio discendi condere volunt, ita ergo dictum est parum est quod homines ad laborem rerum gerendarum necessarios in otio destinet vita studiorum insuper & popularem gloriam requirit, proinde vt eam iuste compararat imperiis Rachel virum suum sorori suae illa nocte, vt scilicet qui virtute laboriosa regimini populorum accommodati sunt, etiam si scientiae vacare delegerunt suscipiant experientiam, tentationum ac aerumnarum sarcinam, pro communi vtilitate, ne ipsa doctrina sapientiae cui vacare studuerit, blasphemetur.*

S. Augustinus.

Pater familias concordiam in sua familia conseruare satagat.

70 *Parumne tibi videtur &c, dormiat hac nocte*, nempe vir meus, an in tua potestate virum, quatuor vxoribus communem tribuere vis ex eis sine aliarum consensu? nonne Bala & Zelpha conquerentur etiam sibi ereptum fuisse? ne dicas ergo Liae sorori, vt hac nocte viro copuletur: aduerte quod Iacob posuerat quendam ordinem inter vxores, concedendo cuilibet determinatum tempus, in quo apud illam manere deberet. hoc autem tempore quo Rachel mandragoras à Lia petiit, Iacob apud eam manere tenebatur: sed cur talem ordinem inter vxores constituerat? nonne pro libito apud eam quae sibi gratior arrisisset, diuertere potuit? ideo talis ordo ab eo constitutus est *vt nulla* inquit Abulens. *oriretur dissensio, dato cuilibet quod ei ex communi determinatione pertinebat.*

Abulen.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVI.

VVLG. redeúntique ad vesperam Iacob de agro, egressa est in occursum eius Lia, & ad me inquit intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei, dormiuitque cum ea nocte illa.

Sept. Reuersus autem Iacob ex agro vesperi & exiit Lia in occursum eius, &c. ad me intrabis hodie.

Cald. Et cubuit cum ea illa nocte.

Pag. Ad me ingredieris quia mercando mercata sum te mandragoris filii mei.

Oleast. Mercede conducendo, mercede conduxi te in mandragoris.

CONCORDIA.

VErbum שכר Sacar non solum mercari, sed aliquos mercede conducere ad aliquid agendum denotat.

EXPOSITIO.

REdeuntiq; ad vesperã Iacob de agro, in quem secesserat vel ad custodiam gregum, vel vt messoribus præesset, *egressa est Lia in occursum eius*, ne declinaret in tabernaculum Rachelis, *ad me inquit intrabis*, ad meum diuertes tabernaculum, *quia mercede conduxi te*, Rachel enim potuit suo iuri cedere, & illud in sororem transferre, *pro mandragoris filij mei*, quas attulit filius meus Ruben, & quarum partem Racheli tribui.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Virorum coniugatorum continentia commendatur.

71 REdeunti ad vesperam Iacob de agro egressa est ad occursum eius Lia, quæ ei persuasit vt ad se declinaret, votis eius annuens dormiuit inquit textus cum ea illa nocte: cur ô Iacob pulcherrimæ adolescentulæ quam ardenti amore prosequebaris, concubitum cum deformis & exolæ fœminæ commercio commutas? cur admittis pactum Rachelis, te non consentiente peractum? vt edisceremus non libidine ductum, nec omnino impudicum, cum facillime à speciosissima abstinuerit vxore, quod beatus August. egregiè annotat libro vigesimo secundo cont. Faustc. ca. 50. *nonne placito contempto mulierum intraret potius ad speciosam illam, quæ illi noctem ipsam non solum coniugis more, verum etiam ordinis iure debebat, vtere utque ipse potius potestate mariti alii, & pro eo tunc serui utis illarum vitiis utendo faciebat coniugali ergo potestate multo vincibilius vteretur, si forma desiderio vinceretur vir temperantissimus, vt delectationi carnali non subiiceretur, sed dominaretur, magis quod deberet quam quid ei deberetur attendit, nec ad propriam voluptatem sua potestate abuti voluit, sed illius debiti redditor quam exactor esse maluit.*

Augustinus.

Pauperes propria pretio emere coguntur.

72 *Redeunti ad vesperam Iacob de agro dixit Lia*, quod ad suum declinaret tabernaculum, quia mercede eum conduxerat pro mandragoris, nonne tuus erat maritus? cur ergo eũ pretio mandragorarũ tibi acquiris? nonne Rachel propter suam pulchritudinem, & in eam intentissimum amorem plures possidet? cur ergo ab ea etiam mercede data consequeris? *quia coguntur*, inquit Oleast. *pauperes pretio propria emere, quæ eis inuitis diuites detinent, de quo conquerebatur sanctus Ierem. Thren. vlt. aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparauimus.*

Oleast. Thren 5.

Contemplatiui quasi violentia rapiuntur ad officium actionis.

73 *Redeunti ad vesperam Iacob dixit Lia ad me intrabis*, nonne cum sit maritus tuus, libentissime ad tuum declinabit tabernaculum? cur igitur eum ex agro redeuntẽ expectas, vt in cubiculũ tuum deducas? diximus superiùs per Iacobũ viros intelligi qui accensi studio doctrinæ atque indagandæ & contẽplandæ sapientiæ, se ab omnibus actionum molestiis remouent, & contemplationi rerum diuinarũ indulgent, quid mirum igitur si mercede etiã data, Lia ad se virum adduxit? quia contemplationi dediti quasi violentia quadã rapiuntur ad officiũ actionis ita S. Aug. 22. cont. Faust. *qui scientiæ vacare delegerunt, vt curam suscipiant regiminis, vt coguntur, experimur hoc in exemplis, quod intelligimus in libris, quis non videat hoc geri toto orbe terrarum. venire omnes ex operibus saeculi, & ire in otium agnoscenda & contemplanda veritatis tanquam in amplexum Rachel, & excipi de transuerso Ecclesiast. ca necessitate, atque ordinari in laborem, tanquam Lia dicente ad me intrabis.*

August.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XVII. & XVIII.

VVLG. Et exaudiuit preces eius Deus, concepitque & peperit filium quintum.

Cald. Et suscepit Deus orationem Liæ, & concepit & peperit filium quintum Iacob.

VVLG.

VVLG. Et ait, dedit mihi Deus mercedem, quia dedi ancillam viro meo, appellauitque nomen eius Issachar.

Sep. Vocauit nomen eius Issachar, quod est merces.

CONCORDIA.

VVlgatus non addidit quod est merces, sicut Septuaginta, non enim hæc verba reperiuntur in Hebræo, sed facile subintelligebantur.

EXPOSITIO.

ET *exaudiuit Deus preces eius*, summopere adhuc alium filium naturalem desiderans, coram Deo fudit preces, quas ipse admisit, sicque quintum concepit, peperitque filium.

DEdit mihi Deus mercedem pro ancilla, viro meo data, vt ex illa filios susciperet, *appellauitque nomen eius Issachar*, id est cóductus siue merces, quia pro mercede siue cóductione susceperat virú hac nocte.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus afflictorum orationem suscipit.

74 E*Xaudiuit Deus preces eius*, vel vt habet Caldæus, suscepit Deus orationem Liæ, cur obseruat Moyses exauditas fuisse preces Liæ? nam si dicamus quia summopere filios suscipere in votis habebat iam quatuor mater effecta fuerat: aduerte dolore affectam, ex quo cognouit se conceptui ineptam, ait enim textus, sentiens Lia quod parere desiisset, ne sciscitemur igitur, cur annotat Moyses Liæ deprecationem, Deum suscepisse? nam sine dubio voluit ostendere Deum preces afflictorum admittere, *exaudiuit eam Deus* inquit D. Chrys. ho. 56. *quia videbat eam dolentem nec multum viro prosaiam.*

Virtus orationis ingens.

75 *Exaudiuit Deus preces eius*, itaut conciperet & pareret quintum filium, nonne iam infœcunda effecta ab aliquot annis? ipsa enim fatetur quod parere desierat, quomodo igitur fœcunda efficitur, itaut denuo conciperet? nonne Deum deprecata fuerat, ne inquiras ergo cur adhuc filios suscipit, nam orationis talis est virtus, vt fœcunditatem ablatam restituat: *ostenditur*, inquit Lipp. *hic virtus orationis ingens, qua nona subinde fœcunditas exsuscitatur, cum iam cessasset à partu via natura.* (Lippom.)

Oratio sine honesta vita non prodest.

76 *Exaudiuit Deus preces eius*, diximus fœcunditatem obtinuisse precibus, cum iam parere desisset ex eo quod Deus vidit afflictionem illius; nonne aliarú, quæ sunt steriles, intuetur calamitatem? quomodo earum non suscipit deprecationem? aduerte plurimorum quæ sunt steriles vitam fore inhonestá; quid mirum igitur si nó exaudiantur, quia oratio sine honesta vita, nó prodest. Sic Pallad. Episc. in hist. Lausia de vitis Patr. libro 8. titul. de Steph. Lap. *orationes spirituales qua non habent vitam honestam et temperantem, sunt spica qua vento intereunt, qua habent quidem spicarum formam, sed ab eis crepsum est alimentum.* (Palladius.)

Nomen Deo tribuitur secundum effectum.

77 *Dedit mihi Deus mercedem*, in Hebræo est Elohim, cur hoc nomen Deo tribuit, non autem Iehoua? nonne Elohim dicit iudicem, cuius proprium est vnicuique quod suum est reddere? non inquiras ergo cur Elohim, non Iehoua hîc dicitur, quia nomen Deo tribuitur secundum effectum, ita Cardin. Cajet. *hic nomen est Elohim quadrans ad mercedem boni operis.* (Card. Caiet.)

Deus etiam bona opera infima non priuat mercede.

78 *Dedit mihi Deus mercedem pro ancilla mea*, quomodo Deus præmiú tribuit Liæ pro re exigua? non enim remunerari debebat pro ancilla tradita in vxorem Iacobo, cum eam illi tribuerit in cómodum & vtilitatem? nihilominus veré Lia fatetur Deú mercedem sibi pro ancilla tribuisse, quia Deus etiá bona opera infima remunerat *mirú valde est*, inquit Oleast. *videre qualia opera Deus mercede remunerat, etiam infima & pro qualibus operibus.* (Oleast.)

Per abstinentiam & patientiam verum gaudium consequimur.

79 *Dedit mihi Deus mercedem*, népe quintum filiú, queé nominauit Issachar, per hunc liberú Richard. à sancto Vict. li. qui dicitur Benia-minor ca. 36. intelligit gaudiú, quod quidé cum sit duplex, verú, quando de veris & internis exultamus, filiú autem Liæ intelligit verú gaudium. Sed qua de causa solum post natos Gad & Aser, in lucé editum Issachar solum vidimus? reuoca in memoriam dictum à nobis esse per Gad & Aser denotari patientiá & abstinentiam: recte igitur solum post Gad & Aser, nascitur Issachar, quia solum verum gaudium post patientiam & abstinentiam consequi possumus, ita cit. auct. *recte post natiuitatem Gad & Aser, Lia talem filium genuit, quia nisi per patientiam & abstinentiam, mens humana ad verum gaudium non pertingit, oportet ergo non solum falsam delectationem, sed etiam vanam perturbationem excludere enim qui vult de veritate gaudere: qui enim adhuc in infimis delectatur, interna vtique iucunditate indignus est, & qui vano timore perturbatur, spirituali dulcedine non potest perfrui. Falsam lætitiam veritas damnabat cum dicebat, va vobis qui nunc ridetis, vanam perturbationem extirpabat cum auditores suos admonebat, dicens nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: horum autem vnum abstinendo superamus, alterum patiendo calcamus, itaque* (Rich. Victor. — Luc 6. — Matth 10.)

per Gad extirpatur falsa delectatio, per Aser vero vana perturbatio: isti sunt Gad & Aser, qui excludunt gaudium falsum & introducunt gaudium verum.

Gaudium verum merces nostri laboris est.

80 *Dedit mihi Dominus mercedem*, nempe Isachar, sic enim interpretatur, sed cum à nobis dictum sit, per Isachar gaudium intelligi, quomodo nomē mercedis habere potest? cōuenientissime equidem, quia gaudium verum nostri laboris est merces, *nulla hic deinceps* (inquit cit. Richard.) *erit quæstio, cur hic talis filius Isachar merces interpretetur, quid enim aliud* Richard. *tot tantisque laboribus quærimus? quid inquam aliud quam verum gaudium tam perseuerante longanimitate expectamus?*

VARIETAS LECTIONUM VERS. XIX. & XX.

VULG. Rursum Lia concipiens peperit sextum filium.

Sep. Et concepit adhuc Lia, & concepit sextum filium ipsi Iacob.

VULG. Et ait dotauit me Deus dote bona, etiam hac vice erit maritus meus mecum, eo quod genuerim ei sex filios, & idcirco appellauit nomen eius Zabulon.

Sep. Donauit mihi Dominus donum meum, nunc temporis diliget me vir meus.

Cald. Dedit mihi Deus optimam partem, hac vice erit habitatio mariti mei apud me.

Chryss. Nunc temporis eliget me vir meus.

Vatab. Donauit mihi bonum munus.

CONCORDIA.

זבד Zabad non solum dotare sed donare significat, sicut זבד zebed interpretatur dos, munus, vel donum, זבל zabel quod vertimus cohabitabit, dixere septuaginta *αἱρήσει με* eliget me, vel diliget me, sed vtrobique idem est sensus, denotat enim Lia quod quia fœcunda est, à viro suo contemptui non habebitur, sed in pretio.

EXPOSITIO.

Rursum *Lia concipiens &c.* non diu otiosa stetit Lia, quamprimum enim iterum cōcepit, & sextum filium in lucem edidit.

Dotauit *me dote bona*, non leue sed maximū donum mihi contulit, *etiam hac vice erit maritus meus*, iam non moleste feret mecum commorari, cum cohabitatio mea non sit mihi inutilis, plures enim ei genui filios, *& idcirco appellauit nomen eius Zabulon*, idest habitaculum, iuxta S. Hiero. iuxta Ioseph, pignus beneuolentiæ.

CONCEPTUS IN HUNC VERSUM.

Gratus se maioribus Dei beneficiis dignū efficit.

81 Rursum *Lia cōcipiens peperit sextum filium* naturalē, nonne iam [quinque] susceperat filios naturales, & duos ex ancilla adoptiuos habuerat? cur igitur Deus etiam ei alterum concessit? nonne Deo gratissima fuit Lia? nam quemlibet suscipiens ei gratias referebat: merito igitur Deus hanc dono cumulat, quia qui ei gratus, maioribus Dei beneficiis se dignum efficit, sicut econtra cum eis non perfruimur, nostra facit ingratitudo, quæ vt loquitur S. Laur. Iust. *diuinæ bonitatis fontem exsiccat.*

Filij optimæ diuitiæ.

82 *Dotauit me dote bona*, Sept. donauit mihi donum bonum, quodnam quæso ô Lia? sextum filium, cur filium dotem seu donum bonum nominas, cum potius aliquando sint familiarum onera? recte dotem bonam se accepisse Lia fatetur, filium adhuc sextum suscipiens, quia filii si bene educati & optimis moribus instructi, optimæ sunt diuitiæ, ita Lippom. *bene instructa proles maxima sunt diuitiæ, erga quam tamen recte instituendam & Deo educandam miseranda tenet hodie negligentia homines.*

Viri vxoribus suis non sint ingrati.

83. *Dotauit me Deus dote bona, deinde etiam hac vice erit maritus meus*, si exosa propter vultus deformitatem, quomodo tibi congratularis, quod tecum maritus habitabit? nonne Iacob iam sex filios acceperat à Lia? bene igitur ait quod maritus habitabit secum, & secundum Sep. diliget, quia viri vxoribus non debent esse ingrati, *tenentur* inquit Oleast. *viri esse grati fœminis quæ donum augent & prolem multiplicant.* Oleaster.

Degustata dulcedine bonorum spiritualium vitia omni odio prosequimur.

84. *Dotauit me dote bona*, nempe sextum filium tribuens, sextum nempe Zabulon, qui interpretatur habitaculum fortitudinis, quemque dicit Richard. cit. cap. 40. esse odium bonum, odium ordinatum, odium vitiorum; sed cur quintus filius nomen Zabulon non sortitur, sed solum sextus? nonne diximus quintum denotare spiritualium bonorum gaudium? recte ergo post Isachar nascitur hic sextus, & nomen Zabulonis sortitur, quia solum degustata dulcedine bonorum spiritualium, vitia odio perfecto persequimur, *post Isachar Zabulon nascitur* (inquit cit. auct.) *quia per internæ dulcedinis degustationem, odiū vitiorū generatur & vera fortitudinis robur acquiritur.* Richard.

Rarissimus est verus animarum Zelus.

85. *Dotauit me dote bona Deus*, mihi aliū filiū tribuēs nēpe Zabulon, quem existimat Rich. cap. 1. verum Zelatorem denotare; sed qua de causa necesse fuit Liā prius Iudam & Isachar peperisse, quā Zabulon? per Iudā citatus auctor charitatē intelligit, sicut per

Isachar, spiritualium gaudiorum possessionem, quo posito sic respondet, *prius Iudam & Isachar nasci necesse est, quoniam mens quæ charitatis & internæ suauitatis adhuc expers est, rectitudinis normam in suo zelo minime seruare potest: charitas enim docet, quomodo tractare oporteat, quos Zabulon castigat, spiritualium notitia docet quæ sit illa suauitas ad quam inuitantur, vel etiam compelluntur, quibus exterius iucunditas (carnalis videlicet voluptas) interdicitur pro qua sæpe Zabulon vrgente durius agantur, Iudas itaque docere debet modum, Isachar autem causam conceptionis, vt moderante Iuda fiat in spiritu lenitatis, & Isachar vrgente fiat nihilominus causa vtilitatis, vtilitatem tamen eorum Zabulon quærat non suam vt quod delinquentes ferit ad vtilitatem, fit non ad vindictam.*

Ecclesiæ optima dos filii spirituales ex ea nati.

86. *Dotauit me Deus dote bona*, hoc dixit, quando filium Zabulonē peperit, sed expendamus quando Lia glorietur de dote ex Deo accepta, nimirum quando hunc Zabulon suscipit, tunc meminit dotem, tunc dotis pretium & ornamentum exaggerat, & cur Zabulon sextus filius sic facit ad commendationem matris suæ? de illo dicitur Deuter. 33. lætare Zabulon, in exitu tuo, & Isachar in tabernaculis tuis, populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas iustitiæ, & quidem de terra Zabulon exiliere Apostoli prima, Ecclesiæ Christianæ fundamina, qui relictis parentibus, & cœperunt in hoc incumbere vt filios parerent Christo, vt nationes vocarent ad fidem, & renatorum in Domino facerent crescere numerum: merito ergo cum Zabulon à quo filiorum renatorum in Christo progenies exiuit, dicitur bona dos, nata fuisse, hac enim dote filiorum spiritualium maxime floret sponsa virginea, accipite pulcherrime super hoc differentem Richardum Vict. de preparatione ad contempl. lib. 1. cap. 44. *nescio si potest homo aliquid à Deo in hac vita maius accipere, ignoro an possit hac gratia interim maiorem aliquam Deus homini concedere quam vt eius ministerio peruersi homines in melius mutentur, vt de filiis diaboli filii Dei efficiantur, an forte cuiquam magis videbitur mortuos suscitare? ergone maius erit resumere carni bona transitura iterum peritura quam animæ reddere bona æterna in æternum mansura? ô qualis dos, quanta dignitas, talem gratiam à Deo accipere? non debuit Dei sponsa à sponso suo dotem aliam accipere, non decuit cœlestem sponsum sponsæ suæ dotem aliam donare, quam vt per adoptionis gratiā possit multos filios gignere, & de filiis iræ regni cœlestis hæredes adscribere, merito ergo Zabulon nato exclamat mater eius Lia, dotauit me Deus dote bona.*

Deut. 33.

Richard. Vict.

Verus Zelator sicut delinquentes corripere sic infirmiores protegere debet.

87. *Dotauit me Deus dote bona*, nempe cum Zabulon filium mihi dedit, quemque diximus symbolum esse hominis, qui vero animarum Zelo ducitur, quique habitaculum fortitudinis interpretatur, sed cur hanc habitaculi appellationem sortitur? quid enim cōmune est inter Zelatorē & habitaculū fortitudinis? aduerte vt domus fortis censeatur, debet quosque inhabitantes superius protegere, & ab omni parte non solum potentes, sed etiam debiles cingere: recte ergo Zabulon qui est Zelator, habitaculum fortitudinis interpretatur, quia verus Zelator non solum delinquentes corripere, sed & infirmiores ac afflictos protegere debet: fauet toties cit. auct. *vt sit perfectus Zelus vt Zabulon iure dici possit, imo veraciter esse debet, infirmiores contra aereas potestates doctrina & oratione protegere, & contra mundana pericula vndique munire, & in vtroque non solum infatigabilis, sed etiam insuperabilis perseuerare, vigilare ergo oportet, hinc contra insidias diaboli, illinc contra pressuras mundi procul dubio quisquis es in vtroque fortis, habitaculum es fortitudinis & digne Zabulon dici meretis.*

Cit auctor.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXI.

VVLG. Post quem peperit filiam nomine Dinā, *Sep.* Et post hoc, peperit filiam & vocauit nomen eius Dina.

EXPOSITIO.

Post quam Lia *peperit filiam Dinam*, D. Hier. in qq. Hebr. ait Dina hæc transfertur in causam quam significantius græci dicin vocant: iurgii enim in Sichimitis causa exstit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filiæ raro à sanctis generantur.

88. Peperit *filiam nomine Dinā*, quomodo vbi sunt tot filii vna sola filia generatur? Iacob respondea ideo nolle filios à sanctis generari, quia sunt aliquādo in malum omen ita D. Hier. in c. 2. Eccl. 8. in illa verba feci mihi cātores & cātatrices, *nullus sanctorum nisi perraro fœminas genuisse narratur, solusq; salphaad qui in peccatis mortuus est, filias genuit num. 26. & 27. Iacob inter duodecim Patriarchas, vnius filiæ pater est, & ob ipsam periclitatur.*

Hieroni.

Num. 26

Hier.

Coniungati mallent filios habere quam filias.

89. *Peperit filiam nomine Dinam*, nonne cum mares ei nascebantur, incredibiliter exultabat eosque inaugurari solebat nominibus? quomodo igitur vna filia nata nullam lætitiæ significationem dicitur eius mater Lia præbuisse? quia coniugati mallent filios habere quam filias, & ideo in earum natiuitate minime Lætantur. ita noster Lyran, explicans illud Eccles. trigesimi sexti omnem masculum excipiet mulier, & est filia melior filio ait enim *quamuis aliquando filia vtilior sit quam filius, tamen*

Lyranus.

mater in partu libentior excipit filium, & mallet parere masculum.

Fœmina causa iurgiorum.

90. *Peperit filiam nomine Dinam*, quam dicit Dionys. Carth. interpretari causam iurgiorum, si vnica nata est filia Iacob & tot filii, nempe duodecim, quomodo illa sola ex tot illius liberis iurgia dissẽminare dicitur? quia vt plurimum fœminæ iurgiorum seminaria sunt, & occasiones, quod duobus versibus cecinit Phil. Abb. Epig. de mala fœmina.

Dionys. Carth.

Phil. Abb.

Corpus, opes, animos, eneruat, concoquit, angit,
Tela manus, odium suggerit, armat, alit.

Inanis gloria bonis operibus se immiscet.

91. *Peperit filiam nomine Dinam*, cur post tot liberos, fœminam producit? Hugo Carensis per sex filios Liæ, sex opera misericordiæ, pro quibus dicitur electis Math. 25. venite benedicti patris mei, per filiam vanam gloriam, symboli enim illius est mulier propter suam inanitatem: quid mirum igitur si post tot filios filia nascitur? bona enim opera sequitur multoties vana gloria. Fauet cit. Card. *exercitio quippe bonorum operum sæpe se immiscet puluis inanis gloriæ, ideo præcipit Apostolus Matthæus, excutite puluerem de pedibus vestris.*

Hug. Car.

Matt 25.

Hug Card

Seueritas lenitate temperanda.

92. *Peperit filiam nomine Dinam*, cur Zabulon nato ilico sequitur Dina? nonne diximus Zabulon hominem zelatorem intelligi, qui nescit peccatoribus cõdonare, sed ab eis vindictam sumere? sic Elias contra centum quinquaginta Prophetas insurrexit, Phinees solus contra castra Madianitarum irrumpens, adulterantes gladio transuerberauit, Moyses contra fabricatores, vel cultores idoli exarsit, vt statim adiunctis sibi, qui Domini erant, per mediũ castrorum, de porta ad portam percutiendo, transiret, & hominum præuaricatorum tria millia in mortem prosterneret, per Dinam quis dubitat posse intelligi lenitatem? bene igitur Zabulonem immediatè sequitur Dina, quia seueritas quæ reperitur in accincto Dei zelo, lenitate temperanda, audiamus Ricard. cit. cap. 49. *non sine causa fuit, quod post natum Zabulon, Deus Liæ non filium, sed filiam donare decreuit, quæ fratris audaciam blande mitigaret, & furentis animos blandius deliniret, habet enim Zabulon impetus vastos & ingentes gerit animos, sed sciunt fœminæ tumentes animos blandius alloqui, & iratos dulcius blandiri, valde ergo opportunum videtur quod post Zabulon Dina nascitur, vt ex sororis lenitate fratris ferocitas temperetur.*

Ricard.

Iustos qui ceciderunt, verecundia de sua culpa, sequatur.

93. *Peperit filiam nomine Dinam*, sex filios Liæ vidimus, virtutes esse designantes, sed nunquid post has sex virtutum soboles, saltem dabitur cuiquis sine peccato viuere, vt saltem post vitiorum odium, possit sine vitio esse? quis hoc præsumat? quis hoc in hac vita vel sperare audeat? cum Apostolus dicat si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, Ioan. 1. quis est, (vt de cæteris taceam) qui ipsa saltem peccata ignorantiæ possit in hac vita plene deserere? perfecte deuitare? nunquid vel ipsi qui aliorum culpas corripiunt, se ab omni peccati contagio penitus exuunt? imo eos sæpe per quos Deus aliorum errata corrigere disponit, ex magnæ pietatis dispensatione, grauiter cadere permittit, vt ex propria culpa discant, quam misericordes in aliorũ correptione esse debeant: quo posito cur Zabulonis natiuitatem sequitur Dinæ partus? si ea diximus verecundiam denotari, rationi nihil dissonum asseremus, nec etiam quod post tot filios virtutum symbola Dinam subsequi, quia iustos qui ceciderunt verecundia de sua culpa debet comitari, ita cit. Ricard. c. 45. *quantum putas eum ipsum, inquit cum quali se humilitate deiciunt, cum se in id vnde alios corripiunt, vel fortè in aliquid grauius lapsos conspiciunt, qui aliis in statu rectitudinis formam perdere debuerunt, quis putas digne pensare sufficiat, quanta confusio corda eorum transfigat, cum in sua vita vident quod iure valeat ab ipsis etiam reprehendi, quos pro culpa eorum reminiscuntur, à se sæpe & acerbius corripi & durius castigari: hinc est quod post Zabulon nascitur Dina, quia nimirum sæpe nimium zelum interuenientem, culpæ sequitur verecundia, nihil enim aliud intelligimus per Dinam nisi verecundiam, sed ordinatam scium peccatum erubescere, est bonam, est ordinatam verecundiam habere.*

Ioann. 1.

Richard.

Rarum est verum pudorem habere.

94. *Peperit filiam nomine Dinam*, quomodo hæc vltimo in loco gignitur? quomodo ita sero nascitur inter tot filios? diximus per Dinam denotari verecundiam, sed quæso inest ne omnibus? aduerte plures esse quos magis puderet in oratione fecisse barbarismum contra regulam Prisciani, quã protulisse mendacium in suo sermone contra regulam Christi, qui potius confunderentur habere sordidam vestem, quam sordidam mentem: ne sciscitaris ergo cur sola Dina inter tot liberos? ita sero nascitur, quia rarum est verum pudorem & verecundiam, quæ est de ipso peccato, non de sola ipsius peccati infamia, habere, *vultis* prædictus, inquit Richard. cap. 47. *nosse quam sit rarum humanam verecundiam perfecte calcasse, & hanc veram & ordinatam habere quodque est Dinam genuisse, ecce de carnalibus omitto, cum spiritualibus tantum mihi sit sermo, ecce quisquis es, qui te credis iam Dinam genuisse, si cogeris coram multitudine nudo corpore transire, nunquid posses non erubescere? cogita ergo si tantum confunderis, quando immunda cogitatione in mente fordidaris, cur te iactes amplius Dinam genuisse, & ordinatam verecundiam habere? si minus erubescis pudenda cordis quam corporis, si magis vereris vultum hominum quam conspectum Angelorum, siccine magis est erubescendum, quod Deus fecit bene, quod tu male fecisti? diligenter ergo considerans recteque discernens quam sit rarum, vel quam sit paucorum humanam verecundiam plene vicisse, & solam illam quæ ordinata est possidere, non erit vt arbitror vnde amplius quis admirari debeat, cur talem prolem quam sero Lia concipiat vel pariat.*

Richard.

Conscientia

Conscientia mala seipsam iudicat ac condemnat.

94. *Peperit filiam nomine Dinam*, qua diximus verecundiam denotari, sed per interpretationem nominis Dina, existima inter alia etiam iudicium significare, nam דין Dun in Hebræo iudicare interpretatur, sed qua de causa illam & quæ verecundiam denotat iudicium designat? cur eadem quæ est pudor, ipsamet est iudiciũ? quia ipsamet conscientia quæ ex peccatis suis confunditur, & verecundatur, ipsamet seipsam iudicat & condemnat: legite toties repetitum Vict. c. 48. *nec de nominis ratione tacite præteriisse videamur, Dina iudicium istud interpretatur: hoc itaque illud iudicium est, quo quisque à propria conscientia conuincitur, condemnatur, & digna confusionis pœna mulctatur, si enim sibi conscius non esset, non esset vtique vnde erubescere deberet: miro itaque modo mens cuiusque de propria conscientia conuicta, & condigna confusione deiecta vno eodemque tempore ipsa contra seipsam dicit sententiam, ipsa de seipsa sumit vindictam; hoc itaque illud est iudicium, in quo vnus idemque est ille qui iudicat, & ille qui iudicatur, idem ipse qui condemnat, & idem ipse qui condemnatur.*

Ricard.

Quæ casta esse non debet, nulla debet nasci, cum celebritate.

95. *Peperit filiam nomine Dinam*, dubium est, cur in natiuitate huius filiæ, nulla fuit celebritas in domo Iacob, cum tamen filiorum natalitia cũ magno plausu celebrata fuerunt? respondet Honcala, *ideo nullam fuisse celebritatem factam ob præsagium futuri stupri, in quod illa tandem ruit, quasi non deberet nasci cum celebritate quæ cum castitate non vixit.*

Honcala.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXII.

VVLG. recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam & aperuit vuluam eius.

Chaldæus. Et venit memoria Rachelis in conspectu Dei, & suscepit Deus orationem, & dedit ei vt conciperet.

EXPOSITIO.

Recordatus est Dominus Rachelis, per metaphoram Deus dicitur recordari ab effectu, quod preces Rachelis exaudiens, ipsam fœcundauerit, dum enim sterilis permansit, quasi eius oblitus videbatur, *exaudiuit enim eam*, sublato scilicet naturali concipiendi impedimento.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Oratio cordis est, non solum labiorum.

96. Exaudiuit eam, Chald. *suscepit Deus orationem eius*, non legimus coram Deo preces fudisse, suscipere autem Deum orationem, præsupponit quod ipsa deprecata fuerit, quomodo igitur ait Moyses quod Deus Rachelem exaudierit? quia corde, non solum autem labiis orauit, *oratio enim*, inquit Smaragd. Abb. in Diademate Monach. cap. 10. *cordis est non labiorum, neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit: quod si cor tacite oret & vox sileat, quamuis homines lateat, Deum latere non potest, qui conscientiæ præsens est, melius autem est cum silentio orare corde sine vocis sono, quam solis verbis sine intentu mentis.*

Smarag.

Oratio cum perseuerantia exauditur.

97. *Exaudiuit eam*, à multis annis in sterilitate permãsit, quomodo fœcunditatẽ obtinuit: dices precibus, sed quomodo eam antea non est consecuta & nunc eam dono accepit? certum est multoties ad Deum clamasse, solum igitur nunc ait Moyses à Deo fuisse exauditam, quia oratio solum cum perseuerantia à Deo exauditur, vnde optime Abul. *exaudiuit eam, continue petentem à Deo prolem*, expende illa verba, exaudiuit continuo petentem.

Abulens.

Filii precibus consequendi.

98. *Exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius*, nonne eam tanquam maritus agnoscebat Iacob? nemini dubium esse potest, cum enim præcipuo amore eam diligeret, vt fœcunda fieret studebat, quomodo igitur ait Moyses quod Deus eam exaudiuit, prolem ei tribuens? sine dubio vt innueret filios potius precibus consequendos, quàm aliomodo, *admonet hic locus*, inquit Oleaster. *filios non solum congressu viri & vxoris, sed potissimum precibus impetrandos.*

Oleast.

Gratiæ Dei cooperandum.

99. *Exaudiuit eam*, nonne antea dixerat Moyses, quod recordatus est Dominus Rachelis? nonne recordatio solius Dei sufficientissima erat, ad eius vuluam aperiendam, eique prolem tribuendam: cur igitur etiam fit mentio orationis eius ad hunc fauorem consequendum? vt sciremus Dei beneuolentiæ & gratiæ cooperandum esse, coniungẽdamque esse cum Dei recordatione orationem, ad sterilitatem remouendam, *non solum*, inquit Caietan. *ex parte Dei gratia velut recordatio, sed etiam ex parte Rachelis eadem gratia velut exauditio precum Rachelis describitur, vt vtrinque profectum esse effectum insinuetur.*

Caiet.

Oratio cum afflictione onusta diuinis donis ingreditur in sinum deprecantis.

100. *Exaudiuit eam*, non est dubiũ solas preces nõ effudisse, sed etiam lachrymas profudisse, itaut oratio illius fuerit maxima cum afflictione & humilitate coniuncta, cum enim se sterilem agnosceret,

angebatur, & à Deo cum lachrymis & humilitate vt suam amoueret sterilitatem deprecabatur, sed de hac oratione quid dicat regius Vates Psalm. 34. inspiciamus, humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur, nonne oratio in abscondita Dei adyta irruit? Deum sollicitat? exponitque vota deprecantis? quomodo igitur si cœlum ascendit, in sinum orantis conuertitur? quia oratio cum afflictione & lachrymis coniuncta postquam in cœlum euecta, quidquid petit, obtinuit diuinis onusta gratiis, ac domus ingreditur ad deprecantem, ipsiusque sinum Dei replet beneficiis & muneribus, audiamus D. Ambros. cuius est Psalm. explicatio, *hæc est oratio*, inquit, *quæ in sinum conuertitur deprecantis, fructum referens, eorum quæ voluit impetrare, vt dona eius ad animam ac mentem recurrant quæ poposcit à Domino.*

D Ambros.

Maxima est hominis vilitas orantis, sed Dei maxima benignitas exaudientis.

101. **Exaudiuit eam**, nonne illa infinita maiestas suo residens solio excellentissimo, infinitis circumdata spiritibus illius mentem obseruantibus vt obediant, & ministrent? quomodo ergo orationem mulierculæ attente exaudiuit? dicet regius Vates, *quia inclinauit aurem suam mihi*, Psalm. 114. sed eadem difficultas imo maior regreditur, quomodo enim è regali solio illa infinita maiestas ad audiendam & excipiendam orationem descendit, & se inclinat? infinita Domini benignitas, sed & hominis abiectissimi demonstratur miseria, exaudiri quippe non potest hominis oratio, sic enim serpit humi, nec in altum euehit, nisi Dominus maiestatem suam inclinet, nisi seipsum ad audiendum demittat, & humiliet, bene igitur ad hunc Psalm. ait Hieron. *quoniam*, inquit, *nos parui sumus & humiles, & non possumus nos extendere & exaltare, propterea Dominus inclinauit aurem suam & dignatur exaudire nos.*

Psalm. 114.

Hieronym.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIII. & XXIV.

VVLG. Quæ concepit & peperit filium dicens, abstulit Deus opprobrium meum.
Oleast. Opprobrium meum collegit.

VVLG. Et vocauit nomen eius Ioseph dicēs, addat mihi Dominus filium alterum.
Chald. & alii eodem modo legunt.

CONCORDIA.

VErum est quod verbum אסף Asaph etiam significat colligere, congregare, seu retrahere, vnde bene vertit Oleast. collegit opprobrium, ac si diceret Rachel, opprobrium meum ex sterilitate vbique diuulgatur, sed Dominus collegit illud ac retraxit.

EXPOSITIO.

QVæ concepit & peperit filium, media oratione sua, *abstulit Deus opprobrium meum*, quemadmodum cum videmus terram fœcundam, & benignè omnibus è sinu suo vitæ alimoniam suppeditare, eam laudamus: ita è contra si quæ sterilis sit, minimeque cum fœnore accepta semina reddēs, abominationi nobis est, eamque vt humana opera indignam execramur, quæ in illa excolenda luditur: sic antiqui mulierem sterilem indignam honore iudicabant, vnde recte exclamat Rachel fœcunda effecta, abstulit Deus opprobrium meum, opprobrium enim etiam ducebatur in matrimonio eius hinc & maximo bono, quale est proles, priuari, & sicut fœcunditas benedictionis diuinæ fructus est, ita sterilitas maledictionis indicium videri poterat.

Vocauit nomen eius Ioseph, idest augmentum, siue accretio, cuius ratio redditur in littera, quia dixit Rachel, *addat mihi Dominus filium alterum*, adeo enim filios exoptabat, vt ab alterius petitione & desiderio priorem filium nominauerit, alii existimant Ioseph venire à radice אסף Asaph, quod est colligere, seu consummare, sicque Ioseph idem erit quod consumptor opprobrii, quod eo nato ablatum est à matre sua.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Patientiæ præmium non exiguum tribuitur.

102. QVæ concepit & peperit filium, quem mediis precibus consequuta fuerat, sed dandus ne hic filius soli Rachelis orationi? non equidem, sed etiam patientiæ Iacob, qui tot annorum spatio æquo animo seruitutē tolerauit, nobis adstipulat D. Chrysost. Hom. 56. *vides quomodo paulatim promissiones Dei in opus sunt egressæ, ecce enim statim quātū chorū filiorū circa se habuit iustus, & vidit manifestā Dei in se prouidētiā, quoniā enim magnā præ se tulit patiētiā quatuordecim annis seruituté ferēs, propterea Dominus remunerās iusti pietatē, tātū eū crescere fecit vt posthac aliis inuidiosus foret.*

Chrysostom.

Opprobria iniusta curat Deus auferre.

103. *Abstulit Deus opprobrium meum*, cur in alia verba non prorumpis? cur gratias Deo non refers immortales, pro fœcunditate concessa & sterilitate sublata? ad quid tibi congratularis, quod amouerit Deus opprobrium tuum? vt intelligeremus Deum solicitum esse, vt ab iniustis liberemur opprobriis, *bene dixit*, inquit Oleast. *curæ Deo esse iniusta opprobria auferre.*

Oleast.

Beneficium acceptum est ratio accipiendi aliud.

104. *Addat mihi Dominus filium alterum*, nonne filium totis desideriis concupitum accepisti? Deo immorta-

immortales gratias referas cur vno non contenta, adhuc alterum postulas? prudenter equidem, quia solet ea esse immensa magnificentia Dei, vt vnum concessum beneficium, datorem ipsum ad alia subinde conferenda inuitet impellatque, vnde Seraph. à Porrect. ait, *beneficio accepto Rachel maiorem fiduciam à Deo imposterum benefactore habuisse ostensa est, dum Ioseph filium suum nomine insigniuit: talis quo habendi alterius filii nosceretur appetitus.*

Seraphin.

A Deo proles speranda & petenda.

105. *Addat mihi Dominus filium alterum*, nonne ex congressu viri tui concepisti, & peperisti Ioseph? dic ergo addat mihi maritus filium alterum: recte dixit, non maritus sed Deus addat mihi liberum, quia à Deo proles speranda & petenda, *à summo Deo*, inquit Caiet. *Sperat Rachel, sibi adiungi alterum filium, & ab huiusmodi sperato augmento nominauit eum Ioseph.*

Caiet.

Mirum est in coniugatis desiderium filios habendi.

106. *Addat mihi Dominus filium alterum, quem vocauit Ioseph*, idest additamentum denotans desiderium quo tenebatur alium suscipiendi filium, nonne sufficiebat aliquod ei imposuisse nomen, quo te nō immemorem beneficii à Deo accepti declarares? cur ergo vice gratiarum actionis, desiderium, alium habendi filium exprimis? quia nihil ita ardenter cōcupiscunt coniugatæ mulieres, quam plurimorum fieri matres filiorum, *magnum patet*, inquit Abulens. *prolis desiderium, quia nominauit primum ex desiderio habendi secundum.*

Abulens.

Bona animi sine discretione nec acquiri, nec conseruari possunt.

107. *Addat mihi Dominus filium alterum*, cui nomen Ioseph imposuit, licet hic sero nascatur, à patre tamen plus cæteris diligitur, nonne primogenitus in maiori pretio solet haberi, imo plus diligi quam alii? cur igitur Iosephum maiori dilectione prosequitur Iacob quam alios filios? Ricard. lib. superius cit. c. 67. dixit Ioseph symbolū esse discretionis: certū est autē quod virtutes in vitia vertentur, nisi per discretionē dirigantur, timor enim nimius sæpe cadit in desperationem; dolor nimius in amaritudinē; amor superfluus in adulationem, lætitia superuacua in dissolutionem, ira intemperata in furorem, in hūc itaque modum aliæ virtutes in vitia vertentur, nisi prudentia coerceantur, reuoca in memoriam à nobis dictum esse filios Iacob, virtutes designari, quid mirum igitur si tantopere diligatur Ioseph ab eo? quia, inquit cit. Vict. *quis nescit vera animi bona sine discretione, nec posse acquiri, nec posse conseruari, merito ergo illa virtus singulariter diligitur sine qua nulla conquiritur, nulla consumatur, nulla conseruatur.*

Ricard.

Sero nobis discretio contingit.

108. *Addat mihi Dominus filium alterum*, quomodo hunc filium Ioseph tam sero edidisti? si enim maiori amore in te ferebatur Iacob quam in ancillas, imo quam & in ipsam Liam, debebas citius eis cōcipere, aduerte quod prius nos oportet in singulis virtutibus exerceri, & quid in vnaquaque possimus, experiri, quam possimus de omnibus plenam scientiam percipere, & de singulis sufficienter iudicare; multa quidem de discretione legendo, multa discimus audiendo, multa ex insito nobis rationis iudicio, verum tamen de hac nunquam ad plenum erudimur sine experientiæ magisterio: primum ergo est, vt satagamus singulis virtutibus studium frequens impendere, quod dum facimus, necesse est nos sæpius cadere: oportet ergo nos sæpe resurgere, & per frequentem lapsum addiscere, qua vigilantia, qua cautela oporteat virtutum bona acquirere, vel custodire, & sic dum longo vsu virtutum disciplina addiscitur, quandoque mens diu exercitata ad plenam morum discretionem perducitur: quid mirum igitur si ita sero Ioseph nascitur? quia etiam maxima cum difficultate & longo tempore transacto in virtutum exercitio vera nobis contingit discretio, ita cit. Ricard. *vix sero talem filium accipere meremur, quia ad discretionis perfectionem non sine magno vsu, non nisi per magna experimenta erudimur.*

Ricard.

Discretio ex ratione sola nascitur.

109. *Addat mihi Dominus filium alterum quem Ioseph nominauit*, nonne Lia potuit idem nomen filiis suis imponere, vel Zelpha, aut Bala: potuerant enim in votis non vnum sed plures filios suscipere, quomodo ergo sola Rachel filius hic nascitur? si in memoriam reuocamus per Rachelem designari rationem, concludemus ex ea sola Ioseph debuisse nasci, quia ex sola ratione potest prouenire discretio. Fauet cit. Auctor. *patet*, inquit, *ratio cur ancilla non nulla, cur nec ipsa quidem Lia, sed Rachel sola potuerit talem filium gignere siquidem non est sensualitatis, non imaginationis, non denique ipsius affectionis, sed solius est rationis discernere sicut & intelligere, si igitur per Rachel rationem intelligimus, cur non nisi de Rachel Ioseph nasci potuit scitius inuenimus quod de sola ratione discretio oriatur minimè dubitamus, talis proles de tali matre, Ioseph de Rachele, discretio de ratione.*

Cit. Auctor.

In petendo modesti esse debemus.

110. *Addat mihi Dominus & alterum filium*, si Deus est omnipotens & liberalissimus, nec dubium quod sicut in pulchritudine sororem superas, sic & in fœcunditate velles excedere, cur igitur non plures sed vnum tibi filium addi postulas? quia nostræ petitiones debent esse moderatæ, *modesta valde est*, inquit Oleaster, *in prece, quoniam vnicum sibi addi filiū postulat.*

Oleast.

Bona mundi non satiant animum.

111. *Addat mihi Dominus alterum filium*, nonne vnius filii mater effecta, pro cuius possessione toties Deum deprecata es? nonne opprobrium quod ex sterilitate contraxeras, ablatum est? cur adhuc secundum desideras? cur primo non es contenta? quia bona huius vitæ licet ardentissimè concupita, vbi demum acquiruntur, & possidentur, humanam mentem non possunt satiare, nec explere appetitum.

Gratitudine ad alia beneficia accipienda viam paramus.

112. *Addat mihi Dominus & alterum filiū*, cur Dei liberalitati hoc beneficium tribuisti, non autē Iacobi virtuti? quia hac gratitudine erga Deū ad aliud be-

neficium, nempe ad nouam prolem habendam, viã sibi parabat, *parat si viam*, inquit Lusitanus, *gratitudine viam ad maiora beneficia habenda*, quid enim gratus non obtinebit?

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXV.

VVLG. Nato autem Ioseph, dixit Iacob socero suo, dimitte me, vt reuertar in patriam, & ad terram meam.

Septuaginta. Factum est autem vt peperit Rachel Ioseph, dixit Iacob ad Laban, dimitte me vt abeam in locum meum, & in terram meam.

EXPOSITIO.

N*Ato autem Ioseph*, qui fuit vltimus natu in Mesopotamia, *dixit Iacob socero suo*, nempe Laban, *dimitte me*, iam enim quatuordecim annorum seruitium adimpleuerat, da mihi inquam licentiam, *vt reuertar in locum meum*, nempe natiuitatis meæ.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Quo quis plura à Deo beneficia accepit, eo sit humilior & modestior.

112. D*Ixit socero suo dimitte me*, si cum fraude & dolo Liam prò Rachele supposuit, si quatuordecim annorum seruitium à te exegit, si tot à Deo beneficia accepisti, cur eum seuere non alloqueris? cur eum perfidum non nominas? imo cur tam modestè cum eo te geris? quia quo quis plura à Deo beneficia accepit, quo quis maius expertus est diuinum præsidium, & multiplici effectu confirmatum habuit, eo humilior & modestior debet esse, *vide iusti magnam gratitudinem*, inquit Chrysost. *quomodo videns Deum manifestè sui curam habere non superbiuit, contra Laban, sed cum magna mansuetudine dixit, dimitte me.*

Chrysost.

Quod promisimus adimpleamus.

113. *Dixit socero suo dimitte me*, cur postquam tot ex Lia & ancillis filios suscepisti, licentiam abeundi non petiisti? nonne pollicitus fuerat pro Rachel septem annis Laban, obsequium se præstiturum? recte ergo post quatuordecim annorum seruitium adimpletum, solum abire petiit, quia quod promisimus fidelissime adimplere debemus, vnde optime Lyr. *post natiuitatem Ioseph satis cito compleuit seruitiũ quatuordecim annorum, & ideo petebat licentiam redeundi ad terram suam.*

Lyran.

Contemplatiuus patriæ cœlesti anhelat.

114. Dixit *socero suo, dimitte me vt reuertar in terram meam*, quomodo, quamdiu Lia fœcunda fuit, quamdiu ancillæ filios genuerunt, patriam regredi non petiisti? cur solum postquam ex Rachel filium suscepisti reditum anxie desiderasti? satisfacit Stephan. Cant. in alleg. Tilm. *quia vir iustus cum adhuc laboriosius exercetur, ad cœlestem patriam non anhelat, sed quam cito se contulit ad cõtemplationis requiem, & fruitur contemplatione diuina, tunc totis mentis affectibus ad superna suspirat.*

Tilm.

Vbi diuinum præceptum intonat, humanum consilium negligendum.

115. *Dimitte me vt reuertar in patriam meam*, quamuis decreuisset Iacob exire de domo Laban, noluit tamen abire hospite, vt aiunt, insalutato, sed postea cum hoc ipsum de profectione cõsiliũ, quod aliquo temporis spatio omiserat recepit, rem totam censuit occultandam, nam vt est in littera, noluit cõfiteri socero suo, quod fugeret, cur obsecro prius illud consilium socero manifestans, hoc posterius occultauit? ratio profecto hæc esse potest, quod illud prius consilium suscepit Deo nondum imperante, vt abiret, ac proinde inurbanum credidit, deserere suum socerum insalutatum, at vero hoc posterius consilium recepit Deo imperante, ac dicente, reuertere in terram patrum tuorum, vbi autem diuinum præceptum intonuit, humanum consilium censuit negligendum, quod recte ponderauit Chrys. Hom. 57. *non*, inquit, *vltra sicut prius interrogare eum voluit, sed quod imperatum erat à Domino impleuit*, quasi nefas esset diuino imperio vrgente, hominum consilium spectare, ne ab eo rei gerendæ impedimentum potius quam incitamentum oriatur.

Chrysost.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXVI.

VVLG. Da mihi vxores & liberos meos, pro quibus seruiuit tibi, vt abeam, tu nosti seruitutẽ meam, qua seruiui tibi.

Sept. redde vxores meas & paruulos meos.

Pag. Propter quos seruiui tibi.

EXPOSITIO.

EXPOSITIO.

Da mihi vxores, quasi diceret, iam absolutum est tempus seruitii quatuordecim annorum, quo tibi obstrictus eram, *da igitur mihi coniuges*, sed præcipue Rachelem & Liam, *pro quibus seruiui tibi*, hoc intellige quod principaliter pro Rachele seruierit, *tu nosti seruitutem meam qua seruiui tibi*, quasi diceret, negligentiæ vel infidelitatis non possum accusari, omnes enim conatus adhibui vt ea quæ curæ meæ erant commissa, semper proficerent & multiplicarentur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Raro Domini sunt memores seruitii sibi præstiti à famulis.

116. *Da mihi vxores & liberos meos vt abeam*, cur necesse fuit Iacob id petere? nonne iam absolutum erat tempus quatuordecim annorum, quos promiserat adimpleturum in obsequio Labani? cur igitur ô Laban, non ais, finitum esse tempus suæ seruitutis, vt cũ vxoribus & suis liberis ad domum patriã regrediatur? mihi ta.e loquitur, raro enim Domini sunt memores seruitii sibi præstiti à famulis, *admonum*, inquit Oleaster, *raro dominos recordari ministerii famulorum an finiatur, aut quando, neque sic mercedis sicut operis meminisse.*

Oleaster.

Famuli fideliter dominis suis ministrent.

117. *Da mihi vxores*, rationem subiungit, *tu nosti seruitutem qua seruiui tibi*, cur in medium proponis quam exacte & fideliter seruitutem tuam absolueris? nonne hoc tibi Laban in…ect cognitum? ita equidem, cur igitur hoc in medium proposuit? vt ex eo alii discerent famuli, dominis suis fideliter ministrare, vnde optime Salian. ad annum 2290. *ne forte causaretur Laban sibi parum fuisse factum esse, subdit tu nosti seruitutem qua seruiui tibi, non scilicet fideliter, quam non leuis labor fuerit, quam seruiuer tibi.*

Salian.

Animus liberalis de mercede non est sollicitus.

118. *Da mihi vxores & liberos meos*, cum tot annos in seruitio Labani consumpseris fideliter & magno cum eius prouentu, cur ab eo mercedem ingentem vel pecudum vel pecuniæ non exigis, pro sustentanda familia? nihil præmii ab eo requirit, animus enim liberalis qualis erat Iacob, minime de mercede est sollicitus, *nihil mercedis à socero exigit*, inquit Lipp. *non dotem, denique pro nobili ingenio & liberali, mauult gratuitus abire quam mercedem ab ingrato promeritam exigere.*

Lippom.

Erga Dominos simus vrbani.

119. *Da mihi vxores & liberos meos*, cur insalutato Laban, in patriam non proficisceris? nonne eum infidum esse iam compertum habes? fraudibus adhuc te circumueniet, abi igitur, antequã deludaris, insalutato socero noluit abire, ne inurbanus argueretur, nam erga dominos maxime vrbani esse debemus, *quare dixit*, inquit Chrys. *da mihi vxores & liberos, digne honore eum prosequutus est, suumque morem per omnia obseruat & libere discedere vult.*

Chrysost.

Viri vxores suas diligant.

120. *Da mihi vxores & liberos*, cur solum quousque tibi Ioseph nasceretur, licentiam abeundi à Laban petiit? nonne iam adimpletum erat tempus, tui obsequii? aduerte quod si ante natiuitatem Ioseph voluisset abire, cum nondum suscepisset filium ex Rachel, Laban eam retinuisset, quod molestissimum tulisset: vt igitur declararet quanto amore in vxorem feratur, non vult antea discedere, quã sit securus quod secum eam duceret: fauet Rupert. lib. 7. cap. … *sic postquam natus est Ioseph, vt proculdubio fuerunt … hoc dicere Iacob … timuit ne auferres filias suas, & idcirco clam ille profectus est sicut ait, te inscio profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas, quanto magis Rachelem quam amabat auferri sibi timere poterat, si profectus esset vel cum adhuc nullum ex ea filium suscepisset?*

Rupert. Abb.

Melius est cum iustis peregrinari, quàm cum impiis, diuites commorari.

121. *Da mihi vxores & liberos*, ne quid sinistri suspicetur Laban, rationem sui discessus in medium profert, minimum recedat in secum meum, quasi dicat, non ad aliquem alium locum me transfero, sed ad parentes meos, scis non huc venisse, vt tecum semper commorarer, sed sumpta vxore ad patrem reuerterer: sed o Iacob, nonne satius cum Laban homine ditissimo manere, quam in terra peregrinationis cum tuis esse? nota parentes Iacob iustos & pios, secus autem Laban cum suis, cum essent idololatræ: ne tibi igitur rationi dissonum videatur, si tantopere discedere desiderat, quia melius est cum iustis peregrinari, quam cum impiis, diuites commorari, *obseruabis*, inquit noster Ferus, *quod terram in qua pater suus peregrinabatur, præfert terræ in qua omnis olim parentela Abrahæ habitauerat, maluit cum sanctis peregrinari quam cum impiis multa possidere.*

Noster Ferus.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVII.

VVLG. Ait illi Laban, inueniam gratiam in conspectu tuo, experimento didici quam benedixerit mihi Deus propter te.

. p. Si inueni gratiam coram te, auguratus sum, vtique benedixit enim mihi Deus in ingressu tuo.

Cald. Si nunc inueni gratiam in oculis tuis, expertus sum quod benedixerit mihi Deus propter te.

Chrys. Si quæso inueni gratiam coram te, coniectans enim coniectare certo possum, quod benedixerit me Deus in ingressu tuo.

CONCORDIA.

VErbum נחש nahas ambiguum & multarum apud Hebræos significationum est, varie à Septuaginta & interprete vertitur, vertitur enim modo experiri, & vsu percipere, modo augurari significat, hinc factum est vt hoc quod Hebraice est, נחשתי nihasti Septuaginta οἰωνισάμην augurarer verterint, cuius lectionis græcæ hic potest esse sensus, si tibi charus sum, & quod cupio abs te impetrauero, auguratus vtique sum, idest habebo id optimi augurii & ofiicii loco, vel putabo me optimo augurio recepisse te in domum & familiam meam, vel auguratus sum me fore fortunatum, si tu diutius apud me fueris, & mea administraueris.

EXPOSITIO.

INueniam gratiam in conspectu tuo, si tibi charus sum, vel si quid mei gratia vis præstare, subaudiri debet mane mecum, hæc autem verba subsequentia, *experimento didici*, quasi per parenthesim apponi deberent, sicut habet Chrys. vt clarior sensus redderetur, scilicet expertus sum, Deum mihi tui causa benefecisse, & bona largitum fuisse.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mansuetudo omnia vincit.

122. INueniam gratiam in conspectu tuo, vnde Labano erga Iacobum tanta humanitas, tamque noua & inaudita humilitas? quis crederet Laban sic in flecti & emolliri posse? reuoca in memoriam quanta cum benignitate eum alloquutus est Iacob, licentiam discedendi à domo sua & ad patriam regrediendi postulans, dixit enim dimitte, ne sciencem igitur quomodo de tam barbaro ac truculento homine victoriam retulit, itaut ex superbo humilem effecerit? quia hæc est mansuetudinis victoria, benignitatisque triumphus, *nihil enim*, ait D. Chrysostomus hom. 57. *mansuetudine validius, nihil potentius, vide quomodo primum mansuetudine vsus effecit vt Laban magna beneuolentia responderet.*

S. Chrysost.

Ex consortio bonorum etiam temporalia bona malis eueniunt.

123. *Experimento didici quod benedixerit mihi Deus, propter te*, nonne impius & improbus erat Laban? quomodo igitur in te sua familiari multiplicatus? quomodo tot bonorum tẽporalium possessor? quomodo tot armentis & gregibus abundat? inspice quid ipsemet Iacobum alloquens fateatur, *benedixit mihi Deus propter te*, vt inde conspiciamus, quod Deus improbos etiam homines ex consortio iustorum fecundet & prosperet, *Laban erat malus*, inquit Seraph. Porrect. *vt pote Idololatra, Iacob vero bonus, & ex cohabitatione simultanea accreuerunt bona temporalia ipsi Laban, ergo boni & mali dum mali existunt vtiles sunt, & si non spiritualiter, quoniam ipsorum malorum voluntas obsistit, saltem temporaliter.*

Seraphinus.

Impii pietatem aliquando simulant vt suæ studeant vtilitati.

124. *Experimento didici quod benedixerit mihi Deus*, nonne idolorum es cultor? nonne etiam fraudulentus? quomodo ergo sanctissimum Dei nomen profers? quomodo illius singularem erga te beneuolentiam agnoscis? dicerem te iustum & Deo gratissimum, sed falleret, nam si pietatem obseruat, non quia pius est, sed vt hoc prætextu & simulatione, suæ consulat vtilitati, *forma siquidem verborum* (inquit Lippom.) *pietatem præseferentium reuera tamen proprio commodo prospicit & suas cupiens magis diuitias augeri, impostura omnibus ipsum circumuenit.*

Lippom.

Iustus magno in pretio à Deo habetur, à mundo despicitur.

125. *Experimento didici quod benedixerit mihi Deus, propter te*, nonne tanquam inops despiciebatur Iacob, saltem si cum Laban eum conferamus? nemini dubium hoc esse potest, sed quomodo si ita vilis habetur, Laban fatetur propter eum tot in bonis temporalibus benedictiones accepisse? vere equidem, quia bonus magno in pretio habetur à Deo, licet à mundo despiciatur, *iustus enim*, inquit Hier. exponens hunc vers. Psal. 111. in memoria æterna erit iustus, *semper in Dei memoria est.*

S. Hieron. Psalm.

Qui salutis animarum suscipiunt curam, gratiam Christo præstare videntur.

126. *Experimento didici*, sed antea, *inueniam gratiam in oculis tuis*, scilicet vt adhuc mecum maneas, pecorumque sis pastor, Hugo Charent. ait, per Laban denotari Christum Dominum, sed cum de plenitudine gratiæ nos omnes accepimus, quomodo fieri potest quod aliquis quantaue sanctitate prædictus, ei possit gratiam conferre? salati animarum inuigilando, sic prædictus Card. *gratiam inquit conferunt Christo qui propter pascenda pecora Laban nempe Christi laborem non respuunt.*

Hugo Carens.

Prælati plus exemplo doceant quàm verbo.

127. *Experimento didici*, si à tot annis tecum commoratur Iacob, totiesque cum eo contulisti sermones, cur non ais, verbis tuis & sermonibus expertus sum, quod mihi Deus benedixerit tui gratia? per Iacob pastorem ouium, animarum præsidem intellige, & disces recte de eo dixisse, quod experimento didicerat, non autem sermone, *quia boni prælati*, inquit Hugo Car. *plus proficiunt Ecclesiæ Dei exemplis, quam verbis.*

Cit. Hugo

Abstineamus à verbis paganismum redolentibus.

128. *Experimento didici*, Septuag. imo D. Aug. in locutionibus in Genesim legit, *auguratus sum vtique*, nonne augurari verbum est prophanum & à fidelibus vnius Dei cultoribus alienum, cum paganorum

norum superstitionem redoleat, qui aliquid prosperum vel infaustum ex auium volatu prædicebant? quomodo igitur hoc verbo augurari, sacra vtitur scriptura? profert vtique non tanquam prolatum ab vnius Dei cultore Iacobo, à quo omne verbum redolens paganismum, debet abesse, sed à Laban idololatra: sic Orig. Num. 23. [Origen.] *non dixit*, inquit, *scriptura augurium in Iacob sed Laban, quia etiam gentilis dixit auguratus sum, quasi alienum ab instituto Iacob:* & Procop. [Procop.] *cæterum Labanus auguratur alienigena, qui nec dum explorauerat vera religionis vires.*

Benedictione Dei, bonis temporalibus cumulamur.

129. *Experimento didici quod benedixerit mihi Deus propter te*, in quibus tibi Deus benedixit? si enim benedictionē pro laude intelligamus, iuxta illud Apocal. 5. [Apocal. 5.] sedenti in throno, & agno benedictio & honor & gloria, te à Deo benedictum nescio, si benedictionem pro æternæ vitæ consecutione accipiamus, iuxta illud Petr. 3. [1. Petri 3.] in hoc vocati estis, à Deo hanc consecutū benedictionem non video, quomodo igitur te à Deo benedictum fuisse asseris? quia à Deo temporalibus bonis cumulatus fuit, quæ quidem diuitiarum abundantia, etiam à Dei benedictione emanat: quod optime agnouit Polychro. [Polychron.] in cat. Iob. explicans hunc versum primi cap. [Iob. 1.] operibus manuum eius benedixisti, ait enim, *quæcumque ad agricolationem pertinent, magnopere suppeditant ei copiosos fructus, terra progignente innumeras fruges, prasignificante racemos vberes, in palmitibus ostendente exuberantis oleæ fructum prabente, atque omnem quæ ex omni fructuum pomorumque percipitur voluptatem pollicente, nempe isthæc à te Domine proficiscuntur, soli fertilitas, cœli temperatio, sementis exaggerata copia, boum opera, cæteraque omnia quibus agricultura recte gubernatur.*

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVIII.

VVLG. Constitue mercedem tuam, quam dem tibi.
Sep. Distingue mercedem tuam ad me & dabo.
Pag. Nomina mercedem tuam mihi & dabo eam.
Oleast. Explica mercedem tuam.
Caiet. Declara mercedem tuam super me.
Vatab. Præscribe mercedem tuam mihi.

CONCORDIA.

VErbum נקב na Kab proprie significat perforauit, transfixit, vt patet 2. Reg. 18. ingredietur manum eius vnekabah & perforabit eam, metaphorice autem seu improprie significat explicare, declarare, seu distinguere, quoniam id quod perforatur peruium luci fit & clarius.

EXPOSITIO.

COnstitue mercedem tuam, cùm experientia didicisset Laban, quantum opibus & pecorum innumera multitudine multiplicatus fuisset post aduentum Iacob, omni studio contendit illius à se discessum impedire, detinere igitur noua mercede in posterum statuenda nititur, *constitue*, inquit, *tibi mercedem tuam*, tu ipse declara, æstima, quid merearis, quid velis, pro futuro deinceps in pascendis gregibus seruitio præmii ac mercedis, *quam dem tibi*, illam polliceor integram, haud dubie recipies.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Patria nos suaui violentia allicit.

130. COnstitue mercedem tuam, mercede pro pecoribus suis pascendis oblata, satagit Laban detinere Iacobum, ne in patriam suam redeat, cum ad id licentiam petierat: quod equidem miror, nam Mesopotamia focunda est, & pascendis gregibus idonea, nec non plurimis abundans, ad vitæ fœlicitatem, cur igitur eam incolere renuis? cur in patriam redire ita sollicitus niteris? quia nihil patria dulcius, & quamuis in alieno solo ditissimos & fœlices suaui violentia allicit, *reliquerat*, inquit Hamerus [Guill. Hamerus.], *natale solum, & patrios penates, idque metu fratris sui, cæterùm patriæ dulcedo desiderium mentem cordatum alioqui virum tetigit, potuisset quidem in fertilissimis Mesopotamiæ campis æuum agere, sed patria traxit illum, atque adeo prima vitæ incunabula.*

Etiam impii gratitudinis non sunt immemores.

131. *Constitue mercedem tuam*, nonne tu es ille Laban, qui fraudibus Iacobum circumuenisti? qui plurimorum superstitiosus est cultor deorum? quomodo nunc ita liberalis, vt non solum mercedem ei constituas, sed optionem præbeas, vt quam sibi velit diri seligat? aduerte Labanum experimento didicisse, diuitiis cumulatum propter Iacobum: quid mirum igitur, si in eum, quamuis idololatra, sit liberalis? quia etiam impii beneficii accepti non sunt immemores: fauere videtur Chrys. [S. Chrysost.] inducens Labanum alloquentem Iacob, *non ignoro*, inquit Laban, *quod post aduentum tuum locupletior mihi diuina beneuolentia contigerit, igitur quia sentio beneficia quæ mihi propter aduentum tuum data sunt, quam velis mercedem indica, & ego prompte prastabo.*

Non sunt quærendæ coniuges ob diuitiarum opulentiam.

132. *Constitue mercedem tuam*, quamuis aliqui arbitrentur de præterito tempore locutum, certius est sermonem esse de futuro, qua videlicet mercede velit Iacob in posterum, vt ob illam apud socerum re-

tineatur, enimvero ferus & auarus homo, pro quatuordecim annorum exacto seruitio, non aliam Iacobo mercedem quam filiarum suarum coniugium, aut dederat adhuc, aut imposterum dare decreuerat: sed cur Iacob præter vxores, aliam non petiit mercedem vt familiam honestè & cum decore conseruare posset? quia non vxores ob diuitiarum opulentiam quærebat, sed ob earum virtutem, vnde non dotem coniugii, aut expetiuit, aut exegit à socero, *iustus*, inquit Chryſ. *neque cogitauit, neque mentionem fecit, neque requisiuit mercedem laborum, sed hoc solum dixit, redde mihi vxores meas, ille reueritus iusti magnam æquitatem, inquit constitue mercedem.*

Chrysost.

Mansuetudo dificillima obtinet.

133. *Constitue mercedem tuam*, huic oblatæ mercedi non renuit Iacob, sed acquiescit, ad patriam regredi non tentans, quomodo tam cito de discessu mutasti consilium? attende obsecro quanta cum benignitate Laban alloquutus fuerat Iacobum: poterat enim vt erat ferus, dicere Iacob, quid à me discedere molitis? ingrate! postquam te egenum benigne in domum meam recepi, tibi nudo & pauperi filias meas in vxores tradidi: si abieris, nudum te dimittam: hæc verba vel alia huiusmodi non protulit, sed omni cum comitate constitue mercedem tuā ait, quid mirum igitur Iacob iam discessum non meditari, de regressu mutasse sententiam, hæc enim mansuetudo Labani ab eo consequuta est, *vtilem*, inquit Lipp. *Laban sibi moram cernebat Iacob, ideo diutius illum retinere molitur, mansuetioribus verbis compellendo vt maneat.*

Lippom.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIX.

VVLG. At ille respondit, tu nosti quomodo seruier m tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua.

Sep. Tu nosti quæ seruiui tibi, & quanta erant pecora tua mecum.

Pag. Tu nosti qualiter seruierim tibi, qualis fuit grex tuus mecum.

Arias. Et quæ fuit tua acquisitio mecum.

Oleast. Et quæ fuit tua substantia mecum.

Caiet. Tu nosti quod seruitium exhibui tibi, & quis fuit tuus grex cum me.

CONCORDIA.

מקנה mi Kne non solum possessionem siue substantiam, sed pecora significat, hinc est quod Caldæus cum Septuag. hoc secundum dixit, deducitur à radice קנה Kana quod est comparauit, seu acquisiuit.

EXPOSITIO.

TV *nosti quomodo seruierim tibi*, ignorare non potes quantæ tibi fuerim vtilitatis, experientia enim didicisti, quod fideliter tibi ministrauerim, & omni qua potui diligentia gregibus tuis multiplicandis inuigilauerim, *& quanta in manibus meis possessio tua*, idest quale pecus, quantumque multiplicatum me pastore, tuaque aucta substantia.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Paterfamilias eligendis piis famulis studeat.

TV *nosti quomodo seruierim tibi, & quanta in manibus meis possessio tua*, idest qualiter me pastore aucta fuerit, certe ô Iacob exprobrare Labano videris, quid pro eius obsequio profeceris, non eo equidem fine hæc in medium proponit, sed vt agnoscat paterfamilias, quod eligendis piis famulis studeat, vt ex eorum consortio sua augmentum accipiat familia, *à sapiente patrefamilias*, inquit Hamerus, *haudquaquam alienum esse videtur, si in famulis deligendis optimum quemquam sibi delegerit, pietate, religioneque conspicuum, sic certe fiet vt negotia eius Deus fortunet & in manus proueheat.*

Hamerus.

Seruus potest quanta cum fidelitate seruierit, aperire.

135. *Tu nosti quomodo seruierim tibi*, cur Domino operam tuam & laborem inculcas? nonne vidit? nonne expertus ipse est quanto cum studio ei obsequutus fueris? quid promereris non ignorat, nihilominus prudenter id aduertit Iacob, quia seruus potest (dummodo modeste) quanta cum fidelitate hero suo seruierit, aperire, *vide excellentem*, ait Chryſ. *iusti mansuetudinem, quomodo nec sic onerosus & molestus est Labano, sed ipsum testem tuæ gratitudinis & fidelitatis, & quanto tempore beneuolentiam in seruitute illius declararit*: & Oleast. *quia non aduerterat ipse Laban, opus fuit vt Iacob ostenderet operas suas.*

Oleaster.

Bona Ecclesiæ non Prælatorum, sed Christi seu pauperum.

136. *Tu nosti &c. & quanta in manibus meis possessio tua*, cur non dixit possessionem meam; cum labore & diligentia tua aucta fuerit, non autem illius? reuoca in memoriam quod Laban ex Hugone Cardinali, typus erat Christi Domini, sicut erat Iacob prælati, quo posito bene dixit Iacob, non meam, sed illius possessionem, bona enim Ecclesiastica, potius sunt Christi Domini, siue pauperum, quam ipsius prælati, ita citatus Card. *notabile est quod dixit Iacob possessio tua non mea, bona enim Ecclesiæ non Prælati sunt, sed Christi & filiorum eius, idest pauperum: vide sicut Hier. furtum facere conuincitur Prælatus qui de bonis Ecclesiæ vltra necessitatem retinet aliquid*: sed quid dicat Concil. Mediol. 1. quod sub Pio quarto S. Carolus Borro. Mediolani habuit, audiant

Hugo Card.

diant quæso Beneficiati, quid inquam dicat in 2. parte constit. titul. quæ pertinent ad bonorum Eccles. conseruationem, *ii qui Ecclesias*, inquit, *& beneficia Ecclesiastica quæcumque obtinent, quorum fructus ad eos tanquam diuinorum obsequiorum ministros, honeste sustentandos proprie sunt attributi, si vberiores sint, quam ad tuendam vitam, conditionisque suæ rationem requiratur, dubitare non debent ad eum finem hanc copiam illis esse attributam, vt præter ea quæ ad victum & cultum eorum satis essent, suppeterent etiam quibus diuini cultus ornatus, ac splendor conseruaretur, & pauperum inopia, & indigentia subleuaretur: quemadmodum etiam Deus plerosque diuitiis cumulat, vt amicos sibi faciant, à quibus cum defecerint in æterna recipiantur tabernacula, quamobrem per viscera Iesu Christi misericordiæ obtestamur, atque monemus, vt meminerint ea bona non esse sibi credita ad luxum, neque ad augendos consanguineos, sed ad vitam honeste, vt fidelem Dei ministrum & pietatis christianæ magistrum decet, traducendam: ex eo vero quod superserit, si necessaria pauperibus alimenta denegarint, intelligant se, quos non pauerint, occidisse, atque ad violatam sanctissimæ charitatis legem mortale peccatum commisisse, quo sibi iram in die iræ thesaurizauerint.*

VARIETAS LECTIONVM VERS. xxx.

VVLG. Modicum habuisti, antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum, iustum est igitur vt aliquando prouideam domui meæ.

Sep. Parua enim erant, quæ tibi erant coram me, & aucta sunt in multitudinem, & benedixit te Deus in pede meo, nunc itaque quando faciam etiam mihi domum?

Cald. Quoniam pauca quæ erant tibi, coram me creuerunt in multitudinem, & benedixit tibi Dominus propter me, & nunc quando faciam ego etiam pro domo mea.

Pag. Quia pusillus, qui fuit tibi ante me, creuit in multitudinem, & benedixit tibi Deus, ad ingressum pedis mei &c.

Oleast. Quoniam parum quod tibi fuit ante, extendit se, &c. quando faciam ego domui meæ?

Arias. Quia pusillum quod tibi fuit ad facies meas, & creuit in multitudinem, & benedixit tibi Deus ad pedem meum

Bib. Ant. Nam parũ erat, quod habebas ante me, & creuit vehementer, benedixit Iehoua tibi, &c. nũc autem quanto op. rabor etiam ego pro domo mea?

Procop. Benedixitque tibi Deus super pede meo.

CONCORDIA.

IN Hebræo est כִּמְעַט Kimeat, quoniam modicum vel pusillum, quod comprehendit in communi substantiam ipsius Laban, vel solum pecora, vt Caldæus & Septuag. vertentes, in plurali expresserunt, quoniam pauca bene antiquus interpres vertit, & creuit vehementer: dictio enim Hebraica פרץ phara aliquid amplius denotat quam crescere, sed erumpere in maximam multitudinem ad modum plurimarum aquarum, terram inundantium, vnde fit quod Oleaster dixerit, extendit se substantia tua, vbi legimus ad introitum, Hebraice est לְרַגְלִי leragli, ad pedem meum, quæ quidem locutio peculiaris est Hebræis, quam interpres accommodauit latinitati, nam si dixisset benedixit te Dominus ad pedem meum, nimis obscurum fuisset, quod tamen Septuaginta non cauere.

EXPOSITIO.

MOdicum habuisti, idest perexiguæ erant facultates tuæ, numerusque pecorum tuorum exiguus erat, quem mihi commiseras, *antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es*, nunc autem omnes facultates tuæ in immensum excreuerunt, *benedixitque tibi Dominus ad introitum meum*, quamprimum ingressus sum domum tuam, Deus in omnibus locupletauit te, *iustum est igitur*, & rationi consentaneum, *vt aliquando prouideam domui meæ*, idest sicut tuarum facultatum maximam curam hactenus gessi, sic sollicitum me esse oportet, vt thesaurizare valeam, tanquam paterfamilias pro vxoribus & liberis.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Virtutem etiam remunerat Deus bonis temporalibus.

137. BEnedixit tibi Dominus ad introitum meum, Sept. ad pedem meum, quæ sanctitas in pede Iacobi fuit, vt ad ingressum pedis eius, Deus benedictionem suam impertierit super Laban, eumque tot facultatibus locupletauerit? ne pedem intelligas vt sonat, sed virtutem Iacobi spectans Deus, etiam illius intuitu Labano bona temporalia tribuit, *clara est huius dicti sententia*, inquit S. Theod. q. 87. *pedem enim vocauit aduentum, perinde ac si dixisset propter aduentum & sollicitudinem meam, Deus tibi bona impertiuit: ille enim animaduertens pietatem meam omnimoda benedictione prosequutus est, quæ abs te mihi commissa sunt.* (S. Theod.)

Maioris pretii est apud Deum pes vnius serui pii, quam integer dominus, & tota familia non pia.

138. *Benedixit tibi Dominus ad introitum meum*, Procop. super pede meo, quid ais Iacob, an pedem tuum considerauit, vt Labano benediceret? nonne totum excellentius est parte? ergo potius integrum Labanum attendisset, vt suam ei benedictionem

impertiisset, quam vnicum Iacobi pedem, sed falleris, quia maioris pretii est apud Deum pes vnius serui pii, quam totus Dominus illius non iustus, cum super pede Iacob prosperam ac fœlicem reddiderit Labani familiam, quam illius opera, labor, imo filiorum suorum industria pauperem, abiectam, vilemque habuerunt, nescio si ad hoc respiciens Procop. ait, *depromit Deus benedictionem super speciosis pedibus annuntiantium pacem.*

Procopi.

Deus nihil irremuneratum relinquit.

139. *Benedixit tibi Dominus ad introitum meum*, quasi diceret, facultates tuas auxit, & tua multiplicauit pecora, post ingressum meum in domum tuam, sed tribuendane est hæc benedictio solius Iacobi meritis, vel etiam alicui bono operi morali Laban, nempe illius hospitalitati, qua benigne nepotem excepit? quidni? vt possimus asserere, Deũ nihil relinquere irremuneratum: fauet Dio. Carth. dicens, *auxit Deus tua temporalia mox vt ingressus sum ad te, & hoc propter me, seu meritis meis, quia aliquam amicitiam & pietatem mihi exhibuisti pro quibus tibi reddidit Deus benedictionem istam terrenam, qui nullum bonum irremuneratum relinquit.*

Dion. Carth.

Tenetur paterfamilias suæ prouidere familiæ.

140. *Benedixit tibi Dominus &c. iustum est vt prouideam familiæ meæ*, nonne Laban est tuus socer? cur igitur res illius non agis? cur ei non ministras, vt tua sollicitudine & cura facultates suæ augmentum recipiant? prudenter equidem ait Iacob, iustum est vt prouideam familiæ meæ, tenetur enim suæ consulere, *curanda est propria domus*, inquit Oleaster, *neque semper aliorum commodis seruiendum est.*

Oleast.

Deus minime tentandus.

141. *Benedixit tibi Dominus &c. iustum est vt prouideam familiæ meæ*, nonne pollicitus tibi est Deus, futurum tuum custodem, posteritatemque tuam in immensum multiplicaturum, tibique semper affuturum? cur igitur tuæ vis prouidere familiæ? cur anxius augendæ tuæ facultatis curam habes? omnia diuinæ committe prouidentiæ: committat, sed laboret & inuigilet etiam, Deus enim minime tentandus, *sic prouidentiæ diuinæ innitendum est*, inquit Lippom. *per omnia, vt tamen non omittatur studium humanum, & opera, non vult Deus tentari, non vult otio torpere fideles.*

Lippom.

Parentes filiis prouideant.

142. *Benedixit tibi Dominus &c. iustum est vt prouideam familiæ meæ*, cur tibi curæ est familia? nonne plures habes liberos, qui ei consulent, quique labore suo sollicitè & anxiè facultates tuas augebunt? nunc igitur quiesce, vitamque fœliciter trãsige: verum prudenter ait, iustum est vt prouideam familiæ meæ, parentes enim suis tenentur consulere filiis, *necessarium*, inquit Lipp. *vt post hac non tam tibi quam mihi & proli consulam, domesticisque meis lucrum importem ac componam, non enim debent filii parentibus thesaurisare, sed parentes filiis, iuxta Apostoli sententiam 2. Corin. 12.*

Auctor. Caten.

2. Corint. 12.

Senibus maxima cura sit de fœlici huius vitæ exitu.

143. *Benedixit tibi Dominus &c. iustum est vt prouideam familiæ meæ*, nonne iam grandæuus es ô Iacob? iam enim nonagesimum ætatis tuæ annum attigisti, cur igitur non ais, iustum est vt animæ meæ saluti prouideam? vt de discessu ab hac vita cogitem? hoc non ait Moyses dixisse Iacobum, supponit enim, quod cum esset vir iustus, Deumque timens, quod non immemor salutis animæ suæ, de eius fœlici exitu ab hac vita cogitauerit & consuluerit, dissimilis certè pluribus ætatis fere decrepitæ senibus, qui cum totos suæ vitæ annos, sin minus flagitiis, at certe inutilibus rerum caducarum studiis, & inanibus mundi negotiis tradiderunt, suæ tamen animæ saluti non consulunt, audiant Clem. Alex. lib. ad Gent. eorum ignauiam & socordiam increpantem, *non erubescitis*, inquit, *quod per tot ætates contriuistis in impietate fuistis infantes, deinde pueri, deinde puberes, deinde viri, boni autem nunquam, senectutem veremini, cum in vita sitis occasu resipiscite, moderatique ac temperantes euadite, vel in fine Deum agnoscite, vt vobis vitæ finis suscipiat initium salutis.*

Clem. Alex.

Saluti aliorum consulamus.

144. *Benedixit tibi Dominus ad introitum meum*, antea autem ei dixerat, quod exiguæ erant suæ facultates, cur ei exprobrat suam indigentiam? nihil enim ita nos confundit, quam si nobis obiiciatur vilitas & paupertas nostra, cur etiam ei declarat, ope diuina facultates suas augmentum accepisse? vt cum ad vnius & solius veri Dei cultum, qui suos ditare potest, famulos, adduceret, *admonet enim*, inquit noster Ferus, *& pristinæ paupertatis & præsentis abundantiæ, simulque indicat hoc Deum præstitisse propter iustitiam Iacob, vt vel sic eum ad colendum Deum & amplectendam iustitiam induceret.*

Noster Ferus.

Ecclesia ante aduentum Christi Domini, & sui corporis institutionem, pauper & egena.

145. *Benedixit tibi Dominus ad introitum meum*, sed ante ingressum tuum in domum illius, quid possidebat? *modicum habuisti antequam venirem ad te*, si verum, an Ecclesiæ Christus Dominus Iacobo figuratus, obiicere potest, quod Iacob patrueli suo? quidni? nam antequam Verbum patris ad Ecclesiam descenderet, seque ei adunaret, & ille, assumptam carnem, sub specie panis & vini præberet in cibum, sanguinemque in potum, vilitate paupertateque maxima afficiebatur Ecclesia: at vero postquam Christus Dominus eius amantissimus sponsus diuinum hoc & omnium spiritualium diuitiarum ærarium ditissimum, idest ineffabile hoc sacramentum, cum eadem Ecclesia in æternum permansurum, nunquamque defecturum instituit, pretiosissimique sanguinis sui stagnum locuples, vberrimumque fontem, ad illam irrigandam construxit: omnium charismatum donis abundauit, admirabilemque pulchritudinem assecuta est: in hunc etenim sensum hanc Iacobi ad Labanum explorationem ducit. Rupertus ad hunc locum Genesis: nempe Christi ad Ecclesiam, dum ita locum exponit dicens, *quid habebat hic mundus antequam Christus veniret, sibique carnem humanam coniungeret, & Ecclesiæ suæ se adunaret? quid nisi modicum legalis scientiæ, quem pauci nouerant? & nunc diues (potest iure optimo Iesus mundo dicere) effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum: vere enim diues effectus est mundus, benedixitque eum Deus ad introitum filii sui omni benedictione spirituali, qua & omnia peccata donauit, & seipsum exhibendo in cibum, multiplicia bona concessit in eumque contulit.*

Rupertus.

De nullo

De nullo temere iudicandum.

649. *Benedixit tibi Dominus ad introitum meum*, cum paucissimæ essent facultates tuæ, quis non dicet Iacobũ Labano, patrueli suo exprobrantẽ? cum enim dixit pauperẽ, & à die quo ingressus est domũ suam facultates suas in maximam excreuisse multitudinẽ, sed ne exprobrasse dicas, imo Deo gratias egisse in his verbis, benedixit tibi Dominus, quasi diceret, Deus sit benedictus, quod à tempore quo in domũ tuam me recepisti, tuam substantiam multiplicauit, *satis aduertendum est*, inquit beatus Eucher. lib. 3. in Gen. cap. 30. *& notandus scripturarum sensus, ne cum quisque ita loquutus fuerit, quasi gloriari videatur, multum enim interest, quod adiecit, benedixit te Deus in introitu meo, ingressum enim voluit intelligi gratias agens Deo.*

B. Eucher.

Prudenter nostra adaugeamus.

147. *Benedixit tibi Dominus*, cur vt moneas Labanum ad impertiendam tibi licentiam, tot in mediũ proponis: cum tamen scias regressum in patriã non tibi esse conuenientem, nam facultatibus vacuus nõ regredieris, cum tot vxoribus & liberis, cur ergo ei tot obiicis? prudenter equidem, vt sic socerum impellat ad acquiescendum desideriis suis, rebusque suis consulendum; quod optime agnouit Salian. ad ann. mũ. 2290. *cum sciebat ipse non expedire sibi adhuc in patriam reuerti, non nihil tamen se difficilem in assensu præbet quod hominis desiderium durius illi' eraliusque cognosceret, sicque facilius mercedem quam petiturus erat obtineret.*

Salianus

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXI.

VVLG. Dixitque Laban quid tibi dabo? at ille ait, nihil volo, sed si feceris quod postulo, iterum pascam & custodiam pecora tua.

Sep. Quid tibi dabo? dixit autem ei Iacob, nil mihi non dabis si feceris mihi verbum hoc, rursum pascam oues tuas & custodiam.

Cald. Si feceris verbum hoc mihi, reuertar & pascam oues tuas & custodiam.

CONCORDIA.

NEscio cur noster vulgatus omisit אשובה asuba reuertar, cum in Hebræo reperiatur, Septuaginta legentes, *non dabis mihi nihil*, quæ duæ negationes affirmationi æquiualent, apud Latinos tamen cum sit græcismus, magis aliquid negant.

EXPOSITIO.

DIxitque Laban, expertus quam sibi, gregibusque suis vtilis esset Iacob, ne abeat, proponit magnifice mercedem, *quid tibi dabo?* modo apud me maneas in munere pastoritio, quod hucusque fœliciter obiisti, tu ipse constitue mercedem nihil non præstabo quod statues, *at ille ait, nihil volo*, scilicet pro labore præterito, sed si feceris quod postulo, pro mercede laboris futuri, & curæ quam in pascendis gregibus tuis impendam, *iterum pascam & custodiam pecora tua*, non vsque ad vitæ suæ exitum, sed pro aliquo tempore, cogitabat enim de regressu in patriam aliquando futuro.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Præmium ad opera maximum incitamentum.

148. QVid tibi dabo? nonne tibi suam aperuit mẽtem, nempe quod in votis haberet ad patriam regressum? cur igitur eum precibus non detines, obtestans per amicitiæ vinculum, vel per eximium, quo filiam tuam Rachelem prosequitur, amorem, vt tecum adhuc maneat pascendisque ouibus tuis inuigilet? cur ei quam voluerit mercedem proponis accipiendam? an auarus vt ea ducatur? nõ equidem, sed quia nullum efficacius incitamentum solet esse homini ad laborandum, ad patiendũ & quæcũque, vel ardua vel dura subeunda, quam præmium quod proponitur recipiendum, hinc fit vt cum ad obsequium Dei homines inuenentur, maxima illis promittuntur præmia, quorum spes ea possidendi quemlibet laborem reddit suauem, hoc audia... us ab Aug. ser. 1. de diuer. in appen. *ô magna bonitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, vtpote serui Domino, sub iectis potentis, mancipia redemptori amicitiarum nobis præmia repromittit, vt nobis o' sequia debita seruitutis extorqueat, vt quos nolle seruire conspicit, sorte suorum beneficiorum possit promissionibus inuitare, & quorum voluntates à se conspicit alienas, eorum mentes præmiorum liberalitatibus constituat.*

B. August.

Maior est liberalitas Dei in dando quam nostra cupiditas in petendo.

149. *Quid tibi dabo?* rogat Laban, liberalior & largior in postulando debuisset videri Iacob, quam Laban in reddendo, sed si Labano representatur Deus, cur non ait, quid dabo vobis? non in nostra præmium operum nostrorum, sed in sua voluntate ponit, nouit enim angustiora fore, vel nostra desideria, quam suam ipsius & voluntatem & magnificentiam, pluraque & maiora ipsum nobis daturum, quã nos aut cupere aut eligere possimus, quod optime annotauit D. Theod. explicans illa verba Cor. 2. nõ in cor hominis ascendit nec oculus vidit, quæ Deus præparauit diligentibus se, ait enim, *mens insatiabilis ea non cogitauit*, quasi diceret, licet simus cupidissimi in appetendo, tamen nostra concipere non valet præmium, quod manus Dei liberalissima iustis in futuro sæculo largietur.

1. Cor. 9.

B. Theodor.

Veri famuli nihil à dominis gratis accipiant.

150. *Quid tibi dabo? at ille, nihil volo quidquam*, Si tibi tot sunt liberi, tot vxores, cur cum tibi quod volueris offeratur à Labano, non admittis, vt eis consulas, familiæque tuæ prouideas? non renuit oblata à socero, sed gratis ea accipere recusat, obseruatio est Dion. Carth. *nihil volo mihi dari à te, quasi dicat non quæro munus à te, vel vt aliquid mihi tribuas gratis.*

Dion. Carth.

Impii sub verbis mansuetioribus decipere moliuntur.

151. *Quid tibi dabo?* quis non diceret Labanũ liberalem esse, cum genero suo mercedis & præmii optione tribuat? quomodo igitur Iacob conqueritur se ab eo deceptum fuisse, non semel sed pluries? ne mireris; impii enim sub verbis mansuetudinẽ vel liberalitatem præ se ferentibus, alios fraudibus circumuenire moliuntur: ita nost. Lyra. *quid tibi dabo? quasi vellet gratiam facere, cum tamen intenderet decipere.*

Lyranus.

Iustus mundanorum contemptor.

152. *Quid tibi dabo? at ille, nihil volo quidquam*, quis gener quãuis diuitiis præpotens, plurima sibi oblata bona à socero non admittit? quis, vt aiunt, ambabus manibus non accipit? quomodo ergo Iacob nec diues, sed egenus, asserit se nihil à patruele suo accepturum? quis Iacob? nonne iustus? ne quæras ergo cur nihil admittit, pius enim bona humana contemnit, mercedis nullam mentionem facit mundanorum contemptor, sciebat se Deum habere propitium, qui sibi non defecturus esset, etiam si Laban ei nihil mercedis adderet.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXII.

VVLG. Gyra omnes greges tuos, & separa cunctas oues varias, & sparso vellere quodcumque furuum & maculosum, variumque fuerit, tam in ouibus quam in capris, erit merces mea.

Sep. Transeant omnes oues tuæ hodie, & separa inde omnem ouem fuscam in agnis, & omne subalbum & sparsum in capris, & erit mihi merces.

Chald. Transibo per vniuersas oues tuas hodie, aufer inde omnem agnum, varium, & sparso vellere, & omnem agnum, nigrum in agnis, & sparsum & maculosum in capris, & hoc erit merces mea.

Pag. Transibo per oues, pecudes tuas, & hodie inde omne pecus punctis paruis respersum, maculis latis, & omne pecus rufum in pecudibus, & respersum maculatis latis, & respersum punctis in capris, erit merces mea.

Oleast. Remouebo inde omne pecus cinctum & punctatum, & omne pecus nigrum.

Arias. Transibo &c. remouendo inde omne pecus punctatum, & maculosum, & omne pecus nigrum in agnis, & maculosum & punctatum in capris.

Caiet. Transibo in omnibus ouibus tuis, hodie faciendo separare, exinde omnem agnum signatum punctis, & frustis signatum, & omnem agnum, rufum in agnis, & frustis signatum, & punctis signatum in capris.

Vatab. Separabo illinc omne pecus maculis paruis respersum & maculosum siue variegatum.

Chrys. Omnis subalbicans & sparsa in agnis, & in capris erit merces mea.

D. Hier. Transibo in vniuerso pecore tuo hodie, separa inde omne pecus varium, & discolor, & omne pecus vnius coloris, in agnis, & varium & discolor in capris.

CONCORDIA.

NOn equidem facilis, nam D. Hier. in quæst. Hebraicis in Genes. ait, multum apud Septuaginta interpretes confusus est sensus, & vsque in præsentẽ diem nullum potui inuenire, qui ad liquidum quid in hoc loco diceretur, exponeret: & certe miror ego, cur solum in translatione Græca mentio facta sit caprarum versicolorum, quasi hæ tantum & non oues non pertinuerint ad mercedem Iacob, & ad pactum quod fecit cum Laban, cum hoc manifeste sit contrariũ scripturæ, tam iuxta lectionem Latinum, quam Hebraicam & Caldaicam: illud quod habet D. Hier. omne pecus vnius coloris, errore non caret, cum pugnet cum ista sententia, & sit contra pactum, quod Iacob inire voluit cum Laban, quare pro illo, *vnius coloris*, legi potius deberet varii coloris, vt igitur concordiam versionum facilius intelligatis, notate tres dictiones Hebraicas, ex quibus pendet diuersitas, nempe נקד na Kod תלא talu & חום chum; nam נקד niKud punctum siue stigma, siue paruam maculam diuersi coloris significat, vnde na Kod dicitur animal album, habens veluti paruas maculas nigri coloris, vel contra animal nigrum habens quasi maculas, & velut puncta quædam alba: secundum hanc igitur interpretationem aliqui dixerunt pecus punctis paruis respersum, alii maculis signatum, alii varium, תלא talu dicitur animal maculosum, sed quod maculas habet latas, & tanquam frusta quædam diuersi coloris, & secundum hanc dictionem, quidam dixerunt maculosum, alii frustis signatum, & noster interpres sparso vellere, חום chum poni solet pro fuluo & rufo & fusco, interdum etiam pro nigro, descendit enim ab חום chom quod colorem significat nigrum siue calidum, generat enim calor nigredinem, alii dicunt esse subrufum, neque enim sunt ouium vellera omnino nigra, sed nigredo illa nonnihil in rubedinem degenerat.

EXPOSITIO.

GYra omnes greges tuos, coge in gyrũ omnes oues & capras tuas, vt eas facilius inspicere possimus, *& separa cunctas oues*, nomine ouiũ intelligere oportet tam fœminas quam mares, idest etiã arietes, vt ex subsequenti narratione manifestum est, *varias* idest quæ habebant quasi virgulas quasdã albi coloris

ris vel nigri, itavt totum corpus fere circumdarent & quasi cingerent, *sparso vellere* pleno vellere maculis paruis, diuerforum colorum, *& quodcumque fuluum est*, fuscum siue subnigrũ, in quo albedo nigredini mixta est, vt partim album, partim nigrum videatur, *& maculosum*, idem est quod sparso vellere, scilicet habens paruas maculas, diuersi coloris; *& varium*, iam diximus tam in ouibus quam in capris: ouium tantum & caprarum hic fit mentio; quia hos greges tantum pascebat, & custodiebat, non autem boues, equos, camelos: *erit merces mea*, hic subaudienda plura, nempe quod sic nascetur, erit merces mea, idest pecudes, quæ illis similes postea nascentur, mihi cedent mercedis loco, quasi dicat, quæ alba, tua futura sunt, quæ autem variegata, mea erunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Variis virtutibus ornandi vere fideles; non vna contenti.

153. *Gyra omnes greges tuos*, &c. itaut secundum pactum, quod inire volebat Iacob cum socero, omnes oues & capræ, quæ vnius & simplicis coloris erant futuræ, ad Laban pertinerent, quæ varii ac multiplicis, suæ erant possessionis, sed quid hæc ouiũ discretio significare potest? quidque nobis denotare, quod oues quæ erant futuræ Laban solum vnius coloris, quæ autem Iacob plurium esse deberent? sine dubio mentem, quæ vna tantum virtute decoratur, dominico gregi non annumerandã, sed pluribus ornatam virtutibus, oportune rem habet, B. Thom. Villanouanus Arch. Valent. conc. de S. Nico. Episc. *qua*, inquit, *simplicis coloris fuerit ouis; hæc pertinet ad Laban, non enim vna virtus sufficit ad gloriam, sed vario decoratam vellere & varietate circumdatam oportet esse ouem, quæ dominico gregi annumeranda est, tartareus scilicet Laban eos tanquam suos possidet, qui vnam virtutem habentes, cæteris destituuntur.*

B. Thomas Villa noua.

Ecclesia Christi Domini non ex vna, sed pluribus gentibus.

154. *Gyra omnes greges tuos*, &c. proposuit Iacob socero suo conditionem, vt mercedis loco acciperet è grege suo quem pasturus erat, partus omnes versicolores, & varios, quidquid vero vnius coloris, acciperet ipse Laban, sed si Iacobo designatur Christus Dominus, cur non eligit oues vnius coloris, sed solum plurium? si Christus Dominus fidei suæ populos haud alio nomine quam ouium appellare solitus est, facile colliges, cur Iacob oues voluerit habere non vnius sed varii coloris, quia Ecclesia Christi nõ vna sed pluribus & diuersis cõstare gẽtibus deberet, quamuis omnes vna fides cõplectatur, etenim Ecclesia regina illa quæ à dextris Christi stat in vestitu deaurato, circumdata varietate, Psal. 44. cuius versum sic explicat Ludolph. Cart. astitit parata seruire regina, scilicet Cath. Ecclesia Christi regis sponsa: quæ sub Christo rege bene regit filios suos: à dextris tuis, & non à sinistris, quia semper ei placita & nunquã contraria operatur, ideo sequitur in vestitu operum suorum, deaurato, nõ aureo, ne sola sit charitas, sed adsint cætera, quæ charitas ornat, in auro enim intelligitur charitas, quod vero aureum est, totum de auro est, quod autem deauratum est aurum habet: & aliud est, circumdata varietate populorum, personarum, statuum, officiorum, graduum, linguarum, meritorum & donorum.

Psal. 44. Ludolphus Carth.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIII.

VVLG. Respondebitque mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te, & omnia quæ non fuerint varia, & maculosa, & fulua, tam in ouibus quam in capris furti me arguent.

Sep. Et exaudiet me iustitia mea in die crastina, quia est merces mea in conspectu tuo, omne quodcumque non fuerit sparsum & superalbum in capris, & fuscum in agnis, furto ablatum erit apud me.

Cald. Et testificabitur mihi iustitia mea, in die crastina, quando veneris super mercedem meam, quæ erit coram te, omne quod non fuerit maculosum & respersum in capris & nigrum in agnis, furto sublatum est apud me.

Pagn. Omne quod non erit punctis respersum & maculis respersum in agnis, & rufum in pecudibus.

Oleaster. Respondebit in me iustitia mea die crastina, quoniam veniet super mercedem meam coram te.

CONCORDIA.

VErbum ענה ana non solum respondere, sed & testificari denotat, aliqui habent quando veneris, alii autem quando veniet, idẽ est; quia verbum תבוא tauo & secunda persona masculini generis futuri temporis indicatiui modi, & tertia fœminini eiusdem temporis esse potest.

EXPOSITIO.

RErspondebit mihi cras iustitia mea, quasi dicat, videbis quid Dominus pro mercede sit præparaturus, si fideliter seruiero tibi, Dominus me digno præmio donabit, sin autem feram quod ipse dederit, vel ostendet futuro tempore iustitia mea, quod meum est, aut dabit mihi aperte quod meum est, sine vlla dubitatione: aliter explicat B. Hieronymus, tecum facit natura pecorum, vt alba ex albis, nigra ex nigris nascantur, meæ cum vero erit iustitia mea mihi respondens, idest me remunerans, cum Deus cui certe confido, humilitatem meam respiciet laboremque meum iusta mercede, quam tu iniqua pactione à me auertere conaris, compensabit, afficiendo

videlicet vt ex vnicoloribus tuis, mihi diuersi coloris nascantur, *quando placiti tempus aduenerit*, placitū vocat pactum inter se & Laban, cuius placiti exequendi tempus erat in tempore generationis nouorum fœtuum ex ouibus & capris, tunc enim adueniebat Laban, & quæ ex albis vel ex nigris orta erant, alba & nigra sibi sumebat, quæ vero erant varii coloris, ea mercedis loco relinquebat Iacob, *omnia quę non fuerint varia*, hæc littera vsque ad hæc verba, *furti me argue*, imperfecta est, quæ supplenda est hoc pacto, scilicet si aliqua de non fuluis, vel maculosis, siue variis inueniantur apud me, de furto me conuinces, dicesque me tua te nolente retinere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Possumus aliis aliquomodo nostram iustitiam aperire.

156. R*Espondebit mihi cras iustitia mea*, quomodo Iacob cum fuerit vir eximiæ sanctitatis, suam prædicat iustitiam? debemusne aliis nostras aperire virtutes? nonne iustus, inquit Sapiens, accusator est? non ergo debet esse sui laudator; ne dicas ergo Iacob socero, mea respondebit iustitia; aduerte dupliciter posse fieri, quod aliquis suam iustitiam prædicet, vel absolutè, & hoc modo sancti iustitiam suam non commemorant, vel quantū ad aliquid, scilicet vel purgando se à criminibus sibi obiectis, vel quantum ad aliquid factum demonstrādo, non maligne nec inique, sed sincere à se factum esse: quo posito, dicamus Iacobum non arguendū, quod suam iustitiam declarauerit, non enim eā prædicat, qua putaret se absolute iustum coram Deo, sed qua fideliter & sincere erat Labano seruiturus, audiat Lector. B. Hier. in Epist. 135. quam scripsit ad Suniam & Fretelā, qui commemorans illa verba regii Vatis Psal. 7. iudica me Domine secundum iustitiam meam, ait, *nec videatur cuiquam temerariū quod iudicari se postulet secundum iustitiam suam, cum & sequens versiculus hoc confirmet, & secundum innocentiam meam super me & Psal. 16. hoc sit exordium, exaudi Domine iustitiam meam: & in 17. similiter dicat, retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum reddet mihi: & Psal. 85. custodi animam meam quoniam sanctus sum, Iacob quoque loquitur in Genes. exaudiet me cras iustitia mea*: paucioribus verbis hoc dixit Oleast. *volunt, inquit, iustitiam suam ostendere, vt nullus possit eos iniustos arbitrari.*

Hieron. Psal. 7. Psal. 16. Psal. 17. Psal. 85. Oleaster.

Iustitia piorum etiam in hac vita mercede non caret.

157. *Respondebit mihi cras iustitia mea*, dicitur cras non quod sequenti die hoc constare deberet, sed in futurum, sed quid est quod tua tibi respondebit iustitia? an loquitur vt respondere valeat? non equidē, sed hoc modo loquendi denotat rectā intentionis, quam habuit in obsequio Laban, imo diligentiæ quam exhibuit, & laboris quem impendit in eius obsequio, etiam in hac vita, mercedem non defuturam, *expende*, inquit Oleast. *iustitiam vt plurimum iustis respondere, & præstare illis etiam in hac vita mercedem.*

Lusitanus.

Bonorum retributio etiam impiis videntibus fiet.

158. *Respondebit mihi iustitia mea*, recta intentio, quā habui in obsequio tuo semper, mercede sua nō frustrabitur, imo in vtilitatem meam cedet, deinde addit *coram te*, cur hæc verba subiungit? nonne satis erat antecedentia verba proposuisse? non equidem, nam hæc subsequentia denotant, quod etiam eo vidente, Deus sibi mercedem & præmium largiretur, ita Abul. *coram te, idest te clare vidente, ita quod tu manifeste videas quod Deus retribuit mihi secundum iustitiam meam, & non possit dicere quod aliqua fraus intercedit.*

Abulens.

Christus Dominus pro labore requiem, pro dolore gloriam possidet.

159. *Respondebit mihi iustitia mea*, si Iacob Christi Domini fuit typus, quomodo potuit dicere cras mihi respōdebit iustitia mea? cū veritate tamen id afferre potuit? pro labore enim Christus Dominus requiem, & pro dolore gloriam possidet, *Christus* (inquit Hugo Caren.) *Dominus habuit in via laborem, in operibus suis, & dolorem in passionibus: pro labore modo habet requiē & pro dolore gloriā*, Aug. in persona Domini, *venale habeo & quid? regnū cælorum, quibus emitur? quinque denariis, qui sunt illi? paupertate regnū, fame satietas, labore requies, vilitate gloria, morte, vita.*

Hugo Car. Aug.

Ita Deus bonorum remunerator est vt præmium ante nos obiiciat.

160. *Respondebit mihi iustitia mea*, quid hoc modo loquendi denotas? an quod iustitia tua erit causa, quod recte incedas in obsequio Labani? an quod iustitia tua ita te diriget aut ducet, quod semper recte incedas? non equidem hunc sensum hæc verba (vt quidam opinantur) præseferunt, sed hunc possunt habere, quod Deus ita bonorum operum est remunerator, vt semper præmium eis proponat: fauet Oleast. in c. 58. Isa. vers. 8. *videbis semper ante te præmium iustitiæ tuę, seu operum iustorum tuorum.*

Oleast.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIV. & XXXV.

V*VLG.* Dixitque Labā gratū habeo quod petis.

Sep. Sit iuxta verbum tuum.

Cald. Vtinam esset sicut verbum tuum.

Pag. Ecce vtinam sit secundum verbum tuum.

V*VLG.* Et separauit in die illas capras, & oues, & hircos, & arietes varios, & maculosos, cunctum autem gregem vnicolorem, idest albi & nigri coloris, tradidit in manu filiorum suorum.

Sep. Et separauit in die illa hircos, sparsos & superalbos, & omnes capras sparsas & subalbas, & omne quod erat fuluum in agnis, & omne quod erat album in eis & dedit per manus filiorum suorum.

Cald. Separauit omnes hircos varios pedibus, & sparso vellere, & omnes capras maculosas & respersas, omne in quo erat macula alba, & omne quod erat nigrum in agnis.

Pag. Et remouere fecit in die illa hircos maculis respersos, in locis vbi colligari solēt, & maculis respersos, & omnes capras pūctis respersas, & maculis respersas, omne in quo erat cādor, & omne rufū in pecudibus.

Bib.

Bib. Ant. Abstulit itaque eo die hircos lineis distinctos, & maculis magnis respersos, omnesque capras punctis respersas, & maculis magnis, omne inquam in quo erat aliquid albi, etiam rufum in pedibus.

Vatab. Amouit hircos colligatos, &c. & omne fuluum & nigrum in pecudibus.

Lipp. Et separauit arietes maculis respersos, in locis vbi colligari solent, vel in talis maculosos, & omnes in capris punctatas.

CONCORDIA.

Phrasim Hebraicam aliis verbis reddidit noster interpres, eodem tamen cum sensu, vt videre est.

Dicho עָקֹד a Kod animal significat maculosum, non quomodocumque, sed quod habet maculas diuersi coloris, circumligatas corpori vel pedibus, à radice עָקַד a Kad significante ligare, alligare, vincire, hinc est quod vbi noster interpres habet maculosum, Caldæus vertit varios pedibus, Vatab. colligatos, Lippo. maculis respersos in locis vbi colligari solent, vel in talis maculosos לָבָן Laban album seu albedinem significat, hoc autem in loco, illud in quo est macula alba.

EXPOSITIO.

G*Ratum habeo quod petis*, arbitratur enim Laban ex pacto Iacobi secum inito non exiguam vtilitatem accepturum, illum autem perexiguum commodum inde sumpturum & ideo facile iis quæ proposita sunt, à Iacobo consensum præbuit.

Et separauit in die illa, hæc est pacti executio, à Iacob propositi, *in die illa*, qua scilicet conditiones mercedis à Iacob fuerant oblatæ, *capras, oues & varios hircos*, intellige quod Laban tradiderit propriis pastoribus suis cunctum gregem vnicolorem, nempe qui totaliter albus, vel qui totaliter niger, *tradidit in manus filiorum suorum*, nempe generi sui, pactum enim erat quod greges purè albi aut purè nigri, darentur Iacob, maculosi autem & varii coloris Labani pastoribus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ita iuste iusti cum iniustis conueniunt, vt teneãtur fateri nihil iniustum ab eis fieri.

157. G*Ratum habeo quod petis*, vel vt habent Sep. *fit iuxta verbum tuum*, cur cum totius tuæ familiæ sis dominus, & bonorum tuorum possessor, vis alium eis gaudere? dic ei, vt quam obtuleris mercedem, accipiat, imo gratissimum habet quod proposuit, quia ita iuste iusti cum iniustis paciscuntur, vt teneantur fateri nihil iniustum ab eis fieri, *tam æquas conditiones*, inquit Oleast. *& placita iusti iniquis offerunt, qualia ipsi nunquam cogitarent.* Oleaster.

In suis consiliis decipiantur impii.

158. *Gratum habeo quod petis*, quomodo ita facile à Iacob petitis acquiescis? nonne si tibi obsequens, facultates multiplicabit? suæ consulens familiæ, vtilitati suæ & non tuæ studebit, operamque omnem nauabit, vt quod habet in votis sortiatur effectum? ideo sic facile Iacob petitioni acquieuit, *quia intendebat Laban*, inquit Abulensis, *quod Iacob nihil aut modicum in hac parte lucraretur, quia secundum cursum naturæ, ex purè albis & purè nigris, & purè nigra & purè alba nascuntur, non autem varia nec maculosa, sed maxime deceptus, nam industria Iacob aliter quam cogitauerat Laban, contigit.* Abulensis.

Auarus lucrum suum differre non potest.

159. *Et separauit in die hac*, cur hãc separationem gregum tuorum in alterum diem non distulisti? cur ilico oblatã conditionẽ à Iacob gratã habuisti? consule cũ tuis quid tibi faciendum est: aduerte Laban non exiguum ex pacto Iacob lucrũ sperauisse, credidit enim quod ex pure albis aut pure nigris, pure alba & pure nigra solum nascerentur, sicque omnes capras & oues possideret: non mirum igitur si eadem die omnes separauit pecudes, crastinumque non expectauit diem, quia auarus lucrum suum differre non potest, ita Tost. *quia tantum lætabatur Laban intendens lucrari ex illo pacto, quod noluerit dilatare huiusmodi rem in alterum diem.* Abulensis.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXVI. & XXXVII.

V*VLG.* Et posuit spatium itineris trium dierum inter se & generum, qui pascebat reliquos greges eius.

Sep. Et fecit distare viam trium dierum, & inter eos & inter Iacob, Iacob autem pascebat reliquas oues Laban.

Cald. Pascebat oues Laban, quæ remanserant.

Pag. Residuas.

V*VLG.* Tollens ergo Iacob virgas populeas, virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, detractisque corticibus, in his quæ spoliata fuerant candor apparuit, illa vero quæ integra fuerant, viridia permanserunt atque in hunc modum color effectus est varius.

Sep. Sumpsit autem sibi Iacob virgam styracinam viridem & nucinam, & plãtanii & decorticauit eas decorticationes albas, & distrahens viride, apparebat in virgis album, quod decorticauerat [illegible]rium.

Cald. Et tulit sibi Iacob virgas populeas, & ex amygdalo & ex platano, & decorticauit in eis decorticationem, & vbi detracti sunt cortices, apparuit album quod erat in virgis.

Pag. Et tulit sibi Iacob virgam populeam, viridem, & amygdalinam & castaneam, & decorticauit in eis cortices albos, denudans candorem qui erat in virgis.

Vatab. Incidit que in illis incisuras albas, denudationem candoris.

Arias. Et tulit sibi Iacob virgam populi viridem, & coryli & castaneæ, & decorticauit in eis cortices albos, nudationem candoris, qui super virgis.

Hier. Et tulit virgas mali granati.

CONCORDIA.

APud nostrum latinum interpretem paraphrasis est potius quam textus, & ideo non mireris, si plura sunt quam in Hebræo textu: pro virgis populeis & amygdalinis quas latinus interpres, & Septuaginta verterunt styracinas, & nucinas: nec mira videri deberet hæc nominum arborum diuersitas, quia vt doctissimi linguæ Hebreæ obseruarunt, Hebræa vocabula arborum & animalium quam propriam speciem eorum denotent, ignotum est Hebræis, & ideo alii alias species arborum ponunt, nec est incredibile ex illis omnibus generibus fuisse virgas, quas elegit Iacob, & potuit eas in canalibus, vnde non mirum si beatus Hier. in tradit. Hebraic. in Genes. omiserit virgas platani, & potuit virgas mali granati.

EXPOSITIO.

POsuit spatium itineris trium dierum, scilicet ne transire possent pecudes de ouili in ouile, vel facile transferri, *inter se & generum suum*, Laban enim cum filiis suis pascebat greges diuersi coloris, ex vna parte, & ex alia Iacob.

Tollens ergo virgas, sumens eas ex diuersis arboribus, *virgas populeas*, idest de arbore quæ populus dicitur, *virides*, vt appareret varietas coloris, albi, viridis, *& amygdalinas*, sumptas ex arbore amygdalo, *& ex platanis*, quæ in locis aqueis & humidis nascuntur, *ex parte decorticauit eas*, vt aliquid viride partim & aliquid album videretur, *detractisque corticibus*, scilicet quoad aliquam partem, *in his quæ spoliata fuerant*, idest in partibus spoliatis, *candor apparuit*, nempe albedo vita est, *illa vero quæ integra erant*, idest illæ partes à quibus cortex non est ablatus, retinuerunt suum colorem naturalem, atque in hunc modum, scilicet corticibus à parte virgarum ablatis, & aliis partim remanentibus, color effectus est varius, scilicet ex albo & viridi subobscuro, detracta enim sũma parte corticis in diuersis partibus apparuit candor, qui suberat illi, ac ita effecit vt variorum essent colorum virgæ.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Auarus de aliis male iudicat.

160. *Et posuit spatium itineris trium dierum inter se & generum*, cur tantum inter te & Iacob constituis spatium? hoc fecit, inquit Abulensis, ne aliqua fraus interuenire posset, si prope starent greges, quoniã aliqui masculi varii, vel maculosi transirent ad gregem, quem pascebat Iacob, & inde fœtus varii nascerentur: sed o Laban, nõne virtutem generi habes cognitã, cumque ita iustũ, vt tibi nullomodo vellet nocere, nec minimũ damnum inferre? ne igitur hoc inter te & generũ itineris trium spatium dierũ constituas, cum ex parte illius nulla fraus interueniet? hoc non sibi persuadet Laban, cum enim cupiditate habendi & auaritia detineretur, de genero quamuis pio & viro simplici, peruerse iudicat.

Possumus nostra bona quæ sunt in potestate alterius, eo inscio & nolente accipere.

161. *Tollens virgas populeas &c. ex parte decorticauit eas*, vt ex aspectu virgarũ diuersi coloris, oues fœtus ederẽt diuersicolores, similiter & capreæ: quod videtur iniuste tentatum à Iacob, cum non parũ Labano nocuerit, nam cum ab eo pascendum gregem vnicolorem accepisset, artificio suo effecit, vt ex eo non vnicolores fœtus, sicut ipsa natura ferebat, nascerentur, sed versicolores, magno scilicet cum detrimento soceri, vnde fit quod Rupert. hanc eandem proponit difficultatem, ita scribens, hic iam quæritur, verum vere in eo quod egit Iacob, iustitia sua ei responderit? quid enim ille egit? nonne stropham nouam commentus est, & contra naturam albi & nigri pecoris naturali arte pugnauit? vt satisfaciamus, aduertendum est Labanum multiplici vsum fuisse iniustitia erga Iacobum, prima cum per dolum substituit Liam pro Rachele, eamque quodammodo vxorẽ ducere coëgit nullam pro ea dotem tribuens, quã tamen, quia inelegans erat, nullus vir honestus sine magna dote accepisset, imo quod intolerabilius, pro eius coniugio septẽ annos seruitutis exegit: secunda quod filias in matrimoniũ dedit, nulla eis dote assignata, contra ius gentium, maxime illius regionis, sed quasi seruas vendidit eas Iacob pro seruitute illi reddita: tertia alia iniustitia assignatur, quod pactã ei mercedẽ decies iniquissime cõmutauerit, sed cum à virgis corticem abstulit, vt fœtus ouium eis inspectis diuersi essent coloris, nondum toties mercedem eius commutauerat: sumamus igitur solum duplicem illam iniustitiã, quã ei intulit, ab omni fraude liberum & iniustitia dicemus fuisse Iacobum, cum potuerit sibi debitã mercedem accipere, etiam socero illo inscio, cum quilibet licite possit quod sibi debitum est compensare: fauet cit. Rupert. 7. in Genes. cap. 38. *dicimus ante hanc stropham iam dudum Iacob causam iustitiæ suæ habuisse contra Laban, ac si tempus sibi idoneum coram illo cum legitima defensione datum esset, substantiam Laban iure tollere debuisse, ille namque postulauit vnam filiam in coniugium, & pro vna seruitium suũ spernens alteram quoque homini peregrino & aduenæ imposuit, illam scilicet cuius nuptias, quia despicabilis erat, difficiles sibi fore sciebat, & sine magna dote quis illam vir strenuus acciperet? quam facies quæ multum valet in huiusmodi nequaquã expetibilem faciet: at si igitur Iacob opportunitatẽ habuisset, potuisset vtique vocare in ius Labã, quod filias suas alendas ipsi absque vlla dote imposuerat, insuper & pro illa quã non expetierãt si intruserat, seruitium septẽ annorũ extorserat, at ille peregrinus erat & aduena, idcirco violentũ & potentiorẽ indigenam in ius vocare non poterat: arte igitur necessariò pro filia contra patrem vsus est, vt ad filiam eius cederet, atq; bona patris, ab ipsa deuenirent, & in hoc vere iustitia eius respondebit ipsi.*

Rupertus.

Diuitias

Diuitias acquirere tuo labore, nullo interueniente dolo, licitum.

162. *Tollens virgas populeas ex parte decorticauit eas,* vt oues eas sic varij coloris inspicerent, varios fœtus etiam producerent, sicque factum est vt pluribus abundaret facultatibus, euaderetque ditissimus: sed ô Iacob, hi omnes fœtus tum ouiũ tũ capratum futuri erãt Labã, si virgas huiusmodi varias & diuersi coloris ante earum oculos non proposuisset, nam ex ouibus pure albis vel pure nigris regulariter agni solum nigri agni vel albi nascuntur, cur igitur hos fœtus acquisisti? quia licitum est diuitias sibi comparare suo labore nulla fraude interueniente, *nullum peccatum inuenerint* inquit Oleast. *si tua industria vtaris, modo absit dolus & fraus.*

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXVIII.

VVLG. Posuitque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt cum venissent greges ad bibẽdum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent.

Sep. Et apposuit virgas quas decorticauerat in alueis canalium aquæ, vt cum venissent oues bibere, in conspectu virgarum venientibus ipsis ad bibendum conciperent oues in virgas.

Cald. Defixit virgas quas decorticauerat, in canalibus in loco adaquationis aquarum, quo veniebant oues ad bibendum, vt contra oues essent virgæ, & calefierent cum venirent ad bibendum.

Pag. Et statuit virgas quas decorticauit in canalibus in potatoriis aquarum, ad quæ veniebant pecudes vt biberent, è regione pecudum, & coirẽt dum venirent ad bibendum.

Oleast. Posuit Iacob virgas, quas decorticauit in trabibus, in canalibus aquarum.

Arias Et incalescebant veniendo eas ad bibendum, & incalescebant pecudes ad virgas.

CONCORDIA.

HÆ duæ dictiones שקתות & רהטים Rehatim & Sicathoth canales significant, siue potatoria, aut traões, vnde eleganter noster interpres vertit, vbi effundebatur aqua, & Cald. in loco adaquationis aquarum, & Sept. in alueis siue canalibus concharum aquæ, verbum יחם Iaham concipere & calefieri significat, quinimo ex calefactione descendit significatio conceptus.

EXPOSITIO.

POsuitque eas in canalibus, canales sunt quædam loca in quibus aqua detinebatur, artificialiter facta, vel de lignis vel de lapidibus, *vbi effundebatur aqua,* vt pecudes sitibundæ facilius biberent, *vt cum venissent greges ad bibendum* ante oculos haberent virgas positas in canalibus, *& in conspectu earum* vt iis visis & attente inspectis *conciperent.*

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Fides nostra primo veritatem sanctissimæ Trinitatis habeat.

163. POsuitque eas in canalibus, *vt in conspectu eius conciperent,* quot proposuit virgas? trinas equidem, nempe amygdalinas, ex platano, & populo, cur ad fœturam gregum, solum tres virgarum species proposuit, non autem quatuor aut duas? aduerte per Iacob Euangelicæ doctrinæ prædicatorem intelligi posse, per oues ad aquas venientes, fideles baptismi aquis regeneratos: bene ergo Iacob tres solum virgarum species, non autem duas aut quatuor posuit in canalibus, quia Euangelicæ veritatis concionator, oues nempe eas quas aqua baptismatis regenerat, non in cognitione duarum vel quatuor, sed solum trium personarum in diuinis imbuere debet: hunc sensum habet D. Amb. lib. 2. de Iacob cap. 4. *quasi mercenarius ingreditur iustus & rector est qui sibi gregem multarum præstantiumque virtutum splendore fulgentem, euangelicæ prædicationis ministerio colligebat in potatoriis ouibus, virgam styracinam, & nucinam & de platano proponẽs in canalibus, quo concupiscentes beatissimæ Trinitatis præfigurata mysteria, haudquaquam decolores fœtus piæ mentis conceptione formarent.*

S. Ambros.

Monstrum est Christianus fide, vita paganus.

164. *Posuitque eas in canalibus, vt in conspectu earum conciperent,* nonne sufficiebat vt trinam virgarum speciem intuerentur? cur necesse erit conciperent? quia oues Christi non solum debẽt habere fidem sanctissimæ Trinitatis ad salutem animæ necessaria, sed vt concipiant & fœcundæ sint bonis operibus, ita cit. Amb. *bonæ oues quæ bonorum partus operum fidei sacræ non degeneres ediderunt* cur degeneres fidei christianæ partus vocat si aliter viuimus quam credimus? quia monstrum haberi debet fide christianus, vita vero paganus, Trinitatis mysterium & alia nostræ veritatis catholicæ sciens, & bona opera ignorans; certe inquit Saluia lib. 4. de prouid. *meliores infidelibus esse debemus & his vtique deteriores sumus, qui meliores non sumus, qui meliores esse debemus: criminosior enim est culpa vbi honestior status, si honoratior persona peccantis, peccati quoque maior inuidia, atrocius enim sub sancti nominis professione peccamus, vbi sublimior est prærogatiua maior est culpa, & ipsa etiam errores nostros religio, quam profitemur, accusat.*

S. Ambros.

Saluianus

Tres ordines Ecclesiæ designãtur, nempe Prælati, Religiosi, & sæculares.

165. *Posuitque eas in canalibus,* nempe virgas populeas, amygdalinas, & ex platanis, canales inquit

Galfridus. Galfrid. in allegoriis Tilm. decursus trãseuntium significant populorum, sed qua de causa in his canalibus sunt; nempe in his decursibus populorum, tria genera virgarum reperiuntur, & præcipue amygdalinum, populeum, & ex platano, non autem potius ex aliis diuersis arboribus? nonne in ecclesia Dei sunt Prælati, regulares, & sæculares? Prælati per virgam amigdalinam, vt dicemus denotantur, per virgas ex populis sæculares, per platanum religiosi: merito igitur ponuntur huiusmodi virgæ à Iacob, vt sic tres Ecclesiæ ordines designarentur. audiamus cit. Galfrid. *virgæ ex populis* (inquit) *vnde suauia confitiuntur vnguenta, misericordiæ in populis viros commendant, virga ex platanis quarum solida pulchritudo, & læuigata planities ædificiis præstat gratiam & decorem, resolutorum hominum irreprehensibilis est sanctitudo probabilibus domum Dei ædificans, & illustrans exemplis, virgæ ex amygdalis, tertium ordinem significant prælatorum, quarum vtinam singula die altera post præsentem vitam, vt illa quondam Aaronica fœcundior cæteris innotescat, vtinam frondes proferat ad obumbrandum reis vtilius, quam ex foliis ficuum perizomata primi texuere parentes: vtinam flores gratiæ deuotionis exhibeat, quibus interim fulciantur amore languentes; vtinam producat amygdalas, id est nuces longas, fructum scilicet qui non transeat, fructum salutis & satietatis æternæ.*

Galfridus.

Boni doctores quæ ex scripturæ fontibus hauriũt, in alios deducunt.

166. *Posuit eas in canalibus*, vt cum venissent oues ad bibendum in conspectu earum conciperent; ducebat Iacob oues suas & ad irriguos canales; multicolores sub aqua virgas ostendebat, vt quæ illas intuendo biberent, similes postea fœtus parturirent: quid hoc nobis denotat? sine dubio quod boni doctores ad irriguos scripturarum fontes suos auditores deducant, eisque latentia virtutum exempla ob oculos proponant, vt dum multiformis gratiæ virtutes quæ ibidem relucent, contemplantur, nouos animo hauriant fructus, nouam concipiant ex animo sanctitatem, fauet Hugo à S. Vict. lib 3. alleg. in Genes. cap. 13. *Iacob inquit significat sanctos prædicatores, & aqua scripturam & canales libros, sicut namque Iacob ex aqua & canalibus adaquabat commissos greges suos, sic prædicatores & doctores ex vniuersitate scripturæ, & diuersis eiusdem scripturæ libris sibi creditos reficiunt fideles.*

Hugo à sanct. Vict.

Scriptura Sacra varias continet sententias quibus comminatio fit Dei legis transgressoribus.

167. *Posuit eas in canalibus*, virgæ variegatæ varias Sacræ scripturæ significant sententias, inquit cit. Hugo: sed quid commune quæso reperitur inter virgas & sententias Sacræ paginæ, vt dicat Hugo illis has denotari? nonne virga ad puniendum reos idonea? bene igitur sacri textus sententias virgis comparat citatus auctor, quia *multis inquit & grauibus comminationibus de transgressionibus mandatorũ Dei nos castigant.*

cit. Hugo

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXIX.

VVLG. Factum est vt in ipso calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculosa & varia, & diuerso colore respersa.

Sep. Et concipiebant oues in virgas, & pariebãt subalbas & varias & cinericias sparsas.

Cald. Calefaciebantque oues ante virgas, & pariebant oues varia maculosa, ac respersa.

Pag. Et coibant pecudes ad virgarum aspectum, & pariebant pecudes maculis respersas in locis vbi colligari solent, & punctis respersas, & maculis latis respersas.

Oleast. Pepererunt oues alligatas.

Caiet. Et fuerunt calefactæ in venire eas ad bibendum, & genuerunt pecudes signatos in talis signatos punctis & signatos fru[illegible]is.

Bib. ant. Incaluerunt que oues ipsæ in conspectu virgarũ illarum. & postea illæ oues pariebãt agnos, & hœdos maculis respersos vbi colligari solent, & punctis paruis respersos & maculis latis.

CONCORDIA.

DIximus quod verbum רחם Raham concipere & calefieri significat, licet autem omnes in aliquibus dictionibus sint diuersæ lectiones, eundem tamen sensum habent ac vulgatus consulte iam ducta.

EXPOSITIO.

FActum est vt in ipso calore coitus, forte in ipsa seminis decisione *intuerentur virgas*, quæ in canalibus erant positæ, *& parerent maculosa &c.* difficultas est quomodo ad obtutum virgarum varii coloris: pecudes generabant versicolores fœtus, præsuppono id non trãscendisse vim & ordinem naturę, nec id miraculo assignandũ esse (quamuis D. Chrysost. & Theod. non sine probilitate contrarium asserant) nam certum est quod intentissimus obtutus in aliquam rem cum vehementi eius rei imaginatione, in ipso ardore coëuntium, & in articulo conceptionis, valet plurimum ad varie colorandum & afficiendum conceptum, ad similitudinem nempe illius rei quæ visa & cognita fuit, sed quomodo id contingat breuiter rationem aperiamus satis dilucidam & quæ satisfacere potest omnibus imaginari inquit non est animæ nec corporis, sed coniuncti deinde animal sentiẽs vel imaginans quidpiam fit simile ei quod imaginatur & cognoscit, imo fit quasi illud ipsum, quia cognoscens in se recipit speciem & similitudinem rei cognitæ, ergo aliquid vehementer imaginans in concipiendo & generan-

do fit, eius rei simile, & quodammodo illud intendimus, nam generans facit sibi simile, hoc enim est generare, & quod actu imaginatur aliquid est ei simile, ergo quod simul gignit & vehementer aliquid imaginatur, gignit simile sui non solum secundũ naturam, sed etiam secundũ id quod imaginatur actu: non enim animal generat sibi simile secundum id quod fuit, aut erit, sed secundum id quod actum est. licet igitur hoc fuerit naturæ opus, vt in intuitu virgarum varii coloris varios ederent fœtus, oues & capræ, tamen non est dubium quin illud sit perfectum interuentu Angeli, qui non solũ docuit Iacob arcanam illius rei peragendæ artem, verum etiam effecit vt pecudes Iacob in supremo coitus ardore, & in tempore concipiendi, virgarum colores exterius intentissimè aspicerent, eosdemque interiori phantasia vehementer imaginarentur, ad ideas incitando & applicando, & sic intelligendi sunt sancti, qui hoc opus non naturale sed supra naturam fuisse asserunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Imaginatio facit casum.

168. F*actumque est vt in ipso ardore coitus oues intuerentur virgas & parerent maculosa*, nonne illæ oues erant nigræ omnino vel albæ? quomodo igitur fœtus edunt varios? nonne ait textus quod oues, diuersi coloris virgas intuebantur: non mirum igitur, licet albæ vel nigræ fuerint, maculosos fœtus edidisse? imaginatio enim facit casum, nam imaginatione virgarum multicolorum varios fœtus gignebant præter communem naturæ ordinem, cum ex vnicoloribus procreari deberent eiusdem oues coloris non varii: audiamus Thomam Morum qui in Anglia martyrii gloriam adeptus est qui hoc ita confirmat his versibus.

Thomas morus.

Plures tradunt graues sophi
Quocumque matres interim
Imaginentur fortiter,
Dum liberis datur opera,
Eius latenter & notas,
Certas & indelebiles,
Modoque inexplicabili,
In semen ipsum congeri,
Quibus receptis intime,
Simulque concrescentibus,
A mente matris insitam
Natus refert imaginem.

Deus satagit vt iustus suam agnoscat curam & prouidentiam.

169. *Factumque vt oues intuerentur virgas & parerent maculosa*, D. Chrys. ho. 57. sic ait, hæc faciẽs iustus non a se ipso mouebatur, sed inspiranti menti eius superna gratia, non enim iuxta ordinem naturæ erat quod fiebat, sed valde admirandum & naturæ modum transcendens: sed qua de causa hoc à Deo ita factum est? cur voluit vt tot oues maculosæ Iacobo nascerentur? *vt iustus* inquit citatus doct. *compertam haberet Dei erga se prouidentiam & Laban liquido cerneret, quantam Dei gratiam haberet Iacob.*

S. Chryso.

Natura Deo obedit.

170. *Factumque vt oues intuerentur virgas & parerent maculosa*, nonne vnicolores fœtus edere deberent? quomodo ergo maculosos & varios procreant? nonne diximus Deo volente & specialiter disponente id contigisse? non mirum igitur si vltra communem naturæ ordinem oues albæ vel nigræ, varios & diuersicolores producant fœtus, quia natura Deo aliquid volenti obedit *nonnum igitur* inquit Cyril. cit a Lipp. *& minime consuetum ex albis parentibus oues varias gigni, sed Deo volente natura etiam ipsa generatur.*

S. Cyrillius.

Maxima est vis bonorum exemplum.

171. *Factumque vt oues intuerentur virgas & parerent maculosa*, an mysterio caret, quod hæc varietas coloris in ouibus, ex virgarum aspectu, nata fuerit? non equidem, sed quod mysterium innuitur? hoc sane quod ex varietate exemplorum, quæ populus intuetur, variarum virtutum decor nascetur, sic enim B. Tho. à Villanoua con. de S. N. Epis. *vnde hæc in grege varietas, nisi ex vario aspectu virgarum, idest exemplorum varietate, quorum innumeram multitudinem doctrinarum carnalibus in opere sanctorum immixtam, prudens ille Iacob & verus cum hoste luctator quotidie populo suo obiicit intuendam*, nostrum est, vt oues, nos probemus, maiorum virgas exemplum intuentes aliorum virtutes conspicientes, vt illis vitis sanctarum cogitationum fœtum conspiciamus, bonorumque operum fructum multis virtutibus variegatum edamus.

B. Thom a vi.

Auxilium diuinum satagendum, humanum non despiciendum.

172. *Factumque vt oues intuerentur virgas, & parerent maculosa*, cur nullis positis virgis diuinum non expectasti auxilium? sic enim ei d sidere videris, vel cur eis positis in canalibus fauorem Dei petisti? nonne naturaliter poterant oues, virgas diuersicolores contemplantes, parere agnos varii coloris? prudenter & diuinum expectauit auxilium, & virgas nihilominus in canalibus posuit, vt earum aspectu maculosa procrearent oues, quia licet diuinum auxilium satagendum, humanum non est despiciendum fauet B. Theod. q. 88. in Gen. *quemadmodum cum procreandorũ liberorum desiderio teneretur, spem procreandæ sobolis non posuit in nuptiis sed in Deo, qui nuptias legibus sanxit: sic & virgis corticem detraxit, non illis quidem confidens, sed opem diuinam expectans, vnde factum est vt ei apparuerit Angelus &c.*

B. Thaoboret.

VARIETAS LECTIONVM VERS. xl.

V*VLG.* Diuisitque gregem Iacob, & posuit virgas in canalibus ante oculos arietum, erãt autem alba & nigra quæque Laban. cætera vero Iacob, separatis inter se gregibus.

Sep. Agnos autem segregauit Iacob, & statuit coram ouibus arietem subalbum, & omne varium

in agnis, & separauit sibi greges per seipsum & non miscuit eos ad oues Laban.

Cald. Et posuit ante oues omne quod erat maculosum, & omne quod erat nigrum in ouibus Laban, & posuit sibi greges seorsum.

Pag. Et pecudes diuidere fecit Iacob, & posuit facies pecudum ad maculis respersum, vbi colligari solet, & omne rufum in pecudibus erat Laban & posuit sibi greges seorsum, & non posuit eas iuxta pecudes Laban.

Oleast. Et dedit facies ouium ad varium & omne nigrum in ouibus Laban.

Caiet. Et dedit facies pecudum ad significandum in talis, & omne rufum in ouibus Iacob, & posuit sibi greges seorsum ab eo, non posuit eos super oues Laban.

Bib. Ant. Posuit facies pecudum versus fœtus lineis distinctos, & versus omne rufũ in grege Labã.

Vatab. Et posuit facies pecudũ versus colligatũ.

Arias Et posuit greges sibi soli, & non posuit eos super pecudes Laban.

CONCORDIA.

HÆc verba & *posuit virgas in canalibus*, in nullo alio præterquam in nostro interprete reperiuntur, & licet ea dicat superfluere Lippo. non ita dicendum arbitror, cum sicut nihil deficiens, sic nihil superfluum in Sacro textu reperitur, cur autem addita sint in expositione litteræ dicemus, circa alia quæ diuerse habentur vt ad signatum in talis, vel distinctum lineis, vel colligatum &c. consule quæ diximus in concordiis præcedentibus.

EXPOSITIO.

ET *diuisit gregem Iacob a Laban, & posuit virgas in canalibus*, ante oculos arietum, quia etiam proficiebat visio arietis, sicut visio ouis, vt fœtus varii ex variis inspectis virgis nascerentur, *erant autem alba & nigra quæque erant Laban*, idest vel quæ totaliter erant alba, vel omnino nigra, secundum pactum ipsius Labani censebantur, cætera vero Iacob, quæ scilicet varii erant coloris, *separatis inter se gregibus*, idest cum separabant greges fœtuum natorũ, tunc enim pecudes vnius coloris Labano tribuebãt varias autem & diuersicolores Iacobo.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vita sanctorum recta.

173. ET *posuit virgas in canalibus*, D. Greg. 21. mor. cap. 1. ait, quid est virgas ante oculos gregum ponere nisi per scripturæ Sacræ seriem antiquorum Patrum vitas in exemplũ populis præbere? sed quæso quid commune reperitur inter virgas, & sanctorum Patrum vitas ita vt Greg. asserat virgis illas denotari? virgæ enim seueritatem & rigorem denotant, iuxta illud, reges illos in virga ferrea, vitæ autem sanctorum, sicut erant mites & benigni, plenæ sunt mansuetudine, nihilominus obserua virgas regulariter esse rectas. non incongrue igitur vitæ sanctorum virgis denotantur, quia rectitudo & æquitas illas comitatur fauet cit. doct. *quas nimirum nempe vita sanctorum, quia iuxta rationis examen recta sunt, virgæ nominantur.*

D. Greg.

Aliquando cortex litteræ in scriptura Sacra amouendus, vt sensus spiritualis percipiatur, aliquando autem relinquendus.

174. *Posuit virgas in canalibus*, quibus diuersas Sacræ scripturæ sententias plures intelligunt, sed si ita est, cur virgæ cum corticibus suis non relinquuntur, sed partim ab eis remouentur partim relinquuntur? vel totaliter amoueãtur vel omnino relinquãtur aduerte quod intellectus sacri eloquii inter textum, & mysteriũ tanta est libratione pensandus, vt vtriusque nimiæ discussionis pondus deprimat, neque rursũ torpor incuriæ vacuũ relinquat: multæ quippe eius sentẽtiæ tãta allegoriarũ cõceptione sunt grauidæ, vt quisquis eas ad solam historiam tenere nititur earum notitia per suam incuriam priuetur, nonnullæ vero ita exterioribus præceptis inseruiunt, vt si quis eas subtilius penetrare desiderat, intus quidẽ nihil inueniat, sed hoc sibi etiam quod foris loquuntur, abscondat, bene ergo à virgis cortices partim abstulit. partim amouit, quia dum plerumque in sententiis Sacræ Scripturæ intellectum litteræ fugimus, quasi corticem subtrahimus, & dum plerumq; intellectũ litteræ sequimur, quasi corticem reseruamus dumque ab ipsis cortex subducitur, allegoriæ candor interior demonstratur, & dum cortex relinquitur, exterioris intelligentiæ virentia exempla mõstrantur: ita Rup. *ex parte detracta cortice littera in eo quod spoliatum est interim candor allegoriæ apparet, & ex parte cortice seruata res sicut gesta est, in exemplum trahenda permanet.*

Rupertus.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XLI.

VVLG. Igitur quando primo tempore ascendebantur oues, ponebat Iacob virgas in canalibus ante oculos arietum & ouium, vt in earum cõtemplatione conciperent.

Sep. Factum est saltem in tempore, quo concipiebant oues in vtero accipientes, posuit Iacob virgas coram ouibus in canalibus, vt ipsæ conciperent secundum virgas.

Cald. Et factum est in omni tempore quo calefiebant oues temporaneæ, ponebat Iacob virgas in conspectu ouium in canalibus, vt calefierent ante virgas.

Pag. Et fuit in omni coitu pecudum primitiuarũ ponebat Iacob, virgas in oculis pecudum in canalibus vt coirent in virgarum aspectu.

Arias Et fuit in omni calescere pecudum colligatarum, ponebat Iacob virgas in canalibus, ad incalefaciendum eas in virgis.

Caiet. Et fuit in omni calefactione ouium primitiuarum & posuit Iacob virgas coram oculis ouium, in canalibus ad calefaciendum ipsas in virgis.

Bib. ant. Fuitque vt quandocumque incalescebant fortiores &c.

Vatab. Et incaluerunt robustiores.

CONCORDIA.

LEctio Græca non solum ac Hebræa, Caldaica, sed etiam Latina diuersa est, imo valde imperfectam & mutilam neque subsistentem cõtinet sententiã: de qua audiamus iudiciũ D. Hier. is enim cùm lectionẽ huius loci ex Hebræo memorasset, subdit, hoc in Sept. interpretibus non habetur, sed pro serotinis & temporaneis, aliud nescio quid, quod ad sensum non pertinet, transtulerunt, hæc Hier. vt autem melius quid dixerit citatus auctor, concipiatur, attendendum est Latinam lectionem duas fœturas pecudum denotare, prioremque vocasse prioris temporis, posteriorem appellasse serotinam admissuram. Septuaginta autem neutrius temporis meminisse, quantum ad sententiam aliæ non differunt lectiones, nisi quod vbi habemus in Hebræo המקשרות Amkusarot, Vatab. dixit robustiores, Bib. ant. fortiores, vbi dixere colligatas, vel primitiuas, sed pro eodem sumuntur, nam licet verbum קשר Kasar ligare vel colligare significet, & nihil aliud denotare asserat Oleaster, tamen cum ligamen sit fortitudo, hinc est quod eiusmodi dictio Amxusarot deducta à Kasar interpretari potest robustiores vel fortiores, dicuntur autem primitiuæ, etiam quia verno tempore antecedente autumnum miscebantur, tunc autem sunt robustæ.

EXPOSITIO.

QVando primo tempore, difficultas est quid per primũ tempus hic intelligatur, nam Valesius cap. 11. de Sacra Philosophia ait, esse tempus diei matutini, quod conceptui est fœcundius, & melius. sed communis sentẽtia est primum tempus esse vernum tempus: tunc enim pecora sunt robustiora & viuidiora, generandique cupidiora, vnde sensus horum verborum *quando primo tempore ascendebantur oues*, est quando tempore veris arietes miscebantur ouibus *ponebat Iacob virgas in canalibus*, ante oculos arietum & ouium vt intense eas conspicerent vt in earum contemplatione conciperent; idest quod conciperent has virgas contemplantes: sicque ex visione virgarum varii coloris diuersicolores ederẽt fœtus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Inuidus homicida.

175. QVando primo tempore ascendebantur oues, &c. hic ponitur qualiter fuit moderatè solertia sua vsus Iacob, scilicet non semper virgas obiiciens ouibus & arietibus, ne omnes fœtus varii nascerentur, & sic Laban aliquos haberet, sed non meliores & robustiores, quales sunt qui verno tempore procreantur, sed qua de causa voluit Iacob Labanum possessorem aliquarum pecudum esse, cũ omnes posset habere? respõdet Abul. *quia si intellexisset Laban aliquam latere fraudem so te Iacob occidisset inuidens velut bona eius diriperet*, nonnè est eius gener? quomodo igitur ei mortem intulisset? quia cum esset inuidus omne vinculum affinitatis violasset, & sic ei non pepercisset.

Abulens.

Plures die Pentecostes euasere vere fideles.

176. *Quando primo tempore ascendebantur oues, &c.* D. Eucher. hunc locum exponens mystice ait, arietes, beati intelligendi sunt Apostoli, seu Ecclesiarum ministri, canales aquarum, Euangeliorum accipiendi sunt libri, virgæ testimonia illorum: sed quodnam est primum illud tempus, quo positis ante oues virgis, concipiebant? non enim mihi videtur facile inueniendum. sed falleris, audiamus citatum Epis. Lugd. *primum tempus conceptionis ouium, Pentecostes accipiendus est dies in quo per prædicationem Apostolorum velut primitiui, tria milia virorum scribũtur concepisse simul Dominicum sermonem.*

D. Eucher.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS xlii. & xliii.

Vulg. Quando vero serotina admissura erat & conceptus extremus, non ponebat eas, factaque sunt ea quæ erant serotina Laban, & quæ primi temporis Iacob.

Sep. Cum autem peperissent oues, non ponebat: facta autem nõ signata ipsius Laban, signata autem ipsius Iacob.

Cald. Et quando oues erant serotinæ, non ponebat, erantq; serotinæ Laban, & temporaneę Iacob,

Pag. Et quando serotina faciebant pecudes, non ponebat, & erant serotina ipsius Laban, & primitiua ipsius Iacob.

Arias Et in ſerotinando pecudes, non ponebat, & erant ceſſantia ipſius Laban, & colligata ipſius Iacob.

Vatab. Et cum ſerotinabant oues, non ponebat ſerotina erant Laban, & robuſtiores Iacob, *Bib. ant.* fortiores.

Oleaſt. In attenuatione ſeu tenuitate ouium, &c. vt fuerunt attenuatæ Laban, & cinctæ ſeu ligatæ Iacob.

Caiet. In ſerotina calefactione ouium, &c.

VVLG. Ditatuſque eſt homo vltra modum, & habuit greges multos, ancillas, & ſeruos camelos, & aſinos.

Sep. Et ditatus eſt homo valde, & facta ſunt ei pecora multa, & boues & pueri, &c.

Cald. Et creuit vir valde nimis, & habuit oues multas.

Oleaſt. Et ſparſit ſe vir valde.

CONCORDIA.

IDem iudicium ferendum eſt de lectione Septuaginta quod verſu præcedenti tulimus, nempe mutilam & imperfectam eſſe, ſerotini enim temporis ſunt, nec temporanei mentionem vllam fecere, diuerſitas aliarum verſionum conſiſtit in hoc verbo עטף Ataph, quod operuit vel obrutus fuit, interpretatur, & cum ad animũ refertur, eſt deficere, deliquium pati, & ex alia ſignificatione ſerotina ſiue ſerotinæ oues, ſic dictæ quod debiliores tenuiores & infirmitate quaſi obrutæ, iam diximus quomodo pro eodem ſumuntur ligatæ, fortiores, robuſtiores & primitiuæ.

VErbum פרץ Para proprie erumpere, rupturam facere ſignificat, transfertur ad plurimarum facultatum poſſeſſorem, qui quaſi continere eas præ multitudine non valet, hinc fit quod vbi Caldæus vertit creuit valde nimis, vel vt Oleaſter ſparſit ſe valde, noſter vulgatus legit, ditatus eſt vltra modum.

EXPOSITIO.

QVando vero ſerotina admiſſura erat, Valeſ. ſicut per primum tempus intelligit matutinum, ſic per ſerotinum, veſpertinum, probatque conceptum qui fit veſperino tempore deteriorem eſſe, eo qui fit horis matutinis, ſed cum per ſerotinum non veſpertinum, ſed autumnum intelligimus, eius probationem nullam faciemus, quando ergo *ſerotina admiſſura erat*, ideſt quando fiebat ſerotina admixtio, ſcilicet cum autumno pecudes ſimul cõiungi deberent, oues enim in Meſopotamia & Syria bis, quotannis pariũt aut certe quædam in vere, quædam in autumno cõcipiebant, & conceptus extremus, ideſt quãdo fiebat generatio ante hyemem, *non ponebat eas*, nempe virgas in canalibus ante ouium conſpectum, cum enim tunc fœtus eſſent infirmiores & debiliores, eos non curabat Iacob, & ideo non poſitis virgis in primo tempore veris, generabantur vnicolores, *facta ſunt quæ primi temporis Iacob*, ideſt primi fœtus nempe verno tempore concepti, qui ſunt robuſtiores & vberiores, erant ipſius Iacobi, *& quæ ſerotina Laban*, nam pecudes quæ tempore autumni naſcebãtur, quia vnicolores, erant ipſius Laban, ex pacto inter vtrumque inito.

D*itatuſque eſt homo*, nempe Iacob *vltra modum* vltra communem ſeruorum euentum, & breui tempore, quod raro contingit iis qui fideliter aliis miniſtrant, & *habuit greges multos*, quia innumera pene multitudo generabatur, varii coloris, *camelos & aſinos* quos ſibi comparauit venditis ouibus & capris.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nõ tenemur alios noſtra induſtria diuites efficere.

177. QVando vero ſerotina erat admiſſura non ponebat eas, cur ô Iacob virgas a canalibus non amouebas, verno tempore, vt oues eis non viſis fœtus ederent vnicolores, qui ex pacto futuri erant ſoceri tui Laban? cur ſolum hoc tempore autumni diſponis? quia nemo tenetur ſuo labore alios diuites reddere, *colligitur hinc* (inquit Oleaſt.) *neminem teneri ſua induſtria alium ditare cum ſe ad hoc non obligauerit.*

Abulenſ.

Vir prudens æquitatem cuſtodiat.

178. *Quando ſerotina erat admiſſura non ponebat eas*, vt vnius coloris pecora naſcerentur, & ea acciperet Laban, ſed ſi potuit omnia poſſidere Iacob, virgas ponens in canalibus, vt maculoſa procrearentur omnia, cur ita non diſponit? aduerte ſi omnes agnos, & hœdos varios, pecora procreaſſen, tfuiſſet aliqua ſuſpicio doli, & ideo hanc artem adinuenit ſed cum eſſet prudens & ſolers, cur omnes ſuas non fecit pecudes? quia vir prudens æquitatem cuſtodire debet, æquum autem erat vt aliquas Laban acciperet, hoc obſeruauit Hier. in trad. Heb. in Geneſ. dicens *Iacob prudens & calidus iuſtitiam & æquitatem etiam in noua arte ſeruabat.*

Qualis prælatus, talis ſubditus.

179. *Quando ſerotina erat admiſſura non ponebat eas* nempe virgas vt varios fœtus oues non ederent, hoc ſi moraliter exponamus, cur fœtus poſitis diuerſi coloris virgis, diuerſicolores procreantur? vel quid nobis denotatur quod fœtus ſimiles virgis euadunt? Guill. Pepin. ait Iacob ſignificat Deũ, virga qua mediante Deus paſtor vniuerſalis regit mundum denotat Prælatum, oues vero Eccleſias filii autem ouium deſignant ſubiectum populum, non mirum igitur quod à qualitate virgarum, naſcantur fœtus eiuſdem coloris, quia ſecundum mores & inſtituta Prælatorum ſubditi regulariter ſimiles euadunt.

Guil. Pep.

Qui cito diuites fiunt & non iniuſte hoc ſpeciali Dei auxilio tribuendum.

180. *Ditatuſque eſt homo vltra modum*, & breui tempore, tot ei facultates cõtigerunt, ſi qui diuitias breui

breui ſibi comparat, innocens non cenſetur! dicemusne impium Iacob, qui ditatus eſt inquit textus vltra modum? non equidem, nam non infidelitati illius, ſed diuino auxilio tribuendum eſt, quod obſeruauit Dyoniſ. Carth. *vltra modũ locupletatus eſt, communemque miniſtrorum euentum, non tamen immoderate per culpæ exceſſum, quia ſic iuſte accidit*, expende illa verba, *non tamen per exceſſum culpæ*, quaſi diceret cito diues factus eſt Iacob ſed non rapina, nec modo illicito, ſed ſpeciali Dei prouidentia.

Dioniſ. Carth.

Diuerſimode ſuam prouidentiam erga iuſtos Deus declarat.

181 *Ditatus eſt homo vltramodum*, nonne Deus ſpeciali cura Iacob, contra odium fratris cuſtodierat? nonne iter facientem in Meſopotamiam fœliciter deduxerat? & ſpecioſiſſimã Rachel ei in vxorem tradiderat? cur igitur eum tot facultatibus cumulat? cur tot greges tribuit? vt erga eum qui iuſtus erat, ſuam prouidentiam diuerſimode declararet, ita Lipp. *iterum diuina prouidentia nobis ſpectanda proponitur, qua Iacob ditandus in Meſopotamia ſuam induſtriam ſcite collocat, & operis ſui euentum Domino commendat, à quo omnia ſua diriguntur proſpera ſicut creuerit breui diuitiis vehementer.*

Lippom.

Concionator ſtylum ornet.

182 *Ditatus eſt homo ille*, vndenam ditatus? cum poſuit virgas amygdalinas, populeas, & ex platanis, in canalibus, vt videntes oues virgas decorticatas, earũ maculas in fœtibus referent, ſed cur non potuit virgas ſolũ ex arboribus frugiferis? cur etiã ex platano? ſanè Iacob concionatorem refert qui diues efficitur, dum multos Chriſto parit. Sed oportet vt virgas obiiciat partim amygdalinas, quæ fructu ſuo rerum diuinarum ſapientiam referunt, partim vero populeas, & ex platanis, quæ quia plus oblectamenti quam fructus habent, eloquentiam & ornatum deſignant, en tibi quas virgas oportet offerre populis, ad ſpirituales cõceptus, ſcilicet orationẽ ſ rerum diuinarum peritia refertam, & eloquentiæ floſculis blãdientem, addit Moyſes Iacobum virgas decorticaſſe, vt ex parte viridem colorem corticis offerrent, ex parte albicantem ligni ſuperficiem; oportet enim orationem ornare ſententiis, & floſculis, & verborum varietate, audi Rupert li. 7. cap. 33. *quid eſt virgas virides, amygdalinas atque ex platanis ante ora gregum apponere? niſi per ſcripturæ ſacræ ſeriem antiquorum patrum ritus atque ſententias in exemplum populis præbere, in quibus dum plerumque intelligentiam litteræ fugimus, quaſi corticem ſubtrahimus, & dum plerumque intellectum litteræ ſequimur, quaſi corticem ſeruamus.*

Rupertus.

SYNOPSIS CAPITIS TRIGESIMI primi.

IVSSV DEI PROTECTORIS SVI, regreditur Iacob ex Meſopotamia in Chananitidē cum vniuerſa familia ſua, eum inſequitur Laban, Rachel idola patris furatur, tandem gener & ſocer fœdus ineunt.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS I.

VVLG. Poſtquam autem audiuit verba filiorum Laban dicentium, tulit omnia quæ fuerunt patris noſtri, & de illius facultate ditatus, factus eſt inclytus.

Sep. Audiuit autem Iacob verba filiorum Laban, & ex iis quæ patris noſtri fecit omnem gloriam ſuam, *ſic Pag*.

Cald. De his quæ erant patris noſtri acquiſiuit omnem ſubſtantiam ſuam.

Arias. Et de quibus ipſi patri noſtro fecit omnem gloriam hanc.

Vatab. Comparauit ſibi omnem ſplendorem iſtum.

Lippo. Fecit omnem magnificentiam ſuam.

CONCORDIA.

IN Hebræo non eſt poſtquam, ſed tantum audiuit, ſed parum refert, licet autem vulg. hac phraſi vſus fuerit, de illius facultate ditatus factus eſt inclytus, tamen eadem eſt in ſenſu, cum iis quibus aliæ lectiones vtuntur, ſcilicet fecit omnem gloriam ſuam, vel ſplendorem, vel magnificentiam, quæ omnia dictio כבד cabod ſignificat.

EXPOSITIO.

POſtquam autem audiuit verba filiorum Laban*, hoc primū motiuum fuit Iacob receſſus ſui in Meſopotamiā, nempe verba infamiæ filiorum Laban, *tulit omnia quæ fuerunt patris noſtri*, volunt ſignificare eum furto cœpiſſe, & fraude abſtuliſſe, *& de illius facultate ditatus factus eſt inclytus*, id eſt ex opibus illius dolo acquiſitis, non eſt ei ſimilis tum in poteſtate, tum in familiæ ſplendore.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Diuitias inuidia & calumnia comitatur.

TVlit omnia quæ fuerunt patris noſtri*, nōne falſiſſimum eſt Iacob hanc iniuriā Labano intuliſſe? non enim aliquid ab eo fraude, vel furto abſtulit, ſed ex pacto; quomodo ergo hoc crimen mentientes ei obiiciunt? reuoca in memoriam, quid in vltimo verſu præcedentis capitis dictū ſit de Iacob, nēpe quod ditatus eſt vltra modum: ne mireris ergo hanc calūniam Iacobo impoſuiſſe filios Labā imprudenterq; mentitos, quia diuitias inuidia & calumnia ſequitur, *diuitias* (inquit auctor Caten.) *inuidia comitatur, quæ & in ſtudio reprehendendi mendacia comminiſcitur, ſi crimina vera deſint quæ accuſentur.*

Auctor Caten.

Inuidus

Inuidus ingratus.

1 *Tulit omnia quæ fuerunt patris nostri*, imo ipsemet Laban nullo cogente, fassus est Deum suas facultates multiplicasse propter Iacob sibi obsequentem, quomodo ergo cum bona patris in vos redundent immortales gratias Iacob non agitis, imo eum furti & rapinæ, nec non infidelitatis erga dominum arguitis? aduertite inuidiæ zelo tabescentes filios Laban aduersus Iacob propter ingentem diuitiarum eius copiam: ne inquiramus ergo, cur gratias ex opibus acquisitis patri, solertia Iacob, non egerunt, inuidus enim ingratissimus est, *vide* (inquit Chrysost.) *quomodo inuidia eos in ingratitudinem induxit.*

Chrysost. hom 57. in Genes.

Aliorum bona etiam iusto titulo acquisita inuidiam mouent.

2 *Tulit omnia quæ fuerunt patris nostri*, compertū vobis est pactum inisse patrem vestrum cum Iacob, quod fœtus diuersicolores essent ipsius Iacob, vnicolores autem sibi forent acquisiti, certo autem certius est inter greges suos Iacobum non habere nisi oues maculosas, & captas varij coloris: quomodo ergo asseritis omnia quæ fuerunt patris vestri Iacob deprædatum? quia aliorum bona etiam iusto titulo acquisita, malorum mouent inuidiam: vnde optime Hier. ab Oleast. *docet locus iste quantum homo debeat fugere habere substantiam alterius hominis, etiam si eam iusto titulo possideat, quoniam in se prouocat dominos illarum rerum, isti enim non curarunt quo titulo Iacob habuerat substantiam patris sui, sed solum spoliatos se considerarunt.*

Hyeron. Oleast in Genes.

Diuitiæ, domesticus hostis.

3 *Tulit omnia quæ fuerunt patris nostri*, quam iniurias vobis intulit Iacob vt ei calumniam imponatis? nullam equidem, imo non exigua vobis contulit beneficia, cum solertia sua patrem vestrum plurimarum facultatum possessorem effecit, vnde ergo ei calumniantur? quia certe diuitiis abundat, nonne eū immunem ab omni opprobrio constituere debet? minime, sunt enim eas possidenti hostis immanissimus. Sic B. Chrys. ho. 2. ad pop Ant. *hostis est contubernalis, inimicus domesticus, hodie tecum, & cras contra te inuidorum oculos armat.*

S Chrysost. hom 2. ad pop. antioc.

Inuidus, credibile in alio non sibi persuadet, quod ipse non possidet.

4 *Tulit omnia quæ fuerunt patris nostri*, ideo hac eum calumnia inuritis, quia prædiuitem & multarū facultatum possessorem cernitis, sed obsecro nonne quis Dei auxilio & labore suo diues euadere potest? cur ergo in eum tanquam in furem insurgitis? quia cum essent inuidi, persuadere sibi non potuerunt credibile tot diuitias habere sine fraude quarum ipsi possessores non erant, *sic fere* (inquit Nazianz.) *vt quod quispiam assequi non potest, id ob inuidiam ne credibile quidem esse putet.*

Greg Nazianz.

Misera famulorum conditio.

5 *Tulit omnia quæ fuerunt patris nostri*, nonne iusto titulo sua possidet Iacob quæ proprio labore & industria, & diuina potius benedictione acquisiuit? cur igitur omnibus illis se spoliatos conqueruntur & gemunt maledici? quare, quæ in domo Laban iuste Iacob acquisierat, furta esse, insidias & dolos esse inclamant? nonne Iacob erat Labani famulus? quid mirum igitur si tot calumniis afficitur, misera enim famulorum est conditio; nam si quid habent, si quid emunt, vendunt, ostentant, licet & proprio labore licet ex debita sustentatione detracta, licet ab aliis donata, quia tamen famuli seruiunt, auaritiā dominorū prouocant, à Dominis latrones & prædones appellantur, vnde optime famulo consulit Oleast. dicēs *maxime cauendū est ostendere te diuitē aut pompā coram eo cuius prius res fuerunt, quas possides.*

Gloss. in Genes.

Iustos etiam Deus diuitiis cumulat.

6 *Tulit omnia quæ fuerunt patris nostri*, diuitem Iacob conspiciunt, quod molestissime ferūt, nec immerito, cum enim diuitiæ non appetantur à iustis sed ab impiis, hinc est quod eis Iacob carere deberet, licet de eis non sint anxie solliciti vere fideles, tamen Deus ad maiorem sui gloriam eos diuitiis cumulat; *ecce* (inquit Procop.) *quanta sit abundantia alienorū bonorum quæ quamuis nondum esset, quo tempore merces constituebatur, tamen breui tanta copia prouenerunt sic iustum prosperante & fortunante Deo.*

Procop. Gazæus hic.

Detractio causa recessus iustorum à nobis.

7 *Tulit omnia quæ fuerunt patris nostri*, his auditis vxores suas conuocat, de suo recessu à Mesopotamia cum eis agit, & tandem regreditur in patriam; nonne ingratitudinis ab omnibus argueris, quod postquam in domo Laban innumeras comparasti tibi diuitias, eum insalutatum deseris? quid ait textus obserua obsecro; tulit omnia inquiunt filij Laban quæ fuerunt patris nostri, en quomodo eius famæ & bono nomini detrahunt? quid mirum igitur discessisse? quia detractio ita intolerabilis, vt iustos abire compellat, *motiuum* (inquit Lyra.) *ad recedendum primum, fuit murmuratio filiorum Laban.*

Noster Lyran. hic.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS II.

VVLG. Animaduertit quoque faciē Labā, quod non esset erga se sicut heri & nudius tertius.

Sy. Et vidit Iacob faciē Laban, & ecce non erat ad eū sicut hesterna, & nudius tertiana die.

Cald. Et vidit Iacob aspectum vultus Laban, & ecce non erat cum eo &c.

Arias Et ecce non ipse secum, sicut erat heri nudiustertius.

EXPOSITIO.

Animaduertit quoque faciem Laban, hoc fuit alterum motiuum recessus Iacob à Mesopotamia, considerauit ergo attente vultum soceri sui Laban, & agnouit *quod non erat erga se*, nempe hilaris, sed tristitia obuoluta, *sicut heri & nudiustertius*, hæc duo aduerbia stricte non sunt accipienda sed pro toto tempore præterito.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Detractores, aliorum odium contra iustos commouent.

7 *ANimaduertit faciē quod nō erat erga se sicut heri*, agnouit se toruis oculis à Labā inspici, nō leue sane argumentū odij, nōne ô Labā sūmo amore generum tuum prosequebaris, cum Deum tibi benedixisse propter eum asserebas, quomodo ergo amorem in odium commutasti? reuoca in memoriam quid filij dixere, tulit omnium (inquiunt) quæ fuerunt patris nostri, en quomodo detrahunt honori & famæ Iacob eum furti arguētes? inquiramus ergo, cur facies Laban demutata? cur eū odio, cum antea amore, prosequitur, quia detractores aliorum odiū contra iustos & innocētes concitāt: ita S. Chry. *verba puerorum Labā, mentem eius turbauerant, & oblitus est quæ pridem dixerat ad Iacob, qui enim dixerat benedixit me Deus ad ingressum tuum, & gratias egerat Domino, quod propter aduentū tuū suæ facultates auctæ fuerant, nunc subuersa mente à pueris & inuidia flagrāte, forte quia videbat iustum valde abundare, non eadem profert verba quæ antea, vidit enim Iacob faciē Laban, & ecce non erat erga se sicut heri & nudiustertius, vidisti quomodo patris mentem perturbauerunt.*

S. Ioan. Chrys. hom. 57.

Detractor non sibi leue damnum infert.

8 *Animaduertit faciem Laban quod non erat erga se sicut heri*, & hoc fuit motiuū recessus Iacob à domo soceri, quo recedente, certum est facultates Laban incrementum non accepisse, nonne filij eius cū furti Iacobum accusant, non leuem ei iniuriam arbitrantur inferre & damnum non exiguum: quomodo ergo Laban & filij eius suorum faciunt iacturam bonorum? nonne linguā suam in Iacob acuerūt? quid mirum igitur hoc dānum accepisse, detractor enim non sibi leue infert detrimentum, quod S. Chrys. ho. 3. ad pop. Ant. optime agnouit. *detrahens fratris carnes comedisti, proximi carnem momordisti*, vnde & *Paulus ad Gal. 5. terruit dicens, si autem inuicem vos mordetis & comeditis, videte ne abinuicem consumamini, non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum improbam suspicionem infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis, & teipsum & alios plures*, expende illa verba, *innumeris malis affecisti teipsum*, quasi diceret, alteri dānum detractione tua inferre conaris, sed in te redundat.

Chrys. hom. 3. ad pop. Antioc.
Paul. ad Gala. 5.

Iustorum detractores tanto sceleri debitas non euadunt pœnas.

9 *Animaduertit faciem Laban quod non erat erga se sicut heri*, quod equidem ei contigit ex filiorum suorum detractione, sed præter damnum tēporale quod lingua sua detrahente sibi comparant, æternumne fugient? si consideremus cui detraxere, nempe viro iusto & innocenti, cur nō dicemus, si detractores qui non communiter aliis criminātur, graues in alio sæculo dabunt pœnas, eos qui aduersus viros iustos linguas suas acuunt grauissime puniendos? audiamus sanctum Anaclet. Pap. 2. q. 7. cap. accusatio, *si (inquit) detractores quorumcumque grauiter iudicantur, & in perditionis laqueum cadunt, multo magis detractores & accusatores famulorum Dei damnantur, & in barathrum, nisi se correxerint & per satisfactionem condignam egerint pœnitentiam, indubitanter cadunt & vindicibus flammis exurentur.*

Anaclet. Pap. q. 7. ca. accusatio.

Detractor in hoc, quod alium condemnat ipsemet reus est.

10 *Animaduertit faciem Laban quod non erat erga se sicut heri*, ex eo quod filij Laban eum furti apud patrem cum contumelia arguerunt, quod indigne ferens faciem commutauit eum bonorum suorum prædonem arbitrans, nec dubium esse potest quin Iacobo etiam cum filiis detraxerit, linguam tuam aduersus generum acuis? existimas tuas deprædatum fuisse facultates? sed nonne eum fraude circumuenisti? nonne mercede sua eum spoliasti, nec non decies commutasti, cur igitur detrahens simul cum filiis furti & rapinæ arguis? quia detractor in hoc quod alium condemnat, ipsemet reus est, *parce* (inquit Hier. epist. 2. ad Nepotianum) *à detractione linguæ, custodi sermones tuos, & scias quia per cuncta quæ de aliis loqueris tuā conscientiā iudicaris, & in his ipse deprehenderis quæ in aliis arguebas.*

D. Hiero. ep. 2. ad Nepoti.

Auarus cæcus est.

11 *Animaduertit faciē Laban quod non erat erga se sicut heri*, cur toruis oculis benefactorem tuum intueris? nonne ob eius virtutem Deus te facultatibus cumulauit? nonne benedictionem familiæ tuæ in temporalibus impertiit? quomodo ergo vera, quæ in Iacob à filiis tuis dicuntur, tibi persuades? quomodo non agnoscis veram esse calumniam, quia cum auaritia & cupiditate habendi teneretur, tenebris mens eius obuoluebatur, ne quid esset verum apprehenderet vnde optime D. Ambr. serm. 59. *auaritia cæcitas est, errorem religionis inducit; cæca namque est auaritia, sed diuersis fraudum occulta ingeniis non videt quæ diuinitatis*, adde nec quæ vera, *sed cogitat quæ cupiditatis sunt.*

D. Amb. serm. 59.

Vultus auari feris truculentior.

12 *Animaduertit faciē Laban quod non erat erga se sicut heri*, nonne antea vultus eius erat hominis, siquidem nunc diuersus est, iam non hominis, sed feræ, imo non cuiuslibet, sed truculentissimæ; audiamus D. Chrys. ora. in auaros, *talium (inquit) etiam ferarum ora sunt quin his etiam truculentiora, etenim verba promunt magis, quam ferarum, dentes venenum continentia & necem patrantia.*

D. Chrysost. oratione in auaros.

Prosperitas etiam strictissimo affinitatis vinculo coniunctorum inuidiam prouocat.

13 *Animaduertit faciē Laban quod non erat erga se sicut heri*, faciem tuam zelus & inuidia, qua in generum æstuas, demutauit, nonne tibi affinitatis vinculo coniunctus est? depone igitur liuorem quo in eum concitatus toruis oculis inspicis, reuoca in memoriam multitudinem gregum Iacob, seruorum, & ancillarum coronam, armentorum maximā copiam, denique facultates illius præ omnibus aliis Mesopotamiæ incolis & dices, non mirum Labanū liuore tabescētē, prosperitas enim aliena strictissimo affinitatis vinculo coniunctorū inuidiam prouocat, quod optime obseruauit Guill. Hamer. *Iacob Patriarcha defunctus iam seruitute non minus diuturna quam etiā graui, ad hæc numerosa prole & multa re bona locu-*

Guill. Hameres a auaros.

cuples

cuples, soceri sui Laban inuidiam prouocat, nec minus filij eius inuidiæ stimuli vehementius perstrinxerunt, inuidia in Iacob causa erat nimia eius in Laban sibisque *eius videbatur fœlicitas, quæ in aliorum animis inuidiam parare solet.*

VARIETAS LECTIO. VERSVS III.

VVLG. Maxime dicente sibi Domino, reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum.

Sep. Dixit autem Dominus ad Iacob reuertere in terram patris tui.

Cald. Reuertere in terram patrum tuorum & natiuitatis tuæ, & erit verbum meum in adiutorium tuum.

Pag. Reuertere &c. ad cognationem tuam.

EXPOSITIO.

M*Axime dicente sibi Domino &c.* Hoc etiam motiuum recessus fuit Iacob à Mesopotamia, nempe imperium Dei, vnde sensus, licet propter alia mouebatur ad discedendũ, sed maxime & præcipue propter Deum ita iubentẽ, *reuertere in terram patrũ tuorum*, non quia illius possessores fuerint, sed quia eam incolebant, *eroque tecum* singularem tui curam agens in discessu tuo.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Impiorum hominum affectus cum vi sit facile in peius mutatur.

14 A*Nimaduerti faciem Laban quod non erat erga se sicut heri & nudius tertius*, nonne Laban erat Iacobi amãtissimus, illum domi susceperat, filias ei tradiderat, & ire cõtenderat, ne à domo sua discederet? quomodo nunc ita à seipso mutatus, vt odium in eum conceptum, dissimulare nequeat, quin vultus mutatione aperiat? quia cum esset improbus, vilis erat eius affectus, & ideo diu durare non potuit, quin imo facile in peius mutaretur quod notat Egesippus lib. 1. de excid. Hierosl. cap. 1. *ideo apud improbos vilis affectus, vt cito prauis suggestionibus extorqueatur.*

Egesip li. 1. de excid. Hiero. ca 1.

Nihil ita æstimare debemus quã diuina mandata.

15 *Maxime dicente sibi Domino reuertere in terram tuam*, cur posuit hæc verba, *maxime dicente Domino?* nam nonne filiorum Laban calumniæ, & rapinæ accusatio, ipsiusque soceri Labã torua facies & omnium inuidia, sufficienter prouocabant eum ad discessum ex Mesopotamia: non igitur dicat Moyses quod *maxime iubente sibi Domino* statuit regressum in terram natiuitatis suæ: imo asserat, quia nihil ita æstimare debemus imo omnibus præferre mandatum diuinum, *Licet propter alias causas* (inquit Abul.) *motus fuerit Iacob ad recedendum maxime tamen fuit motus propter mandatum diuinum.*

Alphons. Tostat.

Vir iustus numine inconsulto nihil agere debet.

16 *Maxime dicente sibi Domino reuertere in terram*, nõne summopere regressum in patriam exoptabat? iam enim antequam tot facultatibus abundaret, licentiam redeundi à Laban petierat, cur igitur nunc locuples, & sic regressum maiori cum desiderio concupiscens Dei præceptum expectat vt reuertatur in patriam? quia vir iustus diuina maiestate inconsulta, nihil debet arduum aggredi. *nihil viris sanct. s*, inquit Oleast. *sine numine agendum est, Iacob enim in licet redditum summopere desiderasset, non tamen redire sine Dei imperio ausus est.*

Oleaster.

Maximam suorum curam gerit Deus.

17 *Maxime sibi dicente Domino reuertere*, in Hebræo est Iehoua, cur hoc nomen quod est principium essendi vsurpat Moyses, cum Deum persuadentem Iacob regressum inducit? vt quantum suorum Deus curam gereret declararet, cum ipsemet fons ostendi omnium id ei consuleret, obseruatio est Caiet. *describitur ipse fons essendi, allocutus Iacob, vt quanta cura summo Deo esset Iacob insinuetur.*

Card. Caiet.

Dei præsentia omnem timorẽ humanum depellit.

18 *Maxime sibi dicente Domino reuertere in terram*, nõne sibi obiicere potuit Iacob, ô Deus misericors, si socero inconsulto, cum vxoribus & tot facultatibus mihi comparatis, abire molior, nõne Laban me persequetur existimans me bonorum suorum prædonẽ & interficere poterit vt omnia mihi eripiat? respondet Deus, *ero tecum*, his auditis regressum tentat imo perficit, nõne ô Iacob in euidens mortis periculũ te conicis, fugam arripiẽs? filij Laban male erga te affecti te persequentur vt hostem, discedere igitur timeas, imo nihil formidat, Dei enim præsentia quæ sibi ab eo promissa omnẽ timorẽ humanũ depellit, *vt iustus fugiuior* inquit Chrys. *non fiat in proficiscendo, sed magna fiducia iter arripiat, ideo dicit ero tecum, qui hucusque res tuas gubernaui & augere feci semen tuum & in posterum ero tecum.*

Chrys hom.

Iracundiam aliorum fugiamus.

19 *Maxime dicente sibi Domino reuertere in terram*, & sic accingit se itineri, regressum, cũ vxoribus tentat, nonne ingratitudinis, quod nec vale dixerat socero à quo duas illas vxores, filias acceperat, & quo mediãte tuæ sunt multipliactæ facultates? aduerte male affectũ erga se cũ Laban, cũ filiorũ eius mentẽ agnouisse, prudenter igitur itineri se cõmittit, fugã arripiens, aliorũ enim iracundiã & furorẽ fugere licet, *iniquo animo*, inquit Procop. *ferente Laban cũ filiis suis Iacobi fœlicitatem, Iacobus in patriam maturat, profectionem Deo ipso præcipiente*, & noster Lyran. *motiuum ad recedendum fuit indignatio Laban iniusta.*

Procop. Lyranus.

Aduersa mundo valedicere, & patriam cælestem quærere compellunt.

20 *Maxime dicente Domino reuertere in terram patrũ tuorum* sublato Dei imperio, nonne maximo patriam

repetendi desiderio tenebatur? nemini dubium est si diuitiis abundas, si tibi sunt plures famuli & ancillæ, si filiorum multitudo, cur non remanes in Mesopotamia cum socero? cur patriam petere tanto affectu desideras? aduerte patriam Iacob quæ erat terra promissionis, adumbrare gloriam, simulque reuocain memoriam aduersis afflictum, propter opprobria & calumnias quibus affligebatur à filiis Laban: merito igitur tanto desiderio ad patriam petendam fertur, & ad Mesopotamiam deserendam, quia aduersa mundo valedicere & patriam cœlestem quærere prouocant, *cum aduersa ingruunt* (inquit noster Ferus) *tunc cogitamus & Deum & patriam cœlestem, incipimus odire & fastidire mundum, vt infidum, & incertum, hinc in Osea dicitur, sepiam viam tuam spinis, tunc dicet vadam & reuertar ad virum meum priorem, & iterum cap. 6. in tribulatione sua mane consurgent & dicent, venite reuertamur ad Dominum, sic filij Israel quamdiu bene tractabantur in Ægypto ne cogitabant quidem terram promissam, cum autem opprimerentur dura seruitute, tunc desiderabant, ad terram promissam proficisci, prima ergo vtilitas tribulationum est quod nos & Dei & veræ patriæ commonefaciunt & quasi ad Deum ire nos compellunt.*

Noster Ferus.

Oseæ. ca 6.

VARIETAS LECTIONVM VERS. IIII. & V.

VVLG. Misit & vocauit Rachel & Liam in agrum, vbi pascebat greges.
Sep. Et Cald. misit &c. vbi erant oues.
Pag. Et misit &c. in agrum ad pecudes suas.

VVLG. Dixitque eis, video faciem patris vestri quod non sit erga me sicut heri & nudiustertius, Deus autem patris mei fuit mecum.
Cald. Video ego aspectũ vultus patris vestri quod non est mecum sicut heri & nudiustertius, & verbũ patris mei fuit in adiutorium meum.

CONCORDIA.

Licet in Hebræo sit אל צאנו al zono ad greges suos siue pecudes suas, & nos habemus vbi pascebat greges suos, tamen nulla est nisi in verbis diuersitas, non autem in sensu, vtrobique enim idem est.

EXPOSITIO.

Misit, per aliquem ex filiis vel famulis, *vocauit Liam & Rachel*, tanquam præcipuas vxores suas *in agrum* non in tabernaculum, vt eis mentem suã maiori cum secreto aperiret; quod ita facile nõ potuisset in tabernaculo, vel vocauit in agrum, quia in eo greges suos pascebat.

Video faciem patris vestri &c. ac si eis diceret non vobis graue videatur, si odiente me patre vestro, toruum enim & mihi minantem vultum eius conspexi, nouum nunc ineo consilium discedendi à domo vestra, paterna domo, idque Domino præcipiente, *Deus autem patris mei fuit mecum*, Deum patris sui dicit, quia Isaac verum Deum colebat, *fuit mecum*, me in omnibus dirigens.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vxoris in dispositione familiæ consilium audiendum.

21 *Misit & vocauit Rachel & Liã*, vt scilicet desideriũ quo tenebatur patriam redeundi, cognatos inuisendi, Mesopotamiamque deserendi eis aperiret, sed qua de causa eas conuocas? nonne es Dominus familiæ? ad libitum dispone quidquid cõuenientius tibi videbitur. prudenter tamen eas conuocat, quia vxoris in dispositione familiæ consilium audiendum, Oleast. subiungit, *non tamen eo sistendum* verum adde, si non fuerit rationi consentaneum.

Oleaster.

Cum prudentia & secreto nostra tractemus.

22 *Misit & vocauit Rachel & Liam in agrum*, cur vxores tuas in agrum conuocas? nonne vrbanius foret, vt agrum deserens, tabernaculum earum peteres? aduerte non ita secrete hoc negotium tractare potuisse in tabernaculo sicut in agro, remotis omnibus testibus: sagaciter igitur eas in agrum conuocat non in tabernaculum, quia cum prudentia & secreto nostra tractanda sunt, hoc innuere videtur Abul. *in agrum vocat vt ibi secretius loqueretur cum eis quam si stetisset in ciuitate.*

AbulenC.

Deus adest persecutionem propter iustitiam patientibus.

23 *Video faciem patris vestri quod non sit erga me sicut heri, Deus autem patris mei fuit mecum*, cum secum Deum experiretur, causabatur quod sibi infensum socerum sentiret & prorsus contrarium, & cur Deus adest & fauet cui Labanus contrarius est & persequitur? sane necesse erat vt qui Deum sibi præsentẽ sentiret, & soceri inimicitiam experiretur, non enim ita specialiter Deus adesset, nisi prius sensibilium sectio inueniretur, id quod pulchre notat Phil. libro quod deterius potiori insidietur, vbi sic ad verba data loquitur, *atqui adeo Laban erga te male affectus est, quia Deus tibi fauet, nam in quacumque anima externum istud sensibile honoratur, tanquam bonum maximum, in ea Deus non inuenitur in qua autem Deus obambulabat in ea bonum sensibile, bonum externum non relinquitur*, hoc tibi sit signum aduenientis iam Dei, si sensibilium sectio, si gladius præcesserit si persecutio oppresserit.

Philo. Alexan. li quod det. potiori insidiatur.

Inimicus

Inimicus latens magis timendus quàm cognitus.

24 *Video faciem patris vestri quod non sit erga me sicut heri*, cur vt motiuum discessus sui aperiat vxoribus non opprobria filiorum Laban denotat, eorumque odium in eum, sed solum faciem patris earum demutatam & tristem? quia filios Laban tanquam cognitos aduersarios non formidabat, sed solum Laban tanquam hostem latentem, quod obseruat Hamer. *Filij Lab. an propalam inuidiam præ se ferebant, cum illā verbis significarent, eratque proinde Iacob minus ab illis periculum, cæterum Laban aliud verbis in ore habebat & aliud in animi recessu premebat, eratque eo magis Iacob timendus quo amicus, inimicus difficilius cognitu videtur maioremque perniciem afferre solet.*

Guillel. Hamer.

Inuidus liuorem dissimulare non potest.

25 *Video faciem patris vestri quod non sit erga me sicut heri*, si male es affectus erga generum ô Laban, cur non dissimulas? cur vultum eūdem sicut antea non geris? cur tibi nunc facies subtristis, pallida, torua? &c. nonne liuore cruciabatur mens Labani? non mirum igitur si vultum gerit mutatum, inuidus enim zelum quo tabescit coercere & dissimulare nequit, Fauet Basil. hom. de inuidia, *ipsi fatentur ore hoc vitium inuid. aspectus est illis aridus & obscurus, gena subtristis supercilium demissum, anima ipso morbo suffusa prudentiam in dignoscenda veritate ac rebus agendis minime habens.*

S Basil. ma ho. de inuid.

Inuidus sibiipsi carnifex.

26 *Video faciem patris vestri quod non sit erga me sicut heri*, cur ô Laban tristitia afficeris? cur mœstitia mentem tuam comprimis? cur miser dolorem accersis? nonne mortem conscisces si diu angeris, si diu tristaris? exsiccat enim tristitia ossa, sed quæso ne sciscitéris, cur ipse hunc dolorem accumulat, cur ita grauiter angitur, cum enim sit inuidus, sibiipsi est tortor & carnifex, *quid miser homo* (exclamat cit. Basil.) *angeris? nihil mali passus cum eo contendis, aut quid eum petis in bonis quibusdam existentem qui de tuo nihil detrahit aut minuit?*

Basil.

Dei auxilium mire protegit.

27 *Video faciē patris vestri, &c. Deus autem patris mei fuit mecum*, nonne Deus est in omnibus per potentiam, præsentiam, & essentiam? non est ergo cur Deū secum fuisse glorietur? imo merito Deū fuisse secum dicit specialiter, quia Dei auxilium mire contra dolos & iniustitias soceri, substātiam suam multiplicauit, & à calumniis, fraudibus, odiis, & violentiis domesticorum hostium protexit. sic Oleast. *Deus fuit cum eo defendendo personam, & augendo substantiam.*

Oleast.

Patientia in iniuriis ferendis commendatur.

28 *Video faciem patris vestri quod non sit erga me, sicut heri*, si te toruis inspicit oculis socer, si calumniis filij Laban insequuntur, cur saltem asperum, tot & grauibus iniuriis affectus, aliquid in eos non retorques? quia in eis ferendis semper iustorum patientia elucet, vnde optime Zeno Vero. serm. de patient. *semper immobilis manet alta quadam ac diuina temperantia libr ata, vniuersas premotiones animorum placida moderatione compescens, & vt omnia magnopere deuincat se primo vincit*, deinde hæc verba subiungit, *non enim virtutes possunt esse virtutes, nisi disciplinam quasi quadam sollicita mater patientia custodiret.*

S. Zeno Veron. Episc. serm. de patient.

Diuitiæ malorum seminarium.

29 *Video faciem patris vestri quod non sit erga me sicut heri*, quomodo toruis suis oculis non solum aliquid aduersi tibi minatur Laban, sed & filii eius insidias moliuntur? nonne tu antea omnibus charissimus? quomodo nunc ita inuisus? quid nobis dixerit facer textus de Iacob reuoca in memoriam, nempe quod ditatus est vltra modum; ne queras ergo cur omnes in eum armantur, & tot graues patitur iniurias: diuitiæ enim & laborum & malorū sunt seminarium, quod vere animaduertit Clem. Alex. lib. 2. pædag. cap. 3. *aurum inquit, & argentum & priuatim & publice est inuidiosa possessio, si ipsum excesserit, rara ad acquirendum, difficilis ad custodiendum, & non apta ad vtendum.*

Clem Alexand. li. 2. pædag. cap. 3.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VI.

VVLG. Et ipse nostis quod totis viribus meis seruierim patri vestro.
Sep. Quia in omni fortitudine mea seruiui patri vestro.
Cald. Quod omni virtute mea seruiui.
Oleast. quod in omni virore meo seruierim.
Arias. Quod in omni vi mea seruiui.

CONCORDIA.

Dictio כח coah quæ semel tantum cum, in medio describitur Danielis vers. 6. alias semper absque eo significat vim, robur, facultatem, aliquando autem pro virore vt Psal. 22. aruit tanquam testa cochi idest viror meus.

EXPOSITIO.

ET *ipse nostis*, testimonium aduersus me date, si à veritate ne latum quidem vnguem discedo, *scitis enim quod totis viribus* omni sollicitudine & diligentia *seruierim patri vestro*, in pascendis suis per tot annos gregibus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nostram virtutem celebrare possumus non vanitatis sed calumniæ aut accusationis repellendæ causa.

30 *Ipsæ nostis quod totis viribus seruierim patri vestro*, nonne Pharisæus se apud Deum extollens, & opera sua bona prædicans condemnatur? cur igitur obsequium fideliter præstitum refert Iacobus? cur seipsum quasi laudibus extollit? si in memoriam reuocas quod ei cum calumnia imposuere filij Laban facultatum patris rapinam, Iacobum non argues quod fidelitatem suam prædicarit, non vanitatis & iacturæ gratia sed calumniæ vel accusationis repellendæ, quod optime agnouit Isido. in catena Iob, qui explicans cap. 29. ex vers. 12. in quo suas virtutes prædicare coram omnibus videtur ait, *ne mirere si Pharisæus propterea quod magnifice de se loquitur apud Deum offendit; Iobus autem quamuis plura, & maiora prædicarit, tamen laudem tulerit: ille enim, nemine incitante, vel impellente ingloriosam illam ingressus est orationem, cumque nihil in orbe terrarum æque vt se dignum existimaret, merito est lapsus; superbiæ enim morbo labo abat: qui vero ad causæ suæ probationem errata tegit sua; & dum petitur conuiciis, & dicit quæ ad obiecta crimina refutanda pertinet; id quod præclarissimus atque quauis fama superior fecit Iobus; nempe is ab omni culpa & reprehensione vacuus & nudus est, interim culpa in improbi, iniustique conuicij auctore residente, friget enim ea laus, quam sibi quisque, nulla necessitate coactus adsciscit, verum si quisquam, cum ea, quæ minime oportebat audierit inuitus ad eiusmodi sermones delabatur, nempe ad illos ipsos qui vsurpandi sermonis necessariam causam attulerunt, crimen recurrit, ita diuinum suffragium illum quidem Pharisæum, qui nullius impulsu iustitiam suam venditauit, ac reliquos omnes condemnauit; explosit omnino, hunc vero hac necessitate adductum, quid enim amici quod ad prouocandum valeret, in præteritis reliquerunt? summa laudationis laurea atque corona donatur.*

Ingratitudinis exprobrationem à nobis repellamus.

31 *Ipsæ nostis quod totis viribus meis seruierim patri vestro*, cur vt persuadeas vxoribus tuis recessum à Mesopotamia & paternam domum relinquere, obsequia Labano præstita fideliter in medium proponis? aduerte quod potuissent ei obiicere, quomodo à Labano benigne admissus, licet egenus, nunc abunde facultates sibi comparauerat: bene igitur antequam discedat, & antequam suum discessum aperiat, obsequia fideliter reddita & male remunerata declarat, vt ingratitudinis exprobrationem à se depelleret, *perdisce prudentiam Iacob*, inquit Oleast. *voluit enim iustificare causam suam apud eas.*

Isid. in cat. super Iob.

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII.

VVLG. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus, & tamen non dimisit eum Dominus, vt noceret mihi.

Sep. Mutauit mercedem decem agnorum, & non dedit ei Deus malefacere mihi.

Cald. Pater vester mentitus est mihi, &c.

Pag. Et non permisit Deus vt malefaceret mihi.

Oleast. Pater vester irrisit me &c. & transire fecit mercedem meam decem vicibus.

Arias. Pater vester fefellit me, & mutauit mercedem meam decem partibus.

Aquila. Mutauit decem numeros.

Symm. Mutauit decies numero.

Syrus. *Absolute sic vertit* mutauit decies mercedem meam.

Lipp. Mutauit mercedem meam decem mnas.

CONCORDIA.

D. Hier. in quæst. Hebr. super Genesim lectionem Septuaginta quasi mirabundus inspiciens ait, Septuaginta interpretes pro decem vicibus, nescio vt est in lib. Hebr. posuerunt decem agnis, nescio qua opinione ducti, cum verbum Hebraicum מנים monim, numerum magis quàm agnum sonet, cum hic sensus ex consequentibus magis probetur. Sed B. August. q. 95. in Genes. eleganter respondet Hieronymo, tacito tamen nomine miranti, cur Septuaginta pro decem vicibus dixerint decem agnis, ait enim agnos posuisse pro decem temporibus quibus oues nonos agnos parerent, iuxta sexennium autem, semel primo & semel postero pepererunt, quatuor autem annis intermediis octies, nec mirum inquit quod hæc decem tẽpora, nomine agnorũ appellauerint qui eisdẽ tẽporibus nascebãtur, velut si quisquã dicat per tot vindemias, aut per tot messes quibus numerus intelligatur annorũ, vnde ait quidã post aliquot aristas sic in Virg. Eglo. 1. post mea regna videns mirabor aristas, per aristas videlicet messes, & per messes annos significans, secũdũ ergo hanc Augustini interpretationem, non erit discordia inter vulgatum & Septuaginta interpretes. Oleaster pro mutauit habet transire fecit, ideo est quia verbum חלף chalaph proprie transire significat, & quia id quod transit mutatur, denotat etiam mutare. Lipp. transfert מנים monim mnas, & ait scire oportet mnã vocem esse Hebraicam, quamuis eam & Græci & Latini vt suam vsurpent, cum centum dragmarum summa est, tum partem aut numerum quemlibet sæpe significat, hoc itaque loco numerum signat, ideo Aquila vertit decem numeros, & Symmachus decies numero, sed existimat Eug. potius Aquilam & Symmachum cum ita verterunt, respexisse Lect. Sept. qui pro δέκα ἀμνῶν legendum putat δέκα μνῶν, & errore librariorum adiectum αμνᾶ, mna vero ad pondus & numerum pertinet, idem sentit Mart. del Rio hîc & in adagiis sacræ scripturæ.

Eugubinus Martinus del Rio.

EXPOSIT.

EXPOSITIO.

Pater vester circumuenit me, circumuentio proprie fraus est occulta in verbis, etiam refertur ad fraudem in factis, quia missus est Laban decipere Iacobum, *& mutauit mercedem meam decem vicibus*, licet aliqui hoc dictum hyperbolicè arbitrentur, tamen vere decies mutata fuit, hoc enim non repugnat narrationi huius loci, nam in illis sex annis quibus Iacob curauit gregem Laban decies facta est ei mercedis immutatio: sic autem potest intelligi per singulos fœtus semper Laban conditionem mutabat, si videbat varium nasci pecus, post fœtum dicebat, volo vt in futurum varia mihi nascantur, rursus cum vidisset vnius coloris nasci pecora (Iacob quippe hoc audito virgas in canalibus non ponebat) dicebat vt futuros fœtus vnius coloris sibi pecora procrearent, quid plura? vsque ad decem vices semper à Laban pecoris sui siue Iacob mutata conditio est, & quodcumque sibi proposuerat vt nasceretur in colorem contrarium vertebatur, ne cui autem in sex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, sciat naturam ouium Mesopotamiæ sicut & Italiæ bis in anno grauidas fieri, *& tamen non dimisit eum Dominus vt noceret mihi*, quasi diceret, Deus semper mihi fuit propitius & fraudem delusit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustus quocumque eum vertas sedem propriam habet.

32 *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, & nihilominus nullum accepit ex illa mutatione mercedis detrimētum, quod equidē miror, nā oues quæ nunc fœtus varios edebant, cum eos deinde eligeret Laban, potuerunt ei ita contingere diuersicolores: sed mirari desine, iustus enim quocumque cum vertas sedem semper habet propriam, quidquid in eum moliaris semper cuncta ei prospere eueniunt, quod obseruauit Hier. ab Oleast. *aduerte iustum figuram gerere sphæricam, vt quocumque eum vertas sedem habet propriam, mutationes quas fecit Laban in vtilitatem cesserunt ipsi Iacob, hoc enim interest inter impium & pium, quoniam si impium vertas non est amplius, si autem pium, quocumque se vertat suam sedem habet, quia Dominus supponit manum suam, vos inquit Ioseph fratribus suis, cogitastis mihi malum, sed Deus vertit illud in bonum, nam quod in malum impii iustis inferunt, cernunt sibi in bonum cedere, & quod impii eligunt vt bonum, illud illis in malum vertit Deus.*

Hier. ab Oleast.

Mali (Deo volente) nec quantum valent nec quantum desiderant iustis nocumentum inferunt.

33 *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, an ei hoc fœliciter contigit? audi Iacobum, & tamen nō dimisit eum Dominus vt noceret mihi, nonne impii totis viribus nituntur damnum viris iustis inferre? quomodo igitur opere non adimplent quod magnopere desiderant? vt iusti de impiis nullomodo sint solliciti, nec eorum insidias tanta cum sollicitudine fugiant, cum nec quantum valent nec quantum exoptant nocumentum inferant, *Deus enim* (inquit Porrect.) *non sinit malos nocere quantum volunt, nec quantum possunt, ecce Laban nocere Iacob voluit & potuit, & tamen non est permissus à Deo, vt noceret tantum quantum volebat, ergo si Deus pro nobis quis contra nos?*

Seraphinus Porrec.

Quanto magis hominum malitia piis aduersatur, tanto magis eos bonitas Dei protegit.

34 *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, an fraus & dolus eius simulabitur? an Deus iustum & fidelem seruum suum opprimi patiebatur? inspice quid dicat textus, *& tamen non dimisit eum Dominus vt noceret mihi*, quomodo enim fraudulenter agit Laban in Iacob, Deus ita specialem curam illius gerit, ita vt non permittat dolis generi sui circumueniri? quia quanto magis hominum malitia piis aduersatur, tanto magis Dei bonitas eos protegit, sic obseruat auctor cat. *tanto magis bonitas Dei succurrebat benignus, & in agendis iustus diuinitus admonebatur quanto magis humana malitia credenti Deo aduersabatur.*

Auctor caten. Lippom.

Deus viro iusto pro inexpugnabili armatura est.

35 *Mutauit mercedem meam decem vicibus, & tamen non dimisit eum Dominus vt noceret mihi*, miror hominē ab inuidis hominibus appetitum, cui Labanus vir potens erat infestus, nullum tamen ab eis nocumentū accepisse, non solum cum apud eum maneret, sed cum ab armata manu inermis passus est persecutionem: sed inspice quod ipsemet Iacob fateatur, & mirari desines, ait enim non dimisit me Dominus, vt noceret mihi, si Deus ab eius partibus stabat, nec inermis armatam manum timere debebat, Deus enim viro iusto inexpugnabilis est armatura; quod annotat Ioseph lib 6. antiq. cap. 10. Dauidem adducens cum Goliath loquentem, *tu me inuadis hasta tua confisus & thorace & gladio, mihi vero pro armatura Deus est qui te ac tuum exercitum nostris manibus hodie deleturus est*, preme hæc verba, mihi vero pro armatura Deus est.

Ioseph. li. 6. antiq ca. 10.

Auarus inconstans.

36 *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, cur toties? nonne sufficiebat eam ter aut quater commutasse, vt cognitum haberet ex sibi infœlici euentu Deum pro Iacob pugnare? nonne Laban auarus? ne inquiras ergo cur toties mutato consilio mercedem generi commutat? auarus enim inconstantissimus est: ita Diodorus cit. in cat. aurea, *sæpius fefellit me, damnans in hoc multiplicem erga eum mentis inconstantiam.*

Diodor apud Lippom.

Mundus amatores suos conterens.

37 *Mutauit mercedem meam decem vicibus* quis labor, quæ angustia & præcipue cum id contingit post tot annorum seruitutem? sed quis est ille qui ...

Petrus Riga Presbiter.

molestus? Laban equidem, qui ita suum vexat generum, sed cuius rei typus est Laban? huius equidem mundi, sic Petrus Riga Presbyter in libro suo, cuius titulus est aurora.

Res est alba Laban, interprete teste, notatque
Mundum, qui reruus delitiis pueratet.

S. Aug. in Psal. 36. enarr. 1.

Quid mirum igitur si ita generum suum affligit? mundus enim amatores suos conterit, *molendinum*, inquit B. Aug. in Psal. 36. enarr. 1. *puto dictum mundum istum, quia rota quadam temporum voluitur & amatores suos conterit.*

Vana spes est in hoc mundo.

38 *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, nonne tibi pollicitus fuerat quod omnes diuersicolores tui futuri essent? quomodo igitur promissis suis nō stetit? ne hoc inquiras obsecro, si enim Labā typus est mundi, quid mirum promissis suis nō stetisse: vana enim est spes quæ in eo tanquam inconsulti initi & lubrico ponitur, bene ergo B. Greg. Nazi. in opusc.

Greg Nazian. in opusc.

dirum sibi imprecatur, *si hominum* (inquit) *potius opē atque adiumentum quam Dei præsidium quæsiero, imbecilli fragilique tui pro vita mea iudentes all gem.*

Fallax est mundus licet videatur humanus.

39 *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, nonne te ingredientē domum eius, lætus & gaudēs excepit? quomodo igitur nunc te mille murnis & fraudibus circumuenit? quia sic mūdus quo nihil fallacius, nihil inhumanius, imprimis allicit benignitate & comitate, vt decipiat, blanditur vt te fraudibus circumueniat: vnde merito de eo loquens Greg. Niss. tract. de orat. sic fatur, *tanquam escam quandam hanc mundanam occupationem prauo hamo audiori... us porrigit*, præme hæc verba, sicut enim incautus pisciculus hamo decipitur deinde tamen occiditur, sic mundus sub honoris sub dignitatis esca te fallit, & quam audē decipiens strangularis hamo infœlicitatis & illius infidelitatis.

Greg. Nis. tract. de orat.

Mundus Dei decem præcepta in totidem transgressiones commutat.

40 *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, quis ita infidelis, qui non bis aut quater, sed decies mercedem immutat? Laban equidem huius mundi symbolum, qui plurima pollicetur, nihil largitur, imo inquit Hugo Card. si ad tempus aliquid concesserit ad tempus tollit, sed quomodo intelligemus non bis aut quinquies mercedem commutasse sed decies? tibi satisfacit ex. Card. *quia tota mundi intentio est vt decalogum mandatorum peruertat in decalogum transgressionum, hoc est quod legitur Isa. 38. quod sol reuersus est decem lineis in horologio Achaz id est diaboli.*

Hugo Card. Isa 38.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VIII.

VVLG. Si quando dixi variæ erunt mercedes tua, pariebant oues omnes varios fœtus, quādo vero contrario, ait alba quæque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt.

Cald. Si sic dicebat, varia erunt pro mercede tua, pariebant oues omnes varia, & si sic dicebat maculosa erunt pro mercede tua, pariebant omnes oues maculosa.

Pag. Si ita dicebat punctis respersa erunt merces tua, pariebant omnes pecudes punctis respersa, & si ita dicebat maculis respersa in loco vbi colligari solent erunt merces tua pariebant omnes pecudes maculis respersas in locis vbi colligari solent.

Oleast. Ligati, erunt merces tua pepererunt oues, ligatos.

Caiet. Punctis signati erunt merces tua pariebāt oues punctis signatos, & sic ait signati in talis &c. omnes pecudes signatos in talis pepererunt.

Arias Si ita dicebat punctata erunt merces tua, & pariebant omnes pecudes, punctata, & si ita dicebat fasciata erunt merces tua & pariebant omnes pecudes, fasciata.

Bib. ant. Quod si ita dicebat lineis distincta erunt merces tua, tunc pariebant omnes pecudes lineis distinctas.

CONCORDIA.

NOster interpres habet *varia* vbi in Hebræo legitur נקדים nekuddim est autem nekud animal album habens maculas nigras, vel econuerso, à nekud quod punctum vel stigma aut maculam scilicet diuersi coloris significat, vnde bene quidam verterunt punctis signata, vel punctata, vel punctis respersa: vbi etiā habet noster interpres alba accipies, in Hebræo est dictio עקדים akuddim, est autem akod animal maculosum, quod habet maculas diuersi coloris circumligatas corpori seu pedibus, quod quidem non exiguam ingerit difficultatem, nam hic videtur dicere maculosa quod supra varia, vnde noster interpres volens hanc ambiguitatem fugere, transtulit alba, vt ita differre faceret à variis primo loco dictis, vnde vt secundum Hebræum certa detur inter priora & secunda animalia differentia, & litteræ sensus clarus eruatur, dicemus quod priores oues toto erant corpore variæ & maculosæ, secundæ vero toto albæ, sed in pedibus duntaxat vbi colligari solent maculosæ, quæ quidem interpretatio cum vulgato conuenit, vnum enim exprimit nempe quod fuerunt albæ, & alterum silet nempe quod in pecudibus erant maculosæ.

EXPOSITIO.

SI *quando dixit variæ erunt mercedes tua*, exprimit Iacob quomodo Laban mercedē suā mutauerit, quando enim fœtus varios in multitudine cōspiciebat, variegatū deinceps pecus meū erit dicebat Laban, tunc virgas cū Iacob non apponeret in canalibus vnicolores erant greges, qui nascecebātur, quod videns Laban postulabat sibi dari quæcūque vnius coloris nascerentur, & tūc variegata oriebātur, quia Iacob decorticatas apponebat virgas in canalibus sicque singulis vicibus quibus greges pariebant Laban mercedem mutabat.

CONCE-

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mundus vere proditor.

41 SI quando dixit varia erunt mercedes tua &c. Si itaut sic varie ludebat Iacob eumque irridebat, nonne tibi fideliter & solicite ministrauit gener tuus? nonne eius industria facultates tuæ multiplicatæ, & diues eius labore effectus es? cur igitur cum toties circumuenire molitis? cum à nobis dictũ fuit Laban mundi typum esse, non miraberis toties generum suum fefellisse & delusisse, mundus enim suos etiam prodere molitur *ô munde proditor*, inquit B. Aug. serm. 31. ad fra. in eremo, *cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers, promittis vitam, sed donas mortem, promittis gaudium, largiris mærorem, promittis florem, sed euanescit, promittis stare, sed cito recedis.*

Aug. ser. 31. ad fra. in eremo.

Dei prouidentiæ à parte iustorum stanti quis resistet?

42 *Si quando dixit variæ erunt mercedes tuæ &c.* tamen consilium semper mutabat, itaque Laban & filij eius contra vnum Iacobum peregrinum, hospitem, pauperem alieno in solo mercenarium, famulumque, non linguis tantũ sed fraudibus & insidiis armantur, sed præualent ne aduersus eum? frustraturne mercede sua? efficiturne pauperior? minime equidem, quomodo tot in vnum non præualent? quia prouidentiæ à parte iustorum stanti quis resistet? ita Lipp. *non præualuit Laban cum suis, prouidentia Dei qui mihi aderat, in quem sperabam, sortem meam semper potiorem reddidit & promouit.*

Lippom.

VARIETAS LECTIO. VERSVS IX. & X.

VVLG. Tulitque Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi.

Sept. Et abstulit Deus omnia pecora patris vestri, & dedit ea mihi.

Cald. Et separauit dominus de pecoribus patris & dedit mihi.

Pag. Et abstulit De⁹ gregẽ patris vestri & dedit mihi.

Oleast. Spoliauit Deus aut exuit substantiam patris vestri.

Arias mon. Et abstulit Deus acquisitionẽ patris vestri.

Caiet. Et fecit separare Elohim gregẽ patris vestri.

VVLG. Postquam enim conceptus ouium aduenerat, leuaui oculos meos & vidi in somnis ascendentes mares super fœminas varios & maculosos & diuersorũ colorũ.

Sept. Et factum est quando concipiebant oues in vtero accipientes, & vidi oculis meis in somno, ecce hirci & arietes ascendentes super oues, & capras subalbi & varii & cinericij sparsi.

Cald. Et factum est in tempore quo oues calefiebant, leuaui oculos meos, & ecce arietes qui ascendebant super oues, erant varii & maculosi & respersi.

Pag. Ecce hirci ascendebant super capras maculis respersas, vbi colligari solent, punctis respersas, & maculis respersas.

Oleast. Vide gregis duces ascendentes super oues aut super cũctos maculosos scilicet magnis maculis, & grandinatos, idest maculis paruis ad modũ grandinis respersos.

Arias Et fuit in tempore calescendi pecudes, &c. vidi hircos ascendentes super pecudes fasciatas, & punctatas & grandinatas.

Caiet. In talis signatas punctis signatas, & grandinibus signatas.

CONCORDIA.

DIctio מקנה mikne significat possessionem vel acquisitionem tam rerũ mobilium quam immobilium, potest etiam significare substantiam, vt vertit interpres, sed & peculium & armenta; verbum נצל natsal denotat spoliare & exuere, aut auferre, impropriè autem separare.

IAm diximus יחם iaham propriè calefacere seu calefieri transitiue autem coire significat, sunt hîc tres dictiones ex quibus diuersitas pendet, nempe עקדים נקדים ברדים akuddim, nekudim, berrudim, quid de duabus primis dictum fuerit consule concordiã versus octaui, de tertia superest dicendũ ברד barad grãdo dicitur, & inde bernudim grandinati seu respersi punctis seu maculis variis ad formam grãdinis, licet aliqui referant ad capras seu oues ascensas colorum diuersitatem, standum tamen est nostro vulgato, qui ad mares seu hircos hanc refert.

EXPOSITIO.

TVlit Deus substantiam patris vestri, non quod abstulerit facultates ipsius Labã vt earum possessorem constitueret, sed ex eo quod fœtus gregũ qui nullo pacto interueniente futuri essent Labã, pacto interueniente fuerunt Iacobi.

POst, quam autem conceptus ouium aduenerat, quando instabat tempus quo oues cõcipere debuerant, ante ipsam arietum ouiumque commixtionem, *leuaui oculos meos & vidi in somnis*, hæc visio fuit imaginaria, vnde cum ait *leuaui oculos*, nõ est dubium quin intelligat vires illas internas, quibus dum quis dormit res ostensæ videntur, vel potius earum imagines speculantur, *vidi ascendentes mares varios super fœminas &c.* significatur Iacob in somnis quod res in suum profectum esset cessura, quomodocunque mutaret Laban conditionem, si toto corpore varias & maculosas nasci turas dimittebat Iacob ostendebantur ei mares eiusdem coloris super fœminas ascendentes ex quibus eiusdem effigiei fœtus conciperent, si contra, toto corpore albas, & in talis dumtaxat vbi colligari solent, punctatas, & stigmatizatas orituras Iacob volebat, huiusmodi qualitatis mares super fœminas ascẽdentes in somnis mõstrabãtur ei atque sapienter de futuris edocebatur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus iustorũ contra impios specialem curã gerit.

43 *Tulit Deus substantiã patris vestri*, Oleast. spoliauit, cur Deus priuat Labã suis facultatibus? cur ab eo sua aufert bona? vt quantam iustorũ contra impios curam gerat agnoscamus, *mirum valde est*, inquit

Hier.ab Oleast. *quod furatur Deus impiis, vt tribuat iustis, neque solùm spiritualia illis largitur bona, sed & temporalia.*

Hier.ab Oleast.

Deo semper maxime grati esse debemus.

44 *Tulit Deus substantiam patris vestri & dedit mihi*, nonne tuo labore & industria tot facultates comparasti? cum enim necesse erat, virgas varij coloris ponebas in canalibus, vt fœtus diuersicolores nascerentur, cum autem conditio pacti mutata requirebat, vt auferrentur, admouebas, ne fatearis ergo Deũ tulisse substantiam Laban vt tibi eam tribueret, cum eam labore tuo acquisieris; imo rectè & verè fatetur Deum sibi ex facultatibus Laban dedisse, vt diues euaderet, vt erga Deum suam animi gratitudinem aperiret, Deo enim semper & pro singulis beneficiis gratiarum actiones referendæ sunt, quod præclare obseruauit B. Aug. in hũc versum Psal. 70. repleatur os meum laude vt cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam, ait *quid est tota die? sine intermissione, in prosperis, quia consolaris, in aduersis quia corrigeris, antequam essem, quia fecisti, cum essem quia salutem dedisti, cùm peccassem, quia ignouisti cum conuersus essem, quia adiuuisti, cum perseuerassem quia coronasti.*

Aug in Psal. 70.

Dei proprium est benefacere.

45 *Tulit Deus substantiam patris vestri & dedit mihi*, cur Iacob alios titulos ipsius Dei non celebrat? cur eum æternum non prædicat? cur infinitum non annunciat, sed solum bonorum datorem? *dedit mihi*, quia nihil ita Deo conuenire videtur quam beneficia conferre, *nihil Deo* (inquit Phil. lib. de Gigant.) *magis proprium quam benefacere, nihil item creaturæ quam gratias agere, cum nihil præterea rependere valeat, nam si quid aliud rependere valueris, non ad creaturæ offerentis, sed ad ipsius creatoris omnium possessionem pertinet.*

Philo Hebr. lib. de Gigant.

Deus vult auctor beneficiorum agnosci.

46 *Leuaui oculos in somnis & vidi*, cur Deus hanc artem voluit docere Iacob? cur hoc labori & studio suo non dereliquit? nonne satis solers est vt familiæ suæ necessarias facultates possit comparare? ideo in somnis quid agere deberet, efformare voluit, vt Deũ auctorem tanti beneficii agnosceret, *perdisce*, inquit Oleast. *quam velit Deus nos cognoscere beneficia quæ nobis largiatur.*

Oleaster.

Cum vale dicimus mundo, bona desideria meditationi copulamus.

47 *Leuaui oculos in somnis*, Hugo Card. hoc exponens mysticè ait, ille leuat oculos in somnis qui dormiens mundo spiritualia tantum cõtemplatur, sed si tantum spiritualia meditatur qui mundanis dormit rebus, quomodo interpretabimur vidisse arietes super oues ascendisse ex quibus varii fœtus eduntur? sic respondet est. Card. *tunc mares ascendunt super fœminas id est desideria meditationibus copulantur, & inde concipiuntur varij fœtus bonorum operum.*

Hugo Car.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XI & XII.

VVLG. Dixitque Angelus Dei ad me in somnis, Iacob, & ego respondi adsum.

Sep. Dixit mihi Angelus Dei per somnium Iacob, ego autem dixi quid est? *Cald.* Et dixit, Ego.

VVLG. Qui ait leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas, varios maculosos, atque respersos, vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban.

Sep. Respice oculis tuis & vide hircos & arietes ascendentes super oues & capras, subalbos, & varios, & cinericios sparsos.

Cald. Vide omnes arietes &c. quoniam manifesta sunt coram me omnia quæ tibi fecit Laban.

Pag. Vide omnes hircos ascendentes super capras maculis respersas, vbi colligari solent, punctis respersas, & maculis respersa.

CONCORDIA.

EST Hebraicè solum הנני hineni ecce ego, sed idem sensus & cum nostro vulgato, qui legit adsum, loco cuius apud Septuag. est τί ἐστι quid est.

VBi dicit noster vulgatus masculos, in Hebræo est athudim id est ordinatores siue duces gregis, per hos reliquos mares intelligens, & non hircos vt alij, neque enim hirci super oues ascendunt, dicamus tamen quod septuaginta rectè posuerunt hircos & arietes quia etiam erant oues & capræ.

EXPOSITIO.

DIxitque Angelus Dei ad me in somnis, hæc fuit interna colloquutio, iuxta quod loquitur Zachariæ 3. Angelus qui loquebatur in me egrediebatur, sic & in Euãgelio scriptum est Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens accipe Mariam. *dixit ad me Iacob*, mihi visum est quod ab eo vocarer, *& ego respondi adsum*, paratus sum ad omnia exequenda quæcumque mihi præceperis.

Zachar. 3. Matth. 1.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Reuelatio Dei mentem quietam requirit.

48 DIxit ad me Angelus Dei in somnis cur vigilãti non apparuit: sic enim capax esset rationis & ita maiori cũ cõsideratione, quæ sibi reuelabãtur, attẽderet: nota tamẽ cũ somno suaui indulgemus, ab exterioribus magis alieni, & minus distracti, mentẽque tranquilliorem possidemus: bene igitur in somnis Iacob apparet Angelus, vt ei quod vtile est, aperiat, reuelationes enim Dei, mentem quietam requirunt & postulant ita Dion. Carth. *in somnis exteriores sensus sunt clausi & quieti, & ita est homo tunc aptior ad reuelationes*, tanquam circa exteriora minus distractus, & per consequens minus ab exterioribus impeditus, tumque audit interiori auditu quid loquatur in se dominus Deus, seu angelus eius, tunc quoque etiam ratio viget potissimum in Prophetis, & in eis qui desuper illustrantur, cum tamen in aliis dormientibus

Dionys. Carth.

mientibus propter exteriorum sensuum ligationem, vsus seu iudicium rationis sopitum sit.

Deo obedientissimi esse debemus.

49. *Dixit ad me Angelus, Iacob & ego adsum*, cur cito, Angelo loquenti respondisti? cur bis aut ter appellantem non expectasti, vt agnosceres vtrum aliqua esset deceptio? somniantes enim sæpe fallimur, & vera plura videntur in somnis quæ dum euigilamus nulla sunt: bene tamen cito Dei Angelo vocanti respondit, vt quanta cum promptitudine Deo obedire paratus esset, indicaret, vnde optime Caiet. *ecce ego promptitudinem sui exhibentis vox est.*

Deus eos qui iniuriam tolerant mire protegit.

50. *Vidi omnia quæ fecit tibi Laban*, quomodo erga te ingratus? quomodo fraudulēter se gessit? sed ô Deus immense cū omnia tibi sint cognita, & nihil te lateat, quomodo specialiter ais te vidisse quid Laban cōtra Iacobū gesserit? quia cū patientissimus fuerit Iacob in sustinendis iniuriis sibi à Laban illatis, eum Deus speciali protectione defendit, *hinc discimus*, inquit Chrys. *quod quando iniuria nobis fit, nosque mansueti & mites ac tolerantes fuerimus, maiori & largiori auxilio dimnobiliramur, ne igitur obluctemur his qui nos premunt & calumniantur vobis, sed feramus generose, scientes quod nos omnium Dominus non despiciet, tantū nos eius beneuolent. à agnoscamus, mihi enim, inquit. Dominus, vindictā & ego retribuam*, & Lipp. *patientis iniuriā & multiplicitur fundato Dei clementia affuit.*

P Chrys. hom. 7. in Gen.

Auctor catenæ ausec

Deus ingratitudinem nullomodo ferre potest.

51. *Vidi omnia quæ fecit tibi Laban*, scilicet quā male labori tuo & industriæ in multiplicādis suis facultatibus respōderit, quā male remunerauerit, an tua res agitur o Deus, si mercedē sibi debitā non recepit Iacob, vt dicas te vidisse omnia quæ fecerit Laban genero suo? maxime: ingratitudinē enim alicuius erga alterū, nec dissimulare nec vllomodo ferre potest, *quoniam illic*, inquit cit. Chrys. *ingratus erga eum erat, benignus Dominus iustum vbertim remunerat.*

Chrys cit.

Iudiciū in aliorū offensores exercet iustè Deus.

52. *Vidi omnia quæ fecit tibi Laban*, cur vt substantiā Labano adimeres, eāque Iacobo tribueres, quasi rationē præbens ais, vidi omnia quæ fecit tibi Labā? sine dubio vt innueret se uelle iudiciū in aliorū offensores exercere, *adducitur*, inquit Seraph. Porrect. *iniuria facta à Laban ipsi Iacob pro causa iudicii talis Dei, quasi dicat, ex hoc quod iniurias tibi à Laban factas aspexi, factū est, vt substantiā ipsius ab eo ablatā dederim tibi.*

Seraph. Porr. conciul. 2.

Licet scientia rerum humanarum sit vtilis cognitio tamen diuinarum maiori est in pretio.

53. *Vidi omnia quæ fecit tibi Laban*, en Deus Iacobū videt cum male accipitur à socero, sed Genes. 16. Agar sic ait, *tu Deus qui vidisti me*, Agar à Deo videtur, nec tamē dicit se ab illo visā, cur Deus videt Iacobum, Deusque se eum vidisse asserit, non autem dicit se Agar vidisse? Iacob quidem scientia rerū diuinarum est, Agar autem iuxta Philon. lib. de Somniis, rerum humanarum cognitio. Iacob ergo Deo proximus magis, & videt Deum, & ab ipso videtur, ast Agar quamuis Deum non videat, tamen à Deo videtur, quia licet scientia sæcularis Deum non respiciat, verum Deus eam respicit, quādo ea vtimur vt homines ad pietatem trahamus. *Agar videns* (inquit Philo) *hoc est liberalem eruditionem Angelo dicente tu es ille Deus qui respexisti me, non erat idonea videre illum antiquissimum rerum auctorem mulier Ægyptigena.*

Phil. lib. de somnis.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIII.

VVLG. Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidē, & votum vouisti mihi, nunc ergo surge & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ.

Sep. Ego sum Deus qui apparuit tibi in loco Dei, vbi vnxisti mihi ibi titulum, & vouisti mihi ibi votum, nunc ergo surge & exi de terra hac, & abi in terram generationis tuæ & ero tecum.

Cald. Ego sum Deus qui apparui tibi, vbi vnxisti titulum, vbi vouisti coram me votum.

Pag. Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti statuam, eo reuertere ad terram cognationis tuæ.

Caiet. Ego El Bethel cui vnxisti, ibi erectum, & votum vouisti mihi.

CONCORDIA.

CVm Dei plura sint nomina, hinc est quod Caietanus el dixit, sic enim est in Hebræo אנכי האל ano Ki ael, el autem fortis interpretatur, cur autem vbi habemus lapidem alii legunt statuam vel erectum, vide quæ diximus in concordia vers. 22. capitis vigesimi octaui.

EXPOSITIO.

EGo sum Deus Bethel, repræsentatiue non substantialiter, Deus Bethel, hoc est qui in persona Dei qui tibi iuxta Bethel per subiectam creaturam apparuit, etiam nunc loquor & appareo tibi, & *votum vouisti mihi*, illius voti meminit vt eum ad illud implendū excitet, *nunc ergo surge & egredere &c.* idest nunc omnia ad aggrediendum iter & parandum regressum in patriam necessaria dispone.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vota Deo gratissima.

54. *EGo sum Deus Bethel, votum vouisti mihi*, nonne recordatur Iacob se tibi aliquid vouisse, cum in Mesopotamiam pergeret? cur igitur in memoriam illius reuocas? non ei obiicit quasi è memoria excidisset, sed vt illud sibi gratum fuisse seque propter illud Iacobo benedixisse, eumque ditasse significet, *votum factum Deo*, inquit Seraph. Porrect. *gratum est ipsi.*

Seraph. Porr. con. 3.

Deus votum sibi factum vult adimpleri.

A

55. *Ego sum Deus Bethel, votum vouisti mihi*, nõne vt fidē tibi adhiberet, & præcipienti vt in terrā suā reuerteretur, crederet, nonne sufficiebat ei dixisse, ego sum Deus Bethel, nulla mentione voti facta? merito votum à Iacob factū ei proponit, vt adimpleat quod ei pollicitus fuerat, *quoniam*, inquit Chrys. *quado venisti nihil tecum afferebas quasi peregrinus, ita faciēs votū nō adimplenisti iam quæ eueneru: & impleta sunt quæ à me p. adicta, iustum v: & tuum impleas votum.*

Chrys. ho. 77.

Ne à spiritu tenebrarum decipiantur iusti, satagit Deus.

B

56. *Ego sum Deus Bethel &c.* nonne sufficiebat absolute dixisse ego sum Deus, vt dictis illius fidē adhiberet? ad quid igitur hæc omnia in speciali enumerat, ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem & votū vouisti mihi? &c. aduerte quod ait B. Paul. 2. Cor. 11. ipse Sathanas se transfigurat in Angelū lucis, videlicet diabolus (exponit Anselmus) assumit preclarū habitū & apparet hominibus vt credatur sanctus Angelus, & ita decipiat: merito ergo ille Angelus hæc omnia in speciali annuntiat, vt nō dæmonis sed Dei visionē esse perciperet, omnēque suspicionē fraudis abesse animaduerteret, vnde optime subiicit Ansel. *cum se transfigurat, opus est vobis indicare & dignoscere, ne fallendo ad aliqua perniciosa seducat.*

2. Corin. 11.

Ansel. in cit. Epist.

C

Deus pluris facere obsequium hominis videtur quam sua beneficia ei collata.

57. *Ego sum Deus Bethel vbi vnxisti lapidē, &c.* cur non ais Deus vbi scalam cælos attingentem vidisti? vbi Angelos deorsum ac sursum cursitantes spectasti? vbi diuinam maiestatem in summo gradu cōsistentem intuitus es? non autē vbi vnxisti lapidē, vbi votū vouisti? aduerte hæc obsequia fuisse à Iacobo Deo reddita, illa autē illi⁹ dona & beneficia Iacobo exhibita: diuinæ beneficētiæ in hominē magnitudo in admirationē te rapiat ergo ecce nō meminit, nō commemorat quod ipsemet homini præstiterit, sed quid ab homine acceperit, nō sua refert beneficia, sed hominis prædicat officia, non vbi Deus apparuerit, cælumque suū ostēderit, sed vbi homo lapidē vnxerit Deoque debitum cultum exhibuerit ac votū emiserit, veluti (liceat dicere) nostra pluris æstimet opera, & merita quam sua quibus perfruimur, dona & gratias, quibus ornamur.

D

Exiguū obsequiū maximis remuneratur præmiis.

58. *Ego sum Deus Bethel, nunc ergo surge reuertēs in terrā natiuitatis tuæ*, cur hæc illatio, *nunc ergo*, ponitur? inspice quid ei antea dixerat Deus, mihi vnxisti lapidē, & votū vouisti mihi. Emphatica igitur hæc est illatio, & hūc sensū habet, quia ego sū ille Deus, quē pro ritu vnctionis coluisti, cuius in honorē solemne illud votū nūcupasti, nūc ergo tandē hoc tēpus est, quod expectabā, vt tibi & cæremoniā & votū debitis persoluā præmiis, scilicet quod ad parētes redeas cū vxoribus & liberis, cum seruis, & ancillis, cū opibus, & honoribus, & celebris & gloriosus sis: sed si solū vnxit lapidē votūque præstitit, & illud solū sub conditione, cur tot ei largiris? hæc certe nostri Dei magnificētia hominū tātula officia, tā miris suæ benignitatis muneribus ac beneficiis persoluentis.

E

Ecclesiæ vel loca Deo dicata maxime ei sunt grata.

F

59. *Ego sum Deus Bethel vbi vnxisti lapidē*, Bethel hic erat locus in Dei honorē sibi à Iacob dicatus, sed cur diuina maiestas cuius possessio est cælū & terra, & omnia quæ eorū ambitu cōtinētur, se Deū Bethel nūcupat? cur nō se dicit Deū hominū & Angelorū? sine dubio se Deū Bethel nominat, vt ostēdat se curā specialē habere locorū in suū honorem erectorū, scilicet Ecclesiarum vel sacellorū, vnde optime D. Amb. ser. 89. *si centurio cōmendatur à Domino qui ædificauit synagogā, quanto est cōmēdatior qui ædificauit Ecclesiā*, lege Stephanū Durātū lib. de ritib. Ecc. Cath. c. 2. in quo quam grata Deo sit sacrarum ædium extructio doctissime declarat & confirmat.

D. Amb. ser. 89.

Steph. Durant. l. de rit. Eccl.

Non solum beneficia confert Deus, sed alia conferre pollicetur.

60. *Ego sum Deus Bethel, nunc ergo surge reuertens in terrā natiuitatis tuæ &c.* quasi diceret, nunc tibi sunt innumeræ facultates, nunc magna tibi gregū & armētorum possessio, nunc denique maxime beneficio liberalitatis meæ locuples, regredere nunc igitur ad parētes tuos, deinde subiungit secundum lectionē Septuaginta, *& ero tecū*, nōne sufficiebat ei plurima cōtulisse beneficia? cur igitur de futuro pollicetur ei alia? quia ita liberalis est Deus vt nō contētus præsentibus beneficiis collatis, cogitat & plura alia de futuro conferre, *ego ero tecū*, inquit Lipp. *ego te vbique comitabor, ego tibi facilè ostēdā viā & nullū à quopiam dānū feres, dextera si quidem mea te vbique proteget.*

Lipp. in Cat.

Prælatus cùm nihil proficit in salute suorum procuranda, suæ consulat.

61. *Surge & egredere de terra hac reuertens in terram natiuitatis tuæ*. pēdamus quæso verba, à Iacob antea prolata vxoribus, pater vester inquit circumuenit me, & mutauit mercedem meam, iuxta Philon. lib. de profugis Iacob hoc loco eum significat, qui aliorum salutem spiritualem procurat, Laban vero qui pactum sæpius mutat, symbolum est eius peccatoris, qui monitis obsurdescit: sed si ita se res habet, cur Deus monet Iacobum vt surgat & de huiusmodi terra egrediatur, redeatque in terram suam? quia quando nihil proficimus in eis quos ad salutem conamur perducere, tunc quidem abiecta eorum cura, ad nosmetipsos redeamus, & nostram curemus salutem, nobisque ipsis consulamus, Deum adeamus, eique salutem eorum commendemus, quorum vulneribus non valemus mederi, ne & nobis malum inferamus, & illi ex nobis emolumenta capiant, hoc notauerim ex Phil. lib. 6. de profug. c. 6. his verbis, *sed quia monitor hic animaduertit se surdo canere, merito de fuga cogitat, nimirum metuens ne illi nihil prosit, & insuper ipse damnum accipiat, necet enim conuictus & consuetudo cum insipientibus, quia sæpe accidit vt anima etiam inuita aliquid contagii sibi afferat.*

Philo. l. 6. de Profug.

Cultus religionis auget in omnibus homines principes.

62. *Surge & egredere de terra hac reuertens in terram natiuitatis tuæ*, vt pacifice in ea bonis quæ sudore tuo tibi acquisisti fruaris, te enim liberum ab insidiis Laban eripiam, nec non incolumem à manu fratris te persequentis, vnde tot bona? vndenam tanta, prosperitatis & pacis futuræ causa? inspice quid ei Deus paulo antea dixerat, ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, lapidis illa dedicatio à Iacobo peracta in cultum Dei & reuerentiam summi numinis tantam illi attulit prosperitatem & pacem: ita sentit D. Amb. lib. 2. de Iacob. *non mirū si pacem haberes qui columnam statuerat, & vnxerat Deo.*

D. Amb. l. 2. de Iacob cap. 5.

VARIETAS.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIV.

VVLG. Responderunt Rachel & Lia, nunquid habemus residui quidquam in facultatibus & hereditate domus patris nostri?

Sep. Nunquid adhuc est nobis portio vel hæreditas in domo patris nostri?

Cald. Nunquid est nobis pars? *sic Pag.*

Oleast. Nunquid diuisio in domo patris nostri?

CONCORDIA.

VErbum חלק chalaK distribuit, diuisit, partitus est, interpretatur, vnde fit quod חלק chelaK partem, diuisionem denotat, cum autem sit residuum alicuius totius, hinc est quod noster interpres residuum dixerit.

EXPOSITIO.

REsponderunt Rachel & Lia, nempe Iacobo discessum à Mesopotamia meditanti, *nunquid habemus residui quidquam &c.* quasi dicerent, quid est quod à patre expectemus? nonne cuncta fratribus nostris contulit, cum tamen ex hæreditate patris aliquid nobis deberet remanere?

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filii ita mercenarii vt propter hæreditatem parentes diligant.

63. REsponderuntque Rachel & Lia nunquid habemus residui quidquā in hæreditate patris nostri? quasi dicerent, nihil, & ideo discessum nostrum præmeditatum exequere, ô ingrata proles! an ita facile genitorem vestrum deserere moliris? nonne ab eo innumera accepisti beneficia? nonne vxorum vnicuique tradidit, sudore suo aluit? quomodo igitur etiam insalutatum deserere meditaris? inspice quid protulerit, nihil à patre expectare debeo ex suis facultatibus, cum eas fratribus distribuerit: ne mireris igitur, si patrem derelinquere non grauatur, nam hæreditatem ab eo non expectat, quia filii ita mercenarii vt propter facultates parentes colant & diligant, *consequenter*, inquit Oleast. *filii & filiæ propter hæreditatem, patrem diligunt, eique seruiunt.*

Oleaster.

Vbi maior sanctitas maius est derelinquendi parentes desiderium.

64. *Responderuntque Rachel & Lia, nunquid habemus quidquam residui?* cur prior respōdit Rachel minor natu Lia sorore, & posterior vxor Iacobi, quæ proinde vtroque nomine posterior responsura videbatur? dices cum Abulensi, ideo præponi Rachelem quia magis dilecta erat, & quasi præcipua vxor habebatur; non displicet hæc responsio, sed vt inst tuto satisfaciam obseruandū est, magis sanctam fuisse Rachelem quam Liam, quod deducitur ex eo quod idola patris furata fuit, vt eum reuocaret ab idololatria, ita tenet D. Basil. in initio Prouerbiorum, disputans vocabulum astutiæ non semper in malam partem accipi, sed esse & bonam & malam astutiam, inter alia sic ait; bona fuit astutia Hebræorum quando Ægyptios decipiebant, tunc enim mercedem accipiebant ciuitatum à se conditarum, & ibi ipsis materiam suppeditabant ad construendum tabernaculum: laudabilis fuit astutia obstetricum Ægyptiarum conseruantium masculos Hebræorum, prudens fuit astutia Rebeccæ cum magnam illam benedictionem filio minori acquireret, præclara fuit astutia Raab & Rachelis, illius quidem exploratores saluos præstātis, huius vero patrē decipiēdo ab idololatria illū liberantis, hæc Basil. quo posito, cur non dicemus primā respōdisse & cōsensum discessus à domo paterna præbuisse? quia vbi maior sanctitas, maior esse solet ad derelinquendam patriam & parentes deserendos propter Deum festinatio, quod non obscure confirmat B. Greg. in lib. 7. mo. cap. 14. *sunt* inquit, *plerique qui non solum aliena non appetunt, verum etiam cuncta quæ possederant in mundo, derelinquūt seme ipsos deserūt, nullam præsentis vitæ gloriam requirunt, ab huius mundi actibus se separant, & pene quidquid prosperitatis arriserat calcant, sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati dum amori propinquitatis deseruiunt, ad ea sæpe per affectum cognationis redeunt, quæ iam & cum proprio despectu subieruut. cumque plus quam necesse est carnis propinquos diligunt, à cordis parente diuiduntur, nā sæpe quosdam videmus quantum ad proprium studium spectat iam præsentis vitæ desideria non habere, mundum & opere & professione reliquisse, sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum pacis viscera irrumpere, terrenarum rerum iurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, & mundi studia iamdudum in se destructa reparare, quare quo arctiora sunt iura propinquitatis, eo sunt maiori sanctitate dissoluenda, & maior vitæ sanctimonia declaratur, cum ea maiori cum facilitate dissoluimus.*

D. Basil in initio Prouerbiorum.

Greg lib. 7. Mo. cap. 14.

Vxores marito in eo quod licitum est debent consentire.

65. *Responderuntque Lia & Rachel, nunquid habemus quidquā residui &c.* quasi dicerent, nihil ex facultatibus patris sperare debemus, & ideo discedamus, & in patriam tuam nos transferamus; si per tot annos educatæ in Mesopotamia mansistis, quomodo ad libitum Iacobi, ad patriam regredi volentis ita facile propriam relinquere statuitis? quia vxores marito in eo quod licitum est, consensum præbere tenentur: fauet Lipp. *qui absque vxorum consensu & comitatu Iacob recedere nolebat, sed debebat, maritus enim & coniux perpetuo cohabitare debent, quemadmodum Adam prædixit, relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ, ideo nunc & ipsæ in recessum viri consentiunt.*

Lippoman.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit comeditque pretium nostrum?

Sep. Nonne sicut alienæ reputatæ sumus ei? vendidit enim nos & deuoratione absorbuit argentum nostrum.

Cald. Et comedit quoque argentum nostrum.

Pag. Et consumpsit etiam consumendo pecuniam nostram.

CONCORDIA.

NVlla est discordia, nam pretium & argentum pro eodem sumitur, nempe pro ministerio Iacob quod ipsæ pro pecunia reputabant.

EXPOSITIO.

N*Onne quasi alienas reputauit nos?* quasi dicerent, nonne nos exhæredes fecit, quasi non essemus filiæ suæ? nihil nobis tanquam si essemus ancillæ, in dotem miseris reliquit *& vendidit nos*, scilicet tibi in vxores, sicut traduntur ancillæ, in pretiũ tui obsequii & seruitutis, *comeditque pretium nostrum*: pretium comedisse dicitur, quia ex obsequio Iacob quod filiarũ fuit, pretiũ cõsequutus est diuitias & facultates, comedẽdi vero verbũ apud Hebræos pro frui capitur, quasi dicat, opus nostrũ cõuertit in suũ cõmodum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Detractio nisi coërceatur tanquam virus serpit.

66. N*Onne quasi alienas reputauit nos?* non solum hoc patri obiecerunt, sed vlterius eum tanquam helluonem & prædonem accusant, *vendidit & comedit pretium nostrum*, quomodo ita patri detrahunt, quem tueri contra omnes deberent? cur non contentæ de patre dixisse, quod apud ipsum tanquã extraneæ reputatæ sint? cur vlterius progrediuntur ei crimina obiicientes? quia detractio talis est naturæ, quod nisi coerceatur tanquam virus longissime serpat, *commune malum murmurantiũ est*, inquit Oleast. *vt non inueniant qui impediant sed qui inuent, detraxerat Iacob Laban, mentitum asseruit, mercedemque suam decem vicibus mutasse, & filiæ quæ debuerant patrem excusare, apud virum accusant, & maiora mala quam audierint detegunt, & aduersus patrem causam viri velati suam tuentur, v. de quæ crimina patri obiiciant, quod scilicet eas extraneas reputauerit, illarumque pecuniam consumpserit.*

Oleast.

Parentes auari erga sobolem sunt aliquando non tanquã genitores, sed tyrannis crudeliores.

67. *Nonne quasi alienas reputauit nos?* quis pater qui sobolem suam tanquam alienam & non propriam arbitratur? sed vlterius quid dicant inspiciamus, *vendidit nos*, quis ita barbarus qui filios suos tanquam vile vendat mancipium? tandem conqueruntur quod pretium seruitutis Iacob in suos vsus consumpserit, nonne parentes etiam cum sui dispẽdio adaugendis filiorum student facultatibus, nec non suæ libertatis maxime sunt soliciti? quomodo igitur filiæ Laban conqueruntur se à patre venditas, & ab eo tanquam alienas reputatas? quis ille Laban? nonne auaritiæ deditus? ne miretis ita erga sobolem se gessisse, quia parentes auari non tanquam amantissimi genitores sunt respectu filiorum, sed potius tyrannis crudeliores, audiendus est Abul. *tria grauamina faciebat hic Laban filiabus suis, primum quod reputauit eas tanquam alienas, nihil dando eis de possessionibus suis saltem pro dote; pater enim filiam viro tradens eam dotare tenetur, maxime cum filia habeat naturaliter partem in bonis patris, nec potest eam exhæredare, nisi in certis casibus de quibus nullus hic erat: secũdũ grauamẽ, quia vendidit eas: dato enim, quod pater nõ dedisset dotẽ filiabus suis, saltem dedisset eas libere alicui viro. sed nõ fecit, quia pro certo precio dedit eas, & in hoc grauauit eas minus, quia apud virum suum non essent vt vxores sed vt ancillæ empititiæ: nam dato, quod quælibet earũ vellet se in aliquo iuuare contra virũ, vt vxor ex iure, quod cõpetit vxori contra virũ, non posset, qui obiiceret Iacob, quod esset ancilla cum pure eam emisset, se pro seruitio certi tẽporis, licet hoc non tamẽ concludit, vt videtur, quia si Iacob emerit quãlibet earũ pro seruitio certi tẽporis non seruiuit pro eis, vt ei darentur simpliciter, sed vt ei darentur in vxores, emere autẽ aliquam in vxorem non est emere simpliciter, & sic emit Iacob, semper tamen restabat grauamen, quia licet eas non vendidisset simpliciter, sed vt in vxores vendebat, tamen sine dote: te tio grauauit eas, quia preciũ illud, pro quo eas vendidit, nullo modo peruenit ad eas, saltem enim secundum conditionem legũ humanarũ quando aliquis maior viginti annis permittit se vendi, non potest fieri ista venditio nisi vẽditus accipiebat partem istius precii pro se, vt patet instit. de stat u personar. circ. fin. hæ autem non participauerunt precium, saltem enim debuisset pater dare id, quod recipiebat de seruitio Iacob filiabus in dotem.*

Abulensis.

Mundus bonos quasi alienos reputat.

68. *Nonne quasi alienas reputauit nos?* quis ita genitor barbarus qui sobolẽ tanquã propriam nõ amplexetur? quomodo igitur tanquã alienã suã reputat Laban? nõne diximus Laban mundi huius symbolum esse? Rachel autẽ & Liam cõtemplationi deditos significare? quis vetat igitur dicere, ideo Laban tãquã alienas respuisse vtrãque filiã suã, quia mundus virtuti deditos tanquam extraneos arbitratur & ducit? *mundus*, inquit Hugo Card. *omnes bonos reputat tanquã alienos, quippe & ipse creatorem suum non cognouit Ioan 1. in mundo erat & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit, in propria venit, & sui eum non receperunt.*

Hugo Card.

Ioan. 1.

Mundus diuitias amabiles censet.

69. *Nonne tanquã alienas nos reputauit? vendidit comeditque pretiũ nostrum*, in Hebræo est comedit argẽtũ nostrũ, vel cõsũpsit pecuniã nostrã, vt formetur cõcept⁹, aduertẽdũ est כסף chesep quod interpretatur argẽtũ, deduci à radice כסף calaph, quod est diligere & amare, cur id quod tãtorũ incẽtiuũ est malorũ, nomen tam

tam eximium sortitur? quia mundus nihil ita amabile censet ac pecuniam, nihil ita pulchrum ac amabile est ei ac argentum, *dictio chasaph*, inquit Oleast. *à quo chesaph id est argentum, significat diligere, amare, & Chesaph argentum, quod sit omnibus amabile & desiderabile.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONUM VERS. XVI.

VULG. Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filiis nostris, vnde omnia quę præcepit tibi Deus, fac.

Sep. Omnes diuitias & gloriam quã abstulit Deus à patre nostro, nobis erunt ac filiis nostris.

Cald. quoniam omnes diuitiæ quas abstulit Deus ex patre nostro, nostra sunt & filiorum nostrorum.

Pag. Nobis pertinebant ac filiis nostris.

Arias. quia omnis opulentia quam abstulit Deus à patre nostro ipsa, ac filiis nostris.

CONCORDIA.

SEptuaginta futurum pro præterito posuerunt, addideruntque gloriam, cum in Hebræo solum sit עשר oser, diuitiæ vel opulentia.

EXPOSITIO.

SEd *Deus abstulit opes patris nostri*, quia secluso pacto quod tecum iniit, omnes fœtus futuri erant patris nostri, sed eo posito, diuina id voluntate efficienti, tui sunt & erunt filiorum nostrorum, cum sint iusto titulo acquisiti, vnde omnia, *quæ præcepit tibi Deus fac*, nihil te detineat in Mesopotamia, sed ex Dei præcepto in terram tuam proficiscere, cum vniuersa familia tua.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Indigni aliquando etiam à bonis temporalibus excluduntur.

70. T*Ulit opes patris nostri & eas tradidit nobis*, nonne Labã erat paterfamilias? nõne plures erant sibi filii, nec non maxima famulorũ multitudo? plurimæ ergo ei sunt facultates necessariæ vt totam familiam conseruet, & nutriat, cur ergo Deus ei opes suas adimit, vt alteri tribuat? non dubitas Labanũ propter suam auaritiam & infidelitatẽ indignũ fuisse bonis quorũ erat possessor: æquissime igitur Deus Labano adimit bona vt ea tribuat Iacobo, quia indigni etiã à bonis tẽporalibus aliquando excluduntur, hæc ad sensũ spiritualẽ trahens, D. Amb. Epist. 3. ait, *merito à Deo a... stro dicũtur esse sublata, quia decorẽ hæreditatis diuinæ capere improbi atque infirmi nõ queunt, succedit autẽ inventus & spiritum in se fortis habens, quis autẽ fortis nisi solus Deus? qui omnia coercet & regit, his ergo debetur hæreditas Dei.*

Amb. Ep. 3.

Pater etiam malus honorandus & talis censendus.

71. *Tulit opes patris nostri*, cur patrẽ suũ fatẽtur esse cum impius idololatra, versipellis proditor fuerit, hominũ oppressor, ac Dei contẽptor? imo cum ipsasmet dote priuauerit & tanquam viles ancillas vẽdiderit, cur patrẽ suum nominant? cur non aiunt tulit opes Labani, non autẽ patris? quia tanta debet esse erga patres pietas & reuerentia, vt nunquam patris vel matris nomen abnegent, sed pater domo suũ abiecit, expulsum vulneribus concidit, at pater est, at pater dici à filio & honorari debet, amandi sunt parentes, tolerandi sunt etiam cum oderunt, cũ nocent, vnde optime noster Lyran. in suo præcepto rio siue expositione decem decalogi præceptorũ, ad quartum, *patrem & matrem honorare debemus ipsis reuerentiam exhibendo, ipsis nec verbo nec facto vnquam iniuriã inferẽdo, sed blandis verbis eis respondeamus & ipsorũ reprehensiones humiliter & patienter sustineamus.*

Lyranus.

Fraus in fraudulenti caput recidit.

72. *Tulit opes patris nostri*, nonne decẽ vicibus mutauit mercedẽ mariti vestri? quomodo igitur in hac fraudulẽta mutatione non solũ bona non cõparauit, sed eorũ iacturã fecit? quomodo non ea Iacobo ademit, sed potius sibi erepta fuere? si diximus eum fraudulentum, quid mirum sibi ereptas fuisse facultates? fraus enim in fraudulẽti caput recidit & thechnæ & fraudes quas aliis struit, & molitur, in ipsum cõuertũtur, vnde Psal. 7. dicitur, *incidit in foueã quã fecit & in verticẽ ipsius iniquitas eius descẽdit*, vel vt legit Euthim. *in verticẽ ipsius iniustitia eius descendet, & addit in eum enim irruet iniustitia quam in alios tendebat.*

Euthim.

Amantibus viros vxoribus nihil est arduum.

73. *Tulit opes, & omnia quæ præcepit tibi Deus fac*, si Deus ei iussit vt exiret ex Mesopotamia, & in patriã rediret, sine dubio vos secum ducet, quantæ autem sunt vobis exãtlandæ itineris difficultates, quãti labores sustinendi? tum quamuis nullæ essent viæ longissimæ asperitates, quomodo patrẽ & matrem dimitteretis? patriã, cognatos, & paternam domũ deseretis? nonne maximo prosequebãtur amore virũ suum Rachel & Lia? nihil ergo aduersi formidat, alacri studio & hilari animo ad fugã, ad laborẽ, ad exiliũ delicatæ mulieres se præparãt, vxoribus enim viros amãtibus nihil est arduum nec difficile.

Dei prouidentiam in bonis etiam temporalibus largiendis agnoscamus.

74. *Tulit opes patris nostri & eas tradidit nobis*, quis eas tulit? Deus, sed nõne huiusmodi opes sunt bonis & reprobis cõmunes, & ideo fortunæ adscribendæ? quomodo igitur eas dicũt Lia & Rachel abstulisse à patre sibique dedisse? vt prouidentiã Dei etiã in bonis (quæ tu fortunæ falso nominas) temporalibus distribuendis agnoscas. *Iacob*, inquit Hamerus, *cũ vxoribus suis præsentes suas diuitias à Deo se accepisse non sine magna gratiarum actione fatentur.*

Hamerus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nostram virtutem celebrare possumus non vanitatis sed calumniæ aut accusationis repellendæ causa.

30 *Ipsæ nostis quod totis viribus seruierim patri vestro*, nonne Pharisæus se apud Deum extollens, & opera sua bona prædicans condemnatur? cur igitur obsequium fideliter præstitum refert Iacobus? cur seipsum quasi laudibus extollit? si in memoriam reuocas quod ei cum calumnia imposuere filij Laban facultatum patris rapinam, Iacobum non argues quod fidelitatem suam prædicarit, non vanitatis & iacturæ gratia sed calumniæ vel accusationis repellendæ, quod optime agnouit Isido. in catena Iob, qui explicans cap. 29. ex vers. 12. in quo suas virtutes prædicare coram omnibus videtur ait, *ne mirere si Pharisæus propterea quod magnifice de se loquitur apud Deum offendit; Iobus autem quamuis plura, & maiora prædicarit, tamen laudem tulerit: ille enim, nemine incitante, vel impellente ingloriosam illam ingressus est orationem; cumque nihil in o be terrarum aeque vt se dignum ex stimaret, merito est laesus; superbiæ enim morbo labo abat: qui vero ad causæ suæ pro ationem erraria tegit sua; & dum petitur conuiciis, & dicit quæ ad obiecta criminaresm anda pertinet; id quod præclarißimus atque quauis fama superior fecit Iobus; nempe is ab omni cul u & reprehensione vacuus & nudus est, interim culpa in improbi, iniustique conuicij auctore residente, friget enim ea laus, quam sibi quisque, nulla necessitate coactus adsciscit, verum si quisquam, cum ea, quæ minime oportebat audierit innitus ad eiusmodi sermones delabatur, nempe ad illos ipsos qui vsurpandi sermonis necessariam causam attulerunt, crimen recurrit, ita diuinum suffragium illum quidem Pharisæum, qui nullius impulsu iustitiam suam venditauit, ac reliquos omnes condemnauit; explosit omnino, hunc vero hac necessitate adductum, quid enim amici quod adprenecandum valeret, in præteritu reliquerunt: summæ laudationis laurea atque corona donatur.*

Isid. in cat. super Iob.

Ingratitudinis exprobrationem à nobis repellamus.

31 *Ipsæ nostis quod totis viribus meis seruierim patri vestro*, cur vt persuadeas vxoribus tuis recessum à Mesopotamia & paternam domum relinquere, obsequia Labano præstita fideliter in medium proponis? aduerte quod potuissent ei obiicere, quomodo à Labano benigne admissus, licet egenus, nunc abunde facultates sibi comparauerat: bene igitur antequam discedat, & antequam suum discessum aperiat, obsequia fideliter reddita & male remunerata declarat, vt ingratitudinis exprobrationem à se depelleret, *perdisce prudentiam Iacob*, inquit Oleast. *voluit enim iustificare causam suam apud eas.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS VII.

VVLG. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus, & tamen non dimisit eum Dominus, vt noceret mihi.

Sep. Mutauit mercedem decem agnorum, & non dedit ei Deus malefacere mihi.

Cald. Pater vester mentitus est mihi, &c.

Pag. Et non permisit Deus vt malefaceret mihi.

Oleast. Pater vester irrisit me &c. & transire fecit mercedem meam decem vicibus.

Arias. Pater vester fefellit me, & mutauit mercedem meam decem partibus.

Aquila. Mutauit decem numeros.

Symm. Mutauit decies numero.

Syrus. *Absolute sic vertit* mutauit decies mercedem meam.

Lipp. Mutauit mercedem meam decem mnas.

CONCORDIA.

D. Hier. in quæst. Hebr. super Genesim lectionem Septuaginta quasi mirabundus inspiciens ait, Septuaginta interpretes pro decem vicibus, nescio vt est in lib. Hebr. posuerunt decem agnis, nescio qua opinione ducti, cum verbum Hebraicum מנים monim, numerum magis quàm agnum sonet, cum hic sensus ex consequentibus magis probetur. Sed B. August. q.95. in Genes. eleganter respondet Hieronymo, tacito tamen nomine miranti, cur Septuaginta pro decem vicibus dixerint decem agnis, ait enim agnos posuisse pro decem temporibus quibus oues nouos agnos parerent, iuxta sexennium autem, semel primo & semel postero pepererunt, quatuor autem annis intermediis octies, nec mirum inquit quod hæc decem tēpora, nomine agnorū appellauerint qui eisdē tēporibus nascebātur, velut si quisquā dicat per tot vindemias, aut per tot messes quibus numerus intelligatur annorū, vnde ait quidā post aliquot aristas sic in Virg. Eglo. 1. post mea regna videns mirabor aristas, per aristas videlicet messes, & per messes annos significans, secūdū ergo hanc Augustini interpretationem, non erit discordia inter vulgatum & Septuaginta interpretes. Oleaster pro mutauit habet transire fecit, ideo est quia verbum חלף chalaph proprie transire significat, & quia id quod transit mutatur, denotat etiam mutare. Lipp. transfert מנים monim mnas, & ait scire oportet mnā vocem esse Hebraicam, quamuis eam & Græci & Latini vt suam vsurpent, cum centum dragmarum summa est, tum partem aut numerum quemlibet sæpe significat, hoc itaque loco numerum signat, ideo Aquila vertit decem numeros, & Symmachus decies numero, sed existimat Eug. potius Aquilam & Symmachum cum ita verterunt, respexisse Lect. Sept. qui pro δέκα ἀμνῶν legendum putat δέκα μνῶν, & errore librariorum adiectum ἀ, mna vero ad pondus & numerum pertinet, idem sentit Mart. del Rio hîc & in adagiis sacræ scripturæ.

Eugubinus Martinus del Rio.

EXPOSIT.

EXPOSITIO.

Pater vester circumuenit me, circunuentio proprie fraus est occulta in verbis, etiam refertur ad fraudem in factis, quia nisus est Laban decipere Iacobum, *& mutauit mercedem meam decem vicibus*, licet aliqui hoc dictum hyperbolicè arbitrentur, tamen verè decies mutata fuit, hoc enim non repugnat narrationi huius loci, nam in illis sex annis quibus Iacob curauit gregem Laban decies facta est ei mercedis immutatio: sic autem potest intelligi per singulos fœtus semper Laban conditionem mutabat, si videbat varium nasci pecus, post iterum dicebat, volo vt in futurum varia mihi nascantur, rursus cum videret vnius coloris nasci pecora (Iacob quippe hoc audito virgas in canalibus non ponebat) dicebat vt futuros fœtus vnius coloris sibi pecora procrearent, quid plura? vsque ad decem vices semper à Laban pecoris sui siue Iacob mutata conditio est, & quodcumque sibi proposuerat vt nasceretur in colorem contrarium vertebatur, ne cui autem in sex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, sciat naturam ouium Mesopotamiæ sicut & Italiæ bis in anno grauidas fieri, *& tamen non dimisit eum Dominus vt noceret mihi*, quasi diceret, Deus semper mihi fuit propitius & fraudem delusit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Iustus quocumque cum vertas sedem propriam habet.

32 *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, & nihilominus nullum accepit ex illa mutatione mercedis detrimētum, quod equidē miror, nā oues quæ nunc fœtus varios edebant, cum eos deinde eligeret Laban, potuerunt ei ita contingere diuersicolores: sed mirari desine, iustus enim quocumque cum vertas sedem semper habet propriam, quidquid in eum moliaris semper cuncta ei prospere eueniunt, quod obseruauit Hier. ab Oleast. *aduerte iustum figuram gerere sphæricam, vt quocumque eum vertas sedem habeat propriam, mutationes quas fecit Laban in vtilitatem cesserunt ipsi Iacob, hoc enim interest inter impium & pium, quoniam si impium vertas non est amplius, si autem pium, quocumque se vertat suam sedem habet, quia Dominus supponit manum suam, vos inquit Ioseph fratribus suis, cogitastis mihi malum, sed Deus vertit illud in bonum, nam quod in malum impij iustis inferunt, cernunt sibi in bonum cedere, & quod impij eligunt vt bonum, illud illis in malum vertit Deus.*

Hier. ab Oleast.

Mali (Deo volente) nec quantum valent nec quantum desiderant iustis nocumentum inferunt.

33 *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, an ei hoc fœliciter contigit? audi Iacobum, & tamen nō dimisit eum Dominus vt noceret mihi, nonne impii totis viribus nituntur damnum viris iustis inferre? quomodo igitur opere non adimplent quod magnopere desiderant? vt iusti de impiis nullomodo sint solliciti, nec eorum insidias tanta cum sollicitudine fugiant, cum nec quantum valent nec quantum exoptant nocumentum inferant, *Deus enim* (inquit Porrect.) *non finit malos nocere quantum volunt, nec quantum possunt, ecce Laban nocere Iacob voluit & petiit, & tamen non est permissus à Deo, vt noceret tantum quantum volebat, ergo si Deus pro nobis quis contra nos?*

Seraphinus Porec.

Quanto magis hominum malitia piis aduersatur, tanto magis eos bonitas Dei protegit.

34 *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, an fraus & dolus eius simulabitur? an Deus iustum & fidelem seruum suum opprimi patiebatur? inspice quid dicat textus, *& tamen non dimisit eum Dominus vt noceret mihi*, quomodo enim fraudulenter agit Laban in Iacob, Deus ita specialem curam illius gerit, ita vt non permittat dolis generi sui circumueniri? quia quanto magis hominum malitia pius aduersatur, tanto magis Dei bonitas eos protegit, sic obseruat auctor cat. *tanto magis bonitas Dei succurrebat benignus, & in agendis iustus diuinitus admonebatur quanto magis humana malitia credenti Deo aduersabatur.*

Auctor caten. Lippom.

Deus viro iusto pro inexpugnabili armatura est.

35 *Mutauit mercedem meam decem vicibus, & tamen non dimisit eum Dominus vt noceret mihi*, miror hominē ab inuidis hominibus appetitum, cui Labanus vir potens erat infestus, nullum tamen ab eis nocumentū accepisse, non solum cum apud eum maneret, sed cum ab armata manu inermis passus est persecutionem: sed inspice quod ipsemet Iacob fateatur, & mirari desines, ait enim non dimisit me Dominus, vt noceret mihi, si Deus ab eius partibus stabat, nec inermis armatam manum timere debebat, Deus enim viro iusto inexpugnabilis est armatura; quod annotat Ioseph lib 6. antiq. cap. 10. Dauidem adducens cum Goliath loquentem, *tu me inuadis hasta tua confisus & thorace & gladio, mihi vero pro armatura Deus est qui te ac totum exercitum nostris manibus hodie deleturus est*, preme hæc verba, mihi vero pro armatura Deus est.

Ioseph li. 6. antiq. ca. 10.

Auarus inconstans.

36 *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, cur toties? nonne sufficiebat eam ter aut quater commutasse, vt cognitum haberet ex sibi infœlici euentu Deum pro Iacob pugnare? nonne Laban auarus? ne inquiras ergo cur toties mutato consilio mercedem generi commutat? auarus enim inconstantissimus est: ita Diodorus cit. in cat. aurea, *sæpius fefellit me, damnas in hoc multiplicem erga eum mentis inconstantiam.*

Diodor apud Lippom.

Mundus amatores suos conterens.

37 *Mutauit mercedem meam decem vicibus* quis labor, quæ angustia & præcipue cum id contingit post tot annorum seruitutem? sed quis est ille qui no

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mundus vere proditor.

41 *SI quando dixit varia erunt mercedes tua &c.* Sitaut sic varie ludebat Iacob cumque irridebat, nonne tibi fideliter & solicite ministrauit gener tuus? nonne eius industria facultates tuæ multiplicatæ, & diues eius labore effectus es? cur igitur eum toties circumuenire molitus? cum à nobis dictū fuit Laban mundi typum esse, non miraberis totics generum suum fefellisse & delusisse, mundus enim suos etiam prodere molitur *ô munde proditor*, inquit B. Aug. serm. 31. ad fra. in eremo, *cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers, promittis vitam, sed donas mortem, promittis gaudium, largiris mærorem, promittis finem sed euanescis, promittis stare, sed cito recedis.*

Aug. serm. 31. ad fra. in eremo.

Dei prouidentia à parte iustorum stanti quis resistet?

42 *Si quando dixit var. a erunt mercedes tua &c.* tamen consilium semper mutabat, itaque Laban & filij eius contra vnum Iacobum peregrinum, hospitem, pauperem alieno in solo mercenarium, famulumque, non linguis tantū sed fraudibus & in ultimis armantur, sed præualent ne aduersus eum? frustraturne mercede sua? efficiturne pauperior? minime equidem, quomodo tot in vnum non præualent? quia prouidentiæ à parte iustorum stanti quis resistet? ita Lipp. *non præualuit Laban cum suis, prouidentia Dei qua mihi aderat, in quem sperabam, sortem meam semper potiorem reddidit & promouit.*

Lippom.

VARIETAS LECTIO. VERSVS IX. & X.

VVLG. Tulitque Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi.

Sept. Et abstulit Deus omnia pecora patris vestri, & dedit ea mihi.

Cald. Et separauit dominus de pecoribus patris & dedit mihi.

Pag. Et abstulit Deº gregē patris vestri & dedit mihi.

Oleast. Spoliauit Deus aut exuit substantiam patris vestri.

Arias mon. Et abstulit Deus acquisitionē patris vestri.

Caiet. Et fecit separare Elohim gregē patris vestri.

VVLG. Postquam enim conceptus ouium aduenerat, leuaui oculos meos & vidi in somnis ascendentes mares super fœminas varios & maculosos & diuersorū colorū.

Sept. Et factum est quando concipiebant oues in vtero accipientes, & vidi oculis meis in somno, ecce hirci & arietes ascendentes super oues, & capras subalbi & varij & cinericij sparsi.

Cald. Et factum est in tempore quo oues calefiebant, leuaui oculos meos, & ecce arietes qui ascēdebant super oues, erant varij & maculosi & respersi.

Pag. Ecce hirci ascendebant super capras maculis respersas, vbi colligari solent, punctis respersas, & maculis respersas.

Oleast. Vide gregis duces ascendentes super oues aut super cūctos maculosos scilicet magnis maculis, & grandinatos, idest maculis paruis ad modū grandinis respersos.

Arias Et fuit in tempore calescendi pecudes, &c. vidi hircos ascendentes super pecudes fasciatas, & punctatas & grandinatas.

Caiet. In talis signatas punctis signatas, & grandinibus signatas.

CONCORDIA.

DIctio מקנה mikne significat possessionem vel acquisitionem tam rerū mobilium quam immobilium, potest etiam significare substantiam, vt vertit interpres, sed & peculium & armenta, verbum נצל natsal denotat spoliare & exuere, aut auferre, impropriè autem separare.

IAm diximus יחם iaham propriè calefacere seu calefieri transitiue autem coire significat, sunt hic tres dictiones ex quibus diuersitas pendet, nempe עקדים נקדים ברדים akuddim, nekudim, berudim, quæ de duabus primis dictum fuerit consule concordiā versus octaui, de tertia superest dicendū ברד barad grādo dicitur, & inde berudim grandinati seu respersi punctis seu maculis varijs ad formam grādinis, licet aliqui referant ad capras seu oues ascensas colorum diuersitatem, standum tamen est nostro vulgato, qui ad mares seu hircos hanc refert.

EXPOSITIO.

TVlit Deus substantiam patris vestri, non quod abstulerit facultates ipsius Labā vt earum possessorem constitueret, sed ex eo quod fœtus gregū qui nullo pacto interueniente futuri essent Labā, pacto interueniente fuerunt Iacobi.

P*ostquam autem conceptus ouium aduenerat*, quando instabat tempus quo oues cōcipere debuerant, ante ipsam arietum ouiumque commixtionem, *leuaui oculos meos & vidi in somnis*, hæc visio fuit imaginaria, vnde cum ait *leuaui oculos*, nō est dubium quin intelligat vires illas internas, quibus dum quis dormit res ostentæ videntur, vel potius earum imagines speculantur, *vidi ascendentes mares varios super fœminas &c.* significatur Iacob in somnis quod res in suum profectum esset cessura, quomodocumque mutaret Laban conditionem, si toto corpore varias & maculosas nascituras dimittebat Iacob ostendebantur ei mares eiusdem coloris super fœminas ascendentes ex quibus eiusdem effigiei fœtus conciperent, si contra, toto corpore albas, & in talis dumtaxat vbi colligari solent, punctatas, & stigmatizatas orituras Iacob volebat, huiusmodi quantitatis mares super fœminas ascendentes in somnis mōstrabantur ei atque ita Deus per de futuris edocebatur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus iustorū contra impios specialem curā gerit.

43 *Tulit Deus substantiā patris vestri*, Oleast. spoliauit, cur Deus priuat Labā suis facultatibus? cur ab eo sua aufert bona? vt quantam iustorū contra impios curam gerat agnoscamus, *mirum valde est*, inquit

Hier. ab Oleast. *quod furatur Deus impiis, vt tribuat iustis, neque solum spiritualia illis largitur bona, sed & temporalia.*

Hier. ab Oleast.

Deo semper maxime grati esse debemus.

44 *Tulit Deus substantiam patris vestri & dedit mihi*, nonne tuo labore & industria tot facultates comparasti? cum enim necesse erat, virgas varij coloris ponebas in canalibus, vt fœtus diuersicolores nascerentur, cum autem conditio pacti mutata requirebat, vt auferrentur, adimebas, ne fatearis ergo Deũ tulisse substantiam Laban vt tibi eam tribueret, cum eam labore tuo acquisieris; imo rectè & verè fatetur Deum sibi ex facultatibus Laban dedisse, vt diues euaderet, vt erga Deum suam animi gratitudinem aperiret, Deo enim semper & pro singulis beneficiis gratiarum actiones referendæ sunt, quod præclare obseruauit B. Aug. in hũc versum Psal. 70. repleatur os meum laude vt cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam, ait *quid est tota die? sine intermissione, in prosperis, quia consolaris, in aduersis quia corrigeris, antequam essem, quia fecisti, cum essem quia salutem dedisti, cùm peccassem, quia ignouisti, cum conuersus essem, quia adiuuisti, cum perseuerassem quia coronasti.*

Aug in Psal. 70.

Dei proprium est benefacere.

45 *Tulit Deus substantiam patris vestri & dedit mihi*, cur Iacob alios titulos ipsius Dei non celebrat? cur eum æternum nõ prædicat? cur infinitum non annuntiat, sed solum bonorum datorem? *dedit mihi*, quia nihil ita Deo conuenire videtur quam beneficia conferre, *nihil Deo* (inquit Phil. lib. de Gigant.) *magis proprium quam benefacere, nihil item creaturæ quam gratias agere, cum nihil præterea rependere valeat, nam si quid aliud rependere valuerit, non ad creaturæ offerentis, sed ad ipsius creatoris omnium possessionem pertinet.*

Philo Heb. lib. de Gig.

Deus vult auctor beneficiorum agnosci.

46 *Leuaui oculos in somnis & vidi*, cur Deus hanc artem voluit docere Iacob? cur hoc labori & studio suo non dereliquit? nonne satis solers est vt familiæ suæ necessarias facultates possit comparare? ideo in somnis quid agere deberet, efformare voluit, vt Deũ auctorem tanti beneficii agnosceret, *perdisce*, inquit Oleast. *quam velit Deus nos cognoscere beneficia quæ nobis largiatur.*

Oleaster.

Cum vale dicimus mundo, bona desideria meditationi copulamus.

47 *Leuaui oculos in somnis*, Hugo Card. hoc exponens mystice ait, ille leuat oculos in somnis qui dormiens mundo spiritualia tantum cõtemplatur, sed si tantum spiritualia meditatur qui mundanis dormit rebus, quomodo interpretabimur vidisse arietes super oues ascendisse ex quibus varii fœtus eduntur? sic respondet cit. Card. *tunc mares ascendunt super fœminas id est desideria meditationibus copulantur, & inde concipiuntur varij fœtus bonorum operum.*

Hugo Car.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XI & XII.

VVLG. Dixitque Angelus Dei ad me in somnis, Iacob, & ego respondi adsum.

Sep. Dixit mihi Angelus Dei per somnium Iacob, ego autem dixi quid est? *Cald.* Et dixit, Ego.

VVLG. Qui ait leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas, varios maculosos, atque respersos, vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban.

Sep. Respice oculis tuis & vide hircos & arietes ascendentes super oues & capras, subalbos, & varios, & cinericios sparsos.

Cald. Vide omnes arietes &c. quoniam manifesta sunt coram me omnia quæ tibi fecit Laban.

Pag. Vide omnes hircos ascendentes super capras maculis respersas, vbi colligari solent, punctis respersas, & maculis respersa.

CONCORDIA.

ESt Hebraicè solum הנני hineni ecce ego, sed idem sensus & cum nostro vulgato, qui legit adsum, loco cuius apud Septuag. est τί ἐστι quid est.

VBi dicit noster vulgatus masculos, in Hebræo est athudim id est ordinatores siue duces gregis, per hos reliquos mares intelligens, & non hircos vt alij, neque enim hirci super oues ascendunt, dicamus tamen quod septuaginta recte posuerunt hircos & arietes quia etiam erant oues & capræ.

EXPOSITIO.

DIxitque Angelus Dei ad me in somnis, hæc fuit interna colloquutio, iuxta quod loquitur Zachariæ 3. Angelus qui loquebatur in me egrediebatur, sic & in Euãgelio scriptum est Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens accipe Mariam. *dixit ad me Iacob*, mihi visum est quod ab eo vocarer, *& ego respondi adsum*, paratus sum ad omnia exequenda quæcumque mihi præceperis.

Zachar. 3. Matth. 2.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Reuelatio Dei mentem quietam requirit.

48 DIxit ad me Angelus Dei in somnis cur vigilãti non apparuit? sic enim capax esset rationis & ita maiori cũ cõsideratione, quæ sibi reuelabãtur, attẽderet: nota tamẽ cũ somno suaui indulgemus, ab exterioribus magis alieni, & minus distracti, mentẽque tranquilliorem possidemus: bene igitur in somnis Iacob apparet Angelus, vt ei quod vtile est, aperiret, reuelationes enim Dei, mentem quietam requirunt & postulant ita Dion. Carth. *in somnis exteriores sensus sunt clausi & quieti, & ita est homo tunc aptior ad reuelationes*, tanquam circa exteriora minus distractus, & per consequens minus ab exterioribus impeditus, tumque audit interiori auditu quid loquatur in se dominus Deus, seu angelus eius, tunc quoque etiam ratio viget potissimum in Prophetis, & in eis qui desuper illustrantur, cum tamen in aliis dormientibus

Dion. Carth. hic.

mientibus propter exteriorum sensuum ligationem, vsus seu iudicium rationis sopitum sit.

Deo obedientissimi esse debemus.

49. *Dixit ad me Angelus, Iacob & ego adsum*, cur cito, Angelo loquenti respondit? cur bis aut ter appellantem non expectasti, vt agnosceres verum aliqua esset deceptio? somniantes enim sæpe fallimur, & vera plura videntur in somnis quæ dum euigilamus nulla sunt: bene tamen cito Dei Angelo vocāti respondit, vt quanta cum promptitudine Deo obedire paratus esset, indicaret, vnde optime Caiet. *ecce ego promptitudinem sui exhibentis vox est.*

Deus eos qui iniuriam tolerant mire protegit.

50. *Vidi omnia quæ fecit tibi Laban*, quomodo erga te ingratus? quomodo fraudulēter se gessit? sed ò Deus immense cū omnia tibi sint cognita, & nihil te lateat, quomodo specialiter ais te vidisse quid Laban cōtra Iacobū gesserit? quia cū patientissimus fuerit Iacob in sustinendis iniuriis sibi à Laban illatis, eum Deus speciali protectione defendit, *hinc discimus*, inquit Chrys. *quod quando iniuria nobis fit, nosque mansueti & mites ac tolerantes fuerimus, maiori & largiori auxilio diuino fruimur, ne igitur obluctemur his qui nos premunt & calumniatur volūt, sed feramus generose, scientes quod nos omniū Dominus non despiciet, tamē ū nos eius beneuolent. ā agnoscamus, mihi enim, inquit Dominus, vindictā & ego retribuam*, & Lipp. *patienti iniuriā & multipliciter fundato Dei clementia affuit.*

D Chrys. hom. 7. in Gen.

Auctor catenæ aureę

Deus ingratitudinem nullomodo ferre potest.

51. *Vidi omnia quæ fecit tibi Laban*, scilicet quā male labori tuo & industriæ in multiplicādis suis facultatibus respōderit, quā male remunerauerit, an tua res agitur o Deus, si mercedē sibi debitā non recepit Iacob, vt dicas te vidisse omnia quæ fecerit Laban genero suo? maxime: ingratitudinē enim alicuius erga alterū, nec dissimulare nec vllomodo ferre potest, *quoniam ille*, inquit cit. Chrys. *ingratus erga eum erat, benignus Dominus iustum vbertim remunerat.*

Chrys. cit.

Iudiciū in aliorū offensores exercet iustè Deus.

52. *Vidi omnia quæ fecit tibi Laban*, cur vt substantiā Labano adimeres, eāque Iacobo tribueres, quasi rationē præbens ais, vidi omnia quæ fecit tibi Labā? sine dubio vt innueret se iuste iudiciū in aliorū offensores exercere, *adducitur*, inquit Seraph. Porrect. *iniuria facta à Laban ipsi Iacob pro causa iudicii tali Dei, quasi dicat, ex hoc quod iniurias tuas à Labā factas aspexi, factū est, vt substantiā ipsius ab eo ablatā dederim tibi.*

Seraph. Porr. conciul. 2.

Licet scientia rerum humanarum sit vtilis cognitio tamen diuinarum maiori est in pretio.

53. *Vidi omnia quæ fecit tibi Laban*, en Deus Iacobū videt cum male accipitur à socero, sed Genes. 16. Agar sic ait, *tu Deus qui vidisti me*, Agar à Deo videtur, nec tamē dicit se ab illo visā, cur Deus videt Iacobum, Deusque se eum vidisse asserit, non autem dicit se Agar vidisse? Iacob quidem scientia rerum diuinarum est, Agar autem iuxta Philon. lib. de Somniis, rerum humanarum cognitio. Iacob ergo Deo proximus magis, & videt Deum, & ab ipso videtur, ast Agar quamuis Deum non videat, tamen à Deo videtur, quia licet scientia sæcularis Deum non respiciat, verum Deus eam respicit, quādo ea vtimur vt homines ad pietatem trahamus. *Agar videns* (inquit Philo) *hoc est liberalem eruditionem Angelo dicente tu es ille Deus qui respexisti me, non erat idonea videre illum antiquissimum rerum auctorem mulier Ægyptigenens.*

Phil. lib. de somniis.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XIII.

VVLG. Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidē, & votum vouisti mihi, nunc ergo surge & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ.

Sep. Ego sum Deus qui apparuit tibi in loco Dei, vbi vnxisti mihi ibi titulum, & vouisti mihi ibi votum, nunc ergo surge & exi de terra hac, & abi in terram generationis tuæ & ero tecum.

Cald. Ego sum Deus qui apparui tibi, vbi vnxisti titulum, vbi vouisti coram me votum.

Pag. Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti statuam, eo reuertere ad terram cognationis tuæ.

Caiet. Ego El Bethel el cui vnxisti, ibi erectum, & votum vouisti mihi.

CONCORDIA.

CVm Dei plura sint nomina, hinc est quod Caietanus el dixit, sic enim est in Hebræo אנכי האל ano Ki ael, el autem fortis interpretatur, cur autem vbi habemus lapidem alii legunt statuam vel erectum, vide quæ diximus in concordia vers. 22. capitis vigesimi octaui.

EXPOSITIO.

EGo sum Deus Bethel, repræsentatiue non substantialiter, Deus Bethel, hoc est qui in persona Dei qui tibi iuxta Bethel per subiectam creaturam apparuit, etiam nunc loquor & appareo tibi, *& votum vouisti mihi*, illius voti meminit vt eum ad illud implendū excitet, *nunc ergo surge & egredere &c.* idest nunc omnia ad aggrediendum iter & parandum regressum in patriam necessaria dispone.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vota Deo gratissima.

54. EGo sum Deus Bethel, votum vouisti mihi, nonne recordatur Iacob se tibi aliquid vouisse, cum in Mesopotamiam pergeret? cur igitur in memoriam illius reuocas? non ei obiicit quasi è memoria excidisset, sed vt illud sibi gratum fuisse seque propter illud Iacobo benedixisse, eumque ditasse significet, *votum factum Deo*, inquit Seraph. Porrect. *gratum est ipsi.*

Seraph. Porr. con. 3.

Deus votum sibi factum vult adimpleri.

55. *Ego sum Deus Bethel, votum vouisti mihi*, nōne vt fidē tibi adhiberet, & præcipienti vt in terrā suā reuerteretur, crederet, nonne sufficiebat ei dixisse, ego sum Deus Bethel, nulla mentione voti facta? merito votum à Iacob factū ei proponit, vt adimpleat quod ei pollicitus fuerat, *quoniam*, inquit Chrys. *quando venisti nihil tecum afferebas quasi peregrinus iter faciens votū nō adimpleuisti iam quia euenerit, & impleta sunt quæ à me p. adicta, iustum vt & tuum impleas votum.*

Chrys. ho. 77.

Ne à spiritu tenebrarum decipiantur iusti, satagit Deus.

56. *Ego sum Deus Bethel &c.* nonne sufficiebat absolute dixisse ego sum Deus, vt dictis illius fidē adhiberet? ad quid igitur hæc omnia in speciali enumerat, ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem & votū vouisti mihi? &c. aduerte quod ait B. Paul. 2. Cor. 11. ipse Sathanas se transfigurat in Angelū lucis, videlicet diabolus (exponit Anselm.) assumit preclarū habitū, & apparet hominibus vt credatur sanctus Angelus, & ita decipiat: merito ergo ille Angelus hæc omnia in speciali annunciat, vt nō dæmonis sed Dei visionē esse perciperet, omnēque suspicionē fraudis abesse animaduerteret, vnde optime subiicit Ansel. *cum se transfigurat, opus est vobis iudicare & dignoscere, ne fallendo ad aliqua perniciosa seducat.*

2. Corin. 11.

Ansel. in cit. Epist.

Deus pluris facere obsequium hominis videtur quam sua beneficia ei collata.

57. *Ego sum Deus Bethel vbi vnxisti lapidē, &c.* cur non ais Deus vbi scalam cælos attingentem vidisti? vbi Angelos deorsum ac sursum cursitantes spectasti? vbi diuinam maiestatem in summo gradu cōsistentem intuitus es? non autē vbi vnxisti lapidē, vbi votū vouisti? aduerte hæc obsequia fuisse à Iacobo Deo reddita, illa autē illi dona & beneficia Iacobo exhibita: diuinæ beneficētiæ in hominē magnitudo in admirationē te rapiat ergo ecce nō meminit, nō commemorat quod ipsemet homini præstiterit, sed quidab homine acceperit, nō sua refert beneficia, sed hominis prædicat officia, non vbi Deus apparuerit, cælūque suū ostēderit, sed vbi homo lapidē vnxerit Deoque debitum cultum exhibuerit ac votū emiserit, veluti (liceat dicere) nostra pluris æstimet opera, & merita quam sua quibus perfruimur, dona & gratias, quibus ornamur.

Exiguū obsequiū maximis remuneratur præmiis.

58. *Ego sum Deus Bethel, nunc ergo surge reuertēs in terrā natiuitatis tuæ*, cur hæc illatio, *nunc ergo*, ponitur? inspice quid ei antea dixerat Deus, mihi vnxisti lapidē, & votū vouisti mihi. Emphatica igitur hæc est illatio, & hūc sensū habet, quia ego sū ille Deus, quē pro ritu vnctionis coluisti, cuius in honorē solemne illud votū nūcupasti, nūc ergo tandē hoc tēpus est, quod expectabā, vt tibi & cæremoniā & votū debitis persoluā præmiis, scilicet quod ad parētes redeas cū vxoribus & liberis, cum seruis, & ancillis, cū opibus, & honoribus, & celebris & gloriosus fias: sed si solū vnxit lapidē votūque præstitit, & illud solū sub conditione, cur tot ei largiris? hæc certe nostri Dei magnificētia hominū tātula officia, tā miris suæ benignitatis muneribus ac beneficiis persoluentis.

Ecclesiæ vel loca Deo dicata maxime ei sunt grata.

59. *Ego sum Deus Bethel vbi vnxisti lapidē*, Bethel hic erat locus in Dei honorē sibi à Iacob dicatus, sed cur diuina maiestas cuius possessio est cælū & terra, & omnia quæ eorū ambitu cōtinētur, se Deū Bethel nūcupat? cur nō se dicit Deū hominū & Angelorū? sine dubio se Deū Bethel nominat, vt ostēdat se curā specialē habere locorū in suū honorem erectorū, scilicet Ecclesiarum vel sacellorū. vnde optime D. Amb. ser. 89. *si centurio cōmendatur à Domino qui ædificauit synagogā, quanto est cōmēdatior qui ædificauit Ecclesiā*, lege Stephanū Durātū lib. de ritib. Ecc. Cath. c. 2. in quo quam grata Deo sit sacrarum ædium extructio doctissime declarat & confirmat.

D. Amb. ser. 89.

Steph. Durant. lib. de rit. Eccl.

Non solum beneficia confert Deus, sed alia conferre pollicetur.

60. *Ego sum Deus Bethel, nunc ergo surge reuertens in terrā natiuitatis tuæ &c.* quasi diceret, nunc tibi sunt innumeræ facultates, nunc magna tibi gregū & armētorum possessio, nunc denique maxime beneficio liberalitatis meæ locuples, regredere nunc igitur ad parētes tuos, deinde subiungit secundum lectionē Septuaginta, *& ero tecū*, nōne sufficiebat ei plurima cōtulisse beneficia? cur igitur de futuro pollicetur ei alia? quia ita liberalis est Deus vt nō contētus præsentibus beneficiis collatis, cogitat & plura alia de futuro conferre, *ego ero tecū*, inquit Lipp. *ego te vbique comitabor, ego tibi facile ostēdā viā & nullū à quopiam dānū feres, dextera si quidem mea te vbique proteget.*

Lipp. in Cat.

Prælatus cùm nihil proficit in salute suorum procuranda, suæ consulat.

61. *Surge & egredere de terra hac reuertens in terram natiuitatis tuæ*, pēdamus quæso verba, à Iacob antea prolata vxoribus, pater vester inquit circumuenit me, & mutauit mercedem meam, iuxta Philon. lib. de profugis Iacob hoc loco eum significat, qui aliorum salutem spiritualem procurat, Laban vero qui pactum sæpius mutat, symbolum est eius peccatoris, qui monitis obsurdescit: sed si ita se res habet, cur Deus monet Iacobum vt surgat & de huiusmodi terra egrediatur, redeatque in terram suam? quia quando nihil proficimus in eis quos ad salutem conamur perducere, tunc quidem abiecta eorum cura, ad nosmetipsos redeamus, & nostram curemus salutem, nobisque ipsis consulamus, Deum adeamus, eique salutem eorum commendemus, quorum vulneribus non valemus mederi, ne & nobis malum inferamus, & illi ex nobis emolumenta capiant, hoc notauerim ex Phil. lib. 6. de profug. c. 6. his verbis, *sed quia monitor hic animaduertit se surdo canere, merito de fuga cogitat, nimirum metuens ne illi nihil prosit, & insuper ipse damnum accipiat, neque enim conuictus & consuetudo cum insipientibus, quia sæpe accidit vt anima etiam inuita aliquid contagii sibi afferat.*

Philo lib. de Profug.

Cultus religionis auget in omnibus homines principes.

62. *Surge & egredere de terra hac reuertens in terram natiuitatis tuæ*, vt pacifice in ea bonis quæ sudore tuo tibi acquisisti fruaris, te enim liberum ab insidiis Laban eripiam, nec non incolumem à manu fratris te persequentis, vnde tot bona? vndenam tanta, prosperitatis & pacis futuræ causa? inspice quid ei Deus paulo antea dixerat, ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, lapidis illa dedicatio à Iacobo peracta in cultum Dei & reuerentiam summi numinis tantam illi attulit prosperitatem & pacem: ita sentit D. Amb. lib. 2. de Iacob. *non mirū si pacem haberet qui columnam statuerat, & vnxerat Deo.*

D. Amb. 2. de Iacob cap. 5.

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIV.

VVLG. Responderunt Rachel & Lia, nunquid habemus residui quidquam in facultatibus & hereditate domus patris nostri?
Sep. Nunquid adhuc est nobis portio vel hæreditas in domo patris nostri?
Cald. Nunquid est nobis pars? *sic Pag.*
Oleast. Nunquid diuisio in domo patris nostri?

CONCORDIA.

VErbum חלק chalaK distribuit, diuisit, partitus est, interpretatur, vnde fit quod חלק chelaK partem, diuisionem denotat, cum autem sit residuum alicuius totius, hinc est quod noster interpres residuum dixerit.

EXPOSITIO.

R*Esponderunt Rachel & Lia*, nempe Iacobo discessum à Mesopotamia meditanti, *nunquid habemus residui quidquam &c.* quasi dicerent, quid est quod à patre expectemus? nonne cuncta fratribus nostris contulit, cum tamen ex hæreditate patris aliquid nobis deberet remanere?

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Filii ita mercenarii vt propter hæreditatem parentes diligant.

63. R*Esponderuntque Rachel & Lia, nunquid habemus residui quidquã in hæreditate patris nostri?* quasi dicerent, nihil, & ideo discessum nostrum præmeditatum exequere, ò ingrata proles! an ita facile genitorem vestrum deserere moliris? nonne ab eo innumera accepisti beneficia? nonne vtrum vnicuique tradidit, sudore suo aluit? quomodo igitur etiam insalutatum deserere meditaris? inspice quid proculerit, nihil à patre expectare debeo ex suis facultatibus, cum eas fratribus distribuerit: ne mireris igitur, si patrem derelinquere non grauatur, nam hæreditatem ab eo non expectat, quia filii ita mercenarii vt propter facultates parentes colant & diligant, eccequantes, inquit Oleast. *filii & filiæ propter hæreditatem, patrem diligunt, eique seruiunt.*

Vbi maior sanctitas maius est derelinquendi parentes desiderium.

64. *Responderuntque Rachel & Lia, nunquid habemus quidquam residui?* cur prior respõdit Rachel minor natu Lia sorore, & posterior vxor Iacobi, quæ proinde vtroque nomine posterior responsura videbatur? dices cum Abulensi, ideo præponi Rachelem quia magis dilecta erat, & quasi præcipua vxor habebatur; non displicet hæc responsio, sed vt insit tuto satisfaciam obseruandũ est, magis sanctam fuisse Rachelem quam Liam, quod deducitur ex eo quod idola patris furata fuit, vt eum reuocaret ab idololatria, ita tenet D. Basil. in initio Prouerbiorum, disputans vocabulum astutiæ non semper in malam partem accipi, sed esse & bonam & malam astutiam, inter alia sic ait; bona fuit astutia Hebræorum quando Ægyptios decipiebant, tunc enim mercedem acceperant ciuitatum à se conditarum, & sibi ipsis materiam suppeditabant ad construendum tabernaculum: laudabilis fuit astutia obstetricum Ægyptiarum conseruantium masculos Hebræorum, pulchra fuit astutia Rebeccæ cum magnam illam benedictionem filio minori acquireret, præclara fuit astutia Raab & Rachelis, illius quidem exploratores saluos præstãtis, huius vero patrẽ decipiẽdo ab idololatria illũ liberantis, hæc Basil. quo posito, cur non dicemus primã respõdisse & cõsensum discessus à domo paterna præbuisse? quia vbi maior sanctitas, maior esse solet ad derelinquendam patriam & parentes deserendos propter Deum festinatio, quod non obscure confirmat B. Greg. in lib. 7. mo. cap. 14. *sunt* inquit, *plerique qui non solum aliena non appetunt, verum etiam cuncta quæ possederant in mundo, derelinquũt seme ipsos despiciunt, nullam præsentis vitæ gloriam requirunt, ab huius mundi actibus se separant, & pene quidquid prosperitatis arriserit calcant, sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati dum amore propinquitatis deseruiunt, ad ea sæpe per affectum cognationis redeunt, quæ iam & cum proprio despectu subierunt, cumque plusquam necesse est carnis propinquos diligunt, à cordis parente diuiduntur, nã sæpe quosdam videmus quantum ad proprium studium spectat, iam præsentis vitæ desideria non habere, mundum & opere & professione reliquisse, sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum pignora irrumpere, terrenarum rerum iurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, & mundi studia iamdudum in se destructa reparare, quare quo arctiora sunt iura propinquitatis, eo sunt maiori sanctitate dissoluenda, & maior vitæ sanctimonia declaratur, cum ea maiori cum facilitate dissoluimus.*

Vxores marito in eo quod licitum est debent consentire.

65. *Responderuntque Lia & Rachel, nunquid habemus quidquã residui &c.* quasi dicerent, nihil ex facultatibus patris sperare debemus, & ideo discedamus, & in patriam tuam nos transferamus; si per tot annos educatæ in Mesopotamia mansistis, quomodo ad libitum Iacobi, ad patriam regredi volentis ita facile propriam relinquere statuitis? quia vxores marito in eo quod licitum est, consensum præbere tenentur: fauet Lipp. *qui sine vxorum consensu & comitatu Iacob recedere nolebat, sed debebat, maritus enim & coniux perpetuo cohabitare debent, quemadmodum Adam prædixit, relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ, ideo nunc & ipsæ in recessum viri consentiunt.*

Greg lib. 7. Mo. cap. 14.

Oleaster.

D. Basil. in initio Prouerbiorum.

Lippoman.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XV.

VVLG. Nonne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit comeditque pretium noſtrum?

Sep. Nonne ſicut alienæ reputatæ ſumus ei? vendidit enim nos & deuoratione abſorbuit argentum noſtrum.

Cald. Et comedit quoque argentum noſtrum.

Pag. Et conſumpſit etiam conſumendo pecuniam noſtram.

CONCORDIA.

NVlla eſt diſcordia, nam pretium & argentum pro eodem ſumitur, nempe pro miniſterio Iacob quod ipſæ pro pecunia reputabant.

EXPOSITIO.

N*Onne quaſi alienas reputauit nos?* quaſi dicerent, nonne nos exhæredes fecit, quaſi non eſſemus filiæ ſuæ? nihil nobis tanquam ſi eſſemus ancillæ, in dotem mittens reliquit *& vendidit nos*, ſcilicet tibi in vxores, ſicut traduntur ancillæ, in pretiũ tui obſequii & ſeruitutis, *comeditque pretium noſtrum*: pretium comedisse dicitur, quia ex obſequio Iacob quod filiatũ fuit, pretiũ cõſequutus eſt diuitias & facultates, comedẽdi vero verbũ apud Hebræos pro frui capitur, quaſi dicat, opus noſtrũ cõuertit in ſuũ cõmodum.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Detractio niſi coërceatur tanquam virus ſerpit.

66. N*Onne quaſi alienas reputauit nos?* non ſolum hoc patri obiecerunt, ſed vlterius eum tanquam helluonem & prædonem accuſant, *vendidit & comedit pretium noſtrum*, quomodo ita patri detrahunt, quem tueri contra omnes deberent? cur non contentæ de patre dixiſſe, quod apud ipſum tanquã extraneæ reputatæ ſint? cur vlterius progrediuntur ei crimina obiicientes? quia detractio talis eſt naturæ, quod niſi coerceatur tanquam virus longiſſime ſerpat, *commune malum murmurantiũ eſt*, inquit Oleaſt. *vt non inueniant qui impediant ſed qui iuuent, detraxerat Iacob Laban, mentitum aſſeruit, mercedemque ſuam decem vicibus mutaſſe, & filiæ quæ debuerant patrem excuſare, apud virum accuſant, & maiora mala quam audierint detegunt, & aduerſus patrem cauſam viri velatiſ ſuam tuentur, vide quæ crimina patri obiiciant, quod ſcilicet eas extraneas reputauerit, illarumque pecuniam conſumpſerit.*

Oleaſt.

Parentes auari erga ſobolem ſunt aliquando non tanquã genitores, ſed tyrannis crudeliores.

67. *Nonne quaſi alienas reputauit nos?* quis pater qui ſobolem ſuam tanquam alienam & non propriam arbitratur? ſed vlterius quid dicant inſpiciamus, *vendidit nos*, quis ita barbarus qui filios ſuos tanquam vile vendat mancipium? tandem conqueruntur quod pretium ſeruitutis Iacob in ſuos vſus conſumpſerit, nonne parentes etiam cum ſui diſpẽdio adaugendis filiorum ſtudent facultatibus, nec non ſuæ libertatis maxime ſunt ſoliciti? quomodo igitur filiæ Laban conqueruntur ſe à patre venditas, & ab eo tanquam alienas reputatas? quis ille Laban? nonne auaritiæ deditus? ne miteris ita erga ſobolem ſe geſſiſſe, quia parentes auari non tanquam amantiſſimi genitores ſunt reſpectu filiorum, ſed potius tyrannis crudeliores, audiendus eſt Abul. *tria grauamina faciebat hic Laban filiabus ſuis, primum quod reputauit eas tanquam alienas, nihil dando eis de poſſeſſionibus ſuis ſaltem pro dote; pater enim filiam viro tradens eam dotare tenetur, maxime cum filia habeat naturaliter partem in bonis patris, nec poteſt eam exhæredare, niſi in certis caſibus de quibus nullus hic erat: ſecũdũ grauamẽ, quia vendidit eas: dato enim, quod pater nõ dediſſet dotẽ filiabus ſuis, ſaltem dediſſet eas libere alicui viro, ſed nõ fecit, quia pro certo precio dedit eas, & in hoc grauauit eas minus, quia apud virum ſuum non eſſent vt vxores ſed vt ancillæ emptitiæ, nam dato, quod qualibet earũ vellet ſe in aliquo iuuare contra virũ, vt vxor ex iure, quod cõpetit vxori contra virũ, non poſſet, quia obiiceret Iacob, quod eſſet ancilla cum pretio eam emiſſet, ſe pro ſeruitio certi tẽporis, licet hoc non tamẽ concludit, vt videtur, quia ſi Iacob emerit quãlibet earũ pro ſeruitio certi tẽporis non ſeruiuit pro eis, vt ei darentur ſimpliciter, ſed vt ei darentur in vxores, emere autẽ aliquam in vxorem non eſt emere ſimpliciter, & ſic emit Iacob, ſemper tamen reſtabat grauamen, quia licet eas non vendidiſſet ſimpliciter, ſed vt in vxores vendebat, tamen ſine dote: tertio grauauit eas, quia preciũ illud, pro quo eas vendidit, nullo modo peruenit ad eas, ſaltem enim ſecundum conditionem legũ humanarũ quando aliquis maior viginti annis permittit ſe vendi, non poteſt fieri iſta venditio niſi venditus accipiebat partem iſtius precii pro ſe, vt patet inſtit. de ſtatu perſonar. circ. fin. hæ autem non participauerunt precium, ſaltem enim debuiſſet pater dare id, quod recipiebat de ſeruitio Iacob filiabus in dotem.*

Abulenſis.

Mundus bonos quaſi alienos reputat.

68. *Nonne quaſi alienas reputauit nos?* quis ita genitor barbarus qui ſobolẽ tanquã propriam nõ amplexetur? quomodo igitur tanquã alienã ſuã reputat Laban? nõne diximus Laban mundi huius ſymbolum eſſe? Rachel autẽ & Liam cõtemplationi deditos ſignificare? quis vetat igitur dicere, ideo Laban tãquã alienas reſpuiſſe vtrãque filiã ſuã, quia mundus virtuti deditos tanquam extraneos arbitratur & ducit? *mundus*, inquit Hugo Card. *omnes bonos reputat tanquã alienos, quipp & ipſe creatorem ſuum non cognouit Ioan 1. in mundo erat & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit, in propria venit, & ſui eum non receperunt.*

Hugo Card.

Ioan. 1.

Mundus diuitias amabiles cenſet.

69. *Nonne tanquã alienas nos reputauit? vendidit comeditque pretiũ noſtrum*, in Hebræo eſt comedit argẽtũ noſtrũ, vel cõſũpſit pecuniã noſtrã, vt formetur cõcept⁹, aduertẽdũ eſt כסף cheſeph quod interpretatur argẽtũ, deduci à radice כסף caſaph, quod eſt diligere & amare, cur id quod tãtorũ incẽtiuũ eſt malorũ, nomen tam

tam eximium sortitur? quia mundus nihil ita amabile censet ac pecuniam, nihil ita pulchrum ac amabile est ei ac argentum, *dictio chasaph*, inquit Oleast. *à quo chesaph id est argentum, significat diligere, amare, & Chesaph argentum, quod sit omnibus amabile & desiderabile.*

Oleaster.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XVI.

VVLG. Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filiis nostris, vnde omnia quę præcepit tibi Deus, fac.

Sep. Omnes diuitias & gloriam quā abstulit Deus à patre nostro, nobis erunt ac filiis nostris.

Cald. quoniam omnes diuitiæ quas abstulit Deus ex patre nostro, nostra sunt & filiorum nostrorum,

Pag. Nobis pertinebant ac filiis nostris.

Arias. quia omnis opulentia quam abstulit Deus à patre nostro ipsa, ac filiis nostris.

CONCORDIA.

SEptuaginta futurum pro præterito posuerunt, addideruntque gloriam, cum in Hebræo solum sit עשר oser, diuitiæ vel opulentia.

EXPOSITIO.

SEd Deus abstulit opes patris nostri, quia secluso pacto quod tecum inii, omnes fœtus futuri erant patris nostri, sed eo posito, diuina id voluntate efficienti, tui sunt & erunt filiorum nostrorum, cum sint iusto titulo acquisiti, vnde omnia, *quæ præcepit tibi Deus fac*, nihil te detineat in Mesopotomia, sed ex Dei præcepto in terram tuam proficiscere, cum vniuersa familia tua.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Indigni aliquando etiam à bonis temporalibus excluduntur.

70. T*Vlit opes patris nostri & eas tradidit nobis*, nonne Labā erat paterfamilias? nōne plures erant sibi filii, nec non maxima famulorū multitudo? plurimæ ergo ei sunt facultates necessariæ vt totam familiam conseruet, & nutriat, cur ergo Deus ei opes suas adimit, vt alteri tribuat? non dubitas Labanū propter suam auaritiam & infidelitatē indignū fuisse bonis quorū erat possessor: æquissime igitur Deus Labano adimit bona vt ea tribuat Iacobo, quia indigni etiā à bonis tēporalibus aliquando excluduntur, hæc ad sensū spiritualē trahens, D. Amb. Epist. 3. ait, *merito à Deo à patre dicūtur esse sublata, quia decorē hæreditatis diuinæ capere improbi atque infirmi nō queunt, succedit autē iuuentus & spiritum in se fortis habens, quis autē fortis nisi solus Deus? qui omnia coercet & regit, his ergo debetur hæreditas Dei.*

Amb. Ep. 3.

Pater etiam malus honorandus & talis censendus.

71. *Tulit opes patris nostri*, cur patrē suū fatetur esse cum impius idololatra, versipellis proditor fuerit, hominū oppressor, ac Dei contēptor? imo cum ipsasmet dote priuauerit & tanquam viles ancillas vendiderit, cur patrē suum nominant? cur non aiunt tulit opes Labani, non autē patris? quia tanta debet esse erga patres pietas & reuerentia, vt nunquam patris vel matris nomen abnegent, sed pater domo filiū abiecit, expulsum vulneribus concidit, at pater est, at pater dici à filio & honorari debet, amandi sunt parentes, tolerandi sunt etiam cum oderunt, cū nocent, vnde optime noster Lyran. in suo præceptorio siue expositione decem decalogi præceptorū, ad quartum, *patrem & matrem honorare debemus ipsis reuerentiam exhibendo, ipsis nec verbo nec facto vnquam iniuriā inferēdo, sed blandis verbis eis respondeamus & ipsorū reprehensiones humiliter & patienter sustineamus.*

Lyranus.

Fraus in fraudulenti caput recidit.

72. *Tulit opes patris nostri*, nonne decē vicibus mutauit mercedē mariti vestri? quomodo igitur in hac fraudulēta mutatione non solū bona non cōparauit, sed eorū iacturā fecit? quomodo non ea Iacobo ademit, sed potius sibi erepta fuere? si diximus eum fraudulentum, quid mirum sibi ereptas fuisse facultates? fraus enim in fraudulēti caput recidit & thechnæ & fraudes quas alis struit, & molitur, in ipsum cōuertūtur, vnde Psal. 7. dicitur, *incidit in foueā quā fecit & in verticē ipsius iniquitas eius descēdit*, vel vt legit Euthim. *in verticē ipsius iniustitia eius descendet, & addit in eum enim irruet iniustitia quam in alios tendebat.*

Euthim.

Amantibus viros vxoribus nihil est arduum.

73. *Tulit opes, & omnia quæ præcepit tibi Deus fac*, si Deus ei iussit vt exiret ex Mesopotamia, & in patriā rediret, sine dubio vos secum ducet, quantæ autem sunt vobis exātlandæ itineris difficultates, quāti labores sustinendi? tum quamuis nullæ essent viæ longissimæ asperitates, quomodo patrē & matrem dimittetis? patriā, cognatos, & paternam domū deseretis? nonne maximo prosequebātur amore vnū suum Rachel & Lia? nihil ergo aduersi formidāt, alacri studio & hilari animo ad fugā, ad laborē, ad exiliū delicatæ mulieres se præparāt, vxoribus enim viros amātibus nihil est arduum nec difficile.

Dei prouidentiam in bonis etiam temporalibus largiendis agnoscamus.

74. *Tulit opes patris nostri & eas tradidit nobis*, quis eas tulit? Deus, sed nōne huiusmodi opes sunt bonis & reprobis cōmunes, & ideo fortunæ adscribendæ? quomodo igitur eas dicūt Lia & Rachel abstulisse à patre sibique dedisse? vt prouidentiā Dei etiā in bonis (quæ tu fortunæ falso nominas) temporalibus distribuendis agnoscas, *Iacob*, inquit Hamerus, *cū vxoribus suis præsentes suas diuitias à Deo se accepisse non sine magna gratiarum actione fatentur.*

Hamerus.

Mira temporalium bonorum vicißitudo.

75. *Tulit opes patris nostri & eas tradidit nobis*, cur alias non tradidit Iacob, nullas adimens Labano? cur illæ facultates quæ erant soceri, nunc sunt generi? vt quanta sit bonorū temporaliū vicissitudo & inconstātia, nobis sit compertū: vnde optime Hugo Card. exponens vers. 16. Psal. 30. quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu, ait *in circuitu tēporaliū bonorū cōmorantur mali Christiani*, igitur bona temporalia circuire & in gyrum rapi dicuntur, quæ stabilitas in eis reperiri potest? sicut in rota.

Hugo Card. Psal. 16

Deo obediendum, quia nihil iniustum imperat.

76. *Tulit opes &c. omnia quæ præcepit tibi Deus, fac* cur ita absolute loquuntur? in omnibus consentire marito non deberent, deserere enim patrem non est consentaneū rationi, nihilominus prudenter ita loquuntur, & absolute dicunt, fac, quod tibi præcepit Deus, nulla alia adhibita ratione, quia Deo obediēdū quādo imperat, cū nihil possit præcipere quod fuerit iniustū, *à quo*, inquit Car. *nihil potest nisi iustū dici*.

Carl. Cæt.

Mulier auri cupida.

77. *Tulit opes &c. omnia quæ tibi præcepit De⁹ fac*, vnde fœminæ gentiles tā subito Deo videntur ita obtemperātes, vt etia idē marito consulant, & pro quo sequēdo non dubitēt patrē relinquere? audiamus quid dixerint, nihil habemus residui in facultatibus & hereditate patris nostri, sed Deus tulit opes patris nostri & eas tradidit nobis, nullum apud patrem sperant lucrum: quid mirum si eum inutilem relinquant? hoc enim est muliebre ingenium, vt aude ad lucrum feratur, nihil ardentius expetat quam aurum, quam nummos, quocirca aiebat D. Basil. hom. 7. in diuites auar. *nullus muliebris concupiscentiæ satis thesaurus, non si è fluminibus fluxerit gaudent auri cupidæ fœminæ, manicis ligari, dummodo ex auro sit vinculum.*

D Basil. ho. 7. in diu.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XVII. & XVIII.

VVLG. Surrexit itaque Iacob, & impositis liberis ac coniugibus super camelos, abiit,

Sep. Surgens autem Iacob sumpsit vxores suas & paruulos super camelos.

Cald. Leuauit filios suos & vxores suas *Pag.* eleuauit

VVLG. Tulitque omnem substantiam suam, & greges & quidquid in Mesopotamia acquisierat pergens ad Isaac patrem suum in terrā Chanaam.

Sep. Et adduxit omnem substantiam suam, & omnem apparatum quem acquisierat in Mesopotamia & omnia sua vt abiret ad Isaac.

Cald. Et duxit vniuersa pecora sua, & omnem substantiam quam acquisierat in Mesopotamia Syriæ.

Pag. Et duxit omnes pecudes suas, & omnem substantiam suam quam acquisierat, pecudes acquisitionis suæ in padam Aram.

Oleast. Minauit gregem suum.

CONCORDIA.

VErbum נהג nahag licet minare significet, tamen elegantius ducere vel abducere interpretatur, superfluum est repetere cur Mesopotamia padam Aram dicitur, nam pluries à nobis hoc solutum est, phrasis Hebraica est repetitio eiusdē rei vt omnes pecudes quas acquisierat, pecudes acquisitionis suæ dicantur,

EXPOSITIO.

SVrrexit itaque Iacob, accepto consensu vxorum: quæ necessaria erant itineri faciendo disposuit, ac præparauit, & *impositis liberis* nempe vndecim filiis & vnica filia & coniugibus.

Tulit omnem substantiam suam, nomine substantiæ, omnis possessio venit intelligenda, *& quidquid acquisierat in Mesopotamia*, scilicet vel suo labore vel emptione, *pergens ad patrem*, incipiens pergere non enim ad eum immediate perrexit, nam prius in Sichem & Bethel commoratus est,

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mundus nostro affectu indignus.

78. **S**Vrrexit Iacob & abiit, cur insalutato Labā socero tuo, itineri te accingis? cur causas tui discessus ei non aperis? cum à nobis dictum fuerit Labā typum esse huius mundi, prudenter inueniemus fecisse Iacob, nempe cum ab eo insalutato discessit, quia mūdus nullo nostro dignus est affectu, nec meretur vt aue ei nec honoris gratia vale dicamus, quare monet S. Amb. lib. de fuga sæc. c. 1. *qui saluus esse vult supra mundum ascēdat, quærat verbum apud Deū, fugiat hunc mundum, terras relinquat.*

D. Amb lib. de fuga sæc. cap 1.

Mundi maxima inconstantia.

79. *Surrexit Iacob & abiit*, fugam arripiens, opprobriis & calumniis [illegible] Laban [illegible] ipsismet socer grauatus, nunc [illegible] Labanus Iacobū excepit generū? duarū filiarum constituit maritum, & lætus adolescēs exultat amore coniugioque Rachelis & numerosa liberorū turba fœlix habetur, quomodo nunc igitur tanquā infœlix aufugit vexatus, ab ipsomet Labā qui se hostem ei capitalē exhibet hoc ingenium est veteratoris & innata conditio mundi, cuius fœlicitas inconstātissima & leuius ipsamet fugit vmbra, vnde de mundi prosperitatibus loquens D. Amb. in Psal. 72. ait, *indifferēter veniunt ista quæ modo fluminis quodā sæculi profluuio voluuntur.*

Cit Amb. Psal. 72.

A mundo quæ possumus liberemus, vt Deo donemus.

80. *Surrexit Iacob*, ac impositis liberis ac coniugibus suis super camelos abiit, cur saltē vnā ex duabus vxoribus cum Labano non reliquit, vel saltem aliquem ex tot liberis vt sibi in absentia patris aliquod leuamen acciperet? si à nobis dictum fuit Laban mundi typum

Petrus Riga, presb. tertio lib. de auro.

typum gerere, nunc autem monemus Iacob ad Isaac patrem suum tendere, Dei figuram habere sicque dicemus prudenter non solum Labanũ deserere, sed liberos & vxores omnemque familiam ducere, quia à mundo omnia quæ possumus eripere debemus & Deo consecrare. fauet Vener. Petrus Riga.

Cum fugiente Laban Iacob redit ad sua ducens.
Vxores, natos nobile quidquid habet.
Qui redit ad patriæ cælestis gaudia, mundum,
Despicit, & secum qua valet inde trahit,

Deo obtemperanti, nihil timendum.

81. *Tulit omnem substantiam suam &c.* pergẽs ad Isaac si omnia quæ in Mesopotamia tecum abducis, non est dubium id indignissime laturum Laban, & vindictam à te sumpturum, mediam igitur omniũ partem linque vt satisfacias eius auaritiæ, tecum aliam partem deferens: omnia secum tulit nihili Labanum curans, cum enim Dei præcep, tum egrediendi accepisset, nihil sibi timendum indicauit *considera* inquit Chrys. *o! sacro fortitudinem animæ iusti, & quomodo repulso omni mentis angore ac metu, mandato domini se obtemperauit, quoniam enim vidit malè sanam mentem Laban, non vltra sicut prius interrogare eum voluit, sed quod imperatum erat à Domino implebat.*

Chrys. ho. 7

Inuidiæ cedendum.

82. *Tulit omnem substantiam suam pergens ad patrem*, cur te à socero separas: dices quia à Deo mandatum accepisti, & ideo tibi obediendum, sed saltem eum alloquere, insalutatum ne desere, forte aliud concordiæ fœdus inibit, itaut cum eo possis cõmorari: nota semper liuore tabescentem Labanum cum filiis suis ob nimiam Iacobi prosperitatem & abundantiam: prudenter igitur de alio fœdere ineundo non cogitat, sed ab eo insalutato discedit, inuidiæ enim aliorum cedendum, & liuor declinandus, *ecce quantus vir iustus*, inquit D. Amb. de Iacob & vita bea. *qui docet, si inuidia fuerit exorta primum vt declinet eam, tutius est sine lite abire quam residere cum iurgio, deinde vt talia possideat quæ secum auferre possit, vt in nullo teneri ab aduersario possit obnoxius.*

Amb. de Iacob & vita. beata.

Pater familias non arguendus si curam familiæ sustentandæ gerat.

83. *Tulit omnem substantiam suam & greges, pergens ad patrem*, nonne sufficiebat secum ducisse charissimas coniuges suas, amantissima pignora? cur onustus tot gregibus, tanta substantia, tanta supellectili iterum se accingit, cum potius his detineri quam adiuuari videatur? prudenter tamen quidquid iuste in Mesopotamia comparauerat, secum detulit, vt haberet optimus pater familias vnde vxores, liberos, seruosque sustentet, *neque enim iniquũ est*, inquit S. Saluia. lib. 3. ad Eccles. Cath. *vt quilibet christianorum etiam legitimis hæreditatibus in hoc sæculo consulat dum modo sibimet in æternitate succurrat.*

Sponsæ Christo cõsecratæ, eum sequi tenentur.

84. *Tulit omnem substantiam suam*, impositis super camelos coniugibus; si Iacob patriam vult inuisere, cur eum non valere iubens: cur cũ cũ liberis abire non permittis? cur tenetur asperrimo cum tot difficultatibus & periculis committitis? cum Iacob sit Christi Domini figura, cur non dicemus Rachel & Liam symbolum esse sponsarum Saluatoris? & tunc merito Iacobum comitatas dicemus, quia virgines Christo consecratæ eum sequi tenentur: sic prænotauit Procop. *venerandæ Saluatoris sponsæ parato animo, sequuntur vocantem, quia ipsi Deo sunt à mundo venditæ, nam non pecunia sed cruore sponsas emit Christus.*

Inter peccatores iuste viuere maxime commẽdatur.

85. *Tulit omnem substantiam suam & greges, & alia*, ecce quomodo diues opibus egreditur, sed cum difficile sit picem tangere & non inquinari ab ea, Iacob cum Labano & filiis eius multis commoratus discedit ne multus sine mentis & virtutibus? minime & in hoc æquitas Iacob commendatur, qui quamuis esset Laban sceleratus, inquinatus, & periculosissima eius consuetudo, suam tamen candoris simplicitatem retinuit, *quanta* exclamat S. Amb. cit. *virtus cuius societas lucrum dabat non irrogabat dispendium, diues eis iti dituer meritis, at virtutibus clarior Labanis domo egreditur Iacob, cui pessimorũ societas non detrimentum attulit, sed bonorum operum occasio fuit.*

D. Amb.

Ita mundo vale dicamus vt nihil in eo sit, quod ad eum possit reuocare.

86. *Tulit omnem substantiam suam, & greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat*, cur omnia secum detulit? nonne vt liberius & facilius iter perficeret, potuit aliquos ex gregibus suis relinquere apud Labanum? si mundum significare diximus Laban, prudenter nihil in domo eius relinquit, quia ita mundo vale dicere debemus, vt nihil in eo relinquatur quod ad eum nos reuocare valeat, *hic docetur* inquit Hugo, Card. *quilibet qualiter fugiendum sit à mundo & veniendum ad Isaac idest ad Christum cum omni scilicet substantia sua, vt nihil relinquat in mundo quod eos confugientis valeat reuocare, dat Pharao licentiam filiis Israel, vt relictis vxoribus & paruulis, & armentis, eant mares in solitudinem, sed dicit Moyses cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula, hinc quotquot hodie in claustro qui maiorem partem cordis sui reliquerunt in mundo, gregesque cogitationum suarum, vnde sine corde sunt in claustro.*

Hugo. Card.

Exod. 10.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XIX.

VVLG. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues & Rachel furata est idola patris sui.

Cald. Laban autem abierat ad tondendas oues suas, & tulit Rachel imagines quæ erant patris sui.

Arias Laban iuerat ad tondendum suam pecudem, & furata est Rachel Theraphim quæ suo patri.

Aquila rachel furata est μορφώματα idest figuras seu figurationes, ait D. Hier.

CONCORDIA.

NOn constat apud Hebræorum doctores qiud hic propriè significet dictio תרפים Theraphim quam idola vertit noster interpres: hoc certi de hac dictione habemus quod significet scilicet imagines hominum, & quod loquerentur, nam 1. Reg. 19. dicitur, & tulit Michel Theraphim, & posuit in lecto scilicet pro Dauid, vt putarent apparitores Saulis imaginem esse decumbentis Dauidis. Ezech. vero 21. dicitur consuluit scilicet Rex Babel Betaraphim, id est idola; ex quo constat esse imagines quæ consulentibus respondebant, item Zach. 10. dicitur quod Theraphim locuta sunt mendacium; vnde fit quod vertit Cald. imagines, Aquila figuras, scilicet humanas.

EXPOSITIO.

E*O autem tempore ierat Labã ad tondendas oues*, hoc non à casu sed à consilio contigit, opportunum enim tẽpus quo longe aberat Laban expectauit Iacob, vt facilius fugere posset, *Rachel furata est idola patris sui*, idola huiusmodi erant imagines siue simulachra, aut figuræ qualescumque & qualiumcumque rerum, sed vt plurimum vel hominum, vel deorum imagines. dico & figuras vel per picturam, vel sculpturam, vel texturam expressas, cur autem ea furata fuerat in conceptibus aperiemus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Occasio captanda.

87. E*O autem tempore ierat Laban ad tondendas oues*, cur obseruat Moyses quod cum fugæ se commisit, perrexerat Laban vt vacaret ouiũ tonsioni? quid enim refert scire quò Laban profectus fuerat? sed prudenter id obseruauit Moyses, vt denotaret solertiam Iacob, qui occasionem discessus Labani, vt securius fugeret, arripuit *nactus est* inquit Dionys. Carth. *Iacob magis opportunum tempus ad fugam, locus enim ille in quo occupatus erat in tonsione ouium remote distabat.*

Dion. Carth.

Inuidus liuorem dissimulare nescit.

88. *Eo autem tempore ierat Laban ad tondendas oues*, nonne cum tondebantur oues conuocabantur amici & parentes, vt simul epularentur? vt patet in Abigail & Absalone qui conuiuium filus Regis parauere in suarum tonsione ouium, quomodo ergo Laban non vocatis filiabus & genero, solus ad tondendas proficiscitur? in hoc inuidus animus declaratur qui liuorem suum nescit dissimulare, *solemnibus epulis* inquit Lippom. *& amicorum congratulatione oues tondebantur vt patet de Abigail, & Absalone, inuidiam ergo portendebat quod minime Iacob cum filiabus inerat inuitatus.*

Lippemanus.

Alios ab idololatria reuocemus.

89. *Furata est idola patris sui*, si fuissent imagines parui ponderis non mirarer eas surripuisse, vt aliquomodo dotem suam vendicaret, sed cum ex onerosa & graui materia confecta fuissent, cur ea itineris impedimenta furatur? dices ne pater idola conspiciendo vel consulendo per quod Iacob abiisset cognoscere posset: sed cur Zelo vnius Dei accensam non dicemus, quod patris idola subripuerit vt eum ab idololatria reuocet, ablata occasione imaginum falsorum deorum? sic habet Nazian. in oratione de paschate, *si quapiam Rachel est anima patriarchalis & magna patris tui cum inueneris, idola surripe non vt conserues sed vt deleas.*

Greg. Nazian. in oratione de Paschate.

Difficile mens inbuta idololatria ab ea reuocatur.

90. *Furata est idola patris sui*, patri deos relinque, si enim suæ gerere curam salutis negligit, quid tibi curæ occasionem errorum ei eripere, imagines igitur suorum falsorum numinum relinque, eas sibi habeat, eas sibi possideat, ne occasione furti earum vos insequatur, cur igitur eas furaris? scio Iosephum respondere lib. 1. antiq. sigilla deorum suorum ferebat Rachel, non quod deos coleret, quorum contemptum à marito didicerat, sed vt si forte pater fugientes assequeretur, haberet quo confugeret veniam impetratura, sed nihilominus D. Chrys. hom. 57. cum aliis non exiguæ notæ auctoribus, tenet Rachelẽ idololatriæ adhuc fuisse studiosam, sic autem ait, *non sine causa dictum est, nobisque propositum furatam esse Rachel idola patris sui, sed vt sciamus mulieres illas adhuc paternam habentes consuetudinem, idolorum cultui addictas fuisse, animaduerte enim quantum in hoc studium impenderint, cum nihil aliud patri auferre voluerint, nisi idola eius, id vero faciebant ignorante viro, neque enim ille id fieri permisisset*, miror equidem (secũdum sententiam Chrys. loquor) quomodo cum à Iacob didicissent vnicum esse Deum totius vniuersi creatorem, non enim est dubium hanc veritatem eas docuisse, quomodo igitur post tot annos eas adhuc gentilitatis & paganismi errore infectas videmus? quia difficile mẽs imbuta idololatriæ veneno adveram animæ sanitatẽ reuocatur.

Ioseph lib. 1. antiq.

D. Chrys. hom 57.

D. Chrys.

Ecclesia radicitus idololatriæ cultum extirpauit.

91. *Furata est idola patris sui*, hoc furtum idolorum Labani, non arguit in Rachele inquit Theod. cultũ falsorum numinum, pietatem namque eius satis docuit scriptura, recordatus est Deus Rachelis & exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius, cum enim exaudisset à Iacob, nunquid ego tibi sum pro Deo qui te priuauit fructu ventris? vehementiores Deo preces obtulit & adepta est quod petebat, quin etiam post partum suum in Deum pietatem demonstrauit, nato enim filio Ioseph dixit, addat mihi Deus alterũ filium

D Theod. q. 89. in Genes.

filium, quomodo igitur tali mulier in Deum affectu prædita idolis, quæ non sunt dii inferuire potuisset? sed si eorum cultui non erat dedita, cur ea secum detulit? vel cur ea furata est, non autem eius soror? dictum est à nobis Rachelem Ecclesiam gétibus congregatam designare: bene igitur dictum est quod sola Rachel furata est idola patris, quia Ecclesia radicitus cultum eorū eliminauit, ita cit. Theod. q. 89. in Genes. *quoniam Ecclesia quæ credidit Deo Saluatori primitiuum idololatriæ errorem radicitus extirpauit, Rachel, typum eius gerēs, furata est idola patris ut in eo quoque veritatem adumbraret.*

Deus in pœnam nostræ infidelitatis permittit ut decipiamur.

92. *Furata est idola patris sui*, diximus ea fuisse quasdam imagines responsa consulentibus præbentes, si inanimatæ sint, quomodo sermonem possunt edere? dices hoc Dæmonis fraude fieri; quomodo Deus permittit mortales hac fraude decipi? in pœnam nostræ infidelitatis, qui quod proprium Dei est audemus tribuere saxis inanimatis, *idola* inquit auct. Caten. *figuræ falsorum deorum dicuntur, quæ quidem ex sese responsa danda nullam unquam habuerunt virtutem, sed tantum eum ob peccata hominum eis fidem habentium ad illorum damnationem, ut scilicet in peccato suo morerentur, permisit iustus Dominus.*

Auct. Cat.

Furari non licet, compensare sibi debitum licet.

93. *Furata est idola patris sui*, grauius erit hoc crimen furti, si tenemus ea fuisse ex pretiosa materia vel auri vel argenti, si fœdissimum est hoc vitium & cótra legem naturæ, cur furaris? nota patrem filiabus suis dotem debuisse, qua tamen priuans tradidit fere nudas Iacobo, & quasi seruas vendidit: dicemus igitur non furti arguendam licet idola patris abstulerit, licet enim aliquo titulo sibi debitum compensare: non longe abest ab hac ratione Oleast. dicens *surripiunt patris idola ob ablatam mariti mercedem à patre.*

Oleaster.

Dii apud gentiles misericordiæ largitores censebantur.

94. *Furata est idola patris sui*, si cultum eis reddere volebat, cum falsa numina esse non ignorabat, cur ea secum detulit? nonne potuerunt fugientes à patre comprehendi & male affici? nonne sciebant quod cū gētilitate detinebātur deos pro misericordia obtinēdā implorari? dicamus igitur idola patris sui furatā, vt ad ea cōfugiēs si pater eos insequeretur iram ipsius emolliret ac frāgeret; ita Scho. Hist. *secum idola tulit non ad colendū, sed si cōprehēderentur à patre prosequente vt ad hæc fugiendo veniam impetrarent.*

Magister historiæ scolasticæ.

Non iusti sed praui peruersum de aliis ferunt iudicium.

95. *Furata est idola patris sui*, cur ò Propheta sancte hanc mulierem furti arguis, cum scias hac ablatione idolorum sibi quod debitum erat compensasse quod iustum est? ne dicas igitur eam furatam esse sed solum patris idola secum tulisse; non loquitur Moyses secundum propriam sententiam, sed Labani, qui peruersum hoc de filia iudicium ferebat quamuis iusto titulo compensationis has abstulisset imagines: *Moyses verba hæc* (inquit Hamer.) *non suo iudicio scripsit: quod furtum putaret esse, sed potius Laban affectum serauit qui idololatra haud dubio tanquā atrox hoc furtum habiturus erat, quod idola ex ædibus suis subducta essent, quod ipse postea satis declarat cum atrociter in Iacob innehitur, cur inquit loquens Iacob, furatus es deos meos: Sacra enim scriptura non semper ex sententia scribentis loquitur, sed etiam interdum alterius iudicio affectuque.*

Hugo Card.

A mundo fugiens aliquando secum aliqua fert de mundo is.

96. *Furata est idola patris sui*, nonne Laban mūdum designat, & Rachel quemlibet à mundo fugientem? quomodo ergo quæ sunt patris secum detulit? cur ea omnino non deserit? quia aliquando aliqui ita sunt dementes, vt à mundo fugientes secum tamen aliquid de mundanis secum deferant. *per hoc significatur* inquit Hugo. Card. *quidam qui secum in claustrum deferunt de anathemate Hiericho habentes in corde cupiditatem, ambitionem & huiusmodi idola.*

Guill. Hamer.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XX.

VVLG. Noluitque Iacob confiteri socero suo quod fugeret.

Sep. Celauit autem Iacob Laban Syrum non indicando ei quia fugit.

Pag. Et furatus est Iacob cor Laban Arramæi eo quod non indicauit ei quod fugeret.

Caiet. Eo quod non fuerit nuntiare ei quod fugeret.

CONCORDIA.

FVratus est Iacob cor Labani, phrasis est Hebraica, quæ denotat aliquid moliri præter alicuius intentionem, sicque bene reddita per vers. nostri interpret. dicentis noluit confiteri socero suo quod fugeret; vel vt habet sept. celauit Laban.

EXPOSITIO.

NOluit Iacob confiteri socero quod fugeret, idest inscio & ignorante Laban furtim & clanculum aufugit Iacob, timēs ne à socero detineretur in Mesopotamia, & ideo eis suum consilium non aperuit sed celauit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Cor diuitum diuitiæ.

97. NOlmit Iacob confiteri socero suo quod fugeret, in Hebræo est, furatus est Iacob cor Laban, sed cur Labani cor dicitur in Hebræo ablatum à Iacobo, cum nec ei vale dixerit? reuoca in memoriam innumeram diuitiarum secum detulisse multitudinem Iacob, quam omnino retinere statuerat Laban dicens sibi à genero ereptam esse: bene ergo ait, facet textus quod discedens Iacob cum tot facultatibus, quod furatus est cor Labani, quia diuitiæ sunt illis omnibus vice cordis sui, sic Lippomanus *an cor Laban substantiam quam possidebat, ipse censuit abstulit Iacob vocat? iuxta illud Domini, vbi est thesaurus tuus ibi est & cor tuum.*

Auct. cat.

Casti victoriam ab impuris fugientes obtinent.

98. *Noluit Iacob confiteri socero suo quod fugeret,* Phil. lib. 2. legis allegor. hoc attente considerans ait, Iacob vt supplantator compendiariis artibus virtutem adeptus sine puluere alioqui nonvocandus Israel mutato nomine fugit Laban negotia, idest colores, figuras, & in vniuersum corpora quorum natura est, vt mentem per sensibilia vulnerent, sed si Philo per hoc quod fugit Iacob socerum intelligit allegorice quod se separat à corporibus, quorum natura est vt mentem per sensibilia vulnerent, cur dicitur ea fugere? nonne generosi animi esset ea impugnare? cum virium robur non deesset, qui contra Angelum decertauit, & superauit, ad rem respondet cit. Phil. *qui confligendo non poterat ea deuincere modo vincat, maluit fugere, laudandus ce. te hoc nomine,* scilicet quia fugerat, quasi diceret, qui pulcritudinem corporum vult vincere, longe ab eis fugam capiat, vnde erudite prosequitur *si pulchritudine conspecta captus periclitaris, ne offendas ad eam, fuge clam ab eius imaginatione, nihil amplius menti renuntians, hoc est caue mediteris eam & cogitatione repeta, continue rerum scientiæ veras formas imprimendo lædunt mentem & inustam concitant, a que eadem est ratio sensuum omnium quicumque nos attrahunt ad aliquid, subire enim clancularia fuga saluti esse solet, cunctatio dilatioque superat rationem & in seruitutem redigit, quapropter caue animo, ne vnquam rem sensibilem à qua periculum imminet tibi ipsi renunties, neue retractes eam, ne forte succumbens & reddaris infælicissimus, fuge potius.*

Philo Alex. lib. 2. leg. all.

Superbus omnino fugiendus.

99. *Noluit confiteri Iacob socero quod fugeret,* Sep. celauit Iacob Laban Syrum non indicando ei quia fugit, superflua est hæc repetitio *Syri*, erat ne alius Laban præter socerum Iacobi? cur ergo posuerunt Sep. Laban qui erat Syrus, cum nullus alius esset quem fugeret Iacob? aduerte quod Syrus interpretatur sublimis, elatus, non igitur superfluè posuerūt Syrum, sed cum ratione, vt intelligeremus merito fugisse Labā, quia superbus & elatus omnino fugiēdus est, ita cit. Philo. *Syria sublimis interpretatur, itaq; Iacob mens exercitata cum videt affectum humilem, non cedit, reputans fore vt vincat egregie; quando vero videt sublimem & erecta ceruice tumidum aufugit primum ipse, mox singula eius exercitia.*

Philo. cit.

Christus discedit à Prælatis nimium rebus terrenis deditis.

100. *Noluit confiteri Iacob socero suo quod fugeret,* quandonam salutem fugæ commisit? ait textus eo tempore ierat Laban ad tondendas oues: quid not is denotatum quod tondente Laban oues fugiat Iacobus? pluries diximus Iacobo Christum Dominum designari, sicut Labano Prælatum, per hoc quod fugit Iacob cum ouium tonsioni occupatur Laban, nobis declaratur quod Christus discedit à Prælatis nimiū terrenis rebus deditis, hæc moralitas est Guill. Pepi. *per hoc* (inquit) *quod Laban tondente oues fugit Iacob designatur quod vbi Prælati qui per Labā designātur, se nimium occupant circa terrena, quærentes lanam ouium suarum, potius quàm salutē, tunc fugit Iacob, idest Christus.*

Guill. Pep.

Prælati aliquando ita socordes vt Deum ab eorū anima discessisse ignorent.

101. *Noluit confiteri Iacob socero suo quod fugeret,* itaut eo inicio ab eius domo discesserit, quomodo cum ei affinitate coniunctus fuisset Iacob propter Rachelem & Liam, potuit decessum generi ignorum habere? cum à nobis dictum sit Labano Prælatos intelligi sicut Iacobo Christum: asseremus non mirum inicio Laban fugisse Iacob, quia Prælati aliquando ita væcordes vt Christū ab anima discessisse non agnoscant, *sicut Laban,* inquit cit. Pep. *ignorauit exitum Iacob, ita & multi Prælati sunt adeo parum solliciti de salute propria, quod non est illis cura si Dominus fugiat ab eis propter eorum malam vitam & corruptos mores necne, quod si soliciti non sunt de salute propria, an solliciti erunt de salute aliena? scilicet ouium suarum.*

Guill. Pep. in Gen.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXI. & XXII.

VVLG. Cumque ipse abiisset tam ipse quam omnia quæ sui iuris erant & amne transmisso pergeret contra montem Galaad.

Sep. Et aufugit ipse & ipsius omnia, & transiuit flumen & pertransiuit in montem Galaad.

Cald. Et abiit ipse, & omnia sua, & surrexit & transiuit Euphratem & posuit faciem suam contra montem Galaad.

Arias Posuit faciem suam montem Galaad.

VVLG. Nuntiatum est Laban die tertio quod fugeret,

Sep. Nuntiatum est autem die tertia Laban Syro quia aufugit Iacob.

CONCORDIA

CONCORDIA.

HÆc Phrasis Hebraicæ & Caldaicæ posuit faciem suam contra, vel in, vel absolute montem Galaad, bene exprimitur per id quod ait noster vulgatus, pergebat contra montem Galaad; significat enim recte pertexisse ad huiusmodi montem, flumen absolute nominat vulgatus, quod specialiter dixit Euphratem Caldæus.

EXPOSITIO.

CVmque ipse abisset tam ipse, quam omnia quæ sui iuris erant, id est omnia, non solum vxores & ancillas, nec non liberos sed etiam ea quæ suo labore & industria sibi comparauerat, denotat, *& amne transmisso*, nempe Euphrate non miraculose vt aliqui minus bene sentiunt, sed nauiculis, *pergeret contra montem Galaad*, ita dictus per anticipationem, non enim antea hoc nomine insignitus erat, interpretatur aceruus testimonii, hic autem mons fertilissimus est, & herbis odoriferis plenus, ideoque pascuis gratissimus imo etiam amœnissimus.

N*Untiatum est Laban die tertio*, oues enim ad quas tondendas iuerat Laban, distabant trium dierum itinere à ciuitate Aram, apud quam Iacob greges suos pascebat, sic enim dicitur præcedenti cap. quod posuit spatium itineris trium dierum inter se & generum suum, *quod fugeret*, cum liberis & vxoribus nec non omnibus bonis faciebat has quas sibi comparauerat in Mesopotamia.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non sunt fingenda miracula ad libitum.

102. A*Mne transmisso pergeret contra montem Galaad*, Iudæi existimant tantam Iacobi Deum prouidentiam habuisse vt fingant aquas Euphratis exsiccatas fuisse, vt nullo labore eũ pertransiret, sed nonne potuerunt inueniri nauiculæ ad eum transfretandum? quis dubitat? ne dicamus igitur hoc à Deo miraculum perpetratum, quãuis potuisset operari, non enim fingenda sunt miracula sine necessitate, *nec hic necesse est*, inquit auct. Cat. *fingere cum Iudæis miraculum siccatis Euphratis, quod Moyses non tacuisset.*

Lipp. episc.

Qui bona transeuntia conculcat, peruenit ad altissimam virtutis perfectionem.

103. *Amne transmisso pergeret contra montem Galaad*, cur obseruat Moyses quod flumine transfretato, venit ad montem Galaad potius quam in quandam agri planiciem? hic mons est arborum, & aromatum feracissimus, & omnium qui trans Iordanem sunt montium celeberrimus, nec non altissimus, quo designatur eminentissima virtutum perfectio, per flumen autem cuius aquæ perpetuo fluunt motu, veniunt intelligenda bona transitoria & caduca. quo posito recte obseruat Moyses quod amne transmisso, peruenit ad montem Galaad, quia qui bona transitoria & caduca contemnit attinget ad altissimã virtutum perfectionem: ita Phil. Alex. lib. 2. legis alleg. *transeunte rerum transitoriarum flumine qui inundat & mergit affectum, anima pergit ad altam ac sublimem rationem perfectæ rationis.*

Philo Heb. lib. 2. leg. alleg.

Qui vere pœnitet, ad tentationes sustinendas se præparet.

104. *Amne transmisso pergeret contra montem Galaad*, cur ad hunc montem pergit, hoc Euphratis flumine transacto cum alii potius essent in quibus posset commorari? Hugo Carens. tenet per Galaad qui interpretatur aceruus testimonii, designari tentationes, nam testimonia sunt quod fugerit homo à diabolo: sed qua de causa peruenit in huiusmodi montem designantem tẽtationem fluuio transacto? si per amnem transmissum intelligamus sacramentum baptismi vel pœnitentiæ, bene dictum est transire in montem Galaad, quia qui vere pœnitet ad tentationes sustinendas se debet præparare ita est. Hugo. *amne transmisso id est Sacramento baptismi vel pœnitentiæ suscepto venit iustus ad montem Galaad id est ad duras & fortes tentationes.*

Hugo Carens.

Singularem Deus iustorum gerit prouidentiam.

105. *Nuntiatum est Laban die tertio quod fugeret*, quomodo ita longe distat Laban ab Aram ciuitate à qua discessit Iacob si greges commutaret? non sine speciali Dei prouidentia id dispositum est, sed vt tutius & securius in montem Galaad recederet vitaretque primum Labani furorem. ita D. Chrys. *vides proculdubio magnam Dei prouidentiam? quomodo iustus tam procul aufugit, & non concedatur Laban vt eius successum sciat.*

Chrys. ho. 57.

Diabolus satisfactionem nostram sustinere nullo modo potest.

106. *Nuntiatum est Laban die tertio quod fugeret*, scilicet Iacob in patriam, cur solum die tertio, non autem primo vel secundo, ita vt id resciens impatienter omnino tulerit, sicque statuerit eum insequi? nota quod in patriã cœlestem tendimus his tribus, contritione, confessione & satisfactione: bene igitur dictum est quod die tertio fugam Iacobi agnoscens molestissime eam tulerit, quia licet contritionem & confessionẽ nostram indigne ferat diabolus, satisfactionem nullomodo sustinere potest, ita Hugo Card. *prima dies redeundi in patriam ad Isaac contritio, secunda confessio, tertia satisfactio, non reputat diabolus si homo doleat & dissimulet, sed quod opere satisfaciat hoc sustinere non potest, maxime eo quærit in hoc & hoc est quod tertio die nuntiatum est Laban quod fugeret Iacob.*

Hugo Card.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIII.

VVLG. Qui assumptis fratribus suis persecutus est eum septem diebus, & comprehendit eum in monte Galaad.

Sep. Et assumens fratres suos secum, persecutus est post eum viam septem dierum.

Caldaicus cum Paguino Parap. Et tulit fratres suos secum, & persequutus est post eum itinere septem dierum.

Oleast. Et assequutus est eum in monte Galaad.

CONCORDIA.

VErbum דבק Dabath licet significet assequi aut comprehendere, habet etiam significationem coniunctionis vel inhæsionis, & ideo recipienda est versio Oleastri, quamuis minus expressiua quam aliæ.

EXPOSITIO.

QVi assumptis fratribus suis, cognatos vocat fratres more Hebræorum, licet autem solum fratres memoret, non est dubium multos etiam duxisse famulos, nec non amicos, *persecutus est eum septem diebus*, accepto nuntio generi & filiarum fugæ itineri se commisit, cui conficiendo septē dies consumpsit, & tandem *eum comprehendit in monte Galaad*, non enim ita cito Iacob cū pluribus vxoribus & liberis, nec non pluribus gregibus fugere poterat, sicut Laban insequi.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Diabolus sibi seruientes quietos sinit, suum iugum excutientes persequitur.

107. QVi assumptis fratribus suis persecutus est eum, quomodo non legimus Iacobum persecutionem vllomodo perpessum, cum per tot annos obsequiū præstitit Labano, & cū à tribus diebus ab eius domo discessit, non liberatur à persecutione? imo ait textus quod assumptis fratribus persequutus est eum, statim Labanum sensit inimicum & persecutorem, quia qui diabolo per Labanum designato, seruiunt, omnia tuta & quieta sibi fluere arbitrantur, sed cum de illo iugo diabolico excutiendo deliberant, statim dæmonum incursus, minas in se acriter iactatas experiuntur, vnde D. Cyp. lib. 3. Ep. 1. *non impugnat* (inquit) *aduersarius nisi milites Christi, hæreticos prostratos semel & suos factos contemnit, & præterit eos, quæ it quos videt stare.*

Cyp. lib. 3. ep. 1.

Semper iusto timendum & caute viuendum.

108. *Qui assumptis fratribus suis persequutus est eum & comprehendit*, nonne omnē occasionem ademerat? nonne iugum excusserat? nonne flumen Euphratis transmiserat? quomodo comprehenditur? vt satisfaciamus huic difficultati obseruemus quæso quid consulat Paul. ad Eph. 6. hominibus etiam iustis, & post multa certamina de diabolo victoribus, accipite armaturam Dei vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, si confectis omnibus nihil superest faciendum, quid est quod iubeat Apostolus omnibus confectis stare? si iam perfecti sunt, quorsum stabunt? quorsum accipient armaturam? quorsum illam induent? si perfecti ergo & iam debellatis omnibus hostibus victores sunt & triumphatores, cur amplius iubentur stare in acie? aduersus quos hostes? an victi & occisi resurgent armis resumptis? victores ipsos aduersum nihil timentes adorientur? sic plane fiet & contingit hoc quotidie, debellati hostes atque in cineres redacti à prudentibus timeri solent ac debent, sic ait Theop. *omnibus affectibus & prauis cupiditatibus debellatis, & postquam plerique parta victoria ceciderunt, stare addidit, opus enim est post victoriam etiam consistentia, ne victus rursus ad oppugnandum insurgat*, quo notato facile satisfacies, ideo comprehensum Iacobum, quamuis flumen transierit, quamuis montem conscenderit, vt intelligamus iustos sibi timere debere nec vllum securum in hoc mari vitæ procelloso nauigare, vnde optime Chrys. in dictum caput Epist. ad Eph. *oportet & post partam victoriam persistere, nam multi adepti victoriam continuo ceciderunt.*

ad Eph. 6.

Theoph.

Chrys. in 6. c. ep. Pauli

Mundus fugientes insequitur.

109. *Qui assumptis fratribus suis persecutus est eum*, exeat a domo tua, quid tibi curæ? nonne ad patrem suum redire tenetur, cognatosque inuisere? ne igitur eum insequaris, si dictum à nobis fuit Laban typum mundi esse, non miraberis eum Iacob discedentem insequi, mundus enim fugientes suam vanitatem & delicias insectatur, testis est Petrus Rigà in lib. suo de aurora.

Sic mundanus amor premit omni tempore iustos,
Sed diuina manus seruat ab hoste suos.

Petrus Riga presbyter.

Diabolus à se recedentes omni vitiorum genere tentat.

110. *Qui assumptis fratribus suis persequutus est eum septem diebus*, cur solus non persequitur, & cur triū vel quatuor dierum persecutione non est contentus? cur septem dies consumit? Hugo Carens per ipsum Laban diabolum, per fratres eius alios spiritus prauos, iuxta illud Luc. vndecimi *assumit alios spiritus nequiores se*, per septē dies septē peccata capitalia, quo numero omnia comprehenduntur: ne inquiras ergo cur non solus, sed assumptis fratribus

Luc. 11.

tribus suis, non duobus aut tribus, sed septem diebus persequutus est Laban Iacobum, quia diabolus non quomodocumque, sed omni conatu suo, non vno, sed omni vitiorum genere à se discedentes aggreditur. ita cit Hugo Carens. *diabolus illum qui recedit ab eo fortius persequitur, omni vitiorum genere tentans eum, nunc de isto, nunc de illo, septem diebus autem quibus iustum insequitur septem sunt peccata mortalia.*

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIV.

VVLG. Viditque in somnis Deum dicentem sibi, caue ne quidquam loquaris aspere contra Iacob.

Sep. Venit autem Deus ad Laban Syrum per sõnum nocte, & dixit ei, custodi te, ne forte loquaris cum Iacob mala.

Cald. Et venit verbum à facie Domini ad Laban Syrum in somno noctis, & dixit ei, caue tibi ne loquaris cum Iacob à bono vsque ad malum.

Pag. Venit Deus ad Laban Aramæum in somnio noctis, & dixit ei, caue tibi ne forte loquaris cum Iacob à bono vsque ad malum.

Oleast. Sis custoditus tibi.

Lippo. Ne loquaris ad eum bonum vt reducas eum, neque malum vt noceas ei.

CONCORDIA.

Phrasim Hebraicam mutarunt Septuaginta, tamen eundem sensum habent, nam ne loquaris à bono vsque ad malũ idiotismus est linguæ idest non loquaris cum eo aliquid quod illi displiceat, quo loquẽdi modo nos vtimur, nolo tecum bonum aut malum idest nolo tecum contendere.

EXPOSITIO.

Viditque in somnis sibi dicentem Deum, idest Angelum Domini, *caue ne quidquam loquaris contra Iacob*, statuerat enim eum bonis & facultatibus spoliare, nec non verbis & forte verberibus offendere, nec non durius cum eo agere, odijs in eum armisque instructus.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus tantam iustorum curam habet, vt etiam solicitus sit, ne quisquam eis etiam in verbis noceat.

111. *Caue ne quidquam loquaris cum eo malum*, nonne sufficiebat quod ei præciperet Deus, vt eum vel non percuteret, vel non offenderet: cur iubet vt nec malum quidquam loquatur? quia Deus tantam iustorum curam agit, vt etiam sollicitus sit ne quisquam eis etiam in verbis noceat, ita Seraphinus Porr. *in quo parum quis alicui nocere possit sunt verba, stando pracise in illis respectu factorum, nam verba volant aerem verberant, sed hominem minime, cum ergo Deus dicat ipsi Laban ne offendat in verbis ipsum Iacobum, maximam de suis custodiam ad defendendum illos monstrauit.*

Seraph. Porr.

Deus quodammodo iustis obsequitur.

112. *Caue ne quidquam loquaris cum eo malum*, diximus ex hoc habere Deum tantam iustorum prouidentiam, vt etiam solicitus sit ne quisquam eis etiam in verbis noceat, sed vt curam Dei erga iustos extollamus, aliquid ex prædictis verbis amplius ne inferre possumus? maxime equidem, nempe Deum etiam iustis obsequentem & seruientem ita cit. Seraph. *hinc habes* (inquit) *quod beati sunt omnes qui seruiunt Domino quoniam sibiipsis quodammodo seruientem habebunt.*

Seraph. Porr.

Deus vult vt iustus agnoscat curam quam illius gerit.

113. *Caue ne quidquam cum eo loquaris malum*, nonne satius fuisset ei præcipere domum suam regredi, & non vlterius progredi? impera igitur vt redeat, aduerte si præceptum regressus accepisset, haud hoc cognitum habuisset Iacob: bene igitur permittit vt Iacob conueniat, & ei non aspere sed pacifice loquatur, vt agnosceret Iacob quantam sui Deus curam gereret, ita Chrys. *considera Dei prouidentiam non imperauit Laban, vt ad proprium reuerteretur sed solum prohibet ne quid durum ac molestum cum iusto loquatur; quare & propter quid? vt discas per opera sua iustus quantam sui curam gerat Deus nam si reuersus fuisset Laban, vnde sciuisset Iacob & vxores? ideo permittit ei vt abeat & lingua sua confiteatur quæ Deus dixit ad se quo & iustus maiorem alacritatem habeat proficiendo fiduciamque accipiat.*

Chrysost.

Peccatorũ nomina silentio prætermittantur.

114. *Caue ne quidquam loquaris*, nonne appellatur Laban? an eius nomen ignoras? cur ergo non ait ei Deus caue Labã, nã alloquens eius generũ Deus proprio nomine vocauit? ne mireris Deũ nominasse Iacob, illius autẽ nomen Labani, quia peccatores etiã indigni sunt qui nominentur à Deo, *non audiuit* (inquit Rup.) *se vocantem ex nomine vt vocare solitus erat Iacob, nec enim eius erat meritis quod eum nosset Deus ex nomine, sed tantummodo vidit scilicet iratum Deum comminantem & dicentem, caue.*

Rupertus.

Si Deus aliquem fauorē peccatoribus impendere videtur, hoc in gratiam non eorum, sed iustorum rependit.

115. *Caue ne quidquam loquaris*, cur homini indigno appares, aut cum homine peccatore sermonem miscens? cur ab idololatra longe nō recedis? indign' est tuo colloquio, ne Deum accuses immeritum alloquentem, si enim Deus aliquem peccatoribus fauorem impendere videtur, hoc in gratiam non eorum, sed iustorum rependit, fauet cat. Græca, *quando Deus ad viros minime laudatos ac probos venit, id in gratiam sanctorum suorum facere dicendus est, vt ad Laban propter Iacob, ad Balaam propter populum suum Israel.*

Cat. Græca.

Tunc Deus specialius iustis adest dum periclitantur.

116. *Caue ne quidquā loquaris aspere contra Iacob*, cur tunc ei imperium imposuisti, non autem cum apud eum commorabatur Iacobus? nonne tunc armis & odiis aduersus Iacob Laban incedebat vindictam sumpturus ex eo quod e domo sua cum facultatibus & vxoribus discessisset: merito igitur tunc hoc ei præceptum imposuit, quia Deus specialius iustis adest cum in aliquo eminenti discrimine versantur: *vides* (inquit Lipp.) *quod nusquam Deus præsentior est fidelibus, quam dum grauius periclitantur, non enim dormit qui custodit Israel, terret malos ne bonos offendant.*

Lippomanus.

Difficile est maledici frænare linguam.

117. *Caue ne quidquā loquaris aspere*, vel durius *contra Iacob*, non solum facta & violentiam, sed etiam verba prohibet, sed Deus nōne Angelum mittit, vt irati hominis coerceat linguam? cur ipsemet apparet vt frænum illi iniciat? aduerte Labanum voluisse furti & rapinæ arguere Iacobum, ipsemet igitur Deus secundum aliquos apparet, quia adeo difficile & arduum est opus effrænem maledici præsertim irati hominis cohibere linguam, vt necesse sit ipsummet Deum illius linguam coercere.

Cum inimico reconciliato agendum est caute.

118. *Caue ne quidquam loquaris aspere contra Iacob*, in Hebræo, caue ne loquaris à bono vsque ad malum, quasi à malo homine (qualis erat Laban) & litigioso & iracundo, nec boni quicquam, imo nec etiam auie oporteat accipere, vetus est, nolo quicquā beneuoli anneceque loquaris Iacob, cuius ergo illum retrahis, aut tamē tecū sit in pristinam redeat amicitiam: et à Deus non permittit vt ad pristinam Iacob Labani amicitiam redeat, cum contulat Deus vt omnes nos amore prosequamur? vt nouerimus expedire nonnunquam Deique voluntatem ita disponere, vti cum aliquibus nec commorandum nec colloquendum sit sine vllo dispendio charitatis, fauet Abulensis in primi Regum capitis vigesimi, quarti *quanquam tenemur inimicis veniam petentibus parcere, non tamen tenemur illis credere, nec redire in pristinam amicitiam, etiam si petant, si credimus quod non seruabant legem promissam, quod patet ex cit. loco Reg. vbi dicitur quod abiit Saul in domum suam, & Dauid & viri eius ascenderunt ad tutiora, quamuis rex promitteret nihil amplius mali molitu... aduersus Dauid.*

Abul. in 1. Reg. cap. 24.

Periculosior est tentatio hostis nostri blandientis quam territantis.

119. *Caue ne quidquam loquaris aspere*, ex Hebræo, caue ne loquaris à bono vsque ad malum, hoc est inquit Isidorus Clarius *ex sententia Hebræorum non loquaris ad eum bonum, vt reducas eum, nec malum vt ei noceas*, agit enim mundus contra Dei seruos & minis, & illecebris terret allicitque, in vtroque perfidus: sed cur prius ponitur ne loquaris bonum quam malum? quia longe periculosior est tentatio blandientis quam minantis, & ideo potius prima cauenda quam secunda.

Isidorus Clarius.

Inuidia ita obtenebrat mentem, vt quæ aliis debemus asseramus eos nobis ea debere.

120. *Caue ne quidquam loquaris aspere*, quid putabimus Laban genero suo exprobraturum fuisse nisi somno diuinitus immisso prohibitus fuisset? an ingratitudinem tot beneficiorum in illum collatorum, & pristinam paupertatem inopiamque quam ipse suis opibus à Iacob profligasse se dici volebat? cum voluptas sit ingrato merita exprobrare: sed nonne erat Laban plurimum Iacobo obnoxius, nec minoribus illi quam Iacob ipsi beneficiis deuinctus erat, nec ignorabat Labā pecuniam suam vigilantia & sudore generi sui intégriter multiplicatam: quomodo ergo ei suam exprobrasset ingratitudinem? vere satisfacit Hamer. *Laban oculos vsque adeo inuidiæ tenebris, vt præ inuidia haud quaquam sui compos, suam Iacob merita exprobraturum pergeret, interim oblitus qua in illum Iacob contulisset.*

Guillelmus

Odiosum est beneficia collata exprobrare.

121. *Caue ne quidquam loquaris aspere contra Iacob*, si vt diximus solum ei exprobrasset, ingratitudinem vel paupertatem sublevatam, cur impedit Deus illam ei obiicere? quia nihil ita odiosum est qua beneficiorum collatorum exprobratio, *Deus* (inquit cit. Hamerus) *Iacob verecundiæ consulens effrænem Laban animum compescuit, monuitque vt à verborum intemperie & ab ingratitudinis paupertatisque pristinæ exprobratione temperaret, est enim odiosum sane genus hominum officia exprobrantium qua meminisse debet is in quem collata sunt non commemorare, qui contulit, lacerat animum, & premit frequens meritorum commemoratio, sed & extremum scelus est paupertatem inopiamque alicui exprobrare, quod raro Deus inultum esse sinit.*

Guillelmus Hamerus

Non tentamur supra id quod possumus.

122. *Caue ne quidquam aspere loquaris contra Iacob*, alii, caue ne durius loquaris ei, Labano mundum vel aduersarium nostrum designatum dicimus, cur impedit eum ne durius se habeat cum Iacob? si enim quanto quis durius certamen sustinet eo nobiliorem coronam possidet, si Iacob victor euadit præmium eximium obtinebit; permitte igitur vt cum eo Laban non solum verbis, sed etiam factis agat durius: hoc non permittit Deus quia non patitur tentari vltra id quod possumus, 1. Cor. 10. quæ verba expendens Hier. ait, *non ampliorem nobis tribulationem venire patitur, quam sustinere possumus.*

Hier. 1. Cor. 10.

VARIETAS

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXV. & XXVI.

VVLG. Iamque Iacob extenderat in mõte tabernaculum, cumque eum consecutus fuisset cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium.

Sep. Iacob fixerat tabernaculum suum in monte, Laban autem statuit fratres suos in monte Galaad.

Cald. Laban collocauit fratres suos in monte Galaad.

Pag. Et Laban fixit cum fratribus suis in monte Galaad.

VVLG. Dixit ad Iacob, quare ita egisti, vt clã me abigeres filias meas tanquam captiuas gladio?

Sep. Quid fecisti, vt quid occulte aufugisti & furatus es me, & abduxisti filias meas quasi captiuas gladio?

Caldeus Quid fecisti & celasti à me & duxisti filias meas.

Pag. Quid fecisti & furatus es cor meum.

Oleast. Quid fecisti vt furateris cor meum & minare fecisti filias meas?

CONCORDIA.

Licet sit idem sensus apud Septuaginta in his verbis, statuit fratres suos in monte Galaad, ac cum illis nostri interpretis scilicet fixit tentorium, attamen verbum תקע taka proprie figere & tendere significat.

De hac phrasi Hebraica nempe furatus es cor meum, superius diximus, quæ nihil aliud denotat nisi quod me inscio & inconsulto fugisti, verbum נהג naag licet minare significet, magis proprie autem ducere denotat.

EXPOSITIO.

Iamque Iacob extenderat in monte tabernaculum, locum enim optimum pascuis comperit, & ideo vt greges suos parumper à labore itineris recrearentur, voluit in hoc monte Galaad aliquamtulũ commorari *cumque consecutus eum fuisset cum fratribus suis & cum* attigisset eum Laban cum cognatis suis in eodem monte *fixit tentorium* vt cum eodem fœdus iniret & pacifice loqueretur.

Quare ita egisti? cur mecum ita te gessisti, potius enim hostis personam quam generi refers, *vt clam me inconsulto abigeres filias meas quasi captiuas bello,* sicut videlicet pecudes furto à prædone abiguntur, & bello capti ante currus victoris trahuntur serui, sic filias meas charissima pignora tanquam captiuas tecum duxisti, non tanquam vxores.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Magnam vim habet imperium Dei etiam erga impios.

123. *Cum consequutus eum fuisset in eodem monte fixit tentorium*, cur sciens ibidem esse Iacob armata manu in eum non irruit, vindictam ab eo exigens, quod ita fugam arripuisset? reuoca in memoriã imperiũ factum Labano de non offẽdẽdo nec etiam in verbis asperioribus lædẽdo Iacob: ne scisciteris igitur cur solũ pacifice fixit tentoria: quia magnam vim habet imperium Dei etiam erga impios: quod obseruat Abul. *ex hoc patet quod iam Laban non erat serus vt ante fuerat cum incepit pergere Iacob, quia non irruit in eum subito vt hostis, sed fixit castra in eodem monte vt pacifice loqueretur, & pactum inirent,* & Lipp. *vide quomodo propter visionem prædictam non est ausus Laban inuadere Iacob.*

Abul.

Diabolus in cruce Dei filium agnouit.

124. *Cum consequutus eum fuisset*, nempe Iacobum qui iam extenderat tabernaculum suum in monte, hoc exponens mystice Hugo Card. ait, Christus extẽdit tabernaculum suum, idest corpus, in monte, idest in cruce Psal. 18. in sole posuit tabernaculum suum, idest in feruore persecutionis & tribulationis corpus suum, sed si Labano humani generis aduersarius intelligitur, quomodo verum esse potest quod Iacob est consequutus? quomodo enim diabolus Christum Dominum consequi potuit? consequutus est eum tunc, quia inquit cit. Card. *tunc primum agnouit ipsum esse filium Dei, vnde sicut per mulierem totum genus humanum perdidit ita vxorem Pilati totius generis humani salutem visus est impedire, quando misit eam ad Pilatum, quæ dixit nihil tibi & iusto illi, multa enim sum passa hodie per visum propter ipsum.*

Hug. Card

Psal. 18.

Iratus animus difficile sibi temperat.

125. *Quare ita egisti vt clam me abigeres filias meas &c.* cur abductas filias à Iacob quereris, non vti vxores sed vti mancipia bello capta, non ad coniugalem vitam sed ad ferendam seruitutem cum falsissimum sit eas secum hoc modo duxisse, cum potius nihil eis inconsultis egerit, ne mireris ita falsò & indigne loquutum, iratus enim animus qualis erat Laban difficille sibi temperat quin opprobria effutiat, audiamus hoc à Ioseph libro primo antiquitatũ capite decimo nono *sequenti Luce Labanus Iacobum ad colloquium euocat, non dissimulans oraculum, cumque ille fidei eius se commisisset, cœpit hominem accusare, exprobrans quod pauperem, omniumque egenum suscepisset, & de suis facultatibus abunde ipsi suppeditasset, propterea filias inquit tibi*

Ioseph. lib 1. antiq cap. 19.

coniunxit putans hoc pacto beneuolentiam erga nos tuam fore firmam, ita vero nec matrem tuam, nec communem sanguinem, nec vxores tuas apud me ductas, nec liberos quorum ego auus sum, reueritus, non aliter quam hostem me tractasti, respuisti mea bona, & quæ vix hostis hosti faceret, tu cognatus e sorore nepos generque hostis vt domesticus conuictor mihi fecisti.

Diuina adiutis prouidentia nihil aduersi contingit.

126. *Quare ita te gessisti?* verba ne proferas, sed verbera porrige aduersus hominem, clam filias tanquam captiuas abducentem vt asseris; nonne præceperat ei Deus vt ne aspere quidquam eloqueretur? non verbere aut gladio igitur eum percussit, quia diuina adiutis prouidentia nihil aduersi contingere potest: ita Chrysost. *vide quomodo Dei præceptum magnum illius calorem repressit, quando enim diuina prouidentia nobis assistit, non solum malorum hominum insidias aufugere possumus, sed & si in bestias incidamus nihil aduersi nobis eueniet, omnium enim Deus suæ virtutis abundantiam declarans, & bestiarum mutat naturam & in oues mansuetas transformat, non quod bestialem eis naturam prorsus auferat, sed relicta ad tempus natiua eas ostendere facit ouium morem & naturam.*

Chrysost.

Habitus mali non facile reprimuntur.

127. *Quare ita egisti vt clam me abigeres filias meas tanquam captiuas gladio?* nonne imperauerat ei Deus vt nihil asperum contra eum loqueretur? quomodo igitur indigna & falsa ei obiecit? quomodo in opprobria consurgit & calumnias adinuenit cum ab oraculo Dei prohibitus fuerit a iurgio & violentia? quia cuiuis homini arduum est vt innatam animi passionem, aut omnino reprimat, aut saltem moderetur.

Impius alios similiter iudicat peruersos.

128. *Quare ita egisti vt clam me abigeres filias meas tanquam captiuas?* quid ais Laban? nonne amantes vxores dilectum maritum sequuntur? cur ergo eum tanquam tyrannum arbitraris? tum nonne tu dolis in aliquemque sicut prædo ac violentia ferocitateque tyrannus filias incognitas viro tradidisti, nec non substantiam viri sudoribus comparatam surripere molitus es, imo eripuisti: cur igitur innocentem accusas Iacobum? prædonem vocas? tyrannum inclamas? quia ea est peruersorum hominum conditio, vt quod mali & peruersi perpetrant aliis obiiciunt & imputant: quod obseruat D. Aug. in Psal. 65. *vide ne forte quod reprehendis in alio cogites facere, & ideo in illum inclamas non quia fecit, redi ad te intus, esto tibi iudex.*

S. Aug. Psal. 65.

Impius culpam suam reiicit in pios vt odio habeantur.

129. *Quare ita egisti vt clam me abigeres filias meas tanquam captiuas?* nonne tua fraude induxisti Iacobum in fugam? nonne odiis & calumniis in eum impulisti & quasi coegisti, vt a domo tua discederet? cur ergo eum arguis quod discesserit? cur eum fugæ accusas? quia impius suum crimen in pium reiicit vt odio habeatur, *quamuis sciret* (inquit noster Ferus) *se perfidia sua dedisse causam iusto fugiendi, ingenue tamen dissimulat & omnem culpam in iustum reiicit, & cum deberet deprecari culpam ac iustum reconciliare, vltro eum arguit, sic mundus sua peccata dissimulat, & omnem culpam in pios reiicit: sic Achab Eliam criminatur, quod turbaret Israel, 3. Reg. 18. cum ipse impius rex peccatis suis esset causa malorum.*

Noster Ferus.

3. Reg c. 18.

Mundus delitias suadet.

130. *Quare ita fecisti vt clam me abigeres filias meas?* Philo addit, cur inscio me fugam molitus? cur increpas fugientem, cum iure merito à domo tua discesserit, timens ne calumniis filiorum persuasus, aliquid infelix in eum auderes moliri? quod considerans est. Phil. ait, quia sensus amat Laban, cosque magis in actionibus suis quam mentem sequitur, & increpat: cur inscio me fugam molitus: quibus ergo studiis velles Laban Iacobum deditum? *vt maneret* (inquit) *in delitiis corporis opinionibusque quæ ad corpus pertinent, & res externas diiudicant.*

Philo.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVII.

VVLG. Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & cytharis?

Sep. Si annunciasses mihi, dimisissem vtique cum lætitia, & cum musicis, tympanis & cythara,

Cald. Quare occulte abiisti, & celasti à me, & non indicasti mihi vt dimitterem te cum gaudio?

Pagninus Vt quid abscondisti te vt fugeres & furatus es me, & non indicasti mihi, & dimisissem te cum lætitia?

CONCORDIA.

PLura quam apud Sep. scilicet cur ignorante me fugere voluisti? sed ideo ea repetere noluerunt, quia in præcedenti versu hoc idem posuerunt, tamen repetitiones istæ non sunt superfluæ, magni enim doloris exprimunt acerbitatem.

EXPOSITIO.

CVr *ignorante me fugere voluisti*, me etiã insalutato discessisti, quod attẽtare nõ debueras *vt prosequerer te cũ gaudio &c.* hoc dixit Labã, quia veterũ cõsuetudo erat nõ solũ hospites humaniter excipere, verũ etiã abeũtes sũma cũ humanitate prosequi: hãc igitur veterũ ciuilitatẽ in abeũtes hospites significat Laban, qua se Iacob consilio defraudatum queritur quod se inscio profectus est.

CONCEPTVS

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Impii opportunam benefaciendi occasionem non accipiunt.

131. *CVr ignorante me fugere voluisti &c. vt prosequerer te cum gaudio & canticis &c.* infensum genero suo semper se exhibuit Laban, eaque de causa se ab eius domo clanculum subducens, in terram suam ire contendit, fugientem tamen assequutus sic cum illo disceptat, te prosequeror cum gaudio, itane modo? opportuno tempore per viginti annos seruiui tibi, inquit Iacob, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus, immutasti quoque mercedem meam? ac si diceret, nunquam mihi vel vnam lætitiæ horam per longissimum viginti annorum spatium dedisti, sed omni modo molestus & dura tractatione vexasti, & tam gratum mihi ac iucundum modo te præbes, cum benignitatis tempus minime adest, quam ergo amens essem si tibi fidem adhiberem: à ita ad hæc verba sic pensitante Oleast. *impii nunquam didicerunt bona facere, nisi cum non est tempus faciendi.*

Oleaster.

Cantus & musicæ dissonæ & inhonestæ non sunt admittendæ.

132. *Cur ignorante me fugere voluisti &c. vt prosequerer cum gaudio & canticis,* Sep. cum musicis, quid huic congratulationi respondes Iacob? an ita ingratus vt saltem ei gratias non rependas? sed ne Iacobum arguamus ita animi ingrati, sic enim eum respondentem introducit D. Amb. Ep. 4. ad Irinæ. quomodo (inquit) me dimisisset? an cum lætitia tua quæ plena est mœstitudinis, cum tympanis scilicet atque organis immoderata postulantibus ex sonis tibiarum suauibus insuauia resultantibus, sonis dissonis, crepitibus discrepantibus vocibus, mutis cymbalis animam ferientibus: hæc sunt quæ ego fugi: sed cur ea fugisti cum auribus sint gratissima? quid enim iucundius quam musica suauis? quidue suauius cantu sonoro? nihilominus respondet, hæc sunt quæ ego fugi, quia sunt libidinis fomẽta, quia ex eis morũ peruersitas oritur, si sint profana: legendus est D. Antonin. 3. p. tit. 18. c. 5. §. 4. vbi docet nihil potentius esse ad eneruandam animam quam lenocinũ melodiæ sic ac cõcludit, *difficile aliquis inuenitur leuis vocis & grauis vitæ, quippe cum vocis leuitas cantum desideret, & vitæ grauitas planctum, vide infinitos tam viros quam mulieres tanto peioris vitæ quãto melioris vocis.*

S. Ambr.

S. Antonin. 3. p. tit. 18. cap. 5. 4.

Impii musicæ profanæ amantissimi, iusti econtra.

133. *Cur ignorante me fugere voluisti &c. vt prosequerer te cum canticis & tympanis & cytharis?* cur tot instrumenta quibus delectaris, memoras, cum ea inuisa & ingrata habeat Iacobus? sed ô Iacob, cur ea non habes in pretio cum ea socer tuus habeat gratissima? ne hoc inquiras quæso, cum scias impios musicę profanæ amantissimos & cupidissimos, probos autem eam ferre moleste eisque iniucundam esse, hoc audiamus à D. Basil. ad illa verba Isa. 6. væ qui consurgitis mane ad ebrietatẽ, *cythara,* (inquit) *psalterii inuentor fuit Iubal qui ex genealogia fit iis connumeratis, nempe ex Cain prognatus fuit: eiusmodi musices ac cytharæ fuit amator Laban, sed eam auersatur Iacob vt quæ impedimento sibi futura esset ad inspicien-dum opera Domini.*

Basil. in Isa.

Profani cantus sunt diabolica inuenta quibus repellendis diuina harmonia adhibita.

134. *Cur ignorante me fugere voluisti &c. vt prosequerer te cum canticis,* diximus his non delectatum canticis quia profana erant, quæ audire non consulit Hieronymus scribens in Epist. ad Furiam, cantor (inquit) pellatur vt noxius, fidicinas & psaltrias & istiusmodi chorum diaboli quasi mortifera syrenarum carmina depelle ex ædibus tuis, sed si cantica ita vitari suadent sancti, & Iacob ea inuisa habuit, cur Deo cantica persoluimus? imo cur ea iubet in laudem suam decantari? quia profanis canticis repellẽdis necesse fuit diuinam harmoniam adhiberi, *ne* (inquit D. Amb. in Psal. 41.) *dæmones lasciua & meretricia cantica introducentes omnia euerterent, psalmos Deus construxit vt ex eis simul caperetur vtilitas & voluptas:* & paulo post, *quemadmodum vbi est cœnum eò porci concurrunt, vbi autem sunt aromata & suffitus apes illic habitant: ita quidem vbi sunt meretricia illuc congregantur dæmones, vbi autem cantica spiritualia illuc aduolat Spiritus gratia & os sanctificat animam.*

S. Amb. in Psal. 41.

Peccator quamuis liber, seruus est, iustus autem quamuis seruus videatur, liber est.

135. *Cur ignorante me fugere voluisti &c.* cum non deceat hospites insalutatos relinquere, cur Iacob prius facultatem abeundi non postulauit, & salutato tandem hospite recessit? suspicabimur te facultates soceri tui expilasse, cum eo initio fugæ te cõmiseris: nonne vidimus Labanum peccatorem esse? quo posito, sic Amb. Ep. 4. *multorum dominorum mancipio se subiicere non debuit vt ab eo tanquam seruulus dimitteretur,* quasi diceret, Laban mancipium erat, quia seruiebat peccato, Iacob vero liber, quia seruiebat Deo, non debuit igitur liber subiici seruo, præsertim in iis quæ ad Deum pertinent, discessus autem Iacobi à domo Laban à Deo imperatus erat.

Amb. ep. 4.

Via ad cœlestem patriam non voluptas aut delitiæ profanæ.

136. *Cur ignorante me fugere voluisti &c. vt prosequerer te cum gaudio & canticis?* quid ais Laban? nonne compertum tibi est Iacob tendere in terram promissionis, gloriæ typum? cur igitur musicas, cantus, pompam & acclamationes offers? ne mireris, infidelis enim homo cum esset, arbitrabatur potius iucundam delitiis plenam, quam laboriosam vitam à Iacobo pergente ad patrem Isaac denotantem cœlestem, sed errabat demens, via enim ad gloriam, non honor, non pompa, non voluptas, sed persecutio, sed tribulatio, fauet Diuus Ambrosius epistola quarta ad Irin. *non talibus deductoribus nempe canticis, tympanis, gaudio ad Ecclesiam Christi peruenitur,* adde nec gloriam, *ad quam tendebat Iacob fugiens vmbram inanium rerum, præferens insensibilibus simulachris virtutum spirantem decorem, plausibilibus præponens seria,* credidit non inmmerito Iacob nemini ad cœleste regnum viam per prospera, sed potius per aduersa muniendam.

Amb. ep. 4. cit. ad Irin.

Hospites non solum cum lætitia excipiendi, sed cum prospera acclamatione remittendi.

137. *Cur ignorante me fugere voluisti &c. prosequerer te cum gaudio & canticis:* nonne suscipiebat Iacobum egenum excepisse & pauperem maxima cum humanitate? cur ergo asseris te, si notus fuisset tibi eius recessus, è domo tua, cum maxima lætitia eum dimissurum? quia hospites non solum accedentes cum lætitia excipiendi, sed abeuntes cum prospera & fausta acclamatione dimittendi, ita Guill. Hamer.

Guill. Ham. *liquet ex multis locis veteres, hospites non solum comiter tractasse, verum etiam summa cum humanitate prosequutos.*

Impii peruersam voluntatem blãditiis abscondũt.

138. *Cur ignorante me fugere voluisti &c. prosequerer te cum gaudio & canticis,* cur ita loqueris, cum in mente haberes eum suis facultatibus spoliare, nec non durissime cum eo agere? quid commune habet odium & arma, cum musicis & tympanis? ne dicas ergo te prosequuturum generum cum gaudio & cytharis; hæc est impiorum conditio, vt peruersam voluntatem blanditiis operiant, & sic facilius circumueniant, quod obseruare videtur Rupert.

Rupertus. *hæc dicens cauit quidem iuxta comminationem Dei, ne loqueretur quidquam durius contra Iacobum, sed ipsam cautelam suam mendacio fatuauit, itaut manifeste ex ore suo elargienda [illegible], sic enim hæc illum cura angebat, quod non sinisset passus Iacob vt prosequeretur se cum gaudio & canticis, nam illum sicut ipse fatetur corripuit Deus, ne quidquam durius loqueretur [illegible] confidens Deo & [illegible] merito clientis dignam sibi satisfactionem [illegible] ob. [illegible].*

Mundus hypocrita.

139. *Cur ignorante me fugere voluisti &c. persequerer te cum canticis & gaudio;* nonne impudentissimus est in talia prorumpens verba, cum si in tua situm esset potestate, durissime cum Iacob te gereres; cur ergo blanditias simulas, vbi immanitas est? cur amorem fingis cum plenus sis odio? nonne diximus typum mundi fuisse Laban? ne mireris igitur ita dissimulantem Laban, mundus enim vere hypocrita est. *Laban fingit se amicum,* inquit Andreas, *cum tamen hostis esset, deduxissem inquit te cum gaudio, sic mundus aliter loquitur, aliter sentit; væ duplicibus corde.*

Impii sic iustum abhorrent, vt licet eis sit maxime vtilis, a se tamen eum eliminare desiderant.

140. *Cur ignorante me fugere voluisti? prosequerer te cum canticis & gaudio,* mirabile quidem, quanam fronte hæc audet proferre homo auarus, auri rerumque cupidissimus, Iacob domi suæ commorans, eum ditauerat, beatũque in terrenis effecerat, confessus ipsemet insuper quod Dominus eum benedixerat, propter illius diligentiam, strenuitatem, & fidelitatem, nec non fœlicitatem eius in pascendis gregibus agnoscebat, & tamen hoc non obstante ait, quod si ei profectionem indicasset, cum canticis & cytharis eum prosequutus fuisset, permisisset eum abire nulla interposita mora. cur hoc quæso? vnde tanta cæcitas & dementia, nisi ex iustitia Iacob & iniquitate Laban? Iacob iustus, Laban iniquus, dissimilitudo ergo vitæ in causa fuit, vt nequaquam in domo vnâ habitare simul possent, vnde lætanter cum gaudio, cum canticis eum dimisisset, etiam si inde & infinita ex profectione Iacob euentura ei incommoda essent, quia nullum impiis maius incommodum quam cohabitatio bonorumque aspectus, ob vitæ dissimilitudinem.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXVIII.

VVLG. Non es passus vt oscularer filios meos & filias, stulte operatus est, & nunc quidem.

Sep. Nec sum dignus habitus osculari paruulos meos & filias meas, nunc autem imprudenter egisti.

Cald. Et non permisisti me;

Pag. Et non dimisisti me nunc stultè egisti faciendo.

Arias Nunc stulte egisti facere.

CONCORDIA.

Solum habemus stulte operatus es, sed in Hebræo additur עשו aso faciendo, sed cum sit hebraismus, sonans apud nos meruditè, omittitur. verbũ סכל sacal imprudenter, stulte, vel sine consideratione aliquid facere significat.

EXPOSITIO.

Non es passus, non permisisti vt oscularer filios meos, quia autem erat filiorum Iacob, & ideo filios suos nominat & filias suas nempe Rachelem & Liam, osculabantur autem se inuicem parentes in signum amoris, cum ab inuicem separabantur. *stulte operatus es,* scilicet me inscio fugiens & non permittens omni cum humanitate te cum vxoribus & familia dimittere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Prudentia piorum stultitia impiis videtur esse.

141. Non es passus vt oscularer filios meos stulte operatus es, cur eum imprudentem, esse asseris cum prudentem mirari deberes? nam discretio est non exigua familiæ suæ consulere, vxorũ & liberorum curam gerere, Dei iussa exequi, si attente generum consideres Deo imperanti obtemperasse

rasse, [illegible] alienæ agnosces, ne dicas [illegible] stulte operatum: imprudentem insomnius [illegible] clamat, quia prudentia piorum impiis videtur esse stultitia: fauet noster Ferus, *[illegible] stulte egisti, [illegible] eum stultum videri [illegible] faciunt, non stulte egit iustus patriam repetendo.*

Noster Ferus.

Stultus peccator alios similiter dementes esse iudicat.

142. *Non es passus vt oscularer filios meos, stulte operatus es*, si attente consideremus opera Labam vt deos colere plures, cum vnus sit cœli & terræ Deus, mercede fraudare benemeritos, non stare promissis, opprobriis innocentem persequi, nonne dicemus hanc meram demẽtiam? cur igitur iudicem expertem & stultum proclamat Iacobum? quia stultus peccator alios similiter mente captos iudicat & arbitratur.

Labores iustorum quasi labores sunt, sed verum gaudium, vera libertas.

143. *Non es passus vt oscularer filios meos & filias*, de quibus antea loquens dixerat, quare ita egisti, vt clã abigeres filias meas quasi captiuas gladio? cur non dixit absolute captiuas, sed quasi captiuas? nam pura calumnia erat quod quasi captiuæ abducerentur, licet impie maleque cogitasset, proprie tamen & sciens est loquutus, nam vere non captiuæ, sed quasi captiuæ videbantur abduci, verum captiuæ non tamen erant, sed Dominæ, sed vxores, sed in delitiis habitæ, vnde labores illi [illegible] domus paternæ itineris ardui, vtrique sequelæ, non vere erant labores, sed requies, non vere captiuitas sed quasi captiuitas, imo potius libertas, quod perlucide dixit Augustin. in Psal. 48. in illa verba, verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi cum acceperit me, vbi postquam dixit in hac vita nihil aliud [illegible] laborem, pressuram, tribulationẽ, [illegible] labor, pressura, tribulatio, tentatio, [illegible] speres, tamen gaudendum allerit in spe futura, iuxta illud dictũ Apost. 2. ad Corinth. 6. semper autem gaudentes, quod quomodo [illegible] impossibile, semper in tantis gaudere tribulationibus, respondet quia sanctorum mœstitia in illis non est vera mœstitia, sed quasi mœstitia, non vera tristitia, sed quasi tristitia, non vera captiuitas, sed quasi captiuitas, ob quod Apost. dixit quasi tristes, semper autem gaudentes, *tristitia nostra*, inquit sanctus, *habet quasi, gaudium nostrum non habet quasi, quia [illegible] quare tristitia nostra habet quasi, quia sicut somnius transit, & dominabuntur recti in mane, nouit enim charitas vestra, quia [illegible] indicat addit quasi, dicebam quasi loquebar, quasi prandebam, quasi equitabam, quasi disputabam, totum quasi, quia cum euigilauerit, non inuenit quod videbat, quasi thesaurum inuenerat [illegible] mendicus, [illegible] quasi non esset, mendicus non esset, sed quia quasi erat, mendicus est: itaque modo qui ad lætitias sæculares oculos aperiunt & cor claudunt, transit quasi eorum, & venit verum ipsorum, quasi ipsorum fœlicitas est seculi, iterum ipsorum pœna est, nostrum autem quasi, tristitia est, gaudium nostrum non est quasi, non enim ait Apostolus quasi gaudentes, semper autem tristes, aut quasi tristes, & quasi gaudentes, sed ait, quasi tristes, semper autem gaudentes*, [illegible] quod cõfirmat prosequens S. eadẽ Apostoli doctrina, quando ait *sicut egentes, multos autem locupletantes, quasi nihil habentes & omnia possidentes*, cum hoc diceret inquit sanctus, *nihil habebat Apostolus, omnia sua dimiserat, diuitias nullas possidebat, & tamen ipsum nihil habere, quasi Apostolus erat, quasi egebat, non autem quasi sed vere multos ditabat, quasi nihil habebat, non autem quasi sed omnia possidebat, vnde vere omnia possidebat, quia omnium creatori adhærebat*, quid pulchrius dici potuit? paupertas Dei seruorum non est paupertas, sed quasi paupertas, quia omnium creatori, qui summe diues est, adhærent, sic tristitia, non est tristitia, sed quasi tristitia, quia summo gaudio coniunguntur.

Aug. in Psal 48

1 Cor 6.

Oscula honesta signum expeditionis, & amoris teneri argumentum.

144. *Non es passus vt oscularer filios meos*, cur eis oscula præbere voluisti? indecens enim hominem osculari, si dixisset vt eis meam impertirem benedictionem, hoc mihi magis arrideret, patris enim est filiis benedicere, tum cur potius in discessu eos osculari voluisses? satisfacit Abul. q. 20. in Ruth. *osculum erat signum expeditionis*, quod autem sit teneri argumentum amoris probat ex eo quod Ruth accepto osculo à Noemi voluit eum propria derelicta patria comitari, sic autem ait, *postquam osculata est ipsam Noemi consata est quadam teneritudo amoris, ita vt difficilius quam prius videretur recedere ab ea.*

Abul. q. 20. in Ruth.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXIX.

VVLG. Valet manus mea reddere tibi malum, sed Deus patris vestri dixit heri mihi, caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius.

Sep. Et nunc valet manus mea tibi malefacere, Deus autem patris tui dixit ad me dicens, custodi te ipsum, ne forte loquaris cum Iacob mala.

Cald. Et potestas in manu mea, vt facerem vobiscum malum, sed Deus patris vestri hesterna nocte ait mihi, dicens caue ne loquaris cum Iacob à bono vsque ad malum.

Pag. Est fortitudo in manu mea ad faciendum vobiscum malum &c.

Arias. Est ad fortitudinem manus mea ad faciendum vobiscum malum.

Vatab. Est in facultate vel potentia manus meæ.

CONCORDIA.

EAdem sententia est in Hebræo ac in vulgato, licet sub aliis verbis in vtroque contineatur, verba enim, est fortitudo in manu mea ad faciendum malum, Hebraismum continent, significantem possum tibi nocere. אמש emes aliquid amplius dicit quam heri, nempe nocturnam partem hesterni diei.

EXPOSITIO.

Valet manus mea reddere tibi malum, possem tibi non leuiter nocere, viris enim fortissimis & iis armis instructis accinctus sum, tu autẽ solũ pastores habes in comitatu, *sed Deus patris vestri*, quem vos & Isaac colitis, *dixit mihi heri*, apparuit nocturno tẽpore diei elapsæ, *& dixit caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius*, expone sicut superius.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Ita ab Angelis adiuuatur homo, vt suum protectorem nempe Deum, hoc nomine vocet, sicut benefactores dicimus Mæcenates.

145. *Deus patris vestri dixit mihi heri, caue ne quidquam &c.* nonne ille idẽ est de quo loquens Iacob dixit Angelus Domini ad me in somnis, ego sũ Dominus Bethel vbi vnxisti lapidem, & votũ vouisti, quibus verbis quæstionẽ mouet D. Basil. lib. 2. contra Eunosium, cur qui se Deum vocat, vocatur à Iacob Angelus Dei? enimvero qui loquebatur, modo ait ego sum Deus Bethel, & idem in Bethel ait, ego sum Deus Abrahã, nihilominus Iacob de eodẽ tatus ait, dixit Angelus Domini ad me, cur quẽ Deus scis, Angelũ nominas? aduerte gaudere passim homines beneficas sibi excellentias de notissimorum benefactorũ & patronorum tribuere vocabulo, sicut scimus dici Mœcenates qui alios beneficiis cumulant & protegunt: forte ergo quem Deum scit, Angelum nominat, quia de naturæ in homines beneficentissimæ vocabulo de notissimi hominum patroni, curatoris nomine maluit diuinum numen appellare, Deum optimum, quem tutorem & curatorem rerum suarum singularem experitur; vocat Angelũ cuius est hominibus patrocinari, quippe vbi homines beneficiis cumulantur, vbi promouentur, clare cernitur officium Angeli: Danielis 10. ait Gabriel Angelus quod post Danielis orationes Domino præsentatas & prælium commissum cum Persarum Angelo, ego remansi ibi cum rege Persarum, quod sic ibi exponit Rupert. *quid autem commodi Gabrielis remansio iuxta regem Persarum attulerit, patet ex sacra historia, quæ docet Cyrum instinctu Dei, captiuitatem Iudæorum soluisse, & qualiter multis armis post Assuerus retentus fuerit à Domino, ne potissimum Amani consilium perficeret, vnde Iudæi tam feliciter euenerunt, nisi quia bonus iste Angelus remansit iuxta regem Persarum*, vbi enim de hominum salute agebatur, conspicua erat Angelorum negotiatio.

Danielis 10.

Rupert. in Da.

Inimici quam amici efficacius testimonium ad aliquam veritatem confirmandam.

146. *Valet manus mea reddere tibi malum, sed Deus patris tui heri dixit mihi, caue ne loquaris contra Iacob, quidquam durius*, quasi diceret, sufficientes sunt mihi vires, satis est mihi potentiæ ad te opprimendũ, nisi me impediret Deus quem colis, & quem ego scio & confiteor me ipso longe potentiorẽ, at quorsum hęc à Labano de Deo Iacobi tam illustris commẽdatio? D. Chrys. arbitratur vt filias Liam & Rachelem adhuc in fide nutantes & suis adhuc idolis adhærentes in fide confirmaret, sed quid ita? nonne efficacius erat Iacobi testimonium ad Liæ & Rachelis animos illustrandos, ac veræ fidei & religioni subiiciendos? nequaquam sane, auctore Chrys. cum hoc vt pote ab amico inualidum, illud vt pote ab inimico validissimum videretur, *neque enim*, inquit, *sic fide digna erant*, *quæ Iacob dicebat vel quæ à Laban dicebantur, qui adhuc idola colebat, semper enim infidelium & aduersantiũ religioni testimonia maiorem habent fidem, & hoc est ex omnipotenti sapientia Dei, vt inimici veritatis fiant testes veritatis & lingua sua prædicent.*

Chrys. ho. 57.

Potentes à Deo iudicante, ne noceant coercentur.

147. *Valet manus mea reddere tibi malum*, auarus Laban, passionibus plenus, pessimoque prosequens Iacobum animo ac voluntate, vt scilicet eum perderet, occideret dissiparet bona, facultatesque illius eriperet? quid eũ à tanto cõpescuit malo, cũ posset illud committere? audiamus quid ipsemet fateatur, Dominus patris vestri dixit mihi, caue ne loquaris contra Iacob quidquã durius, timet Deum minantẽ, Deum iudicem, nam si hunc timorem, si hanc à Laban cogitationem auferas, quid esset sufficiẽs ad reprimẽdas iniuriæ, iræ, cupiditatisque passiones, quæ eum vrgebant? Deum non extimuisset, homines veritus fuisset, nullum impedimentum aut suæ malitiæ frœnum habuisset, occidisset, diripuisset, ad fuit Dei iudicis (nam in Hebræo est Elohim) maiestas sicque iræ rabiem continuit, *quia Deum enim sciebat ad pugnam contendentem*, inquit Chrys. ho. 59. *& contra iustum insurgere volentem verbo, mentem ei quasi aufert, & dicit, serua te, ne loquaris cum Iacob mala, perinde ac diceret, caue ne Iacob offendere coneris, sed serua teipsum, cõtine, malum tuum, impetum comprime, furorem refrena, iratum tuum animum, & ne vel verbo ipsum cõtristare velis*, quandonam & quomodo hic potens se cohibuisset nisi Deum iudicem extimuisset?

Chrys.

Impii bona facere possunt, sed nolunt, mala autem libenter perficiunt.

148. *Valet manus mea reddere tibi malum*, & redderes sine dubio, nisi te voluntas Dei reprimeret, sed cum in tua potestate situm sit bene operari Dei gratia adiutus, cur non ais manus mea valet tibi bonum reddere? & reuera ita agere teneris, cum tot beneficiis in te collatis Iacobo sis adstrictus, dic ergo repẽdam tibi grates, facultates tibi ablatas restituam, id enim possum exequi: non ita loquitur, cum enim sit impius mala libenter perficit, & bona quæ exercere potest, negligit & non operatur, *hoc interest*, inquit Oleast. *inter bonos & malos in bonis & malis faciendis, quod bonis satis est posse nocere, non nocere tamen, boni vero in bonis posse bene agere satis esse non putant nisi facultatem benefaciendi opere impleant, impii vero contra bona posse facere volunt sed non faciunt, mala vero exequuntur, neque potentia contenti sunt, de bono enim diuite scriptum est quod potuit transgredi & non est transgressus facere malum, & non fecit.*

Oleast.

Bona quæ amicis impendimus, ne iactemus.

149. *Nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum, sed Deus patris tui dixit caue ne loquaris durius contra*

contra Iacob, cur non aperuit Deus ipsi Iacob, quod curam sui gerens præceperat ipsi Laban, vt nihil attentare moliretur in eum detrimentum? noluit ipsemet id aperire, vt nos doceret beneficia quæ amicis impendimus, non iactare, sed celare, *audis hic*, inquit Oleast. *quia bonus amicus sit Deus, qui non iactat bona quæ pro amicis facit, cupitque eos potius ab alio quam à se audire quæ propter eos bona fecerit.*

Oleast.

Impiorum maxima est in suis delictis obstinatio.

150. *Nunc quidem manus mea valet tibi reddere malum, sed Deus patris tui dixit, caue &c.* cur non dixisti, Deus cœli & terræ, vel Deus noster, vel absolute Deus, non autem Deus patris tui? q[uia] ita pertinax in infidelitate sua, vt nollet ipsum verum Deum agnoscere, ac fateri: fauet Abul. *patet hic mala voluntas Laban, quia licet vidisset Deum minantem sibi & mouentem eum ad loquendum, tamen eum vt Deum recipere noluit nec colere, nec vocauit eum Deum absolute, nec Deum verum, sed Deum patris sui, quasi dicat, non est Deus meus.*

Episcop. Abulens.

Impii, Deo impellente contra seipsos testimonium ferre coguntur.

151. *Nunc quidem manus mea valet tibi reddere malum, sed Deus patris tui dixit, caue &c.* cur Iacob non bla[illegible] cur [illegible] aperire [illegible] [illegible] accessisse, aperit Deum præcepisse sibi vt malam erga Iacob deponeret voluntatem, quia impii Deo impellente contra seipsos testimonium ferre coguntur *sic mali homines*, inquit Lipp. *coguntur Dei virtute aliquando dicere veritatem contra se, sicut patet de Balaam.*

Auctor Caten.

Conscientia semper nos accusat.

152 *Nunc quidem manus mea valet tibi reddere malum*, cur hoc fateris? quis enim mediocriter sani, qui alteri nocere cupiens, non dissimulet? cur igitur silentio non obuoluis pessimum voluntatis consilium? licet obuolueret, conscientia semper & vbicumque esset eum accusaret, ita S. Chrys. con. 4. de Laz. *pater vbi semel in eum [illegible] increpauerit si viderit incorrigibilem permanere, [illegible] dicat, expellit e familia [illegible] relegat, & non eodem modo conscientia, sed licet semel, licet iterum, licet ter, licet millies admonuerit, in [illegible] tempore, monere iterum nec desistet vsque ad supremum halitum, siue domi, siue in lectis, siue in mensa, siue in foro, siue in itinere frequenter & in somniis, peccatorum simulachra nobis repræsentat.*

S Chrys. conc. 4. de Laz.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXX.

VVLG. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui, cur furatus est deos meos?

Sep. Nunc autem iuisti, desiderio enim desiderasti abire in domum patris tui.

Cald. Et nunc abiens abiisti, quoniam cupiens cupiebas domu[m] patris tui, cur tulisti deos meos?

Pag. Et nunc eundo iuisti, si desiderando desiderabas ire ad domum patris tui.

Oleast. Et nunc ambulando ambulasti, quoniam desiderando desiderasti domum patris tui.

CONCORDIA.

LIcet in Hebræo paulo diuersa sint verba quam in vulgato interprete, tamen optime ab eo sunt reddita, vt legenti patebit.

EXPOSITIO.

ESto, *ad tuos ire cupiebas*, &c. concedatur tibi, quod parentes & patriam videndi præsertim post annos viginti magno teneris desiderio, & abire volueris etiam me inscio & insalutato, *cur furatus es deos meos?* non debueras mea numina tecum deferre, antea vocauit teraphim quę modo vocat deos, vnde constat fuisse idololatram.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Simulachrorum mera vanitas & dementia.

153. CVr *furatus es deos meos?* si dii sunt, nonne potentissimi? quomodo igitur qui eos furari attentarunt, fulmine non percusserunt, sed se abduci permiserunt? in hoc simulachrorum vanitas & dementia percipitur, quæ nec insipienti ea resistere valeat, *o excellentem [illegible]*, inquit Chrys. hom. 57. *insipientiam, tales sunt dii tui vt [illegible] furari queat, qui neque cum furarentur [illegible], saluare se potuerunt*, quasi diceret quid ab eis [illegible], qui ne sibi quidem prodesse possunt? quod breuibus verbis eleganter concludit Tertul. in Apolo. cap. 25. *qui nihil sentiunt inquit tam [illegible] quam frustra coluntur.*

S Chrys. hom. 57.

Tertul. in Apol. c. 25.

Nihil eorum quæ sunt mundi nobiscum deferre debemus, aliàs ad se nos reducent.

154. *Cur furatus es deos meos:* licet male egisti furtiue discedendo, & tecum captiuas abducendo filias meas, sed hoc non tantum est malum, vt ego contra te insurgerem, ac te persequerer, cum hoc desiderium tuorum efficere poterat, quod iustum, at cur furatus es deos meos? cur mea tulisti? hinc certissime eum reduxisset in suamque iterum egisset prouinciam, si eos inuenisset: quod eleganter ponderauit B. Amb. cap. 8. in Exod. *scrutatur sanctum Iacob & filias suas, vt forte apud eas suorum [illegible] reperiret aliquid, & reuocandi ad se haberet auctoritatem coarguens iustum, cum ratione esset redarguens & nihil res-*

Amb cap 8. in Exod.

pondere, ac referre posset quo enim deberet retinere, non ergo retraxit quia nihil inuenit ex suo.

Peccator sui criminis alios arguit.

155. *Cur furatus es deos meos?* prædonem ac idololatram arbitraris Iacobum, in hoc enim quod ais, *furatus es*, furem eum iudicas, in hoc quod afferis, *deos tuos habere*, iudicas eum idololatriæ deditum, nonne Iacob erat iustus? nonne vnius Dei cultor? quomodo igitur duobus grauissimis sceleribus infectū asseris? quia cum his criminibus esset obnoxius, alios etiam eorumdem reos arguit, sanctus Chrysostomus, ait, *non vides Laban erroris tui magnitudinem, & iustum furti arguis? quare enim iustus illos furari voluisset, quos abominabatur, imo quos sciebat esse insensatos lapides?*

Chrys. ho. 57.

Auarus aurum deos suos appellat.

156. *Cur furatus es deos meos?* scio deos suos illa simulachra quibus cultum exhibebat, appellasse, sed quando materiam ex qua facta erant, perscrutemur, Oleast. ait ex argento & auro hæc idola conflata erant, nonne plures diximus Labanū auaritiæ deditum? cur non dicemus igitur deos suos aurum & argentum ex quo conflata erant eiusmodi simulachra, dixisse? fauet Hugo Card. *Idola Laban sunt auaritia, superbia &c.*

Oleaster.

Hugo Card.

Dei cognitionem non assequitur, qui auaritiæ cupiditatem sequitur.

157. *Cur furatus es deos meos*, idololatriæ deditum intuemur, sed cum à tot annis secum commorantem habuerit Iacobum vnius Dei cultorem, qui sine dubio ei aperuit vnum Deū esse tantum colendū: quomodo igitur hāc naturalē veritatē non agnouit: quomodo multitudinē Deorū non abiecit? si reuocamus in memoriā rerū terrenarū cupiditate detentū, non mirabimur Deū non agnouisse, veri enim numinis cognitionē impedit auaritiæ virus, fauet noster Nicol. Dennius in sua gēma prædicantiū, tractatu tertio, destructorii de auaritia, *non est Deo dignus*, inquit, *qui opes non contemnit*, deinde inquit, *ex auaritia oritur contemptus Dei & omnium diuinorum.*

Nicol. Dennius in sua gemma prædicant. tract. 3 destructorii de auarit.

Auarus aliena non restituit.

158. *Furatus es deos meos*, cur non subiungis, pluribus tibi obstrictus sum, dotem filiarum non persolui, mercedem fraudulenter retinui, redde deos quibus cultum exhibeo, & omnia quæ debeo restituam: de restitutione non loquitur, auarus enim qualis erat Laban aliena restituere nescit, *auaritia*, inquit cit. Dennius, *impedit rei alienæ restitutionē, sunt enim auari vasa diaboli, vel os aut puteus inferni, de facili quidem recipiunt, sed non de facili emittunt.*

Citatus dennius.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXI.

VVLG. Respōdit Iacob, quod inscio te profectus sū, timui ne violenter auferres filias tuas.

Sep. Respondens autem Iacob dixit ad Laban, quia timui, dixi enim ne forte auferas filias tuas à me & omnia mea.

Cald. Quoniam timui, ne violenter auferres filias tuas à me.

Pag. Quia timui si dixissem ne forte raperes filias tuas à me.

CONCORDIA.

HÆc verba quod inscio te profectus sum, non habentur in Hebræo, quæ tamen interpres præmisit, vt clarior sensus redderetur, perinde enim est responsio Iacob in aliis lectionibus, ac si verba illa præcederent, apud Septuaginta abundant hæc verba & omnia mea, quæ addiderunt, existimantes non solum de vxoribus suis loquutum fuisse Iacob, sed etiam de facultatibus suis, verbum גזל gazal proprie significat aliquid vi & violentia tollere, rapere, diripere.

EXPOSITIO.

REspondens Iacob quod inscio te profectus sum, idest non debeo redargui, quòd sine consensu tuo & nesciente te, discesserim; rationem in medium profert, *timui ne violenter auferres filias tuas*, cum enim sint mihi in vxores traditæ, & eas amore maritali prosequar, timui ne eas violentia retineres, hisque retentis compellerer adhuc in Mesopotamia diutius remanere.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Vxores omnibus aliis sunt præferendæ.

159. *Timui ne violenter auferres filias tuas*, nempe vxores meas, cum tot tibi facultates essent, tot greges & armenta, imo tot liberi, cur non ais timui ne filios detineres; ne facultates quas labore & industria comparaui, raperes, sed solum ne filias tuas violenter auferres? quia vxores maiori in prætio sunt habendæ, quàm omnia alia, nec non omnibus aliis præferendæ, vxor enim socia est viri & vna caro cum illo, vnde Petrus Steuartius in 1. ad Cor. cap. 7. *non de viri capite tanquam eo superiorem, aut de pedibus tanquam inferiorem, sed de latere velut sociam effectam esse mulierem consideremus.*

Petrus Steuartius in 1 ad Cor. 1.7.

Nuptiæ longinquæ non ita appetendæ.

160. *Timui ne violenter auferres filias tuas*, timor Iacob non equidem vanus, his enim cōditionibus Laban, teste Iosepho, filias suas collocauerat, pœnitebat enim illū affinitatis sororis suæ cōtractæ apud Chananæos, sed cur o Laban doles Liam & Rachelem duci in Canaan à marito? sunt illius vxores, inspice quid dixerit cum illi Rachelem pollicitus est, melius est vt dem illam tibi quam viro alteri, mane apud me: quid refert vtrum in regionem ducat longinquam

ginquens, quia nuptiæ in remotis regionibus non tam facile celebrandæ, *videntur*, inquit Hamerus, *veteres illa à longinquis nuptiis abhorruisse, neque filias suas alio nuptum misisse.*

Guill Ham

Ab iniuriis iniuste illatis licet se purgare.

161. *Timui ne violenter auferres filias tuas*, dixit Iacob Labano arguenti cur discessisset, sed qua de causa non siluit Iacob, cum Deum habeat protectorem, & sciat nihil aduersi ei posse inferre Labanum? reuocat in memoriam Laban stultitiæ generum suum arguisse, dicens stulte operatus es: bene igitur & merito sui discessus præbet rationem, vt se non esse stultum aperiat, imo prudentissimum se esse declaret, sic Rupert. *quod inscio te profectus sum non solum iniustitiæ non est argumentum, verum etiam stultitiæ repugnans, sapientiæ vel rationis effectus, stultus namque iure dicendus est, qui malum vnde sibi senti imminere non cauet: ego autem mihi cauendum à te non dubius, sciebam quippe cum tu immutaueris mercedem meam decem vicibus, si igitur non mihi cauissem vt inscio te proficiscerer, cælesti me ipsum tutelæ committens, & credens custodiæ, quam mihi pollicitus est, tunc ego stultus potius damnis meis arguentibus inuenirer.*

Rupert. ca 4. lib. 7.

Vbi de Dei obsequio agitur cuncta naturæ iura debent cedere.

162. *Timui ne violenter auferres filias tuas*, sed ô Iacob, nonne Laban erat auunculus tuus, imo etiam socer, vxorum tuarum pater, filiorum auus? quo quæso affinitatis vincula? non deberes igitur eo inscio & insalutato discedere: nonne Deus præceperat abire? licet ergo tot essent iura affinitatis, quæ cum manere quasi cogerent, tamen nulla necessitudo respicienda, nulla affinitas consideranda, nullum ius naturæ attendendum, vbi de Dei agitur obedientia & obsequio, Dei voluntas omnibus præferenda est, hoc eleganter tradidit Amb. lib. de fuga sæculi cap. 2. *cui Deus portio est nihil debet putare nisi Deum, ne alterius impediatur munere, quod enim ad alia officia confertur hoc religionis cultus atque huic nostro officio decerpitur, hæc enim est vera fuga, abdicatio domesticorum & quædam alienatio charissimorum, vt sibi se abneget qui seruire Deo gestit.*

Amb. lib de fuga sæc. cap. 2.

Praui mores difficile exuuntur.

163. *Timui ne violenter auferres filias tuas*, vnde tibi hic timor? nonne tibi traderet eas in vxores ex quibus iam aliquot filios suscepisti, nihil habeas igitur timendum, nisi ne vt Iacobum detineret fraudibus cum pluries eum decepisset, merito igitur adhuc sibi timor est, ne illas retineret, vt sic earum amore ille remaneret, & ita pascendorum suorum gregum efficeret perpetuus curator: sed nonne resipuit Laban? nonne ad meliorem frugem rediit? nonne à malitia & fraudibus cessauit? minime, nonne beneficiis Iacobo sibi collatis satis demunctus est, vt prauos mores mutaret? ita sane, sed praui difficile exuuntur, quod confirmat D. Theod. explicans illud Ierem. 13. si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum, *verus*, inquit, *profecto sermo consuetudinem esse alteram naturam, omnia cum quæ longa consuetudine comparauit animus, paria censentur cum naturalibus.*

Theod. in 13. Ier.

Mansuetudo iram coercet.

164. *Timui ne violenter auferres filias tuas*, cur sic pacifice respondes? cur non ais te metu & insalutato abire volui & debui? nam tyrannice mecum egisti, pluries me variis circumuenisti fraudibus, tibi amplius credere non teneor, filiæ tuæ vxores sunt meæ, & legitime acquisitæ, possum quocumque mihi libitum fuerit eas ducere, in terram tuam regredere, Deum habeo adiutorem qui me à tuis manibus si aliquid molitus in me, eripiet: aduerte ira, & minis vti iam tem Labanum, prudenter igitur ita mansuete respondet Iacob, nihil enim ita aliorum iram exercet quam sermo pacificus & benignum responsum, sic Spiritus S. Prouerb. 15. v. 1. *responsio mollis frangit iram*, quod exponens Rodolp. Bayn. ait, *quotidiana experientia docet quantum momenti habeant in sedanda vel mouenda non solum regis sed cuiuslibet hominis iracundia, verba eorum qui ex aduerso respondent, responsionem mollem vocat, quæ fit verbis benignis & placidis, non solum cum modestia prolatis, sed etiam cum ratione & ea moderatione & honoris præfatione, quem hominem deceat quem alloquimur.*

Prouerb. 15.

Rodolph. Bayn. ibid.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXII.

VVLG. quoniam autem furti me arguis, apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris, scrutare, quidquid tuorum apud me inueneris, & aufer, hoc dicens ignorabat quod Rachel furata esset idola.

Sep. Apud quemcumque inueneris deos tuos non viuet & corā fratribus nostris, cognosce quid est apud me tuorum & cape, & non cognouit apud eum quicquam.

Cald. Locus in quo inueneris Deum tuum non permaneat coram fratribus nostris, agnosce quid tuum sit apud nos & tolle tibi.

Pag. Is cum quo inueneris deos tuos non viuat coram fratribus nostris, agnosce si quid est mecum de tuo, & cape tibi.

CONCORDIA.

HÆc verba, *quod autem furti me arguis*, non sunt in Hebræo, sed addita sunt ab interprete, vt sensus clarior redderetur, alia eundem sensum in omnibus fortiuntur, nisi quod Caldaica lectio ab Hebraica variat, habet enim, locus in quo inueneris Deum tuum, non permaneat, sed forte locum posuit pro homine iacente in loco, hæ adhuc dictiones nempe, *hoc dicens*, non sunt etiam in Hebræo.

EXPOSITIO.

Quod autem furti me arguis, quasi diceret nunquam hoc crimine fui contaminatus, & sic nescio quomodo huius sceleris me arguis, & ita vt tibi mea constet innocentia, *apud quemcumque inueneris deos tuos necetur*, morti tradatur, *coram fratribus nostris*, fratres dicit scilicet cognatos Laban, quos secum duxerat ad cōprehendendū Iacob, isti enim quia erant cognati Laban, erant etiam affines Iacob, & ex consuetudine illarum gentium dicebantur fratres, significat autem Iacob his verbis vt illi essent arbitri & iudices cum potestate inquirendi & cognoscendi, nec non condemnandi, quemcumque inuenissent eius furti reum, *scrutare*, nempe deos tuos, *& quidquid apud me inueneris*, etiam præter tua idola aufer, *hæc dicens ignorabat quod Rachel furata esset*, si enim resciuisset ea occultasse, præcepisset ne talem pœnam apud quem inuenta fuissent, imposuisset.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Furtum dignum morte.

165. *Apud quemcumque inueneris deos tuos, morte necetur*, si nondum legem scriptam tenebāt qua fur dignus morte, iudicatur, quomodo morti obnoxium iudicat Iacob, quicumque fuerit hoc furto pollutus? vt inde innotescat quod secundum legem naturæ ita graue crimen erat furtum, vt lethali pœna plecteretur, *ex hoc loco*, inquit Lippom. *videtur deduci posse quod de lege naturæ qua tunc maxime vtebantur homines, cum nondum scripta lex data esset pro simplici furto, mors veniebat intelligenda*

Lippomanus.

Ex delicti ignorantia suos Deus à periculis liberat.

166. *Apud quemcumque inueneris deos tuos morte necetur*, si tua charissima vxor est, quæ furata est deos soceri tui, cur te periculo committis? an ante oculos tuos dilectissimam coniugem occidi sustinebis? quomodo igitur Laban non inuenit furtum, non deprehendit numina? considera quid dicat textus, ignorabat quod Rachel furata esset: nō mirum igitur deos suos non inuenisse Labanum, & sic non interfectam Rachelem, ex ignorantia enim delicti suos liberat Deus à periculis, & rerum amantissimarum iactura: *sic fideles suos*, inquit Lipp. *de magnis plerumque eximit periculis Deus dum ignorant, nihil ergo tutius semper quam se credere patri misericordiarum in omnibus.*

Auctor catenæ aur. in Genes.

Propheta non omnia habet comperta.

167. *Apud quemcumque inueneris deos tuos morte necetur*, an ignoras Rachelem deos secum detulisse? cur sigitur in vitæ discrimen conicis? vel si hoc tibi compertum non est, quomodo hoc tibi contigit? nonne dono Prophetiæ fuisti decoratus? debuisti igitur hoc compertum habuisse furtum sed falleris, Prophetæ enim non omnia sunt cognita, sed quæ Deus ei vult fieri manifesta, ita Rupert. *Propheta quidem Iacob & Propheta Isaac sicut in Psal. 104. vbi dictū est, nolite tangere Christos meos, statim subiungit, & in Prophetis meis nolite malignari: sed neque hic qui domesticum furtum ignorat, neque ille qui in benedicendo filio falli potuit, neque quisquam hominum nunquam omnia sciuit, vel semper subiectum Propheticum spiritum habuit præter eum qui homo cum sit, Deus etiam est, & omnia scit cum sit sapientia ipsa Dei.*

Rupert.

Psal. 140.

Iustus alios omnes arbitratur innocentes

168. *Apud quemcumque inueneris deos tuos morte necetur*, quid ais Iacob? neci dilectissimæ coniugis tuæ consentiesne? illa est quæ secum detulit deos soceri tui, hoc ignorans protulit, sed cur ita absolute loquutus est? nonne potuit solum se excusare à delicto, nullo de aliis habito sermone? potuit sed noluit, cum enim esset innocens, alios nulli culpæ obnoxios esse iudicauit, sed familiam suam omni scelere alienam esse existimauit, *iustus enim*, inquit Beatus Chrys. in Matt. *sicut difficile aliquem suspicatur malum qui bonus est, sed difficile aliquem suspicatur bonum qui ipse malus est.*

Chrys. in Matt.

Diuites auari, crudeles.

169. *Apud quemcumque inueneris deos tuos morte necetur*, ita ne crudelitate ferus Laban, quamuis deos suos apud aliquem deprehenderit, vt eum interimat? non ita arbitror cum antea dixerit quod omnes insequutus fuisset canticis, tympanis & cytharis, sed si huius mūndi bonorum cupidissimum consideremus Laban, qui lucri gratia indotatas reliquit filias, dicemus quemcumque inuenisset reum, morte eum condemnasset, diuites enim auari sunt sæuissimi, *homicidia enim*, inquit B. Saluian. lib. 4. de Prouid. *in diuitibus assidua spe ac fiducia impunitatis nisi forte cum occidunt, ius putant esse non crimen.*

B. Saluian. lib. 4. de Prouid.

Qui in secreto peccat, publicam aliquando soluit pœnam.

170. *Apud quemcumque inueneris deos tuos morte necetur*, qua morte? publica coram fratribus nostris: nonne secreto, & nemine sciente, ea falsa abstulit Rachel numina? cur ergo coram vniuersis fratribus nempe cognatis Laban morte plectitur? secreto pœnam luat: vt coram omnibus pœnas furti det, condemnat, quia qui in abscondito peccat publicam pœnam persoluet: *non solum*, inquit Chrys. *quia ablatum est, sed & quia furtim quis fecerit manifestam sui flagitii feret pœnam.*

Chrys.

Argumentum magnæ virtutis à praua diuturna consuetudine liberum exiltre.

171. *Scrutare, quidquid tuorum apud me inueneris aufer*, quasi diceret, ita mihi bene conscius sum, quod quamuis omnia sedulo perlustres, nihil tamen apud me inuenies, sed si per illa quæ sunt Labani nempe mundi intelligimus vitia illius, quomodo potest ita loqui audacter Iacob, cum per tot annos apud eum vixerit? nonne aliquid fraudulenti atque impuri hominis labe fuit infectus? minime, quod equidem maxime virtutis argumentum est, imo quoddam miraculum à praua & maxime diuturna

Ambr. li. de Iacob ca 5.

tuma consuetudine purum exlire, vnde bene Ambros. libro. 2. de Iacob cap. 5. introducit eundem sic loquentem, *cognosce*, inquit, *si quid est tuorum apud me, idest nihil tuorum habeo. quare si quid agnoscis vitiorum tuorum & criminum, nihil mecum abstuli fraudum tuarum, dereliqui consortia illa, nō habeo omnia tua tanquam contagium refugi.*

Paterfamilias vel maritus vitia familiæ vel vxoris ignorat.

172 *Scrutare quidquid tuorum apud me inueneris.* deinde addit Moyses, ignorabat quod Rachel furata erat idola, nonne coniux illius erat? quomodo igitur hoc ei non erat compertum cum forte plures ex sua familia id non ignorarent? quia pluries ipsemet paterfamilias vel maritus defectus familiæ vel vxoris omnibus eos scientibus ignorat. ita Hieron. epist. contra Sabinianum, *solemus mala domus nostræ* inquit, *scire nouissimi, ac liberorum & coniugum vitia vicinis canentibus ignorare.*

Hier. epist. contra Sabi.

Scire omnia nequit Prælatus, sed sit contentus si suo non desit officio.

173 *Scrutare quidquid tuorum &c.* ignorans quod Rachel furata esset idola, nonne tibi incumbit ô Iacob compertum habere quid in tua committatur familia? non est dubium ei inuigilasse, quomodo igitur vna quam charissime diligebat, idola furatur & hoc modo omnes in discrimen coniicit? si per Iacob patrem familias, Prælatum intelligimus, facile satisfaciemus difficultati propositæ dicentes, ideo ignorasse Iacobum furtum Rachelis, quia omnia nequit scire Prælatus, sed sit contentus, si suo non deest officio, quod ita ponderat Bernard. libro 4. de Consid. *planta, riga, fer curam, & tuas explicuisti partes; sane incrementum vbi voluerit dabit Deus, non tu, vbi forte voluerit tibi deperit nihil, reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum Sap. 4. securus labor quem nullus valet euacuare defectus.*

Bern. lib. 4 de consid. Sapien 4.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXII.

VVLG. Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob & Liæ, & vtriusque famulæ, non inuenit, cumque intrasset tentorium Rachelis.

Sept. Ingressus autem Laban scrutatus est in domo Liæ & non inuenit, & exiuit de domo Liæ & scrutatus est domum Iacob, & in domo ambarum ancillarum, & non inuenit, ingressus est autem & in domum Rachel.

Cald. Et ingressus est Laban in tabernaculum Iacob & in tabernaculum Liæ & in tabernaculū duarum concubinarum, & non inuenit & ingressus est de tabernaculo Liæ, & ingressus est in tabernaculum Rachelis.

CONCORDIA.

NOster interpres breuitati studens, & repetitiones Hebraicas fugiens, plura omisit vt videre est: si dixere Sept. domum, non proprie vt sonat vocabulum, intelligenda est, sed pro tentorio vel cubiculo, si concubinas dixit Cald. non in malam partem accipere debemus, sed pro vxoribus minus præcipuis, quæ si cum principalibus conferantur possunt nuncupari ancillæ.

EXPOSITIO.

INgressus Laban tabernaculum Iacob &c. Fidem non adhibens Iacobo vt eum furti arguere posset, omnia quæ erant in tabernaculo suo nec non vxoris suæ Liæ & vtriusque famulæ diligenter lustrauit, non inuenit idola sua, *cumque intrasset tentorium Rachelis*, quod ab aliis separatum, & quod vltimè ingreditur minorem de ea suspicionem habēs quod suos abstulisset Deos.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Auarus plus aurum æstimat quam Deum.

174 INgressus est Laban tabernaculum Iacob, scilicet vt idola sua quæreret, nonne dixerat Iacob apud se ea nō habere & ignorare vbinā essent? cur ergo inuestigat? ait Abulens. quia valde diligebat ea cum essent pretiosa de auro & argento. cur non ait Tostat. quia diligebat illa eo quod vera numina arbitrabatur non autem ex eo quod essent de auro & argento confecta? quia auarus qualis erat Laban, maiori in pretio habet aurum quam ipsummet Deum.

Abulens.

Inuidus nocendi quærit occasionem.

175 *Ingressus est Laban tabernaculum Iacob*, nonne à tempore quo tecum Iacobus commoratur eum esse veracem compertum habes? si ergo tibi verbis apertissimis dixit se non abstulisse idola tua, cur ea in eius tabernaculo scrutaris? quem diximus fuisse Labanum nisi hominem inuidiæ liuore tabescentem? ne scisciteris igitur cur ita diligenter tabernaculum Iacob perlustrat? hoc enim animo nocendi efficit. Fauet Abulens. *inquirebat idola, & forte reperire cupiebat vt nocumentum aliquod inferendi Iacob occasionem inueniret:* & Lippom. *grauis huius maleuolentia perpenditur qui velut contra furem & mendacem occasionem mortis inquirit, primo omnium tabernaculum Iacob ingreditur.*

Abulens.

Protegit Deus quem impius insectatur.

176 *Ingressus est Laban tabernaculum Iacob & Liæ nec non Rachelis & vtriusque ancillæ suæ*, omnia ibi supellectilia perscrutatur, ne quid oculis non lustratum & manibus intactum relinquat, vt sua inueniens idola, vindictam sumeret de Iacob: sed si in tentorio Rachelis erant eaque diligenter quæsiuit, quomodo non inuenit? vt deinde in Iacob tanquam in reum furti posset agere? quia Deus tunc maxime iustum protegit, cum videt impium eius persecutorem, quod obseruauit Origen. ho. nona in Numeros in hæc verba Numer. decimo sexto, confugerunt in tabernaculum Domini, postquam vero ingressi sunt operuit nubes, & apparuit gloria Domini, tunc autem conspirauerat Hebræorum populus, factoque impetu irruerat in Moysem & Aaronem seruos Domini, ait, *igitur non legimus antea, quia obtexerit nubes tabernaculum, & apparuerit maiestas Domini & receperit intra nubem Moysem & Aaron, nisi nunc cum insurrexerit in eos populus, & lapidare eos voluerit*: deinde subiungit, *tunc maxime Dei gratia adest cum hominum sæuitia concitatur.*

Orig. hom. 9. in Num. 16.

VARIETAS LECTIO. VERSVS XXXIV.

VVLG. Illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper, scrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti.

Sept. Rachel autem sumpserat idola, & iniecerat ea in stramento cameli, & insederat eis.

Cald. Rachel autem accepit imagines & posuit eas in stramentis cameli, & sedit desuper, & attrectauit Laban vniuersa quæ erant in tabernaculo & non inuenit.

Pag. Rachel accepit ea, & posuit in stratorio cameli.

Ar. Et Rachel acceperat theraphim & posuerat ea in clitella cameli *sic Oleast.*

CONCORDIA.

Dictio כר char quid significet, non constat, communiter tamen dicunt Hebræi denotare clitellam aut sellam, dictio rara in scripturis, & ideo non miror si pro stramentis vsurpatur.

EXPOSITIO.

Illa festinans abscondit idola, dubitans quid pater inquireret antequam tabernaculum ingrederetur, imagines patris sui: abscondit, *subter stramenta cameli*, quæ dicuntur à sternendo, quod sternantur iumentis: sunt autem clitellæ quibus sarcinæ colligatæ portantur, vnde adagium ortum est, clitellæ boui sunt impositæ, hoc est homini inepto & nequaquã idoneo delegata est prouincia, *& sedit desuper*, ne in illo loco pater inquireret.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Falsi dij despectui sunt habendi.

177 *Abscondit idola subter stramenta cameli*, nonne honestior locus erat vt tabernaculo tuo in quo Deos patris tui abscõderes? quid enim numinibus excellentius? quid autem abiectius clitellis quæ portandis oneribus deseruiunt? prudenter equidem hunc locum eis assignauit, quia cum nihil vilius diis falsis, vilissimus eis dandus est etiam locus. Fauet. Lippom. *idola patris Rachel posuit in stramentis cameli & sedit super ea, certe parum illa reuerita, forte enim non vt Deos colendos credidit, sed pulchras imagines pro delitiis aspexit puerili more.*

Lippom.

Ea quæ mundus adorat omnino despicienda sunt.

178 *Abscondit idola subter stramenta cameli*, ad quid pater veniret suspicata, egregium adinuenit commentum, quo veneratorem illuderet, seque ac maritum ab omni periculo liberaret, sub clitellis Deos patris sui abscondit, si aliquando eis diuinum cultum exhibuisti, quomodo tanquam quid inane & quid abiectum attrectas? nonne diximus Labanum figuram fuisse mundi, idola autem illius quis dubitet esse quæ sibi charissima habet vt delitias corporis, honores, diuitias? &c. prudenter ergo idola patris quæ aliquando coluit sub clitellis bestiæ recondidit, quia quæ mundus adorat omnino tanquam vilissima despicienda sunt.

Fides primarium locum debet habere.

179 *Abscondit idola subter stramenta cameli*, cumque nihil inuenisset, ait ne irascatur Dominus meus, quod coram te assurgere nequeo, ô Rachel vbi est reuerentia patri debita? vbi honor? tu sedes & non consurgis ad ingressum patris tui, aduerte quod Laban repræsentabat idololatriam Rachel autem fidem, abscondendo idola patris voluit idololatriam excludere à domo paterna & efficere vt vnus solus Deus adoraretur: optime ergo sedet Rachel stante patre, quia fides debet præferri idololatriæ, & idololatria comparere tanquam rea ante fidem: ita D.

ita D. Ambr. libro 2. de Iacob & vita bea. cap. 5. *vbi causa religionis agebatur, fides debuit habere sedem iudicij & quasi castigare perfidia.*

Au. br. li. 2. de Iacob & vita bea. c. 5.

Aliquando religiosi saecularibus sunt longe imperfectiores.

180 *Abscondit idola subter stramenta cameli*, nonne iam ingressus fuerat Laban tabernaculum Liæ, nec non vtriusque ancillæ Iacob, & tamen idola sua non inuenit, & non solum non inuenit, sed nec ea, vel Lia, vel ancillæ sciebant, sed solum Rachel habebat, licet ea absconderit? quomodo ancillæ quæ solent esse cupidissimæ, idola non habent, nec Lia, sed sola Rachel quæ typus est vitæ contemplatiuæ & religiosæ: si dicimus per idola Labani mundi vanitates denotari, cito satisfacies quæsito, & dices idola apud Rachelem esse, non autem apud Liam vel ancillas suas, quia aliquando religiosi sæcularibus ipsis sunt longe imperfectiores, & pluribus detinentur mundi cupiditatibus & illecebris quam illi: *Laban*, inquit Hugo Cardin. *diabolus, Lia proficientes, famulæ pœnitentes, horum tabernacula ingreditur diabolus in morte non inueniens idola sua, idest vestigia peccatorum, vacuus recedit & venit ad tabernaculum Rachel, idest claustralium qui subter stramenta cameli, idest sub habitu asperitatis abscondunt idola cupiditatis, breuiter quot peccata habent, tot idola colunt.*

Hugo Car.

Occultanda est carnis mortificatio.

181 *Abscondit idola subter stramenta cameli & sedit desuper*, mysticè hoc exponens est. Cardi. ait, quidam stramenta cameli habent, idest carnis mortificationem, sed non sedent super eam, quid est sed non sedent super eam? ad quid enim sedere super eam is mortificationem? nonne satis est eam habere? non equidem, ea enim est etiam occultanda, ita enat. Cardin. *Hypocritæ non sedent super eam, idest non occultant, sed ostentant, exterminant enim facies suas vt videantur ab hominibus ieiunantes Matth. 6.*

Hugo Carul.

Matth. 6.

In Christo Domino nihil terrenæ concupiscentiæ.

182 *Abscondit idola*, quæ iam scrutatus fuerat in tabernaculo Iacob, & non solum ea non inuenit, sed nec aliquid quod suum esset reperit, nonne diu commoratus fuerat Iacob apud Labanum? quomodo ergo Iacob secum aliquid ex suo non detulit? hoc est quia Iacob Christum Dominum denotat, per idola cupiditatem terrenam, per Labanum hostem humani generis, ita August. sermone quadragesimo de tempore, Laban hic typum diaboli habuisse non incongrue creditur qui & idolis seruiebat & beato Iacob qui typum Domini præferebat, aduersarius erat. non mirum igitur nihil omnino Labanum apud Iacob inuenisse, quod suum esset, quia in Christo Domino nihil omnino terrenæ concupiscentiæ potuit diabolus, etsi oculatis totius virtutis inuenientibus, inuenire. *Laban veniens apud Iacob*, inquit D. Gregor. Mag. 3. Moral. capite trigesimo primo *idola non inuenit, quia quamuis mundi thesauri, diabolus in redemptore nostro vestigia concupiscentiæ terrenæ non reperit.*

Aug. ser. 8c. de temp.

Greg. mag. 3. Moral. cap. 31.

Mulier auaritiæ dedita.

183 *Abscondit idola subter stramenta cameli & sedit desuper*, D. Gregor. in Rachele super idola patris sedente repræsentatum pœnitens, qui peccata auaritiæ calcat, sed cur ad repræsentandum auaritiæ calcatorem proponitur, sæmina sedens super idola? nisi quia auaritia maxime inuenitur in animo fœmineo: ita D. Gregor. libro trigesimo Moral. cap. decimosexto, *auaritia non solet iis euenire qui in via Domini viriliter currunt, sed his maxime qui effœminato gressu gradientes per blandimenta sæculi resoluuntur, vnde & Rachel ait iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.*

D. Greg. li. 30. Moral. ca. 16.

Detractor amat sibi similes.

184 *Abscondit idola subter stramenta cameli*, nihilominus omnia scrutatus est Laban, vt ea inueniret, Laban qui omnia scrutatur vt Deos suos inueniat, detractor est, iuxta Rupert. libro sexto capite quadragesimo sexto, nimirum scrutatur omnem supellectilem Iacobi, verum quid quærit ibi? scilicet Deos suos, quibus ille cultum adhibere solitus est, hoc enim est detractorum ingenium, qui intentis oculis alienam vitam rimantur, cupientes vitia apud alios inuenire, quibus ipsi scatent: nam optimam excusationem vitiis suis ostendere autumant, si alios eisdem infectos compererint, quasi vitium minuat in illo consortes habere: subiicio verba Rupert. *Scrutatur Laban tentorium Rachel si si forte sua in illius tentoriis inueniat idola, quando sæculares homines illam simulacrorum seruitutem, quam sibi solum licitam esse putant, idest eiusmodi auaritiam in moribus Religiosorum furtim sub se se detinent.*

Rup. li. 6. c. 46.

Dedecet virum sapientem nimium scrutatorem lapsus vel in vxore vel in familia.

185 *Abscondit idola subter stramenta cameli*, licet ea Rachel secum detulisset. huius furti conscius non erat Iacob, quod miror; nam cum eam vnice diligeret, quomodo familiariter cum ea agens eam sibi surripuisse idola non sensit? quomodo ab ancillis Rachelis id compertum non habuit, inquirens veritatem facta fuisset, cum de eo Laban conquereretur? quia pater familias nō debet esse nimiū scrutator lapsuum vxoris vel familiæ, hoc enim vitium ingenuū sapientem non decet, sic enim D. Bern. in quadam epist. ad amicum, *de fœminis tuis suspectus quid agant, ignorantiam, non scientiam, quæras, postquam si fuerit crimen vxoris tuæ à nullo medico curaueris, cor nobile & altum non inquirit de operibus mulierum.*

D. Bernard.

Auaritiam calcare debemus.

186 *Abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper*, quid nullo prosequeris honore patris simulachra, imo quasi essent quid vilissimum sub clitellis bestiæ collocas: vel inurbana vel impia nuncupaberis, imo prudentissima dicenda est, mola enim auaritiæ symbolum, habet contemptui & quasi conculcat pedibus, *nos Rachel*, inquit cit. Gregor. *illa significauit qui idola sedendo premimus, si culpas auaritiæ pœnitendo damnamus.*

Cit. B. Greg.

Impius qui pascitur vanis imaginibus nullam habet requiem, non sic iustus.

187 *Abscondit idola*, quia Laban ea pater suus quærebat, sed ô Laban, nonne iam lustrasti tabernaculum Iacob & nihil inuenisti? nonne scrutatus es cubiculum Liæ, & nihil reperisti? nonne deinde transisti ad ancillarum tentorium totamque earum supellectilem inuestigasti, & nihil tibi occurrit quod tuum esset? quomodo igitur denuo transis ad tabernaculum Rachelis & omnia lustras? quid miraris ita inquiete de tabernaculo in tabernaculum transire? impius enim qui pascitur vanis imaginibus & idolis, nullam habere potest requiem, non sic iustus: in quam sententiam venit id quod notauit Philo libro de profugis, *scrutatur Laban totam domum meditationis, minime tamen reperire idola aut simulacbra inania, totus enim plenus erat Iacob negotiis, nec non somniis & vanis imaginibus qualis esse solet anima iusti, in qua vana & vmbratiles imagines, & de vna in aliam transeuntes, ipsamque animam mobilem & inquietam reddentes minime reperiuntur*, quod argumentum clarius prosequitur D. Ambrosius libro secundo de Iacob & vita beata cap. 5.

Philo lib. de fuga

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXV.

VVLG. Ait, ne irascatur Dominus meus quod coram te assurgere nequeo, quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi, sic delusa solicitudo quærentis est.

Sept. Et dixit patri suo, ne grauiter feras Domine, non possum surgere in conspectu tuo, quoniam quæ secundum mulierum consuetudinem mihi sunt; scrutatus est autem Laban in tota domo, & non inuenit idola.

Cald. Ne displiceat in oculis Domini mei quoniam non possum surgere coram te, cõsuetudo enim mulierum est mihi, & scrutatus est & non inuenit imagines.

Arias. Ne sit ira in oculis Domini mei quia non potero ad surgendum à facie tua, quia via mulierum est mihi, & scrutatus est & non inuenit theraphim.

Aliqui legunt Et mutauit, & nihil inuenit.

CONCORDIA.

Licet in Hebræo nulla fiat delusionis mentio, venustè tamen hoc, nempe scrutatus est & non inuenit idola ab eo, in hæc verba & sic delusa fuit solicitudo quærentis, commutatum est: verbum חפש chapas significat scrutari & mutare, sed proprie reuoluere & cum reuoluis scrutaris, & mutas, hinc est quod vtrumque denotat.

EXPOSITIO.

Ait ne irascatur, ne moleste ferat, *Dominus meus*, non apud omnes filij patrem Dominum nuncupabant; nã apud Romanos, arrogantiæ plenum atque ignominiæ erat si filius hoc nomine genitorem diceret, tamen citra reprehensionem suum sic dixit Rachel patrem suæ, seruiens consuetudini, *quod coram te assurgere nequeo*, tibi debitum honorem referens, *quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit*, phrasis Hebraica, id est laboro menstruorum fluxu, ideo præ infirmitate assurgere non possum, *sic delusa est solicitudo quærentis*, delusus dicitur Laban quia cum ibi laterent idola, inuenire non potuit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mulieres ad inueniendæ cito mendacia promptissimæ.

188 *Ne irascatur Dominus meus quod coram te assurgere nequeo*, qua detineris infirmitate, quæ te à reddendo patri honore dispenset? ait quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi, non est verum te fluxu menstruorum laborare, quomodo ergo asseris tibi secundum consuetudinem fœminarum contigisse? quia mulieres in adinueniendis mendaciis sunt promptissimæ, *promptæ sunt*, inquit Oleast. *valde fœminæ ad mendacia quibus mala opera excusant.*

Oleaster.

Parentes honorandi.

189 *Ne irascatur Dominus meus quod coram te assurgere nequeo*, cur ita vrbane cum patre loquitur, qui sibi infensus & marito quem furti arguit, qui omnẽ supellectilem scrutatus est, vt in furto eum deprehenderet? nihilominus ita vrbane loquitur & non delati honoris excusationem præbet, parentibus enim etiam si nobis infensi fuerint, debitum honorem denegare non possumus; *parentibus*, inquit noster Franciscus Maronius in expositione quarti præcepti decalogi, *debemus exhibere honorem duplicem in genere, & multiplicem in specie, in genere debemus exhibere honorem spiritualem, qui consistit in exhibitione reuerentiæ, & honorem corporalem, qui consistit in sustentatione naturæ, vterque istorum honorum iterum diuiditur, nam exhibitio honoris id est reuerentia tribus modis intelligitur, scilicet in affectu, effectu, & signo; in effectu scilicet timendo offensam paternam, in effectu scilicet obediendo, in signo scilicet assurgendo.*

Noster Fra̅cis Maronius in expositione quarti præcepti.

Compatiuntur

Compatiuntur viri mulierum infirmitatibus.

190 *Ne irascatur Dominus meus quod coram te assurgere nequeo*, itane oppressa infirmitate vt genitori tuo assurgere nequeas, an contigit mihi secundum consuetudinem mulierum, licet labores fluxu menstruorum, quid? surgas & assurgas, tum ob patri debitam reuerentiam, tum vt sua perquirat numina, quamuis barbarus & ferus nihil durum imperat Racheli, nec etiam cogit assurgere, suæ fœmineæ imbecillitati compatiens, *locus est hic*, inquit Lippem. *aduertendi viros, vt vxores humaniter tractent & patienter, infirmitatum tempore.*

Lippom.

Auari tanquam viles non honorandi.

191 *Ne irascatur Dominus meus quod coram te assurgere nequeo*, nonne duplici ratione consurgere teneris, nempe & quia pater est, & quia senex? assurge ergo patri & seni: quisnam erat Laban? auarus equidem: merito igitur ei non consurrexit, quia auari tanquam auari non honorandi. Fauet Hugo Card. *consuetudo est assurgere maioribus, sed tibi non assurgo, quia sectatorem auaritiæ non honoro.*

Hugo card.

Licet aliquando Prælatus diligenter ex officio inquirat de defectibus subditorum, tamen eorum tergiuersatione eluditur illius cognitio.

192 *Ne irascatur Dominus meus &c.* addit Moyses, *sic delusa solicitudo quærentis*, nonne maxima cum diligentia omnem supellectilem reuoluit, vt adinueniret idola? nonne maxima cum solicitudine omnia perlustrauit? quomodo igitur ea non reperit: quia ea abscondit? sed cum Laban sit paterfamilias symbolum Prælati esse potest, sicut Rachel abscondens religiosi, defectus celantis, quid nobis denotabitur Labano quærente tanta cum solertia idola & non inueniente, quamuis reuera essent in Rachelis tabernaculo? Prælatus equidem, qui licet diligenter & ex officio inquirat de subditorum defectibus, eorum tamen tergiuersatione & dissimulatione eluditur illius cognitio, detectique manent impuniti.

Immunditia in sacris arcet homines à diuino cultu.

193 *Ne irascatur Dominus meus quod coram te assurgere nequeo, quia mihi accidit iuxta consuetudinem mulierum*, audiens Rachelem menstruis laborantem, vidensque eam sedentem super stramenta cameli, non amplius scrutatur, sed ab omni inquisitione desistit; nonne audie deos tuos requirebas & nihil non euoluisti, vt eos posses inuenire? tabernaculum non solum Iacobi tibi suspecti, sed etiam filiarum de quibus minus dubitabas ingressus omnem omnium euoluens supellectilem, vt compertum haberes, quis tua surripuerat numina, cur ergo nunc ab omni inquisitione eorum desistis, cur per latera stramentorum non inspicis, vtrum ibi abscondita sint tua quæ veneraris idola? quid ait textus? accidit, inquit Rachel mihi secundum consuetudinem mulierum: quod considerans Rupertus libro septimo capite quadragesimo quarto, fœmineis ægritudinibus approximare immunditiis: quid mirum igitur, si sacrorum desistit inquisitione numinum? quia nihil ita arcet nec ardentissimum deorum quæsitorem, ab eorum inquisitione, quam immunditiæs cognita in loco vbi dij esse censerentur, nihil enim ita reuocat à reddendo cultu vero numini, quàm immunditiis vel locorum vbi adorandus est, vel eorum qui aliis præbent adorandum, quod annotat Guill. Paris. lib. de Legib. ca. 5. *ab immunditia corporali voluit Deus vt se obseruares populus Hebræorum, ita etiam vt egestiones ventris vnusquisque fodiens absconderet, propter prouocationem & exemplum aliarum gentium, vt videntes populum Israelis declinantem immunditias & munditiam sectantem, prouocarentur ad ritus & consuetudines eorum.*

Guill. Paris. lib. de Leg. ca. 5.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XXXVI.

VVLG. Tumensque Iacob cum iurgio, quam ob culpam meam & ob quod peccatum meum sic exarsisti in me? persecutus est post me.

Cal. Et iratus est Iacob, & rixatus est cum Laban, & respondens Iacob dixit ad Laban, quæ est iniquitas mea & quod delictum meum quia persecutus est post me.

Sep. Quæ iniustitia mea & quod peccatum meum?

Pag. Et ira fuit Iacob, & iurgatus est cum Laban quæ est præuaricatio mea, quod peccatum meum quia persecutus est me?

Oleast. Quæ rebellio mea?

CONCORDIA.

Dictio פשע pasa potest significare rebellare, & à voluntate Domini exire, aut à præcepto ex superbia, & ideo nomen פשע pise vertit Oleast. rebellio, verbum דלק dalak cui Hebræi duas tribuunt significationes, nempe ardere & persequi, vtramque legitime complectitur, licet magis proprie significet persequi, & ex consequenti ardere, quod persequentes æstuare & ardere soleant.

EXPOSITIO.

Tumens Iacob, præ ira & indignatione iusta *cum iurgio ait*, voce elata & aspera, *quam ob causam*, nempe vel *quam ob culpam meam & peccatũ meũ*, quid in me reperisti vituperio dignum & quod te offendere potuit? *sic exarsisti in me*, itaut supellectilem meam tanta cum suspicione furti totam perlustrares & attente inspiceres.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Furtum etiam non cognitum in vxore, mariti bilem excitat.

194 T*Umens Iacob cum iurgio ait &c.* Iacob ille [illegible], ille mansuetus, nunc primùm tumet, & etiam cum iurgio, iratumque se exhibet in domo sua, vnde tantus affectus [illegible] potuit Iacob contingere? vxor eius Rachel furata erat idola Laban patris sui, illa inscio marito occultabat, quod idolorum furtum etiam à Iacob ignoratum insensibiliter reddebat maritum iurgiis [illegible], & iris: pulchre ad hoc Rupert. lib. 7. in Genes. cap. 45. inquit, *tumor vel iurgium [illegible] motus est at vero Iacob in hac causa liber non erat, namque enim nesciret penes tamen ipsum causa [illegible] idest culpa furtumque erat,* vbi idolorum furtum ab vxore peractum domi seruatur, quid mirum quod etiam [illegible] mariti non abstineant à iurgiis, non [illegible] à [illegible]? furtum hoc etiam latenter inspirat & iurgia & iras in maritorum cordibus.

Rupert. lib. 7. in Genes. ca. 45

Virtus audaces nos efficit, peccatum timidos.

195 *Tumens Iacob cum iurgio ait, &c.* quomodo etiam verbis [illegible] socerum tuum audes aggredi? nonne [illegible] est & inhumanus? benigne ergo cum eo loquere, [illegible] Iacob? nonne pius & iustus? [illegible] loquutum socero, virtus enim audaces efficit, sicut & peccatum timidos, [illegible] (inquit Oleast.) [illegible] timor culpa [illegible] hominem, [illegible] vero audacem [illegible] & [illegible] idola [illegible], [illegible] vero non inuenit audax factus est.

Oleast.

Iusti iniquorum rationibus ora obstruunt.

196 *Tumens Iacob cum iurgio ait, quam ob causam meam &c.* Nonne mansueti etiam illatis sibi iniuriis [illegible]? quomodo non solum respondet Iacob, sed etiam cum iurgio, suæ fidelitatis exhibet testimonium? nonne Laban eum falso accusauerat? [illegible] igitur si responderet, iusti enim iniquorum ora debent obstruere, *quandoque bonum est* (inquit Seraph. Porr.) *vt boni rationibus obstruant ora loquentia contra seipsos bonos iniqua, nam ex reddita ratione clara conuincitur impius, & in se [illegible], ac à malo vtcumque compescitur,* imo Spiritus sanctus consulit dicens Prouerb. 26. responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur, quod explicans hic Theodorus Peltanus ait, licet oporteat stultorum orationem velut responsione indignam contemnere, attamen si quando illi respondendum videatur, ne se solum sapere existimet, aut ne aliis sua stultitia noceat, responde illi cordate & sapienter, hoc est eiusmodi verbis quæ illius stultitiam palam ostendant.

Seraph. Porr.

Prouerb. 26.

Theodorus Peltanus.

Tumor & iurgium Christianis indecens.

197 *Tumens Iacob cum iurgio ait,* nonne iustus est Iacob? quomodo iurgatur iratus sibi inuicem? vestigies enim hominis iusti & patientis quam nobis depingit Tertul. lib. de Patien. cap. 15. à tumore & iurgio aliena est, sic enim ait, *vultus eius tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta, remissa æque in lætum modum supercilia, oculis humilitate non infœlicitate deiectis, os taciturnitatis honore signatum, color qualis securis & innoxiis, motus frequens capitis in diabolum & minax risus, cæterum amictus circum pectora candidus & semel corpori impressus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur, in throno Spiritus eius mitissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis apertus & simplex, nam illius Deus & alumna eius patientia,* hæc Tertul. secundum ergo hanc effigiem iusti & patientis, non videtur iustus & patiens Iacob, siquidem nec tumor nec iurgium debet esse in patiente, quomodo ergo Iacob iustus prædicatur? iustus equidem veteris testamenti, in quo lacessito iniuste tumor erat excusabilis & iurgium tolerari poterat, in Christiano autẽ vtrumque damnatur, cum nec in tumorem animus eius, nec vox in iurgium debeat prorumpere.

Tertul lib. de patien. cap 15.

Tertul lib. de patient. cap 10.

Vitiis irascimur non personæ.

198 *Tumens Iacob cũ iurgio ait,* Cald. iratus est Iacob, Pagni. ex Hebræo ira fuit Iacob, miror hominem quem Deus innumeris fauoribus prosequitur tot ab eo beneficiis cumulatum, & quem iustum prædicamus, iratum? nonne ira prohibetur tanquam anima lethalis? D. Basil. enim hom. de ira sic de ea loquens disserit, *sicut discrepantia nomina sunt indignationis & iræ, sic diuersa eorundem est significatio, indignatio enim est [illegible] quidam breuis, ac subitus, accensusque passionis vapor, ira vero permanens à diuturna tristitia & velut [illegible] quadã se vindicandi: animaduerte itaque quod vtroque affectu homines delinquant, vel [illegible] contra [illegible] commoti, vel per doles [illegible] iniuriam circumuenientes, quæ ambo nobis omnino cauenda,* & Ambr. in Psalmũ 36. ira grauis passio est, plerumque accẽdit inuitum & volente [illegible] vindicare, in furorem rapit, vt perimat quem putauerit coercendum, commotus gladio sæpe transuerberat innocentem, amicos & fratres, per indignationem plurimi peremerunt, ideo Sapiens dicit Prouer. 15. (iuxta editionem sep.) ira perdit etiam sapientes, & Dauid ait sapientem monẽ, desine ab ira & relinque indignationem, si ita lethalis igitur est ira, quomodo Iacob qui iustus censetur, irascitur, & non quomodocumque sed cum iurgio? dicamus irasci non personæ sed vitiis eius & insolentiæ, vt ea arguat & reprehendat, quod quidem licitum est iuxta expositionem Euth. datam his verbis Psal. 4. irascimini & nolite peccare ait, *qui irascitur vt illatas [illegible] vlciscatur, irascitur & peccat, qui vero tantum irascitur vt alterum corrigat, irascitur quidem sed non peccat.*

D Basilio. de ira.

Ambr. in Psal 36.

Prou. 15.

Psal. 38.

Euthym.

Læsa patientia fit furor.

200 *Tumensque Iacob cum iurgio ait,* vbi nam illa mansuetudo? vbi illa tolerantia in ferendis filiorum Laban opprobriis & soceri tui contumeliis? imo vbi illa taciturnitas in tot fraudibus tibi illatis? quomodo igitur æstuas iracundia? tumes iurgiis, & in verba aspera prorumpis? none patientissime omnia sustinuit, & tamen Laban ab iniuriis non cessauit? quid mirum igitur tumentem, & iratum iurgari: læsa enim patientia fit furor, *in Iacob* (inquit Hamer.) *verba audimus plena tranquillitatis & modestiæ, insurgit hic tragico cothurno & contorta vibrataque verba in Laban iaculatur; neque mirum hoc cui videri debet*

Hamer.

quando-

quando, videm nullum animal tam minutum aut im-becille est, quod tamen non excandescat ira, verum est cer-te prouerbium illud, sua est & formicis ira.

VARIETAS LECTIO. VERSVS XXXVII.

VVLG. Et scrutatus es omnem supellectilem meam, quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis & iudicent inter me & te.

Sept. Quia scrutatus es omnia vasa domus meæ, quid inuenisti de vniuersis vasis domus tuæ? pone hic in conspectu fratrum tuorum, & fratrum meorum & arguant inter nos duos.

Cald. Quoniam attrectasti omnia vasa mea &c.

Pag. Qui contrectasti omnia suppellectilia mea, quid inuenisti ex omnib' suppellectilibus dom' tuæ? pone hic coram fratribus meis & fratribus tuis, & declarent inter ambos nos.

Oleast. Increpent inter duos.

Aria. Et arguant inter ambos nos.

CONCORDIA.

QVod apud nostrum interpretem est de cuncta substantia domus tuæ, in Hebræo est כלי chele idest vasis, vocant autem Hebræi omnem suppellectilem vasa, sunt enim arma vasa, sunt pocula vasa &c. recte ergo transtulit interpres de cuncta substantia domus tuæ, in Hebræo est ביתך bethecha quod transtulit interpres recte secundum sensum, iudicent.

EXPOSITIO.

SCrutatus es omnem suppellectilem meam, omnia quæ erant apud me & in tabernaculis vxorum mearum & ancillarum maxima cum diligentia inuestigasti, *quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ?* hoc conquerens de iniuria sibi illata à Iacob dicebat, innocentia mea tibi comperta est, cum nihil eorum quæ apud me esse dicebas reperisti, *pone hic coram fratribus meis & tuis*, id est coram cognatis, *& iudicent inter me & te* scilicet, te male mecū egisse, cum innocentia mea tibi sit nota.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Fugienda est huius sæculi bonorum cupiditas.

201 Q*uid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ?* nonne ô Iacob Laban socer tuus scrutatus est omnem suppellectilem tuam, & per plures annos apud dominum eius commoratus es? quomodo igitur nihil quod suum esset apud te reperit? satisfacit Ambr. libro de Iacob & vita beat. cap. 5. *omnia sua tanquam contagium fugit*, expende quid dicat Iacobus, quod mundi per Labanum designatum res & omnia talis bona tanquam, præsentissimam pestem abominatus est.

Bonæ conscientiæ maxima est fiducia.

202 *Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ?* pone hic coram fratribus meis & tuis, cur non sies Iacob? cur non times apud aliquem, ex tuis deprehensa esse idola illius? Rachel enim ea furata erat, obmutescere deberet, non obmutescit, imo audacter loquitur, nullius enim criminis aut furti conscius; bonæ enim conscientiæ maxima est fiducia: sic noster Titelmanus explicans hæc verba cap. 11. Iob vers. 14. & 15. si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris à te, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, *id est, si tam om diligentia studueris ter, quasi omni peccato carere, tunc poteris cum bona fiducia ad Deum faciem leuare, posses in hac confusione sine rubore & sine vllo peccati remorsu, aut conscientia coram Deo opponere, nam sicut is qui bene lotus fuerit aqua ab omni macula corporali, audet confidenter faciem suam ostendere qui vero maculatam habet faciem erubescit eā in publicum ostentare.*

Qui irreprehensibilis est, alios arguere potest.

203 *Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ?* profer scilicet in medium, vt cognati vtriusque innocentiæ meæ testes, te tanquam reum condemnent; quomodo cum sis minor ætate soccerum tuum audes nunc illum arguere? verba enim tua non aliud sonant, quam qui irreprehensibilis est, alios si terfuerint, potest arguere. Haec D. Ambr. lib. 2. de pœnit. cap. 8. qualis esse debeat qui alium reprehendit, nempe nullius criminis conscius, ait, *mensamus alicuius auaritiam, recordemur si nihil ipsi auare fecimus, ne dicat nobis Dominus lesus aut aliquis ex discipulis eius festucam in oculo fratris tui vides, trabem autem quæ est in oculo tuo non vides, hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo & tunc videbis eiicere festucā de oculo fratris tui.*

Deus permittit suos in discrimen venire, vt eorum virtus magis appareat.

204 *Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ?* si Deus nihil inuenturum Labanum in tabernaculo Iacob nec in tabernaculis vxorum siue ancillarum non ignorabat, quomodo permittit hanc iniuriam, & tanquam furis omnem suppellectilem inuestigari? vt illius innocentia & æquitas omnium oculis aperta magis haberetur, *permittit Dominus iustorum*, inquit Oleast. *tabernacula inuestigari vt illorum iustitiam ostendat.*

Ambr. lib. de Iac. ca. 5.

Iob 11. Titelman in hoc caput.

D. Ambr. lib. 2. de pœnit. ca. 8.

Luc 6.

Oleast.

Nullus nec absens aut indefensus damnandus est.

205 *Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ pone hic coram fratribus meis & iudicent inter me & te*; tibi sufficiat dicere, pone crimen meum coram fratribus tuis & meis, vt de eo ferant sententiam, & si quid noxium commiserim, puniant; sin minus in Laban animaduertant, me iniuste persequentem: cur addidisti, pone hic, hoc est in mea præsentia dum ego adsto: quia enim iudicium exercendum sit per fratres imo & per parentes, nunquam ille exercebitur, nisi reo per seipsum aut per alium defensorem adstante: quod Orig. obseruat in illa verba 2. ca. ad Rom. inter se inuicem cogitationibus defendentibus, aut accusantibus, *rectum iudiciū Dei, quis dubitet esse vbi accusatores adhibētur & defensores & testes? & quidem de hoc iusto Dei iudicio nos homines exemplum capiamus, nec puniemus vnquam sine accusante & defendente, & testibus iustum haberi posse iudicium*, expende illa verba sine defendente, quasi diceret nullum forum damnabit hominem absentem aut inauditum & indefensum.

cap 2. Rom.

Orig. in 2. ad Roman.

Ille magnificandus qui nullum vicinis suis præbuit incommodum.

206 *Quid inuenisti de cuncta substantia tua domus tuæ? pone hic*, quasi diceret, omnem nostram scrutatus es suppellectilem, & tamen nihil quod tuum sit inuenisti: quomodo Iacob in tanto diuitiarum augmento, nihil alienum habere præsumit? quomodo nihil iniuria partum apud se inueniri credit? in hoc celebrandus maxime Iacob qui ita creuerit in facultatibus vt nullum alijs damnum intulerit, *quanta virtus*, inquit Ambr. lib. 2. de Iacob cap. 5. *cui societas lucrum dat, non irrogat dispendium? hoc est perfectum esse adhærentibus sibi commodi plurimum dare nihil afferre incommodi.*

D. Amb lib. 2. de Iac. c. 5.

VARIETAS LECTIONVM VERS. XXXVIII.

VVLG. Idcirco viginti annis fui tecum? oues tuæ & capræ non fuerunt steriles, arietes gregis tui non comedi.

Sept. Hos mihi viginti annos ego sum tecum, arietes ouium tuarum non comedi.

Cald. Istis viginti annis quibus ego fui apud te oues tuæ & capræ tuæ non fuerunt orbatæ.

Pag. Oues & capræ tuæ non fuerunt abortitæ.

CONCORDIA.

VErbum שכל sacal duplicem sortitur significationem, interpretatur enim orbari, vt Genes. 43. vers. 14. tum etiam abortire vt hic & Iob 21. vers. 10. hinc fit quod Caldæus vertit capræ tuæ non fuerunt orbatæ. Pag. autem abortitæ, quod autem abortum non patitur non est sterile.

EXPOSITIO.

IDcirco viginti annis fui tecum? interrogatiue hoc exponendum est, an seruitium tot annorum meretur seruitium in tabernaculo meo factum? sed vlterius progredior, *oues tuæ, & capræ tuæ non fuerunt steriles*, diligentiam maximam adhibui vt omnes greges tui fœcundissimi essent, *arietes gregis tui non comedi*, quod pastoribus sæpe contingit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Prælatus etiam cum sui dispendio subditis debet inuigilare.

207 OVes tuæ & capræ tuæ non fuerunt steriles, deinde subiungit *arietes gregis tui non comedi*, postea addit, die nocteque æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, &c. nonne sufficiebat greges soceri sui labore & fidelitate sua multiplicasse? cur frigora sustinuit? cur æstum pertulit & alia innumera incommoda vt ouibus Labani consuleret? quia Prælatus subditis sibi cōmissis etiam cum sui dispendio debet inuigilare: ad hæc optimi pastoris verba sic de se solicitus aiebat Cellensis lib. 3. Epist. 1. *hæc lego & non inconsolabiliter iner. tam meam lugeo, vbi namque oues curæ meæ? vbi capræ non steriles? vbi Iacob, vbi Abbas tam sedulus exhortator, tam fervidus redargutor, tam acutus prouisor, tam beneuolus persuasor, tam contra rabiem luporum potens, tam contra morbos sapiens, tam ad aeris intemperiem patiens, tam ad latronum insidias prudens, tam fidelis in commisso, tam vigilin euitando damno, tam perseuerans in seruitio, timeat pastor qui nihil nomine pati pro gregibus, qui nulli se opposuit lupo, qui nullas vigilias fecit, qui nullam intemperiem iniuria passus est.*

Petrus Cellen. li. 3. epist. 1.

Bona huius sæculi tam difficulter acquiruntur & tanti æstimantur, bona autem cælestia facile & paruipenduntur.

208 *Viginti annis fui tecum*, scilicet vt mihi aliquas facultates compararem, deinde quot labores in domo eius perpessus fuerit, aperit, quot molestias, quale frigus, quantum æstum tulerit, en quanta ob bona terrena adipiscenda, & tamen cum à Deo ipsemet Iacob benedictionem, tutelam, fortitudinemque peteret, vix vnius noctis laborauit spatio & obtinuit, ecce luctabatur cum eo vsque mane & benedixit ei in eodem loco Genes. 32. quomodo tot annos consumpsit in acquirendis facultatibus terrenis,

Gen. 32.

terrenis, & vix vnius noctis spatio laborauit in acquirenda benedictione Dei, vt mundanos pudeat qui pro bonis huius sæculi ita insudant, licet difficulter acquirantur & nihil faciant bona cœlestia, licet facile compararentur, quod considerans D. Bern. Epist. 341. merito exclamat dicens, *nonne malorum insatiabilia desideria? arguunt nos negligentiæ & tepiditatis, pudeat certe nos spiritualium bonorum minus cupido inueniri, erubescat anima conuersa ad Dominum minori affectu sectari iustitiam quam iniquitatem antea sectaretur, pudeat proinde negligentius nunc in vitam quàm prius in mortem ire, & minori studio salutis accipere quàm perditionis augmenta.*

D. Bernard. epist. 341.

Boni in acquirendis bonis spiritualibus non soli laborant, sed Deus cum eis: mali autem in comparandis sibi terrenis nec eis cooperante mundo, insudant.

209 *Viginti annis fui tecum &c.* deinde, æstu vrebar & gelu, cur non ait; mecum fuisti viginti annorum spatio, mecum nimiis caloribus æstate vrebaris, & gelu hyberno tempore torquebaris, cum autem benedictionem à Deo accepit, dicitur quod luctabatur Angelus cum eo, eo quod simul vigilabat & noctis intemperiem ferebat, quomodo igitur Labano dormiente, in deliciis agente, & nihil de Iacobo curante, solus Iacob est in vigilia & in labore, solus æstu vrebatur, non sic autem quando benedictionem exquisiuit? nam si ipse vigilabat & Deus cum ipso, & si luctabatur & Deus cum ipso, itaut non esset solus ad laborem, sed etiam Deus cum illo non obsistens, imo illum ipsamet sua adiuuans præsentia, & fortem cum gratia sua constituens: quia homines in acquirendis bonis spiritualibus non solum laborant, sed Deus cum eis, in comparandis autem sibi bonis terrenis, nec eis cooperante mundo, insudant.

Voluptates possessæ fastidiunt, imo & cruciant.

210 *Viginti annis fui tecum*, deinde conqueritur se gelu, cum caloribus nimiis tolerasse, quid lamentaris Iacob? nonne pro tua laborasti Rachele? nonne parui tibi videbantur anni, exigui labores præ amoris magnitudine, paruæ ærumnæ, vita suauissima? cur nunc tumes, aut conquereris, & quasi vsq; ad cœlum exclamas? ne mireris, sitim expleuerat, ad optata peruenerat, iam amplius Rachelis amplexus non sitiebat, & sic nunc satiatus absynthium percepit, quod sitibundus non perceperat, quod de omnibus eleganter affirmat D. Hier. lib. 2. in cap. 2. Ierem. dum ait, *humanum genus recto Dei iudicio in calamitatibus suis dimissum, atque per easdem voluptates spontaneis tribulationibus tradito absynthio est ebrium; quia & amara sunt quæ pro huius amore vita toleras & tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis* (notanda verba) *quasi insensibilitate ebrius ignorat, mundi enim gloriam sitiens dum multas pro ea tribulationes reperit amarum est quod bibit; sed quia hoc nimis bianter sumpsit eiusdem amaritudinis malum decernere iam præ ipsa ebrietate non sufficit.*

D. Hier. lib. 2. in c. 2. Ierem.

VARIETAS LECTIO. VERSUS XXXIX.

VULG. Nec captum à bestia ostendi tibi, ego dānum omne reddebam, quidquid furto peribat à me exigebas.

Sept. Captum à bestia non attuli tibi, ego soluebam, à meipso furta diei & noctis.

Cald. Dilaceratum non adduxi tibi, quod deficiebat ex numero à me, tu quærebas, illud custodiebam in die, & custodiebam in nocte.

Pag. Raptum non attuli tibi, ego pœnas luebam pro eo, de manu mea requirebas illud sic quod furto surripiebatur tam de die quam de nocte.

Oleast. Ego peccabam, *alij*, ego illius peccati reus eram.

Arl. Ego expiabam illud de manu mea, requirebant illud furto ablatum diei & furtum ablatum noctis.

CONCORDIA.

Verbum אטח chata peccare & mundare siue purgare significat, interpres verbum pro secundo significato sumpsit, aliquid amplius habetur in Hebræo quam apud nos, scilicet quàm de die quàm de nocte, sed per illud quidquid furto peribat omne, etiam tempus in quo furtum committebatur exprimitur.

EXPOSITIO.

Nec *captum à bestia ostendi tibi*, si enim accidit vt à lupo ouis vel capra occidatur, si pastor partem illius ostendit domino, manet liber & immunis ab ea persoluenda, nihilominus Iacob quāuis id licite posset, damnum resarciebat, sic enim ait *ego damnum omne reddebam*, scilicet in gregibus emergens persoluebam *quidquid furto peribat à me exigebas*, cogebas vt id tibi restituerem quamuis culpa mea non periisset.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Mira aliquorum seruorum sed rara fidelitas.

212 NEc captum à bestia ostendi tibi, quid ergo agebas? *ego damnum omne tibi reddebam*, si tua culpa non peribat, cur persoluebas? vel qua de causa ei quod ab aliquo animali dilaceratum fuerat non ostendebas? vt miram Iacob in seruiendo Domino fidelitatem compertam habeamus, quod obseruat Oleast. & ait, *considera hic quam fideliter sancti Dominis inseruiant, neque vtantur iuribus suis, quis pascit gregem & de lacte eius non manducat? arguuntur infideles serui sua infidelitatis erga Dominos suos, cum videamus quali cura & solicitudine Iacob seruabat pecora Laban.*

Peccatores ad agnitionem sui reatus adducendi.

213 *Nec captum à bestia ostendi tibi*, cur fidelitatem tuam memoras? *ego damnum omne reddebam*, cur excessum æquitatis tuæ in medium proponis? *quidquid furto peribat à me exigebat*, cur refers tui soceri barbariem? cur illi obijcis suam ingratitudinem? vt pudore suffusus in delicti sui cognitionem veniat ac pœniteat: *recenset* (inquit noster Ferus) *vitam suam iustus & labores non vt seipsum commendet, sed vt Laban hinc discat se male facere & fecisse, ob eandem causam etiam ingratitudinis meminit quam perpessus fuerat, vt vel sic rubore perfunderetur Laban, ac peccatum suum agnosceret, omnibus enim modis agendum est vt impii ad cognitionem proprij reatus adducantur.*

Noster Ferus.

Miseranda sors seruorum.

214 *Nec captum à bestia ostendi*, imo subiungit, *quidquid furto peribat à me exigebas*, nonne libenti animo dilaniatam ouem à lupo ipsemet ex suo tibi restituebat? cur igitur quod furto subtrahebatur ab eo innoxio exigis? nonne satis diligentiæ & laboris in tuis pascendis gregibus impendit? cur igitur etiam indebitum expetis? quia ita miseranda sors seruorum vt laborare cogantur, & conmuniter etiam laborum memoria cito deleatur; *oblitus es* inquit B. Chrysost. inducens Iacob conquerentem de Labano, *laborum quos exantlaui pascens greges tuos.*

B. Chrys. hom. ...

VARIETAS LECTIONVM VERSVS xl.

VVLG. Die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.

Sept. Factus sum combustus diei æstu & glacie noctis, & abscessit somnus ab oculis meis.

Cald. In die consumebat me æstus, & glacies descendebat super me in nocte.

Pag. Fui in die, consumebat me æstus, & gelu in nocte.

Oleast. Elongabat se somnus ab oculis meis.

CONCORDIA.

OMnes versiones eundem sensum habent, & noster interpres verbum נדד nadad licet propriè significet elongare, bene vertit vulgatus fugiebat, qui enim fugit se elongat.

EXPOSITIO.

DIe noctuque vrebar æstu & gelu, hic locus satis arguit in vna & eadem terra haud cuiquam diurnũ æstum parem esse nocti, neque nocturnum gelu respondere diei, sed à se discrepare, *fugiebat somnus ab oculis meis*, ne feræ inuentes gregem depopularentur.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Prælatus saluandis animabus perpetuo inuigilare debet.

215 DIe noctuque æstu vrebar & gelu, qua de causa? vt oues & capras mihi cõmissas custodirem, sed in hac cura & solicitudine nec non tot laborũ tolerantia in ouibus custodiendis, aliquidne colligere possunt animarũ pastores? hoc inferre tenentur quod quantũ homines potiores sunt ouibus, tanto maiores vigilias & grauiores ac diuturniores labores pro eis Deo acquirendis ac conseruandis suscipere debent, perientie sane hos muneris sui aculeos S. Damasus Papa qui occasione verborum Iacob quæ attulimus ait Epist. 4 *si ergo sic laborat & vigilat qui pascit oues Laban? quanto labori quantisque vigiliis debet intendere qui pascit oues Dei?*

S. Damas. Papa. Epist. 4.

Idem conceptus confirmatur.

216 *Die noctuque vrebar æstu, fugiebatque somnus ab oculis meis*, nonne sæpius pastores & lenti & ociosi ad diffusæ arboris vmbram ludibundi excubare, & è gregis lacte, carnibusque non omnino insipide vesci solẽt? quomodo igitur Iacob qui pastor ouium erat ait se cœli intemperiem tulisse, somnumque ab oculis suis recessisse? quia iusta similitudine referebat Prælatum, à quo amplius requiritur quàm à Pastore, cui nec vllum vnquam otium licet, nec sua,

suas in subditorum gubernatione commoditates quærere, decorum est, lege Nazianzenum in Apolog. de hac veritate docte & erudite, disserentem.

Rex plurima pro suis tolerare debet incommoda.

217 *Die noctuque æstu urebar, fugiebatque somnus ab oculis meis*, nonne sufficiebat gelu tolerare? immoderatos solis calores sustinere? cur etiam insomnes noctes vis transigere? in exemplum Regum, qui pro suis subditis conseruandis innumera debent tollerare incommoda, sic Synesius de regno, *qui fœlicissimam Dei beneficio est adeptus fortunam, cuique in prima ætate magni Regis appellationem concessit, eum nullum non laborem perferre oportet, & ab omni vita commoditate separari, & somni quam parcissimi, sollicitudinum autem plurimarum esse participem siquis regis nomen non immerito velit obtinere.*

Synesius de regno.

Prælatus cum sui dispendio suis præstet securitatem.

218 *Die noctuque æstu urebar*, qua de causa? vt commissas oues custodiret, tantine pretii sunt greges, vt tantum laborem pro eorum salute debeat impendere, cum tot sibi incommodis illatis? eos solum custodiat; imo etiam cum sui dispendio vt suis præstet securitatem; ita D. Basil. Seleu. oratione 26. in illud ego sum Pastor bonus, *notus sum noctium rigoris & æstus ardorisque diurni patientiâ & quasi staret in acie depugnans omnibus securitatem præstabat.*

Basil. Seleu. orat. 26.

Humiliter de se sancti loquuntur.

219 *Die noctuque æstu urebar, & somnus fugiebat ab oculis meis*, nonne laborabas in somno expellendo? cur ergo nō ais fugiebā somnum, non autem fugiebat somnus ab oculis meis? non ita loquitur, ne se de suo labore iactare videretur, sic Ioan. Cluniā. tomo. 2. serm. 19. *non dicit fugiebam somnum sed fugiebat somnus ab oculis meis vt videas quanta humilitate viri sancti de seipsis loquantur.*

Ioan. Cluni. tom. 2. ser. 19.

Vigilantia debet inesse patrifamilias.

220 *Somnus recedebat ab oculis meis*, nonne tibi erant famuli, quibus imperare poteras, vt gregi tuo consulerent, curamque ouium tuarum agerent? cur ergo ab oculis tuis somnus recedit? quia patris familias, qualis erat Iacob, maxima debet inesse vigilantia, *expergisci*, inquit Hamer. *decet prius Dominum quam seruum, & cubitum ire posterius, nec vnquam incustoditam esse domum, quemadmodum & vrbem quando opus est, neque die nec noctu.*

Hamer.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XL. & XLI.

VVLG. Sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis, immutasti quoque mercedem meam decem vicibus.

Sept. Hos mihi viginti annos ego sum in domo tua, &c. & decepisti mercedem meam decem agnabus.

Oleast. Transire fecit mercedem meam.

VVLG. Nisi Deus Patris mei Abrahā & timor Isaac affuisset mihi, forsitan nudum me dimisisses, afflictionem meam & laborem manuum mearum respexit Deus & arguit te heri.

Sept. Nunc vtique vacuum me dimisisses, humiliationem meam & laborem manuum mearum respexit Deus.

Cald. Nisi quod Deus patris mei, Deus Abrahæ, & ille quem timebat Isaac, fuisset in adiutorium meum, iam nunc vacuum me dimisisses, labor meus & afflictio manuum mearum manifesta sunt coram Deo, & arguit te hesterna nocte.

Pag. Nisi Deus &c. fuisset pro me, quia nunc vacuū dimisisses me &c. increpauit te nocte præterita.

Oleast. Vidit Deus humilitatem.

CONCORDIA.

VErbum חלף calaph significat transire, quod autem transit mutatur, hinc est quod immutare alij dixerunt, cur autem septuaginta dixere decepisti mercedem meam decem agnabus, consule ea quæ diximus in concordia versus septimi.

VErbum ענה anah respondere & humiliari significat, qui autem ab alio humiliatur, quodammodo affligitur, hinc est quod vbi Sept. habent, humiliationem & Oleast. humilitatem, legit noster vulgatus afflictionem, dictio אמש emes aliquid amplius dicit quam heri, sed noctem præteritam.

EXPOSITIO.

SIcque per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quasi diceret, non solum tot incommoda tuli per aliquot dies, sed per plurimos annos, & eos viginti, *immutasti quoque mercedem meam decem vicibus*, quomodo hoc intelligendum venit, vide quæ diximus vers. septimo.

NIsi Deus Patris mei Abraham qui me meritis suis mei protexit, *& timor Isaac* timor metonymicè capitur pro obiecto timoris, nempe pro Deo (licet in conceptibus etiam aliomodo exaliquorum Patrum sententia exponemus) & est sensus, Deum Abraham & Deum Isaac patris mei mihi semper & in necessitatibus meis præsentem expertus sum, nam si mihi defuisset *forsitan nudum me dimisisses*, nulla mercede mihi assignata pro tot annorum obsequio, *afflictionem meam & laborem*

manum mearum Deus respexit, cum sit æquissimus & nihil irremuneratum relinquens *& arguit te heri* scilicet cum tibi in somnis apparuit & præcepit ne aliquid aduersum me asperius diceres.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Non defatigentur Prælati curandis animabus.

221 *Sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi,* cur annumerat annos quibus obsequium præstitit Labano? nonne sufficiebat dicere quod ardores solis sustinuerat? quod gelu noctis & alias cœli inclementias tolerauerat? prudenter ita diuturnum tempus quo pascendis gregibus auunculi consumpsit, refert, vt discant Prælati nullomodo curandis animabus defatigari, sed in ferendis pro eis incommodis perseuerare, *vide Pastoris vigilantiam* (inquit Chrysost.) *vidisti intentum studium, qualem habebunt excusationem hi quibus rationales greges sunt crediti & magnam præseferunt negligentiam, & iuxta Prophetam pecudes alias mactant, alias à bestiis captas contemnunt, alias vero ab aliis raptas reducere non curant, tametsi minor sit labor & cura facilis, anima enim est qua docetur; illic enim multus est & corporis & animi labor &c.*

S. Chrysost.

Non amicus deserendus nisi grauissimis & iustissimis de causis.

222 *Sicque per viginti annos in domo tua tibi serui-ui*, consideremus quam inuitus sit Iacob in enumerandis iniuriis à Labano acceptis, & beneficiis in eum collatis, quidquid furtum peribat, à me exigebas, oues tuæ & capræ steriles non fuerunt; arietes gregis tui non comedi, ego damnum omne reddebam, cum septem annos seruitutis promisissem, pro Rachele, coactus fui totidem pro Lia præstare, imo modo, nudum me dimisisses, nisi Deum adiutorem habuissem: cur sic Iacob acceptas recenset iniurias à socero? cur earum non immemor libenter ei omnia condonat? nonne Iacob amicum virum multisque beneficiorũ & amicitiæ titulis ligatum relinquebat? merito igitur euidentes fugæ suæ causas exponit, ne amicum sine causa legitima deseruisse videretur, *constans enim debet esse amicitia,* inquit D. Ambr. lib. 3. offic. c. 16. *perseuerare in affectu, non puerili modo amicos mutare vaga quadam debemus sententia.*

D Ambr. li. 3. off. cap. 16.

Iusti de se humiliter sentiunt.

223. *Nisi Deus patris mei Abraham & timor Isaac adfuisset*, idest Deus intuitus est merita parentum meorum, eorumque intuitu me in omnibus protexit: sed o Iacob cum tot bonis operibus sis ditissimus, totque meritis clarus, cur non ais, Deus patientiam meam, innocentiam & alias virtutes meas considerauit? quia iusti sicut de se humiliter sentiũt, sic etiam de se maxima cum humilitate loqui tenentur, *in hoc humiliabat se Iacob,* inquit Abul. *quia licet ipse vir sanctus esset non attribuebat hoc meritis suis, sed meritis patrum suorum Abrahæ & Isaac.*

Alphonsus Tostatus.

Deus maxime timendus, imo omnium timor

224 *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac adfuisset*, diximus in expositione litteræ, timorem hic metonymice sumendum pro obiecto timoris, nempe pro Deo, sed qua de causa, clarius non est loquutus dicens Deus Isaac patris mei? cur Deum ipsum appellauit timorem? quia Deus maxime timendus est, imo omnium timor, *vocant Hebræi*, inquit Oleast. *aliquando Deum pauorem quod maxime sit timendus, quod forsitan à Caldæis mutuarunt, qui frequentissime Deum pauorem vocant, imo Isaias cap. 8. vers. 15. Deum vocat pauorem & timorem Israel.*

Hieronim. ab Oleast.

Isaiæ 8.

Quandiu viuimus, etiam si iustissimi, semper timere debemus.

225 *Nisi Deus patris mei Abraham & timor Isaac adfuisset*, diximus in superiori conceptu timorem Isaac perinde esse ac Deum Isaac, sed qua de causa Abrahæ Deũ proprio nomine expressit at vero Deũ Isaaci alio timoris nomine appellauit? respondent sapientissimi apud Oleastrum, *quia Abraham per id temporis iam defunctus timoris expers quiescebat, at vero Isaac adhuc superstes inter timoris æstus fluctuabat, quandiu enim anima in corpore residet, tandiu necesse est vt timor diuinus in anima commoretur; quia sicut corpus anima, ita anima diuino timore animatur,* vnde Iusti. Martyr. q. 28. ad Ortho. *vt,* inquit, *enim anima discessit à corpore mortuum corpus & male olet & immundum est, sic timor Dei ab anima sejunctus mortuus est animus & tetrum odorem efflat & immundus est.*

Oleast.

Iust. Mart. quæst. 28.

Deus præcipue est iustorum qui iam è viuis excesserunt.

226 *Nisi Deus patris mei Abraham & timor Isaac adfuisset*, quare Iacob mentionem Abrahæ & Isaac fecit, eodem modo dicens deus Patris mei Abrahæ & Deus Patris mei Isaac, vel timor patris mei Abraham & timor patris Isaac non enim minus potest dici de Abraham quod Deum timuerit, quàm de Isaac: audite quomodo respondeat Episcop. Burgens. ex sententia Hebræorum addit. 2. *dicunt,* (inquit,) *quod Deus non nominatur Deus alicuius singularis personæ, nisi postquam est extra fluxibilitatem huius vitæ, eo quod homines dum in hac vita sunt, possunt mutari de statu gratiæ in quo sunt filii Dei ad lapsum in quo potius filii iræ: & quia quando hæc verba dixit Iacob Abraham iam diu antea excesserat, sed Isaac adhuc viuebat, quia durauit vsque ad decennium post venditionem Ioseph, idcirco de Abraham qui iam erat in securo dixit, Deus Abraham, non de Isaac qui adhuc erat in vita.*

Burgens. additi. 2.

Tanti meriti est timor Dei quem habent sancti quod Deus illius intuitu multa tribuat.

227 *Nisi Deus patris mei & timor Isaac adfuisset,* quis timor ille, intuitu cuius Deus Iacobo fuit secundus? nõne ait ipsemet Iacob timor Isaac? quasi diceret tanti meriti est timor ille filialis quo pater meus erga Deum est affectus, vt illius intuitu me ab aduersis custodierit incolumem. Sic Caiet. *de reuerentiali timore quo adhuc venerabatur Isaac Deum est sermo profitetur enim quod etiam meritum patris sui apud Deum tanti est, quod adiuuit, quod meruit vt Deus admoneret in somniis Laban ne læderet Iacob.*

Cad. Caiet.

Reueren-

Reuerentia in patres vtilissima.

227. *Nisi Deus patris mei & timor Isaac adfuisset,* quamuis iam quisnam fuerit ille timor à nobis dictum sit, nihilominus cum fœcundissima sit sacra scriptura, non grauabor adhuc discutere quis nam est ille timor intuitu cuius Deus Iacobo præsens adfuit: nonne possumus dicere esse illam reuerentiam & honorem quo patrem suum Isaacum prosecutus est? sic aliqui teste Cornelio à Lapide, putant hunc timorem fuisse reuerentiam qua Iacob prosequebatur patrem suum Isaac, & cum timuit, & reueritus est, per hanc enim reuerentiam & pietatem erga patrem suum Isaac, meruit Iacob apud Deum vt ab eo protegeretur.

Cornelius à Lapide.

Maxima dominorum inhumanitas erga seruos.

228. *Nisi Deus patris mei adfuisset forsitan nudum me dimisisset,* saltem indutus vestibus accessit ad Labanum auunculum suum, nonne per viginti annorum spatium ei omni cum fidelitate & diligentia seruiuit? quomodo igitur asserit Iacob quod nisi Deus eum protexisset, nudus dimissus fuisset à Labano? vt in hoc dominorum erga seruos inhumanitatem agnoscamus, qui pro præmio laborum suorum miseriam & nuditatem accipiunt, *commune,* inquit Oleaster, *valde est dominos male soluere sibi manifesta ministeria, vt opus fuerit Deum ab inimicis auferre mercedem & suis dare, sic fecit etiam Ægyptiis.*

Oleast.

Nostri labores Deo sunt grati.

229. *Afflictionem & laborem manuum mearum respexit Deus,* si Deus omnia intuetur, & nihil sit ei absconditum, superflue asseris Deum afflictionem & laborem manuum tuarum respexisse: merito tamen sic loquitur, & nihil profert superflue, sed indicat Deo gratissimum & acceptum fuisse laborem suum, *afflictiones suas,* inquit Hamerus, *& labores*

Guil. Hamerus.

Deo curæ fuisse grate Iacob profitetur.

Cum Deum testem habemus nostræ æquitatis, tunc certissima est.

230. *Afflictionem meam & laborem manuum respexit Deus,* deinde subiungit, *& arguit te heri,* cur hoc addidit? nonne sciebat per tot annos nempe viginti seruisse? labori suo Deum benedixisse? decies mercedem suam commutasse? à Deo reprehensum fuisse? superflue ergo videtur dixisse arguit te Deus, imo emphatice addidit, ad innuendum compertam esse suam iustitiam cum Deum illius testem habeat, ita Rupert. *vbi omnia fidelitatis suæ opera commemorauit Iacob fortissime, tandem iustitiæ suæ inuexit argumentum, præmisso namque afflictionem meam & laborem manuum mearum respexit Deus, protinus adiungit & arguit te heri, certum namque est præconium iustitiæ Deum testem aut defensorem habere.*

Abb Rupert.

Afflictio quam iustus patitur, nec non humilitas tanta est, vt etiam Dei oculos in se rapiat.

231. *Afflictionem meam respexit Deus,* nonne alia eximia habet Deus in quæ oculos conijciat, vt virtutes tuas, innocentiam, animi candorem? quomodo igitur illis prætermissis dicis Deum afflictionem tuam respexisse? quia tantæ auctoritatis est afflictio, quam iustus patitur, vt Dei oculos ad se rapiat, quasi nihil aliud habeat conspiciendum, si autem inspiciamus versionem Oleastri, respexit Deus humilitatem meam, idem possumus asserere, nempe quod tantæ auctoritatis est humilitas vt oculos Dei ad se attrahat, vnde optime Smaragdus in Diademate Monach. capite de humil. ait, *adeo maxime in ei virtutes eximias humilitas honorata consurgit, quoniam eam dignatio maiestatis assumpsit.*

Smaragdus in Diademate Monach. cap. de humilitate.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XLIII.

VVLG. Respondit ei Laban, filiæ meæ & filii & greges tui & omnia quæ cernis, mea sunt, quid possum facere filiis & nepotibus meis?

Sep. Respondens autem Laban dixit ad Iacob, filiæ, filiæ meæ, & filii, filii mei, & pecora, pecora mea & omnia quæcumque tu vides mea sunt & filiarum mearum, quid faciam eis hodie aut filiis earum quos pepererunt? *sic Cald. & in Hebræo.*

CONCORDIA.

Licet diminutior procedat noster vulgatus quam reliquæ omnes aliæ lectiones vt legenti patet, tamen sensum minime mutauit sed germanum retinuit,

EXPOSITIO.

RESpondit ei Laban filiæ meæ &c. nempe omnia quæ sunt in tua potestate mea sunt, in quantum originem ex meo traxerunt, *quid possum facere filiis & nepotibus meis?* quasi diceret, licet propter fugam tuam tibi infensus essem, tamen nullomodo tibi nocerem, filiæ enim & filii nihil in me commiserunt, quos tamen offenderem, tibi aliquod damnum inferens.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Nihil nobis arrogare debemus cum omnia Dei sint.

232. *Filiæ meæ, & filii mei, & greges tui, & omnia quæ cernis mea sunt*, Philo Hebræus lib. de Cherub. hæc verba prolata à Laban & audita à Iacob considerans ait, Iacob opinor valde risit Labanum, quando ausus est dicere, filiæ meæ & filii mei, & pecora mea, & omnia quæcumque vides mea sunt, sed ò Philo, cur irrideret gener socerum, nepos auunculum? quia qui de rebus alienis & sub diuina potestate constitutis tanquam de propriis & ad dominum suum pertinentibus loquitur, dignus est vt omnium risui exponatur: quod confirmat cit. Philo, referens illud Dei præceptum Leuit. 25. vers. 23. terra non vendetur in perpetuum quia mea est, ait, *an non manifestissime doces ius possessionis omnium rerum pertinere ad Deum, vsum vero solum ad creaturam; nihil, inquit, in perpetuum cuiquam creaturæ vendetur, quandoquidem vnus est Dominus totius creaturæ possessor, proprius ac perpetuus*, & post aliqua, *per quæ omnia liquere satis puto nos alienis vti possessionibus, vsumfructum habemus solum; quod si cognosceremus, curaremus tanquam res Dei præcogitantes morem esse domini recipere sua, quandocumque ipsi visum fuerit, sic enim adempta ferremus leuius, nunc plerique dum existimant hæc sua ac propria, priuati copia eorum mox opprimuntur mæstitia.*

Philo Alex. lib. de Cherub.

Leuit. 25.

Impius de se magna præsumit.

233. *Filiæ meæ &c. & omnia quæ cernis mea sunt*, quid ais Laban? nonne filias tuas tradidisti in vxores Iacob? illius ergo sunt, nonne filios suscepit ex Rachel & Lia & aliis duabus ancillis? illius ergo sunt! , nonne labore & industria & pro mercede sua greges quos habet, sibi legitime comparauit? quomodo igitur asseris filias tuas esse & filios, nec non omnia quæ possidet? cur ait omnia mea sunt? quia impius ita de se superbe sentit, & de se præsumit, vt omnia etiam aliena sua esse arbitretur, ita Philo cit. *iste*, inquit, *ad singulas voces illud meum accinens, non desinit de seipso loqui magnifice.*

Philo. cit.

Iusta reprehensio ad meliorem frugem reducit reprehensum.

234. *Filiæ meæ & filii mei &c. quid possum facere filiis & nepotibus meis?* quasi diceret: nihil mali aduersus te & filios meos moliri volo, quomodo Laban qui rabie incensus perrexerat vt Iacobum comprehenderet, & omnia bona sua depredaretur, ita à se mutatus, vt iam medium inquirat, quo fœdus cum genero ineat? nonne redarguit eum Iacob ex iniustitia sua, & fraudibus? quid mirum igitur, si ita loquitur humane? iusta enim & vera reprehensio ad meliorem frugem reducit, *reprehensum*, fauet Abul. *postquam rationaliter redarguit Iacob Laban, ipse blande captat ab eo beneuolentiam vt mutuo pactum firmet.*

Abul. q.

Colloquium iustorum ex barbaris mansuetos efficit.

235. *Filiæ meæ & filii mei &c. quid possum facere filiis & nepotibus meis?* quasi diceret, beneuolentia paterna amplector, ac tanquam meos diligo, nonne cum voluntate nocendi generonec cessisti? nonne ferus & barbarus vitam eius in discrimen adduxisti? quomodo iam non sanguinolentus sed pacificus cum eo fœdus inire molitur? nonne loquutus fuerat cum eo iustus Iacob? ne ergo scisciteris quomodo ita à seipso mutatus Laban, colloquium enim iustorum ex barbaris mansuetos efficit, ita Lipp. ex *colloquio Iacob Laban quietior redditus erubuit, & fœdera meditatur.*

Lippom.

Impii plus deferunt carnali affectui, quam Deo.

236. *Quid possum facere filiis & nepotibus meis?* tanquam meos diligo eos, & adeo eorum intuitu nullum tibi damnum inferam, sed fœdera pacis tecum stabiliam; nonne tibi Deus dixit, caue ne quidquam durius loquaris Iacob? & timore illo perculsus non ausus es aliquid in eum moliri; cur ergo non ais propter Deum fœdus tecum inibo, non autem propter filias & nepotes? quia impii ita dementes, vt plus deferant affectui carnali quam ipsimet Deo: consentit Glossa Interl. *vnde quod non fecit Dei timore compressus, dicit se dimisisse causa carnalis affectus.*

Glossa Interl.

Qui aliis nocet sibimet damnum infert.

237. *Quid possum facere filiis & nepotibus meis?* quasi diceret, nihil aduersus eos moliri possum cum mihi sint sanguine coniuncti, sed nonne ita barbarus es, vt nihil omnia facias dummodo tuis auaris desideriis, dummodo tuæ satis facias cupiditati? quomodo igitur tuis parcere cogitas? in hoc equidem prudentissimus, si enim suis noceret, sibimet damnum inferret, consule Oleast. *sæpe enim aliqui putantes in alios sæuire, in seipsos sæuiunt, & est optima consideratio cum qui in aliquem sæuire vult considerare an sibi mali quicquam faciat, vnde Aug. sermone 16. de verbis Domini dicit, neminem posse in inimicum sæuire, quin sibi maius malum non inferat quam illi, non potest*, inquit, *fieri vt qui odit alterum non sibi plus noceat, illum enim lædere conatur extrinsecus, se vastat intrinsecus, quanto enim animus noster corpore maior est, tanto ipsi prospicere debemus, ne ipse lædatur, lædit autem animum suum, qui alterum odit, & quid facturus est ei quem odit? tollit pecuniam, nunquid fidem? lædit famam, nunquid conscientiam? quicquid nocet, forinsecus nocet, sibi attendas quid noceat intus, sibi ipsi inimicus est qui odit alterum, sed quia non sentit quid sibi mali faciat in alterum sæuit, eo periculosius viuens quod non sentit, quid sibi mali agat quia sæuiendo sensum perdidit, te sæuiente, ille nudatus est, tu vero iniquus factus es, multum interest inter nudum & iniquum esse, ille perdidit pecuniam, tu innocentiam, quare quis grauius damnum perpessus est? ille perdidit rem perituram, tu factus es periturus, cogitauit ergo Laban sibi illaturum omne malum, quod Iacob intulisset: ideo facere noluit.*

Oleaster.

August. ser. 16. de verbis Domini.

Impius cum valens non valens nocere, nocet saltem affectu.

238. *Quid possum facere filiis & nepotibus meis?* cur suos vocat? cur non ait, quid possum facere filiis tuis? suos dixit, quia cum nocere non potuit effectu, saltem in affectu damnum inferre voluit, ita cit. Oleast. *adverte quod qui nocere non multum potest, si [illegible] nocet eo modo quo potest, nam cum Laban à Deo [illegible] non potuit quidquam mali inferre Iacob, iubens dicit omnia illius sua fore.*

Oleaster.

Iniustitia exprobrata etiā iniquo cū pudore cōfūdit.

2[illegible]4. *Quid possum facere filiis & nepotibus meis?* nonne tu ille es qui [illegible] [illegible] æstuans, non solum Iacobum in discrimen adducere volebas, sed etiam universam eius familiam? quomodo igitur nunc cogitas de rependendis ei beneficiis? nonne Iacob agnoverat iniustitiam & fraudes? bene igitur cogitat de non nocendo genero sed potius adiuvando, iniustitia enim exprobrata, etiam iniquo cum pudore confundit, *erubescens*, inquit Chrysostomus, *Laban de his quæ dixerat Iacob, nunc in timore assistis, & fœdera vult inire cum iusto.*

Chrysostomus

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XLIV.

V*VLG.* Veni ergo, & ineamus fœdus, vt sit in testimonium inter me & te.

Sep. Nunc igitur veni disponam testamentum, ego & tu. & erit in testimonium inter me & te, dixit autem ei, ecce nemo nobiscum est, vide Deus, testis inter me & te.

Pag. Percutiamus fœdus ego & tu.

D. Chrys. Veni &c. dixit autem ei si quis trāsgredi attentaverit, quæ nunc à nobis sunt proposita, ecce nullus nobiscum, Deus autem testis inter me & te.

CONCORDIA.

APud Septuaginta & apud Chrysostomum plura abundant quam apud Hebræos & vulgatum, qui quid denotare velint non facile intelligitur, observabis quod hæc omnia addita non reperiuntur apud omnes codices Septuaginta, imo nec Ambr. qui eos sequitur hæc habet.

EXPOSITIO.

V*Eni ergo & ineamus fœdus*, pacem stabiliamus inter vtrumque, *vt sit in testimonium inter me & te*, idest in testimonium fœderis nostri, quasi diceret, percutiamus fœdus & simul pacem firmemus & constituamus aliud signum aliquod memoriale, quo constet inter nos pactum mutuum & pacem firmatam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Tantus est odor virtutis iustorum, vt etiam impios ad se attrahat, & suos persecutores.

420. V*Eni & ineamus fœdus*, nonne tu ille es, qui plenus minarum, armisque instructus & [illegible]dus, è domo tua discessisti, vt Iacobum comprehēderes, & eius bona diriperes quomodo igitur eum nunc desideras quē antea persequebaris? [illegible] est odor virtutis hominis iusti, vt etiā impios ad se attrahat, nec non etiam persecutores, *Laban*, inquit Serap. Port. *[illegible] contra Iacob [illegible] erat, [illegible] cum [illegible], etiā persecutus fuerat, & nūc in actu [illegible] persecutionis erat, & tamen [illegible] Iacob [illegible] nunc amicitiam cum Iacob [illegible] quærit, [illegible] sollicite vt nec vnam diem [illegible] pactum:* demum concludit, *ergo magna est [illegible] præsertim [illegible], idest à malis etiam [illegible] amore diligitur.*

Seraph. Port.

Mira est Dei erga iustos providentia.

241. *Veni ineamus fœdus*, quid? quem prosequebaris nunc honore amplecteris, & in quem odio & invidia æstuabas, nunc ab eo pacem exigis? quomodo ab eo qui tecum securus non erat, nunc timens ab eo securitatem postulas? vt in hac mutatione [illegible] [illegible], quantum Deus iustorum curam gerat compertum habeamus, *vide providentiam Dei*, inquit Chrysostomus, *qui tanto impetu ad persequendum exierat timore coactus est vt ab eo fœdera [illegible].*

Chrysostomus

Vitium imbecille, virtus fortissima.

242. *Veni ineamus fœdus*, Laban ingenio ferox, viribus præpotens, validaque instructus [illegible] cognatorumque cohorte, qui contra peregrinum & præsidio destitutum atque inermem advenerat furens & minax, nunc ab eo pacem postulat, quomodo petit armatus ab inermi pacis fœdera? nihil plane mirum, petit improbus à iusto viro, scimus autem quod audacem & fortem virtus faciat, timidum & imbecillum reddat vitium, quod egregie declarat B. Chrysostomus hom. 15. in Epist. ad Ephes. capite 4. *hic aut ille est homo, asper est, acerbus est, [illegible], serpens est, vipera est, terribilem enim existimat, quid ergo asperum illum & acerbum timet homo? ne me perdat inquit, ne me lædat, sum in quit [illegible] malitia imperitus, timeo ne [illegible] me*

D Chrys. hom. 15 in Epist. ad Ephes. c. 4.

hominem acceperis simplicem, & quæ sunt eius nihil prauidentem, in suos inijcit laqueos, & suis impediat retibus eis paratis ad nos decipiendos, nunc ridet, cur rides? quoniam hæc sunt verba puerorum ridentium quæ non sunt timenda, atque neminem quidem ita oportet despicere, neminem ita irridere vis hominem acerbum atque malum, nihil enim æque est imbecillum atque acerbitas &c.

Cum mundo hoc fœdus ineamus vt ad nos illius voluptates non transeant.

243. *Veni ineamus fœdus*, inquit Laban Iacobo, sed o Iacobe, vis cum homine vafro & fraudulento pacem inire? fœdus constituam inquit Iacobus, sed quodnam? si dictum est à nobis Laban mundum denotare, facilis erit responsio, scilicet hoc pactum cum eo esse constituendum, vt ad nos illius voluptates nullomodo transeant, alias bellum cum eo perpetuum geremus, *ponamus*, inquit Brun. in Alleg. Tilm. *hoc fœdus cum mundi delicijs & voluptatibus, vt neque ipsæ ad nos, neque nos ad ipsas vlterius revertamur, huius ante testis sit Galaad, interpretatur enim Galaad aceruus testimonij per quem scripturas sacras intelligimus in quibus sanctorum testimonia sunt coassituata.*

Bruno.

VARIETAS LECTIONUM VERS. XLV. & XLVI.

VVLG. Tulit igitur Iacob lapidem, & erexit illum in titulum.
Sep. Sumens lapidem statuit eum in titulum.
Pag. Erexit illum in statuam.
Arias. Leuauit eum statuam.
Chrys. Statuit in columnam.

VVLG. Dixitque fratribus suis, afferte lapides, qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum.
Sep. Colligite lapides, & collegerunt lapides, & fecerunt aceruum, & comederunt ibi super aceruum, *sic Cald.*
Oleast. Et fecerunt inuolutionem.

CONCORDIA.

Dictio מצבה matseua licet statuam significet, titulum tamen bene vertit noster interpres, statua enim hæc nihil aliud est quam quoddam signum rememoratiuum pacti, & titulus quo vterque teneretur pacem custodire, verbum גלל gaal significat inuoluere, hinc fit quod Oleast. nomen גל gal inuolutionem vertit, tamen tumulus vel aceruus significantius dicitur.

EXPOSITIO.

Tulit Iacob lapidem, scilicet magnum vel plures, ita vt singulare sumatur pro plurali, *& erexit illum in titulum*, vt hoc facilius percipiatur: notandum est, titulum quadrupliciter sumi, primo pro inscriptione rei, vt titulus crucis, titulus libri: secundo pro pyramide aut columna in trophæum victoriæ aut insignis facinoris erecta: tertio pro imagine, statua vel idolo ad cultum & adorationem: quarto est lignum, lapis vel, alia res posita vel erecta in memoriam vel indicium alicuius rei: quarto hoc modo hîc sumitur titulus, nempe pro signo memoratiuo fœderis inter vtrumque stabiliti.

Dixit nempe Iacob *fratribus suis*, cognatis qui congregantes multitudinem lapidum fecerunt tumulum satis capacem longum & latum, & non rotundum in altum, sicut alii fiunt cumuli, quia tanquam super mensam, super eum comederunt.

CONCEPTUS IN HUNC VERSUM.

Iustus ex mundo nihil requirit nisi necessaria.

244. *Tulit Iacob lapidem & erexit illum in titulum*, in confirmationem fœderis cum Labano initi pacisque cum eo stabilitæ, sed quæ communicatio iusti cum Belial? quæ pax cum impio, cum ipsemet eam secum non habeat? non enim est pax impiis, cur ergo cum eo fœderis pacem confirmat? reuoca in memoriam Labanum mundi typum esse, potest inquit Isid. Hispanus per Laban hic mundus exprimi, qui cum furore, Iacob persequitur, quia electos quosque qui redemptoris nostri membra sunt persequendo opprimere conatur: quo posito bene pacem cum Laban vult stabilire, qui iustus etiam ex mundo necessaria requirere debet, *mundus cum viro iusto*, inquit Stephanus cit. in Alleg. Tilm. *vult inire fœdus vt peruersam cum eo concordiam habeat & amorem, iustus autem hoc fœdus init cum mundo, vt tantum ab eo percipiat necessaria, & superflua abiiciat*

Isid. Hispan.

Stephan Cit. in Alleg. Tilm. super Genes.

Christus Dominus princeps martyrum.

245. *Tulit Iacob lapidem & erexit illum in titulum*, ille lapis erectus in titulum vocatus domus Dei, Christum significat, qui est caput corporis Ecclesiæ, quæ est domus Dei, sed cur hic lapis fuit primus in aceruo lapidum conlectorum in testimonium illius fœderis? quia designabat Christum Dominum futurum principem inter martyres: ita Rupertus, *hic lapis primus in aceruo testimonii Christum eundem designat principem martyrum, id est testium Dei.*

Rupert.

Mira antiquorum synceritas.

246. *Afferte lapides, qui congregantes fecerunt tumulum*, vt esset scilicet testimonium fœderis inter eos initi, sed cur firmius pacem non stabiliebant quam aceruo lapidum, qui facile dissolui potest? vt mira antiquorum comperta sit nobis synceritas, *quis non iure merito*, inquit Guill. Hamerus, *sæculi illius simplicitatem, vel vt verius loquar, candidam fidem initi fœderis inter Laban socerum & Iacob generum miretur, testes erant lapides in titulum congesti, & eos non clanculo neque priuato suo quisque consilio, congesserunt vt fœdus illud non solum inter viuentes valeret sed etiam apud pastores inuiolabile perseueraret, nondum erant litterarum monumenta, in quibus fœdera & pacta conscripta atque annalis consignata ad posteritatis notitiam seponuntur, sed tumuli & erecti lapides fœderum testes erant, sed erat illis tanta fides quantum hodie, ne littera quidem vel boum tergoribus æquabiles habere videantur.*

Guill. Hamerus.

Animorum vnio per aliquod signum exterius denotatur.

247. *Afferte lapides, qui congregantes fecerunt tumulum*, cur ad stabiliendam pacem lapides congregant & simul in vnum aceruum congerunt? vt vnione lapidum tanquam aliquo signo sensibili, vnio & concordia animorum suorum denotetur, *aduerte*, inquit Oleast. *quod lapidum collectio significabat duros prius animos in vnum coire, quemadmodum duri lapides in aceruum.*

Oleaster.

Conuiuium aliquando signum confœderationis.

248. *Afferte lapides, qui congregantes fecerunt tumulum comederuntque super eum*, cur simul comedunt? nonne sufficiebat in signum suæ confœderationis tumulum statuisse à posteris videndum in perpetuam pacis memoriam? non erat ergo necesse simul prandere, simulque conuiuari: ne conuiuium hoc arguas, apud veteres enim fuit signum confœderationis, *pacis & amicitiæ* ait Lipp. *symbolum fuit antiquis conuictus & co conuiuium mutuum fœdus ineuntium.*

Lippoman.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XLVII. & XLVIII.

VVLG. quem vocauit Laban tumulum testis, & Iacob aceruum testimonii, vterque iuxta proprietatem linguæ suæ.

Sep. Et dixit ei Laban, aceruus hic testatur inter me & te hodie, & vocauit eum Laban, aceruus testimonii, Iacob autem vocauit eum, aceruus testis.

Cal. Et vocauit eum Laban aceruum tritici, Iacob autem appellauit eum Galaad.

Pag. Vocauit eum Laban Iephar sahaduta & Iacob vocauit eum Galghed.

Chrys. Collis hic testabitur inter me & te.

VVLG. Dixitque Laban, tumulus iste erit testis inter me & te hodie, & idcirco appellatum est nomen eius Galaad, idest tumulus testis.

Septuag. Ecce aceruus hic & titulus quem statui inter me & te, testatur aceruus hic, testatur tumulus hic, propterea vocatum est nomen aceruus testatur, & visio quam dixit.

Cald. Ideo appellatum est nomen eius Galaad, & speculam quia dixit.

Pag. Cumulus iste sit testis inter me & te hodie, idcirco vocauit nomen eius Ghalged & Mispah, quia dixit.

CONCORDIA.

VLtima quinque verba quæ habet noster interpres non sunt in Hebræo, ea tamen addidit, vt denotaret vtramque rem secundum Idioma suum appellasse: aceruus Hebræa lingua גל gal dicitur עד ed vero testimonium, rursum lingua Syra aceruus יגר iegar appellatur שהדותא saadutha testimonium, Iacob igitur aceruum testimonii hoc est Galaad lingua appellauit Hebræa, Laban vero idipsum, idest aceruum testimonii Iegar Saadutha à gentis suæ sermone vocauit, huic tumulo tria sunt nomina imposita, Syrum videlicet, & Hebræum de quibus in præcedenti concordia, & hoc aliud Hebræum מצפה muspliah nempe specula quæ à Septuaginta dicitur ἡ ὅρασις visio.

EXPOSITIO.

VOcauit Laban tumulum testis, idest qui est testis pacti inter vtrumque initi, *Iacob autem aceruum testimonii*, idest aceruum positum pro testimonio, vel ad testificandum, iuxta proprietatem linguæ suæ, hoc addidit interpres, quia vterque idem nomen non posuit secundum nomen, sed solum secundum significatum.

Dixitque Laban, nempe Iacobo, tumulus iste nempe hæc lapidum congeries, *erit testis inter me & te hodie*, ab hodierno die testificabitur pacem inter me & te stabilitam esse, *& idcirco appellatum est nomen eius Galaad.* & ab hoc tempore hic mons hoc nomen sortitus est, nam antea per anticipationem sic dictus est.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Perfecti semper debitum honorem parentibus debent exhibere.

249. QVem vocauit Laban tumulum testis, *& Iacob aceruum testimonij*, propter fœdus & pacem quam vterque firmabat in monte Galaad, sed illud pacis fœdus in eius modi monte inter socerum & generum initum, aliquidne designat? dices nudā solum historiā, sed si obseruemus quid intelligunt Patres per Galaad aceruum testimonij, nempe sacras scripturas, in quibus sanctorum testimonia sunt coaceruata, dicemus hoc non carere mysterio, sed quodnam includit audi Stephan Cant. in Alleg. Tim. *Iacob initus fœdus cum Laban in monte Galaad, acerui testimonij per quem sacra scriptura designatur per Laban auunculum Iacob, carnalem intellige parentelam: debemus itaque fœdus inire cum parentibus nostris sed in monte Galaad, idest in testimonio scripturarum, vt scilicet eos diligamus quomodo & quatenus nobis de eorum amore ratio præscribitur; non enim amicere debent penitus hunc affectum etiam perfectionem professi, nam & Christus perfectionis forma in cruce positus curam habuit matris suæ.*

Stephan. Cant. in Alleg. Tim.

Deus maxime pacem ineuntes intuetur.

250. *Vocatum est nomen eius Galaad*, idest tumulus testis in Hebræo est Mispah, quia dixit scilicet speculetur Dominus, testem aduocans Deum Laban, admonuit eum desuper hoc cernere: nunc Deus omnia intuetur cum nihil ei absconditum esse possit, ideo speculatorem fœdus celebrantibus in munere dixit, vt nimirū denotet, quod Deus pacis amator, & eam stabilientes præcipue consideret & intueatur.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS XLIX.

VVLG. Intueatur & iudicet Dominus inter nos, quando recesserimus à nobis.

Sep. Respiciat Deus inter me & te, quia discedimus alter ab altero.

Cald. Speculetur verbum Domini inter me & te, quando absentes fuerimus vnusquisque à proximo nostro.

Pag. Speculetur Dominus inter me & te quia latemus alter alteri.

Ar. Quia abscondemur vir ab amico suo.

CONCORDIA.

QVando abscondemur vir ab amico suo phrasis Hebraica est, quam recte reddidit noster interpres, per hæc verba, quando recesserimus inuicem.

EXPOSITIO.

INtueatur, benigne pactum quod simul pepigimus, *& iudicet Dominus inter nos*, puniat scilicet qui illud violauerit, *quando recesserimus à nobis*, quasi diceret, hoc fœdus non solum pro præsenti tēpore, sed futuro statuitur, Deum que imploro vindicem aduersus eum qui illud aliquando transgressus fuerit.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Etiam Idololatræ prouidentiā diuinā agnoscunt.

251. INtueatur *& indicet Dominus inter nos*, quasi diceret, Deus qui omnia intuetur puniat fœderis nostri transgressionem: nonne conquerebaris Iacob Idola tua furto abstulisse? Idolorum igitur cultor est, quomodo ergo Deum vltorem scelerum & fidei violatæ prædicas? quia Idololatræ etiam aliquando de diuina prouidentia optime sentiunt, ita Caiet. inducens Labanum loquentem, *Deus non meus aut tuus, sed Deus communis omnibus, qui dat omnibus esse, videns intima cordis, & quæ fiunt inter nos, quandoquidem longe distabimus, & quæ tu faceres latebunt me, & è conuerso, propterea enim summus Deus qui videt omnia, erit vltor, vnde apparet Laban recte sensisse de prouidentia Dei circa humana opera, quamuis coleret etiam Idola.*

Qui iuramentum violat maxima dignus punitione.

252. *Intueatur & iudicet Dominus inter nos*, quod iudicium feret? scilicet damnationis in eum qui fœdus initum violauerit, & non solum quia fœdus iurauerit, sed iuramenti quod in eo formando interueniebat, transgressor fuerit: sed cur non dixit specialim quod iudicium ferre, quam pœnam irrogare deberet? non dixit determinate, vt denotaret maxima pœna dignum qui iuramentum violat: ita auctor catenæ aureæ in Genes. *significat speculatorem Deum omnia scientem, idque fœdus iuramento initum præuidisse, qui vlcisceretur præuaricatorem illius, magna olim ratio habebatur & religio initi fœderis, & certe maxima semper est habenda, quandoquidem sine inuocatione diuini nominis non celebratur iuramentum*: & Oleast. *admonentur hic fide graphi non rescindere pacta quando non est qui fractam fidem exigat, quoniam Dominus qui testis fuit pacti, exiget.*

Lippom.

Olеast.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS L.

VVLG. Si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias vxores super eas, nullus sermonis nostri testis est absque Deo qui præsens respicit.

Sept. Si humiliabis filias meas, si sumpseris vxores super filias meas, vide nemo nobiscum est, videns Deus testis inter me & inter te.

Caldeus Si afflixeris filias meas, si sumpseris vxores super filias meas, non est vir nobiscum, vide quod verbum Domini est inter me & te.

Pag. Vide, Deus est testis inter me & te.

CONCORDIA.

BEne verterunt Septuaginta, si humiliabis, vbi legimus si afflixeris, verbum enim ענה ana significat & humiliare & affligere, nec non respondere.

EXPOSITIO.

SI *afflixeris filias meas*, opprimens eas seruitute, vel opprobriis indignis afficiens, *& si introduxeris alias vxores super eas*, idest vltra eas, hoc enim in earum iniuriam redundabit, quod dissimulare non possum, *nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit*, hoc ita intelligendum vt futuro tempore nullus ex sociis quos secum habeat possit ferre testimonium violati fœderis, cum vel morte consumpti, vel in diuersas dispersi regiones, sed solus Deus cui futura sunt etiam præsentissima, transgressorē conspiciet & puniet, vel hoc ita intellige, quod se à cognatis separauerant cum has pacti conditiones constituerunt.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

In solo Deo rectum iudicium, in hominibus non item.

253. SI *afflixeris filias meas &c.* nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit, cur non statuit testes aliquos præter Deum, quibus facilius postea conuincat rerum fractæ fidei? nonne si præter Deum testes etiam adhiberentur securius iudicium agetur? apage inquit Laban, procul absint testes & forensis solemnitas, solus Deus adsit vt iudicium possim sperare rectum: si enim voluero conuincere vel ante testes vel hominum tribunal, timeo non semper iudicium rectum perfici, quod confirmat D. Bernardus lib. 2. de consider. *nisi agentium causæ, audiantur partes, inter partes iudicate quæ potest agantur causæ, sed peius omne in nobilitate ... manifestam facit veritatem vt breuis & pura narratio, miror namque quemadmodum religiosæ aures audire sustinent eiusmodi disputationes aduocatorum & pugnas verborum, quæ magis ad subuersionem quam ad inuentionem proficiunt veritatis, hi sunt qui instruunt, a quibus fuerant instruendi, astruunt non comperta, sed sua struunt de proprio calumnias innocentiæ, destruunt simplicitatem veritatis, obstruunt vias iudicii.*

Bernardus lib. 2. de consider.

Diuisus amor minor est.

254. *Si afflixeris filias & si introduxeris alias vxores super eas*, quid tibi curæ quamuis alias introduceret? nonne sunt ei sufficientes facultates vt in quæ sibi tua sunt ei necessaria possit conferre, nec non familiæ suæ prouidere? nihilominus hoc prudenter postulabat à genero, longe enim amor futurus erat minor in filias, si non Iacob alias coniungeret vxores, inquit Oleast. *diuisus amor* (inquit) *non itaque amat sicut communiter, ideo optime coniugibus consultum est, vt vna vni coniungatur.*

Oleast.

Carnalis amor etiam licitus, inconstans.

255. *Si afflixeris filias meas &c.* quid ais Laban? nonne maximo amore prosequitur Iacob Rachelem? qua de causa igitur ab eo exigis, vt eas non affligat, cũ amor redamatæ non afflictionē, sed potius omnem adhibeat consolationem? nonne dilectio qua Rachelem Iacob prosequitur carnalis est, licet licita: prudenter igitur petit Laban vt filias suas non affligat, scit enim coniugia etsi grandi amore coniugum & primo incepta & deinde celebrata, non statim concordiæ vinculo semper perseuerare, enimuero, vt eleganter scribit Nazia. orat. 20. *corporum amores quia rerum fluxarum sunt, fluunt quoque ipsi non secus atque verni flores, nam nec flamma consumpta materia remanet, sed vna cum ea extinguitur, nec cupiditas marcescente fomite subsistit.*

Nazian orat. vigesima.

Singulari amore pater filios prosequatur.

256. *Si afflixeris filias meas*, cur hoc præcipue exigit Laban à Iacob? cur potius non postulat ab eo, vt mutuam inter se concordiam seruent, quod neuter alteri damnum inferat &c. ne accusemus Labanum præcipuam filiarum curam agentem, & omnibus aliis eas anteponentem, singulari enim amore eas prosequi debet.

Dei timor incutiendus est.

257. *Nullus sermonis nostri testis est absque Deo*, cur Deum testem in medium profert cum non debeat ignorare quod Iacob Deum omnia intueri nouerit? non immerito tamen Deum testem huius fœderis adhibet, sed vt timorem fœdifrago maiorem

Abulens. incutiat *ita dicebat Laban* (inquit Abulens) *ad inferendum timorem vt custodiret diligetius, quasi dicat ex quo nullus videbat illud pactum nisi Deus qui vocabatur in testem ipse acrius puniret delinquentem, quam si aliqui testes ibi essent, quibus committeretur illius negotii cura.*

Ex consortio iustorum, impii ad Dei cognitionem perueniunt.

258. *Nullus sermonis nostri testis est absque Deo*, nonne tu cultor es idolorum? quomodo igitur non ais nullus testis absque diis? quomodo pluralitatem deorum testem non adhibes, sed solum vnum Deu: nonne conuersatus fuerat cum Iacob viro pio & fideli? ne sciscitaris igitur quomodo hanc veritatem vnius Dei ebiberit, nam ex consortio iustorum ad Dei cognitionem impii perueniunt, *conside. a* (inquit Chrysost. hom. 57.) *quomodo paulatim Laban ad cognitionem Dei ducitur, nam qui ante hoc arguere iustum de furto deorum suorum, & tantam propter eos scrutationem faciebat, nunc inquit quia nullus est inter nos qui possit, si quid post hac nouatum fuerit, testis est fœderis nostri Deus, sit testis inter me & te.* Chrysost. hom. 57.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LI. & LII.

VVLG. Dixitque rursus ad Iacob, en tumulus hic & lapis quem erexit inter me & te.

Sept. Ecce aceruus hic,

Cald. Ecce tumulus iste, & ecce titulus quem erexi inter me & te.

Pag. Ecce status quam ieci inter me & te.

Chrysost. Ecce collis ille testatur.

VVLG. Testis erit tumulus inquam iste & lapis, sunt in testimonium, si autem ego transiero illum, pergens ad te, aut tu præterieri malum, mihi cogitans.

Sept. Et testis titulus hic, siue enim ego non trãsgrediar ad te, neque tu transgredieris ad me, aceruũ hunc & titulum hunc ad malum.

Caldeus Testis tumulus iste, & testis titulus, quod ego non transibo tumulũ hunc ad te, & quod tu non pertransibis tumulum hunc, & titulum hunc in malum mihi.

Pagninus Testis statua quod ego non transibo veniens ad te cumulum istum, & quod transibis veniens ad me cumulum illum, & statuam illam ad malum.

CONCORDIA.

Dictio מצבה matseua quam vertit noster interpres lapidem, & Pagninus statuam, arbitror non male dictam à Caldæo aceruum, & à Chrysostomo collem, erat enim congeries plurimorum lapidum in vnum.

EXPOSITIO.

Dixitque rursus ad Iacob, en tumulus hic, ecce tumulus hic lapidum, *& lapis quem erexi*, repetitio eiusdem sententiæ ad maiorem expressionem affirmationis.

Testis erit tumulus inquam iste, nempe lapidum congeries, *& lapis* iste qui non forte alius ab aceruo, possumus tamen dicere hunc lapidem siue titulum fuisse distinctũ ab aceruo, scilicet aliquem erectum, cuius erectione denotare volebant fœderis firmitatem & stabilitatem, siue in testimonium pacis inter eos stabilitæ, *si aut ego transiero &c.* poterat vterque terminum præfixum transire vel visitandi vel alterius negotii perficiendi gratia, non autem nocendi.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Beneficiis à Deo in iustum collatis agnoscit impius illius potentiam.

259. EN *tumulus hic*, scilicet testimonium fœderis inter vtrumque initi præbebit, & Deus à transgressore sumet vindictam, sed ô Laban quomodo toties Deum nominas & repetis, & habere prouidentiam declaras? nonne expertus fuerat Deum plura in generum contulisse beneficia? quid mirum igitur toties Dei prouidentiam declarare? ex donis enim à Deo in iustum exhibitis etiam impius Dei curam erga homines habere cognoscit: *considera* (inquit Chrysost.) *semel ac iterum atque sæpius Deum in teste n vocas, quia prouidentia quam expertus erat Iacob docuit eum, quanta esset eius potentia & quod impossibile sit aliquid esse occultum oculo qui dormitare nequit.* Chrysostomus.

Etiam ipsa lex naturæ docet non omnes testimonio ferendo idoneos esse.

260. *En tumulus hic*, nempe erit testis inter me & te, quod quidem mihi facessit negotium, nam ante dixerat nullus sermonis nostri testis est absque Deo qui præsens est, quid ais Laban? nonne plures erant tecum affines & cognati? textus enim ait quod assumptis fratribus tuis discessisti vt Iacobum comprehenderes, tum etiam, nonne Iacob plures erant filii, vxores, famuli & ancillæ: qui quidem secundum Aloysium Lipp. omnes erant præsẽtes fœderi? quomodo ergo ait nullum sermonis sui testem fuisse præter Deum? nota omnes, consanguineos fuisse, vel Lippom.

vel filios, vel vxores, vel famulos, qui vt aduertit noster Angelus de Clauasio in sua summa Angelica titulo testis, non omnes sunt idonei ad ferendum testimonium, quo posito non mirum quamuis hi omnes adessent, dixisse nullum testem adesse, quia ipsamet etiam lex vetus docet non omnes testimonio ferendo idoneos esse: sic prædictus Lippom. *ideo forte dicit nullũ sermonis esse testem & si famulares vtriusq; adessent multi, quia filii, serui, ancillæ, cognati & socii cum doceat lex naturæ ineptos habens ad reddenda testimonia, eos qui partes us dediti sunt, & affines.*

Angelus de Clauasio in sua summa Angelica.

Lippom.

Non nocere, sed benefacere debemus.

261. *Si ergo transiero illum pergens ad te,* ita ne alter ab altero separabitur, ita deinceps neuter ad aliũ transeat nocendum? inspice quid dicat Laban, non præteriit malum mihi cogitans, quasi diceret alter ad alterum transire poterit non nocendi gratia sed benefaciendi: *sicut cuminus hic* inquit Lippom. & *statua sunt erecta inter me & te, vt ex via ingredi pariter non possimus tangere vel nocere, sic fidus initum inter nos semper maneat, vt alter ab altero nunquam offendatur; occasio autem benefaciendi desit nunquam.*

Aduersus Lippom.

Ne malum quidem aduersus proximum cogitare debemus.

262. *Si ego transiero illum pergens, malum cogitans,* cur non ait malum faciens? quis enim ita iustus vt à malo cogitando possit abstinere? ne igitur cogas Iacobum ad mali aduersus te cogitationem non habendam? hoc ab eo exigit, vt doceat ne malum quidem cum consensu & deliberatione aduersus proximum nos cogitare debemus: vnde Diuus Greg. 27. Mo. cap. 19. explicans illud Hier. 4. vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ, ait, *non reprehendit cur veniant, sed cur morabuntur, etenim in ipsa corda cogitationes illicitæ veniunt, sed morari prohibentur, stulti tamen eas abducere nesciunt.*

Ierem. 4.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LIII.

VVLG. Deus Abraham & Nachor iudicet inter nos Deus patris eorum, iurauit ergo per timorem patris sui Isaac.

Caldeus Deus Abraham & Deus Nachor iudicent inter nos, Deus patrum eorum, & iurauit Iacob periculum quem timebat pater suus Isaac.

Pagninus Iurauit Iacob per pauorem patris sui Isaac.

Oleast. Iurauit in pauore patris sui.

CONCORDIA.

IN Hebræo est ישפטו ispetu futuri temporis & tertia persona pluralis, muspat, quæ hic pro tertia itidem pluralis præsentis imperatiui Hebræo more ponitur, & recte iudicent vertitur à Caldaica, & fortasse à Laban pluraliter Deus nominatur iudicare, quia præter vnius Dei cultum idola colebat, aliam in conceptibus rationem assignabimus, Caldæus more suo enodans difficultates, hic quem significat per timorem, aperit.

EXPOSITIO.

DEus Abraham & Nachor iudicet inter nos, puniat transgressores fœderis, *Deus patris eorum*, nempe Deus Tharæ, habuit enim Tharæ eundem Deum quem isti quantum ad prouidentiam, & quantum ad cultum aliquo tempore, sed post idololatriam declinauit *iurauit ergo per timorẽ patris sui Isaac*, quid per timorem Isaac intellexit, diximus superius, possumus addere, quod cum concreta per abstractis sæpius nominamus, non tamen passiue sed actiue, sicut passim in psalmis legimus, tu es spes mea, expectatio mea, idest in quo ego spero, quem sustineo, quem expecto, sic timor Isaac est, Deus ille quem colebat.

Psal. 21.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deum honoris gratia pluraliter nominamus.

263. DEus Abraham & Deus Nachor iudicet inter nos, in Hebræo est iudicent inter nos: si actiones spectamus Trinitatis sunt indiuisæ, iudicare autem rationem actionis sapiat, quomodo ait Laban, Deus iudicent non autem iudicet? certum est maioris excellentiæ declarandæ gratia pluraliter nos loqui de persona regis vel de alia in dignitate constituta: cur non diceremus igitur forte de Deo pluraliter loquutum Laban vt maiorẽ excellentiam illius exprimeret? hoc fatetur Lippom. in sanctis Patriarchis, *sæpe in Patriarcha, inquit, Deũ pluraliter nomine nominarunt honoris gratia, maiestatem diuinam exprimere cum quadam festiuitate volentes.*

Lippom.

Qualis quisque est, sic loquitur.

264. *Deus Abraham & Deus Isaac iudicet inter nos,* Cald. legit iudicent inter nos, & sic est in Hebræo, quomodo de Deo loquitur quasi plures essent dii? quis erat Laban? nonne idololatriæ deditus? quid mirum igitur si tanquam paganus & ethnicus loquatur, vnusquisque enim secundum quod est loquitur; quod agnouit Caiet. *nisi verba ista essent Laban,* ait Caiet. *idololatriæ questionem ingererent, eo quod in plurali numero dicuntur iudicabunt, sed ex eo quod prolata sunt à cultore falsorum deorum, non oportet sollicitos esse de plurali numero, iudicabunt.*

Card. Caiet.

Cum iuramentum præstandum est per verũ Deum notum, iurandum est.

265. *Iurauit per timorem patris sui Isaac*, idest per Deum qui maxime timendus est, cum dixerit Laban Deus Abraham, Deus Nachor, Deus patris eorum, iudicet inter nos, quomodo non est dictum à Moyse iurauit Iacob per deum Nachor, & per Deum patris Nachoris & Abraham aduerte quod Deus Nachor erat lapideus vel ligneus &c. quem nullomodo agnoscebat Iacob tanquam falsum numen. prudenter ergo non per eum iurat, sed per Deum patris sui, sic asserit Oleaster *iuramentum præstandum est per verum Deum nobis cognitum, admonet locus iste, per illum Deum iurandum esse quem nonnunquam antiquitus colere modo sit verus Deus vnde quando iurandum est inter homines aduersos Deos colentes, optimum est si per eum qui vere Deus est quicumque ille sit, iurent.*

Oleaster.

Impii multa à piis exigunt, ipsi autem nihil præstant.

266. *Iurauit per timorem patris sui Isaac*, nonne qui simul fœdera ineunt iuramentis obstringere debent se ea seruaturos? quomodo igitur legimus Iacobum iuramento ea firmasse, non autem Labanum? audiamus nostrum Ferum *adigit Laban Iacobum vt iuraret: imo eum diris deuouet, ipse tamen non legitur iurasse. sic impii multa exigunt à piis ipsi nihil præstant,*

Noster Ferus.

Iuramenta non creaturæ sed Dei nomine firmanda.

267. *Iurauit per timorem patris sui Isaac*, si timor patris sui sit quid creatum, cum sit passio quædam vel actus à charitate elicitus, quomodo per eum iurauit? cum nobis deinde dictum sit Matt. 5. audistis, quia dictum est antiquis, non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua, ego autem dico vobis, non iurare omnino per cœlum, quia thronus Dei est &c. nonne diximus hunc timorem Dei esse ab omnibus timendum? en quomodo non iurat Isaac per creaturam, sed per Deum cuius nomine iuramentum firmatur; quod obseruat glossa cit. ab Angelico Doct. in prædictum cap. Matt. *ne creaturas facerent sibi Deos, præcepit reddere Deo iuramenta, & non iurare per creaturas, reddes autem Domino iuramenta tua, idest si iurare contigerit per creatorem iurabis non per creaturam, vnde Deut. dicitur, Deum tuum timebis & per nomen eius iurabis.*

Matt. 5.

Deut. 6.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LIIII.

VVLG. Immolatisque victimis in monte, vocauit fratres vt ederent panem, qui cum comedissent manserunt ibi.

Sept. Et sacrificauit sacrificium in monte & vocauit fratres suos, & comederunt, & biberunt & dormierunt in monte.

Cald. Et immolauit victimam in monte.

Sic Pag. Deinde & pernoctauerunt in monte.

CONCORDIA.

Licet in Hebræo sit solum זבח zebach victima in singulari, tamen cum sæpissime vsurpent Hebræi singulare pro plurali, hinc est quod recte vertit noster interpres immolatis victimis, nam non vnam sed plures immolauit Iacob victimas.

EXPOSITIO.

Immolatisque victimis, ad honorem ipsius Dei, & gratiarum actionem, *vocauit nempe Iacob fratres suos* cognatos, *vt ederent panem*, phrasis Hebraica, qua denotatur omne ciborum genus, vt patet 4. Reg. cap. 6. vbi petitus fuit panis, & nomine panis, apposita fuit magna ciborum copia, *manserunt ibi*, scilicet illa nocte.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Prius quæ deuotionis & animæ curare debemus quam ea quæ sunt corporis.

268. *Immolatisque victimis*, Sept. sacrificauit sacrificium, & vocauit fratres vt ederẽt panem, cur prius eis cibum non apposuit, cum ex itinere fatigati accessissent, antequam hostias Deo immolaret? quia prius ea quæ sunt deuotionis & pietatis, qualia sunt sacrificia, prius curanda sunt, quam ea quæ sunt corporis, vt prandium & cibus, *video*, inquit Hamerus, *in his verbis abstrusum quiddam inesse nec temeratione carere Iacob simulatque sacrificasset in monte, fratres suos ad conuiuium vocat, satis nos docet corpus curare non debere nisi sacra prius fuerimus operati, vt diuina ipsa adeoque quæ ad animam pertinent, potiora semper ducamus, quam quæ ad corpus spectant.*

Guill. Hamer

Ante cibum Deus inuocandus.

269. *Immolatisque victimis vocauit fratres suos vt ederent panem*, prius vocat fratres ad prandium pacis stabiliendæ gratia, deinde Deo sacrificium offeres: prius ei victimam immolat, deinde ad prandium conuocat, quia antequam ad cibum sumendum accedamus, Deus oratione vel sacrificiis inuocandus *monemur* hic prosequitur, cit. Hamerus, *ne more brutorum in cibum ruamus, nisi prius ad Deum*

Cit. Ham.

pretationem dixerimus, ab hoc instituto Iacob desumptum & translatum est ad Græcos hoc pium præceptum.

Deo in omnibus gratiarum actio referenda.

270. *Immolatis victimis &c.* cur cum de fœdere ineundo, & de pace confirmanda agitur, immolat victimas? offert sacrificia? nonne in sacrificiis Deo redduntur gratiarum actiones? merito igitur immolat cum de pace agitur, quia Deo pro omnibus, & præcipue pro fœderis stabilitate gratiarum actio referenda, *ecce quomodo testis*, inquit Lipp. *ubique & in omnibus Deo gratias agis, sed cur cibum fratribus exhibet? quia mos erat antiquitus fœdus ineuntibus inuicem conuiuari in veræ pacis & amicitiæ signum.*

Lippom.

Detractio contra nos facta iniuste, nihili facienda.

271. *Immolatis victimis vocauit fratres vt ederent panem*, nonne hi fratres de te murmurantes dixerunt, tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri & de illius facultate factus est inclitus? cur ergo eos à mensa tua quasi ea omnino indignos non repellis? cur vt tecum panem comedant conuocas? quia detractio iniuste facta nihili facienda, imo detractores vt ad meliorem frugem redeant amplexandi *immemor murmuris*, inquit Oleast. *quo aduersum eum murmurauerunt eos modo ad hostiam pacificam inuitat.*

Oleaster.

Conuiuia piorum sobria.

272. *Immolatis victimis vocauit fratres suos vt ederent panem*, licet nomine panis, cibi intelligendi veniant, tamen non alienum erit ab instituto, quærere, cur solius panis mentio facta in conuiuio quod exhibuit Iacob fratribus suis? vt denotetur conuiuium iustorum non opiparū, sed sobrium & modestum, quod consulit D. Gaud. tract. 4. de lect. Exod. *sint* (inquit) *conuiuia vestra sobria, casta cubilia, sit modestus animus, sermo placidus, mitis incessus.*

D. Gaud tract. 4. de lect. Exod.

Sacrificium coniunctum cum reconciliatione fratris, Deo maxime placet.

273. *Immolatis victimis vocauit fratres suos vt ederent panem*, ante hostiarum immolationem, iam iurauerat Iacob se fœdus seruaturum, cur prius cum Laban fœdus init, quam Deo sacrificet? quia sciebat sacrificium coniunctum cum reconciliatione proximi, maxime Deo placere & alias displicere, sicut & quodlibet opus sine ea factum: quod eleganter ostendit D. Aug. ser. 5. de S. Steph. *sæpe dixi fratres & frequentius dicere debeo, nemo se circumueniat, nemo se seducat qui vel vnum hominem in hoc mundo odio habet quidquid Deo in operibus bonis obtulerit, totū perdet, quia non mentitur Paulus Apostolus dicens: si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest &c. nemo sine charitate de virginitate præsumat, nemo de ieiuniis, nemo de orationibus confidat: quia quandiu inimicitiā in corde tenuerit, neque in istis quibus libet operibus bonis placare sibi Dominum poterit: sed dicet aliquis, grandis labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare, nec nos negamus fratres: non paruus quidem labor est in hoc sæculo, sed grande erit præmium in futura per: amorem enim hominis inimici, efficeris amicus Dei: imo non solum amicus, sed etiam filius, sicut ipse Dominus dixit; diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filii patris vestri qui in cælis est.*

D. Aug ser. 5.

1. Cor. 13.

Matt. 5.

VARIETAS LECTIONVM VERSVS LV.

VVLG, Laban vero de nocte consurgens osculatus est filios & filias suas, & benedixit illis, reuersúsque est in locum suum.

Sep. Surgens autem Laban mane &c. & reuersus abiit in locum suum.

Arias Et matutinauit Laban in mane &c.

Oleast. Et leuauit se &c. alii matutinauit vel diluculo surrexit.

CONCORDIA.

VErbum שכם sakam præcipue si addatur cum בקר vaker mane significat diluculo surgere vel summo mane, quod de nocte vertit noster interpres, idest nondum orto sole.

EXPOSITIO.

L*Aban vero de nocte consurgens*, vt explicuimus in concordia *osculatus est filios & filias*, nepotes in signum maximæ amicitiæ, *& dixit eis*, omnia eis fausta & prospera exoptans, *reuersúsque est in locum suum*, maxime enim hi qui cū eo erant tenebātur desiderio regressus in Mesopotamiam.

CONCEPTVS IN HVNC VERSVM.

Deus concordiæ amantissimus.

274. L*Aban vero de nocte consurgens osculatus est filios & filias*, nōne scire cuperes, cur Moyses hoc fœdus inter Laban & Iacobum initum, tanta cum prolixitate retulit omnes illius circumstantias proponens: quid enim refert hæc omnia in medium adduxisse? ideo ita diligenter Moyses fœdus inter Laban & Iacobum describit, vt & Hebræi id attente considerantes, mutuo inter

Lippomanus. se amicitiæ vinculo coniungerentur: ita Lippom. *diligenti descriptione huius fœderis Spiritus sanctus conciliare voluit affectus Syrorum & Israelitarum, vt scirent posteri quibus geniti moribus, sanguinis saltem gratia, pacem sibi mutuamque amicitiam diligentius obseruarent.*

Mira est erga iustos prouidentia Dei.

275. *Laban vero consurgens osculatus est filios & filias*, possumus dicere osculum etiam dedisse Iacob in signum beneuolẽtiæ: nonne mortem & sanguinẽ minans ad Iacobum accessisti? nonne furore & iracundia æstuans eum conuenisti? quomodo igitur in oscula ruis? quomodo tot beneuolentiæ signa exhibes? reuoca in memoriam Iacobo Deum dixisse *ego custos tuus*, quid mirum igitur quod Laban vt lupus accedens in agnum mutetur, & vt hostis infensissimus fiat amicissimus? singulari enim Dei erga iustum prouidentiæ & curæ tribuendũ est, ita Chrys. *vidisti quanta Dei sapientia, quomodo vno facto & suã erga iustum declarat prouidentiam, & illum ab iniustitia adduxit Laban interminando, neque malum contra Iacob loqueretur, & quasi bestia accurrens & comprehendere volens, & interficere, desinit in defensionem & in filiorum & filiarum deosculationem & sic domum redit.* Chrysost.

Auarus sua præfert omnibus.

276. *Laban vero de nocte consurgens*, scilicet vt in Mesopotamiam à qua abierat regrederetur, cur cum dilectissimis filiabus per aliquot dies non commoraris? cur cum genero tuo non diu permanes, vel saltem cur ad dimidium diem non expectas? cur de nocte consurgis, lucis aduentantis impatiens; nonne diximus auaritiæ morbo laborasse? non est igitur mirum filias, nepotesque, & generum deserere, vt cito suis facultatibus consulat, suis gregibus prouideat, auarus enim suam omnibus quibuscumque etiam charissimis vtilitatem anteponit.

Reprobis à recta via salutis discedentibus, prædestinati de virtute in virtutem progrediuntur.

277. *Laban vero de nocte consurgens reuersus est in locum suum*, cur non tendit cum genero in terram Palestinæ, nempe terram promissionis, vt Isaacum inuiseret? nonne iam fluuium transierat, sicut & ipse Iacob? cur igitur vterque vel non recedit vel vlterius non progreditur, sed vnus nempe Iacob in Palæstinam proficiscitur, & alter nempe Laban in Mesopotamiam regreditur? aduerte, quod per vtrũque flumen transeuntem, possumus intelligere eos, qui vndis baptismatis abluuntur: dicamus ergo non inquirendum, quomodo transacto fluuio solus Iacob pergit in terram promissionis, & Laban eodem transmisso, regreditur in terram à qua exierat, quia hoc denotat quod reprobis à recta via discedẽtibus, prædestinati de virtute in virtutẽ progrediũtur. Fauet Strabus Fuld. in Glos. ord. *Iacob & Laban transfluuium peruenerunt, significare potest duos populos per baptismum ad Ecclesiam venientes, sed Iacob vltra procedente Laban reuersus est, quia filiis lucis vt profectu virtutum post baptismum meantibus, reprobi de percepta dignitate post sathanam in apostasiam redeunt.* Strabus Fuld. in Glos.

Impiis timorem Dei incutiamus.

278. *Laban vero de nocte consurgens abiit in locum suum*, scilicet postquam excepit iuramentum à Iacob de non inferẽdo sibi damno, iurauit Iacob per timorem patris sui Isaac, cur coram homine nullum timorem Dei habente iuras per timorem patris tui, nempe per Deum ab omnibus timendum? vt impio, Dei timorem incuteret, *perpulchre iurat es*, inquit Procop. *qui timore Dei vacabat per timorem patris sui incusans eius impietatem, vt qui non esset Deum metuens*, adde, & vt ei timorem Dei inferret. Procop.

SYNOPSIS

INDEX AMPLISSIMVS
CONCEPTVVM,
AD ERVDITISSIMAS CONCIONES
à Dominica in Albis vsque ad vltimam post Pentecosten, conficiendas: qui sane si recte attendatur, continuus Euangeliorum commentarius moralis censebtiur.

†

Dominica secunda post Pascha.

IOAN. 10.

Vocem

Pro Dominica 3. post Pascha:
IOAN. 16.

Dominica quarta post Pascha.

IOAN. 16.

Dominica quinta post Pascha.

IOAN. 16.

Dominica prima post Pentecosten.

LVCÆ 6.

Dominica secunda post Pentecosten.

LVC. 14.

Pro Dominica tertia post Pentecosten.

Lvc. 11.

¶ ¶

muliebris auaritia faceret pro dragma quærenda, euertit domum, omnia domestica quærit, commouet, reuoluit accensa lucerna, quæ enim magis auaritiæ dedita quam mulier? fo.624. co. 77. folio 645. co. 181. sed hunc affectum auaritiæ superat vnus affectus amoris in filio Dei erga homines, qui auarorum ardorem in quærendo auro longe excedit, ille ad viscera terræ peruadens, naturæ repagula rupit, & pœne ad sedes manium ad inferos istos peruenit, vt aurum inde extrahat, hic nostri Dei amor à cœlo descendit, in terris visus est, imo in corde terræ abditus inuiolabiles tartari leges euertit, vectes ferreos confringit, tenebrosis inferorum speluncis lumen infert, vt sibi inde acquirat hominem qui perierat; omnibus enim modis nostram salutem satagit, fo.42.co.179

Congratulamini mihi omnes quia inueni drachmam, Greg. Nyss. *hoc rem nobis Dominum proponere in imagine drachmæ perditæ, quia nulla nobis à cæteris virtutibus vtilitas prouenit, quas drachmas vocat, quamuis possideamus omnes, vna sola deficiente*, omnes enim debes habere virtutes, fo. 838. co. 53

Dominica 4. post Pentec.

LVC. V.

Ipse stabat secus stagnum Genesareth, Dominus ad stagnum Genesareth oculos conuertens, vidit duas naues, & quid aliud cerni potest in vastissimo pelago mundialis vitæ? nihil mundus exhibere potest aliud præter naues, nauis est quiuis homo furentibus fluctibus vndequaque cinctus, Dauid Psal. 106. eius miserias appime describit, qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo, sed quæ opera, quæ mirabilia vident isti in profundo? iam explicat dum ait, dixit & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius &c. ecce tibi cuiusmodi est vita humana, nimirum nauis commendata fluctibus, tempestate actis, nihil securum, nihil firmum videt nauta, dum tempestas fuerit, quid enim in hac vita stabile? nihil equidem, fo. 193. co. 5. fo.624.co.79

Et vidit duas naues, duæ visuntur naues in mari, nusquam enim vna sola nauis fluctuat in mundiali pelago, nusquam vnus princeps aut diues nauis nomine significatus solus nouit perire, sic Diuus Basil. oratione in S. Gordium fatur, *Gordius spretis omnibus vrbanos fugit tumultus, fori clamorem, magistratuum ambitionem, tribunalium fastum, quibus magnæ vrbes repleæ sunt multosque secum tanquam nauis alligatas puppibus cymbas per æquora currant*, ecce tibi vt magna nauis nunquam sola per pelagus graditur, sed alias cymbas & nauiculas secum pro ministerio trahat, cum quibus & patitur naufragium, ita quilibet mundialium magistratuum, quilibet diuitum & potentium, nunquam solus ingreditur mortis aut supplicii tempestates, sed & secum innumeros alios rapit, f. 814. co.324.tom. 1

Ascendens autem in vnam nauim, Theod. *fugit autem Dominus gloriam, quanto magis ipsa eum sequebatur, & ideo sese à turbis separans, ascendit in nauim*, en quomodo dat documentum vanæ gloriæ fugiendæ, quæ quidem tanquam fera pessima sua deuorat mancipia, fol. 861. co. 179. & humilitatis sectandæ, folio 50. con. 359. fo. 654. c. 225. fo.819.co.16

Rogauit eum à terra reducere pusillum, quid? nōne cum sis rex regum & Dominus dominantium, deberes imperare non rogare? dices principum rogatus esse mandata, sed addamus ideo rogasse, quia principes non mandatis & iussis, sed rationibus & vrbanitate aliquid obtinere à suis subditis debent, fo.751.co.119

Et sedens docebat de nauicula turbas, dicit quod Iesus de nauicula docebat turbas, & non explicat quid de nauicula doceret? sane quia ea docebat, quæ manifestissimæ nos docent vniuersæ naues, quis nesciat doctrinam & Philosophiam nauium, quæ nimis oneratæ pereunt, & euacuatæ ocyssime nauigant, Diuus Basil in cap. 2. Isai fatur, *quemadmodum enim naues onere immodico degrauatæ ad portum multo cum negotio prouehuntur, ac facile subeunt naufragium, pari ratione corpora quæcumque tandem multa ac redundanti alimonia ad obesam carnulentiam deuergunt, per voluptatum illecebras in imam voraginem perditionis natando immerguntur* an vt naues si nimis oneribus premuntur mergantur, sic sane nimium terrenis rebus deditos opprimit diabolus, fo.736.co.22

Et sedens docebat eos de nauicula, iam eos exemplo docuerat, prius enim exemplo quam verbo docere debet prælatus, fo. 157. co. 92. folio 491. co.54

Vt cessauit loqui dixit ad Simonem duc in altum, non multum moratur Dominus vno in loco, sed iubet continuo vela ventis dare, & pergere in altum, condemna eos qui sic incubant mundialibus, vt toti ibi hæreant, plane licet bonis temporalibus vti, sed pertranseunter & ad necessitatem, fo. 256. co.250

Vt cessauit loqui dixit ad Simonem duc in altum, recte notanter imperat Dominus Simoni nauim ducere, vt subdi & obedire sciat, qui ad Ecclesiæ eligebatur præfecturam, quis melius imperare poterit quam qui obedire sciuerit? quis aptior ad regni clauum quam qui aliorum mandata exequi nouerit? fo.854.co.135.fo.889.co. 104

Per totam noctem laborantes nihil cepimus, Deus suos probat vt eorum virtus agnoscatur, fo.8. c. 51. fo.69.co.10

Per totam noctem laborantes nihil cœpimus, non humano enim auxilio fidendum sed diuino, fo.544 co. 31

In nomine tuo laxabo rete, Deo enim obedientissimi esse debemus, folio 619.co. 49. f. 150. co.46

In nomine tuo laxabo rete, ecce ilico obedit, debemus enim in obediendo esse promptissimi, fo.34. con. 213. folio 117. con. 128. fo. 155. co. 76. folio 172. co. 179. *& cum hoc fecissent concluserunt copiosam piscium multitudinem*, en ex obedientia etiam rerum temporalium abundantia, fo.357.co. 95. fol. 391.co 28.

Concluserunt copiosam piscium multitudinem, obedientiæ præmium non differtur, fo.131.co. 225. fol. 169.co. 160

Conclu-

Pro Dominica 5.

MATT. V.

Dominica 6. post Pentecos.

Marc. VIII.

Quot

Dominica septima post Pentecost.

MATTH. 7.

Dominica 8. post Pentecosten.

LVCAE 16.

Dominica nona post Pentecost.

Lvc. 19.

Dominica decima post Pentecosten.

LVC. 18.

Duo homines ascendebant in templum vt orarent, simul ascendunt vt orent in templo, nostræ enim orationes cum aliorum precibus coniungendæ, 203. co. 61.

Duo homines ascendebant in templum vt orarent, quia ingens virtus orationis & illius efficacia, fo. 581. co. 75. fo. 41. co. 273 fo. 702. co. 177.

Duo homines ascendebant in templum vt orarent, cum enim oramus à tumultu recedendum, fo. 313. co. 127. fo. 689. co. 100.

Non sum sicut cæteri hominum raptores &c. quo autem instatu cum hanc orationem fundebat Pharisæus? stans inquit textus apud se orabat. in quæ verba ait Theophi. *per hoc quod dicit stans ela ũ eius animum notat, ipse enim superbissimus vide atur,* oratio autem nonne debet esse humillima? fo. 679. c. 64. co. 65. fo. 255. co. 99.

Non sum sicut cæteri hominum raptores, iniusti &c. Aug. de verbis Domini ser. 36. *quid est cæteri homines, nisi omnes præter ipsum, ergo inquit iniustus ... alij autem peccatores,* en quomodo de aliis omnibus male & peruerse iudicat? fo. 85. co. 110. fo. 161. co. 313.

Non sum sicut cæteri hominum raptores &c. sane iniustus ex hoc colligitur, quia nõ iniusti ad peruersi qui de aliis malum fictum iudicium, fo. 627. co. 95.

Non sum sicut cæteri hominum raptores. qui de aliis male iudicat, ruinæ est proximus, fo. 787. co. 28.

Non sum sicut cæteri hominum raptores. qui non iudicat propria peccata, alios peccatores esse facile condemnat, fo. 1011. co. 226.

Non sum sicut cæteri hominum raptores, quamuis essent raptores, optimum tamen sane est de aliis quantumuis malis non male iudicare, fo. 882. co. 75.

Non sum sicut cæteri hominum raptores &c. sicut hic publicanus, in quo te offendit publicanus, vt eum raptorem prædices? sane impius censeri debes, qui eum à quo non fuisti læsus, offendis, fo. 82. c. 103. nulli iniuria inferenda, fo. 266. co. 273. fo. 871. co. 230.

Sicut publicanus iste D. Chrysost. *qui autem aliis contumeliam sibi & aliis multa malefacit,* imo plus sibi quam aliis nocet, fo. 24. co. 48.

Sicut publicanus iste, tu publicanum contemnis, tandem contemneris, fo 564 co 1.

Publicanus autem à longe stans, quid magnum & illustre non spectabitur, in publicano, quem Deum accedentem tantus occupat pudor? tanta tenet verecundia, vt nec ad cælum oculos erigere audeat? quam pudor & verecundia maxime deceant, fol. 501. co. 111. verecundia maxime diligenda, f. 736. co. 23.

Nolebat nec ad cælum oculos leuare, quo quis sanctior eo humilior, fo. 201. co. 51. fo. 458. co. 86.

Nolebat nec ad cælum oculos leuare, maxima sine iustorum humilitas, fo. 8. co. 41. fo. 188. co. 270. fo. 16. co. 100.

Percutiebat pectus dicens esto mihi propitius peccatori, cur te peccatorem dicis, cum Pharisæus dicat se esse iustum liberale ... &c. quia iustos ita humilis esse debet, vt in conspectu aliorum iniustus non videatur, fo. 58. c. 100. fo. 469. co. 120.

Percutiebat pectus dicens propitius mihi esto peccatori, paruæ virtutis signa dantur in publicano, solum dicitur quod demissis ad terram oculis pectus percutit, & ait propitius esto mihi peccatori, parua sunt hæc, sed virtus illa enitebat, non erat parua imo maior erat & præstantior, quo magis intimis visceribus occultabatur, opera enim virtutum aliis celanda, fo. 181. co. 231. fo. 150. co. 83.

Percutiebat pectus dicens esto mihi propitius peccatori, Chrysost. in concione de publicano & Pharisæo, *compunctus detexit ille vulnus quærit hic medicinam, nemo igitur illud proferat frigidum verbum, non audeo, pudorosus sum, non possum aperire os, talis verecundia est diabolica, vult tibi diabolus obseruare fores accessus ad Deum,* sane nimius pudor superandus est ab iis qui cupiunt obtinere salutem, fo. 1012. co. 228.

Percutiebat pectus dicens esto mihi propitius peccatori, Aug. de verbis Domini ser. 36. *quid miraris si Deus ignoscit? de longinquo stabat Deo tamen appropinquabat & cum Dominus de prope attendebat, excelsus enim Dominus & humilia respicit, nec oculos ad cælum leuabat vt respiceret, premebat conscientia, spes sublenabat, percutiebat pectus suum pœnas de seipso exigebat, propterea Dominus confitenti parcebat,* en quomodo confessio criminis Deo gratissima, fo. 962. co. 180.

Propitius esto mihi peccatori, sicut humiliter de se iusti loquuntur, f. 653. co. 219. ita de se humillime sentiunt, fo. 654. co. 225. fo. 974. co. 41.

Propitius esto mihi peccatori, cur ita peccatorem te prædicas? cur itadem ille de te sentis? quia nihil ita decet ac humilitas, fo. 713. co. 12.

Propitius esto mihi peccatori, maxime nos humiliabimus, si aliis defectuosiores nos agnoscamus, fo. 1017. co. 245.

Amen dico vobis descendit hic iustificatus in domũ suam ab illo, verum in publicano apparet illud Psal. 50. sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies, nam cor hominis flammis charitatis incensum ardet, & perfectam de peccatis contritionem operatur: vniuersæ virtutes, instar elaborati thymiamatis ad Deum ascendunt, in odore suauitatis, rode charitatis ignem, & veram confessionem de peccatis, & facili negotio omnia turpantur, contemnuntur, quod magis sacrificium odoriferum Deo quam publicani cor, amoris incensum flammis quid turpius quã tot illa ieiunia, & eleemosyna Pharisæi. ... mittetur quod cum suis ieiuniis reprobetur Pharisæus, & quod paucis verbis iustificetur publicanus, hæc enim contusi & percussi pectoris excitatæ flammæ in odorem suauitatis faciebãt exhalari, in illo autẽ ob defectum igneæ charitatis, etiam ipsæ iustitiæ cor rumpebantur, in fœtidamque eumne... certũ enim est sine charitate virtutes alias non esse condigni meriti, f. 158. c. 95. charitate enim opus Deo gratum redditur, fo. 406. co. 152.

Qui se humiliat exaltabitur, fo. 319. co. 152. fo. 422. co. 162. fo. 518. co. 157.

Descendit hic iustificatus in domum suam, se peccatorem pronuntiat publicanus, & statim dicitur descendit iustificatus, non parcat gratiæ donum, vbi est humilis confessio peccatorum, vbi est sui accusatio ecce culpa dimittitur, fo. 1013. co. 236.

Dominica II. post Penth.

MARC. 7.

ET iterum exiens de finibus Tyri Theod. *in gentilium locis moram Dominus non volebat facere ne occasionem Iudæis daret, vt transgressorem legis eum æstimarent, quod se gentibus admisceret & ideo confestim reuertitur,* felix qui alterius c. mem

---

Dominica 12. post Pentec.

LVC. 10.

Index Concionum.

†††

Dominica 15. post Pentec.

LVC. 17.

Dominica 16. post. Pentec.

LVC. 14.

Dominica 19. post Pent.

MATTH. 22.

Dominica 20 post Penthec.

IOAN. 2.

Credidit

Dominica 22.

MATTH. XXII.

Dominica 23. post Pentec.

MATTH. IX.

Dominica 24. post Pentecosten.

MATTH. XXIV.

FINIS INDICIS CONCIONVM A DOMINICA PRIMA Paschatis vsque ad Dominicam primam Aduentus.